


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XII
E
7
NAPOLI



CONTROVERSIAE
DE IVSTITIA, ET IVRE,
ATQVE
DE CONTRACTIBVS,
& Commercijs humanis licitis, ac illicitis

IN DISPVTATIONEM, QVAM HABET D. THOMAS
Secunda Sectione Secundæ partis suæ Summæ Theologicæ,

IN DVOS TOMOS DISTRIBVTAE.

In quibus quid æquum, vel iniquum sit, & qua ratione ad æquitatem, & iustitiam reducendum in omnibus negocijs, & actionibus tam publicis, quam priuatis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, tam capitalibus, quam ciuilibus; & in omnibus vniuersorum hominum contractibus copiosè explicatur,

ET QVOTQVOT IN HIS MATERIIS CASVS CONSCIENTIAE accidere possunt, doctissimè deciduntur.

Ex sacris literis, Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum sanctionibus, vtriusque Iuris, & Ciuilis, & Canonici, ac priuatis cuiusque Regni legibus, & statutis, Sanctorum Patrum testimonijs, & omnium ferè Theologorum, ac Canonistarum, tam veterum, quam recentiorum, quorum studia huic argumento vtilia esse potuerunt, sententijs, & doctrinis,

Quæ omnes ad hanc vsque diem proponuntur, expenduntur, &, confutatis confutandis, accuratissimè resoluuntur.

Tomus Primus.

AVCTORE FR. MICHAELE BARTHOLOMEO SALON VALENTINO
Eremita Augustiniano ingenuarum artium, ac Sacræ Theologiæ Doctore, & in florentissima Valentinorum Academia publico Interprete.

Cum triplici Indice, vno Quæstionum, & Articulorum; altero locorum Sacræ Scripturæ; tertio Rerum, & Verborum notatu dignarum summa diligentia alfabetico ordine concinnè digesto.

Illustrissimo, ac Reuerendissimo Dom. D. Cardinali FARNESIO dicatus.







VENETIIS, M DC VIII.

Apud Bernardum Iuntam, Ioan. Baptistam Ciottum & Socios.

Cum Priuilegijs, & Licentia Superiorum.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO D.
D. ODOARDO FARNESIO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.



VÆ ternarium numerum sortiuntur perfecta esse, & quod trifariam dicitur, id omni ex parte perfectum censendum docebat Pythagorica schola, vel propterea quia in ternione inuenitur ratio Principij, medij, & Finis, vel quia quod à natura perfectionem sensim acquirit, primò incipit, deindè progreditur, postremò terminatur, vel quia videbant Gentes leges naturæ sequentes in re diuina facienda tria adhibere solitas; Chaldæi enim, & Æthiopes Deum venerabantur Thure Auro, Myrrha; Greci Igne, Hostia, Ara; Plerique alij Thure, Igne, & Precatione, Quò spectat illud ex Theocrito in Pharmaceutria, *Ter libo, terque pronuncio mystica verba*, & illud, *numero Deus impare gaudet*; Ex his postea nihil esse præter omnia & omnino, triaque esse omnia, & ter omninò conclusit Aristoteles in suis de Cœlo libris, tria esse simplicium motuum genera à medio ad medium, & circa medium ibidem statuit, Tres item corporum partes elementa, & quæ similium, ac dissimilium partium, Triaq; rerum physicarum principia materiam formam atq; priuationem, Tria argumentorum capita, Dialecticum Cauillosum, ac Demonstratiuum alibi docuit. Sed quid de Platone dicam? Nonne asseruit sæpissimè tres legum fuisse latores Iouem, Appollinem, Mineruam, totidem ministros Licurgum, Solonem, Minoem? & Platonici tres Animas locis disclusas Intelligentem in capite, Iram in Præcordijs, Cupiditatem subter pręcordia nonne locarunt? Vnde postea factum fuit, vt ternioni numero primas scientiæ omnes, artesque certatim concesserint; Arithmetica enim tres numerorum formulas præcipit Digitum, Articulum, Mixtum, necnon linearem planum solidum; Geometria tribus nititur, Definitionibus, Petitionibus, Effatis; Tribus etiam vtitur mensuræ generibus Euthymetrico, quod solam longitudinem metitur, Embdometrico, quod Areas, & latitudinem dimetitur, Stereometrico ad solidi mensuram; Musica tres concentus obseruat maximè, Diapente, Diatesseron, Diapason; Medici quoque ternum numerum celebrant, dum tria colunt membra primaria Cerebrum, Cor, & Iecur;

Tria genera febrium in Spiritibus, in Humoribus, in Continentibus; Denium (ne pluribus sim molestus) Historici hunc ipsum numerum laudibus efferunt, quum tria tributorum genera decernunt Ferri, Argenti, Auri. Hæc quum ita sint (Illustrissime & Reuerendissime Presul) Duos Thesauros Alterum verborum Marij Nizzolij, Alterum gestorum Fratrum Minorum tibi nuncupasse desiderio meo haud satisfactum putabam; videbat enim mihi Ferri, & Argenti tributa soluisse, & proindè perfectionem affectans, eamq; in ternione consistere intelligens, Controuersias de Iustitia & Iure, itemquè de Contractibus Eruditissimi Patris Fratris Michaelis Bartholomei Salon Valentini Eremitæ Augustiniani ingenuarum Artium, & Sacræ Theologiæ Doctoris in florentissima Valentinorum Academia publici Interpretis in hac Veneta, & vltima editione Summarijs auctas, & quam diligentissimè correctas à R. P. Magistro Augustino Brithinensi Veneto Regente in Monasterio D. Stephani Venetiarum eiusdem ordinis tributum verè Aureum postremò pendendum duxi: Eloquentiæ tuæ Nizzolius, Pietati tuæ Chronicæ nuncupatæ fuerunt; Controuersiæ autem hæ nostræ Iustitiæ, atq; Prudentiæ nuncupantur. Patritium Romanum alterius Romani decebat protegere Phrases; Prelati ecclesiastici erat fouere Professores pro Christo cum sanguine vitæ, Principem, Quæ ad Iustitiam pertinent Decisiones Patronum habere debebant, Quare Tibi Patritio Romano eloquentiam, & eloquentes, Tibi Antistiti Catholico Pietatem, Piosq; Tibi Principi Summo Iustitiam, Iustosq; acceptos semper fuisse contestor. Munus Prælati est docere, & operari, quare doctè dicenti, quæ ad dicendum spectant dicata, Piè operanti, quæ ab alijs gesta sunt, proposita fuerunt, nunc tandem iustè imperanti, ac dominanti, quæ doctores insignes de iure scripserunt, offeruntur. Reliquum iam nunc est (Illustrissime, & Reuerendissime Princeps) vt Baretium agnoscas prorsus vbiquè tuum. Quæ enim potest, ea hilari fronte, & hilariori animo affert offert donat, maiora, altiora, digniora quoniam dare non potest, superne dari perorat peroptat, & danda quamprimum credit ac sperat. Vale, & Baretij incomparabilem obseruantiam non perfectè depictam, sed vix adumbratam, necnon delineatam oblatis paginis certo scias. Venetijs Nonis Octobris 1608.

Illustrissimæ, & Reuerendissimæ D. T.

Humillimus, & addictissimus seruus

Baretius Baretius.

BARETIVS BARETIVS
BIBLIOPOLA
LECTORI STVDIOSO S. D.



VOTIES (studiose Lector) praclara illa, ac florescentis Religionis Eremitarum Sancti Augustini primordia, & incrementa ante oculos propono, quoties vitam, mores, pietatem, fidei Religionisq. ardorem, & amplitudinem tantorum Patrum serio perpendo, quoties innumeros, eosque grauissimos, nec non doctissimos tum Pralatos, tum Doctores in memoriam reuoco, toties Eremitanum ordinem nulli statuo fore secundum; quod etiam omnes aqui rerum iudices, & veri astimatores confirmare non molestè ferunt: & sanè bone Deus, quam semper floruit? quam splenduit? quam amplificauit fines suos? Quam denique orbi vniuerso admirationi fuit? Qua in fratribus deuotio, modestia, disciplina, morigeratio, & mentis in Cœlum iugis eleuatio? Quis in Patribus Zelus? Qua Prudentia, Charitas, Maiestas? Qua in magistris sapientia? Qua denique in omnibus sinceritas, simplicitas, diuina legis sedula obseruantia? Hic iugis fuit illius status, hac facies, hoc incrementum. Et si omnia, quibus aut orta est, aut floruit talis Religio aurea, & beata sacula dici possunt, profectò cur proximè elapsum beatissimum existimare nolemus? In eo enim Patres eius ordinis Indos adiere, sanguinem fuderunt pro Christo, ipsius doctrinam pradicarunt, Persarum magni Regis beneuolentiam captarunt, eundemque Principibus Christianis, & (quod maximum est) Catholica ecclesia amicum reddiderunt, demum quascunque sol radijs regiones illustrat, eas ipsi Idololatria, Hareseosque tenebris profligatis ardore charitatis incenderunt, splendore sapientia illuminarunt. At hactenus sub sole praclarè facta sub Cœlo perdoctè dicta tenebris obuolui, silentio obtegi, qua iniuria, aut incuria nescio, summopere dolendum est; ego, quod à teneris (vt aiunt) vnguiculis sanctitatem doctam, & sanctam doctrinam pradicti ordinis colui, atque suspexi; consulendum, & succurrendum illi pro meis viribus existimaui; Cogitanti autem, vel potius lupum auribus tenenti mihi occurrit R. P. Magister Fr. Augustinus Brithinensis Venetus in Monasterio Sancti Stefani Regens, & Moderator studiorum, quem hac de re iampridem consulere decreueram; is post multa eaque prolixa colloquia, ita consuluit; Nostra ò Bareti interest perquirere aut gesta, aut scripta nostratum Patrum, tua illamet typis imprimere, praloq. tradere, atq; ita omnes cognoscemur nostro perfuncti munere fuisse: Optime consultum dixi, quare age, rumpe moras, & si qua in Bibliotheca tua tibi sunt ad rem opera, dato, imprimantur. Alij dedisti Ambrosium Calep. Eremitanum, alij Luysium

a 3 Legio-

Legionensem in Cantica, alij data sunt Alphonsi Toletani quaestiones de anima; Alij R. P. Magistri Fratris Petri de Valderama Conciones Quadragesimales, & de Sanctis, quae nunc praelo praemuntur, Sicuti, & mihi Declarationes septem Psalmorum poenitentialium Reuer. P. F. Petri de Vega à Reuer. Patre celeberrimo Concionatore F. Aegidio Gottardo Ariminensi translata: tu etiam si quae mihi dederis impraessa curabo diligentissimè; Amplexus est Pater, & me, & promptitudinem voluntatis meae, statimq; duos tomos R. P. Magistri Michaelis Bartholomei Salon de Iust. & Iur. alterum, & alterum de Contractibus cudendos tradidit summarijs auctos, & summo studio correctos; Hos nulla sumptus, laboris, & incommodi habita ratione, vt imprimerem quamprimum, quae sudabant sub praelo substractis, supposui, & pulchriori facie Italica luce perfrui studui, qui turpiori Hispano duntaxat crepusculo fruebantur, ita vt si pauci, & minus accuratè cusi hactenus à finibus nostris abfuerint summoperè desiderati, imposterum, & multi, & accuratissimè aucti, atq; correcti coemi possint. Tua nunc interest, Amice Lector, tanto viro ditare Bibliothecam, & tanta doctrina animum exornare, siue enim speculatiuae siuè practicae Theologiae incumbas, siuè Ciuili siuè Canonico iuri studeas, Michaelem nostrum doctissimum apprimè vtilem tibi futurum certo scias. Quocirca quanti propensum animum in te meum, impensamq; cum pecunia diligentiam facias, experientia, hoc est, emptione horum librorum declarato; Quod si (vt spero) feceris, Quintum Volumen Flos Sanctorum R. D. Alphonsi Villegas, cui titulus est, Fructus Sanctorum, quorum exempla ex sacra Scriptura, ex sacris Doctoribus, & historicis fide dignis in capita redacta, continet, ante diem Festum Natiuitatis Domini expectato; opus sanè Concionatoribus, & Confessarijs, nec non curam Animarum habentibus per quam vtile, & necessarium. Vale, & Baretium aequè tibi ac sibi vigilare atque sudare credas.

PROOEMIVM AVTHORIS
Ad studiosum Lectorem.



CVM primum hoc opus in lucem mittere (Lector optime) decreui, id solum mihi initio agendum esse existimabam, vt quid laboris, & operę in eo collocassem; & quam tibi vtilitatem hi Commentarij in disputationem D. Thom. de iustitia essent allaturi, explicarem: vt ea velut in tabella quadam depicta, & tibi proposita alacrius, & confidentius eos volueres, ac perlegeres. Cogor tamen temporum iniuria (quamuis ne id quidem silentio prętercam) prius, & copiosius rationem reddere eorum, quæ nonnulli etsi optimo, (vt existimo) animo, sed incognita profectò causa, & inaudita, (vt dicunt) parte mihi in hoc Opere vitio vertenda esse indicarunt, & ad suscepti operis defensionem hoc conuertere Proœmium: cum mihi euenire videam, quod D. Hierony. in Prępatione libelli de Interpretationibus nominum Hębraicorum refert sibi accidisse, his verbis. Id quod Terentio accidit, sustineo, qui comœdiarum prologos in sui defensionem scęnis dabat: vrgebat enim eum Lucius Lauinius nostro Lucio similis, & quasi publici ærarij furem Poetam calumniabatur: hoc idem passus est ab æmulis, & Mantuanus vates, vt cum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilator veterum diceretur: quibus ille respondit, magnarum virium esse Herculi clauam extorquere de manu: sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, rex Oratorum, & Latinæ linguæ illustrator repetundarum accusatur à Gręcis: non mirum ergo si contra me paruum homunculum immundi sues grunniant, & pedibus margaritas conculcent, cum aduersus doctissimos viros, & qui gloria inuidiã superare debuerant liuor exarserit. Hæc ille. De eodem crimine, & ego à nonnullis accusor. Damnant enim primum, quod eam susceperim Theologię partem his Commentarijs explicandam, quam tot, & tam insignes Theologi, ac Iuris Canonici periti, & Veteres, & recentiores varijs operibus, & lucubrationibus editis illustrarunt. Extant si quidem ex Theologis D. Tho. Scotus, Paludanus, Ioannes Maioris. D. Antoninus, Syluester, Conradus, Caietanus, Medina Complutensis, et multi alij. ex Iurisperitis Innocentius, Decius, Panormitanus, Hostiensis, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Turrecremata, Didacus Conarruuias, & alij innumeri, à quibus de Iustitia, & singulis eius partibus, & officijs varijs locis suorum operum copiosè est disputatum. Et quorum sententię placita, & argumenta, quibus singuli nituntur à grauissimis viris, & de omnibus studiosis benemeritis Magistro Dominico Soto, & Doctore Martino Azpilqueta alijsque recentioribus sunt diligenter collecta, eruditè inter se comparata, diligentissimo examine ponderata, et iustissimo perpensa ęquilibrio: propter quod hos nunc edere Commentarios nihil aliud profectò sit, quàm vel illorum paginis hic transcribere, vel inuerso tantum ordine permutare, vt multis, & non infimi nominis Doctoribus, qui hanc de Iustitia disputationem suis auditoribus explicare sunt aggressi, nouimus accidisse. Non me latuit simul, atque institui eandem disputationem in hoc Gymnasio Valentino meis proponere auditoribus, simile mihi euenturum aliquos iudicasse. Sed respondebam tacitus, quod in veteri est prouerbio. Exitus acta probat. Modò autem quando iam, quę intra priuatos huius scholę parietes à me enarrata sunt alijs impertiri decreui, apertius, & copiosius hanc instituti reprehensionem diluendam esse iudicaui. Primum igitur, quod hoc idem argumentum ab alijs grauissimis Doctoribus sit pertractum, non me debuit deterrere, cum nulla ferè sit disciplina, cuius omnes, vel plereque disputationes non sint à varijs Authoribus prioribus sæculis discusse, nec propterea qui illos sunt sequuti in eisdem rursum explicandis suum ingenium exercere, & cum precedentium studijs suas cogitationes, & labores coniungere inutile indicarunt. Numquid (vt verbis D. Hieron. in pręfatione Commentarij epistolę ad Ephesios vtar:) aut Tertullianus B. Mar. Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium à scribendo deterruit? stamina, & fila, vt idē ait, nonnunquam ponunt priores, vt posteri vestem inde conficiant. Et D. Aug. 1. de Trin. c. 3. vtile, inquit, est plures libros à pluribus diuerso stylo etiam de eisdem quęstionibus fieri, vt ad plurimos res ipsa perueniat: ad alios quidem sic, ad alios autem sic. Porrò, vt missos faciam veteres, quorum scriptis alia à recentioribus adiungi non reprehendunt, hos recentiores, quos adeò, & meritò commendant, quiq; omnia videntur iam in vnum coaceruasse, multa & grauissima, quę huc pertinent pretermisisse, alia non ita abundè, & sufficienter, vt oportebat pertractasse, alia non minus obscura, & ambigua, quàm antea essent, reliquisse, in alijs denique satis improbabiles, & vt liberè verum dicam, falsas sententias sequutos esse, qui hos nostros Commentarios attentè perlegerit, sępius apertissimè deprehendet. Ac ne temerè, vel arroganter hęc asserere, & grauissimis Doctoribus, quibus omnes plurimum debemus, detrahere alicui videar, nonnulla hic subijciam exempla, quæ testor cęlestem iudicem, (cui perspecta sunt vniuersa hominum consilia) me dolentem referre, & non eo animo, vt alicuius nomen, aut dignitatem lædam, cum omnes, vt par est, obseruem, suspiciam, reuerearq; plurimum, tàm veteres, vt primos duces, & antesignanos, qui posteris omnibus viam pręmonstrarunt, quàm recentiores, quorum studijs, & vigilijs, qui nunc in scholis versamur, ditiores redditi sumus, & quorum omnium laboribus me in hoc opere vsum esse ingenuè profiteor: sed vt perspicuum fiat, neque ita esse omnia à recentioribus explicata, quin multa desiderentur, multa maiori expositione, alia iusta animaduersione indigeant. Quę enim de redditibus Ecclesiasticis Author operis de Iure, & Iustitia (qui potissimè mihi obijcitur) habet, si peritus Theologus, & qui aliorum studia consuluerit, attentè legat, quot deprehendet illi argumento deesse, quot tàm in sententia, quam sequitur, quàm in rationibus, quibus vtitur emendanda. Si ad quæstionem grauissimam de Monte Pietatis oculos conuertamus, quam longè eiusdem authoris, & Caietani, quem sequitur opinio à veritate distat, ne dicam ab Ecclesię statutis. Si quę in testamentis fidelium, iuxta legem Dei, & conscientiæ obseruanda sunt ab his inquiras, quàm pauca, & obscura proponunt. Si quæ ad leges Ciuiles pertinent, & Principum, ac Magistratuū mandata, ex quibus innumerę controuersię, quę passim in contractibus & commercijs humanis oriri solent, & quarum

rum

rum cognitio saluti animarum adeò est necessaria, sunt diluendę, respicias, docent quidem & optimè cum D. Thom. obligare illas in conscientia, at quando sub mortali, quando sub veniali tantum, in quibus euentibus suam vim retineant, in quibus verò cesset earum obligatio, in quo potissimè huiusmodi controuersiarum status consistit, & quod vt difficilius, & magis necessarium potissimè explicare oportebat, prætereunt omnino. Quæ ad exactionem, & solutionem vectigalium faciunt adeò succinctè, & obscurè persequuntur, vt non modò parum exercitatis, verum etiam & peritissimis Theologis nisi aliunde huius controuersiæ intelligentiam sibi comparent, nulli ferè sint vsui ad admonendum vulgus imperitum. Qua ratione præcepta primę tabulæ ad ius naturale pertineant, in quo veteres Theologi adeò laborarunt, quomodo Principi, qui verè Princeps non est, sed tyrannus, vel tyrannicè intrusus obediendum sit, vel resistendum, quæ compensatio fieri debeat, quando relicto digno eligitur indignus, vel is, qui tantum dignus est excluso digniori, quando restitutio, & cum iactura proprij status, ac facultatum fieri debeat, quid agendum gubernatoribus populi si tyrannus, vel sicarij innocentem aliquem postulent occidendum, aliter omnia ferro, & flammis vastaturi, hæc & similia quam imperfectè nonnunquam falso multi ex recentioribus explicant. Quæ à reis, vel testibus dum in proprijs, vel alienis causis in iudicium vocantur sunt expedenda iudicibus, in quibus Theologum passim fideles consulunt, & quam vim in capitalibus negocijs indicia, infamia, semiplena probatio, & similia habeant, vt iudex iustè, & Christianè procedat, qui ea tantum nouerit, vel amplectetur, quæ ab istis recentioribus docentur, errare illum, & cum graui sui ipsius, vel proximorum damno frequenter oportebit. Quæ ad famæ restitutionem faciunt, maximè quando verum alicuius crimen, sed latens, & occultum siue in iudicio, siue extra iudicium in priuatis collocutionibus euulgatum est, conati quidem sunt recentiores explicare; at viam, qua id perfectè fiat, & quam qui fratrem suum infamauit sequutus damnum, quod intulit omnino reficiat, & sinistram opinionem, quam in animis eorum, qui audierunt sua detractione generauit, omnino tollat, quam nos ex sacris litteris in hoc Opere indicamus firmissimis suffultam rationibus, recentiores non docent. Missa faciam alia innumera exempla, quæ ex disputationibus de homicidio, furto, vsuris, cambijs, censibus symonia, & similibus contractibus, nec minus ex his, quæ de Decimis, & oblationibus, de voto & iuramento, & multis alijs, quas in his Commentarijs persequimur petita, facilè possem afferre. Sed sat sit, quæ proposuimus attigisse, vt apertè constet, nec eos, qui ante me scripserunt (licèt eruditè, et quibus pares gratias nunquam valebimus referre) omnia explicasse, nec me in edendis his Commentarijs vano, & parū fructuoso labore, sed studiosis omnibus vtilissimo tempus consumpsisse, meq; verè affirmare hic posse, quod eruditissimus vir Conradus in Proœmio sui operis de contractibus eandem reprehensionem, quam ego patior, veritus, dixit. Nec ita ad saturitatem, qui ante me scripserunt emergentes difficultates demessuerunt, quin multas spicas post terga metentium, iuxta legis edictum pauperibus, & egenis cum Moabitide colligendas reliquerint, nonnulla quoque demessuerint, quæ ordinatius forsan post hac componi debuerant. Hactenus Conradus. Sed alteri iam crimini, quod mihi obijcitur, satisfaciam oportet. Damnant secundò, & multò acriùs, quod hos Commentarios varijs vtriusque iuris sanctionibus illustrarim, vel (vt dicunt) repleuerim, sicque sacram Theologiā ferè infinitam reddere contenderim. Sed, quod pace eorum dixerim, si illud imprimis probationis genus, quod ex Iure Pontificio sumitur à Theologo alienum esse volunt damnent mecum oportet D. Tho. Paludanum, Richardum, Medinam, Victoriam, Dominicum Soto, & plerosque tàm veterum, quàm recentiorum, qui hoc quoque argumenti genere (licèt non ita abundè, vt ego) vsi sunt. Et meritò; Nam cum duplici potissimè via omnis disputatio instituatur, aut argumento ex testimonio, & authoritate eorum, quibus in ea disciplina maxima habenda est fides, aut rationum pondere & vi: Theologo illa probandi ratio propria est, & magis germana, quæ ex testimonio Sacræ Scripturæ, Summorum Pontif. & sacrorum Conciliorum sanctionibus, ac Sanctorum Patrum monumentis desumitur: quidquid verò in iure Canonico continetur ex Pontificum, & Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum scriptis petitum esse nemo ignorat. Adde quod demptis his, quæ ad causas forenses, & dirimendas lites pertinent, cætera omnia, quæ ius Canonicum habet, vel definitiones sunt, fidem ipsam, aut sacramentorum vsum respicientes, vel leges Ecclesiasticas, quibus mores Christiani cuiusq; ordinis, & conditio componuntur: quas ex visceribus Theologiæ desumptas esse, testatur Innocen. Tertius, c. qualiter, & qu ndo, l. 2. de accusatio. vbi ex authoritatibus Vet. & Noui Testamen. Docet, canonicas sanctiones processisse: & c. 1. de translat. Episcopi. Ex illo generali priuilegio, quod B. Petro, & per eum Ecclesiæ Romanæ dominus noster indulsit, nullo modo errandi in his, quæ ad fidem, vel mores pertinēt, canonica ait post modum emanasse instituta. Cur ergo Theologo vitio vertendum est, quod legibus, & statutis ex visceribus sacrę Scripturæ, & Theologiæ petitis Theologicas disputationes illustret, ac disceptet? Quis vnquā Medicum reprehendit, quod varios Hippocratis aphorismos, vel Galeni placita in medium proponat? Quis Dialecticum, aut Philosophum, quod ex varijs Aristot. locis suas confirmet sententias? nullus certè: cur igitur reprehendetur Theologus, quod in controuersijs ad mores Christianos, & conscientiam pertinentibus varijs vtatur Ecclesię decretis? nisi iam medico Hippocratis Aphorismi, & Galeni placita, Dialectico, & Philosopho Arist. testimonia, regula certę, & omni dubitatione carentes, esse debeant, Theologo verò incerta, & infirma Ecclesiastica statuta, quod nec suspicari quidem licet. Certè si legantur, quæ optime erudite Gratianus distin. 38. & 61. ex Celestino, Leone, Augustino 7. Synodo, Concil. Carthaginen. 4. Toletano 4. & Aurelianensi 4. colligit, constabit facilè, quam exercitatos oporteat esse Episcopos, Sacerdotes, & Theologos in Ecclesiasticis canonibus. Etenim si Episcopi, & Sacerdotes, quibus animarum cura commissa est, pastores, & Doctores non titulo tantum, & gradu, sed opere, & munere esse oportet, vt D. Aug. epist. 59. quæ est ad Paulinum, & D. Hieron. in 4. cap. Epist. ad Galatas diligenter obseruant, & Theologus in Ecclesia cathedrali ad docendos alios Sacerdotes constitutus ex decreto Concilij Lateranen. sub Innocent. III. in cap. quia nonnullis de Magistris; non tantum diuinas, verum etiam Ecclesiasticas leges docere debet, & in doctrina fidei, & morum instruere, qua ratione neglectis canonibus ecclesiasticis, in quibus de dogmatibus fidei, & Christianis singulorum ordinum moribus agitur, hæc commodè præstari possunt? Continet quidem sacra Scriptura præcepta viuendi maiori ex parte, vt Cardinalis Turrecremata in proœmio Decreti optimè expendit, doctrina autem morum in specie, & in particulari,

secun-

secundum singulos gradus, & ordines officiorum Ecclesiæ sine iuris Ecclesiastici cognitione perfectè haberi non potest. Sermones enim morales (vt docet Aristot. in Ethicis) si generatim, & non speciatim, & in particulari proponantur, parum afferunt vtilitatis: Tum cum duo sint potissimum Theologi munera, vnum arcana fidei explicare, ac contra hæreticos, & alios Ecclesiæ catholicæ hostes tueri, & confirmare, alterum verò mores fidelium instituere, & controuersias, quæ in eorum actionibus & negotijs oriri possunt dirimere, prius illud ex sacra potissimè scriptura, ecclesiasticis traditionibus, Conciliorum, & Sedis Apostolicæ diffinitionibus, & Sanctorum Patrum communi consensu petendum est: posterius verò cum ius diuinum in sacra Scriptura contentum, naturale hominum mentibus recta ratione ducente inditum, & Sanctorum Patrum monumenta ad explicandam æquitatem, & iustitiam in priuatis hominum negotijs in specie, & in particulari non descendant, ex placitis Philosophiæ moralis, & regulis statutisque Ecclesiæ est præcipuè dirimendum. Sicut videmus D. Thom. in hac disputatione de Iust. obseruasse, in qua maior pars eorũ, quæ proponit, ex Ethicis & Polyticis Arist. & Ecclesiæ sanctionibus est desumpta. Quo fit, vt sicut erraret grauiter Iuris ciuilis, vel canonici peritus, qui Theologiæ expers in controuersijs vsuræ, simoniæ, excommunicationis, & alijs eiusmodi, in quibus de peccato mortali agitur vellet inconsultis Theologis iudicium ferre, ita oportet decipi passim Theologum in eisdem & similibus disputationibus, si quæ ab Ecclesia ad mores, & negotia fideliũ spectantia statuta sunt, ignorauerit. Nam vt de solo volumine Decretalium loquar, cum in eo copiosè disseratur de summa Trin. & fide cath. de Baptismo, de sacra Vnctione, de celebratione Miss. de Matrimonio, de sacris ordinibus, & cæteris sacramentis, de iudicijs, & accusationibus, de statu Monach. de clericorum honestate, de voto, de Iureiurando, de Decimis, de simonia, de periurio, de furtis, de vsuris, & reliquis huiusmodi criminibus, de irregularitate, suspensione, excommunicatione, interdicto, & similibus pœnis, si decreta ad hæc pertinentia Theologus ignoret, non solum idiota, vt Innocentius loquitur c. Ex multa de vsura, de Voto est Iudicandus, sed in pluribus, quæ ad fidelium commercia, & mores Christianos pertinent passim allucinabitur. Rogare placet Caietanum, sit ne Theologi, vel cum audiendis sacris confessionibus incumbit, vel cum à fidelibus in foro animæ consulitur, difficultates quæ in eodem foro circa matrimonia, vsuras, cambia, emptiones, & venditiones aliosque contractus, vel ipsasmet censuras Ecclesiasticas oriuntur, explicare? Quia si hæc non sunt Theologi, decipiuntur profectò fideles, qui nostra in his expectant iudicia, errant Pontifices, & Concilia, dum in his diffiniendis Theologos grauissimos, & plures, quam iurisperitos prius consulunt. Est profectò Theologi in his conscientiarum nodos explicare, ac propterea non modò argumentis Theologicis oportet ipsum esse instructum, sed in legibus etiam Ecclesiasticis ad ferenda in eis optima iudicia diligenter esse versatum. Quod satis indicat Alexan. III. cum admonet, c. 1. de consangui. & affinit. causas Matrimonij non esse tractãdas per quoslibet, sed per viros discretos, & qui statuta canonum non ignorent: nec loquitur de huiusmodi causis, vt iudicio forensi subijciuntur, sed quatenus in foro etiam animæ sunt tractandæ. Illud tandem in Caietanum adhibeam: si exorta quæstione de contractu aliquo, vel censura, aut re simili vtriusq; Consilio fidelis aliquis, vt sæpe fit vti velit, & Theologi, & Iurisperiti, & hos inter se, vt quandoq; accidit pugnare in sententia contingat, Iurisperito Theologorum opiniones contemnente, quomodo Theologus illum in suum trahet sententiam, ne fidelis, qui illos consulit à iurisperito decipiatur? rationibus ne tantum scholasticis? irridebit forsan illas, cum solis textibus, quia erubescunt sine lege loqui, suadeantur: Vt igitur (sicut Clemens Alexandrinus primo stromatum ait:) Paulus Apost. Hebreis factus est Hebreus, atque adeò omnia omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret, sic Theologus Philosophis debet effici Philosophus, vt quam sint consona mysteria fidei rationi naturali, etsi eam longè superent) ostendat, iurisperito iurisperitus, vt quæ ex Theologiæ placitis fideles seruanda esse docet, eadem Ecclesiæ decretis, & statutis ostendat esse stabilita. Deniq; ne in hac parte diutius immoremur, si quæ à Philosophis traduntur, & Theologiæ sunt accõmodata, nullus veterum Theologorum erubuit amplecti, & ad Theologiam illustrandam adhibere, vt loco citato, & 5. stromatum copiosè ostendit idem Clemens; cui subscribunt Origenes, Eusebius, Didymus, Theodoretus, & plures alij ex Græcis, & Latinis: Nec immeritò; Cum namque sacra Theologia omnium scientiarum præstantissima sit, & cœlestis regina cæteras omnes humanas scientias, veluti ancillas in sui famulatum asciscit, de qua Prouer. 9. dicitur. Misit ancillas suas vocare ad arcem: In cuius rei testimonium (si D. Aug. credimus) ad construendum templum domino, non solum preciosum thesaurum Israelitæ contulerunt, verum & alienigenæ Tyrij, & Sydonij artifices sapientissimi in excidendis lignis deseruierunt. 3. Reg. c. 5. Quantò magis integrum erit viro Theologo, vti modo non solum philosophorum dictis, sed & SS. Patrum, summorumq; Pontificum, & Iuris vtriusq; interpretum authoritatibus ad comprobanda dogmata sua in his, quæ præsertim attinent ad Iudicia, pro pacandis conscientijs fidelium? Quis enim ignorat Ius Pontificium, & sacram Theologiam maximam inter se affinitatem habere; & vnius eruditionem sine alterius notitia ægrè posse sustineri? At dicet quispiam, fateor, quod D. Thom. inter Theologos princeps (vt de hoc vno loquar) his testimonijs vtitur, sed pauca adhibet; nam in omnibus suæ Summæ articulis, ac in alijs scriptis vnico, vel duplici tantum testimonio vtitur. Sed nunquid propterea reprehendendi sunt tot celeberrimi viri, qui fidei causam, defensionemq; hac nostra ætate suscipientes, illius dogmata innumeris sacræ Scripturæ locis, sacrorum Conciliorum, summorum Pontif. & Sanctorum Patrum propositis doctrinis hæreticorum duritie, ac perfidia ita exigente confirmant? minimè quidem; Sed commendandus plurimum est illorum zelus, & in summo habenda presio eorum studia. Hos ego imitatus partem hanc, quæ ad fidelium negotia, & æquitatem, quã in omnibus suis actionibus, & commercijs seruare debent, pertinet, vt cupiditati, & iniquitati hominum efficacius occurram, totq; & tam pugnantes inter se multorum opiniones (quantum in me virium est) ad veritatis lineã reducam, & quod iustum, & æquum est in rebus saluti animarum adeò necessarijs apertius ostendam, præter rationes, quæ à Theologis in scholis proponuntur, varias ecclesiæ sanctiones ex iure Pontificio petitas, quibus sententiæ quas amplector confirmantur, & argumenta scholastica efficaciora redduntur, adhibere vtilissimum iudicaui. Affero etiam multa ex iure Ciuili, & priuatis Regnorum, & Prouinciarum legibus, quas municipales diximus, disputationi de Iustitia plurimum necessaria. Quamuis enim iuris Ciuilis disciplinam profiteri ecclesiasticis viris interdictum videa-

tur,

tur, quæ verò in dubitationibus causas animæ spectantibus à iure Ciuili, & statutis Principum, & Magistratuum omnino pendent, qualia multa esse legenti hos Commentarios perspicuum erit, oportet Theologum nulla ratione latere. Fatetur D. Cypria. dist. 10. can. Quoniam: Pontifices in ferendis de rebus temporalibus iudicijs legibus Imperatorum vti, D. Aug. sæpe aduersus Donatistas cum de recta rerum temporalium dispositione, vel de moribus Reipub. disserit, legum authoritatem proponit. Lucius Tertius cap. 1. de noui oper. nuncia. sacrorum statuta Canonum, & Principum constitutiones se mutuò ac vicissim iuuare, & Pontificum iura (quæ Theologo necessaria esse iam ostendimus) Ciuili authoritate rationeq; foueri scribit; D. Tho. & vniuersa ferè Theologorum schola leges ciuiles, nisi naturali, aut diuinæ, vel Ecclesiasticæ aduersentur obligare in conscientia docent, velut statuta ab æterna Dei lege manantia, iuxta illud Prouer. 8. Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt, adeò vt affirmet D. Paul. Roma. 13. huiusmodi legibus resistentem Dei ordinationi resistere, & sibi acquirere damnationem, ac peccare grauissimè, vt Theophilactus, & D. Anselmus in ista verba Apostoli copiosè habent. Idem admonuit B. Petrus cum scripsit, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis (vbi omnes complectitur Magistratus) parendum esse. Quod si tanta est legum ciuilium vis, & authoritas in rebus conscientiæ, Theologos, quorum dictis omnes fideles acquiescunt, quid respondere oportebit, quando de quæstione conscientiæ, cuius explicatio ex lege aliqua ciuili pendet, interrogabuntur, vi & Iustitia illius legis omnino ignorata? Incidit Theologus, vt ex hac secunda secundæ D. Tho. perspicuum est in disputationem de Iure & Iustitia, agit de pactis, de stipulationibus, cæterisq; contractibus, de rerum dominio, de testamentis, donationibus, promissionibus, præscriptione, censibus, & alijs sexcentis, quibus hoc opus, cui accingimur, abundat, in quibus diffidendis ignoratis legibus, quæ circa hæc instituta sunt, quid æquum & iustum sit, ignorari omnino est necesse. Quod ne sine exemplis asseramus, facilè illa sese offerunt. Etenim quando liti cędendum sit, quando in illa persistere liceat, vel oporteat, quæ frater maior natu erga minores, vel donatarius indebitis eius à quo donum accepit præstare debeant, quę tributa domini locorum subditis sui possint imponere, an tuta conscientia retineantur, quę possessione longi temporis præscribuntur, quæ ex donatione vxoris aliena ab aliquo recipiuntur, quę ludo sunt acquisita, quę ex testamento minus solemni, vel ab intestato alicui obuenerunt, & similia ex legibus ciuilibus non modò in foro exteriori, verum etiam in interiori animæ sunt dijudicanda: nisi iam ad iurisperitos in his recurrendum esse cum Caietano existimes, & illos facias causarum animæ iudices, quod adeò est à vero alienum, vt non modò cæteros fideles, sed ipsos quoque iuris peritos in huiusmodi causis Theologorum sententijs, & doctrinis oporteat subiacere. Reliquum est (Lector optime) vt immensum hunc laborem, quem in explicandis omnibus controuersijs, quæ in quocunque genere negotij, & commercij oriri possunt, in communem omnium vtilitatem collocaui, & diligentiam, quam adhibere conatus sum, vt propositis omnium, qui ad nostra vsque tempora, de his rebus, vel coniunctim in eodem opere, vel sparsim, & diuisim in varijs operibus, & locis scripserunt, sententijs, rationibus, ac testimonijs, quibus nituntur, & diligenter inter se comparatis, quid Iustitiæ, & æquitatis legibus magis consonum sit, percipiatur, boni æquiq; consulas. Et vberrimos fructus, maximamq; vtilitatem, quam ex eo spero omnes percepturos eo diligenter perlecto, tibi comparare contendas. Non tantum mihi tribuo, vt cæteris meum præferam iudicium, aut a me solo è puteo eductam esse veritatem, quam omnes hactenus ignorauerint, credam, Absit tã arroganter de me sentiam: sed omnium, quos huc vsq; de Iustitia, vel aliqua eius parte intellexi disseruisse, recensitis sententijs, & doctrinis, quæ verior ac certior sit, quæ sequenda Theologo, & tanquam securior fidelibus proponendis, inuestigare, explicare, & firmissimis quantum potui, confirmare argumentis: quę ab alijs prætermissa sunt adijcere, quæ obscurè proposita elucidare, quæ succinctè, & breuius, quàm oportebat tradita copiosius enarrare, quæ ex sacris litteris, sedis Apostolicæ, & Conciliorum decretis, ac sanctorum Patrum testimonijs & vtroq; iure tam Ciuili, quàm Pontificio huius operis instituto plurimum profuturum intellexi adhibere diligentissimè curaui. Vbi te studiose Lector admonitum velim, & sub ea fide, quæ virum Christianum, & Sacerdotem religiosum decet, nihil in hoc Opere contineri, quod non sit ad amussim cum ipsis Authoribus, quorum opera hic vtor, iterum atque iterum collatum, ac ex ipsis fontibus, germanisq; exemplaribus desumptum. In quo si quid tibi occurrit commendatione dignum, Saluatori nostro Iesu Christo totius sapientiæ magistro, & Authoribus, è quibus hi Commentarij collecti sunt, acceptum referas, multa autem, quæ emendatione egere non dubito, quæ debes Christiana pietate, ac modestia corrige, & me mortalem, qui facilè labi potui, ac decipi, teq; mei similem, & ex eodem figmento recordare, animum saltem communi vtilitati addictissimum suscipe, & me apud Deum, & sanctos Patres olim huius disciplinæ magistros, nunc verò in Cœlo patronos tuis precibus adiuua. Vale.

METHODVS, QVAM SEQVITVR D. THOMAS IN SVA SVMMA THEOLOGICA.

Et qua ratione hæc disputatio de Iustitia alijs adiungatur.



VM multa eruditè, ac copiosè D. Tho. varijs editis operibus ad sacræ Theologię intelligentiam vtilissima docuisset, vt illis omnibus in vnum redactis, & Ecclesię & huius disciplinę studiosis commodius prodesset, hanc summã S. Theologiæ decreuit colligere, quã in tres partes optima Methodo distinxit, ex varijs considerationibus subiecti, circa quod Theologia versatur. Postulat enim optima docendi ratio, vt sicut præcipua consideratio in quauis disciplina de proprio ipsius subiecto est, ita quoque iuxta varia, quæ illi subiecto conueniunt, scientia illa distribuatur. Subiectum Theologiæ, vt nomen ipsum sonat, Deus est, qui tribus modis considerari potest, aut secundum se, & qua Deus est, aut in ordine ad creaturas, vt illarum principium est, & finis, iuxta illud Apoc. 1. Ego sum α & ω, principium, & finis, quo fit, vt iuxta hæc tria oporteat Theologorum de Deo disputare. Etenim cum Deus noster Deus absconditus sit, omnem superans scientiam, lucemq; habitans inaccessibilem, ex suis propterea effectibus & creaturis, in quibus velut in vestigio, aut imagine voluit se ipsum exprimere, est inuestiganda: & à creatura mundi (vt B. Paul. admonet) ex his, quæ facta sunt inuisibilia ipsius percipienda: ita oportuit de creatore simul, & creatura, vt ab illo emanat, & in eundem regreditur, Theologum miscere sermones. Quæ diligenter expendens D. Thom. hæc omnia in hoc Opere prosequitur, differens prima parte de Deo secundum se, vt Deus est, vnus, æternus, bonus, sapiens, iustus, Trinus in personis, &c. & de eodem quatenus principium est, & causa omnium creaturarum, vna complectens parte, quæ Magister, & ipsius interpretes. 1. & 2. Senten. proponunt. De eodem verò quatenus finis noster est, multò copiosius differit, sicut multò pluribus opus est ad Deum obtinendum, & tantum consequendum finem, quam ad dimanandum ab ipso, cum sola ipsius voluntate conditi simus, nec aliquid creatura vlla præstiterit, vt ab ipso emanaret, ad eum verò beata illa visione obtinendum pluribus opus sit medijs, & auxilijs. Iam cum hæc media, quibus indigemus, vt in Authorem nostrum redeamus, duplicia sunt, quędam quæ vocantur interna, & ipsi homini propria, qualia sunt honestæ, & studiosæ operationes, alia verò externa, & superaddita, vt redemptio, quam Saluator noster gratia nostræ salutis operatus est, & sacramenta, quibus salutem illam, & vim suæ redemptionis nobis impertitur: vel si mauis quædam quæ sunt absolutè necessaria, quemcunque hominis statum respicias, vt actus virtutum, alia verò quæ ratione lapsus, & ruinæ nostræ naturæ, vt Incarnatio Christi, eiusdem mors, & redemptio, ac sacramenta ab ipso instituta: de vtrisque diligenter differit. Quæ interna dicuntur, vel absolutè, ac in quouis statu necessaria prius explicans, habitus nempè & actus omnium virtutum, secunda parte huius Summæ, quæ Magister, & ipsius interpretes breuitati plus nimio studentes docent in Tertio, à dist. 23. vsque ad finem illius lib. D. autem Thom. vt qui probè nouerat, quam necessaria sit hæc disputatio de actionibus humanis, & virtutibus, ingenti volumine, secunda vtpotè parte illam copiosissimè est persequutus: quo nomine cæteris merito præstat Doctoribus, & communi Reip. Christianæ vtilitati, præ cæteris omnibus agnoscitur consuluisse. Externa verò, & quæ ratione naturæ lapsæ addita sunt, vt Incarnatio Christi, eiusdem passio, & sacramenta, quæ Magister cum suis, à principio Tertij lib. vsque ad Dist. 23. & toto lib. 4. proponunt, D. Thom. vltima parte nempe Tertia enarrat. Ita vniuersam Theologiam his tribus partibus est complexus. Nituntur alij eandem diuisionem hac alia ratione explicare: Vt Deus bifariam consideretur, aut secundum se, aut in ordine ad creaturas: rursum ad creaturas relatus hęc tria (inquiunt) habet, vt sit primo illarum principium, & causa: secundò vltimus earundem finis: tertiò Redemptor, ac mediator noster: ipse enim qui principium finisq; noster est, vt quidquid boni nobis contingere potest, id omne ipsi debeamus, noster quoque voluit esse mediator, & redemptor. Ita colligunt D. Thom. prima parte, differere de Deo secundum se, & quatenus omnium creaturarum est principium. Secunda parte quatenus finis noster est, propositis actibus, & virtutibus, quibus in illum tendimus: in tertia denique quatenus mediator, & Redemptor noster est, assumpta pro nobis carne, sanguine pro nobis fuso, & institutis sacramentis. Est optima quoq; ordinis, quem D. Thom. sequitur in hac summa Theologica explicatio, sed parum à priori differens. Cæterum, quia volumen illud secundæ partis ingens erat, & onerosum, & quod sua magnitudine fastidium parere videbatur, discipuli D. Tho. in duas partes, seu sectiones diuidendum iudicarunt, occasionem ipsomet D. Thom. huic diuisioni offerente. Nam cum actiones nostræ bifariam considerari possint, aut in communi, & in genere, aut in specie, & in particulari secundum suas proprias, & priuatas rationes: habeant etiam duplicia principia, quædam omnibus communia à quibus imperantur, vt actiones morales naturam ipsam, & rectam rationem, super naturales, & meritoriæ gratiam, alia verò priuata, & particularia à quibus proximè eliciuntur, habitus vtpotè ipsarum virtutum, vt in actu fidei, vel eleemosynæ est videre: Actus enim fidei, vt meritorius pro-

cedit

cedit à gratia, vt fidei verò ab interiori illo habitu, quo intellectus fidelis illustratur ad assentiendum firmiter, & certò his, quæ adeò reuelata sunt. Actus similiter eleemosynæ, vt moralis à misericordia, qua recta ratione ducente compatimur egentibus, vt meritorius à gratia, vt priuatus verò eleemosynæ actus est, ab habitu interno inclinante voluntatem ad subueniendum egentibus. Vtraque ratione egit D. Thom. illa 2. par. de actionibus studiosis, duplicemq; de illis instituit disputationem, in priori, quæ communia sunt explicans, in posteriori verò ad specialia, & propria singularum virtutum, & vitiorum, quæ illis opponantur descendens. Ita placuit & optimè in duas partes, vel sectiones ingens illud volumen Secundæ partis D. Tho. subdiuidere. Priorem, quæ communia continet vocarunt Primam Secundæ, posteriorem verò, quæ peculiaria, & propria cuiusque virtutis Secundam Secundæ. Quo perspicuum redditur quanta sit huius sectionis, seu partis, quæ Secunda Secundæ est appellata vtilitas cum necessitate coniuncta, cum in ea propria, & peculiaria omnium virtutum, tam Theologicarum, quàm Moralium, & singulorum vitiorum, quæ illis opponuntur, copiosè explicentur. Etenim si iuxta Apost. tota vitæ nostræ gubernatio, vt honesta, & Christiana sit, præmijsque cælestibus digna, in his tribus consistit, vt piè, sobriè, ac iustè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, &c. piè quidem erga Deum, sobriè erga nos ipsos, ac iustè erga proximos, hæc omnia hæc secunda sectio accuratissimè proponit. Explicat siquidem, quæ ad illustrissimas illas virtutes Fidem, Spem, & Charitatem, quibus Deum piè credimus, diligimus, & colimus, quæ ad Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiã, quibus nos ipsos sobriè componimus, & quæ ad Iustitiam, qua iustè, quæ proximorum sunt exequimur, pertinent. Pluribus hanc sectionem commendare nec huius loci est, nec mei instituti, qui interpretem D. Tho. non oratorem agere instituti. Denique in hac Secunda Secundæ quod recta ratio postulabat, de Fide, Spe, & Charitate, vt digni oribus, & quæ Theologo propriè sunt prius disputat, posterius verò de Moralibus. Prudentia, Iustitia, Fortitudine, & Temperantia: quia licèt ad Philosophum Moralem spectare videantur, qua tamen regulis Euangelij, & statutis Ecclesiæ actus earum subijciuntur, ad Theologum pertinent. Imò sicut, quæ prudentes Philosophi lumine naturæ de Deo agnouerunt, Theologus iure vsurpat, vt sua, & tanquam præludia quædam eorum, quæ sacra disciplina docet, ita quæ Philosophia moralis præscribit, qua moribus, & actionibus Christianis deseruiunt, iure Theologus dum mores fidelium instituit, sibi vendicat vt sua. Interea verò, quæ huius sectionis sunt, disputationem de Iustitia non infimum locum obtinere, imò necessitate, & vtilitate cætera superare, patebit facilè, si quantum referat in tot, tantisque negotijs, quæ ab hominibus exercentur, & inter adeò pugnantes Doctorum opiniones, quid certius, ac securius sit intelligere, consideremus. Hoc nos quantum in nobis est, in his Commentarijs præstaer conati sumus, an res pro voto succedat, legenti (modo sincero animo ad eos accedat, & solius veritatis percipiendæ desiderio ductus) iudicio relinquimus. Sed iam ad Opus ipsum accingamur.

AD AVTHOREM CARMEN.



ORTVNATE SALON, magni cui iura Solonis,
Atque datas leges explicuisse datum.
Explicuisse? parum est, superauit iura Draconis
Dira Solon: tamen hic vincis vtrumque SALON.
Humanas illi leges: tu sacra superni
Iura poli humanis mentibus apta facis.
Vt lubet ergo suum iactet Salamina Solonem
Te Pia Virgo, Deus, te pia iura canent.



DISPVTATIONES DE CONTRACTIBVS ET COMMERTIIS HVMANIS,

QVAS HABET D. THOMAS SECVNDA SECTIONE, Secundæ partis suæ Summæ Theologicæ: à Quæst. 57. vsque ad Quæst. 122.

AVTHORE

F. MICHAELE SALON VALENTINO, AVGVSTINIANO.



QVAESTIO LVII. DE IVSTITIA ET IVRE.



AGGREDITVR D. Thom. præsenti quæst. celebrem illam, & Thologis adeò necessariam disputationem, de iustitia; de qua Arist. & eius interpretes, 5. Ethic. Marc. Tull. primo Offic. vbi eam omnium virtutum splendorem appellat. Ex Theologis nonnulli in 3. sent. dist. 36. alij in 4. dist. 15. agentes de satisfactione, quæ vna est ex præcipuis iustitiæ partibus alij, dist. 46. Dominic. Soto integro, & eruditissimo opere de iure, & Iustitia à principio 3. lib. vsque ad finem operis. Innumeri quoque alij Theologi, & Canonistæ sparsim, & varijs in locis, suorum operum, quos in singulis disputationibus referemus. Exorditur autem D. Tho. hanc disputationem de iustitia à Iure, & merito, quia cum vis & natura habituum ac potentiarum (vt author est Arist. 2. de Anima) ex proprijs ipsarum obiectis sumenda sit, & per sua obiecta diffiniantur: Ius autem (vt statim explicabitur) proprium & adæquatum sit Iustitiæ obiectum, de iure oportuit prius ipsum differere. Et ita primum omnium quærit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Ius sit obiectum Iustitiæ?



PAVCA de Iure solent Theologi proponere, multa verò, & eruditè à Gratiano, & Iurisperitis maximè Turrecremata af feruntur in Decretis dist. 1. & Legistis. ff. & Inst. de Iustitia & Iure; à quibus necessariò propriam. Iuris rationem, & singulas species quatenus hic locus postular, petere oportebit.

Ac principio explicandæ sunt variæ significationes harum vocum Ius, & Iustitia; tùm ne earum homonymanos perturbent, tùm vt multa loca Sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ doctrinæ huius art. contraria videri possent, explicata maneant & diluta.

Primum igitur Iustitia duobus modis sumitur; primò largè & communi quadam significatione, quatenus generalis quædam virtus est omnes complectens, estque idem quod sanctitas; rationem insinuat D. Hieron.

ron.in ca.66.Isaiæ, quia proprium est iustitiæ actiones, & contractus humanos in quadam æqualitate constituere,& hoc ipsum omnes virtutes præstant,cum consistant omnes in quadam æqualitate, & debita proportione secundum regulam rectæ rationis,à qua siue per excessum, siue per defectum recedatur, vitium est. Vt in fortitudine, cuius munus est pro magnitudine, aut paruitate periculi,iuxta rectam rationem res aggredi, ita vt si ab illa recedatur vitium necessariò sit timoris, vel audaciæ.Hac de causa Hebræi viros probos,& honestos vocant rectos & iustos,ac ipsas virtutes rectitudines , vitia verò quia ab æqualitate, & rectitudine rationis recedunt, nec possunt ad mensuram commodè reuocari, velut inæqualia obliqua vocant, & tortuosa.

Scholastici Theologi hanc etiam caussam reddunt, quia cum Iustitiæ sit reddere vnicuique quod ei debetur,quidquid includit rationem, ac solutionem debiti, videtur pertinere ad iustitiam, in actu autem cuiuscunque virtutis,perspicuum est persolui obediētiam, quæ debetur legi virtutem illam præcipienti , quomodo omnis virtus quædam iustitia est. In hoc sensu vocantur in sacris litteris viri honesti , & studiosi iusti, Matth. 1. [Ioseph cum esset vir iustus,] idest studiosus & pius. 1.ad Timo.1.[Iusto non est lex posita,]idest viro probo,& studioso non est necessaria lex; agit.n.virtutis amore quidquid ipsum decet , etiā si nulla lege ad id compellere. Matth.6. [Attendite ne iustitiam vestram,&c.] Ne opera vestra studiosa oculis hominum auram popularem captantes offeratis: Quamuis hunc locum multi experitis intelligant de eleemosyna,iuxta proprietatem sermonis hebræi, quo eleemosyna vocatur iustitia; cui fauet, quod deinde adiecit Christus:[Tu autem cum facis eleemosynam,&c.] Sunt alia innumera loca in vtroque Testamento, quæ omnia mirificè confirmauit Zacharitas Luc. 1. illis duobus verbis:[in sanctitate & iustitia.]

In eodem sensu vocat Arist.5.Ethic.c.1.Iustitiam totam virtutem,agitque de ipsa Plat.1. & 2. Dialogo de Repub.vt ibi docet Proclus in commentarijs . De eadem iustitia sic accepta intelligendum est symbolum illud Pythagoricum,[stateram ne trāsilias] i.iustitiam, & honestas virtutum leges , vt Archippus , & Lysides eius auditores explicabant,teste D.Hiero.in Apologia contra Rufinum,hi.n.cum Thebis Scholas haberent, retinerentque memoria Doctoris sui Pythagoræ præcepta,& ingenio (vt inquit Hieron.) pro libris vtebantur,hoc symbolum Pythagoricum sic exponebant.Simile est illud Prou.11. [Statera dolosa abominatio est apud dominum ;] complectitur enim nomine stateræ omnem virtutem,& iustitiam, vt Auctor est idem Hierony.in commento istius loci. In eodem sensu,quando homines sanctificantur per gratiam, & virtutes coram Deo , & ex inimicis amici ipsius efficiuntur , vocatur transmutatio illa iustificatio. Sic, Roman.,5. ait D. Paul. [Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum.Et c.8.Vt iustificatio legis impleatur in nobis.] In hoc tamen sensu non agimus hic de iustitia , neque hoc modo sumpta habet aliquod proprium, & peculiare obiectum , sed difunditur, & vagatur per obiecta omnium virtutum.

Secundo modo,qui proprius est huius loci,& disputationis,sumitur in particulari & contractè, quatenus est quędam virtus moralis,vna ex quatuor Cardinalibus,quæ respicit bonum rationis , & quod dicit recta ratio in ordine ad alterum, cuius proprium munus est,debita vnicuique reddere,& æqualitatem in omni contractu, & negotio inter Ciues constituere, in quo sensu agunt etiam de Iustitia D.Hiero.in cap.23.Isaiæ, D.Chrysost.hom.4.in Matth.& D.Tho.hoc loco.Et in eo iustificatio non est transmutatio illa, quæ fit in homine à statu peccati per gratiam, sed est idem omnino qd satisfactio,vel restitutio alieni,aut exhibito debiti.

Aliam quoque affert D.Anto.4.par.tit.5.c.1.Iustitiæ significationem petitam ex D.Tho.in 3 distin.33.q.1. qua significat illum statum primi hominis , in quo vires inferiores rationi & ratio Deo ita subijciebantur , vt omni ex parte rectitudo homini conueniret , quem statum solemus vocare iustitiam originalem. Sed hæc sufficiant de hac voce iustitia.

Ius multiplex quoque nomē est,varia habens significata,quæ affert Ioan. And.de re iud.in prin. lib. 6.significat autem primò, & præcipuè, vt optimè, & copiosè Turrecre.in Prohemium illud Gratiani dist.1. Humanum ius ca.1.sui comment,q.1. idem quod iustum , & quod secundum æquitatem,& rectam rationem vnicuique debetur ; quomodo dicitur iustitia virtus, qua redditur vnicuique suum ius,i.quod iustum est, & debitum.Eodem modo Arist. vocat iustitiam effectricem iustorum.Et Cicer.2.Philip. [Ius postulas,] i.iustum & debitum. In eodem sensu sumitur ius à D, Aug. 19. de ciui. Dei,c.21.& in illud Psal.145.[Qui facit iudicium iniuriam patientibus.]in eodem ait D.Isido.lib.5.Etymolo.c.3.& habetur.dist.1.Can.Ius:[Ius generale nomen est,lex autem iuris species,] vbi vox species, non sumitur logicè pro specie subiecta generi , sed pro regula,vel speculo.q.d.legem esse regulam, vel speculū, in quo licet inspicere ius, idest quid sit æquum & iustum; quem sensum ostendunt verba statim apposita ab eodem Isidoro,subiungit enim ; [Ius autem dictum est,quia iustum est.]

Sumitur secundò pro lege,quæ præcipit,& præscripit, ipsum ius, quomodo dicimus, quædam esse iuris naturalis,alia diuini, alia humani, idest quædam præcipi lege diuina , alia lege naturali, &c. In hoc sensu Paulus Iurisconsul.in l.ius.ff.de iusti.& iure;vocat ius, [Quod omnibus aut pluribus in quacunque ciuitate vtile est,]quale est ius Ciuile,idest lex Ciuilis. Et Plautus. [Ille omnium iurium,atque legum factor fuit .] Nec his repugnat,quod Arist.5.Ethic.ca.7.dicat ius & iustum differre,vt iniuriam & iniustum. q.d. vt quemadmodum iniuria propriè est actio illa,qua alteri, nocemus:iniustum verò illud nocumentum,& damnum, quod ea actione infertur , ita ius sit actio, qua reddimus alteri,quod ipsi debetur, iustum vero id quod illi redditur, quia in hoc Aristo. loco non est legendum, iuxta veram , & germanam ipsius lectionem , vt legit Argyropilus,[ius & iustum,sed iustificationem,& iustum,] Vt habet antiqua versio,& vt videre apud D. Tho.lib.5.Ethi.lect.12.maximè cum apud Aristot. (vt statim constabit)idem omnino sint ius,& iustum.

Sumitur tertiò ius pro arte & peritia legum : quæ duo continet.Primò cognitionem & intelligentiam legum,qua de causa versati in hac arte dicuntur Iurisperiti.Secundò dictamen illud rectæ rationis & prudentiæ iudicium, quo iudex & exequutor legis considerans,quid in re de qua agitur æquum sit & bonum,legem ipsam(quātum eius dessitio patitur)iuxta æquum & bonum accōmodat,interpretatur, exequitur: quod dictamen dicitur epichia plurimum & necessariò (vt suo loco admonebimus)obseruanda à iudicibus. Nam cum lex scripta non possit omnibus temporibus, & euentibus ita esse adæquata, vt omnia & minutissima quæque præscribat,vt constat.l.Neque leges,& l.Non possunt,ff.de legibus, debet iudex lex viua (vt dicunt) esse,legem in membranis mortuis scriptam , iuxta bonum & æquum accommodans, & explicans. Quod adeò proprium esse debet huic arti Iuristarum, vt nomine ipsius artis indicetur . Ideo si quidem appellata est. Iuris prudentia,vt admoneantur qui illam profitentur,ne ita addicti sint verbis & apicibus legū, quin æquitate & prudentia in illis explicandis & accommodandis vtantur. Alioquin summum ius summa iniustitia est,vel summa malitia,vt scribit D.Hiero.ad Innocen.de muliere septies ista.

In hoc sensu vocatur ius,idest Iurisprudentia a Cel-

so.

lo. l. 1. ff. de Iust. & iure, Ars boni, & æqui. Ex quo licet inferre primò non esse idem legem, & artem boni & æqui, vt iudicauit Accursius; primò, quia lex licèt a recta ratione originem trahat, ipsa tamen non est illud dictamen, aut iudicium rectæ rationis, sed regula, & præscriptum superioris habentis authoritatem, quo præcipitur aliquid fieri vel non fieri, aut vt alij dicunt voluntas superioris præcepto explicata, Ars autem æqui & boni est ipsum iudicium rationis, & prudentiæ, quo interpres & exequutor legis, iuxta æquum & bonum illam moderatur: confisus legislatorem, si præsens adesset, ita iudicaturum, vt colligitur ex l. Nulla ff. de legib. quia de legislatore semper sentiendum est illum amare æquitatem. Secundò, quia cum ars æqui & boni idem sit, quod Ars tuendi ius naturale, & æquitatem naturalem, quando lex positiua apparet iniqua: patet apertè artem istam æqui & boni plurimum differre à lege. Qua ratione dicitur Instit. de success. liberto. §. qua de causa. [Prætoris edicto hæc iuris] idest legis [iniquitas emendata est.] Et l. si quis. ff. quod quisque iur. ait Vlpia. [si quis iniquum ius.] idest iniquam legem [aduersus aliquem impetrauerit, ipse eo iure vtatur.]

Sequitur secundò, grauiter esse deceptum Buridianum, q. 1. in 5. lib. Ethic. & nonnullos alios, iudicantes Ius non rectè accipi pro iusto & debito, quod reddit Iustitia, quia sumatur etiam pro lege: cum constet sumi & pro iusto, & pro lege, & pro arte ipsa ac peritia legū. Est enim ineptum argum. in nomine multiplici ita colligere, sumitur in hoc sensu ergo non in illo.

Ex his tribus significationibus Iuris prima est omnium potissima, & à qua aliæ ortæ sunt Quemad. enim Medicina primò & per se significat medicamentū quo restituitur salus, & ab eo translatum est hoc nomen ad præcepta & artem quæ disserit de medicamentis: Ita ius primò & per se significat iustum & debitum, & ab eo translatum est ad legem veluti regulam qua præscribitur ipsum ius & iustum, & ad Artem continentem & explicantem tales leges & regulas, quæ est iuris prudentia.

Sunt præter has & aliæ duæ significationes Iuris, sumitur enim aliquando pro sententia quam fert iudex quomodo dicitur dicere ius, idest ferre sententiam, & reddere ius alicui, idest sententiam in fauorem alicuius pronunciare, etiam si iniquè iudicet, vt habetur ff. de Iust. & iur. l. ius pluribus modis. Aliquando verò pro loco ipso forensi in quo causæ aguntur, & dicuntur sententiæ, vt habetur ibidem, quomodo dicitur aliquis comparere in iure, idest in loco tribunalis, ita Teren. in Formione [in ius ambulo.] & Cic. Dialog. 1. de Oratore [Volitare in foro, hærere in iure, & prætorem in tribunalibus.] Sed hæ duæ significationes non sunt satis propriæ; ortæ autem ex eo sunt, quia sententia iudicis, locus tribunalis, & similia deseruiūt vt ius & iustum vnicuique reddatur. Ex quibus omnibus patet propriam quæst. huius artic. esse.

AN IVSTITIAE VT SPECIALIS VIRtus est, sit proprium obiectum Ius, idest iustum, & debitum.

VT quæst. hanc diluat D. Tho. statuit tria discrimina inter Iustitiam, & alias virtutes morales, quæ sunt in apetitu; quæ iuxta mentem ipsius sic explicanda sunt.

Primum, vt proprium sit Iustitiæ componere hominem in ordine ad alterum, & inclinare ipsum ad exequenda, quæ alteri debet: quod probat, quia consistit Iustitia in quadam æqualitate, æqualitas autem ad alterum est, cum nil sibi ipsi æquale dicatur. Aliæ vero virtutes morales, componunt hominem in ordine ad se ipsum, quia versantur vt idem docet. 1. 2. q. 60. art. 2. circa proprias passiones, fortitudo circa irrascibiles, temperantia circa concupiscibiles, quæ passiones cum sint in ipsomet nomine, virtutes illas moderātes componunt, & perficiunt hominem inordinate ad seipsum.

Ex hoc primo discrimine nascitur secundum, vt in alijs virtutibus (cum munus earum sit componere hominem in se ipso) optimum & rectum illarum sumendum sit habita ratione agentis, & considerandum quomodo sese habeat exercens actus illarum, vt dijudicetur an sit recti. Vt in fortitudine est actus rectus, & bonus, si sit commensuratus viribus elicientis illum, & fini debito: in temperantia similiter, dicetur actus ieiunij rectus, & bonus, si sit commensuratus valetudini ieiunantis, & fini ieiunij. Quod si vltra vires suas quis hostem aggrediatur aut ieiunet, vel ob inanem gloriā talis actus non est rectus, cum sic agens nec sit bene cōpositus in se ipso, nec bene ordinatus. Eodem modo res sese habet in actibus aliarum virtutum, non solum vt virtutes sunt, verum etiam vt tales virtutes componere hominem in se ipso, & rectum actum efficere iuxta dispositionem agentis: in Iustitia verò cum non sit munus ipsius componere hominem in seipso, sed tantū in ordine ad alterum cui aliquid debetur, licet qua virtus est, vt actus ipsius studiosus sit, considerare quoque oporteat qualiter ab agente procedat, quo fine, & quibus circunstantijs, at qua talis virtus est, nempe Iustitia (cuius hæc est propria natura & ratio reddere vnicuique suum,) rectum ipsius non sumitur per comparationem ad ipsum agentem, sed per comparationem tantum ad debitum quod alteri reddendum est, vt si debeo tibi 100. & illa persoluo, quacunque ratione sim dispositus, & quocunq; fine id prestem, habet hic actus rectitudinem, & integritatem Iustitiæ, in genere Iustitiæ, cum ad nil aliud ex iustitia teneat quam reddere tibi integrum debitum.

Ex his sequitur tertium discrimen quod ab omnibus DD. constituitur, vt in alijs virtutibus cum agens non sit semper eodē modo dispositus, ita nec sit in eis certū mediū, sed quod assignat recta ratio iuxta dispositionem agentis: Quo fit vt habeant illæ quidem certam materiam circa quam versentur nempe passiones, non tamen certum obiectum: vt temperantia non habet certum cibum aut potum pro obiecto, nec fortitudo certū periculum, sed quod in singulis euentibus præscribet recta ratio iuxta dispositionem agentis. At Iustitia habet certum obiectum nempe iustum debitum alteri, qđ non est assignandum à recta ratione pro dispositione agentis, sed ex natura rei, & ex vi ac quantitate debiti sumendum est. Qua de causa docet idem D. Thom. 12. loc. cit. cum in virtutibus duplex possit esse medium aut rei, aut rationis, in alijs virtutibus medium esse rationis, idest quod recta ratio assignat, & ideo non esse certum, in Iustitia verò esse medium rei, idest quod à parte rei est debitum & iustum, & ita esse certum.

Eadem de causa in explicandis alijs virtutibus prius agit D. Tho. de ipsis quàm de earum obiectis, tum quia non habent certum obiectum, neq; constat illud ex natura rei, sed à ratione est præscribendum iuxta dispositionem operantis, tum etiam quia ipsæ virtutes sunt quæ iuxta suas regulas constituunt rectitudinē in opere: in hac vero disputatione de Iustitia sumit initiū ab obiecto ipsius, quia obiectum eius in re ipsa existit sine vlla comparatione ad operantem, & ex ipso tota rectitudo iustitiæ sumenda est, Tantū .n. habet rectitudinis actus Iustitiæ, quantum accedit ad iustum, & debitum.

His positis vnica conclusione respondet D. Th. propositæ quæst. Quæ sic habet.

Proprium obiectum Iustitiæ est Ius.

Hanc conclusionem non probat D. Th. Sed vt perspicuam ex differentijs constitutis inter Iustitiam & alias virtutes relinquit: imò ex vocibus ipsis per se compertam. Nam cum obiectum alicuius potentiæ vel habitus dupliciter exprimi, & significari possit, aut nomine, &

vocabulo dissimili, quod non denominet nec includat formaliter habitudinem quæ reperitur inter illam potentiam vel habitum, & tale obiectum quomodo ens mobile est obiectum intellectus, color est obiectum, visus, aut nomine, & vocabulo simili denominante, & in se ipso formaliter includente illam habitudinem, quomodo intelligibile est obiectum intellectus, & visibile est obiectum visus; quando hoc posteriori modo exprimitur & significatur obiectum, voces ipsæ facillimo negotio seipsis ostendunt quod eis significatur esse obiectum illius potentię, vel habitus: vt hęc vox visibile se ipsa ostendit quod per eam significatur esse proprium obiectum visus. Ita hoc loco, cum Ius seu iustum sit vox significans & se formaliter includens ordinem & habitudinem ad Iustitiam, ex solis vocibus constat ius esse propriũ obiectum Iustitię, nec aliud opus fuit quam explicare propriã rationem Iuris vel iu ti, quod ab inde præstitit D.Th. propositis illis trib. differentijs.

Potest nihilominus conclusio huius Arti, argumentis in formam redactis ita ostendi. Primò hoc differt iustitia ab alijs virtutibus, quod illæ non habeant proprium obiectum sicut nec proprium medium, Iustitia verò quia est ad alterum habet vt constat proprium obiectum & medium, nempe iustũ debitum alteri, sed ius in sua propria, præcipua, & primeua significatione, est idem omnino quod iustum debitum alteri. Ergo.

Secundò habitus diffiniuntur per sua propria obiecta. Sed Iustitia de qua hic sermo diffinitur per ius seu iustum. Ergo. Maior perspicua est, minor cõstat ex Arist. qui 5. Ethic. cap. 1. Iustitiam deffinit, [Habitum quo iustum volumus & iusta operarum,]Probatque ex communi hominum consensu (quod argumenti genus moralibus efficax est) [Quia omnes talem habitum volunt dicere Iustitiam, à quo operatiui iustorum sunt.]Vlpia. quoque. ff. de Iust. & Iur. [Iustitia (inquit) est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens.]

Tertiò habitus sumunt denominationem à suo proprio obiecto, sed iustitia iuxta communem omnium hominum conceptionẽ dicta est à iure, quasi ius suum vnicuique tribuens. Ergo. Vnde quando ait Vlpia. l. si quis, ff. de iust. & iur.]Ius à iustitia appellatum esse,] nomine iuris non intelligit ibi iustũ, sed artem & scientiã iuris, vt in tertia significatione huius vocis diximus cũ ius pro iusto non dicatur à iustitia, sed cõtrà, vt docuimus.

Circa conclusionem huius Artic. etsi non desint, qui aliter sentiant, vt Buridianus & nonnulli inferioris notę Auctores, nullam tamen inspectis, attentè his quę adduximus existimo manere controuersiam. Contra discrimina verò constituta hic à D.Th. inter iustitiam, & alias virtutes morales, multa à nonnullis obijciuntur, quorum potiora hęc sunt. Imprimis D.Th. secum apertè pugnare, cũ in secundo discrimine habeat in litera. [Rectum quod est in opere iustitiæ, etiã præter com parationem ad agentem constituit per cõparationẽ ad alium,]paucis verò lineis interiectis habeat deinde in tertio discrimine [iustũ dici aliquid, & habere rectitudinem iustitiæ, etiam si non consideretur qualiter ab agente procedat.]

Secundò, quo argum. vtitur Buridia. loc. cit: Aut loquitur hic D.Tho. de actibus virtutum, & rectitudine earum formaliter, & in genere virtutis, aut loquitur de ipsis materialiter tantum, idest secundum suas priuatas naturas, & secundum illam propriã, & priuatam rectitudinem, & bonitatem, quæ illis conuenit absolutè ex suo proprio obiecto. Si priori modo, tam actus iustitiæ, quam aliarum virtutum, vt sit rectus, & bonus, est comparandus ad agentem, debetque procedere ab agente benè disposito: Pãtet, quia sicut virtus est habitus reddens bonũ habẽtem illam, ita quoque actus cuiuscunque virtutis vt virtutis, est bonus & studiosos, & cum bonum (teste D. Dionisio) sit ex integra causa, consequenter actus cuiuscunque virtutis, vt virtutis debet procedere ab efficiente benè disposito, & in debitum finem, ac alijs circunstantijs. Propterea dixit Arist. 2. Ethic. cap. 4. [Non esse operationem aliquam actum virtutis, nisi procedat per electionem, (idest à sciente & volente) propter bonum virtutis. Si verò loquatur D.Tho. in posteriori sensu, non solum actus iustitię, verum etiam cuiuscunque alterius virtutis est bonus, & rectus in tali genere, quacunque ratione ab egente procedat. Probatur. Quemadmodũ reddere Petro decem illi debita, est actus iustitiæ quocunque fine id fiat, ita quoque ieiunare seruatis his, quæ sunt de ratione, & substantia ieiunij, est actus secundum substantiam temperatus, quocunque fine id fiat. Ergo quemadmodum fine rectitudine subiecti reperitur rectum in iustitia in genere iustitiæ, ita quoque sine rectitudine subiecti reperitur rectum temperantiæ, in genere temperantiæ.

Tertiò, soluere debita actus est iustitię, sed vt debitor teneatur soluere, considerandæ necessariò sunt facultates ipsius, quia si effectus est impotens ad soluẽdum, nec ipse tenetur soluere, nec creditor habet ius ad exigendum. Iam igitur in actu iustitię, attendenda quoque est dispositio, agentis.

Quartò, sequuntur ex ista doctrina D.Tho. duo incommoda. Prius est, iustitiam non esse virtutem, sed velut quandam artem, quod est falsum, & contra eundem D.Tho. 1. 2. q. 57. ar. 3. Consequentia verò probatur, quia artis, (vt docet Arist. 5. Ethi. c. 6.) proprium est, considerare solum opus arte confectum, nulla habita rõne qualiter illud ab artifice procedat, quod profectò iuxta hanc doctrinam D.Tho. conuenit etiam iustitiæ, cùm dicat apertè in tertia differentia, reperiri in opere iustitię bonitatem, & rectitudinem ipsius, non considerato qualiter opus illud ab agente procedat, vt quan do soluit 100. qui totidem debebat, quacunque rõne id præstet. Alterum incommodum est, iustitiam nõ esse habitum essentialiter bonum, sed accidentaliter tantùm, qđ falsum esse docent omnes discipuli D. Tho. contra Scotum, 1. 2. q. 55. artic. 3. Id verò sequi patet, quoniam iustitia iuxta ea, quæ hic docemus, quandoque operatur iusta & iustè estque tunc principium actionis bonæ, & consequenter habitus bonus, quandoque verò operabitur iusta, sed non iustè, vt cũ quis soluit debitum ex hypocrisi, eritque tunc principiũ actus mali, & consequenter habitus malus, Et ita iustitia modò erit habitus bonus, modò verò malus, & ex consequenti erit habitus accidentaliter bonus, cũ accidentis sit adesse, & abesse.

Quintò, à negatione superioris rectè argumentamur ad negationem inferioris, vt non est animal ergo, neque homo virtus est genus ad iustitiam, ergo vbi non reperitur propria, & formalis ratio virtutis, neque reperietur propria, & formalis ratio iustitię, sed actus aliquis non est dicendus actus virtutis, nisi fiat ab agente benè disposito, & cum debitis circunstantijs, ergo neque erit dicendus actus iustitiæ, nisi procedat etiam ab agente benè disposito, & cum debitis circunstantijs: Quo fit, vt in Iustitia, sicut & in cæteris virtutibus eon siderare quoque oporteat, qua ratione actus ab agente procedat, vt sit rectus, & bonus.

Sextò, falsum est, quod hic habet D.Thom. alias virtutes non habere obiectum certum, & determinatum secundum se, & à parte rei, sed id soli iustitiæ conuenire. Probatur: Vnaquęque virtus consistit in sua propria, & determinata specie athomę, vt fortitudo in sua propria & priuata specie, temperantia similiter, &c. Sumunt autem virtutes omnes speciem ab obiecto: Ergo necessariò debet vnaquęque earum habere certum, ac determinatum obiectum, non minus quam iustitia.

Denique primum illud discrimen cui cætera nititur, vt sit proprium Iustitiæ respicere alterum, & non seipsum: falsum est. Primo, quia liberalitas, & misericordia, quarum vtraque à iustitia specie differt, alterum quoque respicit: Nec tollitur vis huius rationis, vt quibusdam placet, quia virtutes istę respiciant quidẽ alterum,

non

non tamen ſub ratione debiti: quandoque enim tenemur etiam ad opera miſericordiæ ex præcepto, & debito. Deinde iuſtitia quoque eſt ad ſeipſum. Oſtendo, quia ſi quis ſeipſum occidat iniuſtè, vt videbimus agit, & cum oppoſitorum eadem ſit ratio, profectò ſicut ſe ipſum occidens exercet iniuſtitiam in ſeipſum, ita qui ſibi præſtat, quæ vel iure naturæ, vel alia quacunque ratione ſibi videtur debere: dicendus quoque erit exercere iuſtitiam in ſeipſum.

Poſtulant hæc argum. maximè. Secundom difficilem illam controuerſiam, & ad intelligenda, quæ habet D. Tho. in hoc art. maximè neceſſariam.

AN ACTVS FORTITVDINIS TEMPErantiæ, & aliarum virtutum moralium ſint recti, ſicut actus Iuſtitiæ ſola bonitate obiecti, etiam ſi deſint aliæ circumſtantiæ.

CAiet. in commento huius art. ſentit diſcrimen iſtud conſtitutum à D. Tho. inter rectum ſecundum iuſtitiam, & rectum ſecundum alias virtutes morales, nempe vt illud ſumatur tãtum per comparationem ad alium, cui aliquid debetur, rectum verò aliarum virtutum per comparationem ad operantem, conuenire operibus, & actionibus quas homines exercemus, non vt procedunt, & eliciuntur à virtutibus, ſed abſolutè, & ſecundum ſe, vt actus quidam ſunt q.d. in alijs virtutibus non poſſe dari actum rectum, niſi ſit commenſuratus agenti. Vt in temperantia, ieiunium non eſſe actũ rectum, & temperatum, niſi ſit commenſuratum valetudini ieiunantis, in fortitudine ſimiliter non eſſe actũ rectum, & ſtrenuum niſi ſit commenſuratum viribus aggredientis hoſtem, in iuſtitia verò; vt actus ſit rectus & iuſtus, ſolum exigi vt ſit commenſuratus alteri, cui aliquid debetur, quacunque ratione ſeſe habeat, qui debitum illud perſoluit, & quocunque fine id præſtet. Et ita concedit Caieta. ieiunium ob hypocriſim eſſe actũ temperatum, modò ſit commenſuratum viribus ieiunantis. Sicut & ſolutio debiti etiam ſi malo fine fiat eſt opus iuſtum, quando eſt commenſurata debito creditoris: vnde negat illationem illam Buridia. ergo datur opus temperatum ſine comparatione ad agentem; quia vt conſtat ex modò dictis, etiam ſi ieiunans quo ad finem & alias circunſtantias ſit malè affectus, nihilominus tamen ieiunium ipſius non dicitur temperatum & rectum, niſi quia eſt commenſuratum valetudini illius.

Quo fit iuxta Caiet. vt actus temperãtiæ ſiue ſumatur, vt elicitus à virtute & ſtudioſus, ſiue abſolutè & ſecundum ſe, vt quidam actus eſt, non ſit rectus niſi per comparationem ad agentem: quia ſi ſumatur priori modo debet procedere à ſubiecto benè diſpoſito quoad finem, & omnes circunſtantias, ſi poſteriori deſideratur ad minus, vt procedat iuxta vires ſubiecti, etiam ſi aliæ circunſtantiæ deſint. At in iuſtitia licèt actus Iuſtitiæ, vt ſtudioſus & elicitus à virtute, debeat etiam procedere à ſubiecto bene diſpoſito quo ad finem & circunſtantias, ſecundum ſe tamen, & abſolutè, vt talis actus eſt, verbi gratia: vt ſolutio debiti, vel reſtitutio alieni, &c. nihil aliud exigit vt ſit rectus & iuſtus, quàm vt ſit commenſuratus illi cui debetur, quocunque modo ab agente procedat.

Mag. Victoria in lectura huius artic. Et Domin. Soto illum ſequutus conueniunt quidem cum Caiet. vt loquatur hic D. Tho. de actibus non vt elicitis à virtutibus, ſed abſolutè & ſecundum ſe ſumptus, ita vt actus Iuſtitiæ ſit rectus per ſolam comparationem ad alium, actus verò temperantiæ ſit rectus & temperatus per comparationem ad ipſum agentem, addunt tamen per comparationem ad agentem, non quocunque modo, ſed omni ex parte benè diſpoſitum, vtpote habentem optimum finem, & ſeruantem debitas circunſtantias. Vnde negant ieiunium ob hypocriſim eſſe dicendum opus rectum aut temperatum. Ratio eorum eſt, quia rectitudo in actu Iuſtitiæ ſumenda eſt à parte rei, vt à quãtitate debiti, & ita quidquid ſit de diſpoſitione ſubiecti & alijs circunſtantijs, modò ſeruetur æqualitas in ſolutione debiti, actus, ille eſt rectus & iuſtus, in actib. verò aliarum virtutum rectitudo ſumenda eſt ab habitibus ipſarum, ita vt tantum habeat rectitudinis actus, verbi gratia temperantiæ, quantum accedit ad rectitudinem & bonitatem habitus temperantiæ. Et cum bonitas temperantiæ (quia eſt bonitas moralis) exigat iuxta regulam D. Dionyſij omnes circunſtãtias, ita vt vna deficiente actus ille, iam non ſit bonus & rectus, efficitur conſequenter vt ieiunium, cui deeſt debitus finis, aut quæuis alia debita circunſtantia non ſit opus temperatum, aut rectum.

Nonnullis recẽtioribus & viris quidem peritiſſimis placet potius hæc poſterior doctrina, quàm ille Caiet. ad quam fulciendam & magis explicandam ſtatuunt. Rectum & iuſtum dicere commenſurationem & habitudinem ad aliud, ita vt rectum dicatur in ordine ad aliquam regulam, iuſtum verò in ordine ad aliquam menſuram vel pondus. Rurſum mẽſuram & regulam in iuſtitia dicunt eſſe iuſtum debitum alteri, in alijs verò virtutibus bonum morale ipſius operantis, cum munus ipſarum ſit, vt docet hic D. Tho. perficere & componere operantem in ordine ad ſeipſum iuxta rectam rationem. Hinc colligunt in alijs virtutibus illud opus dici rectum, quod eſt commenſuratum huic bono morali ipſius operantis, in iuſtitia verò illud dici iuſtum, & rectum, quod eſt commenſuratum debito alterius. Vnde ſequitur, vt redditio alieni, ſolutio debiti, & ſimiles actus Iuſtitiæ, quocunque fine & animo fiant, & quibuſcunque circunſtantijs ornentur, ſint actus iuſti, & recti, quia ſunt commenſurati ſuæ regulæ & menſuræ, nempe iuſto debito alteri, ieiunium verò ob hypocriſi, aut aggreſſio inimici ob inanem gloriam non ſit actus, neque opus temperatum nec forte, nec rectum, quia non eſt commenſuratum ſuæ regulę, nempe bono virtutis, & bono morali ipſius operantis iuxta rectam rationem, non enim eſt bonum operanti, nec bonum morale, nec conſonum rectæ rationi tales actus malo fine exercere, aut ſine debitis, & neceſſarijs circunſtantijs, imò oppoſitum.

Vtraque ſententia horum DD. probabilis eſt, ſed probabilior multò illa Caietan. ſi nonnulla, quæ ad huius quæſt. intelligentiam neceſſaria ſunt, diligenter obſeruemus.

Primum eſt Iuſtitiæ duo conuenire, nempe vt ſit virtus moralis, in quo cum cæteris virtutibus conuenit, ac vt ſit ſpecialis quędam virtus diſtincta ab alijs, conſtitutaque in ſua propria, & priuata ſpecie per aliquod particulare contrahens virtutem, quæ genus eſt ad priuatam, & athomam ſpeciem Iuſtitiæ. Actum quoque ipſius ſicut & cæterarum virtutum biſfariam ſumi poſſe, aut vt actus virtutis moraliter ſtudioſus, & bonus, aut in particulari, vt talis actus eſt, dicens ordinem ad ſuum proprium obiectum, nempe juſtum debitum alteri, dimitto nunc poſſe etiam ſumi vt meritorium, quia hæc conſideratio non eſt huius loci.

Obſeruemus ſecundò, ſicut in cathegoria ſubſtantię, quædam continentur directè, & in recta ſerie, vt ſubſtantia, corpus, viuens, animal, &c. alia reductiuè, & quaſi ad latus vt differentiæ, verbi gratia: Sentiens, rationale, &c. Et partes quoque ſubſtantiæ, vt materia & forma; in quibus etiam datur aliquid, quod eſt velut cõis, & diuiditur in alia minus communia, vt materia in materiam eorum, quæ non corrumpuntur vt cœli, & materiam eorũ, quæ corrumpuntur qualia ſunt hæc inferiora. Similiter in moralibus, Bonũ morale eſſe velut quandã cathegoriã, in qua directè, & velut in linea recta continetur ipſum bonum morale, vt genus ſupremũ, & ſub ipſo deinde actus, & habitus virtutũ moraliũ, indirectè verò, & quaſi ad latus variæ bonitates, quarũ quædã ſumuntur ex obiectis, aliæ ex fine, aliæ ex alijs cir-

cunstantijs, ita vt in his quoq; sicut & in partibus substantiæ bonitas ex obiecto sit, velut quid communius ad bonitatem obiecti iustitiæ, ad bonitatem obiecti temperantiæ, &c. bonitas quoque ex circũstantijs varia est, & multiplex, sicut & ipsæ circũstantiæ variæ sunt, quędam enim est bonitas finis, alia loci, alia temporis, &c. Vnde sicut in substantia compositum substãtiale, quod est in recta serie includit in se, & in sua prædicatione necessariò, & intrinsecè ea quoque, quæ sunt ad latus, vt animal includit in se sentiens, vivẽs, &c. compositũ etiam naturale includit in se materiam & formam, similiter in moralibus, quæ sunt sub bono morali in recta serie, vt actus, & habitus virtutum includunt in se necessariò illas bonitates, quæ sunt velut ad latus, vt potè bonitatem obiecti, finis, & aliarum circunstantiarũ, nec potest actus aliquis, vel habitus dici moraliter bonus & studiosus, quin includat in se omnes istas bonitates; quod dixit D. Diony. ex integra causa. Quod si aliqua istarum bonitatum desit alijs manẽtibus, tunc erit actus ille bonus tantum secundum quid & in tali genere, non tamẽ simpliciter & absolutè; vt si actus feratur in obiectum bonum, desit tamen illi debitus finis, vocabitur talis actus bonus ex obiecto, non tamen simpliciter, & absolutè bonus.

Obseruemus tertiò; reperiri quidem in virtutibus compositionem ex genere, & differentia; est enim virtus earum omnium genus, differentia verò sumitur ex ordine, & habitudine, quam habet vnaquæque ad suũ proprium obiectum, hanc tamen compositionem, quæ est in moralibus sic differre ab ea, quæ in rebus naturalibus reperitur, vt in naturalibus vbicunque reperta fuerit vltima differentia, ibi quoque necesse sit reperiri & genus, vt vbi reperitur rationabile, necesse est reperiri quoq; animal; in moralibus verò potest reperiri, quod habet rationem vltimæ differentiæ sine genere; potest enim reperiri in aliquo actu, vel habitu ordo ad obiectum bonum, & honestum, qui ordo, (vt dicimus) habet rationem vltimæ differentiæ, cum tamen neque ille habitus sit virtus, neque ille actus moraliter bonus ex defectu alicuius debitæ circunstantiæ. Cuius discriminis ratio est aperta, quia in naturalibus principium est natura, quæ tali necessitate agit, vt quæ semel necessariò, vel intrinsecè coniunxit, nec patiatur separari, nec vnum sine alio reperiri; in moralibus autem principium est voluntas humana, quæ non agit vt natura, neque aliqua necessitate, sed vt voluntas omnino libera, & quo ad actum, & quo ad specificationem ipsius, & quo ad circunstantias; potest enim pro libito exercere actum, vel omnino cessare, quod si velit exercere, potest elicere illum circa hoc obiectum, vel circa oppositum, & quidquid horum eligat potest cum his circunstantijs vel illis.

Ex quibus fit perspicuum, posse reperiri in aliquo habitu vel actu id, quod habet rationem vltimæ differentiæ alicuius virtutis, nempe illam habitudinem & ordinem ad proprium obiectum talis virtutis, & nihilominus nec illum actum esse moraliter bonum, nec illum habitum esse virtutem, ex defectu alicuius debitæ circunstantiæ, sine qua liberum fuit voluntati actum illũ elicere. Quod si quæsieris, qua ergo ratione denominabitur tunc actus iste, vel habitus cui aliqua debita circunstantia deest? Dico denominari quidem nomine illius virtutis, in cuius proprium obiectum actus iste vel habitus feretur, non tamen formaliter, sed materialiter tantum. Quia sicut de formali ratione virtutis est, vt sit bona qualitas mentis, ita quoque est de formali ratione huius vel illius virtutis, vt sit virtus, & consequenter vt proprius & formalis actus ipsius sit studiosus & moraliter bonus, quod si talis non sit ob aliquem defectum, dicetur quidem actus illius virtutis, propter ordinem quem habet ad proprium obiectum illius, sed materialiter tantum.

Quod vt apertius intelligatur obseruemus vltimo: istum ordinem ad obiectum à quo sumitur propria & specifica differentia virtutum duobus modis esse formam, vno modo ipsius actus, constituens eum in peculiari aliquo genere virtutis, secundum substantiã, alio vero modo est forma huius vel illius virtutis contrahens virtutẽ, quæ est genus ad hanc vel illam vt quędã propria forma & specifica differentia ipsarum. Priori modo ordo iste ad obiectum semper est forma, quacunque ratione actus eliciatur, siue cum omnibus debitis circunstantijs, siue non: quia eo ipso quo talis actus habet ordinẽ ad illud obiectum, cõstituitur per illum ordinem in genere talis virtutis secundum substantiam. Posteriori vero modo nõ semper est forma & differentia specifica. Quando actus nõ solum tendit in propriũ obiectum virtutis, verumetiam ornatur omnibus circunstantijs necessarijs, tunc ordo ille qui reperitur in tali actu ad tale obiectum non solum constituit illum actum in genere huius vel illius virtutis secundũ substantiam, verumetiam est forma & differentia specifica contrahentis virtutem, quæ est genus ad hanc illã speciem ipsius, quod est proprium munus formæ & differentiæ: quo fit vt talis actus non solum sit in genere illius virtutis secundum substãtiam & obiectum, verum etiam sit actus illius virtutis formaliter & propriè. Qñ verò actus licèt tendat in proprium obiectum alicuius virtutis non tamen ornatur omnibus debitis circunstantijs, tunc non contrahit virtutem, quæ est genus ad hanc vel illam speciẽ particularẽ, ipsius quia cũ virtus sit bona qualitas mentis bonum aũt consurgat ex integra causa, quacunq; debita circunstantia deficiente nõ pôt habere ibi locum rõ formalis virtutis, & ex consequenti nec ordo ille ad obiectum pôt tunc contrahere virtutem ad aliquam speciem ipsius, nec vocari forma aut differentiã, cum munus formæ, & differentię, vt sępè diximus sit contrahere genus ad suas species; nec talis actus quamuis tendat in obiectum virtutis est dicendus actus illius virtutis formaliter, & propriè; sed materialiter tantum, & sola ratione obiecti, sicut ille ordo quem habet, tunc ad tale obiectum non est forma alicuius virtutis, sed solum velut entitas quædã constituens illum actum in genere tantum alicuius virtutis, secundum substantiam, velut in quodam genere entis.

Quæ omnia in Iustitia, de qua hic agimus licet videre, verbi gratia, quando quis soluit alteri debitum, si solutio ista fiat cum omnibus circunstantijs debitis, est actus iustitiæ, non solum secundum substantiam & obiectum, verumetiam formaliter & propriè, quia iste ordo ad Iustum, & debitum in solutione, cui nulla deest circunstantia, & bonitas moralis, non solum est forma illo priori modo, nempe forma actus constituens ipsum in genere iustitiæ, secundum substantiam & obiectum, verumetiam est forma posteriori modo, nempe forma virtutis iustitiæ, contrahens virtutem, quæ est genus ad iustitiam, cuius est propria forma, & differentia, efficitque vt ista solutio non solum sit actus iustitiæ in genere iustitiæ & materialiter, verumetiam sit actus virtutis iustitiæ formaliter. Quod si solutio ista fiat malo fine, tunc ordo iste ad iustum debitũ, quod est propriũ obiectum iustitię, constituet quidem istam solutionem in genere iustitiæ secundum substantiam, non tamen contrahet virtutem, quæ est genus ad iustitiam, quia non datur virtus, cuius actus habeat malum finem. Et consequenter non est tunc ordo iste forma, aut differentia specifica iustitiæ, nec illa solutio est actus iustitiæ formaliter, (cum iustitia formaliter & essentialiter sit virtus) sed materialiter tantum & sola ratione obiecti. Vnde etiam sequitur, plurimum differre hæc duo esse aliquem actum formaliter in genere iustitiæ, vel esse actum virtutis iustitiæ formaliter, & propriè, prius enim illud habet quicunque actus, vel eo solo, quod tendat in obiectum iustitiæ, cum ordo in tale obiectum sit forma constituens actum in genere iustitiæ, secundum substantiam quacunque ratione actus

ille

ille exerceatur, & soluatur iustum, actus autem virtutis iustitiæ formaliter, & propriè non est nisi vna cum ordine ad obiectum iustitiæ habeat omnes debitas circumstantias, & sit moraliter bonus, vt côstat ex dictis.

Ex his facilè est propositam quæst. per nonnullas assertiones explicare.

PRIMA ASSERTIO.

Propria, & formalis ratio iustitiæ non potest vllo modo reperiri, nisi in actione omni ex parte bona, & ex obiecto, & ex circunstantijs.

PRobatur sic ex dictis, ratio formalis virtutis non potest reperiri sine integra bonitate, & ex obiecto, & ex circunstantijs, cum sit bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, sed ratio formalis iustitiæ includit in se intrinsecè, & essentialiter rationem formalem virtutis, sicut quæuis species includit suum genus. Ergo: Maior cum consequentia aperta est, minor patet ex secunda obseruatione. Quia bonum morale est, velut quædam cathegoria, in qua supremum genus est ipsum bonum morale, deinde virtus, deinde iustitia, têperantia, & aliæ particulares virtutes, in qua serie superiora, & formales rationes eorû continentur intrinsecè, & formaliter in inferioribus, sicut in cathegoria substantiæ non potest reperiri in aliquo ratio formalis hominis, quin illud sit quoque intrinsecè, & formaliter animal.

Ex hac prima assertione sequitur côuenire iustitiam cum alijs virtutibus moralibus in eo, vt actus iustitiæ, qui formaliter est actus iustitiæ, non solum dicat ordinem ad alterum, verumetiam ad ipsum operantem, cû oporteat actum iustitiæ, vt formaliter sit actus huius virtutis non solum referri in bonum obiectum, verum etiam tendere in debitum finem, & ornari alijs circunstantijs, quarum multæ sumendæ sunt necessariò ex ipso operante.

SECVNDA ASSERTIO.

Ius, siue iustum, quod est proprium obiectum iustitiæ, secundum suam propriam, & genuinam rationem, qua distinguitur ab obiectis aliarum virtutum solum consistit in ordine, & commensuratione ad alterum cui aliquid debetur. Temperatum verò & quodlibet aliud obiectum aliarum virtutum moralium formaliter, & secundum suam propriam, ac specificam rationem consistit in ordine, & commensuratione ad ipsummet operantem.

PRobatur facilè, modo prius constituamus, quod est certissimum, in actu cuiuscunque virtutis reperiri necessario aliquod agens, quod sit principium efficiens illius actus, & aliquem terminum in quem têdat. Quo posito sic argumentor. Sicut motus formaliter, & propriè non denominatur à termino à quo, sed à termino ad quem, ita ratio formalis propriaque denominatio in actibus virtutum non est sumenda ab agente, sed à termino in actu iustitiæ, vt in solutione debiti non est idem agens & terminus, sed agens est ille, qui debet & soluit, terminus ille cui aliquid debetur & soluitur, in actu vero temperantiæ, & aliarum virtutum moralium idem est agens & terminus, cum ille idem qui producit actum temperatum illemet sit iuxta cuius vires producendus est, ergo actus iustitiæ formaliter, & propriè denominandus est per ordinem ad alterum, actus verò temperantiæ per ordinem ad ipsummet agentem, & consequenter ius siue iustum, quod est obiectum istius actus iustitiæ, sumendum est secûdum suam propriam, & genuinam rationem per ordinem, & commensurationem ad alterum, temperatum verò & quod est obiectum temperantiæ per ordinem, & commensurationem ad ipsummet operantem: non quia operans est, & principium illius actus, sed vt terminus, cuius scilicet viribus opus illud commensurandum est.

Secundò, vt diximus iam ex D.Thom. 1. 2. quæst. 60. art. 2. docebitque rursum quæst. seq. art. 9. Iustitia secundum se, & formaliter sumpta versatur circa operationes & res alteri debitas: temperantia & fortitudo circa passiones proprias, quæ insurgunt in appetitu ipsiusmet hominis: Ergo similiter iustum, quod est obiectû iustitiæ formaliter, & propriè dicet ordinem ad alium, temperatum verò, quod est obiectum temperantiæ, dicet ordinem ad se ipsum. Et confirmatur, quia hac de causa dicitur medium iustitiæ, medium rei, medium verò temperantiæ, & aliarum virtutum medium rationis, quia medium iustitiæ sumitur ex ipsis rebus alteri debitis, medium verò temperantiæ assignatur à recta ratione, iuxta vires volentis temperatè operari.

Hæc conclusio habet verum siue actus isti tendentes in iustum vel temperatum, sint actus iustitiæ, vel temperantiæ formaliter & propriè, & ornati debitis circumstantijs, siue materialiter tantum, & solum in genere iustitiæ, vel temperantiæ. Quia hoc discrimen quod in hac secunda Assertio. constituimus inter iustum, & temperatum, quæ sunt propria obiecta istarum virtutum, est ipsis genuinum, & intrinsecum secûdum suas proprias, & priuatas naturas, quæ autem propria sunt, & intrinseca obiecto alicuius virtutis non tolluntur, nec mutantur, nec pendent ex alijs circunstantijs. Et ita iustum, quod est obiectum iustitiæ, quacunq; ratione actus in ipsum tendens elliciatur, & quacunq; ratione sit actus iustitiæ, siue formaliter, & propriè, siue materialiter tantum dicit intrinsecè ordinem ad alterum; temperatum quoque, quod est obiectum actus temperati dicit ordinem ad ipsummet operantem.

TERTIA ASSERTIO.

Conuenit Iustitia cum Temperantia, & alijs virtutibus moralibus in eo, vt sicut actus iustitiæ solutio debiti, verbi gratia, cui deest debitus finis, licet non sit actus Iustitiæ formaliter, sed materialiter tantum, verè tamen dicitur illa solutio iusta, ita quoque in temperantia ieiunium ex hypocrisi, licet non sit actus temperantiæ formaliter, & propriè, sed materialiter tantum, verè tamen dicatur opus temperatum.

HAc in parte melius existimo sensisse Caiet. quàm recentiores. Et probatur: Solutio debiti ideo dicitur iusta quocunque fine fiat, quia redditur æquale creditori, in quo consistit propria ratio iustitiæ, secundum suam propriam, & priuatam naturam, sed qui ieiunat quando præcipit Ecclesia, & iuxta suas vires, abstinet à cibo & potu, quatenus dictat recta ratio ipsum debere abstinere, in quo similiter consistit propria ratio temperantiæ, secundum suam priuatam naturam & substantiam, quidquid sit de alijs circunstantijs. Ergo sic ieiunans exercet opus temperatum. Imò nequit intelligi, qua ratione solutio illa dicatur iusta, hoc autem ieiunium non dicatur temperatum, cum non minus exerceat sic ieiunans, quod exigit temperâtia, non quidem vt virtus, sed quatenus in genere temperantiæ, & secundum substantiam, quam exerceat alter soluens debitum, quod exigit iustitia, non vt virtus, sed quatenus in genere iustitiæ, & secundum suam substantiam.

1 Virtutes & actus ipsarum sicut distinguûtur ex suo genere, & secundum suas proprias, & priuatas rationes penes sua propria & formalia obiecta, quidquid sit de alijs circunstantijs, ita quoque denominantur ab illis, sed in isto ieiunio, de quo hic loquimur reperitur proprium, & formale obiectû temperantiæ, nempe cibi, & potus moderatus, cômensuratusq;, & præcepto Ecclesiæ, & valetudini ieiunantis. Ergo tale ieiunium quamuis non sit actus têperantiæ formaliter, eo modo quò

quò in vltima obseruatione posita explicatum est, est tamen verè, & formaliter in genere, temperantię secundum substantiam, & consequenter opus temperatum,
3 Ex Arist. 2. Ethic, ca. 4. ita contingit operari temperata non temperatè, sicut accidit operari iusta & non iustè, dicitur autem aliquis operari iusta nō iustè, quando exercet actum Iustitiæ & seruat æqualitatem, deficit tamen aliqua ex debitis circunstantijs: Ergo operabitur similiter actum temperatum non tamen temperatè, qui abstinet vel ieiunat quo ad cibum & potum sicut dictat recta ratio iuxta suas vires, deficit tamen illi aliqua debita circumstantia, Aliter si opus temperatum quantum ad substantiam actus postularet omnes debitas circunstantias, nunquam contingeret operari temperata non temperatè,

Vltimò per illud ieiunium ex hypocrisi licet sit ieiunans non mereatur, potest tamen adimplere præceptū, non solum Ecclesiæ, verumetiam præceptum naturale temperantiæ veluti si ad domandas passiones carnis immineret præceptum naturæ & obligatio ieiunandi, præcepta autem non dantur nisi de actibus virtutum saltem quoad substantiam actus. Ergo illud ieiunium erit necessariò actus temperantiæ, & opus temperatū, saltem quo ad substantiam actus. Vbi obseruandum est commune hoc Theologorum dictum præcepta dari de actibus virtutum, non significare oportere, vt actus quibus præceptis satisfaciendum est, sint actus virtutū formaliter, & omni ex parte boni, sed significare dari de his, quæ pertinent ad virtutes, & oportere illos esse actus alicuius virtutis saltem ex suo genere, & quo ad substantiam, Vt in Temperantia cum duplici præcepto possit aliquis teneri ad abstinendum, vel naturali, vt quando cibus, vel potus est nocuus saluti ipsius corporali, vel spirituali. Aut positiuo & Ecclesiastico, qoale est præceptum de ieiunando in Quadragesima, & alijs vigilijs: quo ad primum nihil aliud exigitur, quàm vt sumatur cibus & potus in ea quantitate, & qualitate in qua prosint saluti, quo ad secundum verò vt seruentur modus, tempus, & qualitas ciborum, quæ assignantur ab Ecclesia ad ieiunandum, quidquid sit de alijs circunstantijs.

Hanc tertiam Assertio. insinuat apertè hic D. Thom. quando ait, Rectum in temperantia, & alijs virtutibus non determinari nisi secundum quod aliqualiter fit ab agente: significans non exigi omnimodam rectitudinē agentis, nec omnes circumstantias quæ requirunt ad actum studiosum, sed illam rectitudinem quam habet ex suo genere, & secundum substantiam, nempe vt sit commensuratus viribus agentis, eamque sufficere, vt actus sit temperatus: quod tamen in Iustitia non exigitur, sed solum vt actus eius sit commensuratus alteri, cui aliquid debetur,

Vnde non est omnino verum, quòd Magist. Soto in suæ opinionis confirmationem affert, rectitudinem in iustitia sumendam esse à reipsa, & quantitate debiti, quocunque animo & fine debitum soluatur, in Temperantia verò, & alijs virtutibus moralibus actus illarum nullam aliam rectitudinem habere præter eam, quam accipiunt ab habitu virtutis a quo eliciuntur: & cum rectitudo ac bonitas talis habitus sit bonitas moralis, quæ exigit omnem circunstantiam, actum temperantiæ, nec rectum esse, nec dicēdum temperatum, nisi oriretur omnibus debitis circumstantijs: Hoc in quam licèt verum sit in Iustitia, in Temperantia verò (vt cōstat ex dictis) aliter res se habet: Duplex enim in actu ipsius potest considerari rectitudo vna generica, & communis, quæ conuenit omnibus actibus virtutum, quia virtutes sunt, quæ rectitudo exigit ne vlla desit ex debitis circunstantijs, qua ratione neque actus iustitiæ est rectus, si fiat malo fine, alia verò peculiaris, & priuata cuiusque actus, quatenus est in hoc, vel illo genere virtutis secundum substantiam, quæ non sumitur ex omnibus circunstantijs, sed ex solo ordine ad proprium obiectum, qui ordo, vt exposuimus est forma actus constituens ipsum in peculiari aliquo genere virtutis, sufficitque vt actus ille verè à tali virtute denominetur. Quo fit, vt quamuis ieiunium ex hypocrisi non habeat rectitudinem virtutis Temperantiæ, habet tamen rectitudinem quæ exigitur, vt sit actus temperatus secundum substantiam, & in genere temperantiæ, cum sit cōmensuratus ipsi ieiunanti in quo consistit proptia rō temperantię in tali genere, & secundū suam priuatam rōnem.

Eodem modo diluitur, quod ab alijs, qui Mag. Soto in hac parte subscribunt, adducitur. Fateor enim rectū dicere commensurationem ad aliquam regulam, cæterum hæc regula in actibus temperantiæ, & aliarum uirtutom duplex est: si loquamur de ipsis, vt sunt actus virtutum & studiosi, regula eorum est quidem bonum ipsius operantis, iuxta rectam rationem, quod bonū cum sit morale debet consurgere ex integra causa: Si verò loquamur de ipsis secūdum suam priuatam rationem, quatenus sunt in tali genere, verbi gratia actus temperantiæ quatenus est in genere temperantiæ, & ab ea denominatur; regula ipsius est ordo ad proprium obiectum, vt abstineat. s. à cibo, & potu, iuxta proprias vires. Et ita ieiunium quocunq; fine fiat seruat regulam ieiunij & temperantiæ, estq; illi commensuratum, si seruetur in eo, quod est de substantia ieiunij, & temperantiæ,

Nunc ad dissoluenda illa argu. quę propositæ quæstioni occasionem dederunt orationem conuertamus.

Ad primum dico nullam esse in illis verbis D. Tho. repugnantiam; qoia in secunda differentia loquitur de Iustitia, non solum io ratione iustitię, verumetiam quatenus virtus moralis est, quomodo vt actus eius sit rectus, & bonus, considerandum etiam est, quomodo ab agente procedat. In tertia verò differentia loquitur de eadem, secundum suam priuatam rationem, & id quod priuatim habet ex suo obiecto, quomodo tātum dicit ordinem ad alterom cui aliquid debetur, estque actus ipsius rectus, quacunque ratione illum exercens sit dispositus,

Ad secundum respon. D. Thom. hoc loco non loqui de actibus Iustitiæ, & aliarum virtutum formaliter, vt studiosi sunt, & actus virtutum, sed materialiter; quatenus sunt in hoc vel illo genere virtotis secundū substantiam. Quomodo est verissimum discrimen, quod constituit Doct. Sanct, inter actum Iustitiæ, & aliarum virtutum, qoia actus Iustitiæ (vt optimè docet hic Caiet.) vt sit rectus, & iustus in tali genere tantum exigit, vt sit commensuratus illi cui aliquid debetur, reddendo ei æquale; actus vero temperantiæ, etiam si non sumatur, vt studiosus, sed solum in tali genere, nempe vt actus temperantiæ materialiter, & secundum substantiam, non est rectus nec temperatus, nisi sit commensuratus viribus operantis. Quamuis enim posset aliquis ieiunio Ecclesię satisfacere, & si cum excessu aliquo comederet, quia Ecclesia in suo præcepto tantum assignat tempus, horam, ac qualitates ciborum, non autē quantitatem; illa tamen comestio non esset actus temperantiæ, neque formaliter, neque quo ad substantiam, cum nullum haberet ordinem ad proprium obiectum temperantiæ, neque sit commensurata operanti, immo esset peccatum gulæ, ac vt tale confitendum.

Ad tertium respon. cum eodem Caiet. aliud esse loqui de exercitio actus, vt exhibitione & solutione debiti, & aliud de rectitudine actus, si loquamur de exercitio actus, necessariò habenda est ratio agentis in omni virtute: quemadmodum enim non tenemur ieiunare, qui non habet vires ad ieiunandum, ita nec soluere debitum, qui non habet facultates, nec est soluendo; hic autem non est sermo de exercitio actus, sed de rectitudine, quæ aliter sumenda est in Iustitia, quàm in Temperantia & alijs virtutibus, vt expositum est.

Ad quartum nego, sequi duo illa incommoda. Prius enim non sequitur, quia quacunque ratione sumatur

Iustitia differt plurimum ab arte; si sumatur, vt virtus perspicuum est, cum ars non concideret circũstantias, quæ requiruntur ad actum studiosum, vt virtus. Si verò non sumatur, vt virtus, sed secũdum suam propriã, & priuatam rationem, versatur iustitia circa bonum morale, nempe iustum & debitum, propter quod exigatur habitus virtutis, nẽpe iustitia quæ illud perficiat, & rectum reddat in genere moris, ars autem tantum respicit opus artificiatum, quod non est bonum morale, neque pertinet ad mores. Neque sequitur posterius incommodum, quia ipsa iustitia secundum se sumpta tantum elicit actum studiosum, aut saltem nata est talem elicere, & ita secundum se est habitus bonus essentialiter, & intrinsecè, cui omnino repugnat posse esse principium actus mali; quod si quis exerceat aliquando actum iustitiæ non iustè, nec cum debitis circunstantijs, talis actus non elicitur ab habitu iustitiæ, sed à nuda potentia sine habitu, pertinetque tunc talis actus ad Iustitiam materialiter tantum, & secundum substantiam, non autem formaliter, & propriè.

Quintum arg. ostendit, quod iam docuimus in vltima obseruatione, nempe in actu cui deest aliqua circũstantia necessaria non reperiri formalem rationem Iustitiæ, nec illum actum esse iustitiæ formaliter & propriè, sed materialiter tantum.

Ad sextum dico verba illa D. Tho. solam iustitiam habere obiectum certum, & determinatum secundum se, non significare solam iustitiam habere proprium obiectum illi per se conueniens, cæteras autem virtutes aut non habere obiecta propria, aut habere illa per accidens, sed hunc esse sensum in disciplina morali assignari Iustitiæ proprium obiectum per se, idest diffinitum ex natura rei, quia absolutè, & simpliciter existit in rebus ipsis iustum, & debitum pro ratione dati & accepti, nulla habita ratione operantis. Reliquis verò virtutibus, aut non assignari obiectum, sed materiam circa quam versantur, vt temperantiæ delectabilia tactus & gustus, fortitudini pericula, aut si assignatur obiectum, assignari illud per comparationem ad ipsum operantem, iuxta rectam rationem. Quod alijs vocibus dedimus medium Iustitiæ esse medium rei, medium autem aliarum virtutum esse medium rationis.

Ad vltimum respond. imprimis misericordiam non respicere alterum sub ratione debiti, etiam si aliquando sit in præcepto. Est enim duplex debitũ, aliud quod habet ortum ex aliqua lege, aliud verò quod nascitur, vel ratione alicuius rei acceptæ, vel ratione alicuius damni illati, vel ex pacto aliquo, aut conuentione, hoc posterius est verè debitum alteri, & ex natura rei, & hoc respicit Iustitia, & ita dicit intrinsecè ordinem ad alterum sub propria ratione debiti. Misericordia verò obligat quidem aliquando sub ratione debiti, sed tale debitum non est propriè debitum, sed secũdum quid, nempe debitum ex lege, aut ex charitate similiter, quã do quis sibi exhibet, quæ tenetur iure naturæ, sibi ipsi præstare non reddit sibi propriè debitum, sed debitum legi aut iuri, quomodo diximus initio huius art. omnem virtutem dici Iustitiam, quia in actu cuiuscunque virtutis persoluitur debitum legi. Quod verò pertinet ad liberalitatem, dico illam respicere alterũ, quatenus est quædam pars Iustitiæ, illamq; participat, quod non tollit proprium esse Iustitiæ respicere alterum, sicut cũ aqua calida calefacit, non tollit quin propriũ sit igni calefacere, quia calefacit calore participato ab igne. Idem dicendũ est de Religione erga Deũ, pietate erga parentes, & alijs virtutibus quæ Iustitiæ adiunguntur.

Illum autem qui occidit se ipsum, ait D. Tho. q. 59. ar. 3. ad 2. committere iniustitiam contra Rempub. cuius est pars, priuando illam suo ciue, & ita merito punitur à Repub. & priuatur sepultura; in se ipsum tamen, vt quædam persona priuata est nullam committere iniustitiam, qui tam iustitia, quàm iniustitia respiciunt alterum.

illud tantum hoc loco explicandum manet, quòm o do asserat Arist. 5. Ethic. c. 1. nos à iustitia esse operationes iustorum & D. Tho. art. seq. Ius esse opus Iustitiæ, sic enim ex his locis licebit argumentari. Cum ex eodem Aristo. 2. de Ani. Obiectum sit prius habitu cuius est obiectum, nullum obiectum producitur à suo habitu, ergo si ius vel iustum efficitur, & producitur à iustitia non est iustitiæ obiectum, vt hic art. habet. Sed hæc dubitatio facilè diluitur, si obseruemus sæpè nomen obiecti, & termini transferri ad significandam actionem, quæ in illud tendit, quomodo nomen artificij, quod propriè significat rem arte constantem, translatum est ad significandam quoque actionem artis. Et hoc nomẽ sacrificium, quod propriè significat hostiã, quæ immolatur, translatum est ad significandam actionem qua offertur eodem modo actio qua reddimus alicui suum ius & iustum appellatur aliquando ius, & hac ratione dicitur iustitia operatrix iustorum, idest principium actionis iustè, & ius dicitur opus iustitiæ, idest actus iustitiæ. In hoc verò art. vbi D. Thom. rem exactè persequitur, & proprietatem vocum expẽdit, docet ius, seu iustum esse obiectum iustitiæ, & id ad quod terminatur actio iustitiæ.

ARTICVLVS II.

An conuenienter diuidatur Ius in Naturale, & Positiuum?

QVAERERE statim aliquis hic posset, cum ius, quod est obiectum iustitiæ, & de quo in hac quæstio. agit D. Tho. sit iustum debitum alteri, ius autem quod communiter diuiditur à Doctoribus in naturale & positiuum, diuinum vel humanum, sit lex, quæ duo constat ex art. præced. diuersa esse, quorsum D. Tho. hæc ita misceat, & confundat. Tollitur tamen facilè hæc dubitatio, si consideremus, legi hæc duo conuenire. Primò, vt dicatur ipsa ius à iure, seu iusto, quod est obiectum iustitiæ. Secundò esse regulam, quæ præscribit quod sit iustum, & debitum: iuxta quam considerationem nihil hic confundit D. Tho. sed persistit in propria significatione iuris: explicando enim quotuplex, & quale sit ius, idest lex quæ præscribit iustum, explicatum simul manebit quotuplex & quale sit iustum, quod est obiectum iustitiæ, de quo hic agitur.

Ad intelligenda, quæ in hoc ar. docet D. Tho. obseruemus primum ex eodem 5. Ethic. c. 11. lec. 2. cum lex dicatur ius à iusto, quia est regula iusti, iustum autem dicatur in ordine ad alterũ, si propriè & strictè loquendum esset, illam tantum legem dicendam esse ius, quæ est regula iusti, & debiti alteri, ex communi autem vsu loquendi iam inoleuit, vt quæcunque lex dicatur ius, etiam si præscribat, quæ ipsimet homini conueniunt sine vllo ordine ad alterum cui aliquid debeatur, quo modo temperate viuere dicitur esse iuris naturæ.

Obseruemus secundò ius naturale variè à DD. definitur: ab Vlpian, enim definitur. l. 1. ff. de iure & iustir. [Quod natura omnia animalia docuit,] quam definitionem, deinde expẽdemus à D. Isidoro dist. 1. can. Ius naturale diffinitur. [Quod omnibus commune est, & vbique instinctu naturæ non constitutione aliqua habetur.] Cui diffinitioni similis est illa Arist. 5. Ethic. c. 7. [Quod vbique eãdem habet vim, & nõ quia videtur,] q. d. quod ex natura rei iustum est & debitum, & non ex hominum beneplacito, vel constitutione. Similis ẽt, est illa Cicer. li. 2. de Inuentio. c. 5. [Ius naturale est, nõ quod opinio hominum, sed quod innata quædam vis naturæ omnibus inseruit.] Alij breuius ius naturale est quod à natura est. A natura autẽ aliquid esse dicitur, vel instigante & inclinante, vel saltim docente, & admonente, quæ omnes definitiones in vnum ferè coincidunt, possumusq; ex omnibus hanc vnam constitue-re,

re, vt ius naturale sit, quod lumine naturali intellectus nostri nouimus esse faciendũ, & ex natura rei æquum est, & iustum, vt reddere depositum, quia hoc ex natura rei est æqnum & iustum, & solo lumine naturali intellectus nostri apparet esse faciendum.

Vnde quæreuri qua ratione cognoscere liceat, quæ sint iuris naturalis: respondendum est, cognoscendum esse ex dictamine rectæ rationis & naturę rei, verbi gratia, dictat recta ratio pensata sola, & nuda rei natura citra omnem hominum opinionem, honorandos esse parentes, hoc est iuris naturalis. Dixi ex dictamine rectę rationis, quia si iudicium rationis, deprauatum sit odio, vel amore, aut praua consuetudine, quod talis ratio dictat non est ius. Qua de causa, vt docent Aristo.6. Ethic. c.11. & D.Tho. superius agens de prudentia, q.49. ar.3. dictamen rectæ rationis sumendum est ex sensu, & iudicio seniorum, prudentum, & proborum, credendumque potius illis in rebus moralibus, quam rationibus, quæ nobis videbuntur forsan efficaces, & optimæ, quia in his iudicium rationis liberius est ab omni passione qua perturbetur. Eadem de causa constituitur ibi à D.Tho. docilitas pars prudentiæ, quia prudentiæ est in moralibus sapientibus, & prudentibus, magis quam proprijs rationibus assentiri. Idem docet copiosius 1.2.q.91.artic.2.& q.94.art.2.

Ius verò positiuum, quod Arist. vocat legitimum, siue legale, est quod habet vim ex voluntate, & præscripto legislatoris. Legislator autem ille solus est, qui habet authoritatem, qua potest compellere alios ad obseruandam legem, quia est de ratione legis habere vim quoerciuam. Quo fit vt ius positiuum, de quo hic est sermo instituti, tantum possit à tota Repub. vel à Principe, in quem Respub. suam authoritatem transtulit: quia hi soli habent authoritatem obligandi alios, & compellendi.

Ius autem quod nascitur ex priuata conuentione, qua ciues aliquid inter se constituunt, non est ius positiuum, nec lex, cum lex detur à superiori suis inferioribus, sed dicitur pactum, vel fœdus. Vbi silere non possum obseruandam esse immensam Dei bonitatem & clementiam, qui legem quam hominibus tulit pactum, & fœdus toties voluit appellari, vt inter amicos & conciues fieri solet: tabulas quoque in quibus legem suam descripsit, & locum in quo illas iussit recondi, tabulas fœderis, & arcam fœderis, veluti pacti, & conuentionis inter amicos, & sodales nuncupauit.

Ex his definitionibus iuris naturalis, & positiui, sequitur, ista duo iura sic differre, vt quemadmodum quędam sunt præcepta, quia natura sua & intrinsecè sunt bona, alia verò cum essent indifferentia reddita sunt bona quia pręcepta. Et similiter quædam sunt prohibita, quia natura sua & intrinsecè sunt mala, & fugienda etiam si nulla lege prohiberentur, alia verò cum à se ipsis mala non essent, reddita sunt mala, quia prohibita, ita quoque ius naturale ex natura rei citra vllam humanam, vel superioris alicuius legem obligat per solum dictamen rectę rationis, ius autem positiuum non obligat ex natura rei, sed solo præcepto superioris. Propter quod dixit Arist. loc.cit. [legitimum, id est ius positiuum, illud esse, quod antequam sit positum parum, refert an fiat, postquam autem positum est, plurimum refert an obseruetur.]

Ex his sit conclusio, qua respondet D. Thom. quæstioni huius art.

Conuenienter diuiditur Ius prima sui diuisioue in naturale, & positiuum.

Probatur: Ius idem est, quod iustum, & debitum (quod D.Thom. vocat hic æquale, vel adæquatum alteri) sed quod aliquid sit iustum & debitum alteri, potest his duobus modis contingere, aut ex natura rei, & dictante recta ratione, quod vocamus ius naturale, vt quod depositum reddatur, aut ex beneplacito, & constitutione Principis, vel Reipub. vt quod modius tritici tanti vendatur, quod vocamus ius positiuum; Ergo.

Circa hunc art. nonnullæ sese offerunt controuersiæ. Quarum prima est circa hanc diuisionem Iuris.

AN DIVISIO IVRIS PROPOSITA hic à D.Tho. in naturale, & positiuum sit optima, & sufficiens.

Ratio dubitandi est, quia apud Iurisperitos quorum in hac parte maxima debet esse authoritas, diuiditur ius prima sui diuisione, in ius naturale, gentium, & positiuum, vt videre est. ff. de iust. & iu. per varias leges, & in decretis dist.1. per varia capita.

Secundò ius in hoc ar. idem est, quod lex vt constat, lex autem ex D.Tho.1.2.q.92. est quadruplex, æterna, diuina, naturalis, & humana, vnde similiter oportebat quadruplex quoque constituere ius.

Tertiò ius naturale non est propriè & verè ius, malè ergo constituitur tanquam vnum ex membris istius diuisionis. Anteced. ita ostenditur: Ius naturale reperitur in brutis. sic. n. definitur à Vlpia. l. citata. [Quod natura omnia animantia docuit,] probatque eandem definitionem Iustinianus Cæsar Instit. de iure naturali gentium & ciuili: at ius & lex non reperitur in brutis, & expertibus rationis. Sicut nec Iustitia, vt docet D. Thom.1.2.q.91.artic.2.ad 3.Ergo.

Quartò. Si quæ pertinerent ad ius naturale, hæc certè, Religio, & cultus Dei, obedientia & pietas erga parentes, & patriam, vim vi repellere, at hæc ex Iurisconsultorum sententia ad ius gentium pertinent: Religionem namquæ in Deum constituit Pomponius. ff. de iure & iust. l.2. inter iure gentium, & eodem tit. l.3. vim vi repellere vocat Florentinus ius gentium.

Circa hanc controuersiam duo reperiuntur extremi errores. Prior fuit quorundam antiquorum assetentium, nihil esse iustum secundum naturam, sed id tantum esse iustum, quod cuique Prouinciæ vel Genti videbatur iustum, & ab eis obseruabatur, & ita negabant omne ius naturale. Huius erroris meminit Arist.1. Ethic.c.3.& lib.5.cap.7. Et D.Aug.3. de Doctri Christia. c.14. [Quidam (ait) varietate innumerabilium consuetudinum commoti dixerunt nulla esse iusta per se, sed vnicuique genti suam consuetudinem iustam videri.] Similis est hic error illi Eracliti, qui vt refert Aristot.4. Metaphy. dicebat nihil esse per se verum, sed quod cuique videtur id verum esse, vnde inferebat omnes opiniones esse veras, similiterque diceret in Moralibus nihil esse bonum, vel malum natura sua, sed quod cuique videretur. Huius etiam erroris videtur fuisse Petrus de Aliaco: arbitratur enim nihil secundum se bonum esse, aut malum, sed quidquid pręceptum est, bonũ esse, quia præceptum est, similiter quidquid prohibitum est, malum esse, quia prohibitum est, ex quo inferebat Deum posse mutare omnia pręcepta decalogi.

Alius error est priori omnino oppositus nullum esse ius positiuum humanum. Sed qui ita sentiunt in duplici sunt differentia: quidam enim eorum absolutè, & omnino negant ius humanum positiuum, asserentes nos esse liberos ab omni humana obedientia. Ita Vuicleph, & Valdēses, & eorum sectator Lutherus in suo libello de captiuit. Babylo. (vt refert Ioan. Cocleus in Actis Luth. anno Domini 1520.) Cuius hæretici adeo creuit insania, vt nõ erubuerit tradere publicè igni sanctorum Patrum decreta, & ius Pontificium, fecissetq; peiora in Iure Ciuili, nisi timuisset ciuilem gladium, qui Ecclesię censuram non timuit. Suscitarunt hi hæresim iam sopitam, & eam reuocarũt ab Orco. Fuit enim ante 1600. annos Iudas ille Galilęus, qui voluit haberi pro Messia, qui docebat fideles, Dei filios liberos esse ab omni humana potestate, cui errori nitebatur illa interrogatio proposita Christo, liceret ne dare cēsum Cæsari. De quo errore latissimè D.Tho.1.2.q.95. ar.1.

Alij

Alij verò iudicarunt obediendum, quidem esse hominib. non tamen absolutè, sed quando præcepta, & leges eorum continent, quę iam aliàs iure naturali, vel diuino præstare teneremur. Ita Ioann. Gerson vir alioqui eruditus & pius. Tract. de vita spirit. p. 3. lec. 4. de quo errore nos infra copiosè agemus. q. 77. art. 1.

Obseruemus etiam de iure bifariam nos loqui posse, aut eo modò quo loquuntur Philosophi Morales, ea solum considerando, quę pertinent ad ordinem naturæ, & quæ lumine naturali attingi possunt, aut eo modo, quo agunt de iure Theologi, considerando etiā quæ superant totam naturam, & supernaturali lumine sunt nobis manifestata. Si priori modo ius consideretur, non comprehēditur sub iure illud quod diuinum est, & reuelatum: hoc enim neque pertinet ad naturæ ordinem, sed gratiæ, neque lumine naturali hominib. innotuit, sed sola diuina reuelatione: & ita non potuit attingi à Philosophis moralibus, qui tantum considerarunt ius pertinens ad naturæ ordinem, & quod ipsi lumine naturali agnouerunt. Si verò posteriori modo, comprehenditur etiam sub iure illud diuinum, cum habeatur per solam diuinam reuelationem.

His positis sit prima assertio contra primum errorē.

PRIMA ASSERTIO.

Contra fidem, & Philosophiam Moralem est negare esse aliqua ex se, & natura sua iusta, & debita, & consequenter esse aliqua à iure naturali.

PRobatur in primis esse contra fidem. Rom. 2. [Gentes (inquit Pau.) quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordib. suis.] q. d. vt ab omnibus explicatur, & verba ipsa indicant. Gentes, quæ non habent legem scriptam & ius positiuum, habere in cordibus suis scriptam legem naturalem.

Secundò, fides est, ante omnem legem scriptam, & positiuam fuisse peccata, & iniurias, quibus aliqui homines alios afficiebant: nam ante omnem legem scriptam Cain occidit Abel, illumque tanta affecit iniuria. Nemrod. venabatur homines. Sodomitæ erant viri pessimi, & iniqui, at omnis iniuria, vt nomen ipsum sonat est contra ius, ergo violabatur necessariò ab iniquis, & prauis hominibus aliquod ius, non quidem positiuum, cum hæc præcesserint omnem legem scriptam. Ergo naturale.

Tertiò de fide est, saltem hæc duo præcepta de credendo vnico vero Deo, & illo diligendo, ac colendo esse omnino in dispēsabilia, etiam per absolutam Dei potentiam, (vt dimittamus nunc alia præcepta decalogi, de quibus statim dicemus,) at si huiusmodi præcepta non essent naturalia mutari, & variari possent saltem à Deo, nam quę iuris tantum positiui sunt possunt mutari, sicut potest Princeps legem quam edidit abrogare, vnde posset Deus concedere, vt aliquis in eum non crederet, vel ipsum non amaret, sed odio haberet, quæ omnia abhorret ipsa natura.

Quod autem repugnet etiam error iste veræ Philosophiæ, constat ex Arist. 1. Retho. ad Theodec. c. 3. & in Rethoricis ad Alex. c. 1. & lib. 1. Magnorum Moral. c. 34. & 1. Ethic. c. 3. & 5. lib. c. 7. in quibus locis docet esse ius naturæ, illudq; diffinit. Tullius etiam varijs in locis idem docet, maximè in lib. de nat. Deo. lib. 2. de inuentione, in lib. de legibus, in li. de Aruspicum responsis. Idem docuerūt Vlpianus, Celsus, Iustinianus, Cæsar, Florentinus, & alij innumeri Iuriscōsulti, quos constat præstantissimos fuisse Philosophos. Vt dimittam nunc D. Iustinum Marty. Basilium, Chrysost. Ambro. Aug. Isidorum, & alios grauissimos Ecclesiæ Doctores, in quorum operibus passim fit mentio iuris, ac legis naturalis, quos etiam nouimus plurimum in omni Philosophia profecisse.

SECVNDA ASSERTIO.

Error etiam est in fide omneque politicam gubernationem destruens negare esse aliquod ius positiuū humanum.

HAec est contra omnes hæreticos citatos; ostenduntque illam copiosè. D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 4. & q. 96. art. 4. Mag. Soto lib. 1. de Iustitia. q. 5. art. 4. & q. 6. art. 4. Roffensis art. 37. cōtra Luth. estq; aperta doctrina Philosophi. 5. Ethic. ca. 7. vbi definit ius positiuum, quod ipse vocat legitimum, [quod à principio nihil refert, an sic, vel aliter se habeat, at verò postquam positum est, multum interest.] q. d. pendere illud totamque ipsius vim ex hominum impositione. Hęc conclusio copiosè a nobis tractanda est. q. 77. art. 1. vbi agemus de pretio à Principe, vel Repub. statuto, eo lectorem mittimus, ne eadem sæpe in eodem opere repetamus.

TERTIA ASSERTIO.

Diuisio iuris, quam hic proponit D. Tho. in ius naturale, & positiuum optima est, & suo instituto maximè accommodata.

RAtio est, quia D. Tho. in hoc art. sequitur Philosophos morales potissimè Arist. ex cuius doctrina. 5. Ethi. c. 7. desumptus est hic. art. vt licet colligere tum ex probationibus, quas habet in corpore art. tum ex argumento in contrario, qua ratione consideratum, & sumptum ius non includit illud, quod diuinum est, & supernaturali lumine cognitum, sed illud tantū, quod lumine naturali innotescere potest, huiusmodi autem duplex tantum est aut naturale, aut positiuum. Quod apertius indicat in solutione 3. arg. dicens; [ius diuinū non compræhendi sub hac diuisione,] insinuans se non agere de iure secundum totam suam latitudinem, vt dicitur etiam de diuino, & supernaturali, sed de eo tantum, quod pertinet ad ordinem naturæ, & quod Philosophi agnouerunt, quia hoc sufficit huic loco, & præsenti disputationi, in qua tantum instituit propriam rationem iuris deprehendere, vt ex ea colligat, deinde propriam quoque rationem, & naturam Iustitiæ.

QVARTA ASSERTIO.

Si Theologicè, & iuxta totam suam latitudinem ius diuidere velimus sic distribuendum est: vt prima diuisione distribuatur in diuinum & humanum.

DIuinum est cuius author, & principium est Deus, Humanum verò cuius author, & proximū principium est homo. Secundò ius diuinum distribuēdum est in aliud, quod pertinet ad ordinem naturæ, quod possumus vocare ius diuinum naturale, vt honorare parentes, aliud verò quod pertinet ad ordinem gratiæ, quod possumus vocare ius diuinum supernaturale, vt præceptum baptismi. Tertiò ius diuinum, quod pertinet ad ordinem naturæ diuiditur in ius diuinum naturale commune, quod scilicet, & recta ratio naturalis omnibus insinuat, & Deus expressè præcepit, vt honorare parentes; Aliud verò quod potest vocari superadditum naturæ, ex placito diuino, quod scilicet spectat etiam ad ordinem naturæ, & gubernationem politicam hominum, haberturque per aliquam particularem reuelationem diuinam, cuius generis sunt omnia præcepta iudicialia veteris legis.

Similiter ius diuinum pertinens ad ordinem gratiæ duplex est, aliud commune, & necessarium in omni statu, adeoque coniunctum; & quasi connaturale ipsi gratiæ, vt in nullo statu potuerit haberi gratia sine his, quæ sunt huiusmodi iuris, cuius generis sunt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, quia sine his virtutib. in nullo statu haberi gratia, neque etiam in statu naturæ.

Aliud

Aliud verò est quasi superadditum ipsi gratiæ ea diuina institutione, non quidem idem, & commune in omni statu, sed diuersum iuxta diuersos hominum status, quomodo erant iuris diuini in veteri lege præcepta ceremonialia, in noua verò præcepta Sacramentorum. Ius autem humanum diuiditur in ius gentium, & positiuum, de quibus sequenti articulo disseremus.

VLTIMA ASSERTIO.

Ius naturale & positiuum licèt eidem præcepto possint conuenire, vt illi Non occides, & similibus, quæ & natura docet, & leges etiam humanæ præcipiunt, differunt tamen reuera si formaliter, & iuxta suas proprias rationes ista iura considerentur.

Patet ex differentijs, quas inter ipsa possumus assignare. Differũt enim primò ex parte causæ efficientis, cum iuris naturæ causa efficiens sit Deus, qui totius naturæ author est & institutor, iuris verò positiui homo; Respub. scilicet, vel Princeps. Differunt secũdò ex parte causæ exemplaris: exemplar enim immediatum, & regula iuris naturalis ad cuius instar hoc ius debet regulari est lumen rationis mentibus nostris inditum, iuris autem positiui regula, & exemplar ad cuius instar debet illud à Legislatoribus institui, ipsiusque æquitas, vel iniquitas pensari, est ipsum ius naturale, vt docet D. Thom. hic ad 2. & 1.2.q.95.art.2. Sicut inter horologia solare est recta regula, & exemplar (vt ait D. Aug.) eorum quæ arte constant. Differunt tertiò ratione latioris, & amplioris potestatis; ius enim naturale omnes obligat gentes & nationes, vbique & semper suã retinet vim, sicut & natura ipsa cunctis inest, & vbique ac semper. Ius autem positiuum eos tantũ, qui illi Principi, vel legislatori sunt subiecti, ad alienos nõ se extendit. Denique ratione immutabilitatis, quia ius positiuũ, etsi id non debeat facilè nec frequenter fieri, absolutè tamen, & per se loquendo mutari potest sola voluntate Principis, & Legislatoris, ius autem naturale si absolutè etiam loquamur, immutabile est, sicut & natura, quæ sibi ipsi semper similis est; quãuis vt in vltima controuersia huius art. docebimus, non sit eadem immutabilitas in omnibus principijs iuris naturalis.

Ex his facilè diluuntur argumenta initio proposita. Primum nullam habet vim, constabit enim artic. seq. ius gentium non esse constituendum, tanquam vnum membrum diuidens ius prima sui diuisione, sed contineri sub vno ex membris diuisionis hic propositæ.

Ad secundum constat ex dictis in 3. & 4. Assertione esse quidem diuidendum ius in diuinum & humanũ, si Theologicè loquamur, iuxta suum verò institutum D. Tho. optimè hoc loco more philosophorum Moralium distribuisse illud in naturale, & positiuum.

Sed quæres hic occasionem huius secundi arg. cur ius non diuiserimus etiam in æternum, sed tantum in diuinum, naturale, & humanum, cum lex, quæ idẽ est, quod ius constituatur quadruplex æterna, diuina, naturalis, & humana. Magist. Soto lib. 1. de Iustitia q. 3. art. 2. ad 3. sentit non esse constituendum, neque asserendum ius æternum, quoniam ius, inquit est illud iustum debitum, & æquum, quod in rebus temporalibus, & actionib. humanis reperitur, à quib. omnino alienum est, quidquid habet rationem æterni.

Sed hæc solutio pace tanti Doctoris nõ est satis accommodata, quia ius de quo hic agimus est regula iusti & debiti, propter quod vt admonuimus alio nomine dicitur lex, regulę autem præscribentes iustum, vt quod tibi non vis, &c. Depositum est restituendum: Damnum illatum reficiendum, &c, non minus ęternæ sunt, quàm illa, de quolibet vera est affirmatio, aut negatio, imò verò nullũ est ius naturale, quod nõ sit ęternũ. Secundò omnis lex est alicuius iuris præceptio, vel ordinatio. Vnde si aliqua datur lex æterna, erit etiam & ius æternum constitutum, & ordinatum à tali lege,

Tertiò certissimum est Iustitiam Dei esse æternam; sed omnis Iustitia versatur circa aliquod ius, cuius est factiua, & operatiua, vt ait Arist. 5. Ethic. cap. 7. Ergo si datur iustitia æterna qualis est Dei, dabitur & ius ęternum, quod respiciat illa iustitia.

Respondent alij, vt sicut vnius, & eiusdem effectus datur aliquando duplex causa vna æquiuoca, & eterogenea, alia vniuoca, & homogenea, à qua effectus ille suscipit denominationem, vt in homine sol & homo qui illum genuit, ita eiusdem iuris naturalis dari duplicem regulam, vnam eterogeneam nempe legem æternam, quæ est præceptio quædã & regula prima secundum essentiam existens in mente diuina, aliam verò homogeneam & eiusdem rationis, nempe legem naturalem, quæ est velut secunda regula eorum, quæ sunt de iure naturæ, participata ab illa æterna, & impressa menti humanæ. Et ita licèt ius naturale sit effectus vtriusque legis & naturalis & æternę, sumit tamen denominationem à lege naturali, quæ est proxima, & vniuoca causa ipsius, sicque dicitur ius naturale: non autem à causa æquiuoca, nempe lege æterna, & sic non dicitur aliquod ius æternum. Optima quidem solutio, sed cum ius accipiatur hic pro lege, nescio qua ratione negari possit dari quoque ius æternum, vt argumenta adducta contra Mag. Soto ostendunt.

Vnde erit hæc solutio magis accommodata de iure, & lege posse nos bifariam loqui, aut secũdum se, vt est regula iusti & recti, aut quatenus proposita, & promulgata his à quibus obseruanda est, priori modo datur lex æterna, & ius æternum, vt probatum est, posteriori verò modo, sicut vna tantum ex tribus vijs potest regula iusti, & recti homini innotescere, & proponi, aut diuina reuelatione, aut naturali lumine rectę rationis, aut præscripto alicuius hominis: ita quoque triplex est secundum hunc modum lex & ius, aut diuinum, quod est à diuina reuelatione, aut naturale, quod est à tali lumine rectæ rationis, aut humanum, quod est ex hominum præscripto, prætermittimus verò hic legem æternam, siue ius æternum, quia illud vt est in mẽte diuina non est hominibus propositum, nec promulgatum, sed participatum solum, deinde aliqua ex his tribus vijs propositis. Qua de causa D. Tho. 1.2. q. illa 92. adducit quadruplicem illam legem, quia agit de ipsa secundũ se, & quatenus regula est, siue proposita & promulgata, siue non. Nos verò hoc loco constituimus, tantum in conclusionibus huius controuersiæ triplex tantum, ius diuinum, naturale, & humanum, qua agimus de lege, & iure, vt promulgato, & proposito hominibus, quomodo triplex tantum ęst, sicut tribus tantum vijs explicatis hominibus innotescit.

Ad tertium respondeo, Iurisconsultos in illis locis impropriè loqui de iure naturali, propriè enim sumptum non reperitur in brutis, sed in solis hominibus, quemadmodum his solis conuenit iustitia, & lex: Qua autem ratione in brutis reperiatur impropriè, & communi quodammodo ius naturale, ita possumus explicare ex D. Tho. In homine est triplex inclinatio naturalis ad bonum: prima est communissima, quam habet ad esse, in qua conuenit, cum quacunque re totius vniuersi; alia est minus communis, quam habet ad conseruationem suæ speciei per generationem sui similis, in qua conuenit cum omnibus animãtibus: tertia est propria, & solius hominis, quatenus rationalis est ad prosequendum bonum rationis. Iuxta hanc triplicem inclinationem habet homo varia præcepta, & iura naturalia, Primum tuendi, & conseruandi suum esse, quomodo est iuris naturalis vim vi repellere. Alterũ multiplicandi speciem, & ita dicitur de iure naturæ commixtio maris, & fœminæ. Tertium viuendi iuxta rectã rationem, vnde orta sunt illa principia, Quod tibi vis, &c. Et hæc præcepta, ac iura tertij generis secundum istam tertiam inclinationẽ, quam habet vt rationalis, sunt quæ propriè constituunt ius naturæ, cum ius na-

turæ sit, quod præscribit lumē naturale rectæ rationis: & ita in solo homine reperitur propriè ius naturale. Quia verò reperiuntur etiam in brutis illæ inclinationes naturales, in quibus homo conuenit cum ipsis, & prosequuntur bruta quodam instinctu naturæ, illa bona ad quæ inclinantur, ideo constituitur in ipsis à Iuriscon. ius naturale, sed impropriè, quia ista inclinatio in eis instinctus tantum naturæ est, & non dictamē aliquod naturale rectæ rationis.

Vltimum arg. art. seq. explicabitur, vbi ostendemus, qua ratione, quæ illud arg. continet non pertinere ad ius gentium, sed ad naturale.

Secunda controuersia quæ hîc se offert, est circa definitionem iuris naturalis.

An iuris naturalis detur ignorantia inuincibilis.

RAtio dubitandi est, quia si ius naturale est à natura docente vel instigante, cum vnicuique, vel solo lumine naturali sui intellectus constet, ad quid natura ipsum inclinet, non poterit dari ignorantia ipsius. In oppositum verò est ipsa experientia; nam fornicatio simplex, & vagus concubitus soluti, cum soluta prohibentur iure naturali, experimur autem nō modò olim, verum & nunc multas gentes simplicē fornicationem licitam iudicasse, in quo non errassent, si ius naturale essent omnibus euidens, vnde Apostoli in illo Concilio Hierosolymitano. Acto. 15. præceperunt gentibus conuersis ad fidem, vt rem multis ignotam, vt abstinerent etiam à fornicatione.

Postulat hæc controuersia videamus sint ne aliqui gradus in iure naturali, & qui sint illi, vel an potius omnia præcepta iuris naturalis sint æquè nota, & perspicua apud omnes.

Discipuli D. Tho. occasione eorum, quæ ipse docet. 1. 2. q. 94. art. 4. cōstituunt tres gradus iuris naturalis. In primo collocant illa prima principia omnibus per se nota, & quæ nullus sanæ mentis potest inficiari. Bonū est amplectendum, malum fugiendum, Quod tibi non vis, &c. Et quod tibi vis, &c. De quorū principiorum veritate, atque notitia nōnulli dictum volunt illud Ps. 4. [Quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui;] in quo plurimum decipiuntur, cū de nulla re ibi minus agat regius Propheta, quam de cognitione naturali iusti vel iniusti, lumen siquidem vultus Dei eo locu significat pręsens auxilium, & manum Dei contra hostes. Est enim phrasis sacræ scripturæ auxilium Dei vocare lumen, claritatem, aut illustrationem vultus Dei; vt Ps. 66. [Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri,] vbi posterior clausula prioris est explicatio. Ac vt rem illius Ps. 4. obiter enarremus; Agit in eo Dauid de fuga, quam parauit expulsus à Hierusalem à filio suo Absalon, vbi inter alia grauia, quæ in illa fuga ipsi acciderūt, hoc commemorat, voces suorummet amicorum, & militum de salute sua, & remedio desperantium; [multi (inquit) dicunt, vel dicebant mihi (in illa fuga!) quis ostendet nobis bona?] quis eripiet nos à tantis periculis, & malis, & illæsos in pristinam gloriam, & dignitatem restituet? cui querelæ, & quasi desperantioni improbæ voci Regius Vates in Deo sperans, respondet, [signatū est super nos &c.] q. d. confidite: nam eleuatum est super nos, & nobiscū habemus quasi signum, & vexillum militare lumen vultus Dei, auxilium & fauorem Dei; quod ego agnoscens, licèt vos diffidatis, ego non diffido, nec timeo, sed corde læto, ac confidenti incædo, dedit hæc spes lętitiam in corde meo, hac spe fretus lætus incedo, certus Deum ipsum nobis omnibus affuturum in hoc bello, velut signiferum & antesignanum, præbiturum opem, quia in bona nostra, prioremque dignitatem restituamur. Vtitur autem præterito signatum est pro futuro, ad significandam suæ erga Deum fidei, & spei certitudinem, qua fretus in medio suorum laborum, quasi iam Partha victoria lætabatur. Hic est verus, ac genuinus sensus istius Ps. 4.

In secundo gradu iuris naturalis constituunt propositiones illas magis particulares, quæ deducuntur ex illis primis principijs, consequentia adeo necessaria & facili, vt nisi quis stolidissimus sit illatum vim statim habeat perspectam, vt cum ex illo principio, Quod tibi non vis &c. sic inferimus, nolles bona tua ab alio te renuente accipi, debes igitur, & tu similiter bona alterius non accipere, nec furari. Huius illationis vim nullus, quantumuis rusticus, & simplex ignorabit, quamprimum ei proponetur. In hoc gradu continentur pręcepta diuina secundæ Tabulæ, quia omnia ex illis primis principijs per se notis, Quod tibi non vis, &c. necessariò, & euidenter inferuntur.

In tertio autem gradu constituunt, quæ colliguntur ex principijs necessarijs, & in consequentia necessaria, sed ita vt illa consequentia licèt necessaria sit, nō tamen sit perspicua, & euidens. Et quæ huius tertij generis, & gradus sunt, adhuc in quinque subdiuiduntur, sunt enim in duplici differentia: quædam quę adhibita cura, & diligentia ab acutis, & sapiētibus cognosci possunt euidenter, vt vsuram esse iniquam, & simplicem fornicationem malam. Hæc enim periti, & sapientes adhibito studio, & diligenti discursu possūt ex primis principijs solo lumine naturali deducere. Alia verò sunt, quæ quamuis necessariò quoque deducantur ex principijs naturalibus, non tamen possunt commodè ab hominibus intelligi sine aliquo superiori lumine supernaturali quo intellectus eorum illustretur, maximè ob cæcitatem, & tenebras, quæ nobis ex peccato originali contigerunt, qualia illa sunt, nō habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, &c. Ad hæc enim exactè cognoscenda opus fuit super naturali lumine; cū solo naturali experientia teste paucissimis, & post lōga tempora hæc præcepta, & eorū rationes innotuerint. Argumento est tā diffusa per omnes gentes, & nationes idolatria, donec supernaturalis Euangelicæ veritatis splendor prædicatione Apostolorum mundo illuxit.

Ex hac doctrina discipulorum D. Tho. facilè est propositam quęstionem ita diluere; vt asseramus non omne ius naturale euidens, sed quoddam esse per se euidens, & omnibus notum, ad quod pertineant illa prima principia, quæ sunt in primo gradu, vel quæ ex eis colliguntur vna, aut altera consequentia necessaria, facili, & perspicua, quæ constituimus in secundo gradu, vt præcepta secundæ tabulæ maximè quæ prohibent manum, & opus externum, Non occides, Non furaberis, &c. Quæ verò pluribus, & obscurioribus consequentijs, & discursib. indigent, vt colligantur ex primis principijs, vel aliquo lumine supernaturali, vt pręcepta primæ tabulæ, vsuram esse iniquam, simplicem fornicationem malam, & similia, quæ sunt in tertio gradu, esse quidem iuris naturalis; sed tale ius nō esse per se notū nec euidens. Ita discipuli D. Tho. ex placitis ipsius.

Scotus autem in 3. dist. 33. q. vnica, alia via procedit. Ait siquidem, ius naturale in duplici esse differentia, in primo gradu collocat illa prima principia practica, omnibus per se nota, & conclusiones, quæ ex illis necessariò inferuntur: tum etiam illa duo præcepta primæ Tabulæ, non habebis Deos alienos, Non assumes nomen Dei tui in vanum, quā parte iam recedit à doctrina D. Tho. cum ille hæc duo præcepta cōstituat in tertio gradu: Scotus verò in primo, & supremo. Quod autem in eo gradu sit collocanda, ita docet Scotus. Ad primum gradum pertinent propositiones per se notæ, & quæ ex illis necessariò in facili, & manifesta consequentia deducuntur, sed hæ propositiones, Deus est; Deus est summum bonum super omnia diligendum, & colendum, sunt per se notæ lumine naturali: ex quibus sequuntur in bona, facili, & cuiuis perspicua consequentia illa duo præcepta primæ tabulæ. Ergo pertinent ista duo præcepta ad primum gradum iuris naturalis.

Maior,

Maior, inquit Scotus, certa est, minor patet: nam necessariò, & manifestè sequitur, Deus est summè bonus, & super omnia amandus, & colendus ergo cultus ipsius nulli alteri quàm ipsi soli deferendus: ergo non habebis Deos alienos. Similiter Deus est summè colendus, ergo cauendum diligenter, ne aliqua efficiatur irreuerentia: afficitur autem quando benedictum nomen ipsius assumitur in vanum, ergo non assumendum in vanū. Adduq; Scotus, quæ continentur in hoc primo gradu esse de iure naturali, propriè, & strictè loquendo.

In secundò autem gradu collocat, quæ sequūtur ex principijs practicis per se notis, non quasi in cōsequentia omnino, & simpliciter necessaria, sed maximè probabili, & congruenti, ita, vt inferantur quasi maximè consona illis principijs, in quo gradu constituit omnia præcepta negatiua secundæ Tabulæ, Nō occides, non mœchaberis, &c. Iudicat enim hæc probabiliter tantū, & congruenter sequi ex primis principijs, non tamen omnino necessariò: vnde infert nō esse ita simpliciter, & absolutè necessaria ad consequendum finem nostrū, sed esse tantum necessaria necessitate præcepti, q.d. teneri hominem ad ea obseruanda, quia sunt præcepta à Deo; ita vt si præcepta non essent, non esset peccatum eorum omissio. Colligit denique huiusmodi conclusiones esse de iure naturali non propriè, & strictè, sed largè tantum, & communi quadam ratione.

Vnde iuxta hanc doctrinam Scoti propositæ quæstioni ita erit respondendū, vt quæ sunt de iure naturali propriè, strictè, & in primo gradu, illa sint euidentia, & manifesta omnibus: quæ verò sunt de iure naturali largè, & in secundo gradu, illa non sint euidentia.

Ex his duabus opinionib. quamuis prior illa sit multò verior, hæc autem posterior Scoti multa contineat falsa, & aliqua non satis tuta, in vtraque tamen est aliquid animaduersione dignum: & ita oportet, vt quid sentiendum sit, per nonnullas Assertiones explicemus. Sit prima contra Scotum.

PRIMA ASSERTIO.

Abuti vocibus, & terminis profectò est, vocare ius naturale, quod non sequitur necessariò, sed congruenter tantum, & probabiliter ex primis principijs naturalibus.

PAtet. Quod est natura sua habet vim vbiq; & semper, & non ex hominū opinione & condicto, illud profectò necessario, & non congruēter tantū, aut probabiliter habet illam vim, sed ius naturale definitū est ab Arist. & rectè, vt constat ex Arti. præcedenti, [Quod ex rei natura vbique habet vim, & non quia videtur,] i. non ex hominum condicto & opinione: ergo quæ iuris naturalis sunt necessaria sunt sua natura & necessariò inferuntur ex primis principijs naturalibus: Et consequenter, quod ex eis probabiliter tantum, & secundum quandam congruentiam deducitur, non est iuris naturalis.

Secundò. Si quæcunque dicuntur ex primis principijs, congruenter & probabiliter, licèt non deducantur necessariò, sunt iuris naturalis, totum ius ciuile esset dicendum ius naturale, constat si quidem omnes leges ciuiles esse collectiones quasdam maximè consonas iuri naturali, & deriuari à primis principijs ipsius secundum quandam congruentiam.

SECVNDA ASSERTIO.

Licèt ista diuisio iuris naturalis proposita à Scoto esset optima, (quod reuera non est) falsò tamen, & periculosè collocat, præcepta secundæ Tabulæ, in secundo gradu, qui ab ipso constituitur, idest, inter ea, quæ non deducuntur necessariò ex primis principijs: nec sunt simpliciter necessaria ad salutem, & necessitate finis, sed sola necessitate præcepti.

PRobo argumento eiusdem Scoti: Duo præcepta primæ tabulæ iuxta ipsum sunt propriè iuris naturalis, pertinentia ad primum gradum, & simpliciter necessaria, quia sequuntur in bona, & necessaria consequentia, ex illo primo principio iuris naturalis per se noto, & simpliciter necessario, Deus est summum bonum, & summè diligendus. Sed præcepta secundæ tabulæ deducuntur etiā in bona & necessaria consequentia ex eodem principio, Deus est summè diligendus, ergo præcepta secundæ tabulæ similiter sunt iuris naturalis per se, & propriè, ac simpliciter necessaria ad salutem. Maior cum consequentia perspicua est, minorē ostendam supposito quod certissimum est, ex hoc antecedenti, Proximus est diligendus, sequi apertè & necessariò, ergo nulla afficiendus iniuria, non occidēdus, non expoliandus, iniquè suo honore, vel bonis, non accipienda, illi vxor, vel filia: ita Pau. Rom. 12. [Nam nō mœchaberis, Non occides, Nō furaberis, Non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instaurat, & continetur, Diliges proximum tuum sicut teipsum] Et concludit [Qui diligit proximum, legem impleuit.] Hoc igitur constituto, sic argumentor. Ex isto præcepto, Diliges proximum tuum, deducuntur apertè, & necessario omnia præcepta secundæ tabulæ; sed hoc præceptum. Diliges proximum, sequitur quoque necessariò, & euidenter ex illo primo, Diliges Deum: Ergo præcepta secundæ tabulæ deducuntur etiam necessariò ex ipso. Minor hæc patet sic. Qui diligit Deum, diligit quæ Dei sunt, & quæ Deus ipse diligit: sed proximus est quid Dei, creatura, & opus ipsius: ergo dilectionem Dei comitatur necessariò dilectio proximi. Vnde Christus Dominus cum præmisisset, [Hoc est mandatum magnum in lege, Diliges dominum tuum, &c. adiecit statim: [Et secundum simile est huic, Diligas proximum tuum &c.] Simile vocat, idest vnà cum illo præceptum imo adeò necessariò illi consequens: vt arguat. B. Ioannes tanquam à negatione consequentis ad negationem antecedentis, [Qui non diligit fratrem suum quem videt. Deum quem non videt quomodo potest diligere.

Scio huic argumento ita respondere Scotum, In dilectione proximi duo contineri, prius optare illi vt diligat Deum, optare illi gratiam, & alia bona, spiritualia, posterius verò diligere, & amare personam ipsius proximi optando ei vitam, salutem, honorem, & alia bona temporalia. Ex dilectione inquit Dei sequitur in bona, & necessaria cōsequentia dilectio proximi, quo ad illud prius, quod est optarè proximo gratiam, & charitatem ac vt Deum diligat & colat, nam qui verè Deum diligit, optat vt ab omnibus similiter diligatur: Dilectionis autem proximi quo ad alia bona temporalia quæ respiciunt illa præcepta secundæ tabulæ non sequi necessariò ex dilectione Dei, sed solum secundum quandam congruentiam quia congruit vt qui Deum diligit studiosè erga omnes se habeat. Et propterea non teneri nos ad illa simpliciter, & ex natura rei, sed solum propter legem positam, quam legem inquit explicarunt Christus, & Paulus in illis locis.

Certè hæc solutio euertit, & torquet omnino germanum sensum verborum sacræ scripturæ. In primis cum Christus eodem omnino tenore verborum proponat dilectionem Dei, & proximi, quemadmodum proponit dilectionem Dei simpliciter, & absolutè, ita profectò, & proximi. Nunc sic argumentor dilectio proximi quam connectit Christus cum dilectione Dei, ita vt præceptum vnius sequatur necessariò ex præcepto alterius est simplex, & absoluta: Simplex autem, & absoluta dilectio non respicit quædam dona, & dimittit alia sed omnia quorum amicus ille est capax. quis enim sanæ mentis dicat me diligere proximum quem volo occidere, licèt optem illum mori in gratia. Ergo dilectio proximi cuius præceptum sequitur necessario

necessatio ex dilectione Dei omnia bona proximi respicit.

Secundò 1. Ioan. 3. Ex eo quod non subueniatur proximo per bona temporalia colligit Apostolus Ioannes defectum charitatis & dilectionis Dei: [Qui habuerit inquit substantiam huius mundi: & uiderit fratrem suum necesse habere, & non fuerint commota viscera eius quomodo charitas Dei est in illo.] Ergo apertissimè iuxta hæc verba. B. Ioannis dilectio proximi quæ sequitur ex dilectione Dei non solum respicit bona spiritualia ipsius, verum etiam temporalia.

Tertiò: quando dicit Scotus ex dilectione Dei sequi dilectionem proximi in hoc sensu vt optemus Deum diligi à proximo: percunctor aut hoc optatur propter gloriam Dei & bonum quoque ipsius proximi, aut pro pter solam gloriam Dei, vt Deus ab omnibus glorifice tur. Si dicat primùm, iam igitur præter, gloriam Dei optatur, bonum proximo vt bonum ipsius. Et ita ex dilectione Dei sequitur dilectio proximi quo ad omnia bona ipsius, quia qui alicui diligit bonum aliquod vt bonum ipsius, quodcunque bonum ei conueniens diligat oportet, cum eadem sit omnium ratio: Si verò dicat secundum, tali modo diligere reuera non est diligere proximum, sed solum Deum pater, quia optare, vt proximus diligat Deum propter solam Dei gloriam nulla habita ratione boni quod inde illi prouenit, huiusmodi amoris solus Deus est obiectum formaliter & propriè. Vnde est argumentum, quemadmodum in dilectione Dei proprium, & formale obiectū est Deus, ita in dilectione proximi (& si hæc dilectio vt sit meritoria referatur etiam in Deum,) ipsius tamen secundū se proprium, & proximum obiectum est proximus, at si dilectio proximi quæ sequitur ex dilectione Dei hoc tantum haberet vt optaremus Deum diligi ab ipso, tūc illius dilectionis obiectum non esset proximus, sed solus Deus. Ergo in dilectione proximi non solum optamus vt Deus ab ipso glorificetur, verumetiam vt benè sit ipsi proximo. Et confirmatur quia aliter non essent Deus, & proximus duo obiecta distincta (sicut si quis optaret Deum diligi à proximo propter solum bonum proximi, & non propter gloriam Dei, talis amoris solus proximus esset obiectum, & non Deus: At Deus, & proximus obiecta sunt verè distincta, sicut & præcepta quibus nobis præcipiuntur istæ duæ dilectiones Dei, & proximi sunt duo præcepta distincta, sic enim de ipsis loquitur Christus vt de duobus præceptis reuera distinctis cum ait: [In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Denique dilectio proximi (illa etiam quæ ex charitate est) in hoc consistit, vt optemus illi creaturæ quia creatura Dei est, & ad ipsum Deum euenire omne bonum ei conueniens, & nullum accidere malum, ergo dilectio proximi quæ sequitur ex dilectione Dei omnia bona proximi respicit.

TERTIA ASSERTIO.

Falsum est, & erroneum præcepta secundæ tabulæ non esse necessaria ad salutem simpliciter, & omnino, ac necessitate finis, sed sola necessitate præcepti.

Probatur. Quemadmodum quidquid sequitur necessariò ex propositione de fide est etiam de fide, ita quoque quidquid sequitur necessariò, & apertè ex principio per se noto, & necessario necessitate finis est similiter necessarium sed in hoc principium iuris naturalis. Quod tibi vis, &c. Et quod tibi non vis, &c. Est omnibus per se notum, & necessarium absolutè, & simpliciter, ac necessitate finis citra omne præceptum positiuum: ex isto autem principio deducuntur apertè, & necessariò præcepta secundæ tabulæ, Non occides, Non furtum facies, &c. Ergo.

Secundò Paul. Rom. 1. agens de huiusmodi præceptis vt apparet ex contextu, ait [Gentes quæ legē non habent, idest positiuam vel scriptam naturaliter] idest solo iure naturali inducti [ea quę legis sunt faciunt] idest seruant ea quæ præcipit ipsa lex positiua: Vnde sic argumentor. Gentes sine lege positiua seruant præcepta ista secundæ tabulæ vt seruentius naturale, aliter contra illud grauiter peccaturi, gentes autem quibus nulla adhuc lex positiua proposita erat, tantum tenebantur ad ea præstanda quæ simpliciter & absolutè necessaria sunt, ac necessitate finis. Ergo. Et confirmatur, sicut antea argumentabamur contra negantes ius naturale. Ante omnem legem positiuam peccauit Cain occidēs Abel, peccabant cæteri qui vel vita, vel bonis, vel honore expoliabant fratres suos non; alio nomine nisi quia violabant ista præcepta iuris naturalis, Non occides, Non furaberis, &c. cessare autem ab omni peccato est absolutè necessarium ad salutem, non solum necessitate præcepti verum etiam necessitate finis. Ergo.

Vltimò. Quemadmodum homini conueniunt hæc duo vt sit conditus ad beatitudinem, & vt sit pars huius Reipub. humanæ, ita habet duplicē finem sibi propositum, alium supernaturalem obtinendum per gratiam, nempe beatitudo æterna, & alium naturalem vt est homo, & pars Reipub. in quem inclinatur vel solo dictamine rectæ rationis, qui est pax, & tranquilitas Reip. qui finis in illum vltimum supernaturalem sicut, & cætera omnia necessario quoque dirigitur, vnde tenetur homo non solum necessitate præcepti, verum etiam necessitate finis tā ad illa quibus directè, & immediatè indiget ad obtinendam beatitudinem, quam ad ea sine quibus pax, & tranquillitas Reipub. haberi non potest. Sed præcepta secundæ tabulæ simpliciter & omnino sunt necessaria ad pacē, & tranquilitatem Reipub. Ergo seruāda etiam homini absolutè, & necessitate finis. Vltima assertio contra aliquos Thomistas.

VLTIMA ASSERTIO.

Duo illa præcepta primæ tabulæ. Non habebis Deos alienos, Non assumes nomen Dei in vanum, &c. non sunt collocanda in vltimo gradu iuris naturalis, sed in secundo.

Patet. Ad secundum gradū pertinent iuxta D. Tho. quæ ex principijs per se notis deducuntur in consequentia facili, & necessaria, sed ex illis principijs Deus est vnus, & super omnia diligendus ac colendus, sequuntur apertè & necessariò ista duo præcepta primæ tabulæ: quia si vnus & super omnia colendus ergo nulla afficiendus iniuria, afficitur autem maxima si alius quàm ipse habeatur pro Deo, aut nomen eius assumatur in vanum, vel afferatur ad confirmandum mendacium, vt optimè in hac parte argumentatur Scotus. Ergo; Quod autem sit per se notum lumine naturali Deum esse colendum, & glorificandum constat ex B. Paulo Rom. 1. Qui propterea facit in excusabiles illos veteres Philosophos, quia cum Deum vel solo lumine naturali cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: Quo etiam lumine compertissimum est cuius homini dilectioni, & gloriæ Dei valde repugnare iniuriā, & contumeliam, maximaque Deo inferri, si diuini honores alteri tribuantur, aut sanctissimum eius nomen in vanum vel cum mendacio assumatur.

Nec habet vim ratio illa omnes ferè gentes peccasse contra illa præcepta innumeris idolorum cultibus, non enim errarunt ex ignorātia illius principij ex quo ista præcepta deducuntur, nempe Deus est summè diligendus, & colendus, fuit enim hoc omnibus perspicuum vt docet Cic. 2. De natura Deorum, neque ex defectu luminis naturalis ad inferenda illa præcepta ex huiusmodi principio, sed quia propter alia peccata quæ committebant contra ius naturale iusto Dei iudicio vt docet idem Paulus permissi sunt adeò errare

circa

circa Dei cultum, & tantas pati Idolatriæ tenebras.

Ex his colligo tres esse gradus iuris naturalis, illos scilicet quos constituunt discipuli. D.Tho. hac tamen lege, vt in tertio illæ tantum propositiones collocentur, quæ deducuntur quidem necessariò ex primis principijs lumine naturali, sed difficilè, & multo studio adhibito: vt vsuram esse iniquam, & simplicem fornicationem malam. Nam illæ in quibus præter lumen naturale ac ingenium, & studium, lumen etiam super naturale diuinæ reuelationis necessarium est, ad fidem pertinent & non ad ius naturale: Colligo secundò propositiones iuris naturalis aliquas esse euidentes & aliquas obscuras: Euidentes sunt quæ pertinent ad primũ & secundum gradum, vt prima principia per se nota, & quæ ex illis proximè in necessaria, & aperta consequentia deducuntur, vt præcepta secundæ tabulæ, & illa duo primæ. Obscuræ verò sunt, quæ pertinent ad tertium gradum veluti remotiores conclusiones, quæ licèt necessariò etiam deducantur ex primis principijs, difficile tamen & multis discursibus.

Sed quæres hic, cum præcepta secundæ tabulæ constituta sint in secundò gradu, quo modo simplicem fornicationem quæ videtur etiam prohiberi sexto præcepto collocauerimus in tertio. Respon. apertè & in rigore vt dicunt sermonis sexto præcepto tantum prohiberi adulterium, non autem concubitum, soluti cum soluta, quod ex eo constat quia nouum præceptum quod est quædam maior explicatio sexti. tantum prohibet concupiscentiam vxoris alienæ. Et explicatur Eccl. 23. vbi dicitur: [Omnis mulier relinquẽs virum suum peccabit, primò enim in lege altissimi incredibilis fuit,] Addit D.Tho. infra q. 154. art. 8. quia in ea præceptum erat, Non Mechaberis: vnde idem D.Thom. illa q. art. 2. in quo agit de simplici fornicatione probat efficacissimè illum esse peccatum mortale ex alijs locis sacræ scrip. non autem ex istis verbis. [Non Mechaberis. Ratio autem qua ibi vtitur in corpore ar. est quia natura ipsa (vt in omnibus animalibus est videre) quando ad educationem prolis vtriusque parentis cura est necessaria, non patitur neque admittit vagum concubitum, sed certum ac determinatum, vnius maris. vniusque fœminæ propter quod in hominibus in quibus adeò necessaria est vtriusque parentis cura ad prolis educationem, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, ipsamet natura abhorret vaguum fornicationemque concubitum veluti educationi prolis maximè nociuum. Hæc autem ratio quæ ita efficacissimè ostendit quomodo iure naturali fornicatio simplex sit prohibita, non ad sextum præceptum, sed ad quartum pertinent quo sicut præcipitur filijs honor suorum parentum, similiter præcipitur parentibus cura, & debita educatio suorum filiorum. Ex dictis in hac secunda controuersia facilè explicabitur alia quæ huius quoque loci est.

AN PROPOSITIO QVAE NECESSARIO sequitur ex principijs naturalibus, est tamen nobis ignota donec multo studio intelligatur, sit dicenda ius naturale.

NOn desunt qui partem negantem iudicent probabilem bis adducti rationib. Cum de ratione legis sit obligare, ea verò non obliget donec promulgata reuera non sit lex, sed propositio quæ sequitur ex principijs naturalibus consequentia difficili & obscura quamdiu consequentia illa, & eius vis ignota est, perinde se habet ac si non esset promulgata, ergo donec sit nota, & perspicua non est ius naturale.

Secundò ius naturale ex D.Tho. 1. 2. q. 90. ar. 2. & q. 94. art. 2. ab omnibus potest cognosci: propositio aũt de qua hic agimus non pôt ab omnibus cognosci, sed à solis sapientibus, & his multo studio ac ingenio. Ergo.

Vltimò ius naturale ex Cicerone est, [quod non opinio genuit, neque humana traditio, sed vis quędam innata naturæ,] vnde illud tantum est ius naturale quod ista vis omnibus insinuat, & ostendit; sicut & ipsa omnibus innata est, ergo quod non omnibus vel sola ista vt est perspicuum sed à multis ignoratur, non pertinet ad ius naturale.

Opposita tamen sententia est verior: alioqui quę præcedenti controuersia diximus contineri in tertio gradu iuris naturalis non pertinerent ad hoc ius. Probatur hæc sententia. Propositio quæ reuera sequitur ex principijs Geometriæ geometrica est, etiam si ignoretur ab innumeris vis illationis illius, ergo similiter quę deducitur ex principijs iuris naturalis etiam si ignoretur, est ius naturale. Et confirmatur. ex D. Tho. 1. 2. q. 94. ar. 2. vbi ait [propositio per se nota non desinit esse talis eo quod aliqui illam ignorent. Et 1. p. q. 2. artic. 1. vbi docet Deum esse per se notum, licèt à multis ignotetur [Dixit enim insipiens in corde suo: Nõ est Deus.]

Secundò lex positiua cum primum maioribus regni promulgata est, obtinet iam vim legis, & si ab alijs ignoretur, excusanturque illam iustè ignorantes, non quia lex illam non habeat iam vim legis, sed quia eorũ ignorantia iusta fuit. Sed lex naturæ & si à rusticis, & imperitis in huiusmodi propositione de qua hic agimus ignoretur, sapientioribus autem & doctoribus promulgata est: Ergo.

Tertiò Ius naturale est e x natura rei, natura rerum non mutatur propter nostram ignorantiam vel scientiam. Ergo quam sapiens conspicit esse iuris naturalis, quia deducitur necessariò & si difficile ex principijs naturalibus, etiam si ab alijs ignoretur est simpliciter, & absolutè iuris naturalis.

Denique si is, qui modò ignorat necessitatem & uim discursus quo aliqua propositio ex his quas collocauimus in tertio gradu iuris naturalis postea vim illam, & necessitatem intelligat, est illi iam talis propositio ius naturale, ergo & antea erat quoque ius naturale; patet, quia quod semel est ius naturale semper fuit ius natnrale, nec nostra cognitio efficit vt sit ius naturale quod antea tale non erat, sicut quod nunc statuitur ab Ecclesia tanquam de fide semper fuit de fide, nõ enim potest Ecclesia condere nouum articulum fidei, sed tantum explicare, & proponere quod ignorabatur.

Ad argumenta autem adducta in oppositum facilis est solutio. Maior primi neganda est. Lex enim eo ipso, quo statuta est à Principe, vel Repub. est lex, etiam si nondum promulgata, licet non obliget subditos, ni si postquam promulgata est. Ad secundum dico, verba D.Tho. ius naturale posse ab omnibus cognosci, Ita esse accipienda, vt possit ab omnibus agnosci sine alio supernaturali lumine, quam naturali, siue facilè & perspicuè illud cognoscatur, siue difficilè, & adhibito multo studio. Ad tertium eadem est solutio: ius naturale esse, quod omnes docet illa innata vis, non tamen est necesse, vt omne ius naturale vis ista æqualiter doceat, & indicet: aliqua docet facilè & prima, vel secunda consequentia, alia verò difficilè, & multis adhibitis consequentijs, longoque discursu.

Sed quæres dimissis illis, quæ pertinent ad primum, vel secundum gradũ iuris naturalis, quę facilè cognoscuntur esse iuris naturalis: in his quæ sunt tertij gradus, cum hæc difficilè ex principijs naturalibus deducantur, & à solis sapiẽtibus, qua ratione constabit, quę sint iuris naturalis (Dico in his si omnes periti, & sapientes conueniãt aliquid esse iuris naturalis, reliquos qui minus valent ingenio, & scientia debere stare communi illi omnium sapientum dicto: Quod si aliqua fuerit inter eos repugnantia, tũc si rationes, quæ pro vtraque parte afferuntur sint ex æquo probabiles, & doctores, qui ita sentiunt eiusdem nominis & dignitatis, liberum est cuique quam voluerit partem amplecti, si verò alteri parti faueant rationes plurimum vrgentes, & plerique ex sapientioribus, & doctoribus, in eam declinandum est à reliquis, etiã si oppositum videatur aliquæ

aliquę rationes probabiles ostendere, & aliqui doctores complecti: Quia praui & indisciplinati ingenij est ex Arist. in omnibus rebus ęqualem quęrere demonstrationem, cum ergo res morales non possint nobis constare eadem certitudine, qua mathematicę, si optimę rationes, vna cum plurium & sapientiorum consensu aliquid ostendant esse iuris naturalis, ita profectò est sentiendum: meminisse enim hic oportet illius doctrinę Arist. 6. Ethic. c. 11. quam superius attulimus, [in rebus moralibus standum potius esse seniorum, ac peritorum sententijs, quam demonstrationibus.] In calce huius art. occasione eorum, quę habet D. Tho. in solutione primi arg. offert se hęc controuersia.

AN IVS NATVRALE SIT MVTABILE, *possitq; in ipsum cadere dispensatio.*

CVm ius naturale sit ex natura rerum videri debet immutabile, ac idem omnino esse vbique & semper, vt ignis, qui quoniam natura vrit, vbique & quocunque tempore existat, vrit: In oppositum autē sunt multa iura naturalia, quæ videmus mutata esse: in primis iure naturæ omnia sunt communia, omnes nascimur liberi, iure autem gentium instituti sunt priuati aliquarum rerum domini, factaque rerum diuisio, & appropriatio. Et eodem iure, qui vincuntur in bello iusto manent serui.

Secundò iure naturæ in matrimonio vnius viri vnica tantum debet esse vxor, quod ius naturæ explicauit Christus Matth. 19. dicens Pharisæis, [Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fęminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:] in lege autem veteri habebat idem vir plures vxores.

Tertiò præcepta decalogi constituta sunt à nobis in secundo gradu iuris naturalis, legimus autem dispensatum esse in quinto cum Abraham, vt occideret filiū, in sexto cum Osea, vt accederet ad fornicariam, in septimo cum Israelitis, quādo acceperunt vasa aurea, & argentea Aegyptiorum, in quibus profectò non esset dispensatum, nisi hæc mutari possent.

Denique reddere depositum omnium consensu est iuris naturalis, at hoc passim mutatur, vt docet hic D. Tho. ad 1. Etenim. Si depositum, quod apud me habes dominus eius ita postulet, vt mihi, vel innocenti, aut Reip. graue damnum immineat, non est tunc reddendum, sicut nec gladius furioso. Ergo.

Postulat hæc controuersia videamus. An aliquod ius naturale sit mutabile, & quale illud sit? Vbi obseruandum est: sicut in speculatiuis propositiones necessariæ, & naturales sunt in triplici differentiæ: quædam enim sunt sempiternæ necessitatis, quæ nulla ratione falsæ esse possunt aut mutari, vt prima principia: omne totum est maius sua parte. De omni vera est affirmatio, aut negatio. Deus est. Homo est animal rationale. Aliæ sunt necessariæ, & immutabiles secundum ordinem, & constitutione naturæ, possunt tamen per diuinam potentiam, & miraculum mutari: vt cœlum mouetur, ignis vrit. Et ita hęc Deo disponente possunt aliquo tempore esse falsę, sicut fuerunt aliquādo falsæ, tēpore Iosue, & in fornace Babylonis. Alię sunt tertij generis physicę, & naturales, regulariter, & vt plurimum verę, non tamen semper & vbique: vt quod dextera sit robustior sinistra, quod homo nascatur cū quinque digitis, hę siquidem licet naturales sint, aliquando tamen aliter eueniunt. Eadem quoq; ratione accidit in moralibus, sunt enim aliqua ita natura sua iusta & honesta, vt quacunq; ratione ab eis recedatur, committatur necessariò iniquitas, & iniustitia, & ita in eis nulla cadit dispēsatio, nec ius naturale circa illa potest variari, vt prima principia practica. Bonum est faciendum, malum est vitandum: Quod tibi non vis, &c. Et quæ ex his necessariò sequuntur, vt non furaberis: non occides: non est mentiendum. Huc etiam pertinet primum quoddam principium, quod reperitur in vnoquoq; genere rerū, quod ita continet primam, & intrinsecam iusti rationem in tali genere, vt nullo etiā modo variari possit. Vt in matrimonio, matrimonia contrahenda esse quatenus expedit propagationi humani generis. Alia sunt velut in secundo gradu ex sua quidem institutione iusta, sed non ita intrinsecè, & necessariò quin per diuinam ordinationem mutari possint, Deo ita disponente, ac dispensante, vt habere vnā vxorem a iure naturæ est, Deo autem dispensante possunt haberi plures, sicut habuerunt patres Vet. Testament. quia vnum tantum habere expedit quidem ad commodiorem educationem filiorum, & pacificam cohabitationem viri & vxoris, quæ est secundarius matrimonij finis, non tamen est ita intrinsecè necessariū & iustum, vt oppositum nempe habere plures sit simpliciter malum, & concedi non possit. Alia sunt tertij generis iure naturæ iusta, & vt plurimum ac regulariter obseruanda, dimittenda autem aliquando non solum ex Dei ordinatione, verumetiam ex ipsa natura rerum, & recta ratione ita exigente ob aliquā circumstantiam loci, temporis, vel personę: vt reddere depositum à iure naturę est, at si furiosus gladium quem apud me deposuit postulet, vel hostis Reipub. non teneor illi reddere. Viro tenetur vxor iure naturę reddere debitum, non tamen si petatur tempore infirmitatis, aut loco indecenti.

Ex his sequitur solutio propositę controuersię. Ius naturale in aliquibus esse omnino immutabile, & indispensabile, vt in primis principijs, & quę ex illis necessariò deducuntur, quę vocamus iusta primi generis: in aliquibus verò, sed paucis esse mutabile, aut ex diuina dispensatione, aut ex circumstantia aliqua, quę vocamus iusta secundi, & tertij generis: Quo fit vt simpliciter, & absolutè dicendum sit immutabile, cum denominatio sumenda sit à maiori parte, & ex his quæ frequentius, & communius eueniunt. Ita Arist. 5. Eth. c. 7. vbi ait, [sicut in Physicis dicitur aliquid naturale, quia frequenter accidit secundum naturam, licèt possit aliquando mutari, vt hominem aptius vti dextera, quam sinistra, licet contingat aliquando oppositum, vel esse ambi dextrū, ita in moralibus immutabile vocari ius naturale, etsi aliqua sint à iure naturę, quę nōnunquam mutentur.] Simile docet D. August. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 14. Quod si quęras qua ratione licebit deprehēdere, quod ius mutabile sit, quod verò omnino immutabile? respondet idem Arist. [quia ius naturale est ex natura rei, in quibus natura est omnino immutabilis, & ius omnino quoque esse immutabile, in quibus verò natura mutabilis est, ius quoq; mutari posse,] vnde subiungit Arist. [Quia habent dij naturā immutabilem ius est eis omnino immutabile, apud homines verò, quia sunt natura mutabiles ius eorū mutabile est] q. d. iura diuina sicut & Deus ipse immutabilia sunt, humana verò mutabilia, sicut & homines mutari possunt. Quam Philosophi doctrinam sic nostro instituto accommodare possumus. Vt quorum natura immutabilis est (idest) quæ intrinsecè, & natura sua ita iusta sunt, vt habeant omnino intrinsecam, & innatam æquitatem, & opposita eorum intrinsecam innatā iniquitatem, & malitiam ius naturale circa illa sit omnino immutabile, ac indispensabile. Quo nomine omnia principia naturalia per se nota, tàm practica, quàm speculatiua, vt Deus est amandus, Proximus diligendus, Quod tibi non vis: Bonum est amplectendum: Fugiendum malum, sint oīno indispensabilia, & eadem rōne, quæ ex illis deducunt necessariò, vt pręcepta decalogi.

Nec repugnant his, quę de Abraham, Osea, & Israelitis adducta sunt. Abraham enim non egit contra Dei pręceptum, [Non occides] quia in eo (vt infra videbimus) solū prohibetur homicidium iniquum, & contra

rectam rationem, occidere autem aliquem ex præcepto Dei, qui vitæ, & mortis dominus est, nec est iniquum, nec contra rationem.

Oseas verò iuxta communem expositionem illius loci non accessit ad fornicariam, vt cum ea fornicaretur, sed ad mulierem, quæ cum prius esset fornicatrix à Deo præcipiente accepta est ab ipso in vxorem. Quamuis mihi in hac parte plurimû probatur expositio Pauli de Palacio, vt præcipiatur ibi sumere Oseas vxorem virginem, quidem vel honestam mulierem tempore quo nubebat fornicaturam tamen deinde, & fidem matrimonij violaturam. Ita vt vox illa, [sume vxorem fornicationû,] non qualis mulier illa fuisset, vel esset tempore contrahendi matrimonij, sed qualis esset in posterû futura, declaret. Fauet huic expositioni primò vox ipsa, sume vxorem fornicationum siue fornicariam: quæ enim ante matrimonium fornicata est, posteà verò nihil tale committit, sed inuiolatam seruat viro suo fidem, non est dicenda vxor fornicaria, sed iam honesta: secundò, quod subdit [fac filios fornicationum,] filij siquidem illius, quæ leges connubij obseruat, nequeunt dici filij fornicationum: Tertiò, quod sequitur, [quia fornicans fornicabitur terra.] Etenim cum instrueret Deus ostendere Oseæ illo matrimonio, quam iusté esset populo suo infensus, præcipit ei sumat in vxorem mulierem, tempore quidem matrimonij honestã, sed deinde fornicaturam, vt domi suæ experiatur Propheta, quæ Deus ab illo populo Israelitico patiebatur, & iustas vindictæ per Caldæos in illum exercendę causas. Vnde debet esse hic sensus, sume vxorem, quæ nõ seruabit tibi fidem, sed fornicabitur cum alienis, sicut terra hæc Israel fornicata est, & fornicans fornicabitur mihi. Hac ratione quadrat egregiè historia Oseę habẽtis vxorem adulteram cum historia Dei, qui Remp. Israeliticã in primis illis Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob viris sanctissimis, & omnis idolatriæ, ac infidelitatis expertibus, velut honestissimam virginem duxerat in vxorem, vt ex ea filios susciperet veræ pietatis amicos, & ideo bonorum Dei hæredes, at Respub, illa vt mulier adultera, spiritualis illius connubij fide violata, suum Deum derelinquens, & Dijs alienis adhærens, filios genuit idolatras, & in fide fornicarios, cui consonant verba illa Christi ad ipsos. Generatio praua, & adultera, &c.

Vbi miror profectò Mag. Soto virom eruditissimû in suo 4. dist. 33. q. 1. art. 2. & apertius lib. 2. de iust. q. 3. art. 8. iudicasse, præceptum forsan fuisse Oseæ, vt ad illam mulierem non velut propriam, ac legitimam vxorem, sed vt fornicariam accederet, generaretq; ex ea filios fornicationum, & illegitimos, ita vt non peccasset Oseas accedens ad illam, quamuis non suam vxorem. Hoc enim nulla ratione affirmari potest, cum commixtio viri, & fœminæ extra matrimonium ita sit intrinsecè mala, & turpis, vt nulla ratione possit honestari, imò neque Deus in ea dispensare, vt docent D. Tho. & idem Soto in eo loco.

Quod verò pertinet ad Israelitas vasa Ægyptiorum deferentes, certissimum est illos nullum commisisse furtum, nec cum eis fuisse in septimo præcepto dispensatum, vt copiosè infra q. 66. art. 6. cum D. Tho. ostendemus.

Quorum autẽ (vt ad Philosophi verba redeamus) natura mutabilis est (idest) quæ licèt sint iusta, non tamen ita intrinsecè, quin oppositū eorum licita esse, aliquando possint, & rationi consona ex circumstantia loci, temporis, vel personæ, ius naturale circa illud mutabile quoque est, quando recta ratio dictauerit conueoientius esse in tali euentu ius illud non seruari: Recta autem ratio non huius, vel illius priuati hominis, sed aut superioris authoritatem habẽtis, aut totius Reipub. Vnde in huiusmodi, quæ non sunt intrinsecè mala, habet locum Epichia circa ius naturale, imò ius gentium est, velut quædam epichia, & moderatio huius naturalis in eis. Huius generis sunt omnia esse communia, natura omnes nasci liberos, vnicam habere vxorem, reddi depositum, & similia. Sunt quidem hæc iusta iure naturę, non tamen ita intrinsecè, vt opposita sint intrinsecè iniqua, nec possit aliquando dictare recta ratio illa conuenire ex aliqua circumstantia. Propter quod huiusmodi iura mutata sunt, & aliquando est in eis dispensatum. Etenim quia populus fidelis erat apud veteres illos Patres exiguus, dispensatum fuit cum eis, vt plures haberent vxores, vt ploribus filijs generatis Dei cultus, & fidelium numerus augeretur. Quia nullus esset cultus agrorum nisi fieret eorum diuisio, cessauit illa rerum communitas dictante recta ratione. Quia iusto bello comprimendi sunt rebelles, dictante eadem recta ratione superatus in bello iusto, manet seruus illius à quo superatur. Quia furiosus sibi, & alijs accepto proprio gladio, quẽ apud me disposuerat nocere potest, dictat ipsa recta ratio, ne quamdiu periculum istud imminet, gladium illi restituam. Huiusmodi autem mutatio iuris, quæ nascitur ex circumstantia personæ, vel simili causa, vt benè hic obseruat Mag. Soto, non tàm est io iure, quàm in persona, cum semper maneat ius reddendum esse depositum, sed mutatio facta fuit in persona; quia enim furiosus redditur incapacem recipiendi ensem, non tenetur donec sanæ mentis efficiatur illum ei restituere. Qui plura circa hæc desiderat, legat D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. & q. 100. art. 4. & ibi Caiet. & in 5. lib. Ethic. lect. 12. & Mag. Soto in hoc art. & lib. 1. de Iust. & iur. q. 3. art. 8. Nobis dicta sufficiunt.

ARTICVLVS III.

An ius gentium sit idem cum iure naturali.

PRæter ius naturale, & positiuum in quæ facta est prima diuisio Iuris, constituitur tam à Philosophis, quàm Iurisperitis, & Theologis, aliud quod ius vocatur gẽtium, ad quod pertinent omnes illæ regulæ, & consuetudines, quæ ab omnibus gentibus, & nationibus obseruantur dictante recta ratione, tanquam iustæ & necessariæ ad conuictum & societatem humanam. Vt quod legati sint inoxij, quod agri sint diuisi. Exigitur propterea ad rectè intelligendas omnes species iuris, & quæ sint propria cuiq;, quod plurimum refert ad disputatioñẽ de iustitia, vt qua ratione se habeat ius gentium, cum naturali, & positiuo videamus. Huic quæstioni non respondet directè, & apertè hoc loco. D. Tho. imò varijs in locis varia videtur sentire, quo circa, vt ipsius mentem, & quid sentiendum sit in hac quæstione commodius deprę̃hẽdamus, singulorum opiniones tractemus oporteret.

Iurisconsulti constituunt duplex ius naturale, alterum primarium, quod faciunt commune nobis & brutis, alterum verò secundarium, quod vocant homini proprium: Et in hoc secundo genere collocant ius gentium, vnde faciunt ius gentium quandam speciem iuris naturalis, adducti forsan affinitate, & similitudine, quam habent hęc duo iura inter se. Ita docuit Durandus Tractatu de legibus ar. 1. concl. 1. vt refert Turrecremata in can. ius gentium. distin. 1. q. 1. Probaturque hæc sententia varijs rationibus, & testimonijs.

Primò conclusiones, quę reducuntur ad idem principium, & inferuntur per idem medium, debent pertinere ad idem ius quamuis in aliquo distinguantur, sed vim vi repellere, filios alere, quę sunt iuris naturalis, & legatos esse innoxios agros diuidi oportere, quę sunt iuris gentium reducuntur ad idem principium nempe naturam ipsam, & idem medium nempe inclinationem eiusdem naturę, nec in aliquo formaliter differunt, sed in hoc tantum quod est velut accidentale, & materiale, vt ad vim vi repellendam, & alen-

alendam prolem omnia animantia tàm homines, quàm bruta natura inclinet, ad incolumitatem verò legatorum, & agrorum diuisionem solos homines, ergo hæc omnia ad idem ius pertinent: nec alia ratione censenda sunt differre, quàm quod priora illa quæ vocamus iuris naturalis sint iuris naturalis primeui, posteriora verò quæ vocamus iuris gentium sit eiusdem quoque iuris naturalis, sed secundarij.

Secundò, & apertius. Sicut conclusio quæ deducitur, ex principijs Physicis, est Physica, & quæ ex Mathematicis Mathematica, ita quæ ex principijs moralibus iuris naturalis est dicenda moralis, & iuris naturalis. Sed quæ sunt iuris gentium deducuntur ex principijs practicis, & moralibus iuris naturalis Ergo: Maior certa est. Cur enim non furaberis, non occides &c. Sunt iuris naturalis, nisi quia deducuntur ex illo principio naturali practico. Quod tibi non vis, &c. vt habet D. Tho, 1. 2. q. 95. art. 2. & nos ar. præcedenti. Minor verò est eiusdem. D. Tho. eadem q. ar. 4. vbi ait ad ius gentium pertinent quæ deriuantur ex principijs legis naturæ vt quædam conclusiones. Et confirmatur inductione & Exemplo eorum quæ sunt iuris gentium. Iure enim gentium introductæ sunt emptiones, & venditiones, hoc autem ius sic deductum est à principijs naturalibus. cum homo sit animal sociabile debent homines inter se conuiuere, hoc autem obtinere non valent sine mutuis emptionibus, & venditionibus. Ergo. Similiter diuisio rerum, quæ etiam est a iure gentium deducitur a principijs iuris naturalis hac ratione: Cultus agrorum necessarius est ad humanam vitam, a nemine autem colerentur si essent communes, cùm sint homines ad communia desides, & alienorum cupidi. Ergo vt colantur ac pacificè diuidendi fuerunt, & appropriandi.

Tertiò eodem præcepto, & iure quo obligatur quis ad finem obligatur etiam ad media illi fini necessaria, vt eodem iure quo obligamur ad tuendam vitam, eodem omnino tenemur sumere cibum vitæ necessariũ, sed quæ sunt iuris gentiũ sunt iuris omnino necessaria ad tuendum ius naturæ, & ea quæ sunt a iure naturali, vt in exemplis modò adductis est videre. Ergo.

Quartò cum ius naturale non sit ex hominum condicto sed ex natura rerum, & vt dicebat Cicero [quod vis quædam naturæ omnibus inseruit.] quæ sunt iuris naturalis non indigent aliqua speciali constitutione huius, vel illius Principis aut Reip. sed solo naturæ ductu reperiuntur in hominibus: at quæ sunt à iure gentium reperiuntur similiter in omnibus hominibus benè institutis solo ductu naturæ & dictamine rectæ rationis, vt in singulis est videre. Ergo.

Quintò omne ius aut est naturale aut positiuum, ius gentium non est positiuum, Ergo naturale. Maior constat ex præcedenti ar. Minor probatur: primò quia ius positiuum potest mutari, & abrogari à Principe vel Repub. quamuis forsam peccarent illud abrogando, factum tamen teneret, manerentque subditi liberi ab illa lege, vt si tolleret Princeps legem qua statuit iustum pretium tritici sine iusta causa forsan peccaret, liceret tamen vnicuique vendere quanti posset iuxta vsum fori. At ius gentium non potest abrogari à Principe vel Rep. Non enim potest Princeps aliquis efficere vt legati non sint securi, aut euertere diuisiones, & dominia rerum quæ à subditis eius iusto titulo possidentur. Secundò quia ius positiuum non obligat nisi promulgatum, ius verò gentium nunquam est alicubi promulgatum.

Sextò l. 1. ff. de iure, & iust. Vlpia. habet [ius naturale omnibus animalibus, ius autem gentium omnibus hominibus est cõmune,] ius autem quod idem, & vbique reperitur ac omnibus commune est, ex ar. præcedenti est naturale Caius. eodem loco: l. omnes populi: Et Iustitia. Cesar. instit. de iure naturali gentium, & ciuili, ac D. Isido. li. 5. æthimologiarum ca. 4. sic habens. [Quod naturalis ratio inter omnes homines cõstituit, id apud omnes gentes custoditur, & vocatur ius gentium;] ius aũt quod naturalis ratio omnes homines docet, constat naturale esse. Pomponius eodem loco. l. veluti, & Florent. l. vt vim; Religionem erga Deum, parentibus & patriæ parere, vim vi repellere, vocant iura gentium, quæ omnia perspicuum est pertinere ad ius naturale.

D. Tho. non satis apertè, nec certè in hac quæstione loquitur; præsenti enim art. ait iustum naturale duplex esse, aliud quod simpliciter, & absolutè ex natura rerum est iustum, ac debitum, quod vocat adæquatum & commensuratum, vt marem, & fœminam iungi ad prolis generationem, parentes alere suas proles, aliud verò non absolutè, & simpliciter, ac ex sola natura rerum, sed in ordine ad aliquem finem, vt diuisio, & appropriatio agrorum. hęc. n. si agros ipsos secundum se, & vt res quædam sunt respicias, non fuit debita, & necessaria, nec habet hic ager, vt res quædam est ex natura sua, vnde sit magis huius, quam alterius. Si verò consideres agrorum culturam & pacificum eorum vsum, in ordine ad hunc finem fuit iusta, & debita, ac maximè necessaria illa agrorum diuisio, & appropriatio, & hoc in quid est ius gentium: vnde constituit hic D. Tho. velut alterum membrum, & speciem iuris naturalis ipsum ius gentium. Et in solutione secundi arg. seruitutem (quam constat esse à iure gentium) ait pertinere ad secundum modum, vel membrum iuris naturalis eorum, quæ proposuit in corpore ar. Et in solutione 3. affirmat ius gentium non esse ex aliqua speciali institutione hominum, sed ex dictamine rectæ rationis naturalis, ius autem quod à tali dictamine est iuxta ea, quæ ex Cicero. hactenus docuimus naturale est. Idem docet in 7. cap. 5. Ethi. lec. 12. vbi explicans illam diuisionem iusti, quam eo loco proponit Arist. in naturale & positiuum, ius gentium reducit ad naturale ex mente Philosophi. In prima. autem secunda. quæst. 95. ar. 4. docet apertè ius gentium, distingui à naturali, & pertinere ad positiuum; sequitur enim ibi D. Isid. qui loco citato ius positiuum diuidit in ius gentium, & ciuile, eandemque sententiam volunt nonnulli eius discipuli ipsum hoc quoque loco habere. Quia cum habeat. Diu. Thom. de more proponere initio argumenta contraria sententiæ, quam instituit amplecti, & deinde in oppositum argumentum, quod suæ sententiæ fauet, & vltimo loco quæ tanquam sibi contraria initio proposuit tanquam diluere. In hoc art. argumenta probantia ius gentiũ esse naturale initio proponi, & vltimo diluit, argumentum autem in oppositum est illa doctrina D. Isid. quam non diluit, imò relinquit tanquam veram, & amplectendam. Vnde est sententia Thomistarum maximè Cardinalis Turrecre. q. 2. in can. Ius autem. Dist. 1. & q. 1. in can. Ius gentium eadem dist. ius gentium esse speciem iuris positiui: quod probant primo: ex loco adducto D. Isidori. can. illo. Ius autem, vbi diuiso prius iure in naturale & positiuum, hoc positiuum quod diuiditur contra naturale subdiuidit in ius gentium, & ciuile.

Secundo ratione: Ius naturale est absolutè iustum, & necessarium ex natura rei & non ex hominum consensu, aut probabiliter, & congruenter tantum. vt constant ex præcedenti ar. contra Scotum, ius autem gentium non est absolute necessarium neque ex natura rei, sed ex communi hominum consensu, quia ita congruit in ordine ad aliquem finem. Vt quod agri sint diuisi, & hic ab hoc domino alter ab illo possideatur non est necessarium absolutè, nec illud exigit natura agrorum secundum se sumpta, cum possent homines nisi natura ita esset deprauata habere omnia communia: in communi laborare, serere, & metere, ac in communi viuere, vt in Repub. quam instuuebat Socrates. Sed quia natura corrupta est & plena cupiditatis ac pigritiæ, indicarunt omnes nationes, & gentes expedire ac congruere plurimum ad cultum agrorum,

& necem inter homines tuendam, vt diniderentur, & appropriarentur, vnde ex hominum institutione habet ortum ista diuisio velut expediens huic statui naturæ lapsæ.

Tertiò quæ sunt iuris naturalis habent in seipsis naturalem bonitatem,& oppositā illis innatam malitiam. At quæ sunt iuris gentium non habent in se innatam bonitatem, ita vt opposita sint mala, vt patet in exemplo adducto. Iure enim gentium res sunt diuisæ, & appropriatæ, huic iuri opponitur, omnia habere in communi, quod non est malum, cum ita vixerint Apostoli in primæuo illo Ecclesiæ statu, & ita viuatur in Religionibus benè institutis, & vixissent homines in statu innocentiæ in quo nulla fuisset iniquitas aut malitia.

Quartò Ius naturæ complectitur omnem statum, ita vt quæ in statu naturæ corruptæ sunt à iure naturæ non minus essent quoque à iure naturæ in statu naturæ integrè, vt Pietas in parentes, cura filiorum & similia: at eorum quæ sunt à iure gentium multa sunt iusta,& vtilissima in hoc statu naturæ lapsę propter corruptionem naturæ, quę fuissent maximè aliena à perfecto illo statu innocentiæ, vt diuisio istà agrorum. Denique cum natura vnica sit,& simplex ac semper sibi similis, non possunt esse ab eodem iure naturali quæ sibi opponuntur, aliquin daretur perplexitas in lege naturali, quod est impossibile sicut,& in lege diuina. Sed communitas rerum est à iure naturæ similiter libertas omnium hominum, ergo rerum diuisio & appropriatio, quæ reuera illi communitati aduersatur, & seruitus quæ illi naturali libertati opponitur non possunt esse à iure naturæ, sunt autem hęc à iure gentium. Ergo necessariò hęc iura naturale, & gentium distincta sunt.

Ad intelligentiam huius controuersiæ obseruandū est, ius gentium esse medium inter naturale, & ciuile, ac propterea vtrique esse plurimum simile & affine, ac ab vtroque etiam differre: hac enim ratione solent se habere media cum suis extremis. Conuenit ergo in primis cum naturali, quia vtrumque deducitur ex principijs primis,& per se notis iuris naturalis per modum conclusionis dictante recta ratione: de iure quidem naturali patet hoc in præceptis decalogi, quæ sunt velut conclusiones necessario deductæ ex illo principio: Quod tibi non vis, &c. de iure autem gentium patet etiam in exemplis illis adductis à Durando in secundo argumento de emptionibus, & venditionibus, ac diuisione rerum: deducuntur enim quoque ista ex illis principijs. Vita humana in pace, & tranquillitate conseruanda est: Homo est animal sociabile. Ex hac prima conuenientia sequitur secunda, etenim quia vtrumque deducitur ex illis primis principijs omnibus per se notis, efficitur vt hęc quoque iura naturale, scilicet & gentium inde deducta omnibus gentibus sint communia, & ab omnibus dictante recta ratione obseruentur, habeanturque barbari, qui iura gentium non obseruant, sicut qui naturalia transgrediuntur. Conueniunt tertiò, quia sicut ius naturale non est aliqua lex scripta, ad quam constituendam alicubi homines vocati sint & conuenirent, sed illud omnium mentibus innata, quædam vis naturæ inseruit, eadem ratione ius gentium, cum sit conclusio ex principijs naturalibus omnibus notis dictante recta ratione deducta, non est aliqua lex scripta, neque oportuit homines alicubi conuenire ad illud statuendum, sed ab omnibus sula ratione ducente & dictante receptum est, vt iustum, & in illud consenserunt. Ex quo sequitur quarta conuenientia, vt sicut ius naturale, quia omnium mentibus illud natura inseruit non indiguit aliqua promulgatione, vt haberet vim obligandi, ita nec ius gentium, cum recta ratio omnibus illud sufficienter insinuet.

Differunt autem ius naturale & gentium: primò, quia licet vtrumque deducatur ex principijs primis,& per se notis per modum conclusionis, differenter tamen, quia quæ sunt de iure naturali inferuntur in consequentia omnino necessaria ex sola natura rei, absolutè, & simpliciter sumpta, & per modum conclusionis absolutę, & omnino necessariæ, & adeò iustæ, vt oppositum habeat intrinsecam iniustitiam, vt in præceptis decalogi est videre, quæ hoc modo inferuntur ex primis principijs practicis, & pertinent ad ius naturale. Quæ autem sunt de iure gentiū inferuntur quidem ex eisdem principijs discursu, & per modum conclusionis, nō tamen absolutè, & simpliciter necessariæ, ac ea nuda, & sola natura rei, sed congruentis tantum, & conuenientis ad aliquem finem, ratione cuius illud iustum est, & optimum, sed non adeò, vt oppositum habeat intrinsecam iniustitiam: vt in exemplo toties adducto apparet. Diuisio enim bonorum sequitur quidem ex illo principio naturali: Vita humana est in pace, & tranquillitate tuenda: estque optima collectio quę inde deducitur, non tamen absolutè, & simpliciter necessaria, ac ex natura ipsarum rerum, sed congruens tantum, & plurimum conueniens. Etenim vt agricolantur, ex natura ipsorum parum refert habeantur ne in communi, vel sint diuisi, & appropriati huic vel illi domino, posita verò naturæ nostræ corruptione, hominum desidia, & incuria in rebus communibus, multorumque cupiditate & tyrannide, collecta est tāquam maximè congruens, & optima rerum diuisio. Estque maximè congruens hic discursus; Ad humanum victum, oportet agros pacificè coli, ac diligenter, at si essent communes, orirentur innumeræ lites, maleque colerentur, cum sint homines in rebus communibus segniores, ergo diuidantur,& appropientur. Non tamen est absolutè necessarius hic discursus, neque ita conuincit, vt oppositum sit malum & iniquum, nempe esse communes, vt constat de statu innocentiæ, ac primitiua Ecclesia, & Religionibus approbatis.

Hoc primum discrimen (quod pace tanti Doctoris dixerim) non satis obseruauit Magist. Soto, nec 1. lib. de Iustitia, quæst. 5. artic. 4. nec lib. 3. quæst. 1. art. 3. iudicans similiter deduci, quæ sunt iuris naturalis, & quæ sunt iuris gentiū ex primis principijs practicis per viā conclusionis. Ex quo infert præcepta decalogi seclusa lege scripta, esse de iure gentium, dici verò iuris naturalis, quia proximè, & immediatè, & vel vnico discursu ex illis primis principijs inferantur. Nam vt ex modò dictis constat, licèt vtraque deducantur ex primis principijs per modum conclusionis, aliter tamen quæ sunt iuris naturalis, quàm quæ sunt à iure gentium.

Secundò præcepta decalogi simpliciter, & absolutè asseruntur ab omnibus discipulis D. Thom. imò, & ab vniuersa Theologorum schola esse iuris naturalis, nec vllus est præter ipsum Soto, qui illa faciat iuris gentium. Denique si eo tantum nomine dicerentur esse iuris naturalis, quia proximè sequuntur ex primis principijs naturalibus, quæ remotè, & pluribus discursibus ex illis inferuntur, vt fornicationem esse malam, vsuram iniquam, non essent iuris naturalis, quod est, absurdum.

Differunt secundò hæ duo iura, quod naturale cum sit deductum ex primis principijs necessariò, & absolutè nullo modo potest abrogari, neque in totum neque ex parte, etiam si in id homines consentirent, ius autem gentium cum deducatur ex illis, secundum congruentiam tantum, & ordine ad aliquem finem, ac vt circumstantiæ exigunt, potest aliquando ex consensu hominum abrogarij, quando recta ratio ex aliqua circumstantia ita dictauerit. Non quidem in totum, nunquam enim dabuntur tales circumstantiæ ob quas quæcunque sunt de iure gentium dictante recta ratione tollantur, potest tamen ex parte, nēpe aliquod apud aliquos tolli. Ita videmus illud ius gentium, victos in bello iusto manere seruos, inter christianos esse abroga-

tum,

tum, vt patet.ff.de captiuis.l.hostes. Vt si Hispanus Gallum in bello vincat, Gallus non manet captiuus, etiam si bellum esset iustum, quia ambo sunt Christiani, quamuis possit ex iusta causa per aliquod tempus detineri, non tamen vt seruus. Similiter (vt dicemus) si Rex Hispaniæ ex consensu omnium Hispanorum vellet abrogare ius, quo res Hispaniæ diuisæ sunt, & appropriatæ, quamuis forsan peccaret contra optimã gubernationem politicam huius regni, factum tamen reuera teneret, essetque omnia in Hispania communia, nec vllus aliquid sibi proprium possideret. Et hac ratione est intelligendus Magist. Soto, cui ait lib. 3. de Iust. q. 1. art. 3. aliqua esse de iure gentiũ ita necessaria humano conuictui, vt nullo modo liceat in eis dispensare, sed dispensatio in illis esset nulla, constituitque exemplum in diuisione rerum, intelligendus inquam est, si ista rerum diuisio, & appropriatio abrogaretur sola Principis authoritate, & dissentientibus ciuibus: tunc enim ea lis abrogatio esset nulla, & inualida, quia postquam semel facta est rerum diuisio, ciues sunt veri domini bonorum, quæ illis contigerunt, nec possunt eis expoliari ipsis dissentientibus nisi autin pœnam alicuius delicti, aut aliqua necessitate boni communis ita exigente. Quod si ipsi consentiant potest illa appropriatio reuera abrogari, & factum teneret (quamuis non expediat) liceretque cuiuis bona ista accipere absque peccato furti.

Cum iure ciuili conuenit etiam ius gentium. Primò, quia vtrunque deriuatur à iure naturali non necessariò, sed secundum quandam congruentiam. Secundò, quia vtrumque humana ratione discurrente introductum est, & ex consensu hominum, quamuis secundum magis & minus: quia ius ciuile ex beneplacito Principis, vel Reipub. sic enim definitur, [Quod quisque populus, vel ciuitas proprium sibi constituit,]ius verò gentium ex communi consensu, & beneplacito omnium gentium, & nationum, licet non omnino libero, sed quasi vrgente, & instigante dictamine rectæ rationis, quamuis non propterea designat esse ex hominum consensu, quia ad illud vrgeat recta ratio, quia cum illud non sequatur absolutè, & necessariò ex principijs naturalibus, sed secundum quandam congruentiam tantum, vt huiusmodi congruentia haberet vim iuris, fecit communis omnium gentium, ac nationum consensus.

Differunt, verò quia ius gentium deducitur ex naturali, vt conclusio illata ex illo quodam discursu, & syllogismo, quomodo diuisio agrorum deducta est, vt constat ex illo principio Agri colendi sunt pacificè & diligenter: Ius autem ciuile non est conclusio deducta per discursum ex iure naturali, sed determinatio particularis alicuius regulæ vniuersalis ipsius iuris naturalis, vel iuris gentium. Verbi gratia, ius naturale malè factores esse puniendos, quo autem supplicio sint afficiendi non determinat, nec definit ius naturale, statuit illud, ac definit ius ciuile: ita in hac prouincia sunt statuta hæc supplicia homicidis, illa latronibus in alia prouincia alia. Similiter ius gentium est, vt in Repub. sint emptiones, venditiones, locationes, & alij contractus, sine quibus humana societas constare non potest, vt habetur ff. de iust. & iure. l. ex hoc iure. Et Instit. de iure nat. §. ius autem: qua autem ratione fiant isti contractus, quibus pretijs, quibus temporibus, hoc definit ius ciuile.

Differunt secundò, quod ad constituendum ius gentium non oportuit, vt expositum est omnes gentes conuenire, sed sola recta ratione dictante in illud omnes consenserunt, ciuile aũt quia est determinatio particularis alicuius regulæ vniuersalis, & ad res in particulari constituendas, attendendæ sunt necessariò priuatæ, & particulares circunstãtiæ cuiusque prouinciæ, & temporis, oportuit propterea ad condendum ius ciuile homines, cuiusque Prouinciæ, & Reip. in vnum locum conuenire, inter se consultare, & inquirere, qua ratione regula illa vniuersalis suæ prouinciæ, & tempori sit accommodanda, interueniteque authoritatem Princip. vel Reipu. vt illa consultatio, & quod in ea videbitur decerni oportere, habeat vim legis.

Ex his sequitur tertia differentia, vt ius gentium sit omnibus gentibus commune, sicut, & recta ratio, quod illud dictat, & sine vllo scripto, aut promulgatione, sed sola recta ratione illud mentibus humanis insinuantẽ, ius autem ciuile sit particulare cuique prouinciæ, sicut vnaquæque habet suum peculiarem Principem, suam peculiarem authoritatem, suum priuatum statum, ac circunstantias, propter quas quod vni forsan conuenit, alteri non expediet, vnde definitur ius ciuile dist. 1. can. ius ciuile, [Quod quisque populus, vel ciuitas sibi proprium, diuina, humanaque causa instituit.] Et Institut. de iure natu. gent. & ciuili. §. sed ius: dicitur [Aliud esse ius Atheniensium, & aliud Romanorum:] debetque ius ciuile, vt vim habeat, obligandi scribi, & promulgari sufficienter, vt intelligat vniuscuiusque Reipub. ciues, quæ sit in sua prouincia, vel ciuitate particularis determinatio regulæ generalis.

Ex his colligo statuendam esse hanc assertionem.

Ius gentium non continetur sub naturali, sed sub positiuo tanquam vera ipsius species.

Sequor in hac parte D. Isido. & Turrecrem. locis citatis, quibus subscribunt Conrad. 1. 2. q. 95. ar. 4. Soto lib. 3. de iust. q. 1. art. 3. & omnes recentiores Thomistæ: Estque aperta sententia D. Tho. 1. 2. loco citat. & ibidem q. 94. ar. 5. ad 3. vbi ait: [Rerum diuisiones, & seruitutes non esse institutas à natura, sed per rationem humanam:] quæ verò ex humana ratione, & institutione ortum trahunt perspicuum est ad ius positiuum pertinere. Et in hac 2. 2. quæstio. 10. art. 10. seruitutes asserit esse de iure positiuo. Tullius quoque lib. 2. de inuentione cap. 5. diuisionem rerum habet tribuendam esse iuri positiuo. Et ostenditur apertè ex dictis hac ratione ius naturale eo nomine distinguitur formaliter, & propriè à positiuo, quia illud nullo modo pendet ex hominum beneplacito, & consensu, sed simpliciter & omnino est necessarium & iustum ex sola natura ipsarum rerum, ius verò positiuum non est absolutè, & simpliciter necessarium, nec ex natura rerum, sed iustum tantum secundum vtilitatem, & congruentiam, introductumq; hominum beneplacito, & consensu. Sed ius gentium est huiusmodi, vt ex dictis constat, ergo licet sit affine & simile naturali, ac cum illo plurimum conueniat, formaliter tamen & propriè positiuum est. Et confirmatur. Ius naturale, aut est primum principium per se notum, aut conclusio aliqua ex illo necessariò deducta, necessitate absoluta, & sine vllo hominum beneplacito. Ius autem gentium, neque est primum principium per se notum, neque est conclusio ex illo necessariò deducta necessitate absoluta, sed solum collecta, vt vtilis & expediens, & in qua omnes gentes, vt societati humanæ congruentem consenserunt, propter quod dicitur ius gentium, quasi agentibus accipiens vim, & institutionem, Ergo.

Nunc ad argumenta initio proposita, ad quæ diluenda obseruemus prius. Tria hæc ius naturale, ius gentium, & ciuile bifariam sumi à DD. aliquando propriè & strictè, aliquando verò largè, & communi quadam significatione. Ius enim naturale in primis cũ sit, quod infertur ex principijs naturalibus in bona consequentia, siquidem inferatur ex eis necessariò, absolutè, & omnino, est ius naturale propriè strictè, si verò probabiliter tantum & congruenter, dicitur etiam ius naturale, non tamẽ propriè, sed largè tantum, & in communi quadam acceptione: quomodo ius gentium vocatur etiam naturale, secundum hanc posteriorem, & communem acceptionem. Et hoc effecit, vt D. Thom. tam varius in hac q. videatur: In prima enim secun. loco cita. & in hac 2. 2. quæstio. 10. vbi sequutus D. Isido-

rum negat ius gentium esse naturale, sumit ius naturale in sua propria, & genuina significatione, secundum quam vt constat ius gentium, reuera non est naturale: in hoc autem art. & in Ethicis, vbi vtramque complectitur significationem iuris naturalis, facit ius gentium naturale, sumpto iure naturali in illa communi, & ampla acceptione, eo verò propriè sumpto, quatenus iustum naturale, illud tantum est, quod absolutè, & ex natura rei tale est, negat ius gentium esse naturale.

Similiter ius gentium duobus etiam modis accipitur: Iurisperiti enim cum per naturam intelligant solum, & merum instinctum naturalem sine vllo discursu, aut dictamine rectæ rationis, sicut huiusmodi instinctus omnibus animantibus est communis, ita quoque vocant ius naturale, quod iste instinctus omnibus animalibus inseruit, vt prolem alere, se vitamque tueri; quæ verò docet recta ratio solos homines, siue docent illa vt necessaria, siue vt congruentia tantum, vocant ius gentium, quia recta ratio, & discursus solis gentibus, & hominibus conuenit, qua ratione apud ipsos idem omnino sunt ius gentium, & ius naturale, quod est proprium hominibus, vt homines sunt, & recta ratione vtentes. Et iuxta hunc sensum dixit Vlpia. [Ius naturale omnibus animalibus, ius autem gentium omnibus hominibus esse commune.] Pompo. quoque & Florent. dixerunt [colere Deum, obedire parentibus, vim vi repellere, quæ reuera sunt iuris naturalis esse iuris gentium.] Quamuis Caynus paulò cautius videatur loquutus, qui diffiniens ius gentium non dixit, quòd natura, vt alij Iurisconf. [Sed quòd naturalis ratio inter omnes homines constituit, insinuans ius gentium non esse necessarium ex natura rerum, sed ex hominum consensu, & constitutione dictante recta ratione. Theologi verò rem maturius considerantes, videntesque iustum, & ius solis hominibus conuenire, impropriè verò vt diximus tribui brutis, quando agũt de iure naturali, & gentium, de vtroque loquũtur propriè, & in ordine ad solos homines, vocantes ius naturale, quòd apud homines simpliciter ex natura rei iustum est, ius verò gentium quod apud eosdem est iustũ secundum quandam tantum congruentiam in ordine ad aliquem finem, ratione cuius omnes gentes in illum consenserunt, vt expediens & vtilissimum vitæ polyticæ, propter quod non faciunt illud naturale, sed positiuum.

Ius denique ciuile duobus etiam modis accipitur, primò communi quadam ratione, quatenus idem est, quod ius quo vtuntur ciues, in qua significatione ius naturale, & gentium cum vtroque vtantur etiam ciues, & gubernentur ciuitates, dicuntur quoque ius ciuile. In hoc sensu dixit Arist. 5. Ethic. c. 6. [Ius paternum, & dominatiuum dissidere à ratione iuris Polytici, vel ciuilis,] idest à ratione iuris publici quo ciuitas gubernatur. Et c. 7. diuidit ius polyticum nempe ciuile in naturale, & legitimum, siue positiuum, quia vtroque gubernantur ciues. Sumitur secundò, & propriè ius ciuile pro ea lege quam vna quæq; ciuitas, vel Repub. priuatim sibi constituit, quomodo differt plurimum à iure naturali & gentium, sicut explicatum est.

His positis ad primum illud argum. respon. veram esse maiorem, sed minorem falsam, quia ius naturale deducitur ex principijs naturalibus per illationem, & discursum absolutè & ex natura rei necessarium, ius verò gentium per congruentem tantum, vnde non inferuntur per idem medium.

Eodem modo soluitur secundum: fatemur enim illã conclusionem esse Physicam, vel Mathematicam quæ infertur ex principijs Physicis, vel Mathematicis in bona & necessaria consequentia, ac per demonstrationem illam verò quæ congruenter tantum colligitur. & syllogismo probabili, quamuis communi quadam ratione, & materialiter possit dici Physica, vel Mathematica, negamus tamen si propriè & formaliter loquamur, ita dicendum esse, sed dialecticam, cum dialectici sit de quacunque re ex probabilibus disserere. Et ita ad nostrum institutum, conclusio quæ sequitur ex principijs naturalibus, si propriè & formaliter loquamur, dicenda est iuris naturalis si necessariò, & ex natura rei ex illis deducatur, quod si probabiliter tantum, & congruenter, non est iuris naturalis, sed iuris gẽtium, nisi sumamus ius naturale largè & impropriè, & in communi illa significatione iam explicata: quod non solent Theologi.

Ad tertium respon. media simpliciter, & omnino necessaria ad consequutionem alicuius finis pertinere ad idem ius, & præceptum ad quod pertinet talis finis, quæ verò non sunt ita necessaria, sed tantum vtilia, & congruentia, non cadere sub eodem iure, & præcepto: & ita ius gentium non concluditur illo argum. esse ius naturale, quia non est simpliciter, & omnino necessarium ad conseruationem iuris naturalis, licèt sit maximè vtile, & adeò accommodatum, vt difficile sine illo ius naturale obseruaretur.

Ad quartum argum. constat iam ex dictis ius gentiũ esse speciem positiui. Ex duobus autem medijs quibus oppositum in illo argumento videtur ostendi, prius postulat videamus.

AN IVS GENTIVM POSSIT tolli, & abrogari?

IN qua quæstione dico primo ius gentium speculatiuè, & secundum se sumptum abrogabile esse, practicè autem & de facto, secundum omnem sui partem non posse abrogari in vniuersum, & apud omnes. Prius illud ex eo patet, quia ius gentium est reuera (vt probatum est) positiuum, ius autem positiuum cum habeat vim ex hominum consensu, & constitutione, eodem hominum consensu & beneplacito abrogari potest, Ex regula illa: Res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.

Et confirmatur. Quoniam si modò Sum. Pontif. abrogaret omnes leges Ecclesiasticas, & Rex Hispaniæ omnes leges huius regni, licèt peccarent contra optimam, & debitam gubernationem, factum tamen teneret, manerentque homines liberi à legibus Ecclesiæ, & huius regni: Ergo similiter iudicandum est de iure gentium.

Secundò. Quæ sunt iuris naturalis in primo, vel secundo gradu, iuxta ea quæ docuimus art. præcedenti ideo abrogari non possunt, quia quæ illo iure præcipiuntur sunt simpliciter & intrinsecè bona, & iusta, quę verò prohibentur intrinsecè mala, & iniqua, atque pręscribit ius gentium nõ sunt simpliciter & intrinsecè bona, neq; illis opposita intrinsecè mala, vt ex illis exemplis sæpe adductis constat: Diuisio si quidem & appropriatio bonorum nõ est intrinsecè bona, nec habere res in communi est intrinsecè malum, similiter res se habet in seruitute, & libertate. Ergo.

Posterius verò quod de facto non possit abrogari in vniuersum, & apud omnes patet etiam: Primò, quia cum ius gentium sit commune omnibus prouincijs, & nationibus non potest ab hac, vel illa priuatim abrogari, sicut lex condita à toto conuentu coronæ Aragonum non potest à solo Regno Valentiæ priuatim abrogari, sed oporteret ad abrogandum ius gentium omnes Principes, & Respubl. totius mundi in vnum conuenire, & in id consentire, quod moraliter loquendo est impossibile. Secundò, quia ius gentium licèt reuera positiuum sit, est tamen adeò affine naturali, & expediens bono communi societatis humanæ, vt oporteret necessariò amentes & stolidos effici vniuersos homines, si quæcunque sunt de iure gentium in omnibus prouincijs totius vniuersi abrogarentur,

tur, vniuersos autem homines totius mundi ita stupidos reddi nunquam accidet. Tertiò, quia aliqua sunt de iure gentium ita vtilia, & conducentia ad humanum conuictum, vt etiam si omnes Principes imò, vel omnes homines totius vniuersi inter se conuenirent illa abrogare, talis abrogatio esset nulla, velut omnino intolerabilis, & iniqua, ac in destructionem humanæ societatis, & vitæ, ad quod nulla Respub. vel Princeps neque omnes homines simul sumpti habent authoritatem, cuiusmodi sunt immunitas legatorum, securitas viarum, & itinerum, &c.

Ac vt ad nonnulla eorum, quæ sunt de iure gentium priuatim descendamus, Imprimis legatos incolumes esse & vbique securè agere ius esse gentium inuiolabile, & immutabile omnes Theologi docent, nec vllus est, qui oppositum hactenus indicauerit, quia est velut ius naturale, deduciturq. in necessaria consequentia ex illo principio. Quod tibi nouis, &c. Cum nullus Princeps, vel Respub. recta ratione utens vellit suis legatis non seruari fidem. Habent autem hoc ius legati, nisi bonum commune Reipub. aut causa fidei aliud exigat, quia si niteretur legatus aliquis regnum tradere, vel infirmitota ciuitatis explorare, vel disseminare falsa dogmata, & errores, admonendus esset, vt recederet, nec iniiciendæ statim illi manus, cum sic habeat communis omnium nationum consuetudo, quæ est optima legum interpres. Quod admonitus, & exclusus in suis insidijs, vel hæresi disseminanda perseueraret, tunc iam non esset illi seruanda fides, sed iustè caperetur, & puniretur à Principe Christiano, neque ideo abrogaretur legatorum ius, quia sic agentes iam non sunt censendi sed simulati hostes Reipub. vel fidei.

De diuisione rerum an possit abrogari nonnulli ambigunt, sed ita existimo iudicandum, vt in diuisione, & appropriatione bonorum duo possimus considerare, aut commune illud quod agri & bona diuidantur, aut modum quo dominia rerum distributa sunt, & ab alijs in alios transferuntur. Prius illud quod bona diuiderentur est à iure gentium, Posterius verò nempe præscribere modum quo rerum dominia diuidantur, veluti aut donatione, aut emptione, aut testamento, aut iure præscriptionis, &c. petti net ad ius ciuile, quia ius ciuile non solum est particularis determinatio iuris naturalis, verum etiam iuris gentium, determinatque in particulari, quæ ius gentium in communi proponit, sicut determinat in particulari regulas vniuersales iuris naturalis: vnde quod præscribit ius gentium in communi nempe, vt bona diuidantur, & approprientur, determinat ius ciuile in particulari hac vel illa ratione fieri. Ita fit, vt ante quàm fieret rerum diuisio, liberum fuit hominibus illam efficere, aut illa prætermissa omnia relinquere in communi, quia ius gentium est reuera positiuum pendens ex hominum consensu: modus etiam distribuendi, & transferendi dominia potest mutari à Principe, vel Repub. quia habent plenam, & supremam potestatem in ius ciuile, à quo modus iste institutus est. Facta autem rerum diuisione, & tradito vnicuique huius, vel illius rei dominio, rem illam quæ vni cuique iusto titulo contingit, sub ipsius potestate esse, nec illa debere expoliari à iure naturæ est, qua de causa furtum est contra ius naturale, & peccatum mortale ex natura rerum. Et ita nec Princeps, nec Respub. possunt diuisionem iam factam abrogare, aut priuare ciues pro libito suis bonis, non quia ius gentiũ immutabile sit, aut abrogari nõ possit sicut naturale, sed quia postquam aliquis iusto titulo aliquid possidet, ipso facto exigit ius naturale, vt illius rei dominio non expolietur, nisi aut in pœnam alicuius delicti, aut necessitate Reipub. ita exigente. Quemadmodum in matrimonio, & voto hanc, vel illam ducere, aut nullam omnino ex libero consensu pendet contrahentis, hoc vel illud votum emittere, aut nullum ex consensu pendet vouentis, at postquam de facto hanc duxit tenetur omni iure illam habere in vxorem, postquam hoc votum emisit tenetur illud omni iure adimplere, Posset autem quamuis non expediat tolli, & abrogari ista rerum diuisio, & appropriatio, si omnes ciues sua sponte vellent cedere iuri suo, & quæcunque habent constituere in communi ipsis enim consentientibus quamuis forsan peccarent contra tranquillum Reipub. statum, factum tamen reuera teneret, essentque omnia apud eos communia, nec ex eis accipiens committeret furtum. Vnde cum ait Mag. Soto li. 3. de Iust. q. 1. ar. 3. esse aliqua de iure gentium, ita necessaria humano conuictui, vt nullo modo liceat in eis dispensare, sed dispensatio in eis esset nulla, constituitque exemplum in diuisione bonorum, intelligendus est, si illa dispensatio & abrogatio fieret sola authoritate Principis disentientibus ciuibus quia constituti iam veri, & legitimi aliquorum bonorum domini à nullo possunt ipsis renuentibus illis expoliari, possunt tamen ipsis consentientibus, vt explicatum est, & hoc modo ius istud gentium abrogari potest.

Ius quoque illud gentium, vt capti in bello iusto maneant serui abrogatum est à Repub. Christiana, quando fideles inter se bellum gerunt, quia sunt nonnulla de iure gentium vtilia quidem ac conducentia ad humanum conuictum, sed non adeò, quin possint ex circunstantia ab aliqua Repub. abrogari quale est hoc ius gentium de captis in bello, postulat enim recta ratio, vt inter eos, qui eundem Deum colunt, eandem profitentur fidem eadem recipiunt Sacramenta, &c. non sint alij aliorum captiui, & mancipia. Quod si dixeris non potest sola Betica abrogare legem latam toti Hispaniæ, ergo nec Respub. Christiana illud ius seruitutis, quod iure gentium receptum est in toto orbe. Respondeo. Rempub. Christianam cum dirigat suos ciues in finem supernaturalem cui omnia naturalia subordinantur, habere authoritatem moderandi ius gentium, & omnes leges humanas in ordine ad hunc finem, imò & abrogandi omnia iura, quæ sio statui in ordine ad talem finem videtur non conuenire, quale est istud ius seruitutis inter fideles, Nec exemplum adductum est accommodatum: quia Betica non est Respub. perfecta, sed pars alterius superioris, nempe totius Hispaniæ ad quam debet recurrere, & ita non potest legem latam toti Hispaniæ abrogare, sed debet expectare communem totius Hispaniæ consensum, vel decretum Principis totius Hispaniæ, quo lex illa aut tollatur, aut accommoderur: Respub. autem Christiana est perfecta in sua gubernatione, non habens supra se aliã superiorem, sed solum Deum, & eius Vicarium Rom. Pontif. & ita potest ipsa authoritate Rom. Pontif. interueniente abrogare illud ius seruitutis inter suos, quamuis illud toto orbe terrarum introductum sit, & receptum, cum ita videat sibi expedire, nec illud ius ser uitutis adeò sit necessarium ad conuictum, & societatem humanam. Dices rursum si infidelis captus in bello, vel emptus in seruum deinde baptizetur, non desinit esse seruus at iam colit eundem Deum iam profitetur eandem fidem, & recipit eadem sacramenta, non ergo illa de causa debuit ius seruitutis abrogari inter fideles, aut certè deberet seruus infidelis cum primum baptizatur manere liber. Respondeo plurimum differre inter fidelem, qui quando capitur in bello iam existit fidelis, & eum qui quando fuit captus, vel emptus erat reuera infidelis; nam prior ille cum iam esset fidelis, & frater fide, ac Sacramentis eius à quo superabatur, non decuit, vt esset illi seruus, & ita nunquam habuit locum in illo talis seruitus, qui verò quando fuit captus, vel emptus erat infidelis non erat frater fide, & religione, nec dignus tali nomine, & priuilegijs, quæ illud consequuntur, & ita habuit locum in eo seruitus, quam superueniens baptismus non tollit, quia sicut gratia non destruit naturam, ita nec sacramenta dominia, quæ iusto titulo habent fideles sibi acquisita.

Quod secundò affertur in illo argum.quinto ius positiuum non habere vim nisi promulgetur, ius autem gentium nusquam promulgatum esse, dilutum manet ex dictis, in hoc enim conuenit ius gentium cum naturali, & differt à ciuili, quod hoc promulgatione indigeat, illa verò non. Vltimum quod nititur varijs testimonijs Iurisconsult. solutum etiam est ex his, quæ obseruimus antequam dilueremus argumenta initio proposita, constat enim qua ratione Iurisconsulti ius naturale, quod conuenit propriè hominibus, & ius gentiũ non distinguat, sed pro eodem omnino accipiant, cum inter se plurimum distent, & necessariò distinguenda sint sicut à nobis distinguuntur.

ARTICVLVS IIII.

Debeant ne constitui ius Paternum, & Dominatiuum tanquam iura distincta à Polytico.

HAnc quæst. proponit D.Thom. propter Aristot. qui 5.Ethic. ca.6. docet ius paternum, & dominatiuum non esse propriè ius, vel iustum, quale est iustum polyticum, & ciuile, quod reperitur inter duos ciues, vbi nomine iuris polytici non intelligit ius ipsum ciuile, quod alio nomine vocamus legem ciuilem, sed iustum & debitum quod est inter duos ciues. Vult ergo ibi Aristot. iustum siue debitum quod est inter patrem, & filium, inter hærum, & seruum, non esse eiusdem rationis cuius est iustum, quod reperitur inter duos ciues, sed alterius; & hoc ipsum docet D.Thom. Ad cuius intelligentiam.

Obseruemus primò, duobus modis dici vnum hominem diuersum, & alterum ab alio, aut simpliciter & omnino, aut secundum quid, simpliciter, quando non solum sunt duo supposita distincta, verumetiam vnus eorum non est quid alterius, vt duo ciues diuersi: secundum quid, quando licet sint duo supposita distincta, vnus tamen eorum est aliquid alterius: quomodo filius non est alter à patre suo, nec seruus a suo hæro simpliciter, sed secundum quid, quia licèt sit supposita distincta, filius tamen est pars patris, vt ait Arist. 8. Ethic. ca. 4. & semen decisum ab illo, seruus quoque est res domini sui, & instrumentum ipsius, computaturque in bonis ipsius.

Obseruemus secundò matrimonium, licèt sit etiam institutum ad generationem prolis, & in remedium cõcupiscentiæ, potissimè tamen in quandam societatem maritalem: quod apertè insinuauit ipse Deus, dicens: [Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium, &c. Et ita possunt coniuges sine vlla iniuria sui matrimonij, ante ipsius consummationem vouere virginitatem, & manere in vero matrimonio, sicut fuit inter B. Virginem, & S. Ioseph, licèt ambo emisissent votum virginitatis. Ita sit virum, & vxorem non dici vnam carnem, quasi vxor sit aliquid viri, sicut filius est aliquid patris, sed quia sunt vnum corporale principium prolis, ad qood per consummationem matrimonij fiunt vna caro: propriè autem sunt duo supposita, quamuis vnita in vnam communem familiæ gubernationem, & dispensationem. Multò minus est censenda mulier esse aliquid viri, sicut seruus domini sui: imò esset barbarum velle vxori præesse, sicut ancillæ. Propter quod iure cautum est domino accedente ad seruã suam, eo ipso effici illam liberam, quia per coitum facti sunt vna caro, & caro domini non debet eidem esse serua. Est ergo vxor viro, non vt aliquid ipsius, sed vt socia assumpta in maritalem societatem ad domus gubernationem, debentq; illi sicut, & viro filij serui, & tota familia parere.

His positis est prima conclusio D.Thom.

CONCLVSIO PRIMA.

Inter patrem & filium, inter dominum & seruum non est simpliciter iustum, sed secundum quid, nempe paternum, & dominatiuum.

PAtet: Iustum sicut & iustitia est ad alterum, quia ius siue iustum dicit rationem debiti, nemo autem dicitur propriè sibi debitor, sed alteri, vnde qua ratione vnus homo erit diuersus, & alter ab alio, eadem quoque ratione reperiuntur inter ipsos ius, pater autem non est alter à filio, nec hærus à suo seruo simpliciter, sed secundum quid, vt constat ex prima obseruatione, ergo ius, siue iustum, quod est inter ipsos non erit simpliciter iustum, sed secundum quid. Et ita ius patris in filium non dicitur simpliciter ius, sed ius paternum, ius hæri in seruum non dicitur simpliciter ius, sed dominatiuum.

CONCLVSIO II.

Inter virum, & vxorem magis propriè reperitur ius, quàm inter patrem, & filium: dominum, & seruum, nihilominus istud quoque ius, siue iustum inter virum, & vxorem non est simpliciter iustum, sed secundum quid.

PRobatur prior pars, quia ad rationem iuris, & iusti exigitur, vt sit ad alterum, vxor autem est magis altera à suo viro, quàm filius à patre, vel seruus à domino, cum non sit pars viri, neque instrumentum ipsius; sed socia tantum: & velut soror in socialem vitam matrimonij, & administrationem domus, vt constat: Ergo. Probatur altera pars ex eodem principio. De ratione iusti est, vt sit ad alterum, ius & iustum inter virum & vxorem est mutuum iuuamen, quod vicissim sibi præstare debent ad obsequia vitæ, & gubernationem domus, sed quantum ad hoc debitum, & iuuamen vir non debet esse alius ab vxore, sed optimus illius socius: nec ipsa alia à viro, sed optima eius adiutrix, quo nomine est appellata à Deo, cum dixit: [Faciamus ei adiutorium simile sibi,] Vnde cum sit vnus in hoc munere, (quod est potissimum, in matrimonio) quodammodo alterius, non est inter ipsos ius simpliciter, sed secundum quid: & ita non vocatur simpliciter ius, sed ius œconomicum, vel domesticum, seu coniugale.

Contra doctrinam huius ar. maximè priorem conclusionem, nonnulla sese offerunt. Primò. Amicitia minus exigit diuersa supposita, & æqualitatem, quàm iustitia, vt docet Arist. 8. Ethic. c. 8. sed inter patrem, & filium est amicitia verè & simpliciter, & non secundũ quid, vt idem, docet 8. etiam Ethic. ca. 7. & ca. 14. Et 9. Ethic. c. 1. & D.Tho. in hac 2.2. q. 23. art. 1. Ergo.

Secundò oppositorum eadem est ratio, sed si filius occidat patrem, dicetur propriè, & simpliciter commisisse magnam iniustitiam, ergo inter ipsos potest quoque reperiri simpliciter, & propriè iustitia, & similiter ius. Et confirmatur ex D.Tho. qui quæst. seq. art. 9. ait ad rationem iustitiæ illud requiri, vt sit inter diuersos agere potentes: Filius autem diuersus est à patre, & qui se solus agere potest. Adde quod etiam si filij ad patrem non posset esse simpliciter iustum propter rationem D.Tho. quia est aliquid patris, saltem patris ad filium poterit esse simpliciter iustum, cum pater non sit aliqui filij.

Tertiò in diuinis inter Patrem & Filium, est simpliciter & propriè iustitia, quamuis filius sit aliquid patris: Ergo & in humanis. Antecedens est D. Tho. 3.p. q. 1. artic. 2. vbi iuxta eius doctrinam filius dicendus est satisfecisse patri de rigore Iustitiæ, quod autem in diuinis filius sit aliquid patris est de fide, cum totã essentiam habeat à Patre, iuxta illud Ioan. 10. [quod dedit mihi pater maius omnibus est.] Et quæcunque erant

filij

filij erat patris. Ioan. 17. [Omnia bona mea tua sunt.

Quartò inter hominem iustum, & Deum est ius, & iustum simpliciter, homo autem iustus est aliquid Dei, creatura ipsius & magis dependens à Deo, quam filius à patre, Ergo. Minor est de fide. Maior verò est D. Th. 1.2.q.114.art.1. vbi eius interpretes docent contra Durand. meritum iusti existentis in gratia, erga Deum esse meritum simpliciter, & non secundum quid, meritum autem perspicuũ est pertinere ad iustitiam. Imò, vt grauissimi authores sentiunt, non solum inter hominem iustum, & Deum, vt author est gratiæ reperitur iustum simpliciter, verum etiam inter hominem, vt consideratur à Philosopho Morali, & Deũ, vt author est naturæ, ita vt per bona opera moralia mereatur aliquam retributionem à Deo, & per mala supplicium, quod etiam insinuat D. Tho. 1.2.q.21.ar.3. & 4.

Quintò: Quod est simpliciter tale perfectius est, quã quod est tale secundum quid, inter duos ciues reperitur iustum simpliciter, inter patrem autem & filium, secundum quid tantum, ergo præstantius, & perfectius erit iustum, & debitum vnius ciuis ad alterum, quàm filij ad patrem, quod est absurdum; parentibus enim post Deum præ cæteris omnibus debitores sumus.

Sextò; Restitutio est actus Iustitiæ simpliciter, & propriè, quia est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ simpliciter, & propriè iustitia est, at si filius quid furetur à patre, tenetur illud ei restituere non minus, quam extraneis. Ergo reperitur inter ipsos simpliciter iustitia, & similiter ius.

Denique inter patrem, & filium emancipatum, & iam solutum à cura patris reperitur iustum simpliciter, at filius eo quod emancipatus sit, non propterea desinit esse aliquid patris, sicut erat antequam emanciparetur; Ergo. Minor certa est, maior probatur, quia inter patrem filium emancipatum possunt esse emptiones, venditiones, locationes, & alij contractus ciuiles, sicut & inter alios cioes, in quibus contractibus nemo ignorat reperiri iustum simpliciter.

Sed propter hæc non est recedendum à doctrina D. Tho. quam desumpsit ex Arist. 5. Ethic. c. 7. qui est locus adductus ab ipso in arg. in contrarium; & lib. 1. magnorum Moral. cap. 34. imò & rationem, qua illam probat, desumpsit etiam ex Aristot. qui docet 8. Ethic. c. 5. & primo Econom. c. 5. filium non esse alterum à patre simpliciter, sed secundum quid. Ex quo fundamento colligit D. Tho. inter patrem & filium non reperiri iustum simpliciter, sed secundum quid, qoia cum iustum sit ad alterum, ea ratione est aliquid iustum, qua ratione est ad alterum. Et confirmatur primò, quia iustum simpliciter exigit æqualitatem, filius autem non potest reddere æquale patri, ut docet idem Arist. 8. Ethic. c. 4. iuxta illud commune proloquium Dijs, parentibus, & magistris parem gratiam referre non possumus, seruus similiter non potest reddere æquale, cum omnia illius sint sui hæri; Secundò, pietas est iustitia secundum quid, sed debita filiorum erga parentes suos pertinent ad pietatem, ergo, & iustum, quod persoluit filius suo parenti erit iustum secundum quid. Consequentia patet, quia si pietas est iustitia secũdum quid, & obiectum ipsius, ac ius quod illa reddit, erit etiam iustum secundum quid: quod autem pietas non sit simpliciter iustitia, sed secundum quid ostendo, omnium consensu, ac vt infra videbimus q. 80. pietas noo est pars subiectiua, nec species iustitiæ, sed tantum pars potentialis ipsius, pars autem alicuius virtutis, quæ non est species illius, sed potentialis tantum deficit à ratione illius virtutis, sumitque denominationem illius, non quidem simpliciter, sed tantum secundum quid; quo nomine docet D. Thu. 12. q. 57. artic. 6. & in hac 22. q. 5. Eubuliam synesim, & Gnomi vsurpare nomen prudentiæ, non simpliciter & propriè, sed tantum secundum quid, quia sunt adiunctæ prudentiæ, vt partes potentiales illius.

Ad maiorem autem explicationem, & dissoluenda argumenta adducta obseruemus: primò, ius & iustum tria includere in sua propria ratione: primò debitum: secundò, vt sit ad alterum: tertiò, vt reddatur æquiualens: cum iustitia consistat in æqualitate. Hæc tria non sunt ita connexa, quin vnum sine alio reperiri possit: reperitur enim debitum, & non ad alterum, vt cum dicimus debere vnumquemque iure naturæ vitam tueri, potest etiam reperiri debitum, & in ordine ad alterum, sed ita vt noo possit reddi illi æquiualens, vt Dijs, parentibos & magistris: oportet tamen hæc tria simul concurrere, vt propriè, & simpliciter reperiatur iustũ, quidquid desit, deficit illud à ratione iustitiæ simpliciter, vt ex vocibus ipsis est perspicuum.

Obseruemus secundò inter patrem, & filium duo genera actionum reperiri posse, prius est earum quas vicissim sibi debent, vt pater, & filius, qua ratione pater debet filio educationem: filius similiter debet patri honorem, & obedientiam, &c. Posterius verò est earum, quæ sunt communes omnibus hominibus, & his inter quos nullum est affinitatis vinculum, vt emptiones, & alij contractus ciuiles.

Obseruemus vltimò hæc vocabula simpliciter, & secundum quid æquiuoca esse, & duobus modis sumi: primò, quatenus simpliciter significat, quod absolutè, & reuera est tale, secundum quid verò, quod per metaphoram tãtum, aut sinecdochen est tale: quomodo homo viuus est simpliciter homo, mortuus verò, vel pictus est homo secundum quid, vnde orta est illa fallacia: à dicto simpliciter, ad dictum secundum quid. Secundo modo, ita vt simpliciter dicatur aliquid tale esse, quando est perfectum in illo genere, secundũ quid, quando licèt reuera tale sit, non tamen est perfectum, sed deest ei aliqua perfectio: Quomodo ens dicitur simpliciter de ente increato, quia illi nulla ex perfectionibus entis deest, de ente verò creato dicitur secũdum quid, quia ens creatum non habet omnes perfectiones entis, cum sit ab alio.

Ex his colligo inter filium & patrem, hærum, & seruum reperiri verè iustum, & non metaphoricè, non tamen simpliciter, sed secundum quid: Prior pars probatur, quia inter ipsos in primis reperitur verè, & realiter debitum: secundò debitum istud est ad alterum verè, & realiter: sunt enim supposita verè, & realiter distincta, quorum vnusquisque per se ipsum sine alio potest agere, cum vnusquisque seorsum sit suppositum per se subsistens, quod sufficit vt dicatur verè & realiter alter, reperitur etiam tertium, quod exigitur in iusto nempe æqualitas. Aequale enim est duplex alterũ absolutè, quale reperitur in emptionibus, vt cum reddo 100. pro re valente 100. quod est æqoale de toto rigore iustitiæ, aliud verò est secundum proportionem eius, qui operatur, vt cum quis reddit quantum potest iuxta vires suas, licèt illud absolutè, & aparte rei non sit æquale debito, quod æquale sufficit ad veram rationem iusti, & si non perfectã, quomodo qui debet 100. reddit autem sola 50. quia plura reddere non valet, exercet actum verè, & propriè iustitiæ. Et hoc modo reddunt filij parentibus æquale, licèt non absolutè, & perfectè. Vnde inter patrem, & filium verè, & propriè est iustitia, non autem simpliciter, sed secundum quid, vt habet altera pars nostræ assertionis, quia vt reperiatur iustum, simpliciter debet esse ad alterum omnino, ita ut non modò sit suppositum distinctum, & per se subsistens: verum etiam vt non sit pars alterius, tum etiam vt reddat æquale absolutè, & quantum debetur à parte rei, quæ duo cum reperiri non pussint inter filium, & patrem, seruum & dominum, efficitur neque inter ipsos reperiri iustum simpliciter, sed tantom secundum quid.

Et ita nõ dicit pugnantia vt aliqui existimant Mag. Soto cum ait lib. 3. de iust. q. 1. artic. 4. [Inter patrem & filium non reperiri ius simpliciter,] idest perfectè, deinde

inde

inde verò eodem li.q.2.art.2.[ait inter patrem, & filium esse veram rationem iustitiæ.] Et lib.3.de Natura & gratia c.7.[esse proprium,& verum ius inter patrem & filium,& seruum & herum.] Non enim pugnant hæc duo verum ius & perfectum ius, vt ex modò dictis constat.

Ad argumentum verò in oppositum facile est respondere. Primum nihil cōtra nos conuincit,fatemur enim inter patrem,& filium esse veram iustitiam sicut, & amicitiam,non tamen simpliciter iustum, idest non perfectum propter rationes assignatas.

Ad secundum Respondetur,Eodem modo reperiri inter patrem,& filium iustitiam,quo reperitur,& iniustitia,nempe verè, & propriè non tamen perfectè, nec inde inferas iniustitiam contra patrem leuiorem culpam esse: quia grauitas iniustitiæ non sumitur ex modo,quo iustum quod per illam violatur tale est, vtpotè quod sit iustum perfectè vel imperfectè, sed ex magnitudine debiti quod habetur illi contra quem iniustè agitur,quæ magnitudo sumenda est ex vinculo, vel beneficio. Verbi gratia,hominis ad seipsum propriè non est iustitia, dices ne propterea occidentem seipsum leuius peccare,quàm si alterum occidisset? nequaquam:quia licèt mei ad meipsum impropriè sit iustitia,mihi autem plus debeo, quàm cæteris,sicut maiori vinculo mihi ipsi coniunctus sum: proximus enim (vt ille dixit)sum egomet mihi: Quo fit,vt licèt inter patrem,& filium non reperiatur iustum,vel iniustum simpliciter, & perfectè,nihilominus iniustum,quod filius contra patrem exercet,grauior culpa est, sicut & maius est debitum,quod habet filius erga patrem, quàm erga quemcunque alium ciuem, tam ob beneficia ab illo accepta,quàm ob vinculum quo illi coniūctus est: Propter quæ existit inter patrem, & filium specialis quædam virtus, quæ dicit excellentius & maius debitum,nempe pietas: Et iustum, quod contra patrem filius committit, non dicitur simpliciter iniustum, aut delictum,sed facinus impium,& horrendum: Ad confirmationem primam eiusdem arg. dico D. Tho. agere ibi de iustitia verè,& propriè,ac non metaphoricè, nō autem de perfecta iustitia. Et ita solum desiderare eo loco,vt sint supposita verè,& realiter distincta, & per se subsistentia,quod nos etiam hic docuimus. Ad confirmationem secundam dico, neque patris ad filium esse iustum simpliciter & perfectè, quia licèt pater non sit aliquid filij, non tamen est alter simpliciter à filio cum filius sit aliquid eius, & semen decisum ab ipso.

Ad tertium arg.dico in diuinis non esse perfectam rationem iuris,sed quoddam ius nempè paternum, & multò potius,quàm in humanis, quia in diuinis dedit pater filio totum suum esse, & quidquid habet filius est patris: concedunt nihilominus Theologi,& verè,filium incarnatum satisfecisse patri de toto rigore iustitiæ,quia hęc vox de rigore iustitiæ attenditur penes id quod est reddere æquiualens: constat autem Christum Dominum,non solum æquiualenter, sed superabūdanter satisfecisse,& copiosam fuisse nostram redemptionem,adeò vt non potuerit pater illam non acceptare. Nec obstat filium in diuinis,quidquid habet accepisse à patre,esseque ab illo genitum, vt dicatur non potuisse reddere æquale, sicut in humanis dicimus filij non posse parem gratiam parentibus nostris reddere, quia ab eis geniti sumus: quoniam in diuinis pater genuit necessitate naturæ, ita vt non potuerit non generare: in humanis verò pater liberè generat potuissetque illum non gignere,& propter hāc libertatem non potest illi filius æquale compensare.

Quartum Argum,explicandum est iuxta dicta; inter hominem iustum,& Deum esse verè meritum, & iustitiam,dicente B. Paulo [reposita est mihi corona iustitiæ,quam reddet mihi iustus iudex,non tamen perfectè, & simpliciter: Et ad confirmationem dico inter Deum,vt est author naturæ, & hominem considera-tum à Philosopho morali non modò non esse perfectam iustitiam,sed neque rationem iustitiæ, neque illius esse dicendas meritorias, sed tantum secundum quid & methaphoricè, quoniam ad veram rationem meriti,& iustitiæ exigitur, vt extrema sint eiusdem ordinis,quod non reperitur inter Deum,& hominem sine gratia,& sic est intelligendus D. Thomas illo loco, Imò eadem de causa existimo inter Deum, vt est author naturæ, & hominem moraliter sumptum charitatem illam, quæ reperiri potest siue dilectionem naturalem,non esse dicendum amicitiam, cum iuxta Arist. 8.Ethic.cap.9. in eisdem, & circa eadem sint amicitia, & iustitia: inter hominem autem, & Deum sic consideratum non est iustitia verè, & propriè, sed tantum methaphoricè.

Ad quintum neganda est maior: In virtutibus enim non dicitur versus perfectior, aut excellentior nisi ratione obiecti, siue sit simpliciter talis, siue secundum quid: vt iustitiæ hominis ad Deum cum illum colit, quæ dicitur religio, non est iustitia simpliciter, vt ex dictis constat, præstat autem cuicunque iustitiæ, quæ inter duos homines potest reperiri, propter excellentiam obiecti: ita quoque iustitia, siue pietas filij ad patrem. Ad sextum fateor illam esse veram restitutionē, & verè actum iustitiæ comm utatiuæ, non tamen perfectam vel simpliciter iustitiam, quia non est ad alterum simpliciter. Vltimum argum. quærit.

AN INTER PATREM, ET FILIVM iam emancipatum reperiatur iustum simpliciter.

CAiet.in commento huius ar. quam sequūtur nonnulli recentiores Thomistæ vult quacunque ratione sumatur filius nunquam reperiri inter ipsum, & suum patrem iustum simpliciter, quia quacunque ratione sumatur filius est pars patris, & bona, vel mala quæ fiunt vni eorum videntur fieri alteri: confirmatq; ex D.Tho.qui in solutione secundi ait, de patre, & filio posse nos bifariam loqui,aut vt sunt pater,& filius, aut vt sunt duo homines, additque hoc secundò modo esse inter eos aliquo modo iustitiam: Ex quo infert Caiet.si inter patrem, & filium quatenus duo homines sunt, vel duo ciues esset iustitia perfectè,& simpliciter,non dixisset D.Thom.esse inter eos ita acceptos iustitiam quodam modo, sed dixisset simpliciter, maximè cum hoc articulo distinguat inter iustum simpliciter,& iustum secundum quid.

M.Soto quem alij sequuntur volunt adducti illo vltimo argum.à nobis proposito inter patrem, & filium emancipatum reperiri iustum simpliciter, tum etiam quia D.Tho.in hoc art.nihil aliud instituit, quam explicare mentem Arist.in locis adductis.5. Ethi.c.6.& lib.1.Magnorum Moral.c.33.ibi autē Arist. (vt apud ipsum est videre)solùm asserit inter patrem, & filium non esse iustum simpliciter, quamdiu filius est paruulus,idest,sub patria potestate.

Hanc sententiam existimo probabiliorem,Dico igitur cum Soto, & M. Ioanne à Peña viro eruditissimo bifariam posse nos considerare filium emancipatum, aut quo ad iura,& debita naturalia qualia sunt,honores,obsequia,& iuuamina differenda parentibus, aut quo ad contractos ciuiles, priori modo semper est inter eos iustum paternum,quia ista semper persoluit,vt genitus ab illo,posteriori autem modo reperitur inter eos iustum simpliciter, sicut & inter alios ciues: ratio discriminis est,quia quo ad priora iura semper agit, vt filius,nec vnquam reddit æquale, in contractibus autem ciuilibus non agit vt filius, sed vt ciuis, dicaturque si emit à patre rem valentem 10.& reddat 10.reddidisse æquiualens.

Nec efficit ratio aliquorum, etiam in contractibus ciuilibus debere filium seruare pietatem cum patre. Primò,quia non tenetur filius quo ad istos contractus alios

alios leges æquitatis seruare cum patre ab his quas seruat cum alijs ciuibus. Secūdò, quia sicut gratitudo, quā debet vnus ciuis alteri à quo præclara accepit beneficia non tollit inter eos iustum simpliciter in suis contractibus, ita nec gratitudo quam debet filius patri, quando vt duo ciues suos celebrant contractus.

Ad locum illum D. Tho. qui adducitur à Caiet. dico D. Tho. in illa solutione non distinguere inter filiū, vt filium & filium emancipatum: vt ciuem: sed cum inter filium, & patrem sit iustitia non simpliciter, sed secundum quid, volens explicare qua ratione inter eos reperiatur iustitia, & qua ratione ista iustitia inter ipsos sit tantum secundum quid, ait filio duo conuenire; vt sit filius, & vt sit homo quidam idest suppositū per se subsistens, quia est suppositum à patre distinctum reperitur inter eos iustitia, quia verò ita est suppositum per se subsistens & homo, vt sit genitus à patre ac pars eius, non est inter eos iustitia simpliciter, sed solum secundum quid. Hanc autem esse mentē D. Tho. patet ex littera ipsius, primum, quia similiter loquitur de filio, & patre, ac de domino, & seruo, filius aūt est patris sicut seruus domini sui quādiu est sub patria potestate, non quando iam est emancipatus. Deinde ex eo quod addit, [Quia filius est quidā homo diuersus à patre dātur leges præscribentes qūo se habeat habere pater cum filio, & Dominus cū seruo.] Certum aūt est leges illas agere de patre erga filium, quem adhuc habet sub cura sua; cum emancipato enim iam non tenetur seruare nisi leges cæteris ciuibus communes. Vnde iuxta D. Tho. tribus modis potest considerari filius, aūt vt genitus, & pars patris, aut vt quidam homo, & suppositum distinctum à patre; aut vt ciuis quidam, & iā sui iuris, quatenus homo quidam est, & suppositum distinctum est inter eos, verè iustum, quatenus filius, & quo ad iura paterna istud iustum non est simpliciter tale, sed secundum quid, quāuis debitum excellens, & plusquam iustitiæ nempe pietatis, quatenus autem ciuis, est inter ipsos in contractibus ciuilibus quos inter se exercere continget iustum simpliciter, sicut & inter alios ciues inter se in suis contractibus.

QVÆSTIO LVIII. DE IVSTITIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

An rectè definiatur iustitia perpetua, & constans voluntas ius suum vnicuique tribuens.



EXPLICATO proprio obiecto iustitiæ agit iam de ipsa D. Tho. ab eius definitione ducens initium. Afferuntur à DD. variæ iustitiæ definitiones: nam à B. Anselmo in lib. de veritate definitur, [Rectitudo cum proximo.] Ab Arist. 5. Ethi. cap. 1. Habitus secundum quē dicimur operatiui iustorum.] A Theologis [Virtus suum cuique tribuens. Quam definitionem habent etiam Cic. lib. 2. de Inuentione cap. 5. lib. 1. officio. ca. de iustitia, & lib. de natura Deorum. D. Amb. lib. 1. officio. cap. 24. D. August. lib. 19. de ciuit. cap. 21. lib. de Quantitate animæ cap. 9. lib. 1. de libero arbit. c. 6. & 13. lib. 8. de Trinit. cap. 6. Magis autem recepta, & communis in Scholis est illa Vlpia. l. Iustitia. ff. de iure, & Iust. quàm proponit hic D. Tho. in titulo huius art. & quam ab Vlpian. mutatus est Iustinianus Cæsar instit. de iure, & iustit. propter quod agit de ea hic D. Tho. tum vt magis vsitata, tum quia hac definitione rectè intellecta redduntur magis perspicua, quæ exiguntur ad rationem iustitiæ virtutis.

Ad quam optimè percipiendam obseruemus primò, in habitibus proprium actum cuiusque habitus in ordine ad suum proprium obiectum esse velut propriam formam & differentiam illius habitus: quo fit, vt sicut species constituuntur, distinguntur, & deffiniuntur per suas differentias essentiales, ita & habitus per suos proprios actus, & obiecta.

Obseruemus secundo: omni virtuti hæc tria conuenire, primò vt actus ipsius sit per electionem idest à sciente, & volēte, quod enim per ignorantiam aut violentiam fit nec studiosum est nec laudabile, actus autem virtutis studiosus est, & laude dignos, cum honor sit proprium præmium virtutis. Secundò debet proficisci à voluntate deliberata exercere actum illum quotiescunque opportuerit, à voluntate in quam deliberata, qui ex vno, vel altero actu verbi gratia abstinentiæ, non est dicendus aliquis abstinens, neque qui habet animum abstinendi tantum diebus quibus sibi videbitur, nec instituit abstinere quotiescunque oportebit, & debebit, addo quotiescūque debebit, quia continuò, & perpetuò elicere actum alicuius virtutis non est huius vitæ, nec præcepta virtutum cum pleraq; sint affirmatiua obligat pro sempee, sed pro loco tantum, & tempore, vnde requiritur ista deliberata voluntas secundum animi præparationem. Exigitur tertiò vt hæc deliberatio voluntatis sit firma, & constans, improbi namque, & mali habent sæpe istam deliberationem, nec propterea tribuimus eis virtutes, quia non sunt in illa firmi, & constantes, sed in tempore tentationis recedunt, velut illi de quibus dicitur. Psalm. 77. [Filij Ephrem mittentes, & intendentes arcum conuersi sunt in die belli.] Est ergo actus virtutis. Actus voluntatis liberè eligentis, & paratæ ad bonum quotiescunque opportuerit, firmiter ac constanter.

Obseruemus vltimò, cū habitus sint propter actus, & per ipsos natura habituum explicetur nonnūquam DD. in definiendis virtutibus sumere actum pro habitu à quo elicitur, velut effectum pro causa: ita definit D. August. fidem, [Credere quod non vides,] Sumens actum pro habitu quo credimus quæ non videmus. Et D. Ansel. definit iustitiam,] Rectitudinem cum proximo.] Idest habitum quo seruamus rectitudinem cum illo. His positis sit.

CONCLVSIO I.

Definitio iustitiæ proposita à Vlpiano optima est.

PRobatur, habitus definiendi sunt per suū proprium actum, & obiectum: obiectum proprium iustitiæ est ius, proprius actus ipsius constituere æqualitatem inter ciues, quod efficitur tribuendo cuique sua, & suum ius: hæc autem duo continentur in hac definitione Vlp. Ergo.

CONCLVSIO II.

Rectè definitur iustitia voluntas perpetua, & constans.

SVmendo voluntatem non pro ipsa voluntate, quę est subiectum iustitiæ, sed pro actu voluntario, & libero, sicut cognitio principiorum vocatur intellectus, idest actus intellectus, quomodo sumitur hic voluntas à Vlpia. Probatur: In definitione exprimēdum est proprium genus rei definitæ proprium genus iustitiæ est virtus, ad virtutem verò exigunt illa tria, primò vt actus ipsius sit voluntatis liberæ elicientis, quod significat in proposita definitione vox ista voluntas. Secundò vt sit voluntatis deliberatæ ad semper secundum animi præparationem, quod significat vox perpetua: Tertiò vt sit firma & fixa nullo modo retrocedens

ab

ab illo firmo proposito iusti, & honesti quod significatur illa voce constans, ad significandam igitur virtutem, quæ est proprium genus iustitiæ accommodatissimæ sunt istæ voces voluntas perpetua, & constans.

CONCLVSIO III.

Optimè definitur iustitia per voluntatem.

IDest per actum voluntarium sumendo actum loco habitus, quasi dicamus; iustitia est habitus, seu virtus moralis secundum quam constanti, & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuitur: Patet hæc, quia vt constat ex terna obseruatione sæpè in diffinitionib. vtuntur DD. actu loco habitus.

Circa hunc art. hæc solum se offert controuersia.

AN HAEC DEFINITIO IVSTITIAE *proposita ab Vlpian. sit adæquata complectens omnem iustitiam?*

BVridianus 5. Ethic. q. 2. iudicat hanc diffinitionem diminutam, nonnulli etiam iurisperiti vt Bart. & Accurs. volunt eam non conuenire omni iustitiæ sed solum diuinæ quia illa solum perpetua, & constans est, humana verò mutabilis, & quæ facilè corrumpitur, Sententiam suam probat Buridianus, quia si definitio ista esset adæquata complecteretur omnem actum iustitiæ, at ex eodem Vlpian. eodem loco, iuris præcepta sunt hæc tria, honestè viuere, alterum non lædere, suũ vnicuique tribuere, proposita verò definitio vt ex ipsa patet non complectitur ista tria, sed solum vltimum. Ergo.

Secundò qui patitur aliquod supplicium iustè sibi impositum seruat quidem iustitiam, non tamen reddit alicui suum ius, quia reddere dicit actionem, hic autem patitur.

Tertiò iustitia legalis est iustitia, nec tamen reddit alicui suum: Maior certa est, minor probatur, quia qui violat iustitiam legalem non tenetur aliquid restituere, vt qui non tuetur Rempub. pro viribus, & ita nulli reddit aliquid suum.

Quartò omnis virtus est essentialiter rectitudo, quia est habitus electiuus, & essent aliter bona qualitas mentis ex D. autem Tho. hic ad secũdum iustitia non est rectitudo essentialiter, sed causaliter tantum, & efficienter. Ergo.

Oppositum docent omnes interpretes D. Thom. in hoc ar. hac efficacissima ratione adducti, cum habitus distinguantur, & diffiniantur per sua propria obiecta, illa diffinitio est habitui adæquata quæ redditur per proprium, & adæquatum obiectum ipsius, proprium, & adæquatum obiectum iustitiæ, est iustum, & æquale, quod vel ex eo constat quia quæcunque iustitia, & quiuis actus ipsius huc pertinet, & hoc præstat, nempe constituere iustum, & æquale inter homines, hoc autem efficitur reddendo vnicuique suum ius: Ergo hęc definitio cum reddatur per hoc quod est reddere cuique suum ius censenda est adæquata.

Ad primum argum. quod est potissimum. Respondetur. Vlpia. quando ait honestè viuere esse præceptũ iuris, non sumere ius pro iure vel iusto quod est obiectum iustitiæ, sed pro lege, vnde non vocauit illa tria actus iuris sed præcepta iuris inter quæ nihil prohibet reperiri aliqua, quæ non pertineant ad virtutem iustitiæ, sed ad honestatem vel alias virtutes: In legibus enim quamuis primarius, & præcipuus legislatoris finis vt ciues suos ad se inuicem benè, & rectè componere, in quo consistit bonum publicum, habet nihilominus nonnunquam pro secundario fine efficere illos studiosos, & honestos in se ipsis, maximè quando illa priuata bonitas ipsorum est necessaria vel maximè vtilis bono communi, & paci Reipub. Et hac de causa continentur etiam inter leges multæ præcipiẽtes temperantiam, & alias virtutes diuersas à iustitia, ratione quarum constituit Iurisconsulti inter præcepta iuris honestè viuere. Dico etiam hoc quod est honestè viuere, sumi posse duobus modis, Primò generali quadam acceptione quatenus est idem quod studiosè agere, & viuere secundum rectam rationem, qua ratione non pertinet priuatim ad iustitiam, neque est peculiaris actus ipsius, sed est quid commune omni virtuti, cũ omni virtuti conueniat honestè, & studiosè agere. Secundò modo accipitur contractus in ordine ad alterum, ita vt idem sit honestè viuere, quod seruare honestatem proximis debitam, non violando eorũ vxores, filias vel iura, soluendo debita ipsis: sic enim agens honestè viuit, quod genus honestatis pertinet quidem ad iustitiam, vt docet Aris. 5. Ethic. c. 1. & docebit D. Tho. in hac q. ar. 5. & 6. vbi ostendet pertinere ista ad iustitiam legalem.

Quo ad aliam partem nempe alterum non lædere, dico id quoque duobus modis accipi, vno modo, vt dicit negationem, qua ratione non solum non est actus iustitiæ, sed neque vllius alterius virtutis, imò neque est actus, sed pura negatio, quæ etiam conuenit prauis, & iniquis hominibus dormientibus: alio modò sumitur positiuè, qua ratione dicit propositum firmum non lædendi aliquem, & hoc modo est proprius, & peculiaris actus iustitiæ, quæ non oportuit in ista definitione exprimere, quia continetur in illo, quod est ius suum tribuere: In moralibus enim in actu affirmatiuo, & positiuo continetur quod accessorium est, & contrarium, vt in illo positiuo fac bonum continetur prohibitio contrarij, declina à malo, vt docebit infra D. Tho. q. 79. art. 1. ad 3. Et ita in hoc, quod est tribue vnicuique suum ius, continetur ne priues illum sua re, neque vxore, neque filia, neque honore, neque vita, neque bonis, & consequenti in nullo ei lædas. Vnde docent discipuli D. Tho. omnem virtutem, & potentiam habere duos actus alterum præcipuum, & primarium quo prosequitur suum obiectum, alterum minus præcipuum, & secundarium quo abhorret ab opposito, & contrario sui obiecti, qui secundarius continetur implicitè, & virtutem in illo primario tanquam illi accessorius, & consequens.

Ad secundum Respond. illum sic punitum reddere vnicuique suum ius, quia per illud supplicium, vel pœnam quam patitur reddit vel lęso, vel Reipub. vel legi, quam violauerat debitum, & æquiualens.

Ad tertium dico transgrediẽtem iustitiam legalem etiam si non teneatur ad aliquid restituendum, expoliare nihilominus alium suo iure, vt copiosè docebimus in hac quæst. ar. 5. 6. & 7. Ex quo sequitur, vt qui seruat iustitiam legalem reddat, vel Reip. vel suo conciui, vt pars Reipub. est suum ius.

Ad vltimum respond. rectitudinem varij: posse reperiri in actibus humanis, primò in intellectu practico tanquam in primo regulante intrinseco, & immediatè secundò in habitu tanquam in secundo regulante extrinseco, & foras aduenientе, siue sit habitus infusus, siue acquisitus, tertiò in voluntate, quam reddunt rectam, & intellectus practicus, vt illius dux, & habitus studiosus, vt illius perfectio, & forma in tali genere, quartò in actu exteriori tanquam in effectu, & participatiuè. Et ita rectitudo iustitiæ reperitur etiam in his quatuor, in intelllectu practico iudicante hoc esse iustum, & agendum, in iustitia ipsa ad illam rectitudinem, & æqualitatem inclinante, in voluntate mota ab intellectu, & inclinata ab habitu iustitiæ ad reddendũ ęquale, & seruandum ius, in actu denique exteriori in quo æqualitas illa seruatur. Ex quibus sequitur, iustitiã in se ipsa esse essentialiter rectam, qui essentialiter est habitus inclinans ad reddendum æquale, quæ inclinatio intrinsecè, essentialiter est recta, secundò efficere rectam voluntatem formaliter, quia voluntas

est

est iusta à iustitia formaliter, & propriè, tertiò constituere rectitudinem in actu exteriori causaliter, & efficienter, quia est principium efficiens eliciendi illum actum rectum. Et ita est intelligendus D. Tho. cum ait iustitiam habere rectitudinē causaliter; & efficienter, loquitur de actu exteriori iusto: Hæc doctrina redditur perspicua exemplo albedinis: albedo si quidem in seipsa essentialiter est albedo, & color, in homine etiā albo formaliter reddit illum album, est enim forma eius in genere albi, non tamen est homo albus essentialiter, sed accidentaliter tantum, & efficienter ab albedine tamque ab extrinseco.

ARTICVLVS II.

An Iustitia sit ad alterum.

ARticulos hic ex his, quæ diximus præcedenti quæs. ar. 1. facilis est, explicandus nihilominus quia in eo non tam instituit D. Tho. ostendere iustitiam esse ad alterum, quàm docere qua ratione sit ad alterum, quod tractat Aris. 4. Ethic. c. vltimo. Et 5. Ethic. c. 11.

Obseruemus igitur primò, hic non esse sermonem de iustitia qua iustificamur, nec de sanctitate, quia illa non dicit ordinem ad alterum, sed ad propriam tantū gratiam, & merita, ac virtutes quibus Deo subijcimur, sanctitas verò dicit ordinem ad Deum, ad proximum, & nos ipsos, quia sanctus & iustus debet, & cum Deo, & cum proximo, & in seipso esse benè compositus. Sed loquimur hic de iustitia, quæ est peculiaris virtus moralis, quæ præcedenti art. definita est, quæ cum dicatur reddere vnicuique suum, nititur nunc explicare D. Thom. qualis sit is, cui suum ius ex iustitia reddendum est.

Obseruemus secundò: cū habitus sint propter actus, sicut actus, vt sæpe docet Arist. non sunt partium, sed suppositorum, non enim dicitur manus percutere, sed homo per manum, ita & habitus, ac virtutes propriè non dicuntur huius, vel illius partis, licet in hac, vel illa, vt in subiecto existant; sed totius hominis, non dicitur voluntas, aut intellectus abstinens, iustus, aut fidelis, sed homo ipse.

Obseruemus tertiò: sicut in naturalibus potest aliquid esse verè, & propriè tale, non tamen perfectum, vt homo cęcus est verè, & propriè homo, sed imperfectus, ita in moralibus posse reperiri in aliquo verè, & propriè, fidem, spem, aut iustitiam imperfectè tamen.

CONCLVSIO I.

Iustitia propriè, & verè debet esse ad alterum suppositum distinctam.

PRobatur: Iustitia habet hæc duo, vt constituat æqualitatem, ac vt sit principium actus iusti, æqualitas cum sit relatio non potest esse nisi inter duo extrema distincta, nihil enim dicitur sibi æquale, actiones quoque non sunt partium, sed suppositorum, ergo iustitia propriè sumpta, qua parte est principium actus iusti debet reperiri inter aliqua supposita, qua parte habet constituere æqualitatem exigit illa supposita realiter distincta: Ideo dixit Arist. 5. Ethic. ca. 1. [Iustitiam solam ex omnibus virtutibus esse bonum alienum idem habet D. Hieron. in Psalm. 14. [Iustitiam ea agere, quę alteri conferunt principi, Reip. vel ciui.]

CONCLVSIO II.

Impropriè, & methaphoricè potest dici iustitia vnius partis ad alteram.

VT cum vna manus alteri ministrat, & oculi pedibus, pedes verò oculis deseruiunt, aut vires inferiores superioribus, dicitur esse iustitia inter istas partes quatenus sibi inuicem debita persoluūt, & cum quadam æqualitate, impropriè tamen, & metaphoricè, cum non sint supposita distincta, iuxta hūc modum dixit D. Aug. 2. de Genesi ad litteram ca. 11. [Iustitiam pertinere ad omnes animę partes.] & 19. de ciuit. Dei c. 21. Et in lib. de morib. Eccles. [Exigere iustitiam, vt ratio imperet appetitui, & appetitus obediat rationi.

CONCLVSIO III.

Inter Deum, & hominem, inter patrem, & filium licèt non reperiatur perfecta iustitia, nec simpliciter, sed secundum quid, quia homo est aliquid Dei, & filius aliquid patris, nec potest homo æquale reddere Deo, aut filius patri, reperitur tamen verè, & propriè inter ipsos iustitia, ac non methaphoricè.

CVm sint supposita verè, & realiter distincta: hæc satis explicata est q. præceden. ar. 4.

CONCLVSIO IIII.

Quamuis iustitia sit ad alterum non est necesse illum alterum actu existere, sat est vt possit aliquando esse.

PAter, quia iustitia, quæ est virtus, est habitus voluntatis liberæ, & firmiter determinatæ reddendi vnicuique suum quando oportuerit, & ita non exigit nisi deliberatam animi præparationem: hæc autem potest haberi erga eum qui nondum est, sed pro tempore erit: Vt qui habet apud se depositum vel legatum reddendum ei qui nondum est natus: cum habeat paratum animum reddendi legatum illud cui mandatum est, est iustus. Sicut si haberet animum non reddendi illud esset iniustus: Ergo.

Ex quo sequitur ab æterno fuisse in Deo iustitiam verè & propriè, quia licèt nulla creatura fuerit coęterna Deo, voluit tamen ab æterno quidquid iusti deinde in tempore exequitur actu, vt copiosè docet D. Th. 1. par. q. 21. Et 1. 2. q. vlt.

Offerebat se hic q. An inter Christum, & patrem æternū fuerit propriè, & perfectè iustitia, sed hæc quæstio non est huius loci, disputatur enim 3. p. q. 1. art. 2. Interim dico fuisse inter ipsos verè propriè, & perfectè iustitiam cum sint supposita verè, & realiter distincta, reddideritque Christus pro nobis satisfaciens non modò æquiualens sed superabundans, quæ sufficiūt ad veram, & perfectam rationē iustitiæ: nec obstat quod inter Deum cui fiebat satisfactio, & Christum dominum qui satisfaciebat, non fuerit distinctio realis, cum Christus sit verus Deus, sufficit enim fuisse in ipso realem distinctionem duarum naturarum, secūdum quas satisfaciebat, & recipiebat satisfactionem. Satis faciebat enim patiendo, & patiebatur secundum naturam humanam, & ita secundum eam satisfaciebat: recipiebat verò illam satisfactionem vt offensus, offensus autem erat secundum naturam diuinam quæ distinctio naturarum in Christo est sufficiens ad veram rationem iustitiæ. Ad perfectionem verò, & integritatem æqualitas, & super abundantia solutionis: quia integritas, & perfectio iustitiæ in satisfactione ex æqualitate solutionis cum debito sumenda est, vide hic Caiet. ad 4.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An Iustitia sit virtus.

Conclus. est affirmans. Probatur ex diffinitione virtutis, definitur enim ab Arist. 2. Ethic. c. 6. [Quæ facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit,] Sed iustitia præstat hæc duo: imprimis reddit bonum habētem illam, quia bonitas moralis sumitur ex voluntate benè ordinata, iustitia autem facit vt voluntas viri iusti sit benè ordinata ad alios: Reddit etiam iustitia opus iusti bonum, & rectum, quia: rectitudo & bonitas actus humani sumitur à recta ratione tanquam à sua propria regula, sed nihil magis consonum rectæ rationi quàm reddere cuique quod suum est, quod est actus iustitiæ. Est ergo iustitia principium actus recti, redditque bonum actum viri iusti. Et consequenter virtus.

Duplex se hic offert dubitatio: Prior est, Iustitiam superius distinximus ab alijs virtutibus, quia rectum aliarum sumitur in ordine ad agentē propter quod actus earum non sunt recti nisi fuerint ornati omnibus debitis circunstantijs, rectum autem in iustitia non sumitur in ordine ad agentem sed solum in ordine ad alterum cui aliquid debetur, etiam si desint debitæ circunstantiæ. Ex quo discrimine sic nunc argum. Bonitas moralis existit debitum finem, & circunstantias, in iustitia hoc non exigitur in operante, ergo iustitia non reddit bonum habentem, nec facit bonum opus ipsius neque est dicenda virtus.

Posterior dubitatio: Honor est proprium præmium virtutis propter actus enim virtutum laudamur, at qui se exercent in actibus iustitiæ commutatiuæ vt mercatores & exercentes negotia, & in actibus iustitiæ vindicatiuæ seu punitiuæ vt iudices, & ministri iustitiæ sunt quasi infames adeò vt hæc exercitia interdicantur Ecclesiasticis. Ne clerici vel Monachi per varia capita.

Prior dubitatio facilè tollitur si cōsideremus aliud esse loqui de actu iustitiæ, aliud verò de ipsa iustitia, in actu iustitiæ vt sit rectus in tali genere sicut quæst. præced. ar. 1. copiosè docuimus solum respicimus quid debeatur alteri, ita vt si reddatur quantum debetur, habeat actus ille rectitudinem in tali genere, quacunque ratione ab agente procedat, iustitia verò quæ est habitus interior habet secundum se benè ordinare voluntatem, quæ cum benè ordinata non sit, nisi respiciat debitum finem, & circunstantias, efficitur vt iustitia ex suo genere inclinet ad eliciendum actum cum debito fine, & circunstantijs, itaque sit quantum in ipsa est reddere habentem bonum, & efficere bonum opus ipsius: quod si eliciens actum aliquando non respiciat debitum finem, nec seruet debitas circunstantias hoc per accidens est, & culpa operantis, tribuendumque ipsi, & non iustitiæ: imò tunc non agit ex habitu, neque actus ille quamuis iustus materialiter, formaliter autem vt docuimus non est iustitiæ virtutis: Et in hoc differt iustitię virtus ab arte: virtus enim habet duplicem operationem, immanentem, & transeuntem, primò, & per se respicit illam immanentem, nempe electionem voluntatis amplectentis deliberate, & firmiter bonum, quæ est propria & præcipua operatio virtutis, propter quod diffinitur bona qualitas mentis, secundario verò, & media immanente respicit transeuntem, & externam, tanquam effectum illius internæ, & immanentis: sicut prima operatio peccati est interior, & immanens electio mali in voluntate, secundaria vero externa quæ est actus peccati. Qua de causa dicimus actum exteriorem nihil bonitatis vel malitiæ addere interiori, imò contra, quidquid bonitatis vel malitiæ exteriori conuenit illud recipere ab interiori, iuxta illud Christi Matth. 15. de corde exeunt adulteria, homicidia, &c. Ars verò primò, & præcipuè respicit operationem externam, & opus exterius, cognitionem autem internam secundario vt medium ad opus externum faciendum.

Ad alteram dubitationem dico omnem actum virtutis esse laude dignū, esse nihilominus aliquot actus virtutum quidem, sed qui communiter non laudantur, vel malè audiunt, duplici modo: primò quādo dantur diuersi gradus in eadem virtute, & si omnes illi sint laude digni, non tamen solemus commendare nisi excellentiores, vt in castitate datur castitas coniugalis, vidualis, & virginalis, meretur quidem laudem coniugalis cum sit etiam virtus, sed quia virginalis, & vidualis excellentiores sunt commendatur hæc, illa vero non tanti fit. Alio modo solet actus alicuius virtutis, & si secundum se laudabilis, non solum non commendari verum etiam male audire, quando communiter illum exercentes non benè se habent, ita dicebat Bea. Pau. 2. Corin. 9.

[Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. [q. d. ne culpa nostra efficiamus vt ministerium ex se laude dignum vituperetur: ita in iustitia accidit mercatura, & negociatio si rectè exerceantur laudabiles sunt, & maximè necessariæ Reipub. vitio autem mercatorum quorum plerique non tam prouidendæ Reipub. quam proprijs lucris, & quæstui student, mille mendis, & vsuris mercaturam replentes, effecerunt vt isti contractus licèt actus iustitiæ commutatiuæ male audiant. Actus quoque iustitiæ punitiuæ commendandi sunt. Moses enim Exod. 32. spiritu Dei plenus accepto gladio illam in idolatras exercuit, & omnes iustos ad simile fuit adhortatus dicens. [Si quis est domini iungatur mihi.] Et facta multorum cede dixit, [Consecrastis manus vestras hodiè domino vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.] Samuel. 1. Reg. 15. proprijs manibus exercuit actum iustitiæ vindicatiuæ in Regem Amalech quem quia non exercuerat Saul grauiter deliquit. At quia exercetur plerumque modo hęc iustitia à vilibus hominibus, & crudelibus, non tam zelo iustitiæ, & boni communis quàm ob lucrum, & quęstum, vel inanem gloriam, male culpa ipsorum audit.

Solutio 2. Argum. quam habet hic D. Thom. Obseruanda est contra aliquos hæreticos nostri temporis asserentes opera satisfactoria cum sint actus iustitiæ, nec meritoria esse nec laude digna, quia iustitia respicit debitum, persoluens autem id quod debet nihil (inquiunt) meretur, dicente Christo. [Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite adhuc serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus.] Quibus optimè occurrit hic D. Tho. docens, quod vel solo lumine naturali rectæ rationis, intellexit Arist. in fine 5. Ethic. duplicē esse necessitatem, aliam coactionis qua aliquis coactus, & inuitus aliquid operatur, & ea tollit meritū ac laudem, aliam verò præcepti, vel finis, qua aliquis sponte, & voluntariè obseruat pręceptum, quod potuisset transgredi, vel quærit media studiosa ad obtinendum honestum aliquem finem, quæ potuisset dimittere: & hoc genus necessitatis non tollit meritum nec laudem: imò commēdatur plurimum in scriptura obediētia diuinorum præceptorum, effertur que à Salomone. [Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala, & non fecit.] Et ita qui satisfacit, vel soluit debitum, imò quicunque aliquod præceptum Dei exequitur, licèt præstet quod debet meretur plurimum, si cætera adsint, quæ exiguntur ad meritum veluti, vt existat in charitate, quia non agit coactus, sed sponte, & volens adimplere quod debet, verba autem Christi docent parum, vel nihil potius vtilitatis nos Deo nostris meritis, & obsequijs offerre, cum ille bonorum nostrorum non egeat, & qua humilitate esse debemus etiam si pręstantissima opera exerceamus. Plura habent

D. Tho.

D.Thom.1.2.quæst.114.Et Soto lib. 3.de Nat.& gra. cap.9.

In Solutione 3. habet D. Tho.iustitiam non versari circa res exteriores,quantum ad hoc, quod est eas facere,quod est artis,sed quantum ad earum visum,qui est alteri debitus,quæ verba nituntur nonnulli explicate propositis varijs discriminibus inter facere & vti,ita vt facere dicat actionem transeuntem in opus, vti verò actionem immanentem in voluntate,quæ voluntas opus illud exterius factum dirigit in aliquem finem: propter quod facere non dicit aliquam perfectionem in faciēte,sed in re facta,vti verò dicit perfectionem, cum vsus sit actus voluntatis dirigentis rem illam in suum finem. Ex quo inferunt artis esse facere opus: virtutis verò vti illo opere, idest, dirigere illud opus in aliquem finem, & sic iustitiam non facere res externas, quia non est ars, vti autem illis dirigendo illas in fin'utionem alicuius debiti, quod est virtutis. Vt cum Architectus accepta à me pecunia, vt domum construat, quando illam construit ad satisfaciendum pecuniæ à me acceptæ, facit & vtitur, facit domum, quod est suæ artis, cuius factionis perfectio non est in ipso,sed tota manet in domo facta,vtitur verò illa domo quatenus eo fine illam facit, vt satisfaciat mihi, quod est virtutis iustitiæ, & hic vsus perficit ipsum, quia hic vsus est optima electio voluntatis ipsius dirigentis illam domum in debitum finem. Et in hoc sensu colligunt dixisse D.Tho.iustitiam non respicere res externas quantum ad facere,quia hoc pertinet ad artes,sed quantum ad earum vsum alteri debitum,quia dirigit illas ad persoluenda debita, quod est virtutis. Optima quidem explicatio, & quàm vnico verbo complectitur M. Soto dicens: iustitiam non facere res externas, non enim construit domum, nec cudit pecuniam,&c.Sed vtitur illis ad reddendum cuique suum debitum,vt in exemplo proposito patet.

ARTICVLVS IIII.

An Iustitia sit in voluntate tanquam in suo proprio subiecto.

CONclusio est affirm.Probatur in primis ex illa diffinitione iustitiæ proposita à Vlpian. [Voluntas perpetua,& constans, &c. Sumitur enim ibi (vt exposuimus) voluntas pro actu voluntatis: vnde cum actus iustitiæ sit actus voluntatis,proprium iustitiæ subiectum necessariò constituenda est voluntas. Idem docuit Aristot. dicens 5. Ethic. [Iustitia est qua iusta operamur, & volumus.] Probatur etiam à D.Thom.à sufficienti diuisione hoc mod. Omnes vires animæ nostræ, quæ sunt subiecta habituum sunt hæ tres,intellectus, siue ratio, appetitus rationalis,qui dicitur voluntas,& appetitus sensitiuus: iustitia non est in intellectu neque in appetitu sensitiuo erit ergo in volntate. Prior pars minoris ita constat.Cum habitus sint propter actus,idest,ad componendam potentiam, vt rectè eliciat actum, illa potentia est subiectum alicuius habitus, ad cuius actum benè regulandum talis habitus constituitur, sed iustitia non componit,neque regulat actus intellectus, aut aliquam cognitionem nostram, nullus enim dicitur iustus,vt inquit Aristot. quia iusta cognoscat, sed quia iusta operatur, & vult, alioqui quod iniqui esset iusti. Ergo: Altera pars sic ostenditur.Habitus in ea est potentia ad quam pertinet actus ipsius, actus iustitiæ non pertinet ad appetitum sensitiuum. Ergo neque iustitia: Probatur minor:Sicut nihil volitum quin præcognitum ita nil volitum ab appetitu sensitiuo, nisi quod est præcognitum per aliquem sensum, & nihil volitum ab appetitu rationali, nisi quod intellectus potest cognoscere,& apprehendere,ad actum iustitię, qui est reddere cuique suum ius, exigitur præcognoscere quid alteri debeatur,& qua ratione sit cōstituenda cum illo æqualitas, hæc autem cognitio non est alicuius sensus,sed solius intellectus, & rationis, ergo & actus iustitiæ, qui sequitur hanc cognitionem non est appetitus sensitiui,sed solius rationalis.

In hoc articulo antequam aliorum opiniones expēdamus diluenda sunt nonnulla, quæ verbis D. Thom. aduersantur: Imprimis tam contra conclusionem D. Tho.quàm contra illam propositionem qua argumentum vtitur. Habitum in ea potentia esse ad quam pertinet actus ipsius,sic obijcio: indicium quod fert iudex inter partes est actus iustitiæ distributiuæ, vt q.60.docebimus,huiusmodi autem iudicium non est actus voluntatis,sed intellectus, pertinet,enim ex eodem Diu. Tho.ad Synesim, quæ est pars prudentiæ subiectiuæ existens in intellectu. Ergo saltem iustitia distributiua erit in intellectu.

Secundò Actus externi iustitiæ non sunt proximè, & immediatè à voluntate, sed à manibus, lingua,&c. ergo aut in his quoque membris erit constituenda iustitia,aut illud principium subiectum habitus esse illam potentiam,quę est primum principium actus,non est omnino verum. Tertiò iustitia dicit ordinem ad alterum, ordinare autem non est actus voluntatis, sed intellectus,& rationis:Ergo. Quartò. Aliæ virtutes,vt fortitudo, & temperantia non collocantur in voluntate,& quia ad bonum earum voluntas ex se, & natura sua est sufficienter inclinata:Sed ad bonum iustitiæ similiter est voluntas sufficienter inclinata: ergo non est necesse constituere iustitiam in voluntate: Maior certa est ex D.Thom.1.2.q.56. articu.4. Minor ipsius quoque est in hac quæstio.articu. duodecimo, & probatur. Bonum iustitiæ est bonum rationis nempe reddere vnicuique quod dictat recta ratio,ad bonum autem rationis (cum nihil magis proprium sit ipsi homini) voluntas humana ex se, & natura sua est satis propensa. Ergo.

Hęc suo ordine diluamus.Solutio primi argum.pendet ex his,quæ dicemus quæstio.60. articu. primo,interim respondet Caiet. ad 1. simul & secundum propositionem istam eiusdem potentiæ esse habitum, & actum intelligendam esse de actu elicito,& non de imperato,& ita iustitiam esse in voluntate,quia actus elicitus ipsius,qui est electio qua volumus reddere debitum est in voluntate, alios autem actus, vt iudicium, & externos,qui pertinent ad alias potentias esse actus quidem imperatos à iustitia, sed elicitos ab alijs virtutibus,& ita nihil mirum, quod pertineant ad alias potentias. Arbitratur enim Caieta.nullam virtutem, esse principium eliciens,sed solum imperans actus pertinentis ad aliam potentiam diuersam ab ea, quæ est proprium subiectum talis virtutis. Cæterum quia hoc fundamentum falsum est,cum ex D. Tho. apertè colligatur omnem actum pertinentem ad obiectū proprium, & formale alicuius virtutis elici etiam ab illa virtute,quamuis producatur ab illa potentia, diuersa ab ea,quæ est proprium subiectum talis virtutis. Vt oratio, & contemplatio, sunt quidem actus intellectus,eliciuntur autem à Religione, quæ est in voluntate,quia feruntur in proprium, & formale obiectum religionis,vt docebimus infra q.80. Correctio fraterna licèt sit in intellectu, vt in suo subiecto est nihilominus actus elicitus à misericordia, quæ est in voluntate,vt constat q.33.art.1. Similiter quæcunque operatio exterior quamuis producatur à potentia corporea,& externa,elicitur nihilominus ab habitu,vel virtute residente in potentia inueriori:vt confessio fidei, quæ est actus exterior elicitur à fide, quæ est in intellectu, quo etiam modo dicimus tam misericordiam, quæ est actus interior, quàm eleemosynam, quæ est actus exterior elici à charitate, licèt misericordia, & actus interior immediatè, eleemosyna verò & actus exterior

exterior mediante interiori, nempe misericordia. Propterea aliter respondendum est. Dicamus igitur, loqui D. Tho. in illa propositione de actu præcipuo, & potissimo virtutis, q.d. in illa potentia esse virtutem tanquam in suo proprio subiecto, quę est proximum principium præcipui, & potissimi actus talis virtutis, qua ratione, quia præcipua, & potissima operatio iustitiæ est illa imminens nempe electio voluntatis deliberatæ ad tribuendum vnicuique suum ius, proprium subiectum iustitiæ est voluntas, etiam si dentur aliqui actus eliciti ab eadem iustitia, sed minus præcipui producti ab alijs potentijs.

Vnde ad primum illud argum. Respond. nihil prohibere iudicium esse actum intellectus, iustitiam verò distributiuam cuius iudicium est actus elicitus esse in voluntate, quia iudicium non est præcipuus actus iustitiæ, sed illa electio voluntaris, qua iudex statuit iusta iudicare, & vnicuique parti suum ius reddere. Sunt etiam, qui respondeant, actum illum intellectus quo iudex iudicat hoc, vel illud esse iustum non esse actum iustitiæ, sed illum præcedere, actum verò proprium iustitiæ esse electionem illam voluntatis qua iudex statuit huic, vel illi parti per sententiam tribuere suum ius, iuxta ea, quæ intellectus præcognouit, & iudicauit. Vtraque solutio est accommodata.

Ad secundum Respon. similiter ex dictis, actus externos iustitiæ quo manu, vel lingua coercemus, vt in restitutione bonorum, vel famæ produci quidem à potentijs externis, elici autem à iustitia mediante illo interno, & præcipuo actu ipsius, qui est electio voluntatis reddendi vnicuiq; suum, sicut actus exterior quo subuenitur indigenti quem vocamus eleemosynam est elicitus à charitate mediante interiori, qui est misericordia.

Ad tertium dico ordinare actiuè sumptum pro eo, quod est dirigere aliqua media in aliquem finem esse actum intellectus, velle autem quæ dicunt ordinem ad aliud velut media ad finem, vel vt debita alteri, aut necessaria proximis, hoc esse voluntatis. Et illa licèt intellectus proponat media, voluntas est, quæ illa eligit, licèt intellectus iudicet hoc illi deberi, aut proximum hac re quàm illi exhibere possumus indigere, voluntas est quæ eligit, & statuit debitum illud reddi, quod est iustitiæ, aut rem illam indigenti exhiberi, quod est misericordiæ.

Ad quartum respond. obiectum virtutis bifariam considerari posse, vno modo formaliter quatenus est bonum rationis dicens, quod rationi est consonum, alio modo materialiter quatenus res quædam est, nihil curando sit ne consona rationi an non: vt temperata comestio potest considerari, vel qua comestio tantum est, & actus quidam naturalis, quod dicunt in genere entis, vel quatenus temperata est, & recta ratione regulata, quod dicunt in genere moris, interest ergo inter obiectum iustitiæ, & aliarum virtutum, quod obiecta aliarum virtutum, non tantum formaliter, & vt consona rationi, sunt bonum proprium hominis, verum etiam materialiter, vt in exemplo adducto: commestio temperata non solum est bonum hominis comedentis, vt temperata, verumetiam vt commestio: obiectum verò iustitiæ formaliter quidem est bonum proprium hominis iusti, quia est consonum rationi reddere alienum, materialiter verò est bonum alienum, pecunia enim reddita domino suo, vel fama restituta fratri bonum illius est, & hac ratione vt statim copiosius explicabimus est necessaria iustitia in voluntate, non autem temperantia, aut fortitudo: quia ad bonum proprium sufficienter voluntas ex se, & natura sua est inclinata non ita ad alienum. His solutis videamus oportet,

Quid alij de subiecto iustitiæ sentiant.

Scotus in 3. dist. 33. Ocham quæst. 10. Almain. in suis Moralib. tractat. 3. c. 6. Buridia. 1. Ethic. q. vlti. conueniunt quidem cum D. Tho. in conclusione, omnes enim collocant iustitiam in voluntate tanquam in subiecto, dissentiunt tamen ab eo in duobus. Primò, quia D. Tho. collocat iustitiam in sola voluntate, nulla autem ratione in appetitu sensitiuo, ipsi verò præter iustitiam, quæ est in voluntate collocant etiam alium habitum iustitiæ in appetitu sensitiuo, ad sedandas, & tollendas passiones, quæ retrahere nos possunt ab officijs iustitiæ: adduntque hanc iustitiam, quam constituunt in appetitu sensitiuo non esse propriè, & perfectè iustitiam, qualis est illa, quæ existit in voluntate.

Secundò dissentiunt à D. Thom. quia D. Sanctus solam iustitiam collocat in volutate, alias verò virtutes morales, vt fortitudinem, & temperantiam (cum munus ipsarum sit sedare passiones appetitus sensitiui) collocat eas solum in appetitu sensitiuo: isti verò DD. præter iustitiam collocant etiam in voluntate fortitudinem, & temperantiam. Prius illud sic probant. Ad virtutem spectat non solum rectè operari verum etiā cohibere passiones, quæ impediunt operantem, quia virtutis est promptè, facilè, & delectabiliter operari, quod esse non potest nisi sublatis impedimentis passionum, sunt autem multæ passiones, quæ impediunt, & retardant hominem ab actu iustitiæ, vt nimius amor pecuniarum à restitutione, timor humanus à iusta sententia, vt in Pilato & similes: pertinebit ergo ad iustitiam illas reprimere, sed hoc nō pót iustitia, quæ est in voluntate, cum ex omnium consensu habitus comprimens, & componens passiones debeat esse in eodem appetitu in quo insurgunt ipsæ passiones nempe sensitiuo. Ergo præter iustitiam, quæ est in voluntate collocanda est alia in appetitu sensitiuo ad reprimendas passiones insurgentes in ipso contra iustitiam.

Secundò. Fortitudo comprimit solas passiones, quæ oriūtur circa pericula, & labores ne per audaciā, vel timorē malè agatur, rēperātia passiones, quæ versantur circa delectationes, & voluptates tactus, & gustus, passiones, autem quæ impediunt directè, & propriè iustitiā sunt maximè diuersæ ab istis, vt cupiditas auri, timor humanus, &c. Ergo necesse est collocare in appetitu sensitiuo aliquam iustitiam ad illas moderandas.

Alterum in quo dissentiunt etiā D. Tho. ita ostendunt. Ad eandem potentiā pertinet virtus, & actus ipsius, sed electio est actus volūtatis, ergo virtus, quæ ordinatur ad rectè eligendum erit collocanda in voluntate: Fortitudo inclinat ad rectè eligendum medium in periculis inter timorem, & audaciam, temperantia ad rectè eligendum medium in voluptatibus immò proprium opus virtutis moralis est facere rectam electionem mediorum circa finem. vt docet Arist. 2. Ethic. c. 4. Ergo pertinebunt etiam fortitudo, & temperantia ad voluntatem. Secundò etiā si voluntas in periculis, & voluptatibus debeat sequi rationem natura sua, sæpè tamen post peccatum allicitur, & inclinatur ad sequendum appetitum, offeruntque se illi variæ difficultates ad sequendam rationem. Ergo collocandi sunt necessariò in voluntate habitus fortitudinis, & temperantiæ, quibus in periculis, & voluptatibus non inclinetur versus appetitum, sed sequatur rationem, & vincat difficultates emergentes.

Ad intelligentiam huius controuersiæ obseruandū est, cum virtus versetur circa bonum, honestum, arduum, & difficilè, sicut difficultas potest oriri ex duplici radice, aut quia voluntas non est ex se nec natura sua satis inclinata ad illud bonum, aut quia licèt satis inclinata sit ad illud, insurgunt tamen, & offerunt se passiones illam inclinationem retardantes: ita quoque exiguntur virtutes, aut ad inclinandam voluntatem in illud bonum, in quod non est se ipsa inclinata, aut si sit in illud propensa, ad cohibendas, & moderandas passiones, quæ illam inclinationem impediunt, virtutes quæ deseruiunt ad inclinandam voluntatem sunt in ipsamet volūtate, quæ verò ad cohibēdas passiones

ssiones in ea potentia in qua illæ insurgunt, nempe in appetitu sensitiuo: quia sunt istæ virtutes, velut medicamenta, & remedia defectuum nostrarum potentiarum: medicamina autem & vnguenta in ea parte apponuntur, in qua est vulnus, & infirmitas.

Obseruemus secundò inter iustitiam, & alias virtutes morales hoc interesse, quod aliæ, vt fortitudo & temperantia ordinant hominem ad se ipsum, & ad bonum proprium, & in obiectum, quod est bonum ipsiusmet hominis honestum ac vtile, cum ordinent illum in hoc, quod est temperatè agere, & rectè aggredi pericula in neutrum extremum declinando, quæ perspicuum est esse bona ipsiusmet hominis, tàm honesta, quàm vtilia: iustitia verò ordinat hominem ad alterum, & ad bonum alterius quia ordinat illum ad reddendum ius alteri; quod est bonum, & vtile illi, cui redditur, licèt sit honestum reddenti.

Obseruemus tertiò voluntatem, quia est proprius appetitus hominis, & ei naturalis (nihil enim magis propriũ, & naturale creaturæ essentialiter rõtionali, quã appetitus rationalis (ex se, & natura sua esse satis propensa ab bonum, & vtilitatem propriam, sicut cuique rei nihil magis naturale, quàm appetitus propriæ vtilitatis & commodi, ad bona verò aliorum non inclinari sufficienter, qua de causa ad curanda bona aliena indiget aliquo nouo habitu infuso, vel acquisito inclinãte ipsam ad illa, ad curãda vero bona propria, cũ satis natura sua sit in illa propensa, non indiget tali habitu, nec retardatur vnquam homo à prosequutione boni, & commodi proprij ex aliquo defectu, vel suæ voluntatis inclinationis ipsius, sed solum per passiones appetitus sensitiui, quæ in ipso exortæ voluntatem perturbãt, & a recto itinere, ac sua honesta inclinatione auertunt.

Ex his facilè est colligere, quàm verior sit doctrina D. Th. quod facilius constabit subiectis nonnullis assertionibus.

PRIMA ASSERTIO.

Iustitia in voluntate solum collocanda est, & non in appetitu sensitiuo.

PRobatur prior pars: Voluntas, vt constat indiget habitu inclinante illam ad bonum, in quod non est natura sua propensa, ad bonum autem alienum (quod etiam constat) non est natura sua propensa: ergo indiget habitu inclinante ipsam in illud, huiusmodi habitus est iustitia, ergo. Probatur altera pars: si aliqua iustitia esset in appetitu sensitiuo, aut ad eliciendum actum, aut ad comprimendas passiones, quæ illum possent impedire: non ad eliciendum actum, quia actus iustitiæ (in quo omnes conueniunt (non potest procedere ab appetitu sentisiuo, vt ex argumento, quo prubauimus conclusionem D. Thom. initio huius art. constat: neque ad comprimendas passiones, quia omnes passiones, quæ in appetitu sensitiuo exurgere possunt, aut sunt partis irascibilis, quas moderatur fortitudo, aut concupiscibi lis quas componit temperantia: Et ita frustra collocatur aliqua iustitia in appetitu sensitiuo.

SECVNDA ASSERTIO.

Fortitudo & temperantia non sunt collocandæ in voluntate, sed in appetitu tantum sensitiuo.

PRobatur: Ad bonum proprium non indiget voluntas, vt constat aliquo habitu inclinante ipsam in illud, sed solum exiguntur habitus ad reprimandas passiones, quæ illam à sua honesta inclinatione possent auertere, agere forti ter vel temperate, quæ sunt obiecta fortitudinis, & temperantiæ sunt bona propria ipsius hominis illi honesta, & vtilia, quod etiam constat. Ergo huiusmodi habitibus fortitudinis, scilicet, & temperantiæ non indiget voluntas, sed illa tantum vis, & potentia, in qua possunt exurgere passiones auertentes voluntatem ab istis bonis: potentia in qua huiusmodi passiones insurgunt, est appetitus sensitiuus, ergo in eo tantum collocandi sunt isti habitus fortudinis, & temperantiæ, nulla autem ratione in voluntate.

Nunc ad argumenta aliorum. Ad primum neganda est consequentia: constat enim ex dictis passiones istas, quæ possunt impedire opus iustitiæ ne fiat, aut ne facilè, & delectabiliter fiat, tum insurgant in appetitu sensitiuo, comprimi & sedari sufficienter à virtutib. quæ sunt in eodem appetitu sensitiuo, vt nimius vel humanus timor in iudice à fortitudine, cupiditas à temperantia, nec exigitur alius habitus ad istas passiones comprimendas.

Ad secundum: neganda est minor: nullæ enim sunt propriæ, vel peculiares passiones circa materiam iustitiæ, quæ non comprimantur à fortitudine, vel temperantia: imò eædem, quæ ab his virtutibus coercentur, sunt quæ possent perturbare, vel impedire opus iustitiæ, vt timor, cupiditas, & similes. Quo fit, vt cum primum istæ fuerint sedatæ à fortitudine, & temperantia plenè & perfectè, maneant simul sedatæ, quæ opus iustitiæ perturbare, aut impedire possent.

Ad argum. Secundò loco proposita. Ad primum respon. Ad faciendam electionem necessariam esse virtutem in voluntate, quando volũtas ex se, & natura sua non est satis inclinata in bonũ illud, quod eligendum est, quando autẽ sufficienter est inclinata in illud, tunc non indiget aliquo habitu existente in ipsa, sed tantum exigitur in appetitu sensitiuo habitus comprimẽs passiones, quæ in illo oriri possunt, ac perturbare illam naturalem inclinationẽ voluntatis: ita fit, vt cum voluntas sufficienter sit inclinata ad medium, quod tenendum est in periculis, & voluptatibus, quia est bonum ipsius hominis, non indigeat aliqua virtute, vt ad tale medium inclinetur, sed sufficiant fortitudo, & temperantia in appetitu sensitiuo ad cohibendas passiones, quæ circa pericula, & voluptates in ipso possunt excitari.

Eadem ratione soluitur secundum. Etenim cum voluntas sit appetitos rationalis sufficienter ex se, & natura sua est propensa ad secundam rationem in periculis, & voluptatibus, cum hoc sit bonum ipsius hominis; Solum potest retrahi ne sequatur rationem, sed appetitum sensitiuum à passionibus, quæ in ipso insurgunt, sed huic damno sufficienter occurritur fortitudine, & temperantia in eodem appetitu collocatis.

Manet circa hæc omnia, quæ in hoc ar. docuimus duplex dubitatio; Prior est, cur voluntas, quando sufficienter ex se ipsa est, inclinata ad aliquod bonum, non indigeat habitu ad illud eligendum, intellectus autem licèt sufficienter sit natura sua inclinatus in verum, indigeat nihilominus habitibus, & scientijs. Posterior est, cum actus iustitiæ. v.g. redditio debiti sit honesta & vtilis, honesta ei qui reddit, vtilis ei cui redditur; quæ duo ita se habent, vt quatenus est vtilis, nec sit secundum inclinationem voluntatis, nec contra illam, quatenus verò est honesta sit secundũ inclinationem voluntatis, quia secundum hanc partem est opus virtutis studiosum, & bonum ipsis operanti, in quod bonum, vt proprium voluntas est sufficienter propensa, cur egeat voluntas aliquo habitu, vt in tales actus prorumpat; Ratio dubitandi est, quia si voluntas honestate illius actus, & operis allicitur sufficienter ad illud vtilitate verò, quæ ex eo alteri proueniet non deterretur, nec impeditur ab ipso, frustra cõstituitur habitus, qui ipsam ad tale opus alliciat, & inclinet.

Ad diluendam priorem dubitationẽ obseruandum est, potẽtiam aliquam bifariam posse esse inclinatam, & propensam ad aliud, nempe recipiendum, vel efficiendum. Potentia natura sua apta ad recipiendum,

non eget aliqua noua, & superaddita dispositione, vt recipere possit, eget tñ vt actu recipiat ré illá, quá recipiura est, & quá apta é recipere, ita se hét intellectus respectu veri, habet siquidé naturalem aptitudiné ad illud, nec indiget aliquo habitu, aut dispositione, vt illud recipere possit, indiget tamé vt illud actu recipiat, & in actu sit, ipso verò, quod aptus est recipere, & ideo indiget specie intellectali ipsius veri, & habitibus scientiarum veritates rerum ostendétib. Potentia verò, quæ est naturaliter propensa ad exercendum opus aliquod certú & definitum, nó eget habitu operatiuo, id est habitu inclinâte ad illud opus, cú ipsa sit ad illud sufficiéter inclinata, vel sola natura sua: Et ita non indiget voluntas habitu inclinante ipsam ad electioné boni proprij, quia suapte natura est ipsa satis inclinata ad illud.

Ad posteriorem respon. cum dicitur opus iustitiæ esse, bonum operantis distinguédum esse, formaliter aut obiectiuè, formaliter verum est; quia tale opus est, velut forma aqua illud exeuens dicitur propriè, & formaliter iustus: loquimur.n. de opere, & actu iustitiæ elicito ab habitu iustitiæ virtutis: obiectiuè aút non est bonú operantis; sed alterius, cui redditur debitum: vnde quamuis in actu iustitiæ sit vtrumq; & honestas propria, & vtilitas aliena, quod tamen obijcitur voluntati ex natura actus, quádo operatur iusta est vtilitas, & bonú alienú, propterea dicitur esse ad alterú, quod non est in alijs virtutibus, quatum primum, obiectum, quod obijcitur volútati operantis est bonú proprium ipsius, quo fit, vt indigeat voluntas nostra iustitia, vt inclinetur ad reddédum cuique suom; non auté egeat fortitudine, aut téperantia, vt abundè explicatum est.

ARTICVLVS V.

An Iustitia sit virtus generalis.

Hunc art. proponit D.Tho. tum ad explicandum Arist. qui. 5. Ethi. vocat iustitiam totam virtutem, & generalem virtutem, tum etiam vt constet præter iustitiam, qua vnusquisque ciuis alteri reddit suum priuatum ius, dari iustitiam qua inclinamur ad persoluéda, quæ bono communi totius Reip. debeantur, vnde perinde est, ac si quæ rat. Debeat ne constitui, quædam iustitia generalis, & communis, quæ communiter dicitur legalis?

Obseruemus primú, cum omnis Respub. sit corpus quoddam ciuile & mysticum, sicut in corpore naturali quæuis ipsius pars habet duas habitudines, vnam ad aliam partem, aliam verò ad totum corpus, ad quod omnes partes ordinantur, ita in quauis Repub. vnumquemque ciué habere duas similes habitudines, vnam ad quemcunque alium ciuem, vt priuatum hominem, alteram verò ad totam Rempub. & communitatem. Vnde habet duplex debitum, ex quo duplex orta est iustitia, vna particularis, quæ vnum ciuem ad alium ordinat, velut vnam partem ad alteram: altera verò generalis, & communis, quæ omnes ciues ordinat in bonú commune. Prior illa inclinat ad reddendú ius, cuiq; priuato ciui constituitque æqualitatem inter ipsos, vt priuatas personas, habetque pro obiecto particulare ius, & bonum illius priuati cui aliquid debetur pertinentque ad eam omnes ferè contractus ciuiles, vt emere, vendere, locare, restituere, &c. Posterior verò inclinat ad curandum bonum commune, quod habet pro obiecto, & omnia particularia bona singulorum ciuium, tàm propria, quàm aliena in illud refert, quia cum vnusquisque ciuis, id quod est Reipub. esse debeat, sicut, vnaquæque pars id quod est totius est, bonú quoque vniuscuiusque ciuis, siue propriú, siue alienum potest, & debet referri ad bonum commune totius Reipub. Id præstat hæc iustitia, dicta communis, generalis, siue politica duplici ratione: primò ex fine & obiecto, quia habet pro obiecto bonum commune, quod est generale, & publicum: secundò ab effectu, quia munus ipsius est dirigere omnes virtutes, & actus earum ip bonum commune. Verbi gratia, vt fortiter agatur in bello propter bonum commune patriæ, vt abstineatur à thoro alieno propter bonú, & pacé Reip. sicut charitas dicitur virtus generalis, & cómunis, quia dirigit omnes virtutes in bonú diuinú, quod est propriú obiectú ipsius: Ita facilè explicabitur proposita quæsti.

CONCLVSIO I.

Constituenda est necessariò quædam iustitia generalis, & communis.

Patet: habitus sunt propter actus, & actus propter obiecta, bonum commune est obiectum formaliter, & reuera distinctú à bono particulari singulorum & adeò debitum, vt sit omnibus alijs bonis præferendum, ergo constituendus est habitus inclinans ad eliciendos actus in ordine ad tale bonum; & referens omnia particularia bona, & omnes actus aliarum virtutum ad illud, habitus autem inclinans ad bonum debitum est iustitia, ergo constituenda est iustitia, quæ omnia referat in bonum commune, quam dicimus generalem, siue communem.

CONCLVSIO II.

Hæc iustitia meritò vocatur alio nomine legalis.

Constat, quia hoc est potissimum munus, potissimusque finis omniú legum dirigere ciues in bonum commune, & præscibere eis, qua ratione seruent hanc iustitiam: vnde cum idem sit obiectum huius iustitiæ, & scopus omnium legum, & ad hanc iustitiam referantur omnes leges, & earum obseruatio, & executio, meritò dicitur legalis.

Circa hunc art. hæc tantum se offert controuersia.

AN HAEC IVSTITIA COMMVNIS, & legalis habeat veram, & perfectam rationem Iustitiæ.

Vtraque pars huius controuersiæ argumentis nititur satis probabilis: nam in primis eam non habere veram, & perfectam rationem iustitiæ sic ostendi potest: Liberalitas non habet veram, & perfectam rationem iustitiæ, quia tribuit ex proprijs, & gratuitis, non autem ex debitis, quod est proprium iustitiæ, sed iustitia legalis, similiter quę confert Reipub. & bono cómuni, confert ex proprijs ipsius tribuentis, vt cum ciuis pro bono publico exponit vitam, vel diuitias, exponit bona sua, quorum ipse est verus dominus: Ergo.

Secundò: vera & perfecta iustitia reddit alteri suú ius, sed iustitia legalis non reddit bono communi aliquod ius, quod verè dicatur esse ius illius: ostendo; si in ea quæ conferuntur in bonum commune haberet ipsum bonum cóne, vel Respub. ius illa non conferret expoliaret Rempub. suo iure, & tenetur ad restitutionem. Sicut qui non confert Petro pecuniam suam & in quam habet ius expoliat illam suo iure, & tenetur ad restituendú; at qui transgreditur iustitiam legalem non tenetur ad restituendum, vt priuatus, qui non prohibuit incendium, vel aliud damnum Reipub. quod poterat prohibere, peccauit quidem grauiter contra charitatem, & contra hanc iustitiam legalem; ad nullam tamen ex omnium DD. consensu tenetur restitutionem: Et confir. Transgressio iustitiæ commutatiuæ (etiam iuxta probabiliorem sententiam, vt suo loco videbimus) obligant ad restitutionem, eo quod iustitiæ istæ obtinent veras, & perfectas rationes iustitiæ, sed transgressio iustitiæ legalis non obligat ad restitutionem, vt constat ex exemplo adducto, & in multis alijs, vt in ciue, qui non exposuit proprias diuitias pro bono communi, quando ad id tenebatur ex iustitia legali; & in diuite, qui habens superflua non subuenit laborantibus extrema necessitate, propter quam poterat in ciuitate pestis, aut grauis aliqua infirmitas oriri,

otiri, peccat quidem vterque istorum in hoc casu contra iustitiam legalem, nec tamē tenetur aliquis eorum ad restitutionem damni subsequuti, vt docet D. Tho. infra q. 118.

Tertiò, etiam si ista iustitia legalis esset vera iustitia, non tamen est perfecta, & simpliciter, sed tantum secundum quid: Inter partes etiam separatas, secūdum suppositum à toto, & ipsum totum cuius sunt partes, vt vidimus quæst. præcedenti art. vlt. & hac quæst. art. 2. non est iustitia perfecta & simpliciter, sed iustitia legalis ordinat bona ciuium ad bonum commune, vt bona partium ad bonum totius. Ergo. Denique pietas est virtus per quam reddimus patriæ, & parentibus ius debitum, vt docent Cicero lib. 6. de somno Scipionis, & lib. 2. de inuent. Rethorica, & D. Thom. infra q. 101. art. 1. & q. 102. ar. 3. pietas autem non habet perfectam rationem iustitiæ, nec simpliciter (vt art. 4. præcedentis quæst.) vidimus: Ergo nec iustitia legalis.

Oppositum ita quoque probare possumus. Iustitia communis, & legalis præstat multum particulari, vt hoc art. seq. & docet D. Thom. maximè 12. quantum bonum commune præstat particulari: iustitia autem particularis vera iustitia est, & perfecta, ergo multò potius legalis, quæ illa excellentior est.

Secundò: Iustitia legalis respondet quasi alterum oppositum relatiuū iustitiæ distributiuæ: iustitia enim legalis ordinat bona particularia ciuium ad bonum commune Reipub. iustitia distributiua, quasi ex opposito ordinat bona communia Reipub. ad bonum singulorum ciuium, sicut iustitiæ filij ad patrem respondet, quasi alterum relatum oppositum iustitia patris ad filium, vnde sicut hæ duæ iustitiæ, filij ad patrem, & patris ad filium sunt eiusdem rationis, quod est commune omnibus relatis, ita quoque iustitia distributiua, & legalis, quæ sibi mutuo, & relatiuæ opponuntur debēt esse similes, & eiusdem rationis, sed iustitia distributiua est vera, & perfecta iustitia omnium consensu. Ergo & legalis.

Ex his constat vtramque partem huius controuersiæ esse probabilem, sed quæ probabilior sit subiectis assertionibus explicabimus.

PRIMA ASSERTIO.

Iustitia legalis veram, & perfectam iustitiæ rationem habet.

HÆc est D. Tho. ar. enim præsenti in corpore docet vtramque iustitiam, & eam quæ ordinat ad bonum particulare alterius ciuis, & eam quæ ordinat ad bonum commune Reipub. habere propriam, & veram rationem iustitiæ. Et art. 7. ad 3. vbi reddens causam, cur non assignetur aliqua iustitia œconomica communis totius familiæ, sicut assignatur iustitia legalis communis toti Reipub. ait. [Quia inter personas eiusdem domus non est perfecta, nec simpliciter iustitia,] vbi aperte insinuat iustitiam legalem inter ciues, & Rempub. esse perfectam & simpliciter iustitiam, alioquin nihil valeret eius ratio. Et confirmatur ita sensisse D. Tho. Primò, quia vt ex progressu ipsius patet, diuidit hunc tractatum de iustitia in duas partes, in quarum priori agit de iustitia perfecta ab hac q. 58. vsque ad 80. in qua, & deinceps agit de iustitia imperfecta, & secundum quid, agit autem de iustitia legali in hac q. 58. Secundò, quia in his art. constituit iustitiam legalem, & particularem, vt duas species iustitiæ, at si iustitia legalis nō esset vera quoque & perfecta iustitia, non constituerentur ab ipso istæ duæ legalis, & particularis, tanquam duæ species diuidentes idem genus: nouerat enim D. Thom. vt præstantissimus Logicus, & Metaphysicus, species diuidentes idem genus verè, & perfectè participare naturam, & rationem propriam illius generis, quamuis seorsum sumptæ, & secundum suas priuatas naturas, vna possit esse altera perfectior,

vt in genere animalis homo & equus. Eandem sententiam habet Arist. 5. Ethic. cap. 1. & 2. vbi adeò commendat iustitiam legalem, vt apertè mentis ipsius fuerit illam facere veram, & perfectam iustitiam. Probatur iam ratione: cum ius & iustitia sint relata, qualis fuerit ius talis, & iustitia, quæ illud respicit, quo nomine D. Tho. inter patrem, & filium constituit iustitiam secundum quid, quia ius paternum non est simpliciter ius, sed imperfectum, & secundum quid, sed ius circa quod versatur iustitia legalis est verum, & perfectum ius, & multò perfectius, quàm ius, quod respicit iustitia particularis, vt docet Arist. 5. Ethic. cap. 6. quia illud ius habet immediatum ordinem ad bonum cōmune, quod perspicuum est præstare cuius bono priuato, & consequenter iuri cuius particulari: Imò ex ordine ad bonum commune docet eodem loco Arist. sumēdam esse perfectam, vel imperfectam rationem iuris. Et cōfirm. ad perfectam rationem iuris exiguntur illa tria, quæ diximus art. 4. præced. quæst. vt sit debitum, vt sit ad alterum, vt reddatur æquale, si hæc tria concurrunt perfectè seruatur ius: sed in iure, quod respicit iustitia legalis reperiuntur hęc tria: in primis maximè debitū, cum sit præferendū cuique iuri particulari, & ad quod tam legibus ipsis, quàm mandatis superiorum ciues magis deuincti sunt, est etiam ad alterum, quia vnusquisque suppositum est per se subsistens, & distinctum à sua Republica, & quamuis sit pars eius, non tamen qui habeat esse, & naturam à Repub. vt filius à patre, imò similiter reperitur ius inter ciuem, & suam Rempub. sicut inter duos ciues nullo vinculo affinitatis cōiunctos denique seruatur æqualitas, cum reddat ciuis suæ communitati, quantum illi debet ex lege.

SECVNDA ASSERTIO.

Quamuis iustitia legalis sit vera, & perfecta iustitia, non tamen habet ita perfectam rationem iustitiæ, sicut particularis.

RAtio est, quia in legali non est ita perfectus ordo ad alterum, nec tam perfecta ratio æqualis, sicut in iustitia particulari, quæ reperitur inter duos priuatos ciues: Nec per hoc tollitur excellentia, & dignitas iustitiæ legalis, imò semper illam retinet, propter excellentiam boni communis quod respicit, & perfectissimam rationem debiti, quæ in ipsa reperitur, sicut iustitia filij ad patrem excellentior est, & maius debitū, quàm inter duos extraneos: in genere tamen iustitiæ perfectior est illa, quæ existit inter duos extraneos, quam ea quæ est inter patrem & filium, vt exposuimus præced. q. art. 4.

Qua etiam ratione docet D. Tho. 1. 2. q. 56. & q. 66. morales virtutes in genere virtutis pręstantiores esse intellectualibus, quia illæ tribuunt vsum simul cum facultate boni operis, quod non habent intellectuales, at secundum suam priuatam speciem & perfectionē, quam sortiuntur ex obiecto præstantiores multò sunt virtutes intellectuales: Eodem modo hic philosopharī oportet, iustitiam particularem in genere iustitiæ accedere magis ad perfectam rationem iustitiæ, quàm accedat legalis, inter se verò comparatas præstare legalem particulari, nec mirū, quod ita accidat in virtutib. quod non reperitur in alijs rebus absolutis, quia in virtutib. aliunde sumitur genus, & aliunde species, in reb. aūt absolutis ab eodē sumūtur genus, & species.

Nunc ad argum. in oppositum. Ad primum respon. conuenire quidem liberalitatē, & iustitiam legalem, in eo quod vtraq; confert ex proprijs, & ex his quorum ea conferens, est verus dominus: differre tamen quia quę confert liberalitas, licēt dicātur debita intelligendum est ex honestate morum, eo modo quo dicimus studiosè agentem in quacunq; virtute se exerceat agere quod debet, & quod decet virum studiosum, non tamen sunt verè & realiter debita, ad quę aliquo iure

compellatur: at quæ confert iustitia legalis bono communi sunt verè debita non ex charitate sola, vel honestate morum, sed ex lege & iure quo compellitur homo conferre illa bona Reip. adeò, vt per vim posset Respub. illa accipere, & auferre ab illo homine.

Ad secundum respond. violantem iustitiam legalem expoliare Remp. suo iure, & re illi debita, non tamen teneri ad restitutionē, quia quod debent ciues Reip. quam diu apud eos manet, non est Reip. appropriatū, neque admiscetur ibi transgressio iustitiæ commutatiuæ, cui potissimè nititur vinculum restitutionis: Accidere autem potest, vt teneatur aliquis prospicere bono communi ex vtraque iustitia, & legali, & commutatiua, vt Princeps, Senator, Gubernator, ministri iustitiæ, & quicunque ad id tenentur ex officio, & hi tenebuntur ad restituendum damna subsequuta ex sua negligentia, qua non curarunt bonum cōmune, quantum ex officio tenebantur, sed hæc obligatio manet illis, non quia violant iustitiam legalem, sed quia ex commutatiua ratione officij ad id tenebantur. Eodem modo tenebitur, qui furtiperet bona appropriata fisco, illa licèt antequam ei appropriētur, tantum debeat illa ex iustitia legali adueniente sentētia, at postquam illi sunt iam appropriata per sentētiam, vel actu exhibita, illa occultare, vel surripere est lædere non solum iustitiam legalem, verum etiam commutatiuam.

Ad confirmationem dico, violantes iustitiam commutatiuam teneri quidem ad restituendum (nam de distributiua res est sub dubio, & inferius explicanda à nobis) non ob perfectionem iustitiæ, sed quia nunquam læditur commutatiua, quin expolietur frater re sua: in iustitia verò legali, res qua Respublica expoliatur à transgressore iustitiæ legalis, nōdum est Reipub. sed ciuis habētis illam apud se, quamuis debeat illam Reipub. conferre.

Ad tertium respon. partes secundum suppositum separatas à toto in duplici esse differentia: Quædā enim sunt, quæ necessariò, & non liberè dependent à suo toto, vt filius necessariò dependet à patre, & seruus à domino velit nolit, inter has partes, & suum totum non potest esse iustum perfectum simpliciter, propter illam necessariam dependentiam, qua partes sunt aliquid totius, vt filius est aliquid patris, & seruus heri sui: nam nec filius potest esse à se, nec seruus quin sit domini sui: aliæ sunt partes voluntariæ, & liberæ, vt rationales, quæ ita sunt partes liberę, vt possint se ipsas separare à toto pro suo arbitratu, quomodo ciues sunt partes Reipub. nullam habentes necessariam dependentiam ab illa, possunt siquidem nulla facta iniuria suę Reip. ab illa seipsos separare, & in aliam se transferre, & inter has partes, & suum totum propter hanc libertatem, & vt ita dicam independentiam potest esse exacta, & perfecta ratio iustitię, & hoc modo reperitur in iustitia legali.

Ad quartum constabit solutio infra q. 101. art. 3. ad 3. interim dico, bifariam posse patriā considerari, vno modo quatenus est principium essendi & natiuitatis, hoc modo respicit ipsam pietas, eodemque modo sumpta non reperitur perfecta ratio iustitiæ inter ipsam, & ciuem suum in ipsam natum, quia iuxta hunc modū habet ille necessariam dependentiam ab illa, vt filij a parentibus, & eadem est virtus pietatis quæ reddit patriæ, & parentibus suum ius, nec minus est patria principium indiuiduationis nascentium in illa, quàm pater suorum filiorum: secundo modo consideratur patria non vt principium essendi, sed vt communitas in qua cum alijs ciuibus viuitur, quæ propriè dicitur Respub. quomodo est iustitia legalis inter ipsam & suos ciues, & hoc modo potest ita iustitia esse perfecta, & simpliciter, quia in hac acceptione non dependent ciues à sua patria, vel Repub. Et iuxta hanc doctrinam est intelligendus D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 7. in corpore & ad secundum.

ARTICVLVS VI.

An iustitia generalis sit diuersa natura, & species ab alijs virtutibus.

OBseruemus initio bifariam dici aliquid generale, aut secundum prædicationem, aut secundum virtutem & imperium. Priori modo superiora in cathegorijs sunt generalia ad sua inferiora, vt genera ad species, & species ad sua indiuidua, & quod ita generale est, ingreditur essentiam suorum particularium seu inferiorum, & ab illis reuera & essentia non differt, vt animal, & animal quod est homo essentia non differunt: Generale autē secundum virtutem dicitur quod immittit virtutem in alia, & illa mouet, dirigit, ac gubernat, quo modo cœlum sol, & superiora omnia dicuntur causæ generales ad hæc inferiora, quia in ea influunt, ac ea mouent & gubernant, & quod hac ratione generale est, differt reuera, & essentia ab eo quod mouet, & gubernat, habetque in se ipso suam priuatam propriam & specificam essentiam, alia enim est natura cœli, solis, & illorum superiorum, & alia horum inferiorum.

CONCLVSIO PRIMA.

Iustitia generalis siue legalis, specialis quædam virtus est specie & natura distincta à cæteris omnibus, quas per imperium dirigit in bonum commune.

PRobatur ex modò dictis. Quod est generale secundum virtutem tantum & imperium, & non secundum prædicationem essentia & natura differt ab inferioribus, quæ mouet, & dirigit: vt causæ & effectus, inferiora & superiora: iustitia legalis non prædicatur de alijs virtutibus neque est earum genus, sed tantum dicitur generalis ex obiecto, quia respicit bonum cōmune & generale, & ex effectu vel officio quia imperat omnibus virtutibus dirigens illarum omniū actus in bonum commune, quod est esse generalem secundum virtutem tantum. Ergo differt ab illis omnibus specie & natura.

Secundò: Sicut se habet charitas ad alias virtutes in ordine ad bonum diuinum, quod respicit vt suum proprium obiectum, ita se habet hæc iustitia legalis ad ipsas in ordine ad bonum commune, sed charitas quāuis sit generalis quædam virtus ad cæteras omnes secundum virtutem, & imperium, quia omnium actus dirigit in bonum diuinum, & omnibus imperat in gloriam Dei, est nihilominus specialis quædam virtus natura, & essentia à cæteris omnibus distincta, quia habet suum proprium, & particulare obiectum formale, distinctum specie, & natura à proprijs, & adæquatis obiectis formalibus singularum. Ergo similiter ista iustitia legalis licèt sit communis, & generalis ad omnes secundum imperium, vt expositum est, erit nihilominus specie distincta ab illis, cum proprium, & formale obiectum ipsius, nempe bonum commune sit specie, & natura distinctum à proprijs, & adæquatis obiectis earum.

CONCLVSIO II.

Hæc iustitia potissimè & directiuè reperitur in Principe, & Gubernatore, in alijs verò secundariò, & ministratiuè.

RES est aperta, quia licèt omnes debeant diligere bonum commune, & illi prospicere, ac leges obseruare, Principi tamen incumbit ex officio, nō solum illud diligere, & illi prospicere, vt cæteris, verum etiam diligenter curare, vt illi consulatur, omnium modo res quatenus illud exigit componantur, & leges illud

respi-

respicientes ab omnibus accuratè obseruentur, cum sit legum executor & custos iustitiæ, ac boni publici, ad quod cæteri non tenentur, sed sufficit se, & sua priuatim in bonum commune coaptare, sicut Architecti est, lapides omnes, & ligna disponere, quatenus domus constituenda exigit, singulorum autem famulorum suum peculiare munus exercere. Et Duci in bello incumbit non solum pugnare, verum etiam dirigere, & componere milites, vniuersumque exercitum in ordine ad victoriam priuati verò cuiusque militis pugnare tantum, vt debet in atrio, & statione sua.

CONCLVSIO III.

Singulæ quæque virtutes, quatenus mouentur, & diriguntur à iustitia legali in bonum commune, possunt vocari iustitia legalis, & esse idem cum iustitia legali.

AD hanc conclusionem obseruandum est, virtutem generalem, quæ imperat, & particularem, quæ imperatur, & mouetur ab illa, licèt secundum se, & ex genere suo sint inter se distinctæ, nihilominus ita se habere, vt illa particularis imperata, quatenus mota, & ordinata in obiectum, & finem imperantis possit vocari nomine imperantis, & esse vnà cum imperante: habebitque tunc simul duo nomina, & propriũ, quod illi conuenit ex suo genere, & nomen illius superioris imperantis diuersis rationibus, vt videre est in charitate, & abstinentia, imperat charitas abstinentiæ, vt eliciat ieiunium propter Deũ, hę duę virtutes secundum se sumptæ, ac in genere suo diuersæ sunt natura, & specie, nihilominus in isto casu hæc abstinentia sic imperata, & mota à charitate potest vocari charitas, & ieiunium illud actus charitatis, verèque affirmatur talem abstinentiam esse charitatem, cum præcipuè respiciat proprium obiectum charitatis, sicut furtum ad mœchandum verè dicitur mœchia.

Hoc posito, patet ista tertia conclus. Propria ratio, & denominatio cuiusque virtutis desumenda est ab obiecto, quod potissimè respicit: Sed vnaquæque virtus particularis, vt mota, & imperata à iustitia legali, elicit directè, & præcipuè suum actum propter bonum commune, quod vt coostat est proprium, & formale obiectum iustitiæ legalis. Ergo vnaquæque virtus, vt mota, & imperata à iustitia legali, dicenda est iustitia legalis. Vt fortitudo in strenuè pugnante, hoc potissimum fine, qoia sic exigit bonum commune, non tam dicenda est fortitudo in eo casu, quam iustitia legalis, cum præcipuum obiectum in hoc casu sit bonum commune, quod est propriũ obiectum iustitiæ legalis.

Circa hunc art. nõnulla sese offerunt examinanda: in primis circa primã cõclusionem controuersum est.

AN IVSTITIA LEGALIS SIT EAdem natura, & essentia cum omnibus virtutibus.

INter omnes ferè Theologos communis est, & recepta prima conclusio huius ar. recedunt tamen ab ea quidam Eustratius, & Gerardus quos sequitur Buridanus 5. Ethi. qu. 4. iudicantes iustitiam legalem non esse aliquam specialem virtutem distinctam à cæteris, sed sicut sanitas in animali non est aliqua specialis qualitas distincta à quatuor humoribus, sed ipsimet quatuor humores bene inter se cõpositi, erga humidum radicale, vel illa compositio humorum, quæ reuera non differt ab ipsis humoribus benè compositis, sicut ordo partium non est aliquid diuersum ab ipsismet partibus inter se ordinatis: ita ista iustitia legalis nihil aliud sit, quàm communis quædam ratio, vel habitudo ad bonum commune, quæ diffunditur per omnes virtutes, & quam vnaquæque virtus in se includit, cum vnaquæque contineat in se obedientiam legis, vel Principis, vt in temperãtia cui conuenit inclinare hominem ad temperatè comedendum, tum propter particularem honestatem, vel vtilitatem, quam affert secum temperata comestio, tũ etiam vt legi satisfiat:

priori modo inquiunt est temperantia, posteriori verò ista legalis iustitia, ac sic de cæteris virtutib. Vnde iustitia legalis iuxta hos nihil aliud est, quàm aggregatio omnium virtutum, quatenus diriguntur, vel possunt dirigi in bonum commune, vel potius relatio illa innata, cuique virtuti in bonum commune.

Nititur hæc opinio varijs rationibus & testimonijs, io primis. Non sunt constituendæ plures virtutes sine cã, & necessitate, sed vnaquæque virtus seipsa, & suaptè natura inclinat ad benè, & honestè agendum in suo genere, non solum propter suum proprium, ac peculiare booom & obiectum earum, verumetiam propter bonum commune, ergo ad hunc finem non est necesse constituere aliquam specialem virtutem, vel iustitiam distinctam à cæteris. Consequentia cum maiori per spicua est: minor probatur ex Aristo. 2. Ethi. c. 4. vbi habet virtutem vnamquamque oon solum inclinare ad operandum, verumetiam ad operandũ ex electione propter bonũ, & honestũ finẽ, bonũ autem commune est maximè bonũ, & finis omniũ honestissimus: ergo quæcunque virtus se ipsa inclinat ad tale bonum.

Et confirmatur, quia omnes virtutes inclinant ad suos actus seruatis debitis circunstantijs, vbi, quando, & quomodo oportet operari, vna autem ex præcipuis circunstantijs est, vt operemur propter bonũ commune, quando illud ita exigit: Et ita vnaquæque seipsa inclinat in bonum cõmune, neque desiderabitur aliqua specialis virtus in hunc finem. Tum etiam quia cum omnis perfectio partis ordinetur in bonum totius; homo autem sit pars suæ communitatis, & Reipub. quæcunque ipsius perfectio ordinabitur etiam in bonum suæ Reip. quamcunque autem virtutem peculiarem esse perfectionem hominis certissimum est.

Secũdò propriũ est, cuique virtuti actum suum adæquare suæ regulę, nẽpe rectę rationi, ita vt de vnaquaque verè possimus affirmare, munus eius esse constituere æqualitatẽ inter suum actũ, & regulã rectę rationis, constituere autẽ æqualitatẽ inter aliqua est propria ratio iustitiæ, ergo quælibet virtus includit in se rationẽ iustitię, & est quędã iustitia, non illa particularis, quę inter priuatos ciues cõsistit. Ergo illa gñralis & legalis.

Et confirmatur, quia actus virtutis quæcuoque illa sit, est actus meritorius, nec aliud exigitur, qoam vt exercens illum sit in gratia, & charitate, actus autem meritorius est actus iustitiæ, quia meritum includit in se rationem iustitiæ: Ergo.

Tertiò: virtus distincta ab alijs essentia, & natura habet suum proprium, & peculiarem actum elicitum, distinctum specie, & natura ab actibus aliarum virtutum. Sed iustitia legalis non habet aliquem actum sibi proprium, & peculiarem elicitum, sed versatur circa actus cæterarum referendo illos in bonum commune, nec constituitur à D. Tho. vt aliquem peculiarẽ actum sibi proprium eliciat: sed hoc solo fine vt alijs imperet. Ergo non distinguitur ab eis.

Quartò, ex Arist. idem ostenditur, cum 5. Ethi. cap. 1. dicat iustitiam esse idem cum omni virtute, nec esse partem virtutis; at si iustitia ista legalis esset specie distincta ab alijs, esset quædam pars virtutis. Nec valet solutio D. Thom. hic ad 2. iustitiam ex Aristo. esse idem cum alijs virtutibus, quia imperat eis, & aliæ mouentur ab ipsa quia eodem Aristu. 7. & 10. Ethic. imperans & imperatum, mouens & motum non solum in naturalibus, verum etiam in moralibus reuera distinguuntur. Adde quod idem Aristot. initio. 5. Ethic. pollicetur se in hac disputatione de moribus perspicuè locuturũ, habet autem apertè iustitiã legalẽ esse eandem cũ omnibus virtutibus, nec ab eis differre nisi sola ratione.

Quintò idem Arist. 3. Ethi. cap. 6. tribuit fortitudini secundum se, vt versetur circa pericula mortis propter bonum commune, & 4. Ethic. cap. 2. tribuit magnificentiæ, vt versetur circa magnos sumptus propter bonum commune, apertè igitur ex Arist. virtutes istæ idem-

(idemquè erit iudiciū de cæteris omnibus) ex genere suo ordinantur in bonum commune, includiturque in ipsis intrinsecè iustitia legalis, vt communis quædam ratio, quæ per omnes vagatur.

Denique: Ad prospiciendum bono communi sufficit pietas, quoniam per pietatem reddimus debitum patriæ, & parentibus ex eodem D.Thom. infra q. 101. art. 3. Frustra ergo constituitur ista iustitia legalis, tanquam specialis virtus propter bonum commune.

Sed propter hæc argum. non est recedendum à sententia D.Tho. & communi, ad quam magis percipiendam obseruemus, cum iustitia sit virtus, quæ vt sæpe diximus ordinat ad alteram, quemadmodum vnum dicitur alterum ab alio varijs modis, ita quoque variam, & multiplicem esse iustitiam. Dicitur aliquid alterum duobus modis: Primò propriè, quod ab alio supposito, & persona reuera differt, quod adhuc est duplex: nam aut est priuata altqua persona, aut publica & tota communitas: Secundò impropriè, & metaphoricè, quod scilicet ab alio non distinguitur persona, & supposito, sed solo officio, & virtute, ac potentia, vt in eodem homine variæ ipsius partes, & vires: qua ratione in ipso animus dicitur à corpore, & pars superior altera ab inferiori: perinde ac si essent duo homines distincti, quorum alter ab altero gubernaretur. Ex hac triplici ratione qua vnum dicitur alterum ab altero (vt optimè docet Scotus in 4. distin. 19. q. 1.) colligitur triplex iustitia. Prima quæ dicenda est impropria, & Metaphorica, illa nimirum quæ cōstituit æqualitatem inter partes, & vires eiusdem hominis, & eas continet in suo debito officio, vt quod appetitus rationi pareat, quam definit D. Ansel. lib. 2. de veritate c. 12. rectitudinem voluntatis. Secunda est propriè, & verè iustitia, quæ ordinat hominem ad alterum iuxta præscriptum legis, & quatenus exigit bonum commune, quæ dicitur legalis, & communis. Tertia verò est propria quoque quæ vnumquemque in particulari ad alium ordinat, reddens vnicuique suum priuatum ius, versaturq; illius vsis in commercijs humanis.

Obseruemus secūdò: quemadmodum diuersi actus in genere naturæ possunt pertinere ad vnam, eandemque virtutem, vt abstinere à carnibus, & abstinere à piscibus ad eandem virtutem temperantiæ, similiter vnum, & eundem actum in genere naturæ posse pertinere ad plures virtutes in genere moris, vt conferre pecunias alicui, potest pertinere ad liberalitatem, ad iustitiam, & ad misericordiam: quia quemadmodum in diuersis actibus, materialiter sumptis potest reperiri eadem ratio formalis proprij obiecti alicuius virtutis, & eadem difficultas, propter quod illi actus pertinebunt ad eandem virtutem eodem modo in vno, & eodem actu possunt reperiri diuersæ rationes formales, obiecti, & diuersæ difficultates, propter quod pertinebit actus ille quamuis vnus, & simplex ad diuersas virtutes: His positis,

PRIMA ASSERTIO.

Illa iustitia metaphorica non est aliqua specialis virtus ab alijs distincta, sed quædam generalis ratio in essentijs omnium virtutum inclusa.

Patet, hæc iustitia Metaphorica est, quæ constituit æqualitatem inter partes, & potentias hominis, & ipsas ac omnes actus earum subijcit rationi, sed hoc ipsum est de interna ratione vniuscuiusque virtutis adæquate, & commensurare suum opus regulæ rectæ rationis, siue illud pertineat ad bonum proprium, siue ad alienum, ergo iustitia hoc modo sumpta non est specialis aliqua virtus distincta ab alijs, sed quędam generalis ratio in omnibus intrinsecè inclusa: qua ratione omnes viri probi dicuntur iusti, & sancti patres quamcunque virtutem vocant iustitiam.

SECVNDA ASSERTIO.

Iustitia, quæ ordinat hominem ad bonum commune quam dicimus generalem, siue legalem specialis quædam virtus est ab alijs specie, & natura distincta.

Hæc probatur efficacissimè argumentis adductis à D.Tho. sed confirmatur magis. Primò ex Arist. qui 5. Ethic. ca. 1. comparat eam cum reliquis virtutibus, & illam cæteris præfert, vocatque præclarissimam omnium virtutum quæ comparatio inepta esset nisi hæc iustitia esset virtus distincta à cæteris.

Secundò, vbi est specialis ratio boni, & specialis difficultas, ibi necessariò constituenda est specialis virtus, sed in eo quod est curare bonum commune est specialis ratio boni, & specialis difficultas. Ergo. Maior certissima est, cum eo fine constituantur virtutes, Minor constat ex eodem Aristot. qui 5. Ethic. loco citato docet sæpenumero homines esse benè dispositos circa bonum alienum, vel proprium priuatum, qui tamen circa commune malè se habent, vbi adducit illud Biantis, Magistratus virum probat. Et 3. Polytic. c. 3. ait non esse eandem virtutem boni viri, & boni ciuis, constat autem, virtutes particulares esse virtutes boni viri, iustitiam verò legalem esse virtutem boni ciuis. Vnde est efficax argum. virtutes particulares, vt fortitudo temperantia, &c. faciunt hominem bonum virum, iustitia verò legalis bonum ciuem, at ex Arist. alia est virtus boni viri, & alia boni ciuis, ergo ex Aristot. iustitia legalis virtus diuersa, distincta est à cæteris.

Tertiò virtutes distinguuntur per suos proprios actus elicitos circa propria obiecta, & non per imperatos, quia aliter non haberent suas proprias, & priuatas species, cum possint promiscuè actus earum à varijs imperari, modò ab obedientia, modo à charitate, &c. sed bonum commune, quod est proprium, & formale obiectum iustitiæ legalis nulla alia virtutum intra suos limites contenta, & qua talis est respicit, neq; habet actum elicitum erga illud, sed tantum imperatum, sola iustitia legalis est, quæ illud propriè, & formaliter respicit, elicitq; actus in illud tendentes, ergo necessariò constituenda est huiusmodi iustitia habitus reuera, & specie distinctus ab alijs. Et confirmatur hæc ratio, virtutes distinguuntur specie, & natura penes sua obiecta formalia, sed bonum commune, quod est formale obiectum iustitiæ legalis distinguitur specie, & reuera ab obiectis formalibus reliquarum virtutum, vt in singulis est videre. Ergo. Et ita Aristot. 5. Ethic. c. 2. distinguit hanc iustitiam communem à particulari ex diuerso fine, & obiecto, illam enim dicit habere pro obiecto iustum legitimum, siue publicum iuxta leges, particularis verò iustitiæ obiectum esse æquale cum priuato ciue.

Quartò, sicut virtutes omnes diriguntur à iustitia legali ad bonum commune, ita quoque ab obedientia ad obseruantiam legis, sed hoc tollit quin obedientia sit specialis virtus distincta à cæteris, etsi in actibus ipsarum reperiatur, quia aliud est ieiunare propter honestatem, & bonum quod in se ieiunium cōtinet, quod bonum respicit temperantia, & aliud ieiunare, quia Ecclesia ita præcipit, quod est bonum obedientiæ, sicut aliud est cœnare in Quadragesima ex appetitu cibi, quod est gulę, & aliud ex cōtemptu præcepti, quod est error in fide contra authoritatem iuris Ecclesiastici, Ergo, similiter iustitia legalis etsi omnibus alijs virtutibus imperat, & omnium actus dirigat in bonum commune, specialis nihilominus virtus censenda est, & à cæteris distincta, cum aliud sit reuera benè agere propter bonum commune, & aliud propter honestatem, & bonum particulare quod priuatim respicit singula quæque virtus.

Vltimò. Prudentia monastica, quæ versatur circa agibile priuatum, & proprium distinguitur à pruden-

tia

tia polytica, quæ versatur circa bonum commune ciuitatis, vt docent Arist. 6. Ethic. c. 8. & D. Thom. sup. q. 47. art. 11. & 12. Et q. 50. art. 3. propterea, quod bonum commune, & bonum particulare cuiusque sunt bona inter se reuera distincta, sed similiter bonum commune quod respicit iustitia legalis reuera specie, & natura distinctum ab alijs bonis, quæ ex se, & natura sua respiciunt aliæ virtutes. Ergo erit iustitia legalis specialis virtus à cęteris omnibus secũdum essentiam distincta: Et confirmatur hęc ratio, quia ex eodem Arist. facilius distinguũtur virtutes ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, pluresq; exiguntur in voluntate quàm in intellectu, ita vidimus ex 4. cardinalibus solam prudentiam pertinere ad intellectum, alias verò ad voluntatem, & appetitum, sed nihilominus prudentia, quæ est in intellectu distinguitur in polyticam, & monasticam, vt genus in duas species secundùm naturam distinctas, potiori ergo ratione iustitia, quę est in voluntate circa bonum commune erit specie distincta ab alijs virtutibus, quę versantur circa alia bona priuata propria, vel aliena.

Nunc ad argumen. in oppositum. Ad quæ diluenda obseruandum est primò, sicut in agentibus superior, qui inferiores gubernat solet vocari totus, vel omnis agens, quomodo dicimus de principe hic est totum regnum, & de supremo in aliquo senatu hic est totus senatus: ita in virtutibus illam, quæ cæteras mouet, & dirigit in suum finem. i. superiorem, & imperantem posse vocari totam virtutem, non quia sit eadem re, & essentia cum illis omnibus, sed quia omnes illas exigit, requirit, & suo subijcit imperio, ita charitas, quia omnibus imperat, & omnes dirigit in suum finẽ dicitur tota virtus, vel omnis virtus, & præceptum charitatis tota lex, nec propterea charitas est eadem re, & natura cum alijs, imò specialis quædam virtus specie & essentia ab omnibus distincta.

Hoc posito dico ad primum argumen. Illud axioma Aristot. omnem virtutem inclinare ad operandum ex electione propter bonum & honestum finem, intelligendum esse propter suum proprium bonum & suum priuatum finem formaliter, sicut enim vnaquęque peculiaris virtus intra proprios limites sumpta nõ respicit formaliter nisi suum proprium & priuatum obiectum, ita quoque secundum se non inclinat nisi in suum proprium bonum & peculiarem finem, in ea verò quæ communiora sunt & veluti ei externa mota & imperata ab alijs, in bonum diuinum à charitate in bonum commune, & publicum à iustitia legali: in quo virtutes exhibent sibi mutuas operas, vt vna respiciat priuatum finem nempe, quę particularis est, alia verò communem illis pręscribat nempe, quę generalis est, sic, quę sunt omnes inter se connexę vt explicat D. Tho. 1. 2. quęstione 65. artic. 1.

Ad primam confirmationem dico virtutis esse seruare omnes debitas circumstantias, & accidere posse vt aliquando ex circumstantia loci vel temporis sit agendum propter bonum commune, non tamen esse cuiusuis virtutis intrinsecè, & formaliter omnes circũstantias respicere, sed pertinere hoc ad diuersas, circumstantiam enim finis pręscribit prudentia proponendo illum, mouendo autem & inclinando alię superiores: veluti si finis ille sit bonum diuinum inclinat in illud charitas, si bonum commune iustitia legalis, si obseruantia legis alicuius vel pręcepti obedientia, si bonum parentum pietas; si bonum proprium & priuatum virtus particularis, quę illud habet pro suo proprio obiecto; si alienum iustitia particularis. Et ita pręter particulares virtutes sunt etiam constituendę istę superiores & generales ab illis secundum essentiam distinctę.

Ad aliam confirmationem dico perfectionem partis ordinari quidem in bonum totius non à se ipsa, sed per aliquam virtutem superiorem, Vt in hoc vniuerso perfectio cuiusq; elementi ordinatur in bonum totius vniuersi, non ab ipso elemento, sed a Deo opt. max. supremo mundi gubernatore & authore naturæ. In exercitu etiam dexteritas cuiusq; militis ordinatur in victoriam a duce, Et in virtutibus perfectio cuiusq; uirtutis, & virtus cuiusque priuati ciuis ordinatur in bonum commune Reipub. à iustitia legali, & à principe, in quo hæc iustitia, vt diximus potissimè, & præcipuè debet vigere.

Ad secundum patet solutio ex prima assertione hic posita. virtus enim vnaquæque quatenus constituit æqualitatem inter suum actum & regulam rectæ rationis est iustitia impropriè & metaphoricè, quæ communis ratio includitur in omnibus virtutibus vt expositum est.

Ad tertium constat ex dictis iustitiam legalem habere suum proprium actum elicitum erga bonum commune, distinctum ab actibus elicitis aliarum virtutũ. Quemadmodum enim charitas habet duos actus alterum elicitum nempe dilectionem Dei, alium imperatum quo omnes virtutes, & actus earum dirigit in finẽ supernaturalem, ita iustitia legalis habet velut actum imperatum dirigere cæteras virtutes in bonum commune, elicitum verò cum princeps vel hi quibus incumbit cura boni communis condunt leges, præcipiũt vel præstant quæ bono communi directè, & proximè iudicant necessaria, imò, & electio illa interior voluntatis qua iustitia legalis eligit virtutes particulares ordinare in bonum commune, est etiam actus elicitus à iustitia legali: quin & idem actus, verbi gratia, ieiunij (vt in tertia conclusione D. Tho. dicebamus) quatenus respicit priuatam honestatem, & bonum temperantię, est actus elicitus à temperantia, quatenus verò respicit bonum commune, & actu fit propter illud, est elicitus etiam à iustitia legali.

Ad quartum optimè respondet D. Tho. iustitiam dici totam virtutem, & idem cum omni virtute quia omnibus imperat, & omnes dirigit in suum finem, quod in obseruatione quam solutionibus horum argumentorum præmisimus satis explicatum est. Et cum vrges contra D. Tho. distingui ex Arist. imperans, & imperatum mouens, & motum: respondeo distingui quidem physicè, & secundum suas priuatas naturas, moraliter verò iudicari vnum, & idem. Vt seruus quo ad actionem quam iussu hæri sui exercet non iudicatur alius ab hęro suo, sed vnum cum illo, & actionem illam verè affirmari fuisse hęri: Et ita actus cuiuscunq; virtutis imperatus, & ordinatus à iustitia legali in bonum commune dicitur actus iustitiæ legalis.

Ad quintum dico Arist. non tribuere fortitudini, vt versetur circa pericula mortis propter bonum commune, quasi hoc habeat fortitudo intrinsecè, & natura sua, sed voluisse exemplum reddere fortitudinis: ratio enim propria, & formalis fortitudinis in eo tantũ consistit, quod est constituere medium inter audaciam, & timorem in periculis, maximè in periculo omniũ grauissimo quale est mortis, quod autem hoc fiat ob bonũ commune non est à fortitudine propriè, & formaliter sed à iustitia legali. Debetq; ita intelligi Aristot. nam extra bella etiam, & quando non agitur de bono Reipub. exercetur fortitudo, vt ad tuendam propriam honestatem, vel fidem, vt in martiribus, quorum mors est maximus actus fortitudinis. Vnde sicut in his mors & passio ipsorum est actus elicitus à fortitudine, imperatus verò a charitate, ita in bellis strenuè pro patria pugnare & mortem pro Repub. appetere est actus intrinsecè, & formaliter elicitus à fortitudine, imperatus verò à iustitia legali: similiter facere magnos sumptus ob bonum commune non est actus elicitus formaliter à iustitia legali, sed imperatus tantum, elicitus verò propriè, & per se à magnificentia, cum possit reperiri etiã magnificentia erga priuatum amicum, quæ non imperabitur à iustitia legali, sed ab amicitia, at si magnificen-

tiæ esset intrinsecum respicere bonum commune, non posset dari magnificentia quæ illud non respiceret.

Vltimum arg. manet solutum in fine præceden. art.

Illud tantum circa hanc controuersiam restat hic explicandum, An quemadmodum iustitia legalis dicitur generalis quamuis habeat suam propriam, & priuatam essentiam, quia potest vti alijs virtutibus, & dirigere actus earum in suum finem, ita possit quæuis alia virtus dici generalis, cum quæuis possit etiam vti alijs virtutibus in suum finem. Respondeo bifariam posse aliquam virtutem vti alijs, & actus earum in suum finem dirigere, aut quia natura sua ita ei conueniat, aut ex accidenti, natura sua illud habet, quando obiectum imperantis est natura sua superius ad obiecta aliarum, & hæc illi nata sunt subordinari, vt obiecta frenefactiuæ equestris, & militaris (quo exemplo vtitur Arist. 1. Ethi. cap. 5.) ordinantur per se ad victoriam, quæ est obiectum imperatoriæ: quando igitur obiectum alicuius virtutis natura sua est superius ad obiecta aliarum, & hæc ad illud nata sunt ordinari, illa est generalis & communis ad illas: & hoc modo charitas est virtus generalis ad omnes in ordine ad bonum diuinum, iustitia legalis generalis quoque ad omnes in ordine ad bonum commune, virtus autem quæ non habet natura sua istum ordinē ad alias, etiam si aliquando quis alijs vtatur in finem illius, non est dicenda generalis ad illas, quia hoc est per accidens non ex natura ipsarum virtutum & obiectorū earum, sed ex peculiari instituto illius ita operantis, quod est extrinsecum & accidentarium virtutibus. Qua de causa iustitia legalis non est dicenda generalis ad charitatem etiam si aliquando ea vtatur in bonum commune, quia hoc est per accidens, cum ex natura sua obiectum charitatis nempe bonum diuinum non sit inferius neque ordinetur ad obiectum iustitiæ legalis nempe bonum commune, imò contra.

Denique circa hunc artic. cum iustitia legalis bifariam diuidatur, in epicheiā siue æquitatem quam dictat recta ratio in ordine ad bonum commune & iustitiam, quam leges proponunt, quam communi sermone nomine generis speciei accommodato legalem dicimus, tum etiam hæc iustitia legalis (vt hic docet D. Tho.) alia sit in principe directiuè scilicet & architectonice, alia verò in subditis vt pote ministratiuè, videndum est. An iustitia legalis sit species athoma: vel potius subalterna ad istas iustitias. Quæ pertinent ad iustitiā legalē, & epicheiam nō sunt huius loci, tractabuntur à nobis cū D. Tho. inf. q. 120. in qua ex professo agit de epicheia, sed explicādum hic tantum est,

AN IVSTITIA LEGALIS QVAE EST in principe, & ea quæ est in subiectis differant specie.

NOnnulli ex recentiorib. interpretibus D. Tho. faciunt illas specie distinctas. Primò, quia ex Aristo. 2. Physico. & varijs in locis iam ars, quàm virtus architectonica differt specie ab vsuali, & ministeriali, vt frenefectiua, & æquestris ab imperiali, quæ est in supremo duce, ex D. aūt Tho. in hoc ar. iustitia legalis, quæ est in principe est architectonica, quæ in subditis ministerialis. Secundo prudentia regnatiua, quæ est in principe, vel Monarcha differt specie à prudentia polytica, quæ residet in subditis, vt docent Arist. 6. Ethi. c. 8. & D. Tho. sup. q. 50. ar. 2. Sed iustitia legalis, quæ est in voluntate principis respondet prudentiæ regnatiuæ, quæ est in intellectu ipsius, iustitia autem legalis, quæ est in subditis respondet prudentiæ polyticę, quæ residet in intellectu ciuium, ergo sicut istæ prudentiæ differunt specie, ita quoque & istæ iustitiæ. Et confirmatur ex supradictis: quia facilius distinguuntur, & constituuntur plures virtutes ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectus, cum ergo illæ prudentiæ cum pertineant ad intellectum distinguantur specie, à fortiori istæ iustitiæ cum pertineant ad voluntatem erunt specie diuersæ.

Oppositum iudicant alij quibus subscribendum esse puto, vt hæ duæ iustitiæ specie non distinguantur: quia in virtutibus distinctio specifica sumenda ex proprio obiecto formali, obiectum autem formale, quod respicit iustitia legalis, quæ est in principe vnum, & idem est omnino cum obiecto formali iustitiæ legalis, quę est in subditis, (quamuis aliter sit in principe, quàm in illis (nempe bonum commune Reipub. sicut fides, quæ est in summo Pontifice, & prælatis non est alia specie ab ea, quæ est in subditis, quia idem est obiectum formale vtriusque quamuis in prælatis sit architectonicæ, & directiuæ cum ad ipsos pertineat fidem tueri contra hæreticos, subditos in fide instruere, & caosas fidei in Concilijs pertractare, subditis autem tantum incumbat, quæ ab Ecclesia sibi proponuntur fideliter credere, & amplecti. Nec obstat, quod aliqui dicunt principem curare bonum commune per rationes vniuersaliores, & extraordinarias, subditos verò per communes, & ordinarias, nempe per præscriptum legis. Primùm, quia hoc non mutat naturam, & speciem iustitiæ, sicut quod subditi habeant fidem per ea, quæ communiter proponuntur toti populo in Ecclesijs, prælati verò per loca difficiliora Scripturæ, & argumenta scholastica, non efficit differentiam specificam inter fidem prælatorum, & fidem subditorum. Secundò, quia quando princeps prospicit bono communi per rationes vniuersaliores dimittens leges communes, tunc vtitur epicheia quam dicemus q. 102. differre specie à iustitia legali, hic autem loquimur de iustitia legali, quā tam princeps, quàm subiti exercent prospicientes bono cōi secundum commune præscriptum legum, ideo si quidem, vt exposuimus dicitur legalis.

Ad argum. in oppositum. Ad primum: neganda est minor: quia architectonica habet diuersum obiectum ab vsuali, respicitque altiorem finem, vt in illo exemplo Aristot. liquet, imperialis enim habet aliud obiectum, & altiorem finem quàm frenefactiua, cum huius finis sit frenum rectè confectum, illius verò victoria: iustitia autem legalis, quæ est in principe, & quæ est in subditis non habent diuersa obiecta, vel fines, sed tantum differunt ratione subiecti, quia quatenus est in principe imperat, quatenus in subditis paret, sed vtraque tendit in idem obiectum, & finem nempe bonum commune, ideo Diu. Thom. consulto non vocauit illam, quæ est in principe simpliciter architectonicam, sed quasi architectonicam neque illam, quæ est in subditis ministerialem, sed quasi ministerialem: Quo etiam modo quæcunque virtus quatenus est in principe potest dici quasi architectonica, & quæ in subditis quasi ministerialis, licèt sit vna, & eadem specie in vtrisque, quia princeps imperat actus omnium virtutum, subditi verò exequuntur.

Ad secundum dico illas prudentias differre specie, quia habent diuersa obiecta, regnatiua bonum totius regni, & Reipub. polytica bonum priuatum cuiusque: iustitia verò legalis in principe, & subditis vnicum habet obiectum formale (vt constat) bonum commune, licèt iustitia, quæ est in principe respiciat illud directiuè, & imperando, quæ verò est in subditis ministratiuè obediendo, sed hæ diuersæ rationes non sunt formales, nec specificæ, nec constituunt duo obiecta specie diuersa: Ad confirmationem respond. facilius quidem multiplicari virtutes, vt plurimum in voluntate, quàm in intellectu, quia intellectus est potentia superior, & dignior, ea verò, quæ sunt dispersa in inferioribus solent colligi in vnum in superioribus, interdum tamen contingere oppositum, quandoque enim ex parte intellectus multiplicantur lumina, & obiecta, cum tamen ex parte voluntatis non multiplicētur propensio, & inclinatio ad illa, & tunc multiplicatis virtutibus in intellectu non multiplicātur in voluntate, verbi gratia, circa prima principia multiplicantur

cãtur duo habitus in intellectu, quia circa prima principia speculatiua cõstituit in ipso habitus intellectus, circa practica verò synderesis, quoniã aliud lumen, & aliã rationem veri habet synderesis, & alii intellectus, in voluntate autem non constituuntur duplex habitus qui illis respondeant, imò haec vnus, quia in bonum sibi connaturale, quod ostendunt hæc principia se sols sine vllo habito fertur voluntas: similiter in intellectu constituitur vnus habitus, quo fertur in principia, qui dicitur intellectus, & alius quo fertur in cõclusiones, qui dicitur sciẽtia, cum tamen in voluntate vnus & idẽ habitus sit, qui respicit finem, qui habet se in ipsa velut principium agibilium, & qui respicit media, quæ sunt velut conclusiones. Deniq; circa media ipsa collocantur in intellectu quatuor habitus, seu virtutes Eubulia, Synesis, Gnomi, & Prudentia, cum tamen in voluntate vnus; & idem habitus eliciat omnes actus circa media nempe electionẽ, vsum, & consensum: Eadem ergo ratione nihil prohibet, vt in intellectu cõstituantur duæ prudentiæ species distinctæ regnatiua, & polytica, iustitia verò legalis, quæ pertinet ad voluntatem vna & eadem specie: si in principe, & subditis, quia hæ respiciunt idem obiectum, illæ verò diuersa sicut explicatum est.

ARTICVLVS VII.

Sit ne constituenda iustitia particularis præter illam legalem, & communem?

Obseruemus hæc duo bona commune, & particulare non differre secundum maius, & minus, vel secundum multum, & paucum, sed reuera esse bona, & obiecta formaliter, & specificè distincta. Ita Arist. 1. Polyt. vbi repræhendit dicentes ciuitatẽ, & domum differre tantũ multitudine, & paucitate cũ differat inquit reuera specie: quod potest ita ostẽdi, totum vt totum, & pars vt pars formaliter, & reuera differunt, cum alia sit propria, & formalis ratio totius qua totum est, & alia partis qua pars, ergo & bonum cõmune, quod est totius, & bonũ particulare, quod est partis similiter distinguentur.

CONCLVSIO I.

Præter iustitiam communem, & legalem constituenda quoque necessariò est alia iustitia particularis ab illa distincta, qua vnicuiq; priuatim reddatur suum propriũ ius.

PRobatur facilè. Habitus distinguuntur per actus & actus per obiecta, bonum commune, & particulare sunt obiecta reuera, & formaliter distincta, similiter referre actus virtutum in bonum commune, aut reddere huic priuato ciui quod ei debetur, quia habet ius in illud, etiam si nihil tale exigat bonum commune sunt actus specificè, & formaliter distincti, ergo, & habitus iustitiæ qui sunt principia istorum actuum, & respiciunt ista obiecta, formaliter etiam, & specifice distinguentur.

Secundò sicut ista iustitia communis, & legalis dirigit in bonum commune actum iustitiæ particularis qua reddit Petrus Ioanni suum priuatum ius, ita, & actus aliarum virtutum, nam ideo (vt vidimus) dicitur generalis. Sed nihilominus præter istam iustitiam generalem sunt necessariæ aliæ virtutes particulares, vt fortitudo temperantia, &c. ad eliciẽdos suos proprios actus studiosos circa sua propria & particularia obiecta. Ergo desiderabitur similiter præter illam iustitiam communem alia particularis ab illa distincta ad reddendum huic priuato suum peculiare ius, etiam si nullum esset bonum commune.

Tertiò cum virtus versetur circa difficile, vbi se offert (vt diximus) specialis, & distincta difficultas exigitur quoque specialis distincta virtus, sed reddere ius propter bonum cõmune, vel reddere illud, quia huic priuatim, debetur, continent distinctas difficultates, potest enim aliquis reddere depositum non vt obediat legi, nec propter bonum commune quod non amat, sed propter se ipsum, ne frangat alteri fidem, qua ratione est actus tantum iustitiæ particularis, vel contra reddit illud non vt seruet alteri ius & fidem, sed quia lex præcipit, & ne sequantur lites, quomodo est actus iustitiæ legalis. Ergo.

Denique hæc conclusio est Arist. 5. Ethic. cap. 2. vbi ait: se non loqui de iustitia quæ est tota virtus idest generali, sed de ea quæ est pars virtutis idest particulari: Et D. Chrisosto. homi. 11. in Matth. vnde sumptus est locus quem hic habet D. Tho. vbi in illa verba. [Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ait quam verò iustitiam? vtique rationalem quæ ea aduerso auaritiæ collocatur,] quæ est iustitia particularis, & paulò post explicans illud. [Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ait: Vel pro virtute ac pietate & cæterorum defensione, vbi apertè loquitur de iustitia legali: vide D. Tho. in 5. Ethi. lectio. 2. & 3.

ARTICVLVS VIII.

An iustitia particularis habeat propriam, & specialem materiam?

ARTICVLVS IX.

An iustitia versetur circa passiones idest quænam sit materia iustitiæ?

HI duo Artic. eodem pertinet cum in ipsis quærat D. Tho. quæ nam sit propria materia iustitiæ propterea vtrumque simul explicandum duximus: Ad quorum intelligentiam nonnulla præmittenda sunt: primum igitur obseruemus virtutes cardinales bifariam sumi posse aut secundum suam propriam & priuatam naturam & in ordine ad proprium obiectum quomodo prudentia præscribit supremos & vltimos fines, iustitia reddit vnicuique suum proprium ius, fortitudo eligit mediũ in periculis, temperantia in voluptatibus; aut quatenus dicunt communes quasdam conditiones & modos virtutis, qua ratione dicitur à D. Aug. prudentia cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum. Fortitudo firmitas, & constantia animi contra molesta virtuti, Temperantia refrenatio eorum, quæ temporaliter delectant: Iustitia redditio debiti cuicunque illud debeatur, siue Deo, siue proximo, siue nobis ipsis, qua ratione virtutes cardinales non sunt speciales habitus sed communes quædam rationes quæ per omnes virtutes se se diffundunt & in omnibus repetiuntur. Non est hic sermo de iustitia in hac secunda acceptione nam isto modo non habet peculiarem & propriam materiam, sed diffunditur per materias omnium virtutum, cum in actu cuiuslibet virtutis soluat homo debitum vel Deo, vel prosimo, vel sibi ipsi, vel alicui præcepto, & legi, & videatur adæquare actum illum cum regula rectæ rationis. Neque est quæstio de iustitia legali, nam cum hæc omnibus imperet, munusque ipsius sit actus cæterarum virtutum dirigere in bonum commune non habet peculiarem sibi materiam, sed versatur circa aliarum omniũ materias in ordine ad suum finem & obiectum: imò vt docet Arist. 5. Ethic. cap. 1. Actus aliarum omnium virtutum sunt velut materia huius iustitiæ legalis ait enim. [Lex fortia opera præcipit & quæ temperati, & quæ mansueti.] Vnde tota quæstio est de iustitia particulari: An hæc iuxta suam propriam naturam & in ordine ad suum proprium obiectum habeat aliquam peculiarem materiam circa quam ex genere suo versetur, quænam illa sit.

Obseruemus secundò illud appellari materiam virtutis quod virtus ipsa reducit ad medium: sicut enim in artibus illud est materia artis, quod per artem perficitur introducendo in illud formam artis, ita in moribus

ribus illud est materia virtutis, quod per virtutem perficitur reducendo illud ad medium quod dictat recta ratio, babet enim se in moribus velut forma bonum rationis. Vnde sicut in artibus sunt diuersæ artes indocentes diuersas formas in diuersas materias quarum vna quæque suæ formæ & arti priuatim respondet, ita quoque in moribus sunt diuersi habitus qui diuersa bona rationis in diuersis materijs constituunt: quo effectum est, vt singulæ quæque virtotes suam priuatam materiam habeant in qua constituant medium & bonum rationis. Porrò cum proprium munus & officiom virtutis moralis sit componere mores humanos iuxta rectam rationem vnde dicta est moralis, mores autem humani à quibus studiosi vel vitiosi dicimor pendeant potissimè à nostro libero arbitrio & electione nostræ voluntatis, sicut hæc tria sunt quæ nostræ volũtati subijciontur, nempe actus & affectus interiores animi nostri, externæ operationes, & res quibus vtimur: ita quoqoe hæc tria sont vniuersa virtutum moralium materia. Distinguimus aotem hic inter actiones, & res, quia multæ sunt actiones quæ non distinguuntur à rebus io genere moris, vt solutio pecuniæ & pecunia soluta, multæ quoque sunt actiones in quibus nulla res interuenit præter nudam actionem, vt bonoratio, contamptus, laudatio, murmuratio, &c.

Obseruemus tertiò: Ex D. Tho. 1. 2. q. 22. ar. 1. in quo agit de passionibus, pati tripliciter dici. primò large & communi quadam significatione, quomodo quidquid aliud recipit & si nihil sibi congruum & conueniens amittat aot nihil sibi contrarium & disconueniens respiciat sed perfectionẽ aliquam dicitur pati, hoc modo dicitur luna pati à sole quando ab eo illuminatur, & intellectus noster pati quando recipit speciem intellectibilem, secundo modo & proprio dicitur pati quod amittit aliquid sibi incõueniens, & recipit quod sibi conueniens & congruum est, vt cum aqua calida frigescit amittit qualitatem, quæ ei natiua non est, & recipit ac recuperat eam quæ illi natiua est, & conueniens. Tertio modo & proprijssimè dicitur pati quod amitit qood sibi congruum est & conueniens, ac recipit quod sibi inconuenieos est & nociuum.

Ex his sequitur primò passionem necessariò fieri per receptionem alicuius exterius aduenientis, nec esse sine aliqua subiecti transmutatione, sequitur. 2. in voluntate propriè nullam esse passionem cum voluntas nihil recipiat ad eliciendum actum sed simpliciter iuxta præcedentem apprehænsionem, & iudicium intellectus eligendo aut repudiando, volendo aut nolendo, vnde sunt tantum in ipsa simplices actus volutiones aut nolitiones: sequitur tertiò, eo tempore qno anima est corpori cõiuncta posse oriri in appetitu sensitino veræ & propriæ passiones, quia si efficitur quod ipsa vult recipit iste appetitus aliquid sibi conueniens cum sui transmutatione, & nascitur gaudium, & lætitia in ipso, si verò quod ei displicet efficiatur recipit quod est sibi disconueniens cum sui trãsmutatione & nascitur in ipso tristitia vel dolor. Quando autem est separata à corpore nisi Deus vtatur miraculo non reperiuntur in ipsa passiones quia tunc nihil potest recipere cũ subiecti transmutatione, cum omnis transmutatio & susceptio externi disconuenientis pertineat ad aliquid corporeum: tùm etiam quia iuxta dicta omnis passio existit in appetitu sensitiuo qui habet sedem in organo corporeo quo anima separata omnino caret. Vnde animæ & spiritus beati verè quidem gaudent & lętantur, gaudium tamen illud & lętitia non sunt passiones, sed suauissima quædam apprehensio conformitatis sui status & boni cum suo desiderio, & volitione, damnati autem sicut miraculosè patiũtur ab igne corporeo, ita quoque etsi careaot organo corporeo in quo recipiatur transmutatio per quam fit passio, miraculosè nihilominus habent veras passiones doloris tristitiæ cruciatus & similes. His positis sit.

CONCLVSIO I.

Iustitia particularis de qua hic quærimus non versatur circa omnem materiam aliarum virtutum, sed habet propriam & peculiarem materiam, nempe actiones & res quæ dicunt ordinem debitum ad alterum.

PRobatur vniuersa materia virtutũ moralium, aut sunt interni affectus animi nostri, aut operationes externæ, aut res quibus vtimur, iustitia non versatur circa affectus, sed circa solas operationes & res, ergo non versatur circa omnem materiam virtutum, probatur minor: hoc differt iustitia ab alijs virtutibus intra suos limites sumptis, quod aliæ componunt hominem & efficiunt rectum in se ipso, iustitia verò in ordine ad alterum reddens vnicuique suum ius. & constituens ęqualitatem cum altero, componitur autem homo in seipso quando componuntur & regulantur affectus ipsius, componitur verò benè erga alterum & seruat illi suum ius ac debitam æqualitatem in actionibus & rebus illi debitis. Ergo materia circa quam versatur iustitia non sunt interni affectus, cum per eos vt in animo manentes ounquam lædatur aliorum ius, sed illæ tantum actiones & res io quibus potest vnus alteri nocere, aut cum eo æqualitatem seruare.

CONCLVSIO II.

Iustitia versatur circa actus internos voluntatis qui dicunt ordinem ad aliquod bonum debitum proximo.

PRobatur. Vnaquęque virtus habet doplicem actũ, alium immanentem & alium transeuntem, ex quibus primo & per se respicit immanentem, & interiorem: primò quia proprius actos, & immanens voluntatis, qui est electio, est quasi fundameotum essentiale ipsius virtutis, Secundò quia ab illo interiori immanente peodet tota bonitas vel malitia moralis. Tertiò quia ille immanens est principium, & causa exterioris, & transeuntis, vndę cum iustitia virtus moralis sit, versabitor potissime, & primo circa actus internos, & immanentes voluntatis qui dicunt ordinem ad debitum alteri. Et ita ab Arist. definitur iustitia per vtrumque actum, [Habitus quo iusta volumus, & operamur.] Quo fit vt in præcedenti conclusione per affectus animi non sint intelligendi isti actus voluntatis, sed passiones apetitus sensitiui, de quibus sit.

CONCLVSIO III.

Iustitia non versatur circa passiones, sed sunt ista materia tantum fortitudinis & temperantiæ.

PAtet; iustitia est tantum in voluntate, passiones verò in appetitu sensitino, ergo iustitia non versatur circa illas, sed pertinebunt ad fortitudinem & temperantiam quæ collocantur in appetitu sensitiuo, consequentia patet, quia ea vt vidimus art. 4. (virtus in) potentia est, in qua aut comprimit passiones, aut elicit actum, vnde cum passiones iosurgant in appetitu sensitiuo, iustitia verò sit in sola voluntate, non versatur circa illas. Secundò: iustitia dicit ordinem debitum alteri, passiones verò tantum respiciunt bonum vel malum ipsius met hominis. Ergo.

CONCLVSIO IIII.

Quamdiu anima corpori iuncta est, gaudium lætitia & similes passiones consequantur iustitiam vt quidam affectus ipsius.

PAtet, qoia boc est proprium omni virtuti, vt qui studiosè operatur propter conuenientiam quam

habent

habent vires inferiores cum superiori, in appetitu sensitiuo per receptionem istius conuenientiæ oriantur gaudium, lætitia & similes in ipso, sicut in quouis vitio propter discordiam virium inferiorum cum ratione per receptionem talis discordiæ oriuntur in eodé dolor, tristitia, & similes: ita 5. Ethic. c. [Non est inquit iustus qui non gaudeat iustis operantibus. Et 8. Ethic. 2. ait. Delectationem esse finem & fructum virtutis, sicut tristitia inquit est finis eorum, qui malè operátur.]

Doctrina horum artic. satis perspicua est ea his quæ art. 4. diximus & ex obseruationibus hic propositis, nihilominus Buridianus. 5. Ethic. q. 1. illi aduersatur sicut, & his quæ artic. 4. docet D. Tho. Habet enim duo, primo falsum esse iustitiam non versari quoque circa passiones, Secundò falsum etiam esse solam iustitiam versari circa operationes, & res vult enim circa illas versari quoque fortitudinem, & temperantiam. Prius illud ostendit ex illo suo fundamento, Iustitiam posse impediri à passionibus, & ideo necessariò collocandá quoque esse in appetitu sensitiuo ad eas cóprimendas, & consequenter versari circa illas. Secundo quia misericordia & liberalitas cum resideant in voluntate, & sint in ordine ad alterum non solum versantur circa operationes, & res: verum etiam circa passiones, quod multi etiam ex discipulis D. Thom. docent supra q. 33. art. 3. vnde idem erit iudicandum de iustitia: Tertiò iustitia legalis omnia refert in bonum commune, referet ergo etiam in illud actus temperantiæ, & fortitudinis, & cum hi actus pertineát ad passiones, saltem iustitia legalis versabitur non solum circa operationes, verum etiam circa passiones.

Posterius verò quod non sola iustitia verum etiam fortitudo, & temperantia respiciant quoque operationes, & res ita ostendit. Cum quæcunque virtus ex Arist. 6. Ethic. 2. sit habitus electiuus, potissimus actus cuiusque erit electio, vnde potissimus actus fortitudinis, & temperantiæ (cum sint virtutes) erit electio, electio autem operatio quædam est, ergo versantur quoque istæ virtutes circa operationes. Secundo fortitudo non solum versatur circa moderandas passiones irascibilis verum etiam circa exteriorem pugnam, temperantia non solum versatur circa moderandas passiones concupiscibilis, verum etiam circa cibos, & externam comestionem, pugna, & comestio operationes sunt, cib., & potus res quædam quibus vtimur. Ergo versantur etiam circa operationes & res. Tertiò falsum est fortitudinem, & temperantiam componere tantum hominem in ordine ad se ipsum, non autem in ordine ad alium, & similiter passiones quas istæ virtutes moderantur pertinere tantum ad propriam compositionem hominis in se ipso, nec dicere aliquem ordinem ad alterum. Prius ita ostenditur, Abstinentia facit vt cibus sumatur cum debitis circúſtantijs, vna autem ex illis est ne sit alienus, facit ergo abstinentia ne sumatur alienum, & ex consequenti componit hominem non solum in ordine ad se, verum etiam in ordine ad alium: Posterius verò hac ratione, ira, & concupiscentia carnis sunt passiones, at ira cum sit appetitus vindictæ, & concupiscentia cum sit quandoque vxoris aut filiæ alienæ dicunt ordinem ad alterum, Ergo iam passiones dicunt ordinem ad alterum, & oportebit iustitiam illas moderari.

Opposita tamen sententia quam habet D. Thom. est multo verior. Ac in primis, quod pertinet ad iustitiam legalem, hæc vt admonuimus nullam sibi peculiarem, & priuatam materiam védicat, sed circa materias omnium virtutum versatur, cú omnia referat in bonum commune, qua ratione potest intelligi Illud testimonium Glossæ, quod adducit hic D. Thom. ar. 8. ad 1. desumptum ex D. Aug. lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 10. & aliud testimonium eiusdem D. August. ex libro 83. q. q. 31. quod adducit hic D. Tho. ad 5. de iustitia legali, vt hæc sit quæ ibi dicitur à D. August. pertinere ad omnes animæ partes, & per omnes virtutes diffundi. Quamuis à D. Tho. aliter isti loci explicentur, vt iustitia dicatur pertinere ad omnes animæ vires, quia perficit volútatem, qua rectè composita per quandam redundantiam cæteræ omnes manent compositæ, cum sit volútas omnium Princeps, ac Regina, sibi & cæteris imperans. Dicatur etiam per omnes virtutes iustitia diffundi, quatenus iustitia est redditio debiti, & dicit quendam communem modum ad omnes virtutes pertinétem, vt in prima obseruatione horum artic. proposuimus. Vtraque expositio est accommodata. Sed vt reuertamur ad iustitiam legalem, hæc inquam, ex eodem D. Tho. art. 9. ad 3. non habet materiam specialem, quia hæc ordinat ciues, & omnia bona ipsorum ad bonum commune tanquam bonum partis ad bonum totius, passiones autem compositæ, & redactæ ad mediocritatem sunt bonum ipsorú ciuium, & ita hac ratione versatur circa eas iustitia legalis. Quamuis si propriè, & formaliter loqui velimus, iustitia legalis directè, & præcipuè non versatur circa passiones, sed circa operationes, vt docet idem D. Tho. in eadem solutione ad 3. ar. 9. vbi asserit iustitiam legalem versari præcipuè, & propriè circa operationes illarum etiam virtutum; quæ ex genere suo respiciunt passiones. Vt fortitudo (verbi gratia) Respicit primò, & præcipuè passiones, timorem, & audaciam, secundariò verò operationes externas, aggressum, vel fugam: iustitia autem legalis contra, primò & præcipuè respicit non timorem, vel audaciam, sed aggressum, vel fugam, quia Iustitia legalis propriè ea tantum respicit, quæ dicunt ad ordinem ad bonum commune, ad bonum autem commune hæc sunt, quæ faciunt, aggressus vel fuga, timor verò, & audacia remotè, & quatenus disponunt subiectum. Et ita iustitia legalis non dicitur absolutè respicere passiones tanquam materiam, sed operationes ipsas, passiones verò remotè, & indirectè, & per accidens, gratia operationum, Vel dicitur respicere passiones comparando illam cum iustitia particulari, quasi dicat, hanc legalem magis respicere passionem, quam illas respicit particularis: Et hæc est aperta sententia Arist. 5. Ethic. c. 1. & 2.

De iustitia verò particulari, quod nullo modo versetur circa passiones constat ex Arist. 5. Ethic. cap. 1. vbi nullum aliud, vt vidimus assignat subiectum iustitiæ nisi solam voluntatem, adductus hac ratione, quia sicut in voluntate nullæ sunt passiones, ita nec circa aliquas earum versatur iustitia. Constat etiam ex his, quę diximus ar. 4. vbi efficacissimè ostédimus iustitiam nulla ratione collocandam esse in appetitu sensitiuo, nec illius esse aliquas cohibere passiones, cum fortitudo sufficienter moderetur quascunque insurgentes in parte irascibili, temperantia quoque quascunque insurgentes in concupiscibili. Et confir. quia medium iustitiæ, vt art. sequen. videbimus non est medium rationis, sed rei, at si versaretur circa passionem cum in eis nó detur certa regula, sed quod dictat recta ratio pro loco, tempore, & persona esset medium ipsius rationis potius quàm rei, Denique si iustitia versaretur circa aliquas passiones, quia possunt aliquæ earum impedire actum iustitiæ, similiter cum aliquæ voluntates possint impedire actum fortitudinis, & aliqua pericula, & timores actum temperantiæ, versarentur etiam fortitudo circa voluptates, & temperantia circa pericula, essetque ex consequenti vtraque virtus tam temperantia, quàm fortitudo collocanda in vtroque appetitu tam irascibili, quam cócupiscibili, quod est absurdum.

Colligo ex his omnibus, cum voluntas sedatis passionibus appetitus sensitiui, quas sufficienter comprimunt fortitudo, & temperantia cum habitu iustitiæ faciat rectam electionem circa bona alteri debita, non esse cur iustitia dicenda sit versari circa passiones.

Ad diluenda verò argum. in oppositum obseruandú est, hæc vocabula operatio, & passio aliquando promiscuè

miscuè accipi, & accommodari omnibus actibus, siue intellectus, siue voluntatis, siue appetitus, siue potentiarum exteriorum, quomodo intelligere dicitur pati, dicitur & operari, videre est agere, est etiam pati, similiter velle, & quicunque alij actus, quia in omnib. actibus suis potentia habet se, vt efficiens quomodo dicitur agere, vel operari, & habet se, vt recipiens quõ dicitur pati, propriè tamen quoniam appetitus sensitiui fit cum quadam alteratione, & mutatione subiecti, accommodatum est hoc nomen passio ad significandos tantum actus istius appetitus, reliquæ verò actiones tàm volũtatis, quàm exteriorum potentiarum habent nomen operationis, imò quoniam per passiones benè vel malè disponitur homo erga seipsum, per operationes verò erga alterum, ideo propriè, & rectè loquendo illæ tantum actiones voluntatis, & ceterarũ potentiarum dicuntur operationes, per quas homo ad alterum ordinatur. Ac si rectè expendatur D. Thom. non vocat hic operationem ipsam electionem, aut internum actũ voluntatis elicientis, sed solas operationes externas, & has facit materiam iustitiæ, quia per eas ordinatur homo proximè, & immediatè ad alterum, sicut è contrario materia temperantię nõ est volitio, seu electio, licèt sit præcipuus actus eius, sed ipsemet passiones quarum compositio, & rectitudo proximè ordinatur in bonum proprium operantis.

Hoc posito facilè diluuntur argum. illa Buridiani. Ad primum iam constat ad passiones, quæ actum iustitiæ impedire possunt comprimendas sufficere fortitudinem, & temperantiam.

Ad secundum neganda est consequentia; hoc enim interest, inter misericordiam, & liberalitatem ex vna parte, & iustitiam ex alia, quod misericordia respicit ex æquo vtrumque & bonum proprium, & alienum, & sic versatur immediatè, & circa passiones, & circa operationes. Est enim intrinsecè compassio miseriæ alienæ inclinans ad illam leuandam, Qua parte est compassio respicit bonum proprium ne nimis, aut minus, quam oportet compatiatur, qua parte inclinat ad leuandam miseriam fratris respicit bonum alterius, & ita versatur, & circa passiones, & circa operationes, constituiturque misericordia, & in appetitu, & in voluntate: idem est de liberalitate consistit hæc in largiendis (verbi gratia) pecunijs alacriter facilè, & abundanter, vnde debet moderari nimiam pecuniæ cupiditatem: qua ratione hanc passionem moderatur respicit bonum proprium, qua verò ratione largitur alteri suam pecuniam respicit bonum alterius, & sic versatur, & circa passiones, & circa operationes constituiturque & in voluntate, & in appetitu: iustitia verò solum respicit bonum alteri debitum, & ita solum versatur circa operationes, & collocatur in voluntate.

Ad tertium patet solutio ex his, quæ dicta sunt de iustitia legali.

Ad ea quæ secundo loco afferuntur: Ad primum dico electionem voluntatis circa materiam temperantiæ esse reuera actum elicitum à temperantia, quæ est in appetitu sensitiuo, illa tamen electio non vocatur hic à D. Tho. operatio, sed passio, quia nomine operationis intelligit tantum exteriores operationes, quæ dicunt ordinem ad alterũ sicut in obseruatione posita explicatum est. Vnde neq; electio volũtatis elicita ab ipsa iustitia vocat' hic operatio, aut materia circa quã versatur iustitia: quia materia circa quam versatur virtus est (vt diximus in secunda obseruatione initio horum artic. posita) quid velut ex se informe, quod virtus reducit ad medium, & cui à virtute imponitur velut modus, & forma, electio autem voluntatis non reducitur ad medium, neque ei imponitur modus, vel forma, sed per illam electionem imponitur forma, & modus materiæ, quæ de se erat informis: ideo D. Tho. præsenti q. art. 8. nunquam vtitur solo nomine operationis, sed semper adiungit exteriores.

Obseruandum autem hic est, quamuis in hoc argu. & solut. asseramus electionem voluntatis circa materiam temperantiæ esse actum elicitum à temperantia, non inde colligendum esse existere illam in voluntate, vt in suo subiecto, quia temperantia non moderatur actum voluntatis, eliciendo in ea rectam electionem propter aliquem defectum, aut difficultatẽ, quæ in ipsa sit, sed propter difficultatem, quæ est in appetitu ratione passionum ipsius, virtus autem vt art. 4. dicebamus ibi constituitur, vbi est difficultas.

Ad secundum Respon. Quamuis fortitudo, & temperantia versentur etiam circa actiones externas, non tamen esse actiones istas illarum materiam, sed solas passiones interiores, cum circa eas proximè, & præcipuè versentur: circa actiones verò secundariò, & ratione passionum.

Ad tertium. Ad priorem partem illius arg. dico negandam esse consequentiam, quia licèt actus virtutis exigat omnes circunstantias, non tamen vna quæque virtus se sola illas omnes præscribit, sed mutua sibi virtutes omnes præstant auxilia. Et ita quod cibus sumatur moderatus pro loco, & tempore, & iuxta valetudinem personæ, præstat abstinentia, quod autem sumatur proprios, & non alienus præstat iustitia. Ad alteram partem respon. unum alteri nocere ex duplici radice oriri posse, aut ex malo animo, & odio, quo illum prosequitur, aut ex praua affectione, & passione appetitus: potest enim quis alterius bona surripere velle non ex cupiditate, aut vxorem non ex concupiscentia, sed ex odio, vt ea ratione illi noceat, potest etiam illa velle non vt noceat, imò optaret non nocere, appetit tamen ista ex passione appetitus: velle bona, aut vxorem alterius, priori modo est actus voluntatis immanens per se directus ad actus externos contra bonum proximo debitum, & circa hos omnes componendos versatur iustitia; hac enim ratione dicunt illi ordinem ad alterum, velle autem bona, aut vxorem alterius, secundo modo ex sola concupiscentia appetitus sensitiui, est passio interior, quæ per se sumpta nec prodest, nec obest proximo, sed illi soli, qui ita vult, nec dicit ordinem ad alterum, cum vellet ille si posset res illas sine nocumẽto proximi habere, & hoc modo tali desiderio, & concupiscentia sumptis pertinet ad temperantiam illa componere, quod si excant in actus externos, tunc pertinebit ad iustitiam illos regulare cum iam dicant ordinem ad alterum, etiam si procedant à passionibus, quæ pertineant ad temperantiã, quia actus externi non sumunt quo ad hoc speciem ab internis motibus, sed à rebus ipsis circa quas versantur. Et ita licèt ista desideria, & cupiditates, quę sunt principia exteriorum actuum quibus nocetur proximo pertineant ad temperãtiam, actus autem ipsi externi pertinent ad iustitiam, cum exerceantur in rebus fratri debitis, & in quas habet ius, quæ sunt materia iustitiæ.

ARTICVLVS X.

An medium Iustitiæ sit medium rei.

Dimittit hic D. Thom. quæst. illam, num consistat iustitia in medio, quia ex 1. 2. constat satis omnem virtutem in medio consistere, & art. 3. huius quæst. probatum est, iustitiam esse virtutem. Vnde hoc illi tantum explicandum mansit, quale sit ipsius medium, rei ne an rationis? Vbi obseruandum statim est, diuisionem istam medij non esse ita accipiendam quasi fiat in membra opposita, ita vt medium rei non subijciatur rationi, vel medium rationis non sit in rebus, medium enim iustitiæ, vt statim ostendemus est medium rei, & nihilominus maximè consonum rationi, quid enim magis dictat recta ratio, quàm vt cuique suum ius seruetur,

Adde

Adde quod omnis virtus ex Aristot. 2. Ethic. cap. 6. est habitus electiuus in mediocritate consistens iuxta rationem, prout prudens, & sapiens determinauerit: vnde cum iustitia virtus sit rectæ etiam rationi subiicitur. Similiter in alijs virtutibus in quibus medium est rationis, medium illud existit in rebus, vt in temperantia medium rationis, quod ipsa præscribit consistit in rebus, vt in cibo, & potu. Est ergo ista diuisio medij sic accipienda, cum medium versetur inter duo extrema, quæ in moribus sunt excessus, & defectus, medium virtutis est illud bonum, & rectum, quod ita se habet inter illa extrema, vt nec in excessum neque in defectum inclinet. Porrò cum hæc rectitudo, & æqualitas sumi possit, aut ex ipsa natura rerum simpliciter, & secundum se, rebus ipsis citra omne iudicium rationis iudicantibus existat ne talis rectitudo, & æqualitas in ipsis, vel non, aliquando verò non possit id certo ac definito sumi ex rebus ipsis, sed assignandum est per prudentiam à iudicio rationis pensatis omnibus circunstantijs, effectum est duplex esse medium in virtutibus rei, vel rationis: rei quando ista rectitudo, & æqualitas sumitur ex ipsa natura rerum simpliciter, & secundum se, rationis verò quando pensatis circunstantijs assignatur à iudicio rationis.

Obseruemus secundò in virtutibus, quæ componunt hominem in seipso, cum versentur illæ circa passiones, sicut passiones ex se sunt indifferentes, & pensandæ ex circunstantijs, ita quoque medium, & æquale in ipsis assignandum esse à prudentia, & iudicio rationis consideratis omnibus circunstantijs: vt in temperantia medium est tantum sumere cibi quantum oportet, quod non potest pensari ex natura cibi, forsan namque quod Petro est parum, Ioanni erit nimium, propter quod debet ratio considerato prudenter temperamento, & valetudine Petri, qualitate cibi, & alijs circunstantijs decernere qui cibus sit Petro commensuratus: In iustitia verò cum sit ad alterum, & versetur circa operationes, & res alteri debitas, medium & æquale sumitur citra omne iudicium rationis, ex ipsa natura rerum simpliciter, & secundum se: vt cum volo soluere Petro debitum non quæro iudicium rationis, sed rem ipsam inspicio, & quantitatem debiti, & iuxta illam seruo æqualitatem: debeo 100. reddo 100. seruaui æqualitatem.

CONCLVSIO I.

Medium iustitiæ non est medium rationis, sed rei, in fortitudine autem temperantia, & alijs virtutibus moralibus non est rei, sed rationis.

PAtet ex dictis. Quia in iustitia ad reddendum æquale, quod est medium ipsius non quærimus iudicium rationis iuxta varias circunstantias, sed quantitatem debiti simpliciter, & secundum se, & iuxta illam redditur æquale: in fortitudine autem temperantia, & alijs virtutibus moralibus cum versetur circa passiones, in quibus non datur certum medium, & æquale ex natura rei, sed quod assignat recta ratio pensatis circunstantijs: ita quoque non datur certum medium in ipsis, sed iuxta diuersitatem personarum varium, & diuersum medium debet assignari. Vt intemperantia quod est medium homini sano erit forsan extremum secundum excessum infirmo: in iustitia verò tantum tenetur soluere infirmus quantum sanus, tantum princeps quantum seruus, uem pœquale debito. Quod si mutata persona mutatur aliquando medium, illud est, quia mutata persona mutatur debitum, vel æqualitas, quæ in rebus ipsis consistit, ita meretur maiorem pœnam, qui occidit regem, quam qui occidit priuatum aliquem, non quia aliud sit medium iustitiæ in homicidio regis, & homicidio plebei, sed quia mutatur grauitas delicti, qua mutata debet etiã mutari grauitas pœnę, vt seruetur æqualitas.

Sed obijciet quis contra conclusionem D. Thom. Actus est temperantiæ, quando quis vtitur vxore propria, & non aliena, in huiusmodi autem actu seruat istæ æqualitatem, & rectitudinem ex natura rei, iam ergo dabitur in temperantia medium rei: Respondeo actum istum esse temperantiæ & iustitiæ simul, reperirique in ipso medium rei, non quatenus temperantię est, sed quatenus iustitiæ, quia iste homo duo in hoc actu præstat, comprimit concupiscentiam carnis, & vtitur proprio iure seruato simul alieno, cum non ad alienam, sed ad suam accedat, prius illud est temperantiæ, posterius verò iustitiæ, & hoc posteriori modo habet iste actus rectitudinem, & æqualitatem ex natura rei & medium rei.

In solutione ad secundum obseruandum est, nullam virtutem secundum se suscipere medium, aut habere extrema vitiosa, quoniam omnis actus virtutis qua talis est, est essẽtialiter bonus, nec in opere iusto, vel temperato potest esse excessus, aut transiri terminus rationis, quia aliter iam non esset opus virtutis. Vnde discrimen, quod constitui solet inter virtutes Theologicas, & morales, quod Theologicę non suscipiunt medium, morales vero suscipiunt, illud non est intelligendũ qua virtutes sunt, sed ratione materiæ circa quam versatur, quia virtutes Theologicę versantur circa Deum, qui cum infinitæ sit perfectionis, non suscipit medium, morales verò cum versentur circa res creatas, quibus potest homo bẽnè vel malè vti, iuxta diuersos modos quibus vti licet, propterea in eis est medium siue modus, iuxta illud Poetæ est modus in rebus sunt certi denique fines, &c. circa hunc art. videre licet Arist. 2. Ethic. cap. 6. & 5. Ethic. cap. 3. & 4. & D. Thom. 1. 2. quæst. 64. art. 1. & quæ inferius dicemus q. 65. art. 2. & 4.

ARTICVLVS XI.

Sit ne proprius actus Iustitiæ reddere vnicuique quod suum est?

CONCLVSIO I.

Proprius actus iustitiæ est suum vnicuique tribuere.

PAtet ex definitione iustitiæ; definita enim est art. 1. huius quæst. per istum actum, vnusquisque autem habitus definitur per suum proprium actum: Secundò, proprius actus cuiusque virtutis versatur circa propriam ipsius materiam propria materia iustitiæ ex art. 8. & 9. sunt actiones & res alteri debitæ, vnde proprius actus ipsius erit seruare æqualitatem cum altero in actione, vel re illi debita, seruatur autem huiusmodi æqualitas tribuendo vnicuique suum, ergo. Denique proprius actus cuiusque virtutis est seruare medium in sua materia, medium autem virtutis est obiectum, quod ipsa respicit, cum illud sit bonum, & rectum ipsius, iustitiæ verò obiectum est ius alteri debitum, vt vidimus ar. 1. præced. quæst. erit ergo proprius actus iustitiæ seruare cuique suum.

CONCLVSIO II.

In isto actu affirmatiuo iustitiæ, qui est reddere cuique suum continetur actus negatiuus, non lædere, non nocere, &c.

COnstat hoc abundè ex dictis art. 1. huius quæstio. cum explicauimus diffinitionem iustitiæ adductam ab Vlpia. & illa verba ipsius: [Iuris autem præcepta sunt, &cæt.] Hæc omnia accuratè complexus est D. Ambr.

D.Ambro.lib.1.officio.c.24.his verbis.[Iustitia est,quę vnicuique quod suum est tribuit, alienum non vendicat,vtilitatem propriam negligit,vt communem æqui tatem custodiat,]Simile quid habet Arist.5.Ethic.c.4.

ARTICVLVS XII.

Sit ne Iustitia præstantissima virtus inter morales?

Obseruemus initio D.Thom.non comparare hoc loco iustitiam cum omnibus virtutib. sed cum his tantum quæ sunt in voluntate, vel appetitu. Nam primò non comparat eas cum Theologicis, quas cæteris omnibus præstare certissimum est,cum proprium & immediatum obiectum earum sit Deus, cæterarum verò aliquod bonum creatum,finitum,& naturale. Neque comparat eam cum intellectualibus quia certũ etiam est ex his, quæ docuit 1.2.quæstio.66.art.3.]intellectuales digniores esse moralibus. (etsi morales ad vitæ honestatem sint magis vtiles, & necessariæ) primò ratione subiecti:illud enim quod est rationale per essentiam, præstátius est eo,quod est rationale per participationem, intellectus autem est rationalis per essentiam, imò ipsa ratio,& essentia rationis,voluntas aut est rationalis per participationem,& multò remotius appetitus sensitiuus, vnde virtutibus in intellectu residentes eo ipso excellunt existentibus in voluntate, vel appetitu, maximè cum virtutis sit eligere secundum rationem. Secundò id ipsum habent ex obiecto:verũ enim quod est obiectum intellectualium, præstantius est bono, quod est obiectum moralium, quia verum abstrahit ab existentia,cum intellectus perficiatur per cognitionem veri,siue res existat siue non; bonum autem dicit ordinem ad existentiam, adeò vt res non diligatur nisi existat,vel credatur existere. Vnde verum est,quid magis spirituale,& magis separatum a materia, quàm bonum,& eo nomine dignius ; ac nobilius. Quod si quis velit hic obijcere virtus est,quæ facit bonum habentem & opus eius bonum reddit, hoc autem non præstant virtutes intellectuales, sed morales, cum illas & improbi possint habere,morales vero solum viri optimi,& studiosi.Secundò,proprium est virtuti applicare potentiam ad vsum,hoc non conuenit intellectualibus,quæ tantum efficiunt cognitionem in intellectu,sed moralibus, quæ perficiunt voluntatem, & appetitum in ordine ad actus studiosos,& bonos mores,vnde dictæ sunt morales,denique per intellectuales nec meremur,nec vitam æternam consequimur sicut per morales. Facilè hæc diluuntur, si consideremus,quod ex eodem D.Tho. possumus colligere 1.2. q.47.art.4.virtutes bifariam considerari posse,aut secundum communem rationem virtutis,aut secundum suas peculiares, & priuatas rationes, ac perfectiones, nihilque prohibere, quin virtus quæ comparata cum alia, secundum suas proprias, & priuatas naturas, ac rationes est perfectior illa secundum communem rationem virtutis sit eadem minus perfecta. Sicut enim in scientijs scientia de anima præstantior est mathematicis,si priuatim inter se comparetur, quia de præstantiori subiecto,secundum communem tamen rationem scientiæ,quæ est euidentia & certitudo, præstant mathematicæ scientiæ de anima, quia certius & euidentius demonstrant:ita cum virtutes accipiant suas priuatas species,& essentias ab obiecto,si priuatim, & secundum suas proprias rationes comparentur, illa est dignior quæ habet dignius,& excellentius obiectum, si verò secundum communem rationem virtutis, quæ est reddere habentem bonum, & applicare potẽtiam ad vsum, illæ erunt digniores, quæ hoc efficiunt, & cum comparatio virtutum non fiat secundum communes rationes virtutis, sed secundum suas proprias, & priuatas essentias, digniores sunt absolutè & simpliciter,quæ habent excellentius obiectum. Hac ratione fit,vt licèt morales efficiat bonum habentem, & potentiam applicent ad vsum, & per eas,idest earum actus mereamur, propter quod secũdum communem rationem virtutis videntur præstare morales intellectualibus,simpliciter tamen & absolutè intellectuales sunt illis digniores,cum respiciant excellentius obiectum.Quo etiam nomine ducet Arist.10.Ethic.cap.7. intellectum præstare voluntati. Denique neque comparatur hic iustitia cum omnibus Cardinalibus, cum ex eodem D.Thom.1.2.q.66.ar.1. prudentia omnibus præstet:est enim hæc partim intellectualis,partim moralis intellectualis, quia existit in ratione, vt in suo proprio subiecto, moralis verò, quia respicit bonum, vnde quacunque ratione sumatur omnibus moralib. excellit.Etenim si sumatur,vt intellectualis excellit ratione subiecti, si verò vt moralis excellit etiam, quia est dux & auriga cæterarum, assignans omnibus ordinem,& dispositionem mediorum, quibus vnaquæque suũ finẽ obtineat,velut Dux in exercitu.Ita fit,vt comparetur hoc loco iustitia, cum his tantũ virtutib. quę sunt in appetitu,fortitudine,scilicet,& temperantia.

Obseruemus secundò. Excellentiam & dignitatem alicuius virtutis non esse sumendam ex vna, aut altera tantum ratione, vel radice, sed cum multa conueniant virtutibus, illam esse habendam excellẽtiorem in qua plura illorum concurrent.Potest enim excellentia virtutis sumi,primò ex obiecto : secundò ex subiecto:tertiò ex actu: quartò ex materia circa quam versatur:quintò ex difficultate:sextò ex necessitate,denique ex ordine quem habet virtus illa,& priuatum bonum ipsius ad bonum diuinum, vel cõmune,quæ sunt bona præstantissima : quando igitur comparamus virtutes inter se non sunt comparandæ pœnes vnum,aut alterum istorum,sed expendendum in qua plura eorũ reperiantur,& illa censenda est præstantior. Potissimè verò sumenda est dignitas virtutis ex his : primò ex subiecto, Deus enim & natura præstantiora subiecta præstantioribus ornamentis solent illustrare:secundò ex obiecto in quo includitur actus, cum habitus sint propter actus,& actus propter obiecta, & ratio huius secundi est,quia vnaquæque res inde sumit communiter dignitatem, vnde speciem & essentiam ; vt homo, cur præstat cæteris animantibus? quia rationalis est, à differentia à qua sumit speciem, sumit & dignitatem, ita & virtus cum ab obiecto sumat speciem ab eodem sumit,& excellentiam:tertiò à difficultate,quia cũ versetur circa arduũ,& difficile, in facillimis exigua sufficit virtus:quartò ex ordine quem haber ipsa, & bonum eius ad bonum diuinũ,vel commune. Quemadmodum enim in naturalibus, quod supremum est in aliquo genere est regula,& mensura aliorum eiusdem generis,ita vt quod magis accedit ad illud supremum sit perfectius, & excellentius in tali genere,vt in calidis,quia supremum calidum est ignis,quod magis accedit inter calida ad ignem, est perfectius in genere calidi : ita in moralibus cum supremum inter bona sit diuinum,& illi proximum, quod commune est,& publicum,hæc bona sunt regulæ,& mensuræ aliorum,& consequenter quod magis ad illa accedit excellentius est, digniorque virtus cuius proprium bonum magis deseruit diuino,vel communi.

Quando verò dicimus dignitatem virtutis ex actu etiam desumi posse, obseruãdum est,non esse quosuis actus virtutũ inter se comparandos,sed similes,vt supremũ vnius cum supremo alterius,& mediũ cum medio:nã si comparetur actus supremus alicuius virtutis cũ medio vel infimo alterius, poterit quæ præstantior est,in ea cõparatione minus præstans videri: vt ieiunare in pane,& aqua præstantius est, quã soluere pomũ quod emisti,nec propterea iustitia inferior est abstinẽtia,quia facta est cõparatio inter voũ ex præcipuis actibus abstinentiæ,& vnum ex infimis actibus iustitiæ.

CON-

CONCLVSIO I.

Iustitia legalis excellentior est, quauis virtute morali earum quæ sunt in appetitu sensitiuo.

PRobatur: Dignitas virtutis sumenda est ex obiecto, ex actu, ex difficultate, & ex ordine ad bonũ diuinum, vel commune: obiectum iustitiæ legalis, cum sit bonum publicum & commune dignius multò est obiectis aliarum, quæ sunt particularia aliqua bona: Actus quoque iustitiæ legalis, cum idem bonum respiciant excellentiores iudicantur actibus cæterarũ: vnde pugnantes pro patria, expendentes bona sua pro salute Reip. vt viros excellentissimos, & heroas habemus: Difficilius etiam bona communia, quàm priuata, & propria solemus curare, & difficilius inueniuntur, qui Reipub. causas agant, gubernationem rectè exerceant, quàm qui suis priuatis domibus præsint, omnibus igitur his nominibus legalis iustitia cæteris est præferenda.

Secundò: Virtus superior, & imperans excellentior esse debet inferioribus, quibus imperat, iustitia legalis imperat cæteris moralibus, & earum actus dirigit in suum finem, & bonum nempe commune, ergo. Hoc nomine adeò illam afferunt Cicero, & Arist. appellantes eam splendorem maximum, & veluti Hesperum, ac solem inter astra, quia sicut Sol cęteris lumen suum impertitur, ita iustitia legalis eo ipso, quo omnium virtutum actus ad bonum commune refert, ad quod omnes referendæ sunt veluti partes ad totum, maximè illas illustrat.

Tertiò illa virtus censenda est dignior, qua Respub. magis indiget, & quæ illi vberiores affert fructus, & cuius maior cura esse debet Legislatori, & Principi: huiusmodi esse iustitiam legalem perspicuum est: sine ipsa namque Respub. consistere non possent: sed omnia vitijs, & iniurijs replerentur, quo nomine Arist. 7. Polyt. c. 15. & 1. Rethoric. illam vocat omnino necessariam, in pace, in bello, &c. & adeò vtilem, vt fortitudo, temperantia, ac reliquæ omnes hac deficiente mutilæ videantur, & mancæ, iustitia verò seruata incolumes existant. Ergo.

Hæc conclu. est doctrina Arist. 5. Ethic. c. 1. & 2. & 1. Retho. c. 9. & 7. Polyt. loco cit. & 3. Topic. c. 1. & 2. vbi maximas facit eas virtutes, quę alijs honestissimæ, vel vtilissimæ sunt, huiusmodi est iustitia.

CONCLVSIO II.

Non solum iustitia legalis, verumetiam particularis omnibus moralibus, quæ sunt in appetitu præstat.

PRobatur ex eodem principio. Dignitas & excellentia virtutis sumenda est ex illis. 6. nempe subiecto, obiecto, difficultate, vtilitate, necessitate, & ordine ad bonum commune, sed his omnib. titulis, iustitia etiam particularis cęteras virtutes appetitus: antecellit ergo: Minor inductione constabit: in primis excellit, subiecto, cum iustitia in voluntate existat, aliæ verò in appetitu. 2. Obiectio bonum enim alienum, quod respicit iustitia nobilius videtur, cum nobiliorem animum arguat affectum esse ad bonum alienum, quã ad proprium. 3. Actus iustitiæ huius difficilior est, cum ad bonum alienum non sit natura nostra, ita propensa sicut ad proprium, vbi autẽ natura minus propensa est, difficilius ibi actus exercetur. Ita dicebat Aristo. 5. Ethic. ca. 1. [Complures in proprijs vti quidem virtute possunt, sed in his quæ sunt ad alium nequeunt, quia res est magis ardua.] 4. & si omnes virtutes appetitus vtiles sint bono communi, nulla autem ita vtilis ac necessaria Reipub. sicut iustitia: nulla enim re ciuiũ pax, & consensus adeò fouetur, quam seruato vnicuique suo iure. Cæteræ, vt fortitudo, & temperantia desiderantur quidem in hac, vel illa temporis occasione, iustitia verò etiam particularis in pace, in bello, & omni tempore, imò si iustitia seruetur parum exigitur fortitudo, cum illa seruata nulla ferè essent bella: Denique ad diuinam volũtatem exequendã nulla commodior est virtus, cũ maior pars legis diuinæ (in cuius obseruatione salus nostra cõsistit) ad iustitiam pertineat: posteriora enim. 6. præcepta secundæ Tabulę, Non occides, nõ furaberis, &c. iustitiæ pręcepta sunt, imò & Religio ad quã pertinent præcepta primæ Tabulæ, & pietas ad quã pertinet primum præceptum secundæ partes, quædã iustitiæ sunt, quas vocamus potẽtiales. Et quę maior iustitiæ commendatio, vt tàm Deus, quàm humani Legislatores nullius virtutis tantam curam videantur habere, quã huius? neque suo ducuntur in eo spiritu, sed illo, qui sapientiam gubernatores docens ab his exorditur verbis. [Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.]

Offert hic art. occasionem disputandi de excellẽtia virtutum, quænam alijs præstet, quam q. D. Tho. in hac secun. secun. ad minus decies proponit. Primò de misericordia q. 30. art. 4. Secundò de iustitia hoc loco. Tertio de Religione inf. q. 81. art. 6. Quartò de obediẽtia. q. 104. ar. 3. Quinto de liberalitate q. 117. art. 6. Sexto de Fortitudine q. 123. art. 12. Septimo de Patientia. q. 136. art. 2. Octauo de Temperantia q. 141. art. 8. Nono de virginitate q. 152. artic. 5. Decimo de humilitate q. 161. art. 5. Potissime verò solet hic ab interpretibus D. Tho. tractari triplex quæstio Prima comparando iustitiam cum fortitudine, & temperantia ac alijs virtutib. moralibus ab ea diuersis, quæ est propria huius loci. Secunda comparando fortitudinem, & temperantiam inter se, quæ reuera eius loci est in quo de ipsis priuatim differetur nempe q. 123. & q. 141. Tertia comparando iustitiam cum virtutibus, quæ sunt velut quædã partes ipsius, quales sunt. Religio, Pietas, liberalitas, misericordia, & similes, quæ dicunt ordinem ad alterum: Nos ex his tribus quæstionibus primam tãtum, & tertiam persequemur per nonnullas controuersias. Quarum prima, vt facilior, & breuior sit.

An Iustitia præstet temperantiæ.

HAec controuersia satis explicata manet ex conclusionibus D. Tho. cogimur nihilominus eam rursum examinare propter Buridia. qui 5. Ethic. q. 6 vult temperantiam & quamcunque virtutem qua homo in seipso benè componitur pręstare iustitiæ quę cõponit hominem in ordine ad alium, quod ita probat. Cum regulæ præstantissimæ ad componendos mores humanos sint natura, & charitas, illę virtutes morales erunt præstantiores, quæ magis immitabuntur ordinẽ naturæ, & charitatis, Natura autem & charitas magis inclinant hominem ad bonum propriũ quam ad alienum, nam si charitatem spectes charitas bene ordinata incipit à se ipso, si naturam, ordine naturæ amicabilia, quæ sunt ad alterum (vt ait Arist. oriuntur ex amicabilibus, quæ sunt ad se. Præstant. Ergo virtutes, quę perficiunt hominem in se ipso virtuti, quæ proficit illum in ordine ad alium: Quod si dixeris partem seipsam exponere pro toto, ait ideo ita fieri, quia ex conseruatione totius pendet quoque ipsius conseruatio, nec tam propter bonum totius, quam propter suum priuatum bonum ita agere partes.

Secundò temperantia cum, & animæ, & corpori vtilissima sit, aliaque innumera commoda pariat pręferenda est iustitiæ, quæ non ita vtilis est.

Sed hæc facilè diluuntur: proposito enim illa naturam, & charitatem magis inclinare ad bonum proprium, quàm alienum distinguenda est. Primum enim bonum alienum duplex est, commune, & particulare, si intelligat auctor iste de communi aperte decipitur, commune siquidem cuius proprio charitas teste Apostolo, & Aug. præferit locum enim Pauli charitas non

quærit,

quærit, quę sua sunt ita exponit D. Aug. quia non propria communibus, sed communia proprijs anteponit. Natura quoque magis inclinat ad bonum commune; exponit enim manus seipsam pro capite, non vt seipsa conseruato toto tueatur vt fingit contra omnem philosophiam Buridia. cum se ipsam exponat etiam peritura, sed vt conseruato capite saluti totius consulat, ascendit quoque aqua suæ propriæ, & priuatæ inclinationis oblita ne detur vacuum, quia ita expedit bono communi vniuersi. Vnde iustitia legalis cum bonum commune respiciat, aperte alijs virtutibus, quæ bona tantum particularia curant excellit. Iustitia quoq; particularis licèt non ita directè reductiue tamen respicit etiam bonum commune præ cæteris, cum nulla re ita pax, & tranquillitas Reipub. subsistat quam reddendo cuique suum: quod fit, vt vtraq; iustitia sit magis cōsona inclinationi charitatis, & naturæ, quam aliæ virtutes, quæ componunt hominem in seipso. Quod si loquamur de bono priuato, & particulari, hoc quātum ad præsens institutum duplex etiam est, honestum, & vtile, quoad honestū inclinat quidem magis charitas ad proprium, quàm ad alienū: quo ad vtile tamen contra imò in hoc magis iustorum charitas apparet, quod vtilitati proximorum temporali magis quàm propriæ studeat, temporaliaque illorum incommoda, & damna plus quam propria doleat. Quod vel ex eo constare potest, quia caritatis est inclinare ad suum perfectissimum actum, perfectissimus autem actus ipsius est negligere propriam uitam, (quæ maximum bonum inter temporalia est (aliorum causa, dicente Christo: Maiorem charitatem, &c. Imò si ipsum quoque bonum honestum respiciamus, maior est honestas in iustitia quā in alijs virtutibus appetitus, omnium namq; iuditio, honestius, & studiosius dicetur agere, qui soluit debita, & exequitur ea ad quæ tenetur ex iustitia alijs omissis, quàm qui strenuè pugnat, vel ieiunat, non soluens debita cum possit, Esa. 58. copiosè quantum quæ iustitiæ sunt in ieiunio, & alijs virtutibus excellant, ipse dominus ostendit.

Nec vllam vim habet secundum, quamuis enim Arist. 7. Polyt. cap. 15. temperantiam iustitiæ æquare videatur, quia vtraque tam tempore pacis quàm belli plurimum necessaria sit, alias autem innumeras vtilitates afferre iustitiam, quas non habet temperantia, ex dictis constar.

SECVNDA CONTROVER.

An iustitia sit præstantior quam Religio?

PArs negans maxime probabilis est: Primò: quia iustitiæ etiam legalis quæ magis excellit, obiectum est bonum quidem cōmune, sed humanum, creatum, finitum. obiectum autem religionis est bonum supernaturale, & diuinum, cultus scilicet ipsius Dei, vel Deus ipse quatenus colitur a creatura.

Secundò, quia actus religionis aliquando est difficilior quocunque actu iustitiæ, nemo enim tenetur actus iustitiæ exercere cum periculo vitæ, vt restituere debita vel famam, tenetur autem aliquando exercere actus religionis cum tali periculo, vt si ita exigat causa apud hæreticos vel paganos.

In oppositum videtur esse hic D. Tho. qui iustitiam omnibus moralibus præfert quarum vna est religio.

Caiet. inf. q. 81. art. 6. quem sequuntur multi ex recentioribus existimat iustitiam legalem præstare religioni, quia religio inquit est, quædam pars iustitiæ, cum iustitia dirigat quoque ipsam in bonum commune sicut fortitudinem, & temperantiam, vnde omnes gentes respicientes bonum commune & optimam institutionem suæ Reipub. erigunt templa designant sacerdotes, & sacrificia, & curant diligenter cultum sui Dei, certum autem est virtutem quæ habet se, vt totū, & imperat præstare illi quæ habet se, vt pars, & imperata. Confirmat ex D. Tho. hoc loco in vniuersum iustitiam legalem præfert omnibus virtutibus moralib.

Ad argumenta autem in oppositum respondet, ad primum, iustitiam legalem non solum respicere bonum commune humanum, verum etiam bonum diuinum, idest, cultum Dei in ordine ad bonum Reipublicæ. Ad secundum vero exponendam esse aliquando vitam pro actibus religionis, nō simpliciter, sed quando actus illi sunt exterior confessio fidei, ad quam tenemur ex præcepto fidei, cum non sufficiat corde credere, verum etiam debeamus ore confiteri, quando causa fidei ita postulat. Quin etiam in hoc inquit iustitia legalis inferior nō est, cum pro bono communi etiam exponenda aliquando vita sit, iustitiam, verò particularem fatentur religione inferiorem esse ob argumenta initio huius controuer. proposita.

Hanc Caiet. sententiam licèt a multis receptam alij non amplectuntur, asserentes religionem tàm iustitię legali, quam particulari præstare. Quod probant primo ex D. Tho. qui eodem loco religionem omnibus virtutibus moralibus præfert, nec distinguit inter hanc iustitiam vel illam, nec aliquam excipit.

Secundò ratione eiusdem D. Tho. quia religio maximè accedit ad virtutes Theologicas, adeo, vt actus eius sint actus quodammodo fidei, cum illis profiteamur Deum quem fide credimus. Tùm etiam religio propinquior est Deo, quamuis non, vt obiecto, attamen, vt fini fere proximo, perfectio autem virtutis sumitur ex propinquitate eius ad vltimum finem.

Tertiò obiectum religionis nempe cultus Dei præstat obiecto iustitię, vt in primo arg. dicebamus, nec valet solutio Caiet. quia licèt iustitia legalis respiciat etiam cultum diuinum in ordine ad Rempub. religio autem respicit illum secundum se, & absolutè, vt debitum Deo, cultus autem Dei secundum se, & vt debitus Deo præstantior est se ipso sumpto in ordine ad Rempub. sicut bonum diuinum secundum se, quod respicit charitas, longe præstantius est, quàm idem bonum diuinum in ordine ad nos, & vt beatificans nos, quod respicit spes: qua ratione ex eodem D. Tho. charitas excellentior est spe. Et confirmatur quoniam etiam Deus, quem saltim in obliquo respicit religio, & cultus Dei, immediatè, & secundum se præstat cuiuis bono humano, quātumuis publico, & communi: Nec aliquid efficiunt arg. Caiet. quoniam iustitia legalis nō imperat religioni, tanquàm inferiori, sed iuuatur ab ea, tanquàm à superiori, sicut iuuatur prudentia regnatiua ad condendas leges, quam tamen constat ipsi iustitiæ legali præstare, & sicut oratione iuuamur ad impetranda bona temporalia, quæ tamen oratione inferiora sunt, nec dicuntur orationi imperare. Vnde ad argum. in oppositum dico D. Tho. in hoc art. comparare tantum iustitiam siue legalem siue particularem cū virtutibus moralibus, quæ omnino videntur humanę, & quæ ordinant ad proximū potissimè cum illis, quæ sunt in appetitu sensitiuo: quod patet, cum probet iustitiam legalem esse excellentiorem, quia bonum commune præstet cuiuis bono singularis personæ: particularem verò quia hæc respicit bonū alterius, quod pertinet ad voluntatem, alię verò respiciunt proprias passiones, quę insurgunt in appetitu sensitiuo. Religio autem est in voluntate, respicitque bonum diuinū, propter quod est quædam virtus diuina sicut Theologicę, & obiectum ipsius est maximè cōiunctum obiectis Theologicarum: vnde non comparantur hic à D. Th. iustitia cum ipsa. Qua etiam ratione negandum est iustitiam esse quoddam totum, cuius religio sit quædam pars, superior enim, & dignior virtus non est cōstituenda pars inferioris. Nec obstat cōstitui in Repub. leges concernentes ad ea, quę sunt religionis, & cultus diuini, feruntur enim etiam leges à Repub. de his, quæ expectant ad fidem, vt de punitione hæreticorum, nec propterea dicēda est fides inferior iustitia legali. Similiter in hoc casu non est dicenda iustitia legalis ordinare religionem, & cultum diuinum ab bonum

commune

commune ficut medium ad finem, & eo modo quo dirigit actus fortitudinis, & temperantiæ ad illud, sed curare cultum diuinum, vt ab omnibus ciuibus debitum. Quod si quis obijciat iustitiam perfectè reddere æquale, quod religio non valet, cum Deo nunquam possit reddi par, & æquale, & hoc nomine excellere iustitiam; Respond. cum D. Tho. eo loco: dignitatem virtutis non tam attendi penès potestatem, quam penès voluntatem, & desiderium animi, & ita religionē non esse minus dignam, quamuis non possit reddere æquale Deo quem colit, cum non deficiat ei voluntas. Quæ responsio ostendit etiam D. Thom. comparare eo loco religionem cum omni iustitia, cum omni iustitiæ hoc conueniat, nempe reddere æquale.

TERTIA CONTROVERSIA.

An misericordia sit præstantior iustitia?

DIuus Tho. supra q. 30. art. 4. præfert misericordiam omnibus virtutibus in quibus homo alteri non subijcitur, quod addit propter obedientiam, quàm omnibus ante ponit, vnde cum per iustitiam homo alteri non subijciatur, præstabit etiam misericordia iustitiæ additq; ibidem D. Tho. misericordiam esse maximam virtutem inter eas, quę dicunt ordinem ad proximum.

Secundò. Actus misericordiæ, qui est leuare miseriã fratris, præstantior est actu iustitiæ, qui est reddere debitum, ergo & misericordia erit præstantior iustitia: antecedens patet, quia leuare miseriam alterius est altioris, & potentioris subiecti, reddere autem debitum, non est necesse, vt sit actus altioris, aut melioris, Imò eo ipso quo aliquis alteri est debitor videtur illi esse inferior.

Tertiò sume actum iustitiæ quantumuis perfectum, datur actus misericordiæ illo perfectior, & excellētior leuare enim omnem miseriam, & corporalem, & spiritualem non solum à personis priuatis, verum etiam à tota Repub. tàm propria, quàm aliena, & ab omnib. in vniuersum hominibus, pertinet ad misericordiam, at hic actus diuinus est, & quo nullus potest excogitari melior, aut perfectior. Ergo.

Huic controuersię sic est satisfaciendum, vt cum misericordia sicut docet D. Tho. q. illa tertiò duplex sit, aliæ quæ collocantur in appetitu sensitiuo ad componendam tristitiam, & compassionem, quæ habetur de miseria aliena, alia verò, quæ existit in voluntate, habitu, & reuera ab illa priori distincta, quæ versatur circa operationes, inclinans voluntatem ad leuandam miseriam alienam propter Deum, Prior illa est inferior iustitia, non solum legali verum etiam particulari, cũ vtraq; harum, fit in voluntate, illa verò misericordia in appetitu. Posterior verò præstantior est vtraque iustitia, tam legali, quàm particulari: Primò quia ista misericordia habet communius, & vniuersalius obiectũ nempe leuare omnem miseriam, vt probant argumenta proposita, propter quod constituuntur tot opera misericordiæ corporalia, & spiritualia: vnde est virtus adeò diuina, vt misericordia simpliciter, & absolutè in solo Deo reperiatur, qui solus sit omnibus bonis affluens, omnem potest leuare miseriam, in creaturis, verò reperitur tantum secundum quid, & pars quædam, quia potest creatura aliquam quidem alterius leuare miseriam non tamen omnem, cum nulla omnibus bonis, & perfectionibus sit prædita. Denique actus misericordiæ non solum est imperatus, verum etiam elicitus à charitate, sicut, & ipsa misericordia effectus quidam charitatis est, propter quod, & si habeat se admodum virtutis moralis, reducitur tamen secundum suã naturam ad Theologicas, & ita nullum est incommodum, vt præstet iustitiæ, cum tam Theologicę virtutes, quã quę ad illas reducuntur pręstantiores sint iustitia.

Nec repugnat, quod hic habet D. Tho. iustitiam pręstare omnibus virtutibus moralibus loquitur enim (vt iam in præcedenti controuer. obseruauimus) de his quæ sunt purè humanę, misericordia autem est virtus diuina filia, & effectus charitatis, & cuius disputatio, vt ex hac secun. secun. patet pertinet ad charitatem. Quod si dixeris: Etiam iustitia est diuina virtus, & quæ in Deo solo perfectè reperitur, non ergo præferenda illi misericordia, eo quod diuina, quædam virtus sit. Tum etiam quia nobilissimum istud obiectum misericordię, quod est leuare omnem miseriam, ratione cuius misericordia adeo præstat, non conuenit nisi soli misericordiæ diuinæ non humanæ, hic autem comparamus iustitiam humanam cum misericordia humana, quo fit, vt non rectè ratione illius obiecti præferatur misericordia iustitiæ.

Ad primum horum respond. maximè inter se virtutes istas differre, misericordia enim perfectè, & secundum suam propriam rationem non reperitur in nobis, sed in solo Deo, ideo meretur nomen diuinæ: iustitia verò secundum suam propriam, & perfectam rationē reperitur etiam in nobis, quia soluimus nonnunquam æquale, & ideo vocatur absolutè virtus diuina sed solũ quando expresè loquimur de iustitia quæ in Deo est.

Ad secundum dico misericordiam licèt ratione nostræ imperfectionis non possit quatenus in nobis est leuare actu & in effectu omnem miseriam, sed hoc conuenire tantum misericordiæ, quæ in Deo est, nihilominus misericordia etiam, quæ in nobis est, secundum suam naturam, & propriam rationem nata est leuare omnem miseriam, quia perfectio virtutis (vt diximus) non tam attenditur ratione potestatis, quàm voluntatis, & præparationis animi: vnde cum misericordia, quæ in nobis est includat hoc desiderium voluntatis, & hanc animi præparationem, leuandi omnem miseriam quantum poterit, misericordia etiam, quæ in nobis est secundum suam naturam respicit illud nobilissimum obiectum.

QVARTA CONTROVERSIA.

An iustitia sit præstantior fortitudine.

BVridianus loco citato, sicut temperantiam, & virtutes quæ respiciunt proprium hominis bonũ prę tert iustitiæ, ita & fortitudinem, cum hæc quoq; idem bonum respiciat non alienum, possetque ista sententia, quo ad hanc virtutem ita confirmari. Primò à nomine ipso virtutis: in sacris enim litteris per excellentiam, & anthonomasiã fortitudo dicitur virtus. Sap. 8. [Sobrietatem & iustitiam docet, prudentiam quoque & virtutem.] Primò fortitudinem. Secundò ex communi omnium æstimatione. Magnates enim & præclari generis, atque prosapiæ illos habemus, qui à maioribus, qui pro Republ. fortiter dimicarunt, & strenuè sanguinem suum fuderunt descendunt, non eos qui à mercatoribus, & negotiatoribus, & exercentibus contractus quantumuis iustissimos. Tertiò ex actu, nam & præstantissimo quouis actu iustitiæ dabitur actus fortitudinis, multò excellentior nempe martyrium. Quartò ex materia circa quam virtutes istæ versantur; iustitia enim versatur circa negotia, & bona temporalia, fortitudo verò circa grauissima pericula, & discrimina vitæ, quæ omnium bonorum nobilissimum, & amantissimum est. Ex quo sequitur quintum versari fortitudinem, circa id quod magis arduum est, ac difficile, cũ iustitia paupertati, vel infamiæ ad summum exponat hominem, vt aliena restituat, fortitudo verò morti, quæ omnium malorum, ac periculorum maius est, & terribilius. Sextum ex vtilitate, summũ enim naturale hominis bonum, quod est libertas, fortitudine obtinetur, non iustitia; vnde Arist. 7. Polyt. c. 15. [Qui pericula (inquit) bellica, non superant serui fiunt, contra verò, qui illa fortitudine vincunt, manēt liberi, & aliorum domini.

Sed his non obstantibus asserendum est iustitiam,

tàm legalem, quàm particularem fortitudini præstare, iuxta ea quæ docet D.Tho.1.2.q.66. ar.4.& hic tàm in corpore art. quàm in solutio. arg. maximè ad tertium. Et Arist.5.Ethi.c.1.& 2.& 1.Rethor & 7. Polyt. c.15.Et probatur efficacissimè, præterea quæ in confirmandis conclusionib. à D.Tho. adducta sunt ex dignitate obiecti. Obiectum enim siue bonum iustitiæ multò excellentius est bono fortitudinis. Primò, quia negati non potest, quod sicut in præcepris illud est excellentius, quo obseruato cætera adimplentur, quo nomine probat B.Pau. præceptum dilectionis esse omnium excellentissimum, quia in eo cætera omnia continentur, ita in bonis illud censendum est præstantius, quo habito cætera habentur, huiusmodi autem est bonum iustitiæ. Etenim si nullus alteri noceret, nullus alterius bona aggrederetur, non esset necessaria fortitudo, ita interrogatus Agesilaus (vt refert Plutarchus (quænam harum virtutum alteri præstaret, respondit. [Nihil vtique fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus.] Secundò bonum iustitiæ, quis ignorat bono fortitudinis Reip. vtilius esse? Tertiò illud bonum excellentius, cuius oppositum est maius malum, sed peccatum contra iustitiam est grauius malum, quàm peccatum contra fortitudinem. Ergo.

Quæ verò in oppositum retulimus parum vrgent. Fundamentum in primis illud Buridiani, iam prima controuer. huius ar. destruximus, ostendentes iustitiam respicere melius bonum: quamuis enim bonum honestum proprium præferendum sit, bono cuiuscunque alterius personæ, & ad hoc bonum magis inclinat charitas post Deum, quàm ad alienum, propter quod nec veniale peccatum committet, etiam si ex illo salus totius mundi penderet, nihilominus est ẽt in actu iustitiæ maxima honestas, cum cæteris parib. honestius sit illam exercere, quàm fortitudinem, cæteris inquam paribus, vt si vterque actus accidat esse in pręcepto, vel vterque in nostra facultate, honestius iudicabitur egisse, qui iustitiā exequetur. Quod si alter contingat ex circunstantijs loci, temporis, vel personę esse in pręcepto, alter verò in concilio, vel nostra libertate, tunc non potest commodè ferri iudicium, cum ea quæ sunt in præcepto, & si ad inferiorem virtutem pertineant dimissis alijs, & si dignioribus ex genere suo, præstanda sint. Quod si de bono vtili agamus, nobilius multò est vtile alienum, quàm vtile proprium, nobiliorisque animi vtilia aliena, quàm propria curare, & maximum charitatis argumentū, quo nomine seipsum commendabat Paul.1.Cor.10. [Non quærens, quod mihi vtile est, sed quod omnibus, vt salui fiant.] Vnde cum iustitia non quærat, quod sibi est vtile, sed quod alijs, reddens omnibus suum ius, anteponatque vtilitatem alienam propriæ, est excellentior fortitudine, & cæteris quæ bona tantum propria respiciunt, estque honestissima habenti illam, ita dicebat Arist.1.Reth. [Virtutes illas esse maximas, quibus alijs benefacimus, cum virtus benefica sit.] Quod maximè splendet in iustitia, quę omnibus benefica est, omniumque bona tuetur, & priuata, & publica, priuata reddens cuique suū, quod est iustitiæ particularis, publica verò bono communi, & Respub. tranquilitati prospiciens, quod est legalis.

Nunc ad illa argumen. Ad primum dico, hanc vocem, virtus, duo significare, & habitum, qui reddit hominem bonum, quomodo non dicitur anthonomaticè de fortitudine, & vi ac rebus animi, quo firmus est, & constans id bonis, quod quia maximè splendet in fortitudine tribuitur hoc nomen fortitudini.

Ad secundum fortitudinem tribuisse magnatibus illustre, ac præclarum nomen, non secundum se, sed quatenus est ministra iustitiæ legalis, eo siquidem nomine suam prosapiam illustrarunt, quia pro patria, & bono communi strenuè egerunt, & grauissimis se exposuerunt periculis, quia cum honos sit proprium virtutis præmium, isti honores non dantur fortitudini cuiuis, sed illi, quę virtus, est fortitudo autem virtus est, quando in bonū cōmune dirigitur, & iustitiæ legali deseruit: aliter nec virtus est, nec fortitudo, sed atrocitas, & immane robur, quale in tauris, vel feris inuenitur.

Ad tertium respond. martyrium sortiri istam excellentiam non qua elicitur à fortitudine, sed quatenus imperatur à charitate. Est enim martyrium actus fortitudinis, charitatis, & religionis: sunt enim hæc tria in martyrio non timere mortem, offerre vitam pro Deo, & confiteri ac testari suo sanguine fidem, vnde dicuntur martyres, idest testes, primum illud est fortitudinis, secundum charitatis: tertium religionis, & quamuis primum sit laude dignum non timere, ratio autem & meritum, ac dignitas martyrij consistit in secundo, & tertio, iuxta illud D.Aug. [Martyrem non facit pœna, sed causa.] Ita fit, quamuis martyrium sit pręstantissimus actus fortitudinis, non ideo fortitudo præstat iustitiæ, cū istā excellentiā nō habeat à fortitudine, sed à charitate, & religione, quarū etiā actus est.

Ad quartum dico illam materiam esse quoque iustitię, cum in aliquo euentu teneatur etiam homo subire illa pericula, & exponere vitam ex iustitia vt Prælatus pro subditis, Principis ꝑ ciuibus, ciues pro sua Repub. Et non solum ex iustitia legali pro bono communi, verumetiam ex iustitia particulari tenentur superiores ad ista: quia cum accipiant Prælatus, & Princeps suos redditus, Prælatus vt quotiescunque subditus indiget ministret illi sacramenta, etiam tempore pestis, Princeps vt Rempub. suam tueatur, & cum periculo vitæ si oportuerit, similiter milites accipiant stipendium, vt cum quouis periculo pugnent, tenentur omnes isti vitam exponere, non solum ex iustitia legali, verum etiam ex commutatiua, quæ ad particularem reducitur. Vnde ratione materiæ non est præferenda fortitudo iustitiæ, cum exponere vitam possit esse iustitiæ legalis, & commutatiuæ, quæ est particularis, charitatis, fortitudinis, religionis secundum diuersa motiua: sicut & dare pecunias potest ad diuersas virtutes pertinere, ad liberalitatem, ad misericordiā, ad iustitiam, &c. Vide circa hanc solutionem D.Tho. hic art.8. ad 3.& ar.9. ad 2.& Caiet. infr. q.123. art.1.

Quintum similiter soluitur, eandem difficultatem esse in vtraque virtute, cum ad vtramq; pertineat exponere vitam pro bono communi, imò maior difficultas si rectè consideretur existit in iustitia, quàm in fortitudine, quia illa exponit vitam pro altero, fortitudo pro se ipso, difficilius autem est pro alio exponere pecunias, aut vitam: quàm pro se ipso, vnde illud Apostoli. [Nam pro iusto vix quis moritur:] q.d. pro alio, etiā si iusto, Possumus etiam respondere ex D.Tho. dignitatem virtutis non pensari tàm ex difficultate actus, quàm ex bonitate obiecti, quamuis cæteris paribus difficultas augeat meritum actus. Et ita licèt fortitudo versetur circa difficilius, iustitia nihilominus illi præstabit, cum versetur circa nobilius obiectum.

Ad sextum dico, fortitudinem aliquando efficere libertatem, sed id esse per accidens in bello, iustitiam verò multò perfectius, & immediatius efficere illam, cum sit parens, & genitrix pacis publicæ, qua durante maxima fruuntur homines libertate, ea verò violata, & perturbata necessaria est tunc hominum vitio fortitudo. Quo fit, vt si nunquam hominum tyrannide, & iniquitate perturbaretur iustitia, nunquam opus esset bellis, vel fortitudine ad recuperandā pacem, & tuendam libertatem, indigemus, aut illa tanquam iustitiæ ministra, ad hominum tyrannidem, & iniquitatem propulsandam.

De alijs virtutibus paucis licebit ex dictis ferre iudicium. In primis liberalitas, & magnificentia, licèt superent iustitiam, quia hæc ex debito, illæ verò voluntariè, & gratis exercentur; cæterum alijs multis nominibus præstat iustitia. Primò nobliori obiecto, de le-

gali

gali perspicuum est, cum respiciat bonum commune: de particulari etiam constat, cum nobilius, & honestius sit soluere, quod debeas, quàm expendere largè, quod non debeas: Secundo, quia vtraque iustitia magis deseruit bono communi, cum eius ope pacatus habeatur Reip. status, quod non efficiunt liberalitas, & magnificentia. Tertiò, quia iustitia cum omnibus seruanda est, & quouis tempore: magnificentia verò, & liberalitas cum aliquibus tãtum, & in aliquo euentu, alioquin conuertuntur in prodigalitatem. Quartò istæ non habent locum, quin præcedat iustitia, cum iniquum sit, & indecorum, non soluendo prius quod debeas, magnificum aut liberalem se exhibere. Denique sicut grauior culpa est iustitiam violare, quàm magnificẽtiam, aut liberalitatem, ita illam exercere laudabilius multò est, & excellentius.

Similiter indicandum est obedientiam, humilitatem, & patientiam inferiores esse iustitia: obedientia quidem cum nitatur iustitię, & illam præexigat, imò obedire est superiori suum ius reddere, vt optimè D. Th. infra q. 104. art. 5. & ibi Caiet. Quamuis obseruandũ hic sit, intelligenda esse hæc de obedientia, qua homini paremus: hæc enim est, quæ fundatur in iustitia, nã illa qua paremus Deo longè præstat iustitiæ, cum non solum obedientia, vel iustitia, verum etiam pietas, Religio, & alijs dignioribus nominibus sit appellanda. De humilitate licèt illam velit iustitiæ præferre Martinus de Magistris, nihilominus D. Thom. q. 165. art. 5. optimè docet iustitia esse inferiorem, & ratione obiecti, & ratione vtilitatum quas parit Reipubl. & alijs multis nominibus, vide ibi Caiet. optimè impugnantẽ Martinum de Magistris. Tandem patientiam ostendit D. Thom. q. 136. art. 2. iustitia inferiorem esse, imò & temperantia, ac fortitudine, cum hæc pręstantiora obiecta respiciant, quam illa, qui plura circa hæc desiderat, legat istis locis D. Th. & Caiet. nobis ad difficiliora properantibus, & ea quæ copiosiorem exigunt disputationem, hæc dicta sufficiant.

QVÆSTIO LIX. DE INIVSTITIA.

Habet D. Tho. de more in explicandis singulis virtutibus; primò proprium illarum obiectum inquirere: secundò naturam, & rationem; tertiò vitia illis opposita: quartò proprios illarum actus: quintò singulas illarum species, in quibus quæ cuique speciei propria sunt, & vitia quæ illi etiam opponuntur priuatim percurrit: sextò, partes quas virtus illa de qua agit potentia sub se continet, quas vocamus potentiales: septimò, præcepta ad illam virtutem spectantia, tandem dona Spiritus sancti illi virtuti respondentia, ita nihil prætermittit in vnaquaque eorum, quæ ad illam aliquo modo pertinere possunt. Hanc methodum obseruat in hac quoque disputatione de iustitia. Et ita explicato proprio ipsius obiecto, nempe iure q. 57. & eiusdem natura propositis ipsius diffinitione, actu materia, fine, & alijs, quæ præcedenti quæst. complexus est, agit nunc hac q. 59. de vitio illi opposito in iustitia.

ARTICVLVS I.

An iniustitia sit vitium speciale.

OBSERVEMVS initio, cum contrariorum eadem sit ratio: sicut duplex est iustitia, alia legalis, & communis, cuius proprium obiectum est bonum commune: alia verò particularis, quæ habet pro obiecto priuatum cuiusque ius, ita quoque duplicem esse constituendam iniustitiam: aliam qua nocetur bono communi, & violatur lex vocanda illegalis, aliam verò particularem, qua non seruatur cuique priuato suum ius: Rursum sicut iustitia legalis potest dirigere actus omnium virtutum in bonum cõmune, quia omnes virtutes natæ sunt posse illi deseruire, ita quoque iustitia illegalis potest vti omnibus vitijs in damnum commune: omnia enim vitia nata sunt posse nocere bono communi, & quieti Reipub.

CONCLVSIO I.

Iniustitia illegalis secundum se, & ex suo genere speciale vitium est ab alijs specie, & natura distinctum.

PAtet, quia habet obiectum proprium, & sibi adæquatum, distinctum à proprijs obiectis aliorum vitiorum specie etiam & natura, nempe damnum commune, violationem legum.

CONCLVSIO II.

Iniustitia illegalis ex intentione, & animo agentis generale vitium est, & omnibus vitijs commune.

PATET etiam, quia ex intẽtione, & animo agentis potest hæc iniustitia vnicuiq; vitio misceri, vt quando quis adulteratur, non solum ad explendam suam libidinem, verum etiam in contemptu legis, quando quis in die ieiunij cœnat, non solum ex appetitu cibi, verum etiam in contemptum præcepti.

CONCLVSIO III.

Iniustitia particularis vitium, quoque speciale est.

COnstat apertè, cum habeat proprium & adæquatum obiectum distinctum specie ab obiectis aliorum vitiorum, nempe inæqualitate in commercijs, & in seruando iure alteri priuatum debito.

Doctrina huius ar. desumpta est ex Arist. 6. Ethic. ca. 1. vbi habet. [Sicut dupliciter aliquis iustus est, vel quia legitimum facit.] Idest quia legibus paret, & bono communi studet. [Vel quia vnicuiq; quod suum est tribuit, ita quoq, dupliciter esse aliquem iniustum, vel quia leges transgreditur, & Reipub. conatur nocere, vel quia non reddit vnicuiq; æquale.

Circa hunc art. Triplex se offert dubitatio. Prima est. An omnia vitia formaliter sint iniustitia? Ratio dubitandi est, quia cum peccatum definiatur à D. Augustino contra Faustum, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, quæ definitio est formalis, efficitur vt omnia vitia formaliter sint contra legem Dei, & violent bonum legale, & ex consequenti sint formaliter iniustitia legalis.

Secunda est contra secundam conclusionem. Nullum enim vitium speciale opponitur omnibus virtutibus, sed vnumquodq; suæ particulari virtuti sibi contrariæ, at iniustitia particularis opponitur omnibus, virtutibus, nam adulterium est iniustitia particularis,

quæ opponitur castitati, furtum iniustitia particularis, quæ opponitur liberalitati, irreuerentia & contumelia vrbanitati, &c. qua ergo ratione hæc iniustitia statuitur vitium speciale.

Tertia est, cum oppositorum eadem sit ratio, An iniustitia sit diuidenda omnibus illis diuisionibus quib. diuiditur iustitia.

Ad primam respon. Materialiter quidem in omnibus vitijs reperiri iniustitiam, cum in omnibus violetur aliqua lex diuina, vel humana, quomodo omne peccatum 1. Ioan. 3. vocatur iniquitas: cæterum cum in mortalibus bonitas, vel malitia actus potissimè sumatur ex intentione & electione voluntatis, illa tantum peccata formaliter, & propriè sunt iniustitia legalis, quæ formaliter respiciunt proprium obiectum huiusmodi iniustitiæ, idest quæ fiunt animo violandi leges vel nocendi bono communi: quemadmodum omne peccatum materialiter est in obedientia, formaliter tamen illud tantum, quod fit animo transgrediendi præceptum superioris.

Ad secundam respon. in huiusmodi peccatis duo reperiri, excessum passionis & iniuriam, quæ fit alteri, quæ iniuria directè, & per se non opponitur castitati, aut liberalitati, aut alteri virtuti, sed iustitiæ tantum, quia ea ratione violatur ius alteri seruandum. Castitati verò per se & directè opponitur excessus passionis turpis, liberalitati excessus cupiditatis auri, dicitur autem iniuria ista illis virtutibus opponi, sed indirectè, propter concomitantiam, quàm habet cum illis passionibus immoderatis, quæ illis virtutibus contrariantur: qua ratione pluribus opponi non tollit quin sit speciale, & distinctum vitium ab alijs.

Ad tertiam dicit posse iniustitiam eodem modo diuidi, quo diuiditur iustitia, ita vt primò constituatur quædam iniustitia propriè dicta quæ repugnet iustitiæ propriè sumptæ, quæ est virtus cardinalis, alia verò metaphoricè dicta, repugnans iustitiæ metaphoricæ: Secundò sicut iustitia metaphorica, continet in se virtutes illas quas vocamus partes potentiales ipsius quales sunt religio, pietas, obseruantia, &c. ita iniustitia metaphorica continet sub se iniustitias repugnantes illis virtutibus, quæ possunt appellari irreligio, impietas, & inobseruantia: vnde ratio iniustitiæ, quæ assignatur ab Arist. 5. Ethic. c. 9. vt si per quam aliena contra leges retinentur dici quidem potest de omni iniustitia, sed per prius de iniustitia illa propriè quæ repugnat virtuti cardinali iustitiæ, per posterius verò de iniustitia metaphorica, & eius partibus irreligione impietate, &c. Tertiò iniustitia propriè sumpta diuiditur in communem, seu illegalem, & particularem, sicut hic diuiditur à D. Tho. tanquam genus in suas species. Quo fit vt quando asserimus iniustitiam speciale vitium esse, non est intelligendum esse speciem athomam, sed esse speciale secundum essentiam, quia habeat propriam speciem, & naturam, qua ab alijs distinguitur. Quartò iniustitia illegalis potest diuidi in iniustitiam, quæ repugnat æquitati secundum rectam rationem, quam dicimus epicheiam, & eam quæ repugnat iustitiæ secundum leges, quæ vt art. 6. q. præced. diximus retinuit sibi nomen iustitiæ legalis: iniustitia verò particularis diuiditur in eam quæ repugnat iustitiæ commutatiuæ, & eam quæ repugnat distributiuæ. Denique sicut iustitia legalis quando dirigit in bonum commune virtutes, quæ versantur circa passiones, potius respicit operationes, quàm passiones ipsas, quia iustitia (vt vidimus) præcipuè versatur circa operationes & res: ita quoque dicendum est, iniustitiã præcipuè versari circa operationes & res, & illegalem iniustitiam in his ēt vijs, quę versantur circa passiones, respicere potius operationes ipsas, quàm passiones. Vt in vitio timiditatis quæ opponitur fortitudini, iniustitia illegalis non tàm curat timorem in fugiente, quàm fugam ipsam à bello, quia per fugam læditur bonum commune, & publicum, potius quàm per internum timorem. Vnde iniustitia illegalis quamuis sit speciale vitium, non habet particularem materiam, sed materiam omnium vitiorum, cum omnium actus possit dirigere in damnum commune, sicut diximus de iustitia legali, quo nomine vocat illam Aristot. non partem vitij, sed totum vitium, sicut legalem iustitiã asserit non esse partem virtutis, sed totam virtutem.

ARTICVLVS II.

An quicunque facit iniustum sit eo ipso dicendus iniustus?

QVæstionem huius art. proponit hic D. Tho. propter Aristot. qui 5. Ethic. cap. 8. habet: [Contingit autem quod quis iniustum faciat, qui tamen non subinde sit iniustus:] Cum tamen 1. Ioan. 3. Dicatur. [Qui facit iniustitiam iniustus est.

Ad hanc quæst. diluendam 4. statuit D. Tho. Primò actus humani sint ex electione voluntaris, in vnoquoque actu illud esse obiectum proprium, & per se quod est electum & intentum ab agente, quod verò ab ipso intentum non est, etiamsi ex illo actu sequatur, non esse obiectum talis actus propriè & formaliter, sed materialiter tantum, & per accidens: ratio est, quia agens respicit obiectum, vt finem suæ actionis, finis autem propriè & formaliter illud est quod agens ex electione intendit: & ideò quod non ita intendit, neque finis est, neque obiectum formaliter, & propriè, sed materialiter tantum, & per accidens.

Secundò statuit, agentem denominari ab actu, vt temperatum ab actu temperantiæ, non tamen à quouis; sed cum actus sit medius inter habitum & obiectum, denominari ab illo actu, qui procedit ab habitu, & habet ordinem ad proprium obiectum & intentum ex electione agentis, probarique potest, quia nemo est denominandus ab his, quæ fortuito, & velut casu eueniunt, actus autem qui non procedit ab habitu, neq; dirigitur ab agente in proprium obiectum, & per se, est velut fortuitus.

Tertiò cum tribus modis aliquis agere possit, aut sciens, & volens, aut ignoranter, rursum sciens & volens, aut cum plena & deliberata electione voluntatis, aut ex passione, & non plenè deliberatè, statuit D. Thom. eum qui agit ignoranter certum esse non agere ex electione obiecti, quia sicut electio sequitur cognitionem & iudicium intellectus, ita ignorantia tollit electionem, & voluntarium, eum verò qui agit ex passione, licèt agat ex electione obiecti, quia passio non tollit quin agat sciens, & volens, non tamen agere ex habitu, voces enim ipsæ satis per se innuunt quantum inter sit, inter id quod est agere ex passione, & id quod est agere ex habitu.

Vltimò statuit, quemadmodum in virtutibus vnus actus non facit hominem studiosum, vt vnicus actus temperantiæ non facit temperatum, sed ille tantum dicitur temperatus, qui agit ex habitu: ita in vitijs vnũ actum non reddere hominem vitiosum, vt vnica comestio immodica non efficit hoiem intemperatũ, sed qñ acquisiuit habitum, & agit ex habitu, tunc dicitur intemperatus. Ex his fit conclus. D. Thom. [Qui facit iniustum ex ignorantia vel passione non est dicendus statim iniustus, sed is solum qui facit iniustum ex habitu, vel plena ac deliberata electione voluntatis.

Patet ex dictis: Agens non denominatur à quouis actu, sed ab illo qui procedit ab habitu in ordine ad obiectum proprium & per se, qui agit iniustũ ex ignorantia, nec agit ex habitu, nec ex electione obiecti, & similiter qui agit ex passione non agit ex habitu, sed ille solum qui agit ex plena & deliberata electione

volun-

voluntatis, hic ergo solus dicendus est iniustus, non autem illi qui faciunt iniustum ex ignorātia passione.

Contra hanc doctrinam D. Tho. seu potius Arist. quem hic explicat nōnulla sese offerunt. Primò, si quis sciens, & volens committat homicidiū, etiam si illud committat ex passione iræ, aut ex fame furetur, hic verè formaliter peccat peccato homicidij, & furti, vereque, & propriè est fur, & homicida, sicut accessus ad mulierem in loco sacro licet non fiat animo prophanandi Ecclesiam, sed solo appetitu explendæ libidinis est formaliter sacrilegium, & facit illum hominem sacrilegum, Ergo etiā si ex passione fiat iniustum, verè & propriè est iniustus qui illud facit: probo consequentiam, quia sicut se habet forma denominans specifica ad formam denominantem communiorem, & genericam, eodem modo se habet denominatiuum specificum ad denominatiuum, & paronymum communis, & genericum, verbi gratia, sicut se habet album ad colorem, eodem modo se habet album ad coloratum, sed homidium, furtum & sacrilegium, sunt velut formæ denominantes specificæ, quarum denominatiua specifica etiā sunt homicida, fur, & sacrilegus, quæ formæ continētur sub illa communiori & generica, nempe iniustum, a quo deducitur hoc paronymum & denominatiuum iniustus, Ergo quemadmodum qui committit homicidiū, furtum, vel sacrilegiū sciens, & volens, & si illud committat ex passione est verè, propriè, & formaliter homicida, fur, vel sacrilegus, ita quoque qui sciens & volens facit iniustum, etiam si ex passione illud faciat, est verè propriè ac formaliter iniustus.

Secundò omnis actus iniquus siue ex passione, siue ex ignorantia crassa, siue ex electione fiat, contrariatur iustitię & corrumpit illam, & aliquoties repetitus generat habitum iniustitiæ, ergo sicut faciens iniustum ex electione est iniustus, ita quoque faciens iniustum ex passione, vel ignorantia crassa. Probo consequentiam, quia vbi par est ratio par etiam debet esse iudicium, at cum nemo repente fiat summus neque in vitijs neque in virtutibus, sicut actus iniquus ex passione vel ignorantia procedens non generat habitū iniustitiæ nisi aliquoties repetitus, ita quoque nec vnicus actus iniquus etiam si ex electione fiat generat habitum nisi aliquoties repetatur, vnde sicut vnicus habitus ex electione contrariatur iustitiæ, ita quoque & vnicus habitus iniquus quamuis ex passione, vel ignorantia crassa procedat.

Tertiò, quæcunque actio cum iniuria proximi (loquor de graui) siue ex ignorantia crassa, siue ex passione, siue ex electione procedat est peccatum mort. auertens hominem à Deo, non solum vt est author gratiæ verum etiam vt est author naturæ, corrumpitque in illo non solum virtutes infusas verum etiam bonum rationis quantum ad leges iustitiæ, Hæc autem sufficiunt vt homo dicatur iniustus, Ergo.

Denique cum illa fundamenta quæ statuit D. Tho. ad suam sententiam constituendam quæ initio huius ar. proposuimus conueniant omnibus virtutibus moralibus, profectò si verum esset facientem iniustum ex passione vel ignorantia non esse dicendum iniustum, sed illum solum qui facit iniustum ex habitu & electione deliberata, similiter dicendum esset de intemperantia & alijs vitijs, cum qui ex passiōne vel ignorantia ageret aliquid intemperate non esse dicendum intemperatum, sed eū solum qui ita ageret ex habitu & electione, at in solutione ad 3. cōstituit hic D. Th. maximum discrimen inter iniustitiam, & intemperantiam: habet enim exercentem actum intemperantię ex ignorantia omnino inculpabili nullo modo facere opus intemperatum: nec materialiter, nec formaliter, exercentem verò actum in iustitiæ ex eadem ignorantia inculpabili facere actum iniustum quidem materialiter, non tamen formaliter.

Ad hæc diluenda, & perfectius percipienda quæ in hoc arti. docet D. Thom. obseruemus primò, aliud esse quærere, An qui facit iniustum ex passione vel ignorantia culpabili peccet, aliud verò quærere. An talis sit consensus iniustus: de priori nulla est dubitatio, est enim certissimum violantem ius alienum etiam si ex passione, vel ignorantia crassa id faciat, peccare, nequ id negat Arist. cum loco citato ita dicat: Cum quis ignorantia offenditur infortunium est, cum verò ex scientia, sed ita vt non ex habitu, sed ex passione, peccatum est, non tamen vitium, nam vitium nomen est habitus. Hæc ille: Vnde quæstio est an ira faciens iniustum sit dicendus statim iniustus. In qua quęstione admonitum volo lectorem, de iusto vel iniusto aliter loqui philosophos quam sacras litteras & christianos, Deus enim, & sacræ litteræ cum tantum respiciant actus & opera quibus debetur præmium vel pena, qui bus meremur vel demeremur, non autem habitus, etiam si aliquis habeat habitum iniustitiæ, conuersus autem exerceat actum iustum denominant illum iustum, & vice versa quantumuis habeat habitum iustitiæ ad quæsitum, si exerceat actum iniquum, & iniustum, qui sit Pec. Mor. cum per illum corrumpantur in eo gratia, & iniustitia infusa, simpliciter vocant illum iniustum, quomodo dicebat D. Ioan. [Qui facit iniustitiam iniustus est. Arist. verò & Philosophi morales illum sequuti distinguunt maxime inter actum & denominationem quæ ab illo sumenda est, actum siquidem iniustum vt homicidium, etiam si fiat ex passione, cum fiat à sciente, & volente, contra rectam rationem, habeatque pro obiecto formali iniuriam illatam proximo, asserunt illum pertinere formaliter ad speciem iniustitiæ, & esse actum iniustum: ita ait Arist. loc. cit. occidentem proximum etiam si ex ira illud fecerit, fecisse illi iniuriam, & iniustitiam, denominationem verò nolunt sumi à quouis actu sed ab eo tantum, qui procedit ab habitu, vel electione plenè deliberata, ita vt apud ipsos iustum & iniustum sint nomina habitus, vt sicut non est denominandus iustus nisi actus eius procedat ab habitu iustitiæ, ita neque iniustus, nisi actus iniquus ipsius procedat ab habitu iniustitiæ: ita dicebat Arist. 2. Ethi. cap. 3. [Non est virtus nisi quando scienter propter honestum finem, & perpetuò, vna enim hyrundo, (ait ibi) non facit ver.

Obseruemus secundò: apud eosdem philosophos actionem iniquam procedentem ex plena & deliberata electione extra omnem passionem vel ignorantiam indicare maximè & præseferre habitum internum iniustitiæ, ac propterea de tali actione idem esse apud ipsos iudicium quod de actione procedente ex habitu, Confirmant hoc primò, quia cum tam in virtutibus quàm in vitijs nemo repente fit summus, sed paulatim progrediatur per varios actus acquirens habitū, quem cum primum est consequutus, tunc potest prorumpere in summum, summus autem actus iniustitiæ fit actio iniuriosa ex intentione & electione, quia hæc iam dicit summam malitiam, quod non habet quæ ex ignorantia aut passione procedit, efficitur vt talis actio ex intentione & electione maximè arguat generatum iam in animo habitum iniustitiæ.

Secundò quia sicut virtus est habitus electiuus in medioctitate cōsistens, propter quod potissimus actus ipsius est electio, ita è contrario vitium est velut habitus electiuus in aliquo extremo consistens, cuius potissimus actus est etiam electio, & consequenter agens ex electione maxime manifestat habitum internu: & confir. quia sicut virtus est dispositio perfecti ad optimum, i. habitus disponens ad optimum in illo genere, ita habitus vitij est dispositio mali ad pessimum in illo genere mali, in genere autem iniustitiæ nihil pessimum magis quàm inferre iniuriam ex electione plene deliberata, quòd non habet iniuria illata ex passione aut ignorantia quæuis crassa & culpabili.

Tertiò facilè, & delectabiliter operari est maximũ signum habitus, vt habet Arist. 2. Ethic. c. 3. cuius rationem reddit hic D. Thom. quia vnicuiquè habenti aliquem habitum est secundum se acceptum, & gratum quod conuenit illi habitui, conuenit autem maximè vnicuique habitui secundum illum operari, iniuria autem illata ab aliquo ex deliberata electione, & intentione experientia teste maximè illum delectat, & se ipsa placet operanti, & ita est maximum argumentum interni habitus.

Quartò cum tribus modis sit aliquid volitum, primò omnino, & per se, quale est volitum ex electione deliberata, secundò volitum, quidem per se, non tamẽ omnino, sed quodam animi impetu, vt volitum ex passione, tertiò quod neq; omnino neque per se volitum est, sed reductiuè, vt quod fuit volitum ex ignorantia sed culpabili, Volitum primo modo pertinet ad habitum, qui enim operatur ex habitu, non agit ex passione vel ignorantia, sed ex electione, & ita è conuerso, qui agit ex electione, similis est agenti ex habitu, & hẽt setà in virtutibus, quàm in vitijs sicut agẽs ex habitu.

Ex his redditur aperta, & perspicua doctrina D. Th. Etenim cum hic agat vtrumq;, & Theologum, & philosophum moralem, maximè Aristotelem, vt Theologus docet facientem iniustum peccare grauiter, quod docebit art. 4. huius quæst. vt Philosophus verò docet in hoc art. non quemcunque facientem iniustum esse statim dicendum iniustum, nisi illud faciat ex habitu, quia apud Arist. & philosophos nullus denominatur studiosus, aut vitiosus, nisi per actus procedentes ex habitib. (addit iuxta placita eorundem) aut operetur ex electione deliberata, & non ex passione, aut ignorantia, quia ex tali electione operans ostendit maximè se habitu operari.

Porrò quia hoc non ita facilè creditur ab omnibus confirmatur (præter ea, quæ dicta sunt) primò quia proprium est habitus elicere actum propter suum finem, & obiectum, at qui agit ex passione, vel ignorantia non tam mouetur à fine vel obiecto, quàm a sua passione, vel ignorantia, qui verò operatur ex electione plena, & deliberata, operatur propter finem, & consequenter ad modum habitus.

Secundò, vt magis ad nostram disputationem descendamus, qui infert iniuriam ex passione, vel ignorantia crassa, exercet quidem actum circa materiam iniustitiæ, non tamen habet actus ille formam iniustitiæ, sicut qui infert Iniuriam ex electione: patet quia in actionibus humanis forma sumitur à fine, qui infert iniuriam ex passione vel ignorantia, non tum habet finem inferendi iniuriam, quam explendi suam passionem, vel exequendi suam deceptionem, at qui ex electione illam infert hunc habet finem, afficere proximum suum iniuria, quod est proprium, & formale iniustitiæ. Verbi gratia, qui furatur ex ignorantia magis est imprudens aut negligens, quam fur vel iniustus, qui furatur ex passione dicamus libidinosa magis etiã est libidinosus, quàm fur, vel iniustus, vt dicebat Arist. qui furatur ob mechiam magis est mechus, quàm fur, qui verò furatur ex intentione, & electione furandi hic est propriè, & formaliter iniustus, & fur.

Deniq; ipse vsus rerum hoc ostendit, in principio enim solent homines ante quam habeant habitum aliquem vitiosum, exercere actus malos ex ignorantia crassa vel passione, deinde verò progressu temporis quando iam habitum alicuius vitij acquisiuerunt, operantur ex electione, quod argumento est efficacissimo In moralibus similiter se habere, operari aliquid ex habitu, vel operari illud ex plena, & deliberata electione citra omnem passionem, & ignorantiam, vide D. Tho. circa hoc 1. 2. q. 78. art. 2.

Nunc ad argumenta proposita. Ad primum respon. Theologicè loquendo, quemcunque actum illorum esse peccatum mort. ex suo genere, & efficere hominem homicidam vel furem, & verè iniustum apud Deum, loquendo autem iuxta Aristot. & Philosophos morales licèt quicunq; actus iniustitiæ sit etiam peccatum mort. auertens hominem à bono rationis, & corrumpens habitum iustitiæ quò ad esse & statum virtutis, non tamen iuxta ipsos est dicendus homo iniustus, & similiter nec homicida, vel fur nisi agat ex habitu, vel electione plenè deliberata, quia si agens expoliatur iam omnino habitu iustitiæ vel per habitum cõtrarium iniustitiæ ex quo agit, vel per illum actum ex electione plenè deliberata, qui cum habeat se admodum habitus, (vt expositum est,) habet vim illius, agẽs autem ex passione, vel ignorantia crassa, licèt actus ille peccatum sit, & corrumpat habitum iustitiæ quo ad esse, & statum virtutis, non tamen quo ad substantiam iustitiæ.

Similiter soluitur secundum, omnem actum iniustitiæ quacunque ratione fiat contrariari iustitiæ, & corrumpere illam quo ad esse, & statum virtutis, non tamen quo ad substantiam iustitiæ, nisi sit ex electione, & intentione deliberata. Hoc enim interest inter istos actus, vt procedens ex passione, vel ignorantia neque generet habitum iniustitiæ, nisi repetitus, neque habeat vim habitus, procedens autem ex electione, licèt non generet habitum nisi repetitus, habet tamen vim habitus, vt explicatum est.

Ad tertium concesso antecedenti, quod nos etiam asserimus, negandum est consequens, non enim sufficit actum esse peccatum mort. & destruere bonum rationis, vt exercens illum dicatur iniustus, sed exigitur, præterea phylosophicè loquendo, vt ex habitu, vel, electione operetur, vt constat.

Ad vltimum dico, exercentem actum intemperatũ ex passione, vel ignorantia crassa, iuxta Arist. & D. Th. hic committere quidem peccatum, sicut qui exerceret actum iniustum ex ignorantia etiam crassa, vel passione, non tamen esse dicendum intemperatum, nisi ita agat ex habitu, vel intentione deliberata, sicut dicimus de faciente iniustitiam. Et in hoc quidem conuenit iniustitia cum cæteris vitijs, quod significat D. Th. in vltimis verbis solutionis, dicens. [In omnibus vitijs similiter se habere quantum ad comparationem operationis ad habitum.] q. d. omnia vitia in vniuersum in hoc conuenire, vt nisi operatio procedat ab habitu, vel ex eo quod habeat vim habitus qualis est operatio ex electione plenè deliberata, non sufficiat ad denominandum operantem: Differentia autem, quàm collocat D. Tho. inter intemperantiam, & iniustitiam, constituitur ab eo in actibus procedentibus ex ignorantia inculpabili omnino, & inuincibili: ita vt exercens actum in materia intemperantiæ ex ignorantia huiusmodi non faciat opus intemperatum, nec formaliter, nec materialiter, exercens verò actum in materia iniustitiæ ex simili ignorantia faciat quidem opus iniustum, non tamen formaliter, sed materialiter. Ex qua differentia nihil sequitur contra conclusioné huius ar.

Attamen circa eam offert se dubitatio, quam proponit hic Caiet. Noe bibens nimium vinum excusatur à Sanctis Patribus, quod biberit illud ignorans vim vini, excusatio autem necessaria non est, nisi quando aliquis exercuit opus ex se malum, ergo illa potatio vini fuit ex se mala, saltim materialiter, licèt non formaliter, propter ignorantiam inculpabilem qua excusatur Noe.

Secundò: Ebrietas intemperantia est verè, & essentialiter, ergo eo modo quo potatio illa fuit ebrietas, fuit etiam intemperantia, fuit autem ebrietas saltim materialiter, cum fuerit reuera nimia sumptio vini, ergo fuit etiam intemperantia saltim materialis.

Caiet. vt hæc diluat docet ita distinguendum esse, vt aliud sit intemperatum ipsum, & iniustum, aliud verò facere intemperatum, vel facere, iniustum intemperatum inquit, & iniustum sic differunt, vt iniustum,

& ma-

& materialiter, & formaliter sit in rebus, eo ipso quo non seruatur æqualitas cum altero, intemperatum verò non est in cibo, potu, & alijs nisi per commensurationem ad operantem, vt si sumat plusquam debet, illud quod sumit sit intemperatum, Vnde infert posse aliquem facere iniustum materialiter, etiam si illud non faciat formaliter, vt cum quis ex ignorantia inculpabili accipit alienum bona fide, existimans esse suum, tunc non facit iniustum formaliter, quia bona fide iudicat illud esse suum: facit tamen illud materialiter, quia à parte rei reuera accipit alienum, & facit inæqualitatem cum alio, exercentem, verò actum intemperatum ex ignorantia inculpabili neque materialiter neque formaliter facere intemperatum, non formaliter, quia ex iusta ignorantia agit, nec materialiter quia vt cib. potus, dicatur materia intemperantiæ dēt formaliter esse materia illius, materia autem intemperantię formaliter sunt, non vt res quędam sunt, sed vt dicunt ordinem ad appetitum & passionem sumentis illas, vbi autem ignorantia inculpabilis interuenit, licèt cibus potus, qua res quædam sunt plus nimio sumantur, passio, verò sumentis non est nimia neque immoderata, & ita vbi talis ignorantia interuenit non sunt materia formaliter intemperantiæ, neque opus illod est materialiter intemperatum:

Hæc explicatio Caiet. a nonnullis quia non satis intelligitur, reprehenditur hac ratione, si intemperatum sumitur per ordinem ad operantem, ita vt sit intemperatum quod sumit quando sumit plusquam debet profectò, quemadmodum fecit iniustum materialiter licèt non formaliter, qui ex ignorantia inculpabili illud facit, quia parte rei accipit alienum, & non seruat æqualitatem cum altero, eodem modo qui ex ignorantia inculpabili sumit plusquam debet, faciet etiam intemperatum, non quidem formaliter propter talem ignorantiam attamen materialiter, cum reuera a parte rei sumat plusquam debet, in quo cōsistit ratio intemperati.

Sed hoc non obstante doctrina Caiet. optima est, ad qoam probrè intelligendam & mentem. D. Tho. & diluenda tam ea quæ D. Tho. quam qoæ ipsi Caie. opponuntur, obseruemus, aliam esse materiam iniustitiæ & aliam intemperantiæ, iniustitiæ enim materia sunt operationes & res ipsæ, in quibus non seruatur æqualitas cum alio, intemperantiæ verò est duplex materia, proxima & remota, remota, cibus, & potus, & aliæ voluptates, proxima verò propria sunt passiones ipsę immoderatæ, quo fit vt sicut proprium obiectum temperantiæ est medium in passionibus, & moderamē quod in eis dictat recta ratio in ordine ad operantem. idest passio moderata iuxta id quod conuenit operanti pro ratione loci temporis & aliarum circunstantiarum, ita proprium obiectum intemperantiæ sit passiu immoderata in ordine ad agentem, pro ratione loci, & temporis, &c. Et similiter sicut obiectum iustitiæ est ęquale quod existit in actionibus vel rebus alteri, debitis, quacunque ratione operans se habeat, ita quoque proprium obiectum iniustitiæ est illod inæquale, quod reperitur in actionibos vel rebus alteri debitis.

Obseruemus secundò, vt actus aliquis dicatur in genere alicuius virtutis, vel vitij materialiter talis, sumendum id esse non ex materia remota, sed ex proxima & propria, quia sicut in naturalibus non dicitur materia hominis materia prima & remota, sed illa quę iam est in proxima dispositione quam dicimus secundam, ita in moralibus illa est propriè materia alicuius virtutis vel vitij, quæ est proxima, & ab ea consequenter dicendus est actus in genere illius virtutis vel vitij materialiter talis.

Obseruemus vltimò. Cum primum & præcipuum principium nostrarum actionum moralium & humanarum sit electio, & intentio voluntatis referen. isillas in aliquem finem, & obiectum, sicut finis ille & obiectum est velut forma, a qua suscipiunt propriam speciem, & essentiam actiones morales, ita quoque ab illa intentione & electione voluntatis denominandos esse actus nostros formaliter tales. Verbi gratia, furatur quis ad mechandum, quia obiectum quod iste in sua actione respicit est mechia, ex tali intentione habet furtum illud vt sit etiam formaliter mechia.

Ex his colligo verissimū esse quod docet hic D. Th. & Caiet. Sic enim intelligendi sunt, cum propria materiam iustitiæ sint actiones vel res alijs debitæ, & proprium obiectum iustitiæ æquale in eis seruatur, quando in huiusmodi reb. reperit æqualitas, est actus iustus quando inæqualitas est iniustus. Cæterum cum hæc inæqualitas possit esse intētā à voluntate, possit etiam euenire præter omnem intentionem voluntatis, quando est intenta, actus ille est iniustus tam formaliter, quam materialiter formaliter quidem quia intenta à voluntate à cuius intentione actus dicitur formaliter talis, materialiter verò, quia in æqualitas illa est in re vel actione quæ est propria materia iustitiæ vel iniustitiæ. Quod si non fuit intenta, non est formaliter iniustus, ex defectu intentionis, materialiter verò iniustus est, quia semper existit à parte rei inæqualitas in rebus ipsis, quæ sunt propria materia iustitiæ, & iniustitiæ, quod insinuat Diu. Thom. art. sequen. ad tertium dicens. [Posse aliquem pati iniustum idest inęqualitatem formaliter, & propriè cum tamen alius faciat tantum iniustum materialiter.] Idest cum tamen actus alterius inæqualitatem illā efficientis non sit iniustus formaliter ex defectu intentionis, sed materialiter tantum, quia in rebus ipsis verè illa inæqualitas existat. Vnde cum ignorantiæ inculpabilis tollat omnino electionem & intentionem voluntatis, faciens iniustum, ex tali ignorantia exercet actum materialiter tantum iniustum, non autem formaliter, in intemperantia verò aliter res habet, cum propria & proxima materia ipsius sint passiones immoderatę in ordine ad operantem, & iuxta alias circunstantias, vt cum quis sumit nimium cibum vel potum, aut accedit ad non suam ex ignorantia inuincibili & inculpabili, licèt ibi videatur reperiri aliquid intemperatum ratione materiæ remotæ, verè tamen ille actus neque formaliter neque materialiter est intemperatus, non formaliter, quia deest electio & intentio voluntatis, quam tollit illa inuincibilis ignorantia, nec materialiter, quia existente tali ignorantia in illo operante, non fuit in eo passio immoderata, perinde enim se habuit Non ignorans vim vini in illa potione, ac si bibisset aquam, perinde Iacob accedens ad Liam ac si accessisset ad suam. Vnde cum passio immoderata sit proxima & propria materia intemperantiæ, à qua actus est denominandus materialiter talis, illa sumptio nimij cibi vel accessus ad alienam neque materialiter est actus intemperatus, & hoc est quod dicit Caiet. in actu qui ex ignorantia inculpabili exercetur circa materiam temperantiæ non reperiri materiam intemperantiæ formaliter idest materiam propriam & proximam, & consequenter talem actum nec materialiter esse intemperatum, quod verissimum est, vt ex dictis constat. Soluiturque facilè, quod Caiet. obijciebamus: etenim qui non seruat æqualitatem cum altero, etiam si ex ignorantia id faciat, reuera tamen facit inæqualitatem in re quæ est propria materia iniustitiæ, qui vero sumit plusquam debet ex simili ignorantia, exercet actum circa materiam remotam intemperantiæ, non tamen circa propriam & proximam, quæ ex passio immoderata, cum ab hoc per illam ignorantiam omnino liberetur, & ita ille facit iniustum materialiter, quamuis non formaliter, hic, verò neque formaliter neque materialiter, vt expositum est.

ARTICVLVS II.

Poßit ne aliquis pati iniustum volens?

PRoponitur hic art. à D. Tho. partim ad explicandum Arist. 5. Ethic. c. 9. vbi ait. [Neminem pati iniustum vel iniuriam quādo id sua sponte patitur,] Partim verò, quia ad disputationem de restitutione refert plurimum intelligamus, Cū vnusquisque liberè possit suo iuri cedere, an consentiente illo qui iniustum patitur, sit liber & à peccato iniuriæ illatæ & a debito restituendi qui iniustum illud fecit. Obseruemus initio, sicut radix & principiū omnis bonitatis vel malitiæ moralis in actibus humanis est electio & intentio nostræ voluntatis, similiter esse ipsam præcipuum principium & per se omnis actionis & passionis, & ab ea sumi formalem rationem in omni actione & passione; ita vt formaliter illud dicendus sit aliquis agere quod intendit sciens & volēs, illud pati quod renuens & reluctans patitur, quod autem aget non intendens illud, ne sciēs & volens, aget quidem materialiter, non autem formaliter & per se, similiter quod quis patietur non reluctans, sed consentiens, patietur etiam illud materialiter, non tamen formaliter & per se, quia vbi est cōsensus non patitur propriè voluntas, imò agit & cōcurrit per illū consensum.

Obseruemus secundò: Iniustum & iniuriam licet videantur voces similes, & pro eodem frequenter vsurpentur, propter affinitatem, quam inter se habent, differre tamen reuera, quia iniustum reperitur in rebus ipsis vel actionibus simpliciter, & à parte rei: quotiescunque enim deficit æqualitas, siue intendatur ab agente siue non, est iniustum, si intendatur, formaliter, si non intendatur materialiter tantum: iniuria verò quamuis sit in rebus quæque vel actionibus, quia per illas fit, pendet tamen ab intentione & animo agentis, & ab illo sumenda est: Quo fit vt qui sciens, & volens facit iniustum, hic faciat quoque iniuriam, qui vero ignorans, faciet quidem iniustum, non tamen iniuriam, vt qui inueniens Regem in nemore mutato habitu, ex ignorantia non afficit illum honore regio, facit quidem iniustum materialiter, non tamen iniuriā: Et eodem modo qui reluctans & volens patitur aliquod iniustum, patitur etiam iniuriam, qui verò sciens & volens patietur quidem aliquod iniustum materialiter, non tamen iniuriam, verbi gratia debes mihi 100. remitto tibi liberè, & spontè 50. ita vt soluas alia 50, in hac solutione est quidem iniustum nempe materialiter, quia non est solutio ista æqualis debito, nulla tamen fit mihi iniuria, qui volui partem illam remittere, quod liberè potui, quin & totum debitum. Ita ortum est commune illud dictum quod habetur de regulis iuris in 6. Reg. 27. Scienti & consentienti non fit iniuria, nec dolus, non iniuria quia vult, & consentit, nec dolus, quia scit: cui simile est quod habetur l. nemo ff. de regul. iuris nemo fraudare videtur eos qui vident & consentiunt.

CONCLVSIO I.

Formaliter & per se loquendo nullus facit iniustum nisi volens, neque patitur iniustum, nisi nolens.

PAtet ex dictis: Sicut est de intima & formali ratione actionis vt procedat à principio efficiente, ita quoque est de intima ratione passionis, vt recipiatur in subiecto, quod ita patiatur, vt non agat simul in illa actione, aliter enim idem ageret in se ipsum, & idem pateretur & moueretur à seipso, quod repugnat, vt copiosè docet Arist. 8. Physic. principium autem formale & per se actionis moralis & humanæ est voluntas: ergo in materia iniustitiæ tunc aliquis faciet iniustum formaliter & per se, quando voluntas eius concurrit, efficietque illud sciens & volens, Et tunc aliquis patietur iniustum formaliter etiam & per se, quando ipsa non concurret, sed reluctabit & renuet.

CONCLVSIO II.

Iniustum materialiter & per accidens potest aliquis facere nolens & pati illud volens.

COnstat ex dictis præced. art. patetque exemplo: quando aliquis per ignorantiam non soluit integrum debitum, cum tamen animus eius esset perfectè soluere, facit iste iniustum aperte rei & materialiter, nolens tamen: similiter Iacob accedens ad non suam quam bona fide credebat suam, fecit etiam iniustum materialiter & nolens. Et eodem modo qui necessitate coactus accipit ab vsurario patitur iniustum, volens quidem, sed materialiter tantum.

CONCLVSIO III.

Illud tantum infert iniuriam, qui facit iniustum formaliter: Et ille tantum patitur iniuriam qui patitur iniustum formaliter.

PAtet ex secunda obseruatione, Iniuria non fit nisi à sciente, & volente, nec illam patitur nisi qui reluctat & renuit, iniustum etiam formaliter tantum fit quando fit à sciente, & volente, & tantū patitur quando patitur a nolente & reluctante. Ergo ille solum infert iniuriam qui facit iniustum formaliter, & ille tantum patitur, ac recipit iniuriam, qui patitur iniustum formaliter.

In hoc ar. examinanda est ista regula iuris. [Scienti, & volenti non fieri iniuriam.] An sit omnino & absolutè vera. Offerunt enim sese multa quæ illi repugnāt. Primo iuxta istam regulam vsurarius non tenebitur ad restituendum: ostendo. Qui non facit iniuriam nō tenetur ad restituendum, vsurarius iuxta istam regulā non facit iniuriam. Ergo: maior est certissima, imò vt videbimus q. 62. est axioma in materia de restitutione, illum tantum teneri ad restituendum qui nocet cum iniuria. Minorem probo: volens nō patitur iniustum formale, nec ei fit iniuria, qui accipit ab vsurario, volens & propria sponte accipit ab eo, & dat ei lucrum illud vsurarium. Ergo,

Secundò: quando raptor sicarius à viatore accipit pecuniam, licèt metu mortis viator illam exhibeat, volens tamen & consentiens illam exhibet. Ergo non tenebitur sicarius ille eam restituere: consequentia patet ex regula posita, antecedens verò ostendo, quia ex Arist. voluntarium mistum etiam si absolutè, & in genere videatur inuoluntarium, in actu tamen & executione verè voluntarium est, vt qui projicit merces in mare compulsus tempestate, etiam si absolutè & in genere nolet eas projicere, quando tamen projicit pro illo loco & tempore vere vult.

Tertiò eodem modo qui emit rem plusquam valet, sciens minus valere, non pateretur iniuriam, nec vendens teneretur illi restituere excessum iusti pretij, quia sic emens non pateretur iniustum formale nec iniuriam, cum sciens, & volens reddat illud pretium.

Quartò qui occideret, mutilaret, aut verberaret aliū liberè consentientem, vel forsan rogatus ab eodē qui illa patitur, vt armiger Saul qui illum interfecit ab eodem Saule rogatus, non faceret iniustum formaliter, nec iniuriam illi inferret iuxta istam regulam. Hoc aūt est contra oīum cōsensum. Et similiter qui seipsum occideret, aut mutilaret, non faceret iniustū formaliter, nec sibi, cū propria sponte sibi noceat, inferret iniuriā.

Quintò Episcopus accipiens pecuniam vt conferat beneficium ab eo, qui liberè & spontaneè illam offert, non faceret iniuriam, nec iniustum, nec teneretur ad illam restituendam.

Sextò

Sextò parenti, qui filiam suam voluntariè offerret, aut viro qui vxorem suam liberè cõsentiret mechari, nõ inferret iniuriam, qui puellam illam stupraret, aut qui cum illa vxore committeret adulterium, iuxta eandem regulam.

Septimò contrahens matrimonium adductus metu mortis, cum sic contrahens habeat voluntarium mistum, quod est verè volitum vt docuimus, non pateretur iniuriam, atqui illam patitur, & adeo grauem, vt propterea velit Ecclesia talia matrimonia esse nulla. Deniq. Christo domino non fuisset illata iniuria quando patiebatur, nec fuisset passus à Iudæis iniustum formaliter, sed tantum materialiter, cum voluntariè passus sit. Esa. 53. [Oblatus est quia ipse voluit, &c. Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, &c.] Idemque dicendum erit de Martiribus, cum summo desiderio patiendi arderent, irentque gaudentes à conspectu conciliorum quia digni habebantur pro nomine Iesu illa pati.

Diluuntur tamen facilè hæc omnia proposita vera intelligentia istius regulæ, ad quam percipiendam obseruemus primò. Vt patiatur quis iniustum formaliter, non oportere vt damnum quod illi infertur sit omnibus modis inuoluntarium, vel saltim si voluntarium sit, sit illud extortum cum aliqua iniuria, quæ arbitrio prudentum iudicetur coactio iniqua, in moralibus enim ille dicitur velle qui citra iniuriam & coactionē vult, vnde in ista regula nomine volentis non intelligitur quicunque volens, sed ille qui libere & simpliciter vult, nullaque accepta iniuria, aut violentia spontaneus & vltroneus consentit, huic ita violenti & consentienti non fit iniuria. Qui verò ita consentit, vt si libere liceret ipsi agere reuera non consentiret, (quem consensum veteres Theologi vocabant conditionatū, & habentem ad mixtam quandam nolleitatem (is nõ intelligitur hic nomine volentis, imò huic ita consentiēti verè fit iniuria, adeo vt esset inter antiquos DD. velut axioma. [Qui consentit cum nolleitate verè patitur iniuriam. Ita fit, vt qui consentit per volūtarium mixtum patiatur iniuriam, quia licèt voluntarium mistum sit etiam verè voluntarium, non tamen simpliciter, & absolutè, sed secundum quid, nempe pro illo loco, & tempore, & ratione illius necessitatis, & cum quadam coactione, & iniuria. Et est ratio apertissima quia talis consensus licèt verè consensus sit, cum tamē, per metum, violentiam, aut aliquam coactionem, vel necessitatem extorqueatur, est maxima iniuria illi creaturæ, quæ condita est à Deo libera, & domina sui arbitrij, qualis est homo. Et confirmatur: iniuria est, priuare aliquem suo iure sine legitima causa, & authoritate, homo habet suaptè natura cum sit liberi arbitrij hoc ius, vt liberè, & spontaneè eligat, & consentiat, ergo extorquere ab illo consensum per aliquam vim, metum, vel coactionem quem sibi relictus non haberet, est expoliare ipsum suo naturali iure, & afficere ipsum graui iniuria.

Obseruemus secundò bona hominis duplicia esse quædam quorum homo est omnino, & liberè dominus, qualia sunt bona fortunæ, & diuitiæ, alia verò quorum non est dominus, sed custos, & tutor à natura institutus, qualia sunt bona naturalia, vt vita, corpus, salus membra, &c. ad quæ reducuntur integritas filiarum, & vxoris, quia caro filiarum ex parentibus deriuata est, & caro vxoris effecta per matrimonium vna cum carne viri, & illis cōmissa. In prioribus bonis nēpe fortunæ habet locum hæc regula, quia in his sicut dominium eorum nõ est naturale, sed acquisitum, aut propria industria, aut libera aliorum volūtate, vel per testamentum, vel per donationem, aut per aliā viam, ita quoque est homo liber eorum dominus, potens de illis pro libito disponere, nec aliud ius versatur circa ea, quam libera ipsius voluntas. Vnde si sciens, & volens illa det, accipiens ab ipso nullam ei infert iniuriam. In bonis verò posterioris generis non habet locum regula ista, quia licèt bona ista naturalia sint propria nostra, non tamen sumus eorum domini pro libito, nec possumus de illis disponere, vt voluerimus, sed sicut ius, & dominium, quod in illa habemus est naturale, cui nos non possumus pro libito renuntiare, ita quoque est de illis disponendum iuxta dictamen rectæ rationis naturalis: & qui in illis nobis nocuerit, etiam si id faciat nobis consentientibus, infert nobis iniuriam, quia agit contra ius cui nos non possumus renuntiare. Et ita, qui mihi amputaret manum vel auferret vitam, etiam si rogatus a me ipso, maxima me afficit iniuria.

Ex hoc sequitur quotiescunque quis est verè dominus suorum bonorum, impeditur tamen aliqua lege ne de illis liberè disponat, vt pupillus, vel ne tali modo disponat, sicut prohibetur omni lege ne intuitu rei spiritualis detur aliquid temporale, accipientem aliquid contra legis præscriptum ab his, qui sic lege impediuntur, inferre illis iniuriam. Primò quia accipiens ab huiusmodi agit contra ius cui hi renuntiare nõ possunt, Secundò quia consensus impeditus per legem reducitur ad inuolūtarium. Vnde Regula ista iuxta has duas obseruationes sic est intelligenda. [Scienti, & consentienti liberè, & spontaneè, nullo metu, coactione vi vel iniuria interueniente, & in his de quibus potest homo pro libito disponere, nec aliqua lege impeditur non fit iniuria.

Obseruemus vltimò inter bona fortunæ, & naturalia hoc interesse, vt qui infert iniuriam in bonis fortunæ, vel quia metu, vi, aut alia quacunque coactione cōsensit dominus in illorum acceptationem, vel quia lege aliqua voluntas dantis erat impedita, teneatur ad restitutionem, aut à verò domino à quo accepit, aut cui lex illa præcipit exhiberi, quia talis acceptio est iniqua, & iniusta, nec transfert dominium rei in accipientem. Et ita qui accipit à pupillo quantumuis sciente, & volente, siue per ludum, siue per liberam ipsius donationem, tenetur illi accepta restituere, quia voluntas pupilli lege est impedita. In bonis autem naturalibus qui nocet scienti, & cōsentienti infert quidem illi iniuriam, vt explicatum est, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem. Quia vel teneretur ratione iustitiæ legalis quam violat, priuando Rempub. illo ciue quem occidit, mutilat, vel alio damno afficit, aut teneretur ratione iustitiæ particularis quam transgreditur nocens suo proximo, vt personæ priuatæ: nõ primum, quia iustitia legalis se sola nisi illi iungatur commutatiua, vt in his qui ex officio debent Reipub. & ciuibus ipsius prospicere, non obligat ad aliquam restitutionem: nec secundum, quia illi priuato cui talis iniuria illata est aliqua restitutio fieri non potest, nisi vel restituendo ei vitam, membrum, & quod ablatum est, vel lucrum quod per illa poterat sibi comparare, prius est impossibile, vitam enim, vel membrum, aut quid simile semel ablatum solus Deus restituere potest, posterius vero nempe lucrum quod poterat acquirere, cum sit bonum fortunæ, potuit ille, cui manus vel simile sublatum est de eo disponere, & illud liberè remittere, remisitque reuera eo ipso quo in illam mutilationem, vel damnum liberè & sua sponte consensit.

Quo fit vt qui consentientem mutilat nihil teneatur ei restituere, qui consentientem occidit nihil viduæ relictæ vel filijs debeat satisfacere: qui virginem adultam non deceptam sed sponte consentientem defloraiuit, nec teneatur ei dotem conferre, neq; aliquid restituere, quamuis parentibus si iniuria affecti ex eo sint, aliquid esset restituendum iuxta arbitrium confessarij: ipsi tamen puellæ nihil debetur. Horum omnium vna est ratio, quia ita consentientes renunciarunt omnino per illum liberum & spontaneū cōsensum bonis tēporalibus quæ pro tali iniuria poterant ipsis deberi.

Vbi

Vbi admonitum volo lectorē hæc secularibus non esse explicanda ne liberius agant, oporteret autem con fessarios illa probare nosse vt ad se venientibus pruden ter valeant concilia dare.

Ex his omnia illa quæ proposuimus manent soluta, Ad primum enim dico; Accipientem ab vsurario & reddentem ei lucrum vsuratium id facere non liberè & spontaneè, se compulsum necessitate quam patitur, & penuria amicorum, qui illis gratis dent mutuo.

Similiter ad Secun. & septimum: dicendū est, eum qui Sicario in munere pecuniam offert, vt vitā liberet, aut metu mortis iniquè sibi incusso, (quem vocamus metum cadentem in constantem virum,) cōtrahit, non consentire liberè, & spontaneè, sed esse quoddam voluntarium mistum, & cum maxima iniuria: de quo non intelligitur illa Regula iuris, vt constat.

Ad 3. Respon. Ementem rem pluris quam valeat, si liberè & spontaneè velit excessum illum iusti pretij reddere venditori, & non compulsus necessitate rei quam emit, non pati aliquā iniuriam, nec manere venditorem obnoxium alicui restitutioni, quod si illum excessum det non in gratiam vel beneficium venditoris, sed quia re illa indiget nec venditor aliter vult vendere, tunc voluntarium istud iam est mistum, & cum iniuria ementis, teneturque venditor illum excessum restituere.

Ad 4. patet iam solutio ex modò dictis in tertia obseruatione de mutilante, vel occidente consentiētem in damnum illud liberè, & spontaneè.

De occidente verò se ipsum ait D. Tho. hic a d 2. huiusmodi peccare per intemperantiam, vel imprudentiam, quam doctrinam aliqui non satis intelligentes D. Tho. ita reprehendunt. Intemperantia tantum versatur circa delectabilia tactus, & gustus, occisio autem sui ipsius nihil habet commune cum his: Rursum imprudentia versatur circa agibilia aliorū vitiorum, vnde si occideret se ipsum esset peccatum imprudentiæ oporteret assignari in ipso aliquam propriam materiam alterius vitij, circa, quàm ista imprudens occisio versaretur, & cum nulla alia possit assignari, quàm materia iniustitiæ, erit ista occisio propriè iniustitia, & non aliquid aliud.

Qui ita obijciunt non considerant varijs modis posse aliquē se ipsum occidere, aut casu infortuito quod poterat vitare, quod est imprudentiæ, aut nimio cibo vel potu, quod est intemperātiæ, aut gladio & proprijs manibus quod statim explicabimus, ad quam speciem peccati pertineat. Ex his modis quib. aliquis se ipsu͂ interimere potest, frequentiores sunt duo priores, maxime nimio cibo infirmari & interire, iuxta illud Eccles. 37. [In multis escis erit infirmitas.]Et Paulò post. [Propter crapulam multi obierunt. D. ergo Tho. cum loquatur in genere de his, qui seipsos occidunt, considerans illis duobus modis se plurimos occidere, dixit peccatum horum non esse iniustitiæ, quia iniustitia non est ad seipsum, sicut nec iustitia, sed esse intemperantiæ, vel imprudentiæ, respexit enim ea, quæ frequentius accidunt.

Quod si loquamur de eo, qui seipsum proprijs manibus occidit, hunc bifariam considerare possumus, aut vt quendam priuatum hominem, aut vt partem Reipub. & creaturam Dei, Priori modo contra nullam peccat iustitiam, vt dictum est, peccat tamen grauiter contra rectam rationem, & inclinationem naturalem, qua omnia animantia suam vitam tuentur, & contra charitatem, qua tenetur vnusquisque propriam vitam diligere, & tueri, non est enim alia virtus erga nos ipsos in hac materia: Posteriori verò modo peccat contra Deum cuius creatura est, & imago, & contra iustitiam legalem priuans Rempub. suo membro, & ciue, cum teneatur vnusquisque ciuis nullum damnum, nec minimum inferre suæ Reipub. Et ita Respub. punit hos grauiter priuans eos honorifica sepultura, vt ait Arist. 5. Ethic. cap. 11. quod obseruatur inter Christianos, inter quos huiusmodi priuantur Ecclesiastica sepulturà. Non tamen tenentur hi aliquid propterea Reipub. restituere, cum sola iustitia legalis violata nō obliget ad restituendum. Vnde si artifex Reip. vtilissimus, vel necessarius abscinderet sibi manum nihil tenetetur Reipub. restituere, secus est si ex officio, vel aliqua conuentione teneretur illi inseruire, tunc enim hic se mutilans non solum ageret contra iustitiam legalem, verumetiam contra commutatiuam, ratione illius officij, vel pacti, & teneretur ex suis bonis, aut alia via reficere damnum illud Reipub. prouenienes ex mutilatione.

Quod si dixeris, si occidēs seipsum est iniurius Reipub. & Deo, quia est membrum Reipub. & res Dei, similiter, qui dilapidat bona sua erit iniurius Reipub. & Deo, cum bona ipsius sint Reipub. & Dei, & ita prodigalitas esset iniustitia quædam, saltim legalis, & peccat. mortal. ex suo genere, quod est contra D. Thom. & omnes Theologos. Respond. aliter esse opes Reipub. quàm sit vnusquisque ciuis. Ego enim non sum dominus vitæ meæ, aut corporis, sed solus Deus absolutè. Respub. verò quando illa exiget bonū commune, operum autem mearum sum verus, & absolutus dominus, & ita vitæ meæ, saluti, vel membris nocere non possum, quin sim iniurius Reipub. & violem iustitiam legalem, bona verò mea prodigere possum sine vlla iniuria, & iniustitia contra Rempub. nisi se offerret occasio in qua Respub. illis ad bonum com mune indigeret, tunc enim prodigalitas mea esset pec catum mortale contra iustitiam legalem, Quo nomine credo diuites superflua sua prodigè expendentes peccare mortaliter, vt plurimum, & frequenter, quia illa superflua ex præcepto charitatis sunt in pauperum vsus conuertēda, quos semper apud nos futuros Christus dominus, qui mentiri non potest prophetauit.

Ad quintum constat iam ex prima obseruatione, Episcopum accipientem aliquid, vt conferat alicui beneficium, facere illi iniuriam, quia lege Ecclesiæ cautum est ne liceat pro re spirituali pecuniam accipere, sed accipiens in pœnam suæ symoniæ teneatur illam restituere, cum per talem contractum sic prohibitum non transferatur dominium, qui verò dedit pro beneficio, similiter debeat illud resignare, & pecuniam datam omnino amittere in pœnam sui delicti, quo existimauit dona Dei, & Ecclesiæ pecunia possideri; estque restituenda Ecclesiæ cui facta est iniuria, vel pauperib, vt videbimus copiosè q. 100. agentes de symonia.

Idemque posset dici de vsurario teneri ad restitutionem, lucri accepti, tum quia intulit iniuriam sicut explicatum est in prima solutione, tum quia lege ciuili, & Ecclesiastica cautum est ne per contractum vsurarium transferatur dominium lucri in vsurarium, quo fit, vt vsurarius nūquam sit dominus lucri accepti, sed teneatur illud restituere, tanquam alienum vero domino. Nisi iam verus dominus certò assereret se illud omnino liberè ac voluntariè dedisse, & non ratione mutui, sed hoc etiam periculosum est, de quo latè infra q. 78. in qua agemus de vsura.

Sextum solutum etiam manet ex dictis secunda obseruatione, ex qua constat parentes, vel viros non esse dominos corporum, & integritatis suarum filiarum, & vxorum, nec posse cedere iuri naturæ, quo tenentur illas custodire, & ita qui illis abutetur ipsis etiam consentientibus grauem eis inferet iniuriam.

Septimum solutum est vnà cum secundo.

Ad vltimum Respond. in Iudæis, & tyrannis posse nos considerare, aut solas actiones externas, per quas inferebant mortem, & cruciatus Christo, & Martyribus, aut actiones istas quatenus procedebant ex malitia eorum, & odio, quo prosequebantur veram fidem, & Christi nomen: optabant quidem Christus, & Martyres pati, ac mori, non tamen per actiones procedentes

tes ex malitia, & odio Dei, imò hoc fuit eis molestissimum, adeo vt hac de causa fierent rogarentque enixè pro suis persequutoribus. Et ita Iudæi ac tyranni Christo, & martyribus fecerunt iniustum formaliter, grauemque intulerunt iniuriam, Christus etiam, & Martyres illam passi sunt, & receperunt, cum pollent ita pati ex odio scilicet, & malitia eorum.

ARTICVLVS IIII.

An quicunque facit iniustum peccet mortaliter.

CVm peccatum mortale repugnet charitati, quod non habet veniale, charitas verò sit verè amicitia, obseruemus illud esse peccatum mortale, quod stare simul non potest cum vera amicitia & beneuolentia proximi, quod autem simul cum illa stare potest, & si aliqua ratione fratri noceat, esse tantum veniale.

CONCLVSIO I.

Quicunque facit iniustum peccat ex suo genere mortaliter.

PAtet quia quicunque facit iniustum contra proximum nocet illi, iudicio autem prudentis nequeūt hæc duo cohærere, vt noceam proximo, & verè illum diligam: Ergo. Hac ratione, quia omnia præcepta negantia secundæ tabulæ prohibent damna proximorū, dixit Paulus omnia illa in hoc vno instaurari, & contineri Diliges proximum tuum. In solutione secundi.

CONCLVSIO II.

Potest aliquando qui iniustum facit peccare tantum venialiter, aut ex leuitate materiæ, aut ex imperfectione actus, aut ex ignorantia.

PRima pars huius conclus. patet, Quando nocetur proximo, sed ita vt non tollatur vera amicitia inter prudentes, non est peccatum mortale, sed tantum veniale, sed damnum leuissimum, vt acceptio vnius nummi inter prudentes, non tollit veram amicitiam, commune enim est inter omnes amicos prudentes leuissima damna pro nihilo habere, & in risum conuertere. Ergo.

Secunda pars exemplo constat, qui enim ex repentina ira vellet inimicum suum primo aspectu sibi oblatum occidere, vel ex repentina quadam cōcupiscentia aliena vsurpare, facit iniustum, at si illos motus appetitus ratio statim moderetur, nec ad consensum voluntatis perueniant, ex imperfectione actus sunt tantum peccata venialia.

Tertia autem pars cōstat, quia inferens damnum ex ignorantia, talem culpam committit qualis est ignorantia, si sit illa inuincibilis, & inculpabilis, cum tollat omnino consensum, nullam committit culpam, & si crassa, & culpabilis potest adhuc esse mortalis, vel venialis, iuxta negligentiam ex qua nascitur, si autē mortalis peccabit etiam mortaliter, qui facit iniustum ex tali ignorantia, si venialis venialiter tantum.

Circa quam partem, qui plura desiderat, videat D. Tho. 1.2.q.76. De omnibus verò suis locis priuatim dicemus, quando iniustum faciens veniale, vel mortale peccet. Etenim cum sint tria bona, in quibus proximus lædi potest, nempe bona corporis vt vita, & integritas corporis, bona fortunæ, vt diuitiæ, & quæ inter hæc medium locum tenent, vt honor & fama, de singulis in particulari aget D. Thom. de bonis corporis quæst. 64. & 65. de bonis fortunæ q. 66. de honore q. 72. de fama q. 73.

Circa conclusiones huius art. nonnullæ sese offerunt dubitationes. Contra primum enim sic obijcio, maius damnum est proximo inducere illum ad quodcunque pecca. venia. quàm expoliare ipsum omnibus suis bonis, quia hoc est pœna tantum, & malum temporale, illud verò est culpa, & malum spirituale, & quodcunque malum culpæ est grauius quocunque malo pœnæ. Sed inducere proximum ad peccatum veniale, est veniale tantum, & non mors. Ergo expoliare eum omnibus suis bonis non erit iniustum mort. sed venia. tantum.

Contra secundam conclu. Sic etiam obijcio: Si iniustum in materia læui est venia. tantum, quia probabiliter censendus est, qui tale iniustum patitur, illud non ægrè ferre, vt docet hic D. Tho. sequeretur peccare moraliter, quando dominus ægrè feret, etiam si res sit leuissima: hoc autem falsum est, quia vt videbimus q. 65. agentes de furto, acceptio alieni non iudicatur moralis, vel venialis ex animo domini, sed ex quantitate rei.

Ad primam obiectionem respon. non esse parem rationem: primò, quia qui inducitur ad veniale, consentiens illud committit, cum omne peccatum ex D. Tho. sit voluntarium, tàm venia. quàm morta. qui verò expoliatur suis bonis inuitus id patitur. Secundò damnum, quod recipit peccans venialiter est leue, & quod facile potest resarcire, propter quod inducens ad illud peccat tantum venialiter: qui verò expoliat fratrem suis bonis, infert ei graue nocumentum, & cui non ita facilè potest subueniri, qua de causa peccat illud inferens mortaliter.

Ad secundam respond. Quotiescunque accipiens alienum est certus, dominum rei illius non esse ęgrè laturum, imò approbaturum illum acceptionem, siue res illa sit magna, siue leuis, & in exigua quantitate, ita accipientem non peccare mortal. quia si aliquod peccatum, tunc committeretur certè esset furtum, hoc autem non est, cum furtum sit acceptio alieni inuito domino, in hoc verò casu accipiatur alienum domino tacitè, & implicitè consentiente. Vnde quando certò norunt vxores viros suos, non ęgrè laturos, possunt de bonis eorum aliquas eleemosynas facere, vel illa in aliquos honestos vsus conuertere. Quando verò accipiens non est certus dominum illius rei acceptionem, non agrè passurum, si res accepta sit grauis, siue sit chara suo domino, siue non, est pecc. mort. quia est furtum re uera rei grauis. Si verò sit res secundum se leuis, & exigua, aut illa est chara domino suo, vel nō, si non sit ei chara, est pecc. tantum venia. ex leuitate materiæ, & in hoc casu loquitur hic D. Tho. si verò sit chara domino suo, ita vt sit afficiendus maxima molestia si ea priuetur, tunc est pecca. mor. tùm ob grauem molestiam, qua scit dominum illius rei afficiendum, quàm inferes sciens, & volens. peccat. mortal. contra charitatem, tùm etiam, quia vt infra dicemus, valor & pretium rei nō solum est sumendum ex natura rei, verum etiam ex domini illius æstimatione.

Circa ea quæ diximus de ignorantia existit hic dubitatio, quæ nam ignorātia liberet à peccato: est enim regula Aristo. 3. Ethic. cap. 8. cuius meminit hic D. Th. in primo argumen. ignorantiam cum tollat voluntarium liberare à culpa, & peccato, quod nos vocamus morrale: Tum etiam habetur de Regu. iur. in 6. & est regula 13. Ignorantiam non iuris, sed facti liberare à peccato.

Obseruemus aliam esse ignorantiam iuris, & aliam facti: iuris siue legis, quando quis ignorat, hoc aut illud præceptum esse, vel prohibitum iure aliquo & lege, facti verò quando quis ignorat personam, vel rem de qua agitur, vt qui putat suum, quod est alienum.

Rursum tam ignorantia iuris, quàm facti alia est culpabilis, & vincibilis, quādo s. ignoratur aliquid, quod oportebat scire, nec est adhibita omnis illa diligentia, quæ potuit, & debuit adhiberi, & qua adhibita cessaset

fet talis ignorantia alia verò est inculpabilis,& inuincibilis, quando scilicet est adhibita quidem omnis diligentia, quæ potuit adhiberi, & nihilominus lex illa, vel factum adhuc ignoratur.

Obseruemus secun. quæstionem hanc tractari posse, aut in foro exteriori, & iudiciali, aut in interiori conscientiæ. Dico his positis in foro exteriori, & iudiciali ignorantiam iuris nullo modo admitti, maximè in his, quæ vocantur notissima iuris, siue pertineant ad ius diuinum, siue ad humanum, quia iudices debēt iudicare, vt videbimus secundum leges scriptas, quæ talem ignorantiam non admittunt, eo ipso quò sunt sufficienter promulgatæ, ignorantia autem facti si iuridicè probetur fuisse inuincibilis, & inculpabilis admittitur, & liberat sufficienter in isto foro, vt qui accederet ad alienam iudicatam suam,& id probaret iuridicè se inculpabiliter ignorasse, non puniretur à iudice: In foro autem animæ ignorantia facti si culpabilis sit à nullo liberat, neque à culpa, neque à pœna, & debito satisfactionis, si inculpabilis & inuincibilis, liberat omnino ab vtroque. Ignorantia verò iuris admittitur in isto foro, pro ratione loci, temporis, & personæ: tale enim ius potuit à viro simplici ignorari, quod ipse nullo modo tenetur scire, aut non pot uit, & propterea illud transgrediens non peccauit: habetur enim in foro interiori ratio personæ aliquando, quæ in exteriori nunquam habetur.

QVÆSTIO LX. De actu Iustitię nempe iudicio.

EXplicatis his, quæ ad iustitiæ naturam pertinent, & vitium illi oppositum, nempe iniustitiam agit iam D. Thom. iuxta methodum, quàm diximus ab ipso obseruari, præsenti quæst. de Actu Iustitiæ, qui est iudicium, disputaturus de partibus specificis eiusdem, iustitiæ, scilicet Commut. & Distribut. sequenti quæst.

ARTICVLVS I.

An Iudicium sit actus Iustitiæ?



PRÆMITTIT initio D. Thom. propriam significationem iudicij, prætter quam habet alias nonnullas, quas bic referre oportet. Primum igitur in sua primæua, & propria significatione idem est, quod actus, vel sententia iudicis, qua componit partes inter se, reddēs vnicuique suum ius, quomodo idem sunt iudex, quod ius dicens, & iudicare, quod ius dicere, & iudicium, quod actus quo dicitur ius: in qua significatione dicitur 3. Reg. 3. [Audiuit vniuersus Israel iudiciū, quod iudicauit Rex, &c.] Ex hac propria, & primæua significatione translatum est hoc nomen ad multa alia, translatum enim, est ad significandas etiam causas, & negotia, circa quæ proferuntur à iudicibus sententiæ, ita Pau. 1. Cor. 6. [Sæcularia ergo iudicia si habueritis,] idest seculares causas, & negotia. Tertiò quoniam sententia iudicis est à partibus seruanda, in quo habet se tanquam lex, trãslatum etiam est iudicium ad significandam legem. Vnde varijs in locis Sacræ scripturæ legimus, [Præcepta mea, atque iudicia, leges meas atque iudicia, &c.] In Ps. 118. nihil frequentius quàm legem Dei vocare iudicium. Quartò, quia sententia iudicis debet proferri maturè, & cum magna deliberatione, quod significant dicentes se illas ferre non stando, sed pro tribunali sedendo, istì quoque, & prudentes nihil temere faciunt, aut cogitant, eorum cogitatus dicuntur iudicia, idest, maturi. Ita Prouerb. 12. [Cogitationes iustorum iudicia.] Denique quia iudicium (vt ait hic D. Tho. ad primum) est recta definitio, & determinatio iustorum, translatum est per quandam methaphoram ad significandam quamcunque determinationem rationis inter rectum, & prauum, inter verum, & falsum in quacunque materia, tā in speculatiua, quàm practica. Propositis enim rationi duobus obiectis, ipsa in suprema animi nostri arce quasi pro tribunali sedendo fert sententiam, hoc verum est, illud falsum, hoc amplectendum, illud fugiendum, quomodo iudicium non est actus alicuius certæ, & definitæ virtutis, sed omnium, vniuscuiusque in sua materia. Ex his autem significationibus prima est propria huius loci, & iuxta quam agit D. Tho. in hoc art. de iudicio.

Vbi obseruandum est. Iudicium propriè, & formaliter loquendo fieri ab vna potentia duabus virtutibus concurrentibus cum ipsa ad illud rectè efficiendum: quarum virtutum vna elicit immediatè ipsum iudicium, alia verò disponit inclinat, & benè afficit potentiam illam ad rectè iudicandum. Potentia, quæ iudicat, est intellectus, & ratio, rationem reddit hic D. Tho. ad primum, quia dicere, vel definire ius, & iustum (quod est propriè iudicare) rationis est, virtus, quę elicit iudicium est quædam pars prudentiæ, quæ dicitur synesis, quis hæc est benè iudicatiua, virtus verò, quæ benè disponit intellectum, & rationem ad rectè iudicādum circa iusta, & debita alijs est iustitia. Quia sicut in materia temperantiæ, appetitus passionib. concupiscibilis perturbatus obscurat simul intellectum, & rationem ne ferat rectum iudicium de voluptatibus, temperantia verò componens, & reprimens illas passiones appetitus concupiscibilis, disponit & benè afficit intellectum, vt rectè iudicet de illis, sedatis enim passionibus, & appetitu benè composito manet ratio libera, & expedita ad ferendum rectum iudicium, ita quoque cum iustitia componat voluntatem in ordine debito ad proximum, & inclinet illam ad reddendum vnicuique suum ius, benè composita, & inclinata voluntate ad æquum, & iustum, consequenter manent etiam intellectus, & ratio inclinata, bene disposita, & expedita ad iudicandum, & definiendum de iure vniuscuiusque. Propterea dicebat Arist. 3. Ethic. c. 5. [Qualis vnusquisque est talis finis sibi videtur,] idest, taliter de vna quaque re iudicat.

Ex his colligenda est sententia D. Tho. Sit ergo in solut.

CONCLVSIO PRIMA.

Iudicium si respiciamus proprium ipsius subiectum, & potentiam à qua producitur, actus est intellectus, & rationis. Si verò respiciamus virtutem à qua elicitur, actus est synesis, quæ est pars prudentiæ & ab ea procedit tanquam à suo proprio principio eliciente.

HAEC constat satis ex obseruatione posita.

CON-

CONCLVSIO II.

Iudicium in sua propria, & primæua significatione est actus iustitiæ, non tanquam à virtute eliciente, sed tanquam à virtute disponente, & benè afficiente rationem ad rectè iudicandum de rebus, & actionibus vnicuique debitis.

HAnc habet D.Tho. partim in corpore ar. partim in solut.1.Et probatur cum habitus sint propter actus, & actus propter obiecta, actus respiciens aliquod obiectum, ad illum habitum, & virtutem debet pertinere, quæ propriè, & directè respicit illud idem obiectum; iudicium in sua propria, & primæua significatione habet pro obiecto ius, cum sit idem quod ius dicere, ius autem vt constat est proprium, & formale obiectum iustitiæ, Non potest autem esse actus iustitiæ, vt virtutis elicientis illud, cum sit actus rationis, in qua non existit iustitia, vt in suo proprio subiecto, sed in voluntate, erit ergo actus iustitię tanquam benè afficientis, & disponentis rationem ad rectè iudicandum de iure vniuscuiusque;, vt expositum est. Ex hac conclusione perspicuum manebit quomodo iudicium sit actus iustitiæ iuxta D.Tho. Discipuli autem eius, & si ipse adeò apertè loquatur in solu.1. quæ est genuina explicatio corporaliter ar. & mentis ipsius, in nonnullas diuiduntur opiniones vnde oportet videamus.

SIT NE IVDICIVM ACTVS IVSTITIAE elicitus, vel imperatus, vel alterius generis?

NOnnulli ex recentioribus volunt iudicium esse actum iustitiæ non modò, vtà virtute inclinante, & benè disponente intellectum, verum etiam vt à virtute eliciente ipsum. Probant primò. Reddere vnicuique suum ius, est actus proprius iustitiæ ab ipsa elicitus, sed iudicium est actus quo redditur vnicuique suum ius, quia iudicium nihil aliud est, quàm sententia iudicis constituti inter duos, qua decernit vnicuique suum eorum reddi, quod est iustum. Ergo.

Secundò iudiciū versatur propriè, & formaliter circa obiectū iustitiæ, & circa operationes ad alterū sub ratione iusti, & æqualis, quod est proprium iustitię, Ergo debet esse proprius actus eius, proprius aūt actus alicuius virtutis non dicitur, nisi ab ea eliciatur. Ergo

Tertiò ex D.Tho. hic in solu.3. iudicium specialiter pertinet ad iustitiam, quomodo non pertinet ad alia virtutes, sed extenso quodam nomine, & in ampla quadam translatitia significatione, at si iudicium non esset actus iustitiæ, vt virtutis ipsum elicientis, sed solum disponentis, & inclinantis, non pertineret magis ad iustitiam, quàm ad alias virtutes. Patet, quia vna quæque virtus disponit, & benè afficit rationem ad ferendum iudicium in sua materia, temperantia inclinat, & benè disponit rationem ad rectè iudicandum circa voluptates, fortitudo benè afficit, & inclinat rationem ad rectè iudicandum circa pericula, & similiter vnaquæque virtus circa suam materiam iuxta illud adductum ex Aristo. [qualis vnusquisque est &c.]

Alij ex discipulis eiusdem D. Tho. sentiunt nullo modo iudicium esse actum elicitum à iustitia: Quod probatur primò ex doctrina huius ar. hac ratione. Actus, & habitus illum eliciens debent esse eiusdem potentiæ, cum non alio fine constituatur habitus in aliqua potentia, nisi vt illo perficiatur ipsa ad facilius, suauius, & perfectius illum actum producendum: sed iudicium ex D.Tho. hic ad primum, est actus rationis, & intellectus, iustitia verò habitus voluntatis, ergo iudicium non est actus elicitus à iustitia.

Secundò actus elicitus vnius virtutis non potest esse elicitus alterius; aliter enim confunderemus virtutes, cum ipsę distinguātur specificè per suos proprios, & elicitos, actus, sicut actus per sua propria, & formalia obiecta: sed iudicium est actus prudentiæ per synesim, vt docet hic D.Tho. ad 1. & 2. ergo non potest esse actus iustitiæ elicitus. Et confirmatur quia iudicare propriè est proferre, & decernere iudicium, quod non est iustitiæ, sed synesis, quæ est pars prudentiæ bonè iudicatiua, proferre autem, & decernere iudicium, est elicere illud.

Nec desunt ex iuris peritis, qui iudicium faciunt actum suæ facultatis iuris prudentiæ, adducti hac ratione. Si quis proponat dubium Theologicum, per Theologiam de illo iudicatur, si dubium aliquod circa salutem per medicinam, & similiter ad vnamquamque scientiam pertinent definire, & proferre indicia in sua materia, sed iudices per philosophiam moralem, & iuris prudentiam, quæ est ars boni, & æqui, & cuius propria materia est ius, siue iustum vnicuique debitum, decernunt, & iudicant de re & debito cuiq; reddendo, erit ergo iudicium proprius actus iuris prudentiæ. Et confirmatur, quia paruus etiam iudex, & qui non habet habitum iustitiæ in voluntate si habeat peritiam & dexteritatem in iure profert optimum iudicium & sententiam, Cui fauet D.Tho. asserens hic ad secundum, virum iustum pronuntiare iuditium ex regulis iuris.

Ad rectè iudicandum in hac controuersia nonnulla necessario obseruanda sunt. Primum certissimum esse quod iam obseruauimus, ad proponendas conclusiones D.Tho. vitia eo ipso quo deprauant appetitum, disponere & malè afficere hominem, vt malè iudicet de rebus, non solum practicè, verum etiam speculatiuè, corrumpereque in ipso non solum iuditium prudentiale verum etiam speculatiuum. Ita experimur in hominibus vitijs assuetis adeo corrumpi & deprauari iudicium, vt quæ à principio iudicabant mala & illicita, & cum timore perpetrabant, deinde iam credant sibi licere, & amittant fidem. Quomodo dicebat Comitus: [Qui semel se cupiditate deuinxit, eum necesse est mala concilia consequi.] Pau. 1. ad Thimo. 1. de quibusdam. [Quod bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragauerunt.] & apertius Roma.1. veteres illos Philosophos in pęnam suæ elationis & superbiæ ait. [Tradidisse illos Deum in desideria cordis & errores & in passiones ignominiæ, & tandem in reprobum sensum.] idest in iuditium adeò deprauatum, vt crederent sibi licere quæ faciebant. Similiter habent virtutes inclinare hominem, & benè disponere ad rectè iudicandum in sua materia, quia virtus constituens appetitum tam rationalem, quam sensibilem benè compositum, producit in homine debitam intentionem, & rectam æstimationem circa finem, qua existente, iudicat tunc prudentia rectè & debite de materia sibi oblata: Quocirca dixit Arist.6. Ethic.c.12. [Virtus moralis est quæ propositum ipsum efficit rectum, prudentia verò quæ circa media negotiatur,] q.d. virtutem moralem efficere rectam intentionem, & æstimationem circa finem, quibus positis prudentia valet rectè iudicare de medijs in illum finem dirigendis. Ita fit, vt intemperatus non valeat rectè iudicare de voluptatibus, sed is solum qui per temperantiam & fortitudinem habet rectè compositum appetitum, & moderatas illius passiones. Similiter iniustus & iniquus non valet rectè iudicare de iure cuique reddendo, sed is tantum; qui per iustitiam habet benè compositam voluntatem, & bene affectam ad reddendum vnicuique suum. Propter quod principibus & magistratibus quibus incumbit iudicare adeò commendatur iustitia, non quidem aliena, & quam curent à suis ciuibus seruari, sed propria, qua ipsi ornati rectè iudicent, cum dicitur. [Diligite iustitiam qui iudicatis terram.]

Obseruemus secundò cum ad iuditium (vt dictum est initio huius ar.) duæ virtutes concurrant, cum potentia illud producente, nempe ratione, quarum virtutum vna illud elicit nempe synesis, alia verò bene afficit & disponit rationem ad rectè iudicādum, nem-

pe

pe iustitia, ex his duabus virtutibus hanc posteriorem potius concurrere ad rectitudinem illius actus, & honestatem ipsius illi deberi. Ratio est, quia actus producitur à duplici principio, à potentia quæ habet locum præcipui agentis & suppositi, & à virtute eliciente, ita sit vt cum potentia sit præcipuum agens & velut suppositum, virtus quæ disponit, & benè afficit illam potentiam ad rectè operandum, censeatur potius concurrere ad illum actum, quatenus rectus & honestus est: vt 10 fide actus eius qui est de re, est quidem actus intellectus, ad quem duo desiderantur, habitus fidei in eodem intellectu, & pia affectio in voluntate, dicente D. Aug. [Cætera potest homo nolens, credere non nisi volens] quamuis ergo sit ab illo habitu vt eliciente, potissimè tamen simpliciter loquendo tribuitur piæ affectioni, quæ est in voluntate: vnde in Actis Apostolorum, [Illi tamen dicuntur credidisse quorum Deus corda tetigerat,] id est quorum voluntates pia illa affectione adeò necessaria ad credendum repleuerat, sicut & dissensus incredendo non tàm tribuitur defectui habitus, quã defectui huius piæ affectionis, quæ existens in voluntate inclinat & benè afficit intellectũ ad credendum, quod significauit Christus dum dixit Hierosolymæ: [Quoties volui congregare, &c. & noluisti.] In temperantia quoq; ad iudicium rectum circa voluptates concurrunt duæ virtutes, synesis in intellectu & ratione, & temperantia in appetitu, illa vt eliciens, hæc vt benè afficiens, & disponens: rectitudo actus iudicij quando ratio rectè discernit circa voluptates, magis tribuitur temperãtiæ, quàm synesi, quia ex ipso quo temperantia rectè composuit passiones concupiscibilis, valuit ratio benè de voluptatibus iudicare, quod cum sola synesi non valuisset, imò sublata temperantia non potest esse synesis io ratione, quia intemperatus vt diximus non potest benè de voluptatibus iudicare, vnde temperantia est velut principiũ synesis circa voluptates, & bona dispositione circa illas. Similiter est philosophandum in iuditio propriè sumpto, quatenus discernit, & definit ius cuique debitum, (quomodo de ipso agit hic D. Thomas) licèt producatur à ratione circa actiones, vel res alteri debitas, concurrente synesi vt eliciente, & iustitia vt inclinante, & benè disponente, magis tamen tribuenda est rectitudo & æqu itas ipsius iustitiæ, quã synesis, quia iustitia existens in voluntate & inclinans ipsam vt apparet suum cuique reddi, disponit & benè afficit rationem, vt rectè circa illa debita iudicet, adeò vt neque ratio esset benè disposita, nec circa iura cuique reddenda esset synesis in ipsa, nisi voluntas esset per virtutem iustitiæ benè composita.

Obseruemus tertiò. Non vno tantummodo dici aliquem actum elicitum ab aliqua virtute, sed pluribus. Primò & potissime, quando ab illa proximè & immediatè producitur, existitque in potentia, quæ est principium efficiens illius actus; velut forma informans illam potentiam ad producendum talem actum, quomodo temperantia est principium eliciens actus temperati: Et actus credẽdi est elicitus ab habitu fidei, &c. Secundo dicitur actus elicitus ab aliqua virtute, quando omnem bonitatem, quam habet, habet ab illa, quo modo martirium dicitur actus elicitus à charitate, iuxtà illud Christi. [Maiorem charitatem nemo habet. &c.] Quia tota bonitas martirij à charitate sumitur, [Cum martirem] iuxta D. Aug. [non faciat pœna sed causa. [Tertio modo dicitur actus elicitus ab aliqua virtute, qui immediatè regulatur ab illa, nec potest habere aliam regulam, quia cum virtus sit regula constituens medium & rectum in actione humana circa aliquam materiam, virtus, quæ sola regulat & facit rectum aliquem actum, est proprium & eliciens principium illius. Denique dicitur etiam actus elicitus ab aliqua virtute, quãdo suapte natura & per se respicit proprium & formale obiectum illius virtutis, quia cum actus sit quid medium inter habitum & obiectũ, cum habitus sint propter actus, & actus propter obiecta, efficitur hac ratione, vt actus qui versatur circa propriũ obiectum alicuius virtutis, & ab ea regulatur, dicatur quoque elicitus, ab illa, etiam si fit in diuersa potentia: quomodo oratio quamuis sit actus intellectus, est nihilominus elicitus à religione, quia versatur circa proprium obiectum religionis, & ab ea regulatur.

Obseruemus vltimò ad proferendam iustam sententiam multa requiri. Requiritur enim imprimis inquisito & concilium de causa, ad quam inquisitionem seu consultationem constituitur quædam virtus, quæ est pars prudentiæ dicta Eubulia, quasi benè consiliatiua vel bona consultatio, quæ postulat duo; primò in intellectu peritiam iuris, cum rectum iuditium & sententia non ferantur (vt hic habet D. Tho.) nisi seruatis regulis iuris & secundò iustitiam in voluntate, vt ea benè composita intellectus liberè & nudè inquirat, & consultet iura vtriusque partis, non respiciens personas hominum, sed sola merita causæ. Requiritur deinde inspectis iam meritis causæ & dispositione iuris, alia prudentiæ pars quæ dicitur synesis, vel benè iudicatiua, ad definiendum & determinandum quis in illa causa habeat ius, in quo consistit propriè & formaliter ratio iudicij; cum nomen iudicij (vt ait hic D. Th. ad 1.) primo & proprie significet rectam determinationem iustorum, ad quod etiam exigitur iustitia in voluntate, quia ea deficiente potest adhuc appetitus ex amore, odio, vel alia passione, ita perturbare intellectum, vt etiam si manifestissima sint merita causæ & dispositio iuris, nihilominus ratio non rectè deficiat neque indicet, existente autem iustitia in voluntate, facilè liberè, & expeditè definiet, ac discernet ratio ius vniuscuiusque. Exigitur tertiò decretũ illud, & iudiciũ rationis in præceptum cõuertere, vnde ait D. Tho. hic ad 3. [In his, quæ pertinent ad iustitiam requiritur iudiciũ alicuius superioris, qui vtrumque valeat arguere,] & vt dicitur Iob. 9. [Ponere manũ suam in ambobus.] Quod pertinet ad prudentiam, quæ dicitur præceptiua efficiteq; per sententiam est enim sententia iudicis, velut lex priuata, & præceptum superioris, quo decretum illud rationis præcipitur à partib. seruari, ad quod exigitur etiã maximè iustitia, ne iudex quod apud se, vt iustum, & æquũ definiuit, desinat ex timore aliquo amore, vel odio explicare, & præcipere, ac per sententiam, executioni mãdare. Quæ omnia ita habere experientia ipsa testatur. Vides quàm necessaria sit iustitia ad omnes actus iuditij, & quanta præstet.

Denique licèt iudicium propriè, & formaliter sit illud decretum, ac definitio rationis iudicantis hoc, vel illud iustum esse, quia illud decretum per sententiam explicatur, & præcipitur, & per eam redditur ius cuique DD. & D. Tho. cum eis nomine iudicij intelligunt communiter ipsam sententiam, qua decernitur, quod iustum est, & præcipitur reddi cuique. Vnde cum hanc sententiam iudices, & superiores ratione sui muneris, & officij ferre debeant, & per eam vnicuique suum ius reddere, nam ideo dicuntur iudices, efficitur vt iudiciũ, siue sententia iudicis bifariam considerari possit, vno modo formaliter, & absolutè, quatenus est decretum rationis dijudicantis, quod iustum est, in quo consistit propria ratio iudicij, alio modo quatenus dicitur dinem ad alterum, idest, quatenus illud iudicium est debitum inferioribus, & ciuibus.

CONCLVSIO I.

Iudicium formaliter sumptum, & secundum solam rationem iudicis non est propriè actus elicitus à iustitia, sed solum ab ea parte prudentiæ quæ dicitur synesis. Potest autem hac etiam ratione sumptum dici actus quodam modo elicitus à iustitia.

PRior pars est apertè D. Thom. in corpore ar. & in solut. ad primum, vbi ait: [Iustitia requiritur quidem

dem, vt homo benè discernat, & definita in materia iustitiæ, sicut requiritur castitas, vt benè definiat in materia & requiritur fortitudo, vt benè definiat in materia fortitudinis, at iudicium quod castus fert circa voluptates, & quod fortis fert circa pericula, non est à castitate, vel fortitudine tanquam à virtute propriè eliciente, sed tanquam à virtute disponente, & benè afficiente rationem ad rectè iudicandum.] Ergo similiter iudicium circa iusta alteri debita suut (quæ materia iustitiæ) non erit à iustitia, vt virtute propriè eliciente, sed vt inlinante, & benè disponente rationem ad rectè iudicandum in tali materia. Imò habet D. Tho. (vt diximus) hic ad primũ iudicium à synesi procedere, vt eliciente, à iustitia verò vt inclinante ad rectè iudicandum.

Secundò virtutes sicut habent materias, & obiecta diuersa, ita & actus elicitos, iudicare autem hic ex D. Th. est actus prudentiæ elicitos, per synesim, ergo non est elicitus iustitiæ. Et confirmatur prudentia eodem modo versatur circa materiam iustitiæ, sicut circa materiam cæterarum virtutum iudicans eodem modo in vnaquaque quid rectum sit in ordine ad finem illius, & dirigens media, sed iudicium in cæteris omnibus (etiã si omnes inclinent rationem ad rectè iudicandum circa suas materias,) est à prudentia elicitiuè, non ab alijs virtutibus, ergo eodem quoque modo in iustita.

Tertiò conciliari, & præcipere sunt actus eliciti ab eubulia, & prudentia etiam in materia iustitiæ, vt docet D. Tho. sup. q. 51. vbi constituit prudentiam regnatiuam, & gubernatiuam cuius sunt hæc officia, sed iudicare eodem modo pertinet ad prudentiam per synesim, sicut conciliari per Eubuliam, & præcipere per gubernatiuam. Ergo iudicare est actus propriè elicitus à prudentia per synesim, & non à iustitia.

Quartò iustitia sicut & alia quæcunque virtus moralis existens in voluntate duos tantum elicit actus, vt varijs locis docent Arist. & D. Tho. nempe intentionẽ finis, & electionem mediorum: vnde vocatur iustitia, & quæuis alia virtus moralis ab Arist. habitus intensiuus, & electiuus, sed hoc iudicium, de quo modò loquimur non est intentio finis, quia pertinet ad media, nec est electio, quin potius antecedit omnem electionem, & est causa illius, quia virtus eligit ea media, quæ prudentia per synesim iudicauit cõgruentia ad finem. Ergo hoc iudicium non elicitur à iustitia.

Quintò vt tertia obseruatione diximus, actus ab illa virtute propriè elicitur, à qua immediatè, & proximè producitur, & quæ informat potentia, quæ est propriũ principium illius actus, iudicium autem proximè, & immediatè producitur à synesi, & non à iustitia, estq; actus intellectus, & rationis, cum tamen iustitia sit habitus voluntatis. Ergo.

Denique hanc partem ostendunt argumenta secundæ passionis.

Altera pars huius conclusionis probatur ex tertia obseruatione. Etenim cum actus dicatur elicitus ab aliqua virtute, non solum illo primo modo, quamuis ille sit proprius & præcipuus: sed & alijs ibi explicatis, illis posterioribus potest iudicium dici actus elicitus à iustitia. Primò, quia iudiciũ omnem ferè bonitatem, & rectitudinem habet à iustitia, vt ex vltima obseruatione constat, vbi omnia illa, quæ ad rectè iudicãdum, & ferendam iustam sententiam requiruntur vidimus ferè iustitiæ deberi. Quod etiam constat abundè ex secunda obseruatione à iustitia enim regulatur in dicendo, & reddendo vnicuique suo iure, imò nullã aliam habet regulam, vt ex dictis liquet. Deniq; respicit idẽ omnino obiectum, quod iustitia, nempe ius, quo argumento potissimè vtitur D. Tho. in corpore ar. ad probandum iudicium esse actum iustitiæ. Et hoc modò probantur argumẽta primæ opinionis iudiciũ esse actum iustitiæ. Vnde illa quatenus pugnat cum priori parte huius nostræ conclusionis diluenda sunt.

Ad primum resp. Sicut iudicium in materia fortitudinis non est fortiter agere, sed iudicare fortiter esse agendum, ita in materia iustitiæ iudicium nõ esse reddere cuique suum ius, sed iudicare in particulari huic, vel illi esse reddendum, quod non est actus proximus iustitiæ, sed synesis, & ita neque elicitus propriè à iustitia, sed à Synesi.

Ad secun. dico, iudicium formaliter sumptum, & secundum propriam rationem iudicij versari quidem circa obiectum, & materiam iustitiæ, eodem omnino modo quo versatur circa obiecta, & materiã aliarum virtutum, nempe diffiniendo, & discernendo, quod rectum est in tali materia, in ordine ad suum finem, sed non propterea elici à iustitia. Sicut concilium, & præceptum versantur etiam circa obiectum proprium, & formale iustitiæ, certum autem est actus istos non elici à iustitia, sed ab Eubulia, & prudentia gubernatiua, seu præceptiua.

Ad tertium Respon. Iudiciũ etiam si non sit actus propriè elicitus à iustitia, pertinere tamen peculiari quadam ratione ad iustitiam, qua nõ pertinet ad alias virtutes. Primò, quia secundum suam primariam significationem respicit obiectum iustitiæ, cum sit iudicium in ista primaria significatione determinatio iustorum, vnde nomen ipsum iudicij deriuatur, vt diximus à iure, quod est obiectum iustitiæ. Secũdò, quia iudicium est proprius actus iudicis, & quadam ratione debitus, quod dicit ordinem ad alterum, quæ omnia conueniunt iustitiæ, non autem alij virtutibus.

Hæc conclus. prima intelligenda est tàm de iudicio principis, quàm subditorum. Ratio est aperta, quia iudicium, quod facit princeps, vel iudex circa materiam iustitiæ, & quod facit quiuis priuatus circa eandem materiam, quamuis differant in eo, quod illud potest princeps, vel iudex præcipere, & executioni mandare, propter vim coercinam, quam habet ratione suæ potestatis publicæ, quod non habet iudicium subditi, at quo ad substantiam actus, eodem omnino modo se habet vtrumque iudicium, cum tam iudicium Principis, quam subditi secundum suam propriam, & formalem rationem (secundum, quam agimus de eo in hac prima conclus.) nihil aliud sit, quàm decretum illud, & deffinitio rationis iudicantis hoc, vel iustum esse. Ergo quemadmodum iuditium subditi hoc modo sumptum à sola synesi elicitur, à iustitia verò non est elicitiuè, sed solum, vt inclinante, & disponente rationem ad rectè iudicandum, ita quoq; & iuditium principis.

CONCLVSIO II.

Iuditium quatenus est actus iudicis dicentis ius inter suos subditos, & ciues, non solum est actus elicitus à prudentia per synesim, verum etiam est actus elicitus propriè, & verè à iustitia.

PRobatur: Ex D. Tho. q. 58. ar. 9. ad 2. actiones exteriores licèt quatenus sunt effectus aliquarum passionum pertineant ad alias morales virtutes, quatenus tamen dicunt ordinem debitum ad alterum pertinent ad iustitiam, suntquè propria materia iustitiæ, & quando vt sic debitæ exercentur, sunt actus proximè, & mediatè eliciti à iustitia, sed iuditium, vt sumitur in hac secunda conclus. est actio debita alteri, & quam debet iudex ex officio suis ciuibus, ergo quando illam exercet, & iudicat, vt præster quod debet ex officio, est actus elicitus à iustitia.

Et confirmatur. Qui constitutus est iudex inter aliquos non minus tenetur ex debito iustitiæ rectè iudicare, & iustam proferre sententiam, quàm teneatur, qui debet 100. ex debito iustitiæ illa soluere: sed hic quando soluit exercet actum propriè elicitum à iustitia, ergo similiter iudex quando iudicat. Quo nomine l. 1. ff. de Iust. & iure appellantur iudices Sacerdotes iustitiæ,

iustitiæ, quia munus est sacerdotū sacra facere, & cum illa persoluunt exercent actum elicitum à iustitia, ita munus iudicis est iustitiam colere, iusta iudicia proferendo, quod cum facit persoluit quod debet ex suo munere, & exercet actum verè elicitum à iustitia.

Nec obstat, quod iudicare sit actus intellectus, iustitia verò sit habitus voluntatis, nihil enim prohibet actum alicuius potentiæ eliciti etiam à virtute, quæ est in alia potentia, quando actus ille habet idem obiectum, quod illa virtus, & regulatur ab illa virtute, & conuenit formaliter, & omnino cum actu illi virtuti proprio. Sicut diximus de oratione, quæ licèt sit actus intellectus, nihilominus elicitur à religione, quæ est habitus volūtatis, quia versatur circa idem obiectum quod religio, nempe cultum Dei, regulaturque à religione, & conuenit formaliter cum proprio actu religionis, qui est colere Deum. Ita in proposito, iuditium quod fert iudex, & sententia quàm profert, quatenus est actus decernens iustum, est à prudentia elicitus per synesim at qua est actus quem debet exercere, vt suo muneri satisfaciat, licèt sit actus etiam intellectus, & rationis est nihilominus sub hac ratione propriè, & verè elicitus a iustitia, quæ est in volnntate, quia habet idem omnino obiectum, nempe ius, & iustum, regulaturque a iustitia, & conuenit formaliter cum proprio actu iustitiæ, Est enim proprius, & formalis iustitiæ actus reddere vnicuique suum ius, iudex autem, qui ex officio debet iudicare, quādo iudicat actu, non solus decernit, & dicit ius, verum etiam hoc faciendo reddit subditis ciuibusque suis ius quod illis debet. Et hoc modo soluitur abundè argumentum primum secundæ opinionis, quatenus videtur pugnare cum hac Secunda conclusione.

Eodem etiam modo diluitur secundum: nihil enim probibet eundem actum sub diuersis rationibus à diuersis elici virtutibus, vt quando debitor soluit creditori ante tempus præfinitum quia videt illum egere, ista solutio quatenus est solutio debiti, est actus elicitus à iustitia, quatenus fit ante tempus præfinitum ad leuandam indigentiam creditoris est misericordiæ, ita se habet hoc iuditium iudicantis ex officio (vt expositum est,) sub diuersis enim rationibus iam propositis est actus elicitus à prudentia per synesim, tum etiam a iustitia.

Manet nunc tantum diluendum argumentum illud iuris peritorum. Cui respond. Ad iuditium inter alia hæc duo exigi, primò cognitionem regularum, & iniurium, secundum quæ iudicandum est, quæ acquiritur per scientiam, quam vocamus iuris peritiam cuius expers non debet munus iudicandi suscipere in rebus quarum dessisio ex iuribus pendet, & in hac non consistit actus iuditij, sed ipsum præcedit, & præexigitur, secundo requiritur applicatio, & accommodatio illarum regularum, & iurium rebus ipsis, & causis de quibus iudicandū est, in quo potissimè consistit iuditium, & decretum, ac deffinitio rationis. Prius illud pertinet ad Philosophiam moralem, & iuris prudentiam, posterius verò ad synesim, & iustitiam, vt constat, & ita iudicium non est actus Philosophiæ moralis, nec iuris prudentiæ, sed prudentiæ per synesim, & iustitiæ eo modo quo expositum est. Quod alij dicunt posse nos loqui de iudicio, aut in genere artis, & cognitionis ad iudicandum, aut in genere moris, idest de accommodatione iuris, & artis ad res, quæ iudicantur, qui est actus moralis, iudiciumq; non consistere in illo priori, sed in posteriori, cum sit actua moralis, & ita non esse actum iuris peritiæ, quæ ars quędam est, sed prudentię cuius est dirigere actus morales. Offert se hic statim hæc dubitatio.

CVIVS IVSTITIAE SIT ACTVS IVDItium legalis ne an particularis?

CVm iudicium, (vt diximus) bifariam considerari possit, aut formaliter, & secundum propriam rationem iuditij, quatenus est decretum rationis decernentis, & diffinientis hoc, vel illud iustum esse, aut quatenus est actus iudicis, qui ex debito sui muneris ita decernit, & profert sententiam, distinctione hic etiam opus est, quia vel possumus in hac dubitatione querere de iuditio quatenus est actus elicitus à iustitia, iuxta secundam conclusionem positam in proximè præcedenti controuersia, vel quatenus non est actus elicitus à iustitia, sed à synesi sola, iustitia tamen inclinante, & disponente rationem ad iudicandum optimè, & iustè.

PRIMA PROPOSITIO.

Judicium quod constituimus actum elicitum tam à iustitia, quàm à synesi, quale est illud quod exercet iudex, actus est iustitiæ legalis.

PAter iudicium, quod constituimus elicitum a iustitia, est illud quod iudex ex officio facit, cum profert sententiam, & authoritate publica dicit ius inter ciues, hoc autem iudicium exercet iudex in ordine ad bonum commune, quod est proprium Iustitiæ legalis. Ergo.

SECVNDA PROPOSITIO.

Hoc idem iudicium quatenus exercetur à iudice vt satisfaciat suo muneri, est quoq; actus iustitiæ particularis.

RAtio est, quia hoc modo iudicare pertinet ad iustitiam commutatiuam, videbimus si quidem iudices superiores & omnes illos, qui ex officio aliqua præstare tenentur, eo ipso quo illa præstant, vt suo muneri satisfaciant, seruare iustitiam commutatiuam, sicut venditor, qui accepta pecunia reddit ementi rem pro qua pecuniam illam accepit: iustitia autem commutatiua particularis est.

TERTIA PROPOSITIO.

Judicium quod constituitur actus elicitus à sola synesi, à iustitia verò tantum est, vt inclinante & disponente, actus est iustitiæ particularis, tàm in principe, & superiori, quàm in subditis.

PRobatur, quia iuditium hoc modo, sumptum, est illud decretum rationis, quo intellectus & ratio benè affecta à iustitia, quæ est in voluntate, decernit quod iustum est. Iustitia verò quæ ita benè disponit & afficit rationem ad discernendū iustum est iustitia particularis. Ergo. Probatur minor, quia si hoc iudicium sumamus in priuato homine, quo, verbi gratia, decernit ius & ęquum, quod debet seruare in quocunq; contractu cum suo conciue, certum est iustitiam benè disponente rationem talem ad rectè iudicandum de iure seruando in priuatis contractibus, esse particularē: Si verò sumamus iudicium in principe quo decernit iustè iudicare & proferre sententiam sibi subditis, quia ad id tenetur ex munere, nec debet, vel potest ratione sui officij cuiquam lædere, aut quemquā suo iure expoliare: iustitia quoque quæ in ipso ita benè afficit & disponit rationem ad rectè iudicandum, particularis est, cum sit commutatiua. Quamuis vt obseruat hic D. Tho. ad 4. Hæc iustitia præcipuè sit in iudice, & principe, quàm in subditis, quia in principe est quasi architectonica, & imperans, ac pręcipiens, cum ratione sui officij non solum debeat per iuditium definire quod iustum est, verum etiam per suam sententiam id præcipere, & executioni mandare: in subditis autem est tanquam executiua & ministrans.

QVAR-

QVARTA PROPOSITIO.

Iudicium secundum suam propriam rationem, & eo modo quo à synesi sola producitur, vnum est specie quod reperitur in principe & iudice cum eo quod reporitur in subditis: quatenus verò exercetur à Principe vel iudice, vt persona publica, & in ordine ad bonum commune, iudicium ipsorum differt specie à iudicio subditorum.

PRobatur prior pars: Iudicium Principis vel iudicis, & subditi quamuis differant, quia illud potest præcipi, & executioni mandari, propter vim coerciuam, quam habent ratione sui officij, quod non habet iudicium subditi, at si sumantur. Secundū solam propriam & formalem rationem iudicij, differentia illa accidentaria est, & extrinseca ipsi iudicio, habent que se vterq; quo ad substantiam actus (vt diximus) eodem omni modo, cum vterque tàm iudicium Principis, quam subditi, secundum istam propriam & formalem rationem iudicij nihil aliud sit, quàm illud decretum, & decisio rationis iudicantis, hoc aut illud iustum esse, Differentia autem specifica in actibus non est sumenda ex his quæ illis accidentario & extrinsecè, conueniunt, sed ex his quæ intrinsecè, & secundum substantiam actus. Ergo iudicium principis, & subditi isto modo non differūt specie. Probatur altera pars. Actus & habitus eodem modo se habent in eo quod est conuenite, vel differre cū alijs specie, ita ut si obiecta propria & formalia actuum differunt vel conueniunt specie, similiter actus, & consequenter habitus, inter se conueniant & è conuerso: Iudicium subditi està iustitia particulari, vt inclinante & disponente, iudicium Principis vel iudicis illo modo sumptum, quatenus est persona publica, & in ordine ad bonum commune, est vt diximus à iustitia legali, iustitia legalis & particularis, vt vidimus differunt specie, sicut & obiecta earum, nempè bonum commune, & particulare. Ergo & iudicium principis sub ista consideratione differet speciè à iudicio subditi. Nec mirum quod idem actus cum eodem comparatus sub vna ratione conueniat cum illo specie & sub alia differat, cum possit io morali bus idem actus sub diuersis rationibus pertinere ad virtutes specie distinctas, & ab illis omnibus elici.

VLTIMA PROPOSITIO.

Iudiciū de quo hic agit D.Tho. illud potissimè est quod pertinet ad iudices.

PAtet ex progressu huius ar. maximè ex his quæ diximus præcedenti controuersia. Et ex littera ipsius D.Tho. in finem corpor. ar. confirmat iudicium pertinere ad iustitiam, quia vt ait Arist. 5. Ethic. omnes homines confugiunt ad iudicem vt ab ipso rectum iudicium expectantes, quasi à iustitia viua & animata. Et in solut. 3. habet in his quæ pertinent ad iustitiam, requiri iudicium alicuius superioris, qui vtrunque valeat arguere, & ponere manum in ambobus. Et in solutio. 4. iudicium (inquit) quod dicit definitionem iusti, pertinet ad iustitiam, secundum quod est principaliori modo in præsidente idest iudice. Quæ omnia apertè ostendunt loqui ipsum potissime in hoc ar. de iudicio quod exercetur à iudicibus & superioribus authoritate publica.

ARTICVLVS II.

An iudicare sit licitum?

DVPLICI conclus. satisfacit D.Thom. huic quæst. Prior est.

CONCLVSIO I.

Iudicare seruatis debitis conditionibus licitum est.

PRobatur, exercere actus virtutum quando & eo modo quo oportet, maximè licet, iustitia est virtus cuius proprius actus est iudicare. Ergo licet. Secundò Respub. omnis continetur & gubernatur premio & pœna, hæc autem exhiberi non possunt pro meritis ciuium, nisi sint iudices, qui authoritate publica illa decernant, quod est iudicare. Ergo. Terriò nihil magis licitum & honestum quàm suū ius cuique reddere, hoc autem efficitur per actum iudicij. Ergo.

CONCLVSIO II.

Vt iudicium sit rectum, exiguntur hæc tria. Primò, vt procedat ex inclinatione iustitiæ. Secundò vt procedat ex authoritate iudicis, Tertiò vt proferatur secundum restitudinem prudentiæ.

HÆc conditiones se ipsis constant, nec probatione indigent, sont enim adeò necessariæ, vt quacunque earum deficiente iudicium desinat esse rectum, nam deficiente prima erit iudicium iniquum & iniustum, deficiente secunda erit vsurpatum & peruersum, deficiente tertia erit suspectum vel temerarium.

Circa primam conclus. huius ar. Fuit error Vualdensium vt refert Alphonsus de Castro, contra hæreses in verbo iudex quem sequuntur nostra ætate Anabatistæ, vt refert Guillelmus Belarminus controuer. 5. lib. 3. cap. 9. asserentium non licere Christianis exercere iudicia. Asserūt in tuamen sui erroris, Primo illud Christi. Matth. 7. [Nolite iudicare, & non iudicabimini.] Secun. illud eiusdem Christi. Matth. 5. [Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium.] Tertiò illud Apost. 1. Cor. 6. [Delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos, cur non magis fraudem patimini? quare non magis iniuriam accipitis?

Sed aduersus hāc hæresim statuenda est conclus. D. Tho. tanquam de fide, licere Christianis esse iudices, & causas suorum inferiorum seruatis debitis conditionibus iudicare. Constat hęc apertè ex sacris litteris. Exod. 18. [Constitue iudices qui populum iudicēt omni tempore.] Deut. 16. [Iudices & magistri in omnibus portis tuis constituantur, vt iudicent populum iusto iudicio.] & cap. 17 præcipit Deus obedire iudicibus definientibus inter causam, & causam, sanguinem & sanguinem. Rom. 13. docet copiose Pau. iudicem ministrum & vindicem Dei esse in malefactores, & ex diuina ordinatione esse iudices & magistratus in Repub. & ita habere eos authoritatem à Deo, vt qui illis resistit Dei ordinationi resistat. Petros quoque Acto. 5. Puniens Ananiam, & Saphyram munus iudicis exercuit. 1. Cor. 6. [Secularia iudicia si habuerit contempti biles, qui sunt in Ecclesia hos constituite ad iudicandum] & addit. Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum.?

Præterea sanctissimos viros Sampsonem, Gedeonem, Iepte, Samuelem, qui in veteri testamēto, & alios innumeros, qui in nouo apud Christianos exercuerunt iuditia. Vtor ratione. Proprium est principis iudicare, quod indicat scriptura frequenter hæc duo coniungens Regem, & iudicem. Psal. 2. [Et nunc reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Isa. 33. Dominus rex noster, Dominus iudex noster. Hiere. 23. Regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. [Licèt autem Christianis esse principes, ergo, & iudices.

Secundò si nulla deberent esse inter Christianos iudicia, nihil prodessent leges ciuiles, consequentia patet, quia eo potissime fine conduntur, vt iuxtà illas

E Respub.

Respub. gubernetur, & iudicia exerceantur, leges autem ciuiles, & earũ vsum negare error est dicente Deo Prouer. 8. [Per me legum conditores iusta decernũt.

Testimonia, verò, quæ nobis obijciunt Vualdenses facilè diluuntur. Nam primus locus ille Matth. 7. Nolite iudicare, &c. non prohibet omne iudicium, præcipuè iudicis habentis potestatem, sed priuatum multorum hominum iudicium, qui vel temerè facta suorum proximorum iudicant, vel in leues eorum defectus rigidi censores esse volunt, non curantes proprias culpas, & sæpe grauissimas, quod indicant verba, quæ statim subiunxit Christus. [Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides.] Ostenditur autem apertè non prohibuisse ibi omnino iudicium fidelibus cum dicat. Ioan. 9. [Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum] (vel iustum) [iudiciũ iudicate.] Locus vero Matth. 5. ne contendamus iudicio pro rebus temporalibus, vt explicat D. August. Epist. 5. ad Marcellinum, intelligendus est secundum animi præparationem, sicut, & ille. [Si quis te percusserit in vnam maxillam præbe ei, & alteram.] Vbi non præcipit, vt percutienti in vnam maxillam præbeamus statim actu alteram, cum ipsemet dominus Ioann. 18. percussus in maxilla non præbuerit statim actu alterã, sed dixerit. [Cur me cedis?] Sed significat ita paratos esse debere ad ferendas iniurias, nec vindicandum, vt si oportuerit parati simus percutienti vnam maxillam præbere, & aliam, ita hoc loco non præcipit ne propria bona recuperemus, & defendamus apud iudicem, sed ita paratos esse debere ad exponenda omnia temporalia pro salute spirituali, vt si quis tulerit pallium, & ad illud repetendum peccatum aliquod committere maximè periclitemur in ea ita, parati potius simus vna cum pallio cætera bona amittere, quàm litigando salutem animæ nostræ in discrimen aliquod graue, & vrgens vocare.

Ad locum Apostoli. 1. Corinth. 6. Dico vocẽ Græcam ἥττημα. quàm noster interpres vertit delictum, vt exponit Theodoretus propriè significare imperfectionem, quia viri perfectissimi ab omni lite nituntur abstinere. Si verò significet peccatum, vt exponunt D. Chrisost. & Ambros. in hunc locum, & D. August. in Enchir. c. 78. Et lib. 2. de sermone Domini in monte c. 15. vocari ibi iudicium seu litem ab Apostolo delictũ, non quia peccatum sit litigare secundum se, & absolutè, sed quia hominum vitio multorum peccatorum est occasio.

Addo his omnibus non rectè ex his locis impugnari iudicium, quia si rectè conciderentur, nec Christus Matth. 5. nec Apostolus 1. Corint. 6. Repræhendunt iudicia ex parte iudicis, sed tantum ex parte litigantiũ, quia suas lites multis delictis replere solent; Vnde etiã si esset peccatum litigare (quod secundum se non est; nisi hominum culpa vitietur) non tamen esset peccatum iudicare, cum iudicia finẽ imponant litibus, quod bonum est, & honestum.

Circa secundam conclus. Explicandæ sunt conditiones istæ quas exigit D. Thom. in iudicio.

Prima ergo est, vt procedat ex inclinatione iustitiæ, vbi consulto non dixit ex habitu iustitiæ, sed ex intentione, vel inclinatione, potest enim aliquando iustum iudicium ab aliquo proferri quamuis careat habitu iustitiæ, debet tamen procedere ex intentione, vel inclinatione iustitię, quod tribus modis explicatur. Primò, vt sicut iustitia secundum se inclinat in actum suum, qui reddere vnicuique suum ius est enim propriũ cuiq; virtuti inclinare in suum proprium actum. Et sicut pro prius, & præcipuus finis iustitiæ est constituere æqualitatem, ita qui iudicat hoc ipsum præstet ad quod inclinat, & intendit iustitia, nempe, vt decernat, & reddat cuiq; suum ius, seruata omni ęquitate, nec vllo modo proferat iudicium, vel sententiam contra iustitiam, & æquitatem. Et hic est proprius, & genuinus sensus huius primæ conditionis, iuxta quem est adeo necessaria, vt ab hac potissime si ea seruetur dicatur iustum, si deficiat iniustum, & iniquum.

Secundus sensus est, vt fiat ex affectu, & inclinatione iustitiæ, idest ex amore, & desiderio huius virtutis, ita Sapien. 1. [Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Vbi non solum, vt rectè iudicent eis commẽdatur, sed ex amore iustitiæ. Iuxta quem sensum explicant etiam aliqui illud Matth. 5. [Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.] q. d. qui ex recent iustitiam iustè iudicando ex vehementi quodam desiderio huius virtutis, quale esse solet eorum qui famem, vel sitim patiuntur, Quamuis huius loci genuinum sensum non ad hanc iustitiã de qua hic loquimur credidetim pertinere, sed ad sanctitatem, vt sit sensus beati qui ita desiderant omnes Deo placere sanctis, & honestis moribus, tã proprijs, quam proximorum suorum, vt veluti famem, & sitim patiantur.

Tertius sensus est iudicium ita fieri ex affectu, & inclinatione iustitiæ, vt nullo modo fiat ex aliquo alio deprauato affectu, nẽpe odio, amicitia, vel cupiditate.

Hi duo posteriores sensus non sunt ita genuini sicut primus: quo fit, vt deficiente hac prima conditione in illo primo sensu committat iudex pecc. mort. ex suo genere, quia ea deficiente iudicium est iniustum, & iniquum, qui verò facit iniustum ex vlt. ar. preced. peccat mort. ex suo genere, Secundò infert grauem iniuriam proximo, non seruans illi suum ius, quæ culpa tãtò grauior est, quantò magis tenetur iudex, quàm cæteri seruare æquitatem, & iustitiam cuius est minister executor, & custos: Tertiò ferendo iniquum iudicium non potest iudex expoliare aliquem suo iure, quin simul aliquod damnum temporale ei inferat, quod non solum est peccatum, verumetiam cum debito satisfaciendi. Et ita in sacris litteris hoc potissime eis commendatur. Leu. 19. [Non facies quod iniustum est, nec inique iudicabis.] Deut. 1. [Quod iustum est iudicate, nulla erit distantia personarum.] Et c. 16. [Iudices, & magistros constitues, vt iudicent populum iusto iudicio nec in alteram partem declinent.] Christus Ioan. 7. [Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.

Iuxta secundum verò sensum defectus huius primę conditionis non est ex suo genere pec. mort. sed potest esse veniale. Potest enim iudex ferre iustam sententiã, & seruare æqualitatem, non tamen ex affectu, & amore iustitiæ, sed ex inani gloria, vt iudicetur peritus, vel rectus, ad captandam aurã popularem, aut iniendam cum Principe amicitiam, Quomodo iudicare cum seruetur æqualitas, & reddatur cuiq; suum non est mort. sed tantum veniale.

Iuxta tertium autem sensum defectus huius primæ conditionis non est peccatum iniustitiæ cum seruetur æqualitas in iudicio, erit tamen pecc. mort. ex genere suo, pertinens ad illam speciem peccati ad quam reducitur affectio, & passio, à qua animus iudicis mouetur, nam si ferat iustam sententiam, non tamen amore iustitiæ, sed spe alicuius muneris, est pec. mort. auaritiæ. Si iustè occidat malefactorem, quia habebat illum inimicum, non peccat contra iustitiam, nec tenetur ad aliquid restituendũ, quia sententia est iusta, nec est propriè, & formaliter homicida, peccat tamen contra charitatem pec. mort. odij, est que homicida apud Deum iuxta illud Ioan. qui odit fratrem suum homicida est. Dixi defectum huius primæ conditionis iuxta hunc tertium sensum esse pec. mort. ex suo genere, quia potest esse veniale ex imperfectione actus, & deliberationis, quod omnibus peccatis commune est.

Hi duo posteriores sensus seu modi quibus debet iudicium procedere ex affectu & inclinatione iustitiæ, maximè vltimus, quamuis nõ sint absolutè & omnino necessarij, vt iudicium sit iustum, quia vt ex dictis constat, iustum, & rectum esse potest ipsis deficientibus, atmo-

ut moraliter loquendo plurimum referunt ad rectitudinem & æquitatem iustitiæ: ideo Arist. 5. Ethic. cap. 4. dicit. Homines confugere ad iudicem vt iustitiam animatam, & iudicem esse inter partes velut medium inter duo extrema. Cicero quoque 1. officio. Iudices dixit oportere esse velut leges ipsas scriptas: Quia sicut iura, ipsa, & leges eodem modo se habent erga omnes, nec aliquem odio vel amore prosequuntur, nec vllum commodum ab aliquo expectant, sed omnium vtilitati ex æquo prospiciunt, medium quoque æqualiter distat ab vtroq; extremo, ita iudex vt iustè iudicet, nec odio nec amore, nec cupiditate aliqua afficiatur, sed omnibus ex æquo iura sua reddere exoptet, Et sicut anima omnes corporis partes viuificat, & mouet, quatenus aptæ sunt moueri, seruata cum omnibus mira quadam æquitate, ita index: quod si hunc vel illum amore prosequatur, difficile exequi potest, quia cum amicus sit alter ego, si iudex causam meam vt causam amici respiciat, respiciet profectò illam non vt alienam, sed vt propriam, in propria autem causa nemo est æquus iudex, Et 1. Rethor. cap. 1. iudicem regulæ comparat Aristot. quam vt ea rectè vtamur inflexibilem esse oportet, quod si odio amore, vel alia passione affectus sit, facilè flectitur, vnde eos qui iudices ad iram vel misericordiam aut aliam animi affectionem precibus vel muneribus flectunt similes facit illis qui regulam qua vsuri sunt inflectunt quo volunt. Ita refert 2. Rethor. cap. 1. de iudicibus Areopagitis, constituisse illos ante fores Areopagi præconem clamantem, vt qui ad eorum iudicium intraret, nec proœmio nec epilogo vteretur, quoniam his partibus orationis solent animi iudicum plurimum moueri. Et 3. Retho. capit. 11. comparat iudicem Arç Deorum ex Architæ sententia, quia ita vacuus & alienus debet esse iudex ab omni humano affectu sicut Deus ipse, Qua de causa forsan in sacris litteris Deus ipse appellatur Elohim. 1. iudex, & iudices dicuntur Dij. Psalm. 81. Deus stetit in sinagoga eorum, idest iudicum, in medio autem Deos diiudicat. Solet denique eadem ratione comparari iudex sensui communi, qui vt rectè iudicet de obiectis omnium aliorum sensuum nullum habet sibi proprium & peculiare obiectum: Et multò commodius priuato cuique sensui, qui vt rectè iudicet de suo sensibili, caret illo sensibili circa quod versatur, vt pupilla oculi, quæ omni colore caret, vt omnium colores percipiat & discernat, aliter enim si aliquem priuatum colorem haberet sibi natum, omnia viderentur ei esse illius coloris, quia ille intus existens omnes alios redderet sibi similes, ita iudex omnia priuato affectu carere debet erga aliquam partium vt rectè & iustè merita vtriusque discernat, aliter sicut color intus existens in oculo si aliquem oculus haberet innatum, prohiberet extraneum. ita si iudex esset affectus ad actorem, ille affectus existens in iudice prohiberet ne merita rei rectè discerneret, & è conuerso. Denique sicut passiones existentes in appetitu impediunt rationem ne rectè iudicet circa materiam temperantiæ, fortitudinis, & aliarum virtutum, propter quod diximus virtutes comprimentes illas inclinare, & disponere rationem ad rectè iudicandum, ita quoque in materia iustitiæ, si appetitus & animus iudicis passionibus odij, amoris, cupiditatis, vel similibus affectus sit, impediet ne ratio rectè circa talem materiam iudicet.

Secunda conditio quam exigit D. Tho. vt iudicium rectum sit est authoritas in iudice, aliter iudicium peruersum erit & vsurparum, ac pec. mort. ex suo genere. De qua priuatim aget. ar. 6.

Tertia est vt seruet leges & rectitudinem prudentiæ, quæ consistit in eo vt seruentur debitæ circunstantiæ loci, temporis & personarum, non enim quamis die & quouis loco ferendum est iudicium nec quęcunque personæ admittendæ sunt in actores aut testes, nec quæcunque inditia vel probationes, sed seruandæ in omnibus debitæ leges, & regulæ. Huius conditionis defectus potest esse peccatum mort. vel veniale. Si iudex prætermittat circumstantiam grauem Iuris, ex cuius omissione grauis aliqua iniuria vel nocumentum sequatur alicui parti, est mort. quod si leuem, & quæ parum referat erit veniale. De quibus priuatim agemus q. 67. & seq. in quibus disputabimus cum D. Tho. de omni iniustitia ex iniquitate quæ potest committi in iudicio.

Hæ tres conditiones sic explicatæ sic se habent, vt Prima sumatur, vt ex dictis constat) ex parte finis, Secunda ex parte agentis seu subiecti. Tertia verò ex parte mediorum, Ita sit vt sicut finis est præstantissimus in quaqua re, ita & prima harum conditionum sit omnium præstantissima, & quæ potissimè iudici curanda est. Has tres conditiones egregiè, & optimè indicauit Hietro sacer. Moysi. Exod. 18. dicens illi. [Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore, &c.] In illis enim verbis timentes Deum & in quibus sit veritas expressit primam conditionem, Qui enim timet Deum Eccles. 15. faciet bona, & qui continens est iustitiæ apprehendet illam, Imò, & nomen veritatis in scriptura sacra iustitiam dicit & æquitatem, Timens itaq; Deum, & veritatis ac equitatis amator iustè & cum æquitate cuique ius suum reddet. Secundam conditionem iuxta Caiet. expressit in illis verbis sapientes, quia in multis codicibus inquit Caiet. loco istius vocis legitur potentes, quamuis vt rectè explicat Origen. dicuntur ibi potentes ingenio quod idem est quod sapientes, sed exprimitur apertè ista secunda conditio in illis vocibus, tribunos, centuriones, decanos, quæ aperte dicunt munus & officium ac authoritatem publicã sumpta autem sunt nomina ista ab officijs militaribus, quæ non committuntur nisi viris strenuis, & valentibus virtute, quia iudices in exequendo suo munere strenuos & fortes esse oportet, non pusilanimes, aut timidos, iuxta illud Eccles. 7. Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute dirũpere iniquitatem. Tertiam denique conditionem indicauit in illis verbis, & oderint auaritiam, i. omnem humanum & prauum affectum ignorent, Meminit autem peculiariter auaritiæ, quia cum hæc sit quæ potissimè euertat iudicia, hac exclusa cæteri omnes affectus excluduntur. Ideo Exo. 23. hoc maximè commendatur, Ne accipias munera. quæ etiã excæcant prudentes & subuertunt verba iustorum: Eadem verba reperiuntur. Deut. 16. Et Eccles. 20. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Abundat his Script. Sacra. easdem conditiones præstantissime fuit complexus sanctiss. ille rex Iosaphat. 2. Paralyp. 19. quando iudicibus à se constitutis explicans quod sit iudicij munus & quales ipsos esse oporteat, dixit: Videte quid facitis non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit sit ergo timor Domini vobiscum, & cũ diligentia cuncta facite, non enim est apud dominum Deum nostrũ iniquitas, nec personarum acceptio vel munerum. facile est singulas in his verbis deprehendere.

Circa solutionem quam habet hic D. Thom. ad 3. offert se optima, & grauis controuersia.

AN IVDEX QVI EXISTENS IN *pec. mort. iudicat, peccet mortaliter.*

In hac controuer. imprimis Vuicleph, vt refert Alphon. de Castro lib. 9. contra hæreses in voce Potestas Ecclesiastica asseruit quoscunque qui existentes in pecc. mortali. iudicant peccare mortali. Ratio eius erat, quia omnis iurisdictio & potestas tàm Ecclesiastica quàm Ciuilis fundatur in gratia, & amittitur per

per pec. mor. & ita iudex qui existens in mort. attentat iudicare, cum nullam tunc habeat iurisdictionem, exercet iudicium vsurpatum, quod vt videbimus ar. 6. est mort. Sed hæc opinio est error, non qua parte dicit iudicem qui existens in mort. iudicat, peccare mortal. cum hoc multi catholici doceant, nec propterea dicitur errare, sed qua parte dicit omnem iurisdictionem viri gratiæ & amitti pec. mor. Est enim apertè contra illud Christi Matth. 23. [Super cathedrā Moysi. &c.] Vbi iudices illos & prælatos sinagogæ docet apertè fuisse iniquos, cum dicat de ipsis,] Secundum opera eorum nolite facere, Sed retinere nihilominus suam iurisdictionem, & potestatem, cum dicat, [Omnia quæcunque dixerint vobis facite. Et ita fuit condemnatus iste error in Conc. Constantiensi sess. 8. c. 15. vide Th. Vualdensem tom. 1. li. 2. ca. 81. & To. 2. li. 1. c. 8. Castrum loco citato & quæ habentur infra.

Excluso hoc errore Alexan. Alen. referente Syluest. in verbo Iudex. 1. §. 7. sensit quemcunque iudicem tàm secularem quàm Ecclesiasticum qui existens in mort. profert iudicium, peccare Mortale. Etate D. Thom. eadem opinio fuit maximè recepta, & communis inter Theologos quo ad iudicem Ecclesiasticum, adeò vt illi subscripserit idem D. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. idem tenuit Palud. in 4. d. 19. q. 3. quem sequitur Siluest. in verbo Correctio. §. 19. Probatur hæc opinio D. Pau. Rom. 2. agens cum iudice peccatore ait: [Inexcusabilis es o homo omnis, qui iudicas, in quo enim alium iudicas, te ipsum condemnas. Ex quo loco sic argumentor, Nemo condemnatur nisi propter pec. mor. iudex ita iudicans condemnat se ipsum per tale iudicium, ergo si iudicare pec. mort. est.

Secundo Cap. Quæsitum. De tempor. ordinandorum habetur. Admonendos esse sacerdotes sub interminatione diuini iudicij ne existentes in pec. Mor. ministrent in ordinibus suis. Ergo, & iudices saltim Ecclesiastici iudicantes in Mort. peccabunt mortal. Probo consequen. Tota ratio ob quam sacerdos qui existens in mort. ministrat, peccat mortal. hæc est, quia in ordinatione accepit peculiarem. & propriam gratiam ad illa munia sui ordinis digne exercenda, quam Deus qui nihil frustra confert non exhibuisset, nisi oporteret illa in gratia exercere, quo fit vt exercens illa sine gratia sacrilege agat, & peccet mortal. Sed iudicibus maximè Ecclesiasticis datur quoque peculiaris quędam, & propria gratia ad sua munera rectè exercenda, Ergo iudicantes sine illa, quod faciunt quando iudicant existentes in mort. peccat mortal. Maior certissima est & communis inter Theologos. Minor probatur Nume. 11. vbi illis 72. senioribus assumptis à Moise ad iudicandum populum dicitur Deus dedisse de spiritu Moisi idest gratiam ad iudicandum, sicut habebat Moises. Vnde in testimonium gratiæ & donorum spiritus sancti quę tunc acceperant sicut & Moises prophetarunt statim, Sauli quoque 1. Reg. 10. dixit Samuel quando vnxit ipsum in principē, & iudicē Israelis. Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis, & mutaberis in virum alium.

Tertiò minister debet se similem exhibere pręcipuo agenti, aliàs offendit grauiter præcipuum agentem, & abutitur illo ministerio. Iudex ex B. Pau. Rom. 13. est minister Dei, eius vices & officium exercens vt dixit Iosaphat loco paulo ante citato, existens in peccato. & in eo iudicans Deo maximè dissimilis est, eiusquè ministerio abutitur, illum ergo grauiter offendit, mortaliterquè peccat.

Quartò. Officium iudicum Ecclesiasticorum est sanctū, sicut & sācta omnis spiritualis functio, qualis est quęvis Ecclesiastica, officium autem sanctum & spirituale sanctę exercendum est & à viris sanctis, sicut iusta iustè exercenda sunt, iuxta illud Leuit. 19. Iuste iudica proximo tuo. Et quod iustum est iustè exequeris. Vnde antiquitus in ordinatione sacerdotum & consecratione Episcoporum clamabatur Sancta sanctis; Ergo qui iuditia Ecclesiastica in mort. exercet & non sanctè, mortal. peccat.

Denique quemadmodū in naturalibus inter agens, & patiens debet esse dissimilitudo, alioquin nunquam sequeretur actio, vt calidum vt 10. non potest agere nisi vel in frigidum vel incalidum vt 5. non autem in calidū vt 10. quia cum hoc nulla est dissimilitudo, ita quoq; in moralibus debet esse dissimilitudo inter iudicem qui est velut agens, & inter illum quem iudicat de aliquo delicto, qui est velut patiens, vnde sicut bonus non potest iudicare bonum. quia nulla est inter eos dissimilitudo, ita nec malus malum. Quæ omnia confirmare visus est Christus Ioan. 8. quando accusantibus illam adulteram dixit, [Qui sine peccato vestrum est, primus in eam mittat lapidem. q. d. illum debere iudicare vel punire delinquentem qui omni caret delicto.

Oppositum docet hic D. Tho. ad 3. & supra q. 33. ar. 5. & 3. p. q. 64. ar. 6. vbi apertè retractat opinionē quam iunior habuit in 4. Sentit enim omnibus his locis, existentem in peccato mor. occulto non peccare mortal. eo quod existens in statu peccati iudicet. sed peccare tantum mortal. si existes in pec. publico iudicet, quando sequitur scandalum, nec distinguit inter iudicem Ecclesiasticum aut secularem, sed de omnibus loquitur in vniuersum, & eodem modo. Eandem sententiam sequuntur Caiet. in opusculis tom. 3. q. speciali de vsu rerum spiritualium, vbi breuiter & eruditè tractat hanc controuersiam, non solum de officio iudicis, verumetiam de quacunque alia functione Ecclesiastica & spirituali. Mag. Soto lib. 3. de iust. q. 4. ar. 2. & omnes recentiores Thomistæ. Vnde sit.

PROPOSITIO PRIMA.

Iudex existens in pec. mor. occulto quantumuis graui. non peccat mortal. eo quod existens in illo iudicet, siue sit iudex Ecclesiasticus siue secularis.

INtelligenda est hæc propositio modò ex illo peccato non efficiatur suspensus aut excommunicatus; nam si peccatum illud afferat secum talem censuram, durante illa impeditur ab vsu sui officij & authoritatis, perindeque tunc se habet, ac si nullam haberet.

Probatur iam cōclusio. Iudex hic & si existat in peccato, ferendo tamen sententiam iustam seruat omnes conditiones necessarias in iudicio recto, ergo non peccat iudicando. Antecedens patet, nam imprimis habet anthoritatem ad iudicandum, quia illam non amittit per peccatū, & oppositum est error, vt vidimus, habet etiam inclinationem iustitiæ. quia vt supponimus iuste iudicat, seruatque æqualitatem quam debet, reddendo vnicuique parti suum ius, habet etiam peritiam iuris, cognitionem causæ, & quęcunque prudentia exigit ad rectè & iustè iudicandum, constituimus enim solam gratiam iustificantem ipsi deesse, Consequentia verò perspicua est, quia vbicunque reperiuntur omnia necessaria ad rectum iudicium, nec miscetur aliquod obiectum distinctū, quod si malum, & obiectum peccati, iudicium illum poterit quidam exerceri sine merito ex defectu gratiæ, non tamen erit peccatum. Et hanc sententiam habet apertè. D. August. sermone Domini in monte lib. 2.

Secundo. Si ex solo defectu gratiæ iudicium esset pec. mort. licèt secundum se sit rectum, & iustum, omnes iudices infideles, & pagani cum careant fide, & gratia peccabant mortal. quotiescunque iudicabant, oppositum autem docet D. August. sparsim in libris de Ciuit. Dei. Vbi varijs in locis laudat iudicia Romanonorum tanquam iusta, & optima, ac laude digna.

Tertiò iudicium iustum & rectum iudicis existentis in peccato, perinde se hēt ac quiuis alius actus materialiter bonus, elicitus ab aliquo peccatore, sed actus secundum se moraliter bonus non est peccatum,

quia

quia fiat à peccatore, nisi misceatur illi aqua turpis circumstantiæ: Ergo neque iudicium in quo seruantur omnes debitæ leges iusti & recti iudicij, est peccatum, eò quod fiat à peccatore.

CONCLVSIO II.

Iudicare in peccato mort. occulto non est peccatum, neque veniale.

HÆc est contra Mag. Soto & nonnullos recentiores iudicantes peccare iustum iudicem saltim veniali. quia est quædam indecentia vt minister Dei in peccato mort. existens exerceat ministerium illud, probatur nihilominus nostra conclusio eodem modò quo præcedens, quia iudicium quod exercet iste iudex (vt constituimus) habet omnem rectitudinem iusti iudicij, estqué velut quilibet alius actus moraliter bonus, alius autem actus moraliter bonus, & cui nulla deficit circumstantia, quæ desideratur ad bonitatem moralé, non est peccatum neq; venia. quia fiat ab existente in peccato. Et confir. qui corrigit fratrem vel subditum quem debet corrigere, non peccat quia ipse existat in aliquo peccato occulto: nec D. Thom. aut aliquis Doctorum requirit, vt correctio fraterna siue fiat à fratre siue à superiori, fiat ab exigente in gratia, vt videre est q. 33. art. 5. Ergo neq; iudex cum teneatur ex officio iudicare, & postuletur à subditis, vt exerceat suum munus erga ipsos, peccabit, quia iudicet existens in peccato, cum alias seruet, quæ debet, vt rectus iudex.

TERTIA PROPOSITIO.

Si iudex existat in peccato publico, ratione cuius iudicia ipsius offerunt scandalum populo, & venit iustitia in vilipendium, peccat mort. sic iudicando.

VErbi gratia, qui iudicat, vel punit peccatores quibus ipse similis est, vel forsan peior, vt publicus adulter iudicans concubinarios, publicus vsurarius puniens fures, tales iudices tenentur sub mortali, aut dimittere officium, aut cessare publicè ab illis delictis.

Patet: Scandalum, ex suo genere est peccatum mortale, & tanto grauius, quanto persona illud offerens magis patet omnium oculis, & est velut ciuitas supra montem posita, magisq; nocebit suo scãdalo Reipub. Sed iudex, qui iudicat peccata eadem, quæ ipse committit, est cæteris scandalo, conquærentibus omnibus punire illum eadem, quæ ipse committit, venitque iustitia in contemptum, cum videant ciues illam non habere eandem vim in iudice, quam habet in alijs, sed crimen quod in alijs est capitale, in iudice manere impune, quæ omnia experientia docet, quàm nociua sint bono communi. Ergo.

Tum etiam incitatur vulgus ad committenda, quæ in iudicibus intuetur, sperans iudicem similis perpetrantem futurum sibi mitem: Et confirmatur: Iudex quicunque tenetur ex officio, & ex iustitia commutatiua corripere quantum in ipso est sibi subditos, & adhibere omnia media necessaria ad eorum correptionem, existens autem in peccato publico, & scandaloso reddit se ineptum ad corripiendos & emendãdos subditos, quia correctio existentis in tali peccato inutilis potius est, & offensiua, quàm alicuius effectus, reddere autem se ineptum ad ea, quæ tenetur ex officio non minus est peccat. mort. quàm illa non præstare, imò grauius, quia qui non præstat hodie peccat quidem hac vice, sed præstabit illa die sequenti, qui verò reddit se ineptum nullo die præstabit, nec præstare valebit durante illo defectu, a quo redditur ineptus. Denique cum iudex sit regula aliorum, cui incumbit operationes inferiorum dirigere, quod præstat quando iudicat, & profert sententias. Si iudicia eius scandalosa sint, & contemptui ob peccata similia, quæ publicè committit, quomodo valebit recta regula esse, aut operantes ciuium dirigere? Vnde cum adeò desit per talia peccata suo muneri, iudicat, & munus iudicis velle exercere existendo in illis, grauis culpa est.

Quod si dixeris. Vt docent D. Thom. interpretes supra q. 33. art. 5. Nemo tenetur respicere, & penitere, vt alium corripiat. Ergo neq; iudex. Fallax est illatio, differunt enim plurimum opera charitatis, & iustitiæ, illa enim nemo tenetur impendere nisi cum adest facultas, & oportunitas, nec tenetur aliquis quærere facultatem ad illa exercenda; vt pauper non tenetur ad quærendas diuitias, quas largiatur egentibus: nec vir imperitus tenetur comparare sibi scientiam, vt alios doceat, ad opera autem, quæ aliquis ex officio, & iustitia tenetur exercere, debet quærere facultatem ad illa commodè præstanda, aut cedere illi officio. Vnde cum iudex teneatur ex officio, & iustitia iudicare eò modo quo vtilitas Reipub. exigit, tenetur ex eadem iustitia se reddere idoneum, vt iudicium, quod profert sit vtile, & proficuum, & cum tale esse non possit nisi cessante illic scandalo, tenetur, aut mutare mores, vt scandalum illud cesset, aut renuntiare officio.

VLTIMA PROPOSITIO.

Si ex peccato iudicis quamuis publico nullum sequatur scandalum, aut contemptus iustitiæ, quia in eo existens iudicet, non peccat mort. iudicando.

VErbi gratia est iudex auarus auaritia omnibus nota, & quæ sit pec. mort. quia sic auarus suspendat furem, vel homicidam nullum est scandalum, vel vilipendium iustitiæ, potest absque vllo peccato exercere ista iustitia; Ratio est aperta: quia existens in peccato mort. & iudicans ideo peccat, quia sic iudicans est alijs scãdalo, redditq; iustitiam contemptibilem, quando ergo ex peccato ipsius nihil horum accidit, nõ peccat.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum dico agere ibi D. Paulum de iudice peccatore publico, punientè in subditis eadem crimina, quæ ipse publicè etiam committit, subdit enim, [eadem facis, quę iudicas.] Vel dico cum D. Thom. hic ad 3. condemnare ibi non summi, quasi dicat iudicem sic iudicantem committere nõ vnum peccatum, propter quod sit condemnandus, sed in hoc sensu, quod exerceat actum quo ostendit se dignum condemnatione, nam si punit adulterum, & ipse mechatur, eo ipso quo illum punit, ostendit se dignũ quoq; esse, qui puniatur, cum eadem faciat, quæ punit. Solet enim scrip. vti hac voce condemnare pro eodem quod est ostendere condemnabilem, ita Christus Matth. 12. [Viri Niniuitę surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.] Idest ostendent eam condemnabilem.

Ad secundum. Dico ministrantem in sacris in pecc. mort. peccare mort. quia exercet munia ordinis ad quę in susceptione illius ordinis est consecratus, & vna cũ consecratione recepit peculiariter gratiam iustificantem, ad illius ordinis ministeria dignè exercenda, quo fit, vt nisi exerceat illa existens in gratia, peccet mort. Dixi vna cum consecratione recipere gratiam, nam so la receptio gratiæ nisi vna cum illa fiant consecratio ministri, non obligat ad id: vt in matrimonio in lege Euangelica cum sit verè sacramentum datur gratia nubentibus ad rectè exercenda munera coniugij, nec propterea peccant, si illa exercent non existentes in gratia, quia non receperunt gratiam vna cum consecratione, ministri autem Ecclesiæ vtrumque simul recipiunt, quod non est in iudicibus, ad exercenda enim iudicia fori siue Ecclesiastici siue secularis non datur ordo neque aliquis consecratur, quia ista iudicia nituntur sola iurisdictioni; quam potest habere electus, & non consecratus, imò & merè secularis, propter quod

quod neque ad ea exercenda datur gratia, ne que exigitur sub pena peccati, vt fiant in gratia.

Ad locum illum ex numer. dico ibi nomine spiritus non intelligi gratiam iustificantem sed gratiam gratis datam, & quoddam bonum diuinum maioris scientiæ, prudentiæ, & concilij ad gubernandum, & iudicandum, quod donum vocatur ibi spiritus, & propheta, fintque illis visibiliter collatum ex peculiari priuilegio, tum propter merita, & orationem Moisi, tum vt habeantur iudices illi in pretio apud promiscuam illam multitudinem duræ ceruicis, quæ solita erat rebellis esse, & contumax suis iudicibus, eodem modo explicanda sunt, quæ afferunt de Saule, & similia, quæ possunt in sacris litteris occurrere.

Ad tertium respond. Cum Caiet. hic & in illo opusc. citato, vt iudicium sit omni ex parte perfectum, & optimum illud exigi, vt minister sit similis præcipuo iudici Deo, cuius est minister at vt sit rectum nec sit peccatum, sat est sit similis illi, in eis, quæ sunt propria, & necessaria recto iudicio, nempe, vt seruet leges illas, & conditiones iusti iudicij, quas potest obseruare, etiam si existat in pec. mort.

Ad quartum. Cum dicitur officium iudicis sanctum esse distinguendum est: si intelligat sanctum idest cōsecratum vel constans in consecratione propter quod debeat exerceri in gratia, negandum est, vt constat ex dictis. Si verò intelligat sanctum idest bonum opus & studiosum verum est, sed ex eo non sequitur peccaret mortal. exercentem illud in peccato, quia potest facere opera moraliter bona, & exercere actus virtutis quo ab substantiam actus, qui licet non sint meritorij, sed neque erunt peccata ex defectu gratiæ, nisi aliqua mala circunstantia vitientur.

Ad vltimum dico: optimè doceri illa similitudine naturalibus petita quantum expediat morum honestas in iudice, non tamen concludi necessariò illum studiosum esse dēre, vt iudicet, sed satest sit studiosus vel reuera vel in ciuium æstimatione, ne iudicia eius scandalo sint, vel in contemptum iustitiæ. Confirmo hæc, quia si similitudo illa efficax esset, eadem ostende res iudicem peccatorem non posse iudicare, sicut nec agens aliquod naturale potest agere nisi in dissimile, iudicem verò priuari potestate iudicandi per peccatum, error est vt vidimus.

Ad verba Christi: Qui sine peccato vestrum est, &c. Respon. verba illa non dicere peccare mortaliter, iudicem qui cum existat in peccato aliam punit, sed ita decere, non quidem decentia quæ obliget sub mort. vel venia. sed decentia quæ dicit optimam, & omni ex parte perfectam executionem sui officij. Vel dico Pharisæos & illos qui mulierem illam Christo obtulerunt condemnandam fuisse publicos peccatores, vt constat ex Euangelio in alijs generibus criminum, cum publicè abundarent dolis, rapinis, & alijs grauioribus, huiusmodi autem optimè à Christo illa via esclusi sunt & prohibiti à iudicio.

Ad argum. Magist. Soto & aliorum qui volunt peccare venialiter existentem in peccato occulto vel publico quando iudicat, etiam si nullum sequatur scandalum vel contemptus iustitiæ. Tùm quia est quædam indecentia, tùm verò quia est quædam hypocrisis, & mendatium illud iudicium, quia puniens peccatorem simulat se iustum, & odio habere peccata. Respon. esse quidem indecentiā quæ dicit imperfectio nē actus, quia esset omnino perfectum iudicium, si ex parte iudicij satiarentur omnes illæ conditiones iusti iudicij, & ex parte iudicantis esset à subiecto existente in gratia, quæ perfectio in hoc casu de quo agimus deest, non tamen esse indecentiam quæ sit peccatum aliquod mort. vel venia. cum ad nihil aliud teneatur iudex præcepto, quàm ad iuste iudicandū, & citra scandalum ac contemptum, iustitiæ. Nec hypocrisis aut mendatij in hoc casu arguendus est, quia licèt punitio delinquentium prima facie illud videatur ostendere, ipse verò non iudicat ob hunc finem vt habeatur, sed vt suo muneri satisfaciat cum iniustitia & æquitate, vnde cum tale iudicium sit indifferens ad hunc vel illum finem, non est mendatium nec simulatio culpabilis, sicut non mentitur qui simulat fugam tempore belli, cum possit vt in illa in debitum finem sicut, & alijs artibus bellicis.

ARTICVLVS III.

An iudicium ex leui suspitione ortum sit pec.

IN explicando hoc artic. qui difficilis satis est, proponemus prius obseruationes, & conclusiones iuxta mentem D. Tho. deinde easdem diffusius & priuatim explicabimus.

Primum igitur duo hic statuit D. Thomas, vnum est suspiciones & iudicia temeraria ex triplici radice oriri, primò ex iniquitate & deprauatis moribus ipsius iudicantis, qualis enim vnusquisque est, tale fert de alijs iudicium, vnde fuit vetus parœmia. [Latro ex suo pede alios metitur, Et Ecclesi. 10.] In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens, omnes stultos stimat. Secundò: ex odio & liuore animi, sicut enim quos diligimus iudicamus studiosos, [Quia charitas operit multitudinem peccatorum,] ita & de his quibus mala optamus, male quoque facile opinamur. Sunt enim voluntas & intellectus potentiæ ita vicinæ vt facilè vna aliam ad se trahat. Tertio ex longo vsu, & experientia rerum, qua de causa senes vt docet Ari. 2. Rethor. sunt maximè suspiciosi.

Alterum quod statuit D. Tho. est. Tres esse suspicionis gradus, Primus inquit est suspicionis leuis, & temerariæ. Quando non certo credimus vitium proximi, sed suspicamur tantum, dubitantes an ita sit, Secundus quando iam non suspicamur & hesitamus tantum, sed certo iudicamus & credimus ita habere. Tertius quando tali iudicio existente in animo procedit iudex ad condemnationem vel punitionem illius. Primus gradus ex his est suspicio. 2. iudicium temerarium. 3. iniuria, & iniquitas. His positis est D. Thom.

CONCLVSIO I.

Suspicio leuis viso aliquo indicio, ex suo genere peccatum est, sed venia.

PRobatur prior pars, Vnusquisq; suaptè natura gaudet hoc iure, vt quamdiu delicta eius non constat omnia legitima optima de ipso existimatio habeatur, nec vocetur in dubium, per quamcumque autem suspicione & sileuem existimatio illa desinit iam esse optima, & vocatur in dubium in animo ita suspicantis, & non legitima via cum oriatur ex leuibus iudicijs. Ergo per talem suspicionem læditur illud ius naturale proximi & consequenter est peccatum ex suo genere. Secundò omnis occasio peccandi propria culpa accepta peccatum est saltim veniale, qui male suspicatur de proximo suo ex leuibus indicijs, culpa sua & non proximi exponit se periculo contēnendi illum, imò & iudicandi temere quod incepit suspicari, & consequenter contemnendi illum tanquam malum & reprobum, & tandem infamandi, quæ omnia sunt peccata. Ergo.

Probatur altera pars. Primò quia peccatum quod non tollit amicitiam inter viros prudentes cum non destruat charitatem proximi (vt sæpe diximus) veniale tantum est, leuis autem suspicio & quæ vlterius non progreditur, potest etiam haberi de amico manente nihilominus vera amicitia, & beneuolentia: Imò sæpe vt sis aliquib. indicijs suspicamur, & timemus ne amicus aliqd mali cūmittat, vt eū admoneamus, qd in alio qui ami-

amicus non est, non curaremus. Ergo. Secundò: in huiusmodi suspiciones leues sicut & in alias tentationes quæ oriuntur ex fragilitate humana incidunt frequenter homines, etiam iusti & timorati, vt docet D. Aug. in 4. cap. 1. ad Corint. Ea autem in quæ etiam iusti frequenter incidunt ex fragilitate humana, omnium Theologorum consensu venialia sunt ex suo genere. Denique damnum quod per huiusmodi suspiciones infertur proximo leue est & exiguum, & consequenter veniale. Dixi ex suo genere, quia ex causa potest etiam leuis suspicio esse pec. mort. nó vt suspicio, sed vt actus procedens à tali causa: ad quòd explicandum. Sit.

CONCLVSIO II.

Suspicio ex leuibus quidem indicijs orta, sed ex vsu & experientia rerum pec. venia. tantum est, orta autem ex prauis moribus ipsius suspicantis, vel ex odio & liuore est peccatum mortale.

PRior pars constat eodem modo quo præcedens côclus. Senes enim & qui multum habent rerum vsum suspicantur multa, experientia quam habent in tales suspiciones ipsos inducente, de suis etiam amicis, manente nihilominus eadem amicitia & amore inter ipsos; incidúntque propter ea quæ experti sunt in istis leues suspiciones sicut & in alias tentationes quotidianas. Secunda pars probatur. Quia metiri proximũ ex suo pede in materia mortali ex leui indicio, & non sufficienti, verbi gratia, ex leui indicio suspicari illum ingredi domum vicinæ ad fornicandum, quia tu alias ingrediens ad tale delictum grauis culpa est, etiam si leuiter suspiceris, quia propter tuos deprauatos mores ita suspicaris. Similiter suspiciones vel leues, & cum aliquo indicio, leui ortæ tamen ex prauitate, vel odio quem animo habet, qui ita suspicatur, sunt actus malitiæ mort. & consequenter pec. mort.

CONCLVSIO III.

Iudicium temerarium quo ex leuibus indicijs malè de proximo certo iudicamus, pec. mort. est ex suo genere.

PRobatur. Proximus habet ius naturale, vt de illo benè opinemur, nisi oppositum legitimè constet, iudicium autem temerarium de quo hæc tertia conclu. expoliat omnino proximum isto iure in re adeò graui qualis est bona opinio, cum per tale iudicium, iam non vocet illam in dubium, sicut ille, qui solum suspicatur, sed eam omnino destruat, malum de proximo certo credẽs, infert ergo illi per iudicium grauem iniuriam, grauis autem iniuria contra proximum pec. mort. est. Et confirmatur: quia qui ita iudicat non potest non contemnere illum proximum, & odire eum vt peccatorem, quod est inferre ei graue nocumentum, & iniustè, cum fiat ex læui iudicio.

Secun. Tentatio in principio venialis, sed cui oportet resistere ex præcepto Christi, si illi non resistatur, sed adhibeatur consensus in materia graui efficitur mortalis, huiusmodi iudicia in principio sunt suspitiones læues, & veniales, sed reijciendæ ex præcepto illo Christi Matt. 7. [Nolite iudicare, &c.] Suntq; in materia graui qualis est optima opinio fratris, quando ergo transeunt à suspitione in iudicium, cum sit assensus tentationi, cui resistere oportebat, sunt pec. mort. Vnde D. Aug. loco cit. [Etsi suspitiones, inquit, vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen i. definitiuas firmasq; sententias continere debemus.] Dixi quoque in hac tertia conclus. ex genere suo, quia possunt etiam ista iudicia temeraria esse peccata venia. 1. ex leuitate materiæ, quamuis enim temerè iudicem, & certo credam proximum malè agere, si tamen malum illud leue sit; cum ex tali iudicio leuissimè opinio ipsius ad me lædatur, leue illi nocumento infero, & consequenter leuiter ego pecco. 2. ex imperfectione actus, vt cum huiusmodi iudicia, & assensus fiunt subitò, & ante plenam deliberationem: vt cũ quis aliqua re non planè bona oculis obiecta subitò rapitur ad dubitandum, vel suspicandum, vel etiam certo iudicandũ malum de proximo, sunt omnes illi assensus pec. venialia. Sunt enim velut primi motus non plenè voluntarij, nec deliberati: sed præuenientes rationem. Vtamur exemplo familiari: vidi puellam loquentem cum iuuene iudicaui statim aliquid mali, sed non plenè animaduertens quid agerem, neq; id alicui significaui, paulò post in me reuersus, & animaduertens posse illos aliquid etiam boni inter se colloqui, repello statim illud iudicium, non est pec. mort: quia cũ non plenè deliberauerim, imò statim perspecta, & considerata re illud iudicium à me executiam, nec sequitur ex eo contemptus proximi, nec ei grauiter nocen, sed parum, & leuiter. Vbi obseruandum est, communiter talia esse iudicia in quæ viri probi, & timorati incidunt, nempe repẽtina, & similia primis motibus, propter quod de huiusmodi non debent esse anxij, neq; multum soliciti. Vbi ad pacandas eorum conscientias sit regula. Quando pœnitens, accedit dubius an iudicium, quod fecit sit pec. mort. vel venia. aut iste pęnitens est timoratæ côscientię, & qui solet sibi cauere à peccatis, aut agnoscitur esse conscientiæ parum timentis Deum. Rursum prior ille accedens dubius, aut est ex æquo dubius, aut inclinat magis in vnam partem quam in aliam. Si declinat magis in hanc partem se deliberatè iudicasse temere de fratre suo, accuset sub illa formidine quasi de pec. mort. Si verò declinat in oppositam, nempe verisimilius sibi videri iudicium illud fuisse repentinum, & sine deliberatione, aut est ex æquo dubius, accuset se tantum de veniali, & confessarius admoneat illum pacato animo esse debere, certioremq; reddat similia iudicia absq; dubio esse venialia. Quod si fuerit conscientiæ parum timentis Deum, si decliner in eam partem, vt verisimilius iudicet fuisse iudiciũ illud repentinum, accuset se, vt de venia. sub formidine, & cum ea conditione se dolore si forsan peruenit ad mort. quod si in oppositum, vel sit ex æquo dubius, accuset se, vt de mortali, quamuis cũ aliqua etiam formidine, quia in huiusmodi hominibus solent communiter hæc iudicia esse peccata mort. quamuis aliquando, sed rarius possint esse venialia.

CONCLVSIO VLTIMA.

Procedere ex iudicio temerario, vel suspicione ad condemnandum, vel puniendum sic iudicatum est peccatum mort. grauissimum, & cum debito satisfacienti omne damnum illatum.

COnclus. hæc apertissima est, cum sic iudicans noceat proximo, & cum graui iniuria, de qua copiosius infra q. 67.

Circa hunc art. nonnullę sese offerunt controuersię conscientijs fidelium plurimum vtiles. Prima est,

An iudicium temerarium purè mentale, quod non profertur exterius neque egreditur ad conuitium, contumeliam, vel infamiam, sit pec. mort. vel eo solo quod mente concipiatur?

DIuus Thom. in 3. conclus. hic posita habet apertè partem affirmantem. Existunt tamen in oppositum nonnulla, quæ faciunt rem difficilem. Primò si huiusmodi iudicium esset peccatum, ideo profectò esset, quia grauiter noceret proximo, nam leue nocumentũ, vt sæpe diximus, veniale tantum est, at per huiusmodi iudicium nõ nocemus grauiter proximo. Ergo: Probatur minor: omne damnum quod infertur proximo,

aut infertur ei in spiritualibus vt in gratia, & virtutibus, aut in corpore ipsius, aut in honore, & fama, aut in bonis, & diuitijs, sed iudicium temerarium, quod sola mente concipio, & tacitus apud me retineo, nec alicui aliquo modo indico perspicuum est in nullo istorum proximo nocere. Ergo. Sed dices noceo illi cum sinistram de eo apud meipsum opinionem concipiam. Contra. Hoc nocumentum non ex graue, sed leue: patet, quia sicut, qui publicè, & apud plerosque malè audit, parum illi refert, quod ab vno, vel altero studiosus habeatur, ita qui publicè, & apud omnes benè audit, quod a me solo, & interius apud meipsum improbus iudicetur exiguum illi damnum est, & nulla fere honoris iactura.

Secundò si huiusmodi iudicium esset pec. mor. esset certè prohibitum aliquo iure, naturali quippe, vel diuino, at neutro horum prohibetur, Non iure naturali, quia hoc ius solum probibet sub mort. grauia damna proximorum, constat autem ex præced. argum. huiusmodi iudicium leuiter tantum nocere. Neque prohibetur diuino, nam si alicubi prohiberetur certè illo verbo Christi Matth. 7. [Nolite iudicare, &c.] At eo loco Christus non probibet iudicium temerarium internum, sed iuxta D. Hiero. reprehendit illos, qui grauiora committentes, arguunt, & condemnat fratres, qui in læuiora incidunt: quo circa subiunxit, Hypocritas vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides, eijce prius trabem de oculo, tuo, &c. Vel iuxta D. Chrysost. in imperfecto, prohibet ibi Christus vlcisci iniurias, & postulare vindictam apud iudicem, q. d. ne iudicio contẽdatis contra fratres vestros, & non contendam contra vos iudicio extremo, cui expositioni maximè fauet, quod istis verbis apud Lucam c. 6. statim addidit Christus, dicens. [Dimittite, & dimittetur vobis.]

Tertiò. Si hoc iudicium esset pec. mort. esset profectò contra iustitiam, sicut & rectum iudicium pertinet ad iustitiã, at non est, probo, iniustitia sicut, & iustitia versatur circa operationes externas, & res directè, & per se, at iudicium priuati hominis temerarium, & internum non versatur circa aliquas operationes exteriores, nihil exterius facit, vt docet hic D. Thom. hoc siquidem tantum conuenit iudicio superioris. Ergo.

Et confirmatur. Si iudicium interius priuati hominis ordinaretur ad aliquam exteriorem operationem, certè ad hanc, nempè ad pronunciationem vocalem, & externam illius interni iudicij mente concepti, hæc autem externa & vocalis pronunciatio non pertinet ad iudicium temerarium, sed ad detractionem. Quo argumento non solum probatur iudicium temerarium priuati hominis non esse pec. mort. verum etiam nec iudicium temerarium, & interdum principis vel iudicis, quia ista duo iudicia, vt vidimus ar. præced. eiusdem rationis sunt & speciei.

Quartò, si iudicium temerarium ex genere suo esset mort. sequeretur vt si quis (quod sæpè accidit) per iocum aliquid diceret quo generaret in animo alterius sinistram opinionem & iudicium de proximo suo, vterque peccaret mortaliter, & qui iocum illum protulisset, cum nocuisset vtrique & audienti qui illa occasione temerè iudicauit de proximo, & proximo illi cuius famæ suo loco. apud hunc temerè iudicantem detraxit. Peccasset etiam qui illud iudicium temerarium apud se concepit, cum ita iudicet ex leui inditio, nẽpe ex ioco alterius. At in huiusmodi casu nec qui tales iocos proferunt, nec qui aliquod iudicium ea occasione efformant, putant se peccare mortal. neque in confessione sacramentali de his vt mortalibus se accusant, nec confessatij etiam periti & timorati talia interrogant. Denique qui iudicat aliquem hominem esse sanctum ex leuibus inditijs non peccat mortal. Ergo neque qui iudicat aliquem commisisse aliquod crimen si indicia sint leuia, probo consequentiam, quia vtrum que iudicium est temerarium.

Cayet. hic in commento & in Summa in verbo. Suspicio & in verb. Iudicium temerarium sentit non omne iudicium temerarium esse peccat. Mort. sed illud in quo tanta est certitudo in iudicante, vt nullo modo dubitet, aut existet, quod putat colligi ex hoc ar. hac ratione: quia D. Tho. suspicionem facit in prima conclus. huius ar. pec. tantum venia. iudicium verò temerarium facit in tertia pecc. mort. Ex eodem autem D. Tho. suspicio est quando iudicamus malè de fratre cum dubitatione, iudicium verò temerarium cum certitudine: Vnde ex D. Tho. Illud tantum iudicium temerarium erit pec. mort. quod concipitur à nobis tanquam certum & indubitatum, quod verò cum aliqua dubitatione & formidine, erit veniale.

Ita colligit Caiet. hanc regulam: Quando quis indicat temerè malum de fratre, sed cum formidine alterius partis, peccat tantum venial. quando autem certo & sine vlla formidine, peccat mortal. Addit ad maiorem explicationem huius regulæ. Si quis ita iudicat malum de fratre ex leuibus indicijs, vt interrogatus credis ne hoc malum de illo fratre? responderet, credo quidẽ, sed forsan oppositum est verum, peccat inquit hic tantum venial. quia per tale indicium (cum non sit certum (leuiter tantum læditur bona proximi opinio: Si verò responderet, credo certè, nec puto rem aliter se habere, tunc inquit Caiet. peccat hic morta. quia certo credere malum de proximo ex leuibus indicijs est grauis illius contemptus, & graue damnum in eius opinione. Hæc opinio Caiet. displicet maximè recentioribus Thomistis, quia iuxta eam raro iudicia temeraria essent pec. mort. cum frequentissimè tamen mortalia sint apud vulgus hominum.

Ad intelligentiam huius controuersiæ, & aliarum quæ hoc ar. & sequen. tractandæ sunt, diligenter obseruanda sunt quæ sequuntur. Primò licèt apud D. Tho. in hoc ar. sub nomine suspicionis omnes gradus iudicij temerarij contineantur, (vt constat ex his quæ initio huius ar. diximus) nihilominus vt propriè & distinctè loquamur distinguenda sunt necessariò hæc tria, Dubitatio, Suspicio, & Iudicium, cum reuera diuersa sint, formaliter distincta. Singula explicemus.

Dubitatio in primis est cum animus manet suspensus, nec in aliquã partẽ declinat assentiendo aut dissentiendo, sed manet velut in æquilibrio, quomodo dubitamus sint ne astra paria vel imparia: qua ratione Arist. 3. Methaph. c. 5. comparat dubitantem homini ligato, qui in neutram partem valet se mouere.

Suspicio definitur à Cicerone quem sequitur hic D. Thom. opinio mali ex leuibus indicijs procedens, vnde tria requiruntur ad suspicionem. 1. vt sit opinio vnius partis, non tamen certa & determinata, sed cum formidine alterius partis 2. vt sit mali 3. vt sit ex leuibus indicijs: prima parte differt à iudicio, & dubitatione, à iudicio quidem, quia illud est firma, & constans determinatio intellectus: suspicio verò cum sit opinio, firma non est, sed cum hæsitatione, & formidine alterius partis, à dubitatione autem, quia hæc in neutram partem declinat, suspicio verò cum sit opinio in alteram inclinat quamuis cum formidine alterius. Secunda parte contrahitur opinio, quæ est velut quoddam genus, & quid commune, quod potest versari, tàm circa vera, quàm circa falsa, tàm circa practica, quàm circa speculabilia, tàm circa bona, quàm circa mala, ad supicionem per hanc vocem mali, tanquam per differentiam contrahentem, quia suspicio solum est de malo, & defectu morali proximi. Etenim cum malum, aliud sit in rebus, aliud verò in personis res illas exercentibus, quod est malum morale, suspicio non est, quæ vis opinio mali, sed vicij, quod alicui inest, quod est malum morale: vltima pars ex leuibus indicijs communis est his tribus, dubitationi, suspicioni & iudicio, Additur autem in vno quoque quia ex

sufficientibus

sufficientibus indicijs dubitare de honestate fratris vel suspicari, aut indicare aliqnod malum de ipso, hoc non est iniquum, nec temerarium, sed licitum & prudens, hic autem agimus de dubitatione, suspicione, & iudicio, quæ iniquè & male fiunt, ac cum iniuria fratris, ad quod exprimẽdum additur in singulis illa pars ex leuibus indicijs.

Iudicium verò temerarium est firma certaque sententia de alterius malitia, ex leuibus etiam indicijs procedens, parte illa prima qua dicitur iudicium certa firmaque sententia, distinguitur à dubitatione & suspicione, quæ formidinem habent, illa ex æquo vtriusque partis hæc verò alterius, vt ex dictis constat.

Ex his fit varie nos posse affici, & habere erga aliorum facta bona vel mala; primo modo, vt in animo pendeamus, simus quæ suspensi, vt nulli parti assentiamur, quod pertinet ad dubitationem, secundo modo, vt assentiamur quidem vni parti, sed cum formidine alterius: quod potest dupliciter contingere, vel opinando bonum de proximo, sed cum formidine & timore, ne forsan aliter res habeat, quæ vocatur suspicio leuis, in qua non iudicamus fratrem malum, sed potius bonum & honestum, cum aliqua tamen hesitatione quam antea non habemus, vel male de illo opinando, sed cum aliqua etiam formidine de opposito, timendo me posse falli, & hæc dicitur suspicio grauis, vel vehemens in qua iudicio fratrem malum, quamuis cum hesitatione aliqua. Habetque vtraque harum suspicionum latitudinẽ prout formido illa maior aut minor fuerit. Tertiò modo, ita possumus esse affecti erga fratrem, vt de illo male certo indicemus omni hesitatione seclusa, plena & deliberata determinatione intellectus, quod propriè est iudicium temerarium.

Obseruemus secundò: cum iudicium temerarium sit ista certa & deliberata determinatio intellectus certo credentis malum proximi ex leuibus indicijs cum contemptu ipsius, sicut temeritas pertinet ad præcipitationem, quæ in rebus grauibus est, pec. mort. ex suo genere contra prudentiam, quia hæc in rebus grauib. maximè in his quæ possunt nocere iuri naturali & diuino sub pec. mort. seruanda est, ita quoque iudicium quod fit temere est pec. mort. ex suo genere, prohibitũ eodem omnino iure naturali & diuino, quo præcipitur prudentia, & prohibetur præcipitatio in rebus grauibus, quæ possunt vergere in damnum proprium, vel alienum.

Dicuntur autem illa fieri temerè quæ recta ratione non reguntur, soletquè id contingere, vel ex impetu passionis, quam non moderatur ratio, vel ex contemptu legis, prior illa temeritas ex passionis impetu non semper est mort. Sed aliquando mort. & aliquando venialis pro ratione obiecti, consensus, deliberationis, & aliarum circunstantiarum: posterior verò quæ contingit ex contemptu legis ex suo genere semper pecc. mort. Et hoc modo, vt benè obseruat Caiet. intelligendi sunt multi canones in quibus excommunicãtur transgredientes illos temerè, vel temerario ausu i. transgredientes illos ex contemptu legis, & ratio est, quia verba iuris non sunt frustra apposita, nec impropriè accipienda, maximè in materia pœnali, quæ ex eodem iure restringenda est, & in qua significatio, & proprietas restrictiua vocabulorum (vt loquuntur iurisperiti) amplectenda est, vnde cum propriè illæ dicatur vti temerario ausu, vel temerè aliquid agere, qui agit sciens, & contemnens legem, vel præceptum superioris, consequenter canon excommunicans temerarium transgressorem ipsius intelligendus est illum excommunicare, qui ita agit ex contemptu legis, vel præcepti.

Obseruemus tertiò: Inter bona tẽporalia primum, & proximum, locum post vitam habere famam, & bonam existimationem. Est autem fama bona de virtute proximi in nostris mentibus posita opinio: quo fit vt quandiu aliquis non offert idoneam, & sufficientem causam malè de ipso opinandi, tandiu habet ius a naturæ, vt debeant cæteri de ipso benè opinari, quia cum fama sit proprium bonum meum in aliorum mentib. à natura depositum, & reclusum, quemadmodum depositarius, qui à principe, vel Gubernatore haberet apud se bona mea deposita grauissimè peccaret si illa sine authoritate illorum, aut aliqua causa legitima interueniente) effunderet, vel dilapidaret, cum teneatur omni iure illa apud se conseruare illæsa eo ipso quo depositarius est, ita tenetur vnusquisque bonam de me opinionem velut apud se à natura depositam, & commendatam illæsam omnino nec vocatam in dubium, vel contemptam redimere, donec eadem natura per dictamen rectæ rationis insinuet illam propter mea demerita iam non esse retinendam.

Denique in his omnibus tria sunt maximè consideranda, indicia, persona, & peccatum: indicia enim, vt videbimus quædam sunt læuia, alia grauiora quidem, sed non sufficientia, alia verò ita grauia, vt sufficiant arbitrio prudentum ad iudicandum. Personæ quoque maxima est habenda ratio, & culpæ, aliqua enim indicia sufficient in vna persona, quæ nõ sufficiunt in alia. Et in eodem homine aliqua indicia sufficient ad iudicandum de ipso aliquod peccatum, quę non sufficient ad inferendum aliud. In quibus omnibus maxima prudentia, & charitate opus est. Etenim, qui iudicat assumit sibi personam iudicis, propter quod debet seruare leges boni iudicis, aliter temerè iudicabit. Vnde sicut optimi iudicis est (maximè in criminalibus) diligenter examinare, & scrutari testes, nec quoscunque admittere, ita in hac materia, cum indicia habeant se velut testes, sunt maximè consideranda, nec quæuis facilè admittenda. Quocirca oportet vnumquemque sibi cauere ne tale officium assumat, quia est suscipere grauissimum, & periculosissimum onus laboriosissimamque prouinciam: primo, quia difficilimum est seruare omnes illas conditiones quas ar. 2. diximus desiderari in recto iudice, 2. quia indicia facilè decipiant, nec ex eis licèt aliquid certum colligere 3. quia difficillimum est iudicare cordis humani intentionẽ, & fines: [Prauum enim est cor hominis, & scrutabile quis cognoscet illud? Hiere. 17. Et ita illud solum in hac parte est securum, & tutum, abstinere omnino ab humanis iudicijs, Quamuis enim aliquando talia sint indicia vt iudicium, quod ex illis desumitur non sit temerarium, frequentissimè tamen apud illos, qui parum Deũ timent temerarium est iniquum: Ideò Christus Matth. 7. absolutè admonet, & in vniuersum, [Nolite iudicare.] Quia licèt aliquando prudenter iudicetur de fratre, frequentius autem temerè, & imprudenter, quod periculum euadimus nullo modo iudicando. Sicut Matthę. 5. prohibet omnino iuramentum, dicens,] Nolite iurare omnino] quia licèt aliquando benè iuretur, frequenter tamen malè, & sic expedit plurimum omnia vitare iuramenta, vt nunquàm malè iuretur. Similiter D. Paul. 1. Corin. 4. [Nolite ante tempus iudicare, [redditq; rationem, [quousque veniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit concilia cordium,] q. d. non potest priuatus homo, nec debet alterius velle esse iudex, sed illud proferre cum de iudicandis proximis tentatur, [quis me constituit iudicẽ inter vos,] quia iudex debet habere perspecta omnia, & testes, & dicta rei, vt iudicet, hæc verò in priuatia fratrum nostrorum actionibus latent nos, cum pleraque ex interiori animi intentione pendant, quæ vsque ad domini aduentum non manifestabuntur, vnde abstinendo ab his iudicija nulli iniuriam facimus, volentes autem iudicare, voluntariè nos offerimus graui periculo multas iniurias inferendi.

CONCLVSIO I.

Iudicium temerarium ex leuibus, & non sufficientib. indicijs (etiam si sit cum aliqua hæsitatione, vel formidine) in materia gaui est pec. mort. ex suo genere.

PRobatur: in materia morali iudicandum est iuxta communem sententiam, & opinionem hominum prudẽtum, & sapientum, quiuis prudens, & cordatus homo malet (& meritò) se expoliati aliquot aureis, quàm vel apud vnicum hominem iacturam facere suę bonæ opinionis, & famæ, (quod fit per iudicium temerarium de quo loquimur) expoliare autẽ aliquem aliquot aureis pec. mor. est. Ergo & in viclum temerariũ.

Secundò cum tali iudicio non potest simul stare vera amicitia, & honor proximi, Experientia siquidem teste, eum qui de me ex leuibus indicijs grauem culpam crederet, non iudicarem meum amicum, sed inimicum potius, Et eadem experientia teste fieri vix potest quin ita de me iudicans, & credens, non habeat me odio, vt malum, vel saltim contemnat, contemnere autem proximum ex suo genere, vt hic docet Diu. Tho. pec. mort. est.

Tertiò: Si iudicare malè de proximo, & expoliare illum apud me per tale iudicium sua bona opinione, & fama non est pec. mor. neque esset pec. mot. expoliare ipsum apud alios bona opinione, & fama, hoc autem omnium consensu est apertè pec. mort. ergo & illud. Probo maiorem, quia iudicium quod licet alijs habere licet, & mihi & è conuerso, si ergo liceret mihi absque pec. mort. ex leuibus inditijs iudicare male de proximo, liceret similiter idem iudicium de ipso ex ijsdem inditijs alijs ingerere. Et confirmatur. Quo iure habet proximus suam bonã opinionem depositã apud alios, eodem quoque habet apud me, si ergo liceret mihi hoc depositum, & cõmissum effundere absque pec. mort. ex leuibus indicijs, liceret quoque alijs insinuare, vt ex eisdem indicijs illud similiter effuderent.

Quarto indicia ad iudicandum priuatim de proximo habent se in isto iudicio sicut testes iuridici in iudicio exteriori, & forensi: sed iudex, qui sine testibus idoneis, & sufficientibus iudicat accusatum esse reum & iniquum, etiam si nullum aliud damnum temporale ex eo illi proueniat, quàm haberi malus, & iniquus, peccat mortaliter, ergo, & iudicium temerarium priuati hominis ex leuibus indicijs in materia graui est pec. mort.

Quintò, qui profert apud se tale iudicium si est priuatus homo iudicat temerè proximum suum indignũ officijs, & beneficijs, quia malus nullo istorum dignus est, si verò sit superior ad quem spectet officia, vel beneficia conferre, priuabit illum de quo ita iudicat quocunque officio, vel beneficio occurrenti, quod posset & deberet illi conferre, quo fit vt per tale iudicium graue damnum immineat proximo, hoc autem esse non potest sine pec. mort. cum non solum peccet mor. qui actu nocet proximo, verum etiam, qui constituit seipsum in graui periculo nocendi illi. Ergo. Vnde est etiam argumentũ, qui exponit se periculo dicendum falsum testimonium peccat mortal. qui verò ita iudicat, exponit se huiusmodi periculo, vt experimur, maximè vel quando vocabitur in iudicium, vel quando de illo proximo incidet sermo, iuxta illud Iob 4. [Conceptum sermonem quis continere poterit.] Ergo. Et confirmatur, qui indicat secretum peccatum proximi sine iusta causa, & infamant illum, vel apud vnam tantum personam, peccat morta. quia priuat illum sua bona opinione, & fama, ergo & qui ex leuibus iudicijs iudicat malè de proximo in materia graui, peccat etiã mort. cum priuet illum apud se ipsum sua bona opinione, & fama. Est enim hoc damnum proximi, & grauis in illum iniuria contra ius naturale, quo tenemur de illo bonam habere existimationẽ, donec propter ipsius demerita recta ratio oppositum doceat, parumque refert, patiatur ne illud damnum apud me iudicium illud alio mihi suggerente, aut me mihi ipsi suadente illud: sicut enim peccaret qui mihi illud suggereret, ita ego qui mihi ipsi temere id suasi.

Quo fit vt hoc peccatum iudicij temerarij sit contra octauum præceptum, quo tenemur famæ & opinioni proximi nostri, nullo modo iniquè nocere, neque apud alios, neque apud nos ipsos.

Septimò: Iniustitia pec. mort. est ex suo genere, vt vidimus quæst. præced: art. 4. qui verò iudicat temere fratrem in materia graui, committit contra ipsum grauem iniustitiam: probo, vnusquisque quamdiu non est publicè infamatus, vel certo constat de ipsius peccatis habet ius ad bonum nomen, & debetur illi iure naturæ (ex tertia obseruatione) bona de ipso opinio: Ergo qui temere & ex leuibus inditijs male de ipso iudicat, cum agat contra hoc ius quod natura ei concessit, peccat apertè contra iustitiam expolians illum inique suo iure.

Octauò. Tenetur vnusquisque iure naturæ ex præcepto affirm. exhibere fratri suo honorem & reuerentiam exteriorem, ergo tenetur similiter nõ habere de illo sinistram opinionem per aliquod iudicium temerarium. Antecedens certissimum est, & constabit magis infra q. 72. & seq. consequẽtiam verò, probo: Quia quoduis præcep. affirm. includit virtute & implicite negationem sui oppositi, iudicium autem temerarium sinistram opinionem de fratre in animo generans repugnat apertè illi reuerentiæ, cum impossibile ferè sit moraliter loquendo, vt afficiam debito honore & reuerentia, quem iudico malum & turpem. Ergo.

Denique præcepta naturalia in materia graui obligant sub mort. vt illud. [Quod tibi nõ vis.] Sed quiuis prudens & cordatus vir optat iuste & rationabiliter ne ex leuibus indicijs sinistra de ipso opinio habeatur. Ergo hoc ipsum sub mort. debet vnusquisque proximo suo. In quo sensu forsam dixit Christus. [Nolite iudicare & nõ iudicabimini:] Quasi diceret, Vnusquisque vestrum & rectè optat non temere iudicari, hoc ergo quod optatis præstare fratribus vestris efficiemini compotes. Vnde Melchiades Papa epistola prima ad Episcopos Hispaniæ docet abundè. [Iudicium temerarium esse contra præceptum naturale, quod tibi non vis, &c.] Et non modò est contra istud præceptum naturale, & contra ius & honorem proximi, verum etiam contra diuinum honorem. Quemadmodum enim munus Regis sibi vsurparet, grauiterque læderet regiam Maiestatem, qui causas & iudicia soli Regi seruata dijudicare auderet, ita grauissimè diuinum lædit honorẽ, qui temere iudicat, eum vsurpare audeat causas & iudicia quæ soli Deo seruantur, [Occultorum enim,] vt inquit Anacletus. [Solus Deus est cognitor,] Intentionum cordis humani solus ipse inspector, vt in loco iam adducto ex Hierem. patet, [Prauum est cor hominis, &cæt. quis cognoscet illud? ego scrutans corda & renes dominus.] Et hoc est illud Pauli iam adductum. [Nolite ante tempus iudicare, donec veniat dominus, qui reuelabit abscondita tenebrarum, & manifestabit concilia cordium,] q. d. quę non patent aperte, etiam si aliqua videatis indicia, ne iudiceris, iudicabit illa dominus & manifestabit, qui solus est istorum cognitor & iudex. Sic exponit locum istum D. Augustinus de serm. Domini in monte lib. 2. colligiturque ex eodem Pau. Rom. 14. [Tu quis es qui iudicas seruum alienum, si stat Domino suo stat, &c.] q. d. Domini est iudicare stet ne frater vel cadat, studiosus ne sit an improbus, cum ipsius sit seruus, non tui, cuius frater seruus non est, vide D. August. Epist. 139. vbi habet, & refertur 2. q. 1. Can. Nomen. [Qui de occultis iudicat proximum diuinum sibi vsurpat iudicium.] Cæterum antequam argumenta in oppositum diluamus, cum ad iudicium temerarium tria

concurrant,

concuttant, primum vt sit certum, secundum vt sit in materia graui tertium fieri ex leuibus iudicijs, singula priuatim explicemus qualia esse oporteat.

QVAE CERTITVDO REQVIRATVR *ad iudicium temerarium*.

IMprimis non requiritur vt iudicium dicatur temerarium certitudo omnino indubitata, & sine vlla omnino hæsitatione vt vult Caiet. & ratio est aperta, Quia omnis assensus aut pertinet ad scientiam, aut ad euidentiam, aut ad fidem infusam vel humanam: iudicium temerarium certum est non pertinere ad scientiam, vel euidentiam, aut fidem infusam, quia ita non esset temerarium, sed necessarium & prudētissimum. quo fit ut pertineat ad fidem humanam & opinionem, huiusmodi autem fides non est ita certa, quin sit cum aliqua hæsitatione, adeo vt sit de ratione intrinseca opinionis & fidei humanæ assentiri vni parti contradictionis cum formidine alterius. Ergo iudicium temerarium & si certum cum aliqua tamen hæsitatione. Cæterum cum in materia morali parum pro nihilo iudicetur, dicitur iudicium temerarium certum, quia sic iudicans vni quidem parti adhæret, sed ita vt de altera aliqua ratione dubitet.

Tùm etiam quia si omnimoda certitudo & aliena ab omni hæsitatione exigeretur ad iudicium temerarium, quod est pec. mort. nullum ferè iudicium temerarium esse mor. Nullus enim est homo nisi ingenium habeat demonis qui ex leuibus indicijs certo & sine vlla formidine male iudicet de fratre. Et ita sufficit certitudo illa moralis quam vocamus fidem humanam vel opinionem, quæ semper est cum aliqua formitudine.

QVAE MATERIA DICATVR GRAVIS, *vt iudicium temerarium sit pec. mort.*

MAteriam circa quam potest versari iudicium temerarium triplex est, leuis grauis, & grauissima. Quæ sit grauissima nomen ipsum exprimit, peccata enormia à quibus homines abhorreat, & per quæ incurritur grauissima infamia, vt hæresis, crimen læsæ maiestatis, vel indicibile, & similia dicuntur materia grauissima. Grauis quæ sit per nonnullas propositiones explicandum est.

CONCLVSIO I.

Quodcumque peccatum vel defectus per quæ læditur fama & honor proximi, habeturque ipse in contemptu & iudicatur indignus officio aliquo vel beneficio quod posset illi conferri, est materia grauis.

VNde imprimis per se loquendo, quodcunq; pec. mort. est materia grauis inter Christianos, quia committens peccatum mort. eo ipso iudicatur infamis apud Deum & homines, reus gehennæ æternæ, socius Demoniorum, & dignus qui tanquā improbus & Dei inimicus ab hominibus contemnatur. Sicut studiosus dignus qui ab omnibus honorificetur, cum proprium præmium virtutis sit honor. Dixi per se loquendo & ex genere suo, quia sunt nonnulla peccata mort. quidem, sed hominum vitio non habentur pro infamibus, quia illa committentes, nec illa iam verecundantur, nec putat se turpes reddi, aut lædi vlla ratione ipsorum honorum, etiam si iudicentur illa committere; vt inter aulicos & lasiuos iuuenes turpiter deamare puellas milites prouocasse inimicum ad singulare certamen & duellum, nobilem lacessitum iniuria vindictam quærere. Hæc non iudicant isti turpia aut indecora, nec opinionem suam propter hæc labefactari, imò honori potius ista sibi esse quàm decori, propterea non sunt materia grauis, in eis nec ex leuibus indicijs talia de ipsis iudicare est iudicium temerarium, quod sit pec. mort.

Sequitur secundò ex ista regula peccata venia. per se loquendo, & ex suo genere non esse materiam grauem, Perspicuum est, quia per venia. parum læditur opinio, & fama proximi, parumque aut nihil omnino ipse contemnitur. Dico per se loquendo & ex suo genere. Sunt enim aliqua venialia per quæ sic infamantur aliquæ personæ honestissimæ sicut aliæ per mortalia, vt si virginem, aut mulierem honestissimam noctu vanos (etsi non lasciuos) iudices cum transeuntibus miscere sermones, mallet enim hęc aliquam pecuniam sibi auferri, quam ita aliquem de ipsa iudicare, Similiter sunt aliqua venialia inter ecclesiasticos, & Religiosos, propter quæ sic isti infamantur, vt per mortalia seculares, & priuantur in suis religionibus, & Ecclesijs officijs, & honoribus. Vt quod frequenter ludant, quod non obseruent silentium, & grauiores cæremonias sui ordinis, vel Ecclesiæ, quod habeat consuetudinem mentiendi, quod sit rarissimus in choro, quod noctu deambulet armatus, & similia, hæc venialia in huiusmodi hominibus sunt materia grauis. Sicut q. 33. ar. 7. docent interpretes D. Tho. hæc (licèt venialia) esse etiam materia correctionis fraternæ, tum quia cōiter disponunt ad mortalia, tū quia nocent plurimum opinioni, & famæ in huiusmodi hominibus.

Sequitur tertiò esse materiam grauem iudicare aliquem fatuum, vel stultum ex leuibus indicijs. Primò, quia sicut quos iudicamus sapientes, & prudentes veneramur, ita quos fatuos, & stultos despicimus, & contemnimus, Vnde Herodes Christum dominum quem iudicauit insipientem spreuit cum militibus suis, contemptus autem fratris ex suo genere pec. mor. est. Secundò fatuus, & stultus solo nomine, & figura, censetur homo, & habetur tanquam brutum animal, quæ maxima est irreuerentia proximi, & pec. mort. Tertiò, si actus exterior est pecc. mort. & interior à quo ille procedit, sed vocare aliquem exterius fatuum, &c. est pec. mort. iuxta illud Matth. 5. [Qui dixerit fratri suo fatue, vel racha, idest parafitum dignus est gehenna.] Ergo iudicium internum à quo solent huiusmodi contumelia procedere, si temerarium sit, pec. mor. est.

Sequitur quartò esse quoque materiam grauem, illum qui honestis parentibus natus ab omnibus creditur ex leuibus indicijs iudicare habere ortum ex Iudæis, vel Mauris, vel esse illegitimum, ita vt propter hos defectus illum contemnat, vel indignum officijs, & honoribus iudicet, patet ex dictis, Primò, quia sic iudicans contemnet fratrem, quod cum temerè fiat ex D. Tho. hic, est pec. mort. ex suo genere, Secundò læditur temerè eorum honor, quamuis enim bona opinio, & fama eorum non lædatur cum illos quo ad suos mores iudicemus studiosos, læditur tamen iniustè, & temerè ipsorum honor, non enim possunt haberi in eo pretio in quo haberentur, si tales defectus crederentur eis in esse. Tertiò viri etiam prudentes, & studiosi ægrè ferunt talia iudicia de ipsis haberi, malentq; potius multarum diuitiarum facere iacturam, quam tales iudicari, imò & aliquod peccat. mort. ex his in quæ homines communiter incidunt ipsis tribul, quàm huiusmodi defectus. Denique deteriores; & viliores se indicant propter tales defectus, quàm ob alia peccata mort. quæ non sunt horrenda, & grauiora. Adieci ita vt propter hos defectus illum contemnat, vel officijs, & honoribus indignum iudicet, quia si non propterea desinat illum in eodē precio habere, & similiter eum apud se reuereri, dignumque iudicare quouis honore, & dignitate propter sua merita, & studiosos mores, sed tantum ex leuibus indicijs illum iudicet ex prosapia Hebræorum, &c. suumque iudicium nulli omnino insinuet iuxta recentiores Thomistas sic iudicans non exercet temerarium iudicium in materia graui, nec. peccat

peccat nisi tantum venialiter, quia ex tali iudicio parum læditur honor fratris, cum nec contemnatur, nec iudicetur indignus honoribus, & officijs, nec vlli occasio offeratur contemnendi ipsum.

Sed dices contra priorem partem huius vltimi consectarijs Viris Christianis, & prudentibus non sunt curanda humana iudicia, nec aliquid damni, vel commodi, honoris, vel contemptus ex eis putant sibi prouenire, iuxta illud 1. Corin. 4. [Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.] Ergo quod habeatur præclaro genere nati, vel vili, sapientes, vel stulti, periti, vel imperiti, nō erit pec. mort. Probo consequentiā, quia hæc iudicia eatenus sunt peccata quatenus nocēt proximis, at illis nihil nocent à parte rei, quia ob meum iudicium nec stultus redditur sapiens, nec contra, nec in eorum æstimatione, cum habeant (si prudentes sunt) despecta omnia iudicia humana. Respondeo honorem, reuerentiam, & famam, quæ proximis debentur pendere, sicut & precia rerum ex hominum æstimatione, & ita licèt iustus, & cordatus vir paruifaciat apud se hominum iudicia, nihilominus, qui temerè de illo iudicat, quantum in ipso est, lædit illius opinionem, famam, & honorem, volens illū apud se istis bonis illum expoliare, sicut detractor lædit reuera famam, & bonū nomen illius cui detrahit, quamuis ipse infamatus pro nihilo habeat illam detractionem, & infamiam, & qui furatur pecunias, lædit proximum suum in eis, etiam si illa haberet vt stercora: vnde D. Aug. & habetur 11. q. 3. cano. Temerarium, [Temerarium, inquit, iudicium non nocet aliquando ei de quo iudicatur, nocet autem maximè iudicanti.

Iam agendum est de iudicijs.

QVAE INDICIA SINT SVFFICIENTIA. & idonea vt iudicium non sit temerarium.

Obseruanda maximè est (quod iam attigimus) imprimis in indicijs qualitas personæ, & delicti aliqua enim indicia sufficient ad iudicandum de vna persona, quæ non sufficient in alia, similiter in eodem homine aliqua sufficient ad iudicandum peccatum aliquod de ipso, ex quibus aliud non licebit nec suspicari quidem. Similiter cum in dubitatione nullus sit assensus, sed animus sit ex æquo anceps, in suspitione sit assensus vnius partis cum formidine alterius, in iudicio verò sit assensus certus, & firmus, maiora, & grauiora indicia exiguntur ad suspicandum, quàm ad dubitandum, & maiora ad iudicandum, quàm ad suspicandum.

Secundò obseruandum est, leuia indicia communiter illa vocari à DD. quæ non sufficiunt, vt prudenter iudicemus de aliqua re, vel suspicemur, aut dubitemus, idonea verò, & sufficientia in vnoquoque genere, quibus illa positis possumus in tali genere prudenter vti, vt idonea ad suspicādum ea quibus licèt illud prudenter suspicari, & sic in alijs: A D. autem Tho. hic ad primum dicitur indicium sufficiens, cum per testes idoneos constat alicuius factum, vbi nō significat hoc solum esse indicium sufficiens, sed proponit illud tanquam vtens exemplo, nam Salomon. 3. Reg. 3. sine testibus protulit iudicium, & non temerarium, sed sapientissimum ex alijs indicijs, similiter si quis hominē, vel ex suo habitu suspectum videat nocte ascendere fenestram domus alienæ, sufficiens habet indicium ad iudicandum, vel suspicandum (& non temerè) hominem illum furem esse, vel adulterū: eodem modo possunt se offerre sine testibus alia signa, & indicia, ex quibus prudenter possumus aliquid de fratre iudicare, vel suspicari. Vel forsan ita locutus est D. Tho. vt insinuaret adeò certa, vel grauia oportere esse indicia, vt possint ferè æquari testibus idoneis ne temerè iudicemus. Vnde magis in particulari, qualia debeant esse iudicia explicemus.

Obseruemus igitur tertiò: iudicium aliud esse exterius, & forense, aliud verò interius, & particulare huius, vel illius priuati hominis, rursum iudicium forense, aut fertur absoluendo, & liberando reum, quod est in fauorem, & commoda eius, aut condemnando illum, quod est illi damnum.

His positis dico primò ad condemnandum aliquem iudicio exteriori, & forensi illa solum esse idonea, & sufficientia indicia, quæ à legibus præscribuntur, de quibus infra q. 69. Ad absoluendum verò, & liberandum reum quando non existunt sufficientia ad condemnādum, potest vti iudex, imò, & debet indicijs, & argumentis probabilibus: sicut fecit Salomon loco citato, vbi ex pio affectu matrem agnouit illius infantis, eique filium adiudicauit, non tamen ex eodem indicio alteram puniuit vt filijcidam, quia valuit quidē indicium illud ad fauendum vni, non tamen ad puniendum alteram. In iudicio autem interiori, & particulari illa sunt idonea, & sufficientia indicia, quæ prudens & timens Deum habita ratione circūstantiarum talis iudicaret.

Sunt autem potissimæ circunstantię tres. Prima tempus, vt in illo exemplo adducto, video hominem noctu domum alienam perforantem, aut scalā fenestræ apponentem secreto, quo potest, si sufficiēs est indicium ad male de illo iudicandum. Similiter si video iuuenem & puellam quos scio non esse sponsos manibus appræhensis lasciuè noctu incedere. Secunda est persona, vel ipsa de qua iudicamus, vel illa a qua delictum alterius audimus. Persona de qua iudicamus, vt si eū de quo iudico constet habere consuetudinem alicuius peccati, ex indicijs quæ in alio essent leuia, licèt in illo firmius iudicare ratione suæ malæ consuetudinis: noui Petrum plerasque mulieres quas alloquitur prouocare ad libidinem. video eum morosè cum aliqua loquentem, licet idem malum de ipso iudicare: illud enim iudicium quod in alio esset leue, in Petro ex sua mala consuetudine graue est & sufficiens. Persona verò à qua delictum alterius audiuimus, vt si vir honestus qui nec alijs detrahere solet, nec temerè vel leuiter rumores de proximis spargere, referat se vidisse Petrum (quem scimus non esse illi inimicum sed potius amicum) aliquod crimen commisisse, idq; referat, vel iusta occasione oblata ob quam oportuit illud referre, vel incidenter nec aduertens quæ referebat, ac citra omnem intentionem nocendi alteri, Petrus quoque non est tantæ authoritatis nec tam honesti nominis, quin probabile sit simile commisisse, tunc ratione personæ referentis cum omnibus circunstantijs hic positis graue ac sufficiens indicium est ad credendum, & iudicandum illud delictum de Petro. Quod si Petrus vir etiam honestus sit & boni nominis, tunc non est certum indicium dictum alterius ad credendum vel iudicandum delictum eius, sed ad dubitandum tantum, & habendum hunc assensum, forsan fecit, cum vir honestus, & qui eum non odit hoc referat, forsan etiam non fecit, cum sit vir studiosus, sed alter deceptus est, & putat se id vidisse. Similiter si fama crimen alicuius sparserit, sed incerta & nullo constans certo authore, non est iudicium certum ad iudicandum, licèt possit iuxta aliquos sufficere ad dubitandum vel suspicandum.

Quamuis vt dicam quod in hac parte sentio, & à nonnullis mei instituti prudentissimis viris sæpe audiui. Famæ nullo certo authore constanti nulla omnino est adhibenda fides, neque ex ea tanquam ex indicio alicuius nomen ei quidquam colligendum. Quia communiter solet vnicus improbus & turpis, primus omniū fingens & mentiens se id ab alijs accepisse, crimen aliquod de proximo referre coram aliquibus sui furfuris, & mira horam illis silere nescientibus tota ciuitas illo rumore repletur: cum sit fama malum quo nō aliud velocius vllum. Afferebat quidam ex his Patrib. mei

mei ordinis ad hoc institutũ illud Matth. 16. vbi Christo interrogante quem dicerent homines ipsum esse, responderunt discipuli alij Ioannem, alij Eliam, &c. quæ falsa erant incerto authore proponentes, at quod certum & verum erat certum etiam habuit assertoré, dicere B. Petro. Ego dico quia Tu es Christus, &c. Ita dicebat hic prudentissimus vir, quod certum videretur habere authorem, si fide dignus sit, credendum est; at quod incertum, & vagum, & cui nullus suum nomen tribuere audet, eo ipso falsum & fictitium est iudicandum. Tertia circunstantia est locus. Est in hoc oppido, vel ciuitate consuetudo occidendi video aliquos noctu onustos armis, concitato gradu, huc vel illuc discurrere, non est temeritas iudicare huiusmodi aliquẽ velle occidere, vel percutere: sunt autem hæc omnia plurimum legibus prudentiæ commensuranda, inter quas nulla potior aut vtilior, quàm vt diximus ab his iudicijs omnino abstinere.

Nunc ad argumenta quibus illa opinio Caiet. confirmabatur. Ad primum rectè ibi respondetur, per iudicium temerarium grauiter noceri proximo in sua bona opinione, & fama: Nec valet quod obijciunt parum referre quod vnicus & priuatus homo de me male sentiat, constat cum satis ex argumentis quibus nostrã confirmauimus sententiã plurimum referre, quia vir prudens mallet pluribus diuitijs se priuari, quàm vel vnicum hominem in materia graui de ipso male sentire. 2. quia ita iudicans contemnit fratrem, in quo iam illi quantum in se est nocet. 3. &. si illi de quo male iudicat in nullo noceret, exponit se graui periculo committendi multa peccata contra proximum, in quo satis sibi ipsi nocet. 4. qui expoliat fratrem iure naturali quod habet vt omnes de illo bene sentiant, donec recta ratio oppositum doceat. 5. quia non seruat vt debet depositum quod natura illi commendauit, sed temere illud effudit, & prodegit, nempe bonam de fratre suo existimationem. 6. quia agit contra prudẽtiam debitam iure naturali, vt exposuimus. Denique eodẽ argum. probaretur non esse pec. mor. reuelare alicui iudicium temerarium: cum inter tot mille hominum parua læsio sit vnum id scire: cum tamen cuiusuis prudentis iudicio graue sit damnum.

Ad secundum dico dupliciter prohiberi, iudicium temerarium, 1. iure naturali communi, Quod tibi non vis &c. 2. iure naturali contento in Decalogo, Non falsum testimoniũ dices ad quod præceptum ostendimus reduci iudicium temerarium. 3. Iure diuino in lege noua Matth. 7. Nolite iudicare, &c. Quæ verba, licèt D. Hiero. & Chriso. non intelligant illa de iudicio temerario, vt in illo argum. adducitur D. tamen Aug. quem alij grauissimi Doctores sequuntur, intelligit ea de iudicio temerario. lib. 2. de sermo. Domini in monte c. 28. tom. 4. Et de concordia Euangeliorum, vt videre est in catena D. Tho. Et D. Pau. Rom. 14. cuius iã meminimus, toto illo capite condemnat iudicia temeraria. Qui manducat non manducantem non spernat, & qui non manducat manducantem non iudicet, &c. Et infra. Tu quid iudicas fratrem tuum? non ergo amplius iudicemus, Iacobi. 4. Nolite detrahere ad inuicem fratres mei, & qui iudicat fratrem suum detrahit legi, & iudicat legem. i. condemnat legẽ, quæ præcipit ne iudicemus. Denique ex argumentis positis constat satis quã prohibita sint omni iure temeraria iudicia.

Ad tertium Respon. iudicium interius per se ordinari ad exteriorem sententiam proferendam, esseque causam, & fundamentum iudicij exterioris, idq; sufficere vt sit contra iustitiam, quemadmodum qui vult occidere fratrem, iam illo actu interiori peccat contra iustitiam, cum ille actus interior ordinetur ad exteriorem occisionem. Dico etiam, iustitiã versari circa operationes exteriores regulariter, & posse quoque versari circa interiores quibus contingit fratrem expoliari suo iure, cum sit ipsius vnicuique ius suum reddere, & ita iudicium temerarium etiam si interius tantum concipiatur esse contra iustitiam, cum fratrem expoliet iure naturali quod habet, vt de ipso omnes bene sentiãt donec recta ratio oppositum exigat.

Ad confirmationem dico ex eo quod iudicium interius ordinetur ad pronuntiationem vocalem quæ pertinet ad detractionẽ, nihil contra nos inferri, imò confirmari quod dicimus, nempe pertinere ad iniustitiam siue infamiam interiorem, sicut & detractio pertinet ad iniustitiam & infamiam vocalem & exteriorem. Non enim distinguimus iudicium temerarium & detractionem tanquam duas species cũ habeant idem obiectum formale nempe damnum quod infertur in bona opinione proximi, sed facimus eiusdẽ speciei & eiusdẽ præcepti, distingui quæ solum sicut interius & exterius, sicut voluntas occidendi & occisio externa.

Ad quartum respond. imprimis tales iocos non esse ciuiles, neque vrbanos, sed habere parum salis & multum peccati, vel saltim periculi. Deinde dico, audientem tales iocos & propter eos malè iudicãtem de fratre in re graui peccare mort. quia ex leui indicio ita iudicat, propter dictum enim alicuius non statim iudicandum est male de proximo in re graui, nisi ille seriò id dicat, sitque vir honestus, & qui non solet fratribus suis detrahere, & cum alijs circũstantijs quas proximè exposuimus, agentes, de indicio quod sumendũ est ex persona à qua delictum alterius audimus, peccat quoque mortaliter qui illis locis vtitur, quando ex eis audientes & circunstantes facilè possunt in re graui sinistra de proximis iudicia concipere, Est si quidem ponere cæcis offendiculum, & proximis probabilem occasionem peccandi, nisi iam adeò leues sint loci, & cum talibus circunstantijs, vt ex illis iudicia temeraria formare, non iocis sed malitiæ tantum audientis quiuis prudens tribueret. Quod autem aliqui hæc non confiteantur, vel non interrogentur parum refert, solent enim homines plerique de suis conscientijs esse parum solliciti, nec omnia sua delicta diligenter inuestigare, iusti autem, & timorati accusant se, si quando tales iocos protulerunt, & a peritis confessarijs interrogantur. Sunt enim hi ioci & similia quæ homines parui pendunt, velut venditio illa primogenituræ quã fecit Esau, qui cum grauiter deliquisset, abijt paruipendens, quod primogenita vendidisset, propter quod de delictis quæ ore passim imprudentes committimus esset semper orandus Deus. Ab occultis meis munda me Domine.

Ad vltimum facilis est solutio. Qui temere iudicat aliquem esse sanctum, est quidem imprudẽs, posset que nocere ipsi homini & Reipub. qui sæpe hypocrisis aliquorum nociua est, absolutè tamen & simpliciter loquendo nulli infertur iniuria aliqua, vel nocumentum ex tali deceptione, quod hic habeatur pro sancto, cum sit improbus, at temere de fratre iudicando & in re graui grauis illi infertur iniuria & nocumẽtum, vt ex dictis constat. Nec fauet Caiet. D. Tho. non enim aiunt Docto. Sancti. omnem dubitationem vel suspicionem esse pec. venia. sed illam qua quis incipit dubitare & suspicari, quæ est velut primus motus ortus ex fragilitate humana, quam statim ratio moderatur, & per quam non tollitur amicitia, nec frater læditur nisi leuissimè vt vidimus in prima conclus. ex doctrina D. Tho. At præter istas sunt aliæ dubitationes & suspiciones, per quas grauiter læditur frater, & sunt peccata mort. quamuis sint cum aliqua formidine, vt videbimus: & ita iudicium temerarium quamuis habeat aliquam formidinem, quam necessario debet habere, cum non pertineat (vt diximus) neque ad euidentiam, neque ad scientiam, neque ad fidem infusam, sed ad humanam, quæ est opinio, grauiter tamen nocet fratri: quo fit vt ratione istius formidinis non desinat esse pec. mort. in re graui. Similis controuersia offert se nunc disputanda de suspicione & dubitatione. Nempe,

AN TEMERE SVSPICARI VEL DVbitare aliquod malum de fratre sit ex suo genere pec. mort.

CAiet. locis citatis praeced. controu. sicut illud tantum iudicium temerarium facit pec. mort. quod certum est, & sine vlla haesitatione, ita quoque suspitionem & dubitationem de malo fratris, cum includant in se assensum incertum, & cum formidine vt voces ipse sonant, vult esse peccata tantum venia. Eandem sententiam sequitor Soto lib. 3. de Iust. q. 4. ar. 3. atque certissimam esse istam regulam Caiet. Addit tamen, in criminibus maximè infamibus & horrendis propter atrocitatem delicti vel solam suspitionem aut dubitationem ex leuibus inditijs esse pec. mortale.

Colligunt imprimis haoc senteutiam ex D. Tho. qui in hoc artic. constituit tres gradus suspicionis ex leuibus inditijs, in primo collocat dubitationem & suspitionem, in secundo iudicium temerarium, in tertio condemnationem de sententia iudicis, & ex his secundum, & tertium gradum facit peccata mort. primum verò venia. tantum. Et confirmatur ex D. Au. tract. 90. in Ioan. quem citat hic. D. Tho. sub nomine Glossae. 1. Corint. 4. vbi ait Suspiciones nos vitare non posse, sed pertinere ad tentationem humanam, sine qua vita ista nō ducitur. Quo sermone apertè facit D. Aug. suspitio nes pec. venia. cum sine mort. possit quidem vita ista duci. Quod si suspitio pec. venia. tantum est, multo potius erit quoque venia. dubitatio, cum minus credat malum de fratre qui dubitat, quàm qui suspicantur.

Secundò. Suspitio etiam vehemens & in materia graui non despicit nec contemnit frattem, cum hoc sit proprium iudicij, vnde nullam aut certè exiguam & leuem illi infert in iutiam, & ita tantum erit culpa venia.

Tertiò actus qui ex suo genere est pec. mort. ex imperfectione redditur veniale, iudicium temerarium quo certo credimus malum de fratre est pecc. mort. ex suo genere, suspicio est quid imperfectum in genere iudicij, cum non sit assensus vt iudicium, sed solum quidam timor ao malum illud sit. Ergo.

Oppositum docent multi ex recentioribus & viri peritissimi, asserentes grauem suspicionem, vel dubitationem de aliquo delicto fratris, in materia graui ex leuibus indicijs esse pec. mort. ex suo genere. Quod ostendunt, quia eo ipso quo aliquis suspicatur de me delictum, quod repugnat bonae existimationi, quam de me debet habere, laeditur iam apud ipsum mea existimatio & fama, & adeo vt mallet qui vis studiosus vir vel mulier multis pecunijs se expoliari, qoam talem suspicionem de ipsis haberi. Quae argumenta efficacissima sunt & quibus experientia abundè fidem facit.

Vnde hac distinctione existimo hic opus esse vt sicut in rebus fidei, & similibus duplex contingit dubitatio, quaedam leuis & repentina orta ex fragilitate humana, qua & viri iusti multoties tentantur, vt exercetur eorum fides, & humilitas, alia verò morosa & deliberata: inter quas hoc inter est, vt priorem illam statim moderentur & comprimant recta ratio & fides, propter quod nec habentem reddit infidelem, nec est peccatum mort. sed venia. tantum, posteriorem verò non moderantur ratio, & fides, sed ita detinetur in ea animus sciens, & volens, vt quamuis intellectus non assentiatur errori, non tamen assentitur vt debet veritati catholicae, quin potius iudicat illam incertam, & habet deliberatae siue per multum tempus siue per breue hōc assensum, hic articulus aut haec propositio non est omnino certa, quae dubitatio est pec. mor. destruens fidem, & reddens habentem illam infidelē, & de qua dicitur. Dubius in fide infidelis est. Quia cum error sit ex D. August. Quando vera pro falsis aut falsa pro veris, aut certa pro incertis, aut incerta pro certis iu lica mus, Sic dubitans assentitur deliberatè errori contra fidem, habent pro incerto qood certissimū est. Eodem modo suspitio vel dubitatio de aliquo delicto fratris in materia graui ex leuibus indicijs duplex esse potest, quaedam leuis & repentina, velut quidam primus motus non plenè voluntarius, sed praeueniens rationem, quem tamen statim moderatur & comprimit recta ratio, quae suspicio vt antea in hoc art. dicebaotus oascitur ex fragilitate humana, estque velut tentatio, quotidiana, qua etiam viri iusti, & timorati multoties affliguntur: alia verò est grauis, morosa, & deliberata, quā non repellit oec moderatur recta ratio, sed illam habens scit se malum suspicari de fratre, & ex leuibus indicijs, & nihilominus vult illam suspicionem & dubitationem habere, qua & si non certo credat malum de fratre, credit tamen habetque hunc assensum virtutem & honestatem fratris illius non esse ita certam, sicut antea, quando nullam habebat suspicionem, vel dubitationem, existimabat. Hoc posito. Sit.

PRIMA PROPOSITIO.

Suspicio leuis, & repentina, & qua est velut primus motus etiam si sit in materia grauissima ex leuibus indicijs peccatum tantum venia. est.

HAec concl. coincidit cum prima concl. D. Th. initio huius ar. proposita. Et probatur eisdem argumentis. Et confirmatur: nam huiusmodi dubitatio vel suspicio etiam in rebus fidei oum sit velut primos motus non est pec. mort. sed tantum venia. Ergo neque erit mort. quando pertinebit ad mores proximorum. De hac suspicione loquitur D. Aug. quando dicit. Suspiciones nos vitare non posse, sed pertinere ad tentationem humanam sine qua haec vita duci non potest. Et D. Tho. quando suspicionem & dubitationem quam constituit in primo gradu suspicionis, facit tantum veniale. Haoc esse mentem D. Tho. constat apertè ex verbis ipsius, cum in primo gradu constituat suspicionem, qua homo ex leuibus indicijs incipit dubitare: vbi consulto non dixit qua dubitat, sed qua incipit dubitare, vt significaret, non pertinere ad hunc gradum, neque esse venialem illam, quae est iam deliberata, & perfecta, ac consumata sed eam, quae incipit, quae imperfecta est, & repentina, nec dum deliberata, hanc esse venialem, illam verò posse esse mort. Incipit enim dubitatio, vel suspicio, quando est primus motus animi, perficitur verò accedente deliberatione, Confirmatur idem ex alijs verbis eiusdem, Suspicionem enim & dubitationem primi gradus quam facit D. Tho. venialem, dicit eam D. Aug. pertinere ad tentationem humanam, certum autem est solas suspiciones leues, & quae sunt velut quidam primi motus pertinere ad tentationem humanam, deliberatas verò cum oon tam sint ex humana fragilitate quàm ex malitia, pertinere ad tentationem diabolicam.

SECVNDA PROPOSITIO.

Tam dubitatio grauis, & deliberata, qua quis ex aequo est anceps quàm suspicio grauis, & deliberata ex leuibus indicijs in materia graui, maximè circa personas honestas, & habentes in precio suam existimationem, est pec. mort.

DIco circa tales personas, nam circa viles, & abiectas, quarum honor parum, aut nihil omnino refert, neque ipsis aliqua cura est de sua opinione, venialem taotum est, Quia huiusmodi personis nullum ferè, aut maximè exiguum infertur nocumentum, quando aliqoid mali de ipsis suspicamur, vel dubitamus. De personis verò honestis probatur conclusio. Hae personae ex tertia obseruatione praeced. controuer. habent ius à natura, non solum ne habeatur mala de ipsis existimatio, verum etiam vt habeatur bona, donec iustè ob sua demerita oppositum dictet recta ratio, leuia

indicia

indicia non sunt sufficientia demerita ad priuandum illas isto iure, nec dictat recta ratio, vt ob leuia indicia non habeatur de personis honestis optima opinio, quã primum autem suspicamur vel dubitamus de illis aliquid mali in materia graui, (etiam si non habeatur de illis mala opinio,) cessat tamen iam haberi bona, & priuantur suo iure, ergo afficiuntur per talem suspicionem, & dubitationem iniuria in materia graui, omnis vero iniuria qua afficitur proximus in materia graui pecc. motr. est. Ergo.

Secundò sufficeret talis suspicio, & dubitatione prælatus, vel superior conferret illi de quo sic dubitat aliquod officium vel beneficium, imò de facto extante tali suspicione non conferret, hoceft graue damnum fratris, & sine iusta causa, cum si ex leuibus iudicijs. Ergo pec. mort.

Tertiò. Cum tota bonitas, vel malitia actus extremi summatur ex interiori a quo procedit, si actus exterior est pec. mort. & interior quoque, sed si quis interrogatus de muliere honesta, vel viro studioso, qui bene audiunt, an sint personæ honestę, propter sola leuia indicia, quę hêt respõdeat, ne scio, neutrum valeo affirmare, peccat mortal. quia hoc sermone infamat illos ex leui causa quantum in ipso est, ergo, & dubitatio, vel suspicio interior ex leuibus indicijs a qua procedit illa responsio, est etiam pec. mort.

Quartò. Nullus vir prudens, vellet talem suspicionem, vel dubitationem ex leuibus indicijs in materia graui de se haberi, Ergo illam habere de alio apertè est contra præceptum naturale: Quod tibi non vis, & cum sit in materia graui consequenter est pec. mort. Et confirmatur, quia quiuis prudẽs intelligens talem suspicionem, vel dubitationem de ipso haberi, molestissimè id ferret, grauemque iniuriam iudicaret sibi irrogari. Et sic de ipso suspicantem, aut dubitantem non haberet, vt amicum, sed vt inimicum, & sui contemptorem, adeo, vt D. August. lib. de Amicitia ca. 24. suspicionem appellat venenum amicitiæ. Quæ omnia apertè ostendunt huiusmodi suspicionem, vel dubitationem esse pec. mort. cum propter easdem causas, & damna iudicium temerarium in materia graui probatum sit præced. controu. esse pec. mort.

Quintò omnia illa testimonia ex B. Paulo & B. Iacobo quibus ostendimus condemnari iudicia temeraria, certum est eo tendere, hocque fuisse potissimum institutum Apostolorum in illis, auertere homines à iudicijs internis, quibus communiter ex leuibus iudicijs malè iudicant de fratribus suis, iudicia autem ista in quæ plerumque homines incidunt, & ex quib. communiter oriuntur murmurationes detractiones, & infamiæ, non sunt illa certa, & determinata, quæ propriè dicuntur iudicia, sed hæ dubitationes, & suspiciones graues, & deliberatæ de quibus hic agimus. Ergo hę suspiciones damnantur etiã ab Apostolis in illis locis.

Sextò istæ suspiciones, & dubitationes quas Caier. & Soto faciunt tantum pec. venia. secũdum ipsos sunt peccata contra iustitiam, quia sunt cum aliqua iniuria fratris, at peccatum contra iustitiam. Ex D. Tho. & ipsis met q. præced. ar. 4. est mort. ex suo genere, redditurque tantum venia. aut ex leuitate materiæ aut ex imperfectione deliberationis, vt ibi docuimus. Ergo hæ suspiciones, & dubitationes cum sint contra iustitiam, & cum iniuria fratris, & deliberatę, ac in materia graui, pec. mor. sunt ex suo genere. Et confir. pec. ex suo genere veniale nunquam fit. mort. (circa quamcunque materiam versetur) nisi transeat in aliam speciem, & sit contra aliam virtutem, quia tunc iam mutat genus, & naturam, nec est illud, quod antea erat: vnde si hæ suspiciones essent veniales, semper essent veniales, etiam si versarentur circa materiam grauissimam, nec possent esse mortales, nisi desiderent esse suspiciones, & transirent in aliam speciem, nempe in iudicium certum, & temerarium: quemadmodum mendacium officiosum quamdiu tale est, nunquã est mortale, circa quamcunque materiam versetur, nisi transeat in aliam speciem, nempe in nociuum, periurium, vel sacrilegium: at ex M. Soto. suspicio, vel dubitatio in materia grauissima, & circa crimina atrocia est pec. mort. etiam si non transeat in aliam speciem, sed maneat semper intra limites suspicionis. Ergo suspicio, & dubitatio de honestate fratris simpliciter, & ex suo genere non est venialis sed mort.

Denique viri iusti, & timorati de huiusmodi suspicionibus, & dubitationibus grauibus, non minus sibi cauent, quam de iudicijs temerarijs, & si quando in illas incidunt, accusant se de eis tanquam de mort. Et similiter à confessarijs peritis interrogantur, vt dijudicent, fueriut ne mort. an venia. habẽt enim magnam affinitatem cum iudicijs temerarijs, & multoties sunt mortales. Quo fit, vt omnia illa argumenta, quæ ostendunt iudicium temerarium in materia graui esse pec. mort. confirment quoque quæ hic docemus de huiusmodi suspicionibus. Ex quibus patet regulam Caiet. quam Mag. Soto adeo certam iudicat in hac parte falsam esse, cum non modo iudicium temerarium cum certitudine conceptum pec. mort. sit, verum etiam illud quod fit cum formidine, quin etiam quævis suspicio, vel dubitatio grauis, & deliberata ex leuibus indicijs in materia graui.

Argumenta in oppositum facilè erit nunc diluere.

Ad primum satis constat D. Tho. suspicionem illam facere venialem, & collocare in primo gradu, quæ leuis est, & repentina ac velut primus motus. Quod etiam potest constare ex art. sequenti vbi habet malam opinionem habere de aliquo sine sufficienti causa esse cum iniuria, & contemptu fratris, & consequenter esse moria. certum autem est suspicionem grauem de qua hic loquimur esse quandam opinionem mali alterius sine causa. Diuus etiam August. de eadem suspicione leui, vt vidimus loquitur.

Ad secun. respon. satis lędere & cõtemnere fratrem suspicantem vel dubitantem de ipsius honestate, cum non habeat de eo illam bonam existimationem, quàm antea habebat, idque temere ac sine iusta causa: Vbi obseruandum est, esse gradus quosdam inter dubitationem, suspicionem, & iudicium, Iudicium enim temerarium cum certo credat malum de fratre illa certitudine morali, quam exposuimus, est perfectissima iniuria, & despectus proximi, & ita habet primum gradum, estque in hoc genere peccatum omnium grauissimum, Dubitatio eo quod non est assensus, imò nec actio intellectus, sed potius quædam suspensio & velut ligatio ipsius, qua prohibetur ne in hanc vel illam partem moueatur assentiendo vel dissentiendo est imperfectior iniuria & contemptus, & in hoc genere pec. mortale omnium infimum. Suspicio verò cum sit quoque assensus vnius partis, sed non cum illa certitudine iudicij. imò cum maxima formidine, tenet medium locum inter hæc peccata, est enim iniuria & despectus fratris non ita grauis vt iudicium, sed grauior dubitatione. Omnes autem sunt iniuriæ fratris, cum tollant illam bonam opinionem vel maximè minuãt, quæ de ipso habenda est, & consequenter in materia graui pecc. mort. etsi in æqualia.

Ad tertium dico suspicionem non esse actum perfectum eo modo, quo est iudicium, est tamen cum sit deliberata, actus perfectus in suo genere, quod sufficit vt sit pec. mort. Propositio enim illa, actum qui ex suo genere est pec. mor. ex imperfectione reddi venia. non intelligitur ex imperfectione in alio ordine, peccata enim cogitationis imperfectiora sunt peccatis operis, nec propterea desinunt esse mor. sed dicuntur imperfectiora, quia sunt alterius ordinis, & veluti inferioris, sed intelligetur ex imperfectione deliberationis, quia non sunt plenè deliberata, sed velut primi motus. Vnde in proposito suspicio quæ non est deli-

berata

berata, nō est morr. at quæ deliberata est, mortalis est, non enim est imperfectior iudicio, tanquam ex imperfectione deliberationis, sed tanquam actus inferioris ordinis in tali genere.

Quærere aliquis hic posset primò, An iudicium, suspicio, vel dubitatio quæ per breue tempus in animo durant sint pec. mort. quando fiunt in materia graui, & ex leuibus indicijs. Secundò, quando ego prudenter & non temerè suspicor, vel iudico aliquod malum de fratre, liceat ne mihi illam suspicionem, vel iudicium alijs aperire & reuelare? Facilè ex dictis possunt hæc explicari.

Ad primū enim dico si iudiciū vel suspicio per tempus adeò breue existant in animo, vt sint repentina & præueniant iudiciū, ac deliberationē rationis, esse tantum venia. vt dictum est. Si verò accedat iudicium & deliberatio rationis, etiam si per breue tēpus durent, esse mort. quia sufficit ad pec. mort. deliberatus cōsensus in malum obiectum, eo enim ipso quo deliberatus est, natura sua est constans, atque perpetuus. per accidens autem est, quod duret per breue vel multū tempus vt qui furatur rem aliquā animo accipiendi, & retinendi illam, & si statim pœniteat ac restituat, & per breuissimum tempus apud se habeat, est pec. mor. furti.

Ad secundum dico: non licet etiam quæ prudenter suspicamur aut iudicamus alijs reuelare, quando illud secretum est, aut si similis suspicio vel iudicium existit in alijs, sed leue vel non ita graue, augebitur verò nobis reuelantibus quæ suspicamur vel iudicamus, sicut non licet delicta occulta quæ vidimus alijs manifesta re illa ignorantibus, neque his, qui aliquid circa illa norunt, nostra autem manifestatione certius illa crederent, quando verò res est alijs omnino perspecta, nec illorum iudicium vel suspicio nostro dicto augebitur, ita vt nec fratri de quo iudico maior læsio in opinione sua accedat, nec audienti occasio ad firmius vel certius iudicandum aut suspicandum offeratur, tunc licebit citra pecca. mort. sed erit venia, quia ad minus est malè loqui de fratre, nisi in aliquam vtilitatem vel emendam ipsius aut aliorum id fiat.

ARTICVLVS IIII.

An dubia sint in meliorem partem interpretanda.

Obseruemus initio ex D. August. lib. c. de sermone domini in monte cap. 18. res, & facta proximorum in triplici esse differētia, quædam enim sunt quæ videntur mala, & re vera talia quoque sunt qualia videntur, vt fornicationes, homicidia, quæ nullo modo possunt benè fieri, alia sunt ex se ipsis bona, quamuis possint fieri malo fine, quia malitia humana ea est, vt bonis etiam rebus quandoque vtatur in malum finem, huiusmodi sunt eleemosyna ieiunium, &c. Alia verò sunt in differentia, quæ possunt bene, & malè fieri, vt comedere carnes in quadragesima, potest enim hoc fieri, aut ratione salutis ex concilio medici aut ex gula, aut ex contemptu præcepti Ecclesiæ. Iudicare malos exercentes res primi generis non est peccatum, quia tale iudicium est rectum, & prudentissimum, de huiusmodi enim dixit Christus inquit D. Aug. A fructibus eorum cognoscetis eos. Iudicare autem malas res secundi generis, & malos illos exercentes, quando non constat certo de intentione agentis, est peccatum grauissimum, & quædam blasphemia in Spiritumsanctum, qui author est omnis boni, & charitatis qua ista fiunt in Dei gloriā, similis blasphemiæ Pharisæorum, qui opera, & miracula Christi facta in digito Dei, idest, virtute Spiritus sancti tribuebant Demonijs, dicentes illa fieri in virtute Beelzebub. Vnde quæstio huius art. est de indifferentibus potissimè, eque natura sua nec mala sunt nec bona, sed possunt benè, vel male fieri.

Obseruemus secundò de huiusmodi actionibus indifferentibus bifariam posse dubitari, vel ex idoneis & sufficientibus indicijs, vel ex leuibus, dubitare ex leuibus indicijs in re graui maximè in personis honestis pec. mor. est vt vidimus præced. ar. quia per talem dubitationem quem antea iudicabamus bonum, licèt deinde non iudicemus malum, desinimus tamen tenere, & sine iusta causa iam iudicare bonū, quod non potest esse sine iniuria, & contemptu illius. Quæstio ergo est, quando existunt indicia quæ licèt non sufficiant ad iudicandum malum aliquod de fratre, sufficiunt tamen arbitrio prudentium ad suspendendum actum, & dubitandum de bonitate illius, sit ne bona qui illud egit, vel egerit ne illud bono animo, & intentione, oporteat ne sub pęna pec. mortalis in tali casu quod ita dubium est, in meliorem partem interpretari.

His positis respondet D. Tho. propositæ quæst. vnica conclusione affirmante, quam sic probat, Nullus est priuandus suo iure, vel contemnendus sine sufficienti causa, habet autem vnusquisque hoc ius à natura vt habeatur bonus, ergo quamdiu non se offert sufficiens causa in oppositum habendus est bonus, aliter iniquè contemnitur, & afficitur iniuria, sufficiens causa sunt manifesta indicia mali. Ergo quamdiu non extiterint manifesta indicia mali frater habendus est bonus, vbi res est dubia non sunt manifesta indicia mali (quia si essent, iam non esset res dubia, sed illa pars esset moraliter certa, quàm illa indicia manifesta, & sufficientia ostenderent.) Ergo in re dubia adhuc frater est habendus vt bonus: non potest autem in re dubia haberi adhuc vt bonus, nisi rem illam dubiam interpretemur in melius, Ergo.

Contra hanc conclusionem Diui Thomæ nonnulla se se offerunt, quæ illam reddunt aliqua ratione difficilem.

Primò verba quibus præcipimur in sacris litteris bonam habere de fratribus nostris existimationem, & quibus prohibemur illos, despicere, vel contemnere, sunt illa, Nolite iudicare, &c. & similia, quæ omnia significant iudicium intellectus, sed qui dubitat non iudicat, quin potius hæsitat. Ergo dubitare & hæsitare, neque in bonum neque in malum factum fratris conuertendo, non est prohibitum, si sufficiant indicia ad dubitandum.

Secundò. Nemo tenetur extra casum necessitatis exhibere honorem, vel beneficium aliquod fratri, maximè cum proprio damno, sed qui in re dubia declinat in meliorem partem, exhibet honorem fratri cum damno proprio, & extra casum necessitatis, ergo nemo tenetur quæ dubia sunt in melius interpretari. Maior certa est, minorem ostendo, imprimis id fieri cum damno proprio. Error, & deceptio est malum & damnum intellectus, at interpretando dubia in meliorem partem (experientia teste) sæpè decipimur & erramus, ea enim est hominum prauitas, vt vbi apparent indicia mali, etsi sufficientia ad solum dubitandum, frequentius ibi malum operentur homines quàm bonum. Ergo. Nec obstat quod aliqui dicunt, iudicium singularium, non esse perfectionem intellectus, quamuis non sit perfectio intellectus speculatiui, est tamen perfectio intellectus practici, vt docet idem D. Tho. 3. p. q. 11. ar. 1. ad 3. Et confirmatur, quia prudētia iudicat de operationibus singularibus quam constat esse perfectionem intellectus practici. Quod autem non sit necessarium, ostendo, quia casus necessitatis est ad exhibendū honorem fratri, quando vnum è duobus est necessariò præstandum, aut contemnendus vertendo illud in malum, aut honorandus vertendo in bonum, sed cessat hęc necessitas suspendendo actum mentis, ita hæsitando propter indicia, quæ sufficiunt ad hæsitandum, vt animus maneat ex æquo anceps in neutram partem illud conuertendo.

Et

Et confirmatur hæc pars. Quando frater operatur bonum licet mihi cessare ab omni actu positiuo & elicito iudicij, nihil omnino iudicando, nec curando de illo facto fratris, quia nullo præcepto teneor aliquem actum circa opus illius elicere, ergo cur non licebit similiter, quando exercet aliquid quod prudenter dubium est, suspendere actum iudicij, & in neutram partem illud interpretari.

Tertiò iudicium quod potest haberi in confessione sacramentali, potest etiam haberi extra illam, cum vbique debeat esse rectum, & verum, sed in confessione sacramentali, tàm dubia propria, quàm aliena licet & expedit interpretari in peius, vt si dubitem an peccatū meum vel eius qui mihi confitetur sit mort. vel veniale, si existat sufficiens causa ad dubitandum debeo interpretari in peius, & sub conditione me accusare, vel admonere illum qui mihi confitetur, vt accuset se ipsum tanquam de morte.

Quartò. Referat Ioannes vir honestus aliquod malum graue de Petro viro etiam honesto; propter quod iustè dubito an ita sit vt Ioannes refert; cum videam vtrumq; esse virum honestum; considerata honestate Ioannis non possum mihi persuadere ipsum mentiri, similiter considerata honestate Petri non possum etiā mihi persuadere delictum illud esse ab eo commissum, in hoc casu si dubium istud interpretor in melius, credendo Ioannem virum honestum non mentiri, infero grauem iniuriam Petro, quia credo ex causa dubia graue malum de ipso: similiter si interpretor in melius in fauorem Petri, iudicando ipsum nihil tale commisisse, infero iniuriam Ioanni iudicans illum mendacem, ergo in hoc casu aut suspendendum est necessariò iudicium, aut alteri ex his inferenda iniuria.

Denique si in re dubia frater habet ius vt habeatur bonus, & tenemur declinare in meliorem partem, non ita declinare, sed manere ancipitem, & dubium, esset peccatum contra iustitiam, & in re graui mor. quia peccatum contra iustitiam, vt sæpè diximus ex suo genere est mort. At ex eodem D.Thom. ar. præced. dubium ex sufficientibus indicijs veniale tantum est; Hæc argumenta occasionem obtulerunt & meritò discipulis D. Tho. sunt examinanda diligenter hoc loco.

QVA RATIONE SIT INTELLIGENDA ista regula D.Th. Dubia in melius esse interpretanda.

Dvobus modis potest hæc regula explicari, negatiuè, vel positiuè, Negatiuè vt cum oblata aliqua re dubia suspendimus actum, neque benè, neque male de fratre iudicantes, positiuè verò, quando illa oblata elicimus actū, habentes hunc assensum illā benè fieri.

Caiet. vult in huiusmodi dubijs in quibus sunt sufficientia indicia ad dubitandum, regulam istam intelligendam esse negatiuè, ita vt non interpretemur: illa in peiorem partem, sed possimus suspendere actum, & habere nos mere negatiuè, qd si id non valeamus, nec vellimus suspendere actum, sed elicere, debeamus tūc illa interpretari in melius: quā expositionē ita probat.

Nemo tenetur iudicare de rebus nisi quatenus earū natura exigit, res dubia secundum suam naturam neutra est, nec magis inclinat ex se in vnam partem quàm in aliam, Ergo licebit mihi in re ita dubia manere anceps & neuter, in nullam partem declinando, quod est suspendere actum.

Secundò ius naturale tantum exigit vt non priuem fratrem suo honore, nec contemnam illum, malè iudicando de illo sine sufficienti causa, suspendendo actū non priuo illum suo honore, nec contemno illum, nec iudico malè de illo, id enim esset si dubium illud interpretarer in peius. Ergo.

Mag. Soto lib. 3. de iust. q. 4. art. 4. recedit ab hac sententia Caiet. docens intelligendam esse istam regulam passiuè, ita vt oblata re dubia non sufficiat suspendere actum, & manere ancipitē, sed teneri nos ad eliciendum actum potissimum positiuum, interpretando illam in melius. Ratio potissima ipsius est, aut is qui exercet rem illam dubiam erat antea mihi notus, & habitus bonos ac honestos vir, aut illum omnino non noui. Si prius, teneor factom ipsius boni consulere, quia suspendendo actum, & dubitando, dubito simul de bonitate ipsius, & muto iudicium & opinionem, quam antea de ipso habebam, cum antea absolutè & sine vlla dubitatione iudicarem eum bonum, mox verò (etsi non iudicem malum, sed bonum) habeo tamen tale iudicium de ipso cum dubitatione, mutare autem existimationem, quam antea de fratre habebam non licet, nisi vbi existunt sufficientia indicia ad iudicandum malum, Ergo. Et confirmatur: quia quem antea simpliciter ac extra omnem dubitationem iudicabam bonum, iudicare deinde bonum cum dubitatione, est reuera priuare illum suo honore, & iure, quod haberi, vt simpliciter iudicetur bonus, quod non licet vt habet hic D.Tho. nisi existant sufficientia indicia mali, quæ in re dubia non existunt. Quod si illum non noui, quamuis res dubia ex se nata sit generare assensum dubium, nihilominus ius naturale, quod habet quiuis frater vt iudicetur bonus, quamdiu non occurrunt manifesta indicia mali, exigit etiam, vt factum ipsius aliòqui dubiū boni consulatur: quæ est ratio D.Th. in hoc ar.

Ad intelligentiam huius dubitationis obseruemus primò, aliud esse iudicium de rebus, & aliud de personis: de rebus quidem. quādo res ipsas iudicamus quales sint secundum se, considerata tantum propria, & priuata ipsarum natura à parte rei, quod iudicium est speculatiuum, & nisi alio transferatur, nullum damnum infert proximo, neque in honore, neque in fama, iudicium autem, quo iudicamus de personis, est illud quo iudicamus intentionem & animum agentis, quod est maximè difficilè & periculosum, difficilè quidem, cum solus Deus intueatur corda hominum, & periculosum, quia in eo agitur de honore, & fama proximi. Hæc duo iudicia possunt seorsum distingui & alterum sine altero haberi maximè in rebus speculatiuis; Profert Petrus aliquam propositionem, possum ego iudicare illam secundum se hæreticam, & nihilominus iudicare simul Petrum ipsum virum catholicum & fidelissimum, iuxta illud D. August. [Hæreticare potero hæreticus autem non ero.] In moralibus tamen & in actibus virtutis, vel vitij, iudicare de facto fratris, vel dubitare de bonitate illius, & non iudicare de persona, vel non dubitare de bonitate illius, verbi gratia, iudicare opus Petri malum vel dubitare de illo, & iudicare Petrum virum honestum 3. difficillimum est, vt docet D.Tho. quolib. 12. art. 3.

Obseruemus secùdò, plurimum interesse inter eum quem iā nouimus, & de quo habemus conceptā opinionē actu & in particulari, esse virū honestū & probū, & eū quem non nouimus, nec scimus in particulari mores illius, sed iudicamus eum bonū cōi illo & generali iudicio, quo oēs quos non nouimus certò malos, opinamur bonos. Est aūt hoc discrimen inter istos, quod suspendere actum circa bonitate prioris, est reuera mutare opinionē quā de illo habebā, cum antea illū certo, & in particulari iudicarē bonum, postea verò qñ dubito vel suspendo actum, (licèt non iudicē illum malū) non tamē certo & in particulari iudico ipsum bonū. Suspendere aūt actum iudicijs circa bonitatem secundi, non est mutare opinionē, cum in particulari & certo, nec bonum nec malum illum antea iudicarem aut scirem, sed illo tantum generali & communi iudicio, quod potius est ignoratio morū fratris quam iudiciū.

Obseruemus tertiò, bifariam posse nos aliquid interpretari in peius, aut diffinitiuè & assertiuè, iudicando quod potest bene vel male fieri, reuera malè fieri, aut ex suppositione ad cautelam & remedium, quod fit quando id quod potest bene vel male fieri, non iudico quidem malè fieri, sed tantum posse, & hoc supposito

posito posse illud malè fieri, timeo ne forsan fiat, & ex tali timore iuxta leges prudentiæ studeo occurrere malo, quod posset euenire.

Denique statuendum est hic quod iam initio huius artic. admonuimus, non esse hic quæstionem de dubitatione in re graui ex leuibus indicijs, huiusmodi enim esse pec. mor. maximè circa personas honestas iam constat ex art. præced. sed hic tantum nos agere de illa dubitatione quæ ex idoneis, & sufficientibus indicijs ad dubitandum nascitur.

PRIMA PROPOSITIO.

Oblata re iustè & prudenter dubia, considerando illam secundum se tantum & a parte rei sine ordine ad personam, non tenemur illam actu positiuo vertere in melius, neque etiam licèt illam vertere in peius, sed possumus suspendere actum in nullam partem declinando.

Hanc probant argumenta illa ab initio proposita, & quæ deinde adiecimus nomine Caiet. Omnia enim illa procedunt de re dubia secundum se sumpta, nulla habita ratione personæ. Et confirmatur, Potest haberi iudicium seorsum de sola re secundum naturam ipsius rei, nihil iudicando de persona, res autem dubia secundum suam propriam naturam non relata ad personam in nullam partem inclinat, neque vllum producit in animo assensum: Ergo oblata re dubia, & ea sola considerata sine ordine ad personam, licèt suspendere actum: Maior constat ex prima obseruatione huius controuer. quia ista duo iudicia vnum solius rei, quod est purè speculatiuum, & aliud personæ quod est practicū sunt distincta, potestque vnum sine altero seorsum haberi: Minor verò patet ex ipso nomine rei dubiæ, ideo enim dicitur dubia, quia ex æquo in nullam partem inclinat, sed habet rationes vel indicia ex æquo in vtramque partem.

Secundò confirmatur (intellectus talem producit actum vel assensum quale est obiectum quod ipsi offertur, sed res dubia quæ in nullam ex æquo inclinat partem, est obiectum quod nullum actum vel assensum natum est generare, sed relinquere illū perplexū & ancipitē: Ergo talem rem cōsiderando, licèt esse ancipitem, & suspendere actum: Imò hoc ipsum exigit recta ratio, & prudentia, vt tali re oblata & secundum se sumpta suspendatur actus, esetque oppositum alicuius imprudentiæ. Probatur. Suspendendo actum in nullo lędo proximum, nec in fama, nec in honore, nec cōtemno ipsum, sed manet semper apud me salua eius opinio, quia solam rem speculatiuè contemplor, nulla habita ratione personæ, eliciendo autem actum non licet elicere in peius, (in quo omnes conueniunt) quia esset male iudicare de facto proximi sine iusta causa, cum res sit secundum se dubia, neque in melius quia ita iudicans offert se apertè omnium etiam consensu periculo incidendi in falsum iudicium & deceptionem, non solum iudicio speculatiuo, iudicando bonū quod forsan malum est, verum etiam iudicio practico, quia ex eo ipso quo factum illud interpretor in meliorem partem & bonum, propono illud in exemplar meum, Et hoc fine iusta etiam causa, quia proximus non indiget tali iudicio vt modo ostendimus. Ergo prudenter fit in tali casu suspendendo actum. Et confirmatur, si quis modo positiuè assentiret huic parti astra sunt paria, esset imprudens, quia hoc obiectum intellectus speculatiui sint ne astra paria vel imparia est ex æquo dubium, sed in nostro casu obiectum intellectus practici est etiam ex æquo dubium cum indicia ista vt supponimus sint sufficientia ad dubitandum, ergo imprudenter ageret qui stantibus talibus indicijs in aliquam partem declinaret.

Tertiò iudex arbiter non tenetur absolutè, ferre sententiam in fauorem rei in re dubia, sed tantum ex suppositione si laturus sit sententiam, quia assumpsit munus iudicandi: Ergo similiter in hoc casu quando res est dubia, si velit vel debeat elicere actum, eliciet illum in melius, absolutè tamen non tenetur efficere, quia nemo est iudex ex officio operum fratrum suorum, sed voluntariè assumit tale officium iudicandi.

Denique Nullus est quantumuis probus & timoratus, qui in confessione accuset se, eò quod rem dubiam quam vidit cum sufficientibus indicijs ad dubitandū de illa secundum se, nō sit interpretatus in melius, sed satis putat se consuluisse famæ, & honori fratris si suspendit actum, nec illam conuertit in peius, nec vllus est confessarius prudens & peritus qui hoc quærat à pœnitente, an actu, & positione dubia quæ vidit sit interpretatus in melius, aliàs mille laqueis fidelium conscientiæ replerentur.

SECVNDA PROPOSITIO.

Oblata re dubia si iudicium referatur ad personam, ita vt eliciatur actus, quo fine, & animo frater rem illam exercuerit. Tunc dubium in meliorem partem est vertendum, & in hoc sensu vt bene ait Caiet. est intelligenda conclusio D. Tho.

Probatur. Habere aliquem in mala opinione sine iusta causa est maximam illi inferre iniuriam, hoc autem facimus, nisi rem dubiam quando elicimus actum, vertamus in melius. Ergo, Maior certa est, probo minorem. Quando elicimus actum, necesse est nos inclinare in alteram partem, ita vt si factum fratris non vertamus in melius, necessario vertamus in peius, hoc. n. est elicere actum alicui parti assentiri, sicut suspendere actum est nulli assentiri, dubitatio autem (quamuis ex sufficientibus indicijs ad dubitādum) non est sufficiens causa ad vertendum illud in peius. Ergo si non vertatur in melius sine sufficienti causa vertitur in peius, & habetur mala opinio de fratre.

Secundò constat hæc Propositio ex varijs Regulis Iuris in 6. Reg. 65. dicitur. In dubijs melior est ratio possidentis vel vt alij legunt. In pari casu melior est conditio possidentis, sed frater possidet bonam existimationem, quod opera ipsius honesta sint, & ob debitum finem, ergo in dubijs, si iudicādum sit, in fauorem proximi iudicandum est, vertendo illa in melius, Reg. 11. [In dubijs fauendum est potius reo quam accusatori. In hoc casu indicia habent se vt accusator, frater tanquam reus, erit ergo fauendum potius fratri, vertendo in melius rem, quàm illa indicia & si sufficientia faciunt dubiam. Est etiam sensus receptissimus inter DD. istarū regularum, in dubia causa possidentem non esse expoliandum re quam possidet, expoliaretur autem frater bona opinione quam iure naturæ possidet, si quando elicitur actus, rem illam dubiam non interpretemur in melius, quia esset illam interpretari vt diximus in peius. Ergo.

Tertiò, Præceptum illud iuris naturę: Quod tibi nō vis &c. in re graui obligat sub mort. sed nullus est qui velit opus suum verti in peius, imò si eliciatur actus verti in melius, & id quidem rationabiliter. Ergo hoc ipsum tenemur sub mort. præstare fratribus nostris.

Quartò, Cap. vnico de Scrutinio habetur, Vt quem non nouero esse indignum habeam pro digno quamdiu res est dubia, nec apparent manifesta & sufficientia indicia mali, frater non cognoscitur indignus & malus. Ergo quamdiu res est dubia si ferēdum sit iudiciū, iudicandus est bonus vertendo illud in melius.

Denique stante iudicio speculatiuo dubio, quando proximo potest fieri iniuria, habendum est āquam rectum, & certum iudicium practicum per quod non fit proximo iniuria, verbi gratia dubitat mulier post consummatum matrimoniū, an ille cui nupsit sit suus vir, stante hoc iudicio speculatiuo dubio, non potest negare illi debitum quia esset inferre viro suo iniuriam, sed debet

debet habere simul cum illo hoc iudicium practicum tanquam certum, & verum, accedeodum est ad hunc si debitum postulauerit, vt est definitum in cap. Dominus de Secun. Nup. ne viro suo inferat iniuriam. Ergo similiter, quando dubitatur de facto proximi, & est eliciendum iudicium, cum per tale iudicium inferatur in iuria proximo nisi factum eius conuertatur in melius, vt exposuimus, stante dubio ipso speculatiuo circa rem secundum se sumptam, est habendum hoc iudicium practicum tanquam certum, & rectum, licèt res ista secundum se propter indicia, quæ vidi dubia, sit proximum tamen existimo bono fine illam fecisse.

Ex his duabus conclusionibus perspicua manet Caiet. sententia in rebus dubijs licere suspendere actum, si verò eliciendum sit iudicium, oportere declinare in melius. Cæterum quia communiter, & frequentius vitio ac corruptione nostræ naturæ homines nō suspendont iudicia, maximè quando respiciunt personas, sed eliciunt actum, voluntque esse iudices, & ferre sententiam, & regulæ morales non tam respiciunt quid possit fieri, quàm quid communiter, & frequētissimè fiat, propterea sapientissimè, & meritò, à sanctis Patribus, & Doctoribus Theologis quos hic sequitur D. Tho. absolutè, & simpliciter proponit hæc regula: [Vt dubia in meliorem partem interpretemur, [Intelligenda tamen, vt exposita est, quando non valemus suspendere actum. Hæc est doctrina Bedæ in 6. cap. Luc. in illud. [Nolite iudicare, &c.] Et secun. Regulam de Regulis Iuris. Sed ad maiorem intelligentiam sit.

TERTIA PROPOSITIO.

Si suspendam actum circa factum dubium fratris, qui mihi notus est, & habitus vt vir honestus, & probus, ita vt per talem suspensionem, nullo modo mutem opinionem, quam de illo habebam, nec desinam habere illū in eodem pretio, licèt his seruatis suspendere actum circa factum dubium fratris etiam mihi cogniti. Quod si per talem suspensionem actus dubitem simul de bonitate personæ (quod frequentius accidit) non licèt circa factum dubium proximi mihi cogniti, & quem semper indicaui virum honestum, suspendere actum, sed teneor positiuè factum illud interpretari in melius.

Probatur prior pars. Tota ratio propter quam iudicium, vel dubitatio potest esse peccatum, hæc est, quia sic iudicando, vel dubitando contemnitur frater & læditur bona ipsius opinio. Ergo, qui experitur se non dubitare de bonitate fratris, nec vllo modo illum contemnere, aut mutare bonam existimationem quam de illo habebat, quia suspendat actum iudicij circa factum dubium ipsius, licitè poterit suspendere actum. Probo consequentiam, quia (vt ostendimus) potest haberi seorsum iudium speculatiuum de re secundum se absolutè sumpta, distinctum, à iudicio practico de intentione, & animo personæ: sine vllo damno ipsius personæ: vnde cum in his indicijs, vel actibus intellectus id tantum attendatur, ne fratri in aliquo noceamus, qui ita suspendet actum circa rem dubiam, & factum eius quem nouit, & cuius mores habet perspectos, sine ullo damno illius, licitè poterit actum suspendere. Secunda pars perspicua est, quia suspendens actum, ita vt simul dubitet de bonitate fratris ab ipso probè cogniti, mutat bonam opinionem quam de illo habebat, & consequenter desinit habere illum in eo pretio in quo antea ipsum habebat: quæ omnia sine nocumento, & iniuria fratris esse non possunt.

Secundò, qui exponit se periculo probabili peccandi mortal. peccat mortal. suspendere actum circa factum dubium amici, probè cogniti, isto secundo modo est tenera moraliter loquendo exponere se periculo connectendi facilè factum illud in peius. Ergo.

Tertiò non licet opinionem bonam quam de fratre habebam mutare in peius, nisi ex sufficienti causa (quæ non est dubitatio) sed quando ita suspendo actum, vt mutem opinionem, quam de fratre mihi cognito habebam, moraliter, & communiter muto illam in peius. Ergo non licet isto secundo modo suspendere actum. Vnde in hoc casu circa personas nobis notas est maximè obseruanda ista regula proposita, à D. Tho. quia licèt possit accidere prior pars huius tertiæ propositionis nostræ, moraliter tamen loquendo, vix potest (vt de secunda propositione dictum est) suspendi iudicium circa factum personæ à nobis cognitæ absque contemptu ipsius, & mutatione existimationis in qua antea habeatur.

QVARTA PROPOSITIO.

Si frater de cuius facto dubito mihi ignotus sit, licet suspendere actum tàm circa factum ipsum, quàm circa bonitatem personæ.

De facto constat ex dictis, De persona verò ipsa probatur, quia vt constat ex secunda obseruatione. cum ipsum & eius mores omnino ignorem, dubitando de illo, non muto opinionem quam de illo habebam, cum nullam de eo in particulari habeam nec bonam, nec malam, nec priuo illum aliquo honore quem antea apud me habere, nec contemno illum, cum in nullo precio eum priuatim haberem, sed in illo communi quo habemus omnes nobis ignotos: nulla denique læsio, illi fit per hanc suspensionem iudicij, Quod si dixeris, (quæ est ratio Mag. Soto) habet ille ius à natura, vt ab omnibus iudicetur bonus, quod iudicium cessat per suspensionem actus. Respondeo, virum mihi votum habere istud ius certo, & in particulari, ac propterea inferri illi iniuriam, si bonitatem eius, quæ antea mihi certo, & in particulari perspecta erat vocē in dubium, at ius quod habet, ius mihi ignotus est, est incertum, & illud commune, quod non tàm est nosse illum bonum, quàm negatio quędam, & ne scientia qua ignoro an sit malus: quo fit, vt sit illud ius leuissimum, ac ferè nullum, & consequenter nulla quoque iniuria, quæ illi infertur suspendendo actum.

VLTIMA PROPOSITIO.

Ex suppositione nempe ad cautelam, & remedium licet dubia in peiorem partem vertere.

Verbi gratia, video hominem, cuius habitus, & dispositio indicat iustè dubitari posse, an sit fur, non profero apud me iudicium absolutum, esse furem, sed tantum esse posse, hac hypothesi stante, potest esse fur, dubium istud licet vertere in peius, iudicando, forsan est fur, prospiciam oportet domui meæ ac rebus meis. Probatur. Hic actus non est iudicare malè de fratre, sed iustè, ac prudenter timere, & occurrere damno, quod iustè timetur, & periculo de quo prudenter dubitatur, huiusmodi autē timor, & suppositio ad cautelam, & prohibendum damnum proprium, quod euenire pōt, est actus prudentię. Ergo. Secundo ad huiusmodi timores & cautelas tenentur prælati erga subditos suos, qua de causa præcipitur eis, vt vigilent supra gregem suum, vt attendant à falsis prophetis, neq; omni spiritui credant, similiter parētes erga filios suos, & maximè erga filias, occludentes fenestras, & hostia domus, diligēter curātes quos habeāt familiares, Et quid quid ipsis perspectū omnino non est, vt ait Diuus Hieronym. suspectum iudicantes, quo nomine commendatur sanctus Iob, qui licèt nihil mali iudicaret de filijs suis offerebat tamē pro eis sacrificia per singulos dies, dicens ne fortè peccauerint filij mei, &c. Sed in hac parte plurimum desideratur prudentia, ne prælati vel parentes nimij sint, ac ne dum suis volunt prospicere, illos

illos ad amaritudinem vt ait B. Paul. prouocent, aut apud vicinos infament.

Nunc ad argumenta quorum occasione hæc controuersia disputata est.

Ad primum respon. Eodem præcepto prohiberi quæ grauissima sunt in aliquo genere, & quæ minus grauia: vt præcepto illo non occides (sicut Christus exponit Matth. 5.) prohibetur non solum homicidium, verum etiam irasci fratri. Et ita in hoc casu eodem præcepto quo prohibetur iudicium temerarium, prohibentur etiam graues suspiciones, & dubitationes ex leuibus indicijs, & suspensiones iudicij, quando aliquod damnum ex eis sequitur fratri in honore, vel fama ipsius.

Ad diluendum secundũ nonnulla obseruanda sunt. Primò, vt sicut solæ virtutes morales sunt quæ faciunt hominem simpliciter bonum, intellectuales verò non faciunt illum simpliciter bonum, sed tantum secundũ quid, ita quoque bonum vel malum intellectus non esse simpliciter tale, sed tantum secundum quid, ita vt illud solum sit simpliciter bonum vel malum quod pertinet ad mores. Secundò cum bonum morale consistat in recto ordine voluntatis ad vltimum finem, dirigatur autem voluntas moraliter in finem vltimum finem, per dictamen rectæ rationis, illud iudicium esse moraliter bonum vel malum quod dirigit voluntatem ad sequendam rectam rationem, & id quod secundum se rectum est & honestum. Ex quo sequitur, vt quando in re dubia iudico benè de fratre vertendo illud in melius, si fallar iudicium istud falsum relatum ad intellectum speculatiuum sit quidem malum eius, non tamen simpliciter malum hominis, sed solum secundum quid, relatum verò ad mores sit bonum morale, & consequenter simpliciter bonum, quia tale iudicium est natum dirigere voluntatem in ea quæ dicta recta ratio dictat, & sunt honesta circa proximũ, nempe ad amandum illum, ad deferendum eius honorem, & non contemnendam, ad conseruandam bonã quam de illo habemus existimationem: quæ omnia sunt simpliciter bona. Vnde optimè docet hic D. Thom. melius esse habere tale iudicium speculatiuè tantum erroneum, sed sine iniuria, immo cum honore fratris, quam cum damno & iniuria ipsius verè iudicare, quia illud iudicium erroneum, licèt speculatiue, & secundum quid malum, moraliter tamen & simpliciter est bonum, iudicium autem verum cum iniuria fratris speculatiue tantum, & secundum quid est bonum, moraliter autem, & simpliciter malum dirigens volũtatem in malum morale, nempè in contemptum fratris.

Ex his dico ad argum. illud, me non deferre honorẽ fratri cum damno meo, quando factum ipsius in melius conuerto, etiam si decipiar, immo cum bono meo, quia istud iudicium, licèt speculatiuè & secũdum quid sit malum moraliter tamen & simpliciter est bonum, Et teneor potius eligere bonum simpliciter ad vitandum malum simpliciter, quàm bonum secundum quid ad vitandum malum secundum quid, Vt martir qui eligebat potius mori quàm negare Christum, quia hoc est simpliciter malum, cum sit malum culpæ, mori autem est malum secundum quid quia non est malũ morale, sed tantum malum pœnæ. Similiter hæc res sese habet, error enim & deceptio intellectus speculatiui est uelat malum pœnæ, contemnere autem fratrem, & illum iniuria afficere est malum culpæ. Et qui ad vitandum malum culpæ eligit malum pœnæ, non eligit cum damno suo, imò cum maximo bono suo.

Ad alteram partem argumenti dico, quando frater mihi cognitus est, & probatus, esse propter bonam opinionem quam iam habeo de illo, velut casum necessitatis, factum ipsius vertere in melius, quia erga talem suspendere actum est (moraliter loquendo) mutare opinionem cum contemptu ipsius, vt expositum est. Erga illum verò qui mihi cognitus non est, non occurrit similis necessitas, & ita licet istum suspendere actum. Ad confirmationem aperta est differentia, quãdo enim aliquis operetur bonum, ex eo quod suspendam actũ, nullum ei infertur nocumentum in honore, vel fama, at si suspendam actum circa illum qui mihi notus est, & quem antea habebam verum honestum, sequuntur damna iam explicata.

Ad tertium, maxima quoque est differentia inter iudicia externa, & ea quæ fiunt in confessione sacramentali, in hac enim quando dubitamus an peccatum nostrum, an pœnitentis sit veniale vel mort. si dubitatio sit leuis & scrupulus reijcienda est, & in melius interpretanda, si grauis & ex sufficienti causa, tunc sub conditione interpretanda in peius. t. dolendum de illo peccato, tanquam si forsan sit mort. quod fit ad cautelam habeatur pro venta, quod mort. est, qua via nulla infertur iniuria fratri, sed consulitur conscientiæ & saluti ipsius, quod non est extra confessionem, cum extra ipsam vertere in peius factum dubium fratris, quem noui, & iudicabam probum virũ, sit eum contemnere.

Quartum argum. postulat explicemus.

QVOMODO DEBEAT SE HABERE QVI audit referentem aliquod malum de proximo suo.

Obseruemus primò diligenter esse considerandas personas, tam eũ qui loquitur qualis sit, & quomodo affectus erga illum de quo loquitur: quam eum de quo malum illud refertur, sit ne vir honestus & timens Deum, an potius qui solitus sit similia committere, considerandæ etiam aliæ circumstantiæ loci, & temporis, in quibus malum illud accedisse asseritur, & aliæ quæ à iudicibus prudentibus attenduntur, & tantò magis, quantò pluribus credendum potius est quàm vni.

Obseruemus secundò: Experientia teste virum honestum facilius casurum in aliqua peccata, quàm serio & in re graui falsum prolaturum de fratre. quia hoc posterius procedit ex malitia, prius illud ex humana fragilitate, Et facilius peccat homo ex fragilitate, quã ex malitia.

His positis dico primò: Si is qui refert malum alterius sit vir honestus & probus, ille verò cuius malum refertur improbus & solitus similia facere, sine temeritate credendum esse dicenti, vt supra admonuimus: quia in hoc casu qui refert malum illud possidet apud me bonum nomen, quo alter caret, & in dubijs melior est ratio possidentis. Similiter dico secundò: Si is de quo est sermo sit vir honestus, qui verò malum de illo refert improbus & turpis, nulla est ei adhibenda fides: eadem de causa, quia iste possidet apud me bonum nomen, quo caret qui malè de ipso loquitur. Et hoc ipsum obseruatur in iudicio exteriori, viro enim turpi, de homine honesto malè loquenti non credit, prudens index, imò nec honesto quem nouit male affectum erga illum de quo loquitur. Quod si vterque & is qui loquitur, & ille de quo loquitur, pares sunt in moribus, & in eodem precio illos habeam, tunc suspendendus est actus, vt probat illud argum. quia quocunque me vertam alteri inferam iniuriam.

Circa vltimam conclus. de cautela adhibenda dubitari potest. Liceat ne denegare suffragium postulanti aliquod officium vel beneficium, quando de moribus & bonitate ipsius dubitamus, hoc fine nempe ad cautelam, ne illud adeptus alicui noceat. Dico cum Caiet. in summa in verbo, iudicium temerarium, Primò ex leuibus indicijs nullo modo licere negare alicui suffragium, si habeat merita necessaria ad munus illud vel beneficium, similiter licite illi negari si non habeat materia, sitque indignus, vt copiosius quæst. 63. videbimus. Quando vero indicia idonea sint, & sufficientia ad dubitandum, sed simul habet merita officium illud, vel beneficium postulans, distinguendum

puendum est, Ni aut'me negante illi suffragium infamatur, & præponitur illi impar in meritis, aut nulla inde sequitur ipsi infamia, adestquè alter ei par, vel fere æqualis, si primi, non licet negare illi suffragium, quia ex meritis habet ius ad illud officium, periclitaturque honor ipsius,& mea dubitatio nō est sufficiens ad expoliandum ipsum suo honore vel iure, si verò posteriori modo res habeat, licèt illum priuare suffragio, nulla eni n tunc fit ei iniuria,cum nec infametur, nec præferatur ipsi alius minus dignus.

ARTICVLVS V.

An semper sit iudicandum secundum leges scriptas,

DVplex est iudicium,aliud priuatum,& particulare,aliud verò publicum,& forense, de priori egit hactenus D.Tho.explicans,quæ pertinent ad iudicia temeraria, suspiciones, & dubitatione, hoc ar.& sequenti agit de iudicio forensi, qua ratione sit exercendum, quærens inprimis præsenti art. An semper oporteat iudicare secundum leges scriptas? vel liceat potius iudici vti aliquando epichia,ac dimissa litiera , & rigore legis iudicare secundum æquitatem,& dictamen rectæ rationis?

Obseruemus cum lex sit quædam explicatio ,& regula iuris, sicut ius aliud est naturale ex natura rerum æquum,& iustum,aliud verò positiuum,quod ex condicto,& constitutione hominum Principis scilicet,vel Reipub.constitutum est, vbi natura nihil vero statuebat,ita quoque leges scriptas duplices esse, quasdam continentes quod ipsum ius naturale exigit, vt filios parentibus obedire , parentes filijs alimenta præparare: alias verò, quæ solum continent quod Principis vel Reipub.decreto sancitum est, quæ dicuntur merè humanæ,vt alimenta non extrahi è Regno. Inter has leges hoc interest. Primò. quod priores illæ iustum, quod continent non instituunt, cum iam ex natura rerum iustum sit,sed tantum explicant, posteriores verò explicant,& instituunt,ideo enim iustum harum postoriorum legum tale,est & obseruandum , quia lege illa constitutum, qua sublata nullum habet authoritatis robur, aut obligandi vim. Differunt secūdò: quia iustum,quod priores illæ continent,cum sit ex natura immutabilis omnino est , ita & illud nullomodo mutari possit,aut dispēsari,iustū verò posteriorum mutari potest,quia huiusmodi iustum pendet ex hominum decreto,pro ratione loci temporis,& personarum,quæ certum est mutari,& ipsis mutatis mutari quoque oportere humana iura: vt habetur abūdè in cap.Alma mater. De sententia excommunic.suspens.& ibi copiosè Didacus Couarru.

CONCLVSIO I.

Si in causa iudici proposita existant leges scriptæ continentes ius naturale , tenetur iudex secundum illas necessariò iudicare.

PRimò, quia sicut ius naturale est omnino indispensibile , ita & leges illud continentes.2. Quia iudex debet iudicare quod iustum est , Sap.1.diligite iustitiam,qui iudicatis terram,iustum autem in huiusmodi legibus contentum semper est idem,& immutabile; & ita semper secundum ipsum iudicandum. 3.Quia ius naturale quamuis excerpum medio dictamine rectæ rationis , reuera tamen habet Deum authorem sicut , & natura ipsa,quo fit,vt aliter iudicans, quàm leges istæ , quæ ius naturale continent postulant,simul violet ius naturale, & diuinum. Denique sicut iustum, quod istæ leges continent est ex natura rerum , & intrinsecè bonum quā ratione non potest iudex humanas mutare naturas rerum , aut facere bonum quod est intrinsecè malum,vel è conuerso, ita quoque non potest aliter iustè, & rectè iudicare,nisi ferendo sententiam iuxta istas leges .

CONCLVSIO II.

Si causa proposita iudici pertineat ad leges scriptas merè humanas, ex quarum obseruatione nihil sequitur legi naturali , vel diuinæ repugnans,tenetur necessariò secundum illas iudicare , etiam si oppositum videatur ipsi magis consonum rationi.

PRobatur primò: Iudex est merus executor legis, non conditor aut dominus,imò neque interpres , aut dispensator,nisi causa iusta vrgente, causa verò iusta ad deuiandum à lege nulla alia esse potest nisi quando ex illius obseruatione sequeretur aliquid repugnās iuri naturali,vel diuino,Ergo quando lex scripta nihil continet quod iuri naturali vel diuino aduersatur, tenebitur iudex secundum illam iudicare.

Secundò si liceret iudici aliter iudicare,quàm leges istę præscribunt, frusta conderentur leges imo tot essent leges,quod capita iudicum,affirmare vnoquoque iudice æquius esse,quod sibi videretur,quàm quod lex scripta constituit , patereturque passim Respub.mille perturbationes,& damna.

CONCLVSIO III.

Quando obseruatio legis humanæ ratione loci temporis,vel personæ inducit aliquam iniustitiam, vel iniquitatem , non est tunc iudicandum secundum illam legem, sed secundum æquitatem , & dictamen rectæ rationis, quod vocamus epicheiam.

PAtet,quia lex est regula,& explicatio iusti,& iudex custos iustitię, vnde quando obseruatio legis ratione alicuius circunstantiæ contineret aliquam iniquitatem, & cederet in iniuriam alicuius , non est secundum illam legem tunc iudicandum . Et ita constituuntur a D.Tho.in solutionib.arg.aliqui casus ,in quibus non est iudicādū iuxta leges scriptas, ab alijs DD. afferuntur alij,qui omnes reducuntur ad hos quinque.

Primus est quem continet ista Tertia conclusio, Quando lex, aut simpliciter , aut ex circunstantia est iniqua , quia lex iniqua non est lex,neque regula quæ valeat nostras actiones rectè dirigere,sed corruptela , vt optimè docet D.Thom.1.2.q.69.art.4.& 6.sicut horologium,quod non consentit cum motu solis,non est horologium sed perturbatio potius horarum.

Secundus. Quando obseruatio legis in tali euentu aduersatur bono communi. Præcipit lex ne ciuitate obsessa portæ ipsius vllo modo aperiantur,si ciues omnes suos hostes fugiant , nec aliter liberari possint nisi in ciuitatem sese recipiant , tunc non est pronuntiandum secundum illam legem scriptam, quæ in tali casu adeo nocuisset ciuibus,& bono communi.

Tertius est: Quando prudenter iudicatur certum , legislatorem si adesset iudicaturum legem suam non esse tunc obseruandam, verbi gratia minatur mortem tyrannus si hodiè ieiunauero (posito per hypocresim illum nō ita agere in contemptum fidei, vel religionis, sed ex sua insania)non teneor tunc seruare legem ieiunij,quia si adesset legislator; certè non obligaret aliquem ieiunare eum tanto discrimine vitæ : eadem ratione non tenetur mulier audire sacrum die festo , si vir eius austerus minatur illi aliquod supplicium,si de domo vila de causa egrediatur. Et hoc cognoscimus per epichiam 1.per æquam, & iustam interpretationem, de qua D.Thom.1.2.loc.cit.& infra q.120.

Quartò non est seruanda lex scripta in cortice quando animus,& mens legislatoris corrumpitur. Nam, vt præclarè ait Iurisconf.[In fraudem facit , qui saluis verbis sententiam eius circumuenit . Verbi gratia. Prohibet lex ne adulter filiū suum spurium hæredem

instituat, concedit vt quis bona sua, & hæreditatem amico deferat, & non illam det filio, hoc non licet, nec est secundum verba, & scriptam legis de ista fraude iudicandum: quia licèt ille adulter legem literam, & cortice videatur obseruare, cum non instituat filium suum spurium hæredē, nec bona sua ei tradat, sed amico, non tamen seruat mentem, & animum legis, quia est, vt filius ille spurius bonis paternis non potiatur autem in hoc casu per illam circumuentionem, & interpositam personam.

Quintò: Quando supremus Reipub. Princeps ex iusta causa dispensat in lege scripta, tunc enim iuxta illā Principis dispensationem, seu explicationem iudicandum est, & non secundum legem. Lege sancitum est homicidam suspendi, commisit homicidium artifex Reipub. necessarius, aut vir eruditus, vel ingeniosus bono communi vtilissimus, dispensat supremus Princeps cum illo in lege de suspendendis homicidis: non debet in hoc casu iudex secundum legem, sed secundū illam Principis dispensationem iudicare. Hanc verò authoritatem dispensandi in legibus non habent inferiores iudices, & magistratus, sed solus supremus Princeps, & Rex. Extra hos casus debet semper iudex secundum leges scriptas iudicare, aliter iniustè aget, & iniquè, peccabitq; grauissimè.

Circa hunc art. Duplex se offert controuersia, Prior pertinet ad iudicem, posterior ad sententiam, quæ ab illo fertur, Prius igitur videamus.

AN QVICVNQVE IVDEX etiam si sit supremus Princeps teneatur iudicare secundum leges scriptas?

Ratio dubitādi est, quia l. Princeps ff. de legib. Princeps liber est, & solutus a suis legibus, nec illis astringitur, vnde non tenebitur secundum illas iudicare 2. quia potest in illis dispensare.

In oppositum tamē sunt verba illa B. Gregorij Can. Sumopere 11. q. 3. [Sumopere præcauendum est ne rectores Ecclesiæ, & qui publica iudicia exercent, in dictandis sententijs aliqua leuitate, aut furore ducti sint præcipites, sed causis diligenter ventillatis, tunc diuina, & humana lex resoluatur, & secundum quod ibi constitutum est definitiua proferatur sentētia. Affertque ibi exemplum Moysi, qui semper iudicauit iuxta concilium Dei, & legem.

Ad huius quæst. intelligentiam obseruemus primò. Quæstionem hāc duplicem sensum habere posse: prior est, An Princeps teneatur parere suis legibus. Posterior: An teneatur necessariò secundum leges scriptas iudicare, & proferre sententiam. Non est hic quæstio de priori, in sensu docuit enim iam D. Thom. 1. 2. q. 96. ar. 5. legem habere duplicem vim, aliam coactiuam, & aliam directiuam: coactiua est authoritas quàm habet lex à suo conditore ad compellēdos subditos ad illius obseruationem, qua ratione princeps non astringitur suis legibus, cum nullus possit cogi à seipso, nec par in parem habeat hanc vim coactiuam: Directiua verò est æqultas illa, quam lex continet, secundum quam ostendit omnibus quid equum sit, & consonum rectę rationi, ac bono communi, & hoc modo Princeps tenetur etiam suis legibus, tenetur enim quę rectę rationi, & ęquitati consona sunt, ac bono communi vtilia, ipse quoque obseruare, qua talia sunt. Sed hoc eget adhuc expositione, leges enim sunt duplices, quędam quę seipsis ostendunt solos subditos respicere, nec principem complecti, & his nullo modo tenetur Princeps: vt quod nullus induatur serico: Aliæ sunt quæ tàm principem, quàm subditos complectuntur, vt quæ pertinent ad gubernationem Reipub. & reddendum cuique suum ius, ferendasq; sententias: Et de his quærimus hoc loco an teneatur supremus etiam Princeps iuxta illas iudicare.

Obseruemus secundò quibusdam legibus conferri aliquod ius nonnullis ciuibus, ita vt si tales leges non obseruarētur, expoliarentur ciues iure quod sibi à legibus conceditur, vt in lege præscriptionis, confert hæc lex ius, & dominium in bona quæ quis bona fide possidet toto tempore legis, si vellet princeps in aliquo casu hanc legem nō obseruari, sed dispensare in ea, eum qui iam bona fide præscripsit, expoliaret profectò iure suo, vi pote iure quod habet à lege. Similes sunt leges, quæ parti læsæ præcipiunt aliquam pecuniam reddi à læsore, Et quæ habenti hæc, vel illa merita præcipiunt conferri hæc, vel illa beneficia, &c. Aliæ verò sunt, quæ ita aliquid præcipiunt, vt ex eo nullum ius alteri conferatur, vt quod fur vapulet, & similes.

Obseruemus vltimò: leges continentes ius naturale tàm principē quàm reliquos inferiores iudices debere omnino obseruare in suis sententijs, & iudicijs, vt ex prima conclusione posita constat, vnde hic solum quęrimus de legibus quæ sunt merè humanæ positiuæ.

PRIMA ASSERTIO.

Leges humanas quibus aliquod ius confertur alicui tenetur etiā princeps in suis iudicijs, & sententijs obseruare.

Verbi gratia in exemplo iam proposito, vocat Ioannes Petrum in iudicium quasi iniquè possidentē bona sua, ostendit Petrus se illa bona fide possedisse toto tempore legis, & verè in illis præscripsisse: Debet Iudex etiam si sit Rex ferre sententiam in fauorem Petri, nec potest dispensare cum Ioanne in illa lege præscriptionis. Ita D. Aug. lib. de vera Religio. c. 3. & Arist. 5. Ethic. c. 6. Et 3. Polyt. c. 10. & 12. Et probatur, Contra ius naturale est, vt cum quis legitimo cōtractu effectus est dominus alicuius rei, aut habet ius legitimum in illam, expolietur illa re, aut illo legitimo iure quod in eam habet iam acquisitum, quia est talis expoliatio ipso inuito reuera furtum, Princeps autem quantumuis supremus non potest dispensare in furto, nec pronunciare sententiam contra ius naturale, Ergo neque potest expoliare eum, qui rem aliquam iam possidet, aut verum ius in illam per legitimum contractum habet. Sed qui rem aliquam possidet, aut verum ius in illam virtute alicuius legis ciuilis iustæ, & ab omnibus probatę habet rem illam, vel ius in eam per legitimum cōtractum, cum possit lex ciuilis transferre dominia bonorum, & conferre verum dominium, & ius illa, (vt videbimus infra) Ergo in huiusmodi legibus, quæ conferunt alicui aliquod ius non potest neque Rex dispensare, sed necessariò debet secundum illas iudicare.

Secundò si posset Rex pro libito dispensare in huiusmodi legibus, & non iudicare secundum illas, posset similiter quando duo litigant de aliqua re, tollere illam habenti ius in ipsam, & adiudicare eam non habenti ius in illam, hoc esset furtum omnium consensu, & maxima iniquitas ergo & illud ex quo sequitur. Cōsequentiam verò probo, quia sicut hic litigans habet ius in rem, quàm iustè postulat, vt suam aliquo titulo, similiter qui rem aliquam habet, vel ius aliquod virtute alicuius legis, habet illud iusto titulo, cum lex ciuilis conferat in his iustum titulum, Et confir. lex præscriptionis, & aliæ similes non minus conferunt modo hominibus dominium, & ius hęc bona temporalia, quàm à principio contulerit eis ius gentium, quo facta fuit rerum diuisio, & appropriatio: sed non potest Princeps expoliare eum, qui bona sua possidet post illam primam rerum diuisionem, quia iam sunt illi propria, & sua, estque verus illorum dominus, ergo neque eum, qui virtute alicuius legis iustè possidet aliqua bona, vel acquisiuit aliquod ius, Sicut enim iure naturæ antequam fieret rerum diuisio, & appropriatio nihil alicuius erat, at facta illa rerum diuisione quęcunque appropriata sunt, ita sunt ipsius, vt committatur furtū, violeturque ius naturę à quocunque illa ipso inuito acci-

accipiente, ita quoque licèt antequam hæ leges conferentes iura, & dominia conderentur, non esset à iure naturæ, neque alia via Petrus dominus eorum quæ præscripsit, vel modò virtute alicuius legis habet, at postquam huiusmodi leges conditæ sunt, & virtute earum aliquid possidet, vel acquisiuit aliquod ius, est furtum, & contra ius naturale ipsum illa re, vel iure expoliare.

Denique leges iustæ, & necessariæ, vel saltim vtiles optimæ gubernationi, maximè quando illarum omissio est in damnum tertij obligant in conscientia, non solum subditos verum etiam & Principem, saltim quo ad vim directiuam, leges autem de quibus hic loquimur huiusmodi sunt, Ergo obligant etiam Principem, vt secundum illas iudicet, Quo circa totum ius naturæ clamat.[Patere legem quam ipse tuleris.

Quod autem aliqui affirmant, Accidere aliquando posse, vt ob bonum publicum bona alicuius ciuis alteri adiudicentur, nec standum esse tunc his legibus, quia cum Princeps sit custos boni publici, quando viderit bono communi ita expedire, debet bona ciuium in illud referre, non diffiteor, sed iudico id rarissimum, immò fortè nunquam euenturum.

SECVNDA ASSERTIO.

In legibus secundi generis quibus nullum ius alicui confertur, sed simpliciter tantum aliquid præcipitur, poterit Princeps dispensare ne secundum illas ferretur sententia.

VT si aliquis innocens probetur nocens, poterit princeps ex plenitudine suæ potestatis non condemnare illum iuxta leges sed ufo scandalo. Immò etiam si esset verè nocens, si esset vtilis Reipub. Similiter posset conferre priuilegium alicui ne possent bona eius à quocumque præscribi, quo priuilegio extante non daretur alicui locus acquirendi ius in illa, teneretur que iudex inferior iudicare de bonis huius non secundum leges scriptas, sed secundum illud priuilegium: adeò vt nisi seruaret illud, peccaret mort. per vsurpationem iudicij, & sententia eius esset inualida.

Probatur iam conclusio, Hoc differt Princeps à cæteris, iudicibus inferioribus, quod hi sunt tantum meri executores & ministri legum habentes tantum authoritatem ipsis taxatam per leges, Princeps autem est legislator, & conditor, ac legitimus illius interpres cum eius sit interpretari, cuius est condere: resideteque in ipso suprema plenitudo potestatis ciuilis. Vnde sic argumentor: Dispensare in lege humana ex causa iusta & publica idem est quod interpretari legem, & exponere non fuisse animum legislatoris, comprehendere talè casum cum tali causa iusta & publica in illa lege. Sed supremi Principis est interpretari legem, ergo & dispensare in illa ex iusta causa. Minor huius syllogis. constat, maior autē probatur: quia propterea omnium DD. consensu requiritur dispensationis iusta causa, quia dispensatio est quædam legis interpretatio, qua exponitur legislatorem cum de eius prudentia, & æquitatè non dubitetur, non intendisse lege sua complecti illum casum, in quo adeò iusta causa se offert ad ipsum excipiendum ab illa lege.

Secundò. Omnium consensu ad dispensandum in aliqua lege hæc tria sufficiunt. Primò vt lex sit dispensabilis, id est ne sit rei immutabilis natura sua, Secundò authoritas in dispensante. Tertiò causa iusta: Lex mere humana mutabilis est vt vidimus & dispensabilis, in Principe est plenitudo authoritatis ciuilis, causam supponimus esse iustam. Ergo.

Ex hac conclusione sequitur apertè, quotiescunque Princip. licuerit in aliqua lege dispensare, posse tūc iuxta suam prudentiam iudicare, & non secundum legem. Iam quia diximus causam iustam desiderari, vt possit Princeps dispensare in lege, & aliter quam illa præscribit iudicare. Hec causa iusta debet esse aliquod bonum publicum: Quia causa & effectus debent commensurari inter se, lex est regula publica, anthoritas Principis est etiam publica, collata ipsi ob bonū publicum, non destruendum, sed ædificandum, & ita bonum ob qd pōt dispensare in lege debet etiam esse publicum. Commisit homicidium miles strenuus & Reipub. vtilissimus, potest rex cum eo dispensare in lege illa de occidendis homicidis, & aliam pœnam ei imponere, vel omnino ei condonare bono publico ita exigente, sicut Saul dispensauit cum Ionata milite strenuo, & saluti populi tunc maximè necessario. Quod si homicida sit quidem dilectus Regi, non tamen necessarius, aut vtilis Reip. non potest cum illo dispensare, sed iudicandus est secundum legem.

TERTIA ASSERTIO.

Quando Princeps dispensat in lege, vel aliter iudicat, quàm ipsa præscribit, sine conditionibus positis peccat mortal. teneturque ad resarciendum omne, damnum, quod ex tali dispensatione, & iudicio alicui eueniret.

RAtio est aperta: Quia Princeps est custos supremus iustitiæ, & boni suorum ciuium, vnde si sine iusta causa dispensaret in lege, sequereturque inde aliquod damnum, esset ipse author iniquus & iniustus illius damni, quicunque autem infert alteri damnum iniostè, & inique tenetur ad illud reficiendum. Ex his assertionibus sequitur, posse Principem dispensare multoties in criminalibus, quia sæpè talis dispēsatio sine alio rum damno, & iniuria habet locum: in ciuilibus verò rarò, aut ferè nunquam. Quia in his semper agitur cuius sit, hæc res, mea an tua, semperque in his existunt author & reus; ideft vnus qui postulat, rem suam, & alius à quo postulatur, quo fit vt nisi in his ferantur iudicia etiam à Principe iuxta leges, inferatur alteri damnum cum iniuria, sitque sententia illa in præiudicium tertij, quod neque Principi licet. Debet enim etsi supremus sit, iustè iudicare, & suum cuique reddere, maximè ipse, qui quo maiorem habet in Repub. authoritatem, eo potissime positus est à Deo ad exercendam æquitatem, & seruandas leges.

Iudices inferiores teneri semper ad iudicandum secundum leges scriptas constat satis ex a. & 3. conclus. D. Tho. estque receptum ab omnibus DD. in l. Nulla ratio ff. De legib. Et confir. Quia si liceret inferioribus iudicibus legem interpretari, vel in ea dispensare, aut torquere in id quod ipsis videretur melius, & æquius nulla lex seruaretur, vnoquoque illam torquente in suum sensum, cum maximo Reipub. damno & perturbatione. Quo fit vt iustius sit & melius seruari leges & secundum illas iudicia exerceri, propter hoc bonum commune & pacem Reipub. quam iudicem declinare à lege in id quod sibi æquius videretur, etiam si reuera æquius illud esset.

Nunc ad argum. initio huius contro. posita. Ad 1. respond. Principem esse solutum è lege quo ad vim coerciuam, non tamen quo ad vim directiuam, & non obligari ex vi legis secundum suam legem iudicare, sicus iudex inferior, obligari tamen ex æquitate iuris naturalis. Quia eo ipso quo est Princeps, est præcipuus custos iustitiæ, & conseruator legum. Et cum sit caput totius Reipub. debet in sua gubernatione conuenire cum corpore, cæterisque iudicibus esse exemplo, immò si cæteri debent iudicare secundum leges quia sunt ministri Principis, multò potius ipse qui illarum legum est fons & origo.

Ad secundum patet solutio ex dictis. Potest quidem Princeps dispensare ex publica & iusta causa, ac sine damno tertij, in quo etiam casu non tenentur secundum

cundum leges iudicare, sed secundum Epichism.

Secunda controuersia quę nunc se offert, grauissima est, & propria huius loci. Ea est.

AN SENTENTIA INIVSTA *Iudicis habeat vim, & obliget in foro conscientiæ.*

LItigant Petrus & Ioan. de hæreditate, quæ verè est Petri, iudex verò adiudicat illam Ioanni, quærimus an hæc sententia habeat vim in foro animæ, ita vt Ioannes virtute talis sententiæ possit hæreditatem illam tuta conscientia possidere, Petrus verò nequeat illam aut valorem eius meliori via qua poterit recuperare? Occasionem dubitandi offerunt nonnulla argumenta, quæ hic subijciam. Primò ex D. Grego. 11. q. 3. can. sententia: [Sententia pastoris siue iusta, siue iniusta timenda est,] at iniusta timenda non esset, nisi ligaret in conscientia.

Secundò sententia qua innocens condemnatur iniusta est saltim à parte rei, at hæc aliquando obligat. Probatur hæc minor: quia quando iudex condemnat innocentem in iudice probatum nocentem, tenetur ille parere sententiæ iudicis: primò quia leges sanctæ & iustæ ita præcipiunt, vt iudici iuridice procedenti obediatur, secundò quia aliter perturbaretur omnis gubernatio Reipub. & punitio delinquentium, quicunque enim eorum clamaret se falso accusatum. Tertiò daretur bellum ex vtraque parte iustum. Nam innocens si non teneretur obedire illi sententiæ, posset per vim se defendere, iudex quoque iustè illum debellaret, cũ teneatur ex officio, & præscripto legum probatum nocentem punire.

Tertiò. Sententia iudicis Ecclesiastici obligat, & tenentur fideles illi parere, dicente Christo Matth. [Omnia quæcunque vobis dixerint facite.] Sed aliquando sententia iudicis Ecclesiastici præcipit viro, vt dimissa propria vxore alteri adhæreat, quod est iniquũ, & iniustum, iam igitur sententia iniusta ligat aliquando: Minor experientia constat. Si Petrus post contractum matrimonium cum Maria, deprehendat existere inter ipsos aliquod impedimentum dirimẽs matrimonium, & ea dimissa ducat Ioannem, hæc secunda est verè ipsius vxor: iudex tamen Ecclesiasticus quã diu illud impedimentum occultum iuridicè non probatur, præcipiet illi, & sub censuris, vt dimissa Ioanna, quæ est vera ipsius vxor, reuertatur ad Mariam: cui sententię debere hunc obedire ostendo. Maius malum est occidere innocentem, quam accedere ad non suam, sed qui occidit innocentem probatum nocentem iudice præcipiente non peccat. Ergo neq; peccabit qui probatus in iudicio Ecclesiæ esse vir Marię accedet ad illam iudice ita præcipiente, licèt non sit sua.

Quartò: Quando quis expoliatur proprio beneficio iniquè illa sententia est iniusta, at nihilominus est valida. Ergo. Probatur minor: sic spoliatus non habet iam titulum beneficij, nec si sentiret conferre sacramentum pœnitentiæ quicquam efficiet, is verò cui beneficium illud curatum collatum est quamuis per iniustam sententiam habeat titulum beneficij, & sacramenta, quæ confert, tenent, fuit ergo valida illa sententia quamuis iniqua.

Denique lex humana, quæ ob bonum commune priuat aliquem suis bonis obligat in cõscientia, & reddit tutum possidentem illa, vt lex præscriptionis: sententia iudicis est velut lex particularis, cuius obseruatio pertinet etiam ad bonum commune, quia paterentur maximas perturbationes Respub. nisi sententiæ iudicum obseruarentur vt validæ: Ergo quamuis iniusta, si priuauerit aliquem suis bonis, obligabit in conscientia, & possidentem reddet tutum.

Ad intelligentiã huius quæst. obseruemus 1. ex Gratiano 11. q. 3. can. Episcopus: Tribus modis posse sententiam esse iniustã, primò ex animo iudicis, vt quando ex odio pronunciat sententiam, licèt in ea, nec recedat à iure neq; à veritate facti. 2. ex ordine: vt quando seruat quidem veritatem facti, non tamen ordinem, & solemnitates iuris, vt cum adiudicat Petro rem quidem suam, sed sine sufficienti probatione 3. ex natura rei, & causæ: vt quando contra veritatem facti pronunciatur, expoliaturq; aliquis aliqua re sua. Non est hic quæst. de sententia iniusta 1. vel 2. modo, nam in illis licèt iudex malè agat, & peccet, cum tamen sententia eius non recedat à veritate facti, continet iustum, & est iusta à parte rei, & obligat in conscientia secundum se, nisi ignorantia inculpabilis excuset alterum litigantium: Sed quæstio est de sententia iniusta tertio modo, nempe ex natura rei, & causæ, ac quando non seruatur ęquitas iuris, & veritas facti.

Obseruemus 2. sententiam iniustam per se, & ex natura rei, & causæ duplicem adhuc esse: quędam enim est quæ continet manifestum, & intollerabilem errorem, vt quę præciperet aliquod impossibile, vel apertè malum, aut prohiberet aliquid apertè bonum, & faciẽdum, aut condemnaret innocẽtem si vlla probatione, quàm vocant Iurisperiti nullam, & hanc certum est nullam vim habere in foro animę: alia verò est quę continet quidem errorem non tamen manifestum, sed tollerabilem, vt cum innocens probatus tamen iuridicè nocens condemnatur, vocatur hęc à Iurisperitis iniusta, sed valida, & timenda, iuxta illud Gregor. adductum can. sententia pastoris: imò, & executioni mandanda, vt habetur in cap. Pastoralis. de offic. delegat. Quamuis à Theologis hęc secunda sententia (licèt contineat errorem facti ex falsitate testium) non vocatur simpliciter iniusta cũ in ea iudex iustè processerit, sed iniusta iniustitia facti, nam iustitia iuris iustissima est, & de hac potissimè hic inquirimus.

Obseruemus tertiò bifariam accidere possẽ, vt iustitia, & veritas non seruentur in sententia, Primò culpa iudicis quia licèt videat per allegata, & probata nihil constare contra Petrum, vult nihilominus ex sua malitia, & iniquitate condemnare illum, aut sine culpa iudicis, culpa tamen testium, qui falsum affirmant, & quorum dicto iudex bona fide ac iuridice stat: Similiter actor bifariam etiam potest agere in iudicio, aut bona fide putans se iustum postulare, & sententiam iudicis in suum fauorem latam iustam esse, aut agit iniquè, & mala fide sciens, & intelligens se nullum ius habere in rem quam postulat. Reus quoque in quem sententia fertur, bifariam potest se habere, nam aut recedit omnino à lite tacens nec appellans, ad superiorem iudicem aut appellat, imploratque Dei, & hominum fidem.

CONCLVSIO PRIMA.

Sententia iniusta ex natura rei, & contra veritatem facti, siue ita feratur per falsò allegata, & probata, siue ex iniquitate, iudicis non habet robur, nec obligat, aut reddit aliquem tutum in conscientia.

HÆc est communis inter omnes Theologos habẽs illam D. Tho. in hoc ar. ad 1. & infra q. 70. art. 4. vbi asserit iudicium iniustum non esse iudicium. Et ibidem Caiet. & opusc. 72. quęst. q. 13. ad 2. & opusc. 17. respon. respon. 14. dub. 1. Soto lib. 3. de Iust. q. 4. art. 5. Et in suo 4. dist. 22. q. 1. art. 3. conclus. 4.

Probatur conclus. Sententia iudicis ex D. Tho. siue iudicium eatenus obligat in conscientia quatenus habet iudicij rationem: hoc est quatenus est determinatio iuris, ac definitio iusti: in hoc enim consistit, vt ex 1. ar. huius quęst. constat ratio iudicij, iudicium autem iniustum non est iuris determinatio, nec definitio iusti. Ergo non obligat in conscientia, nec talis sententia ita iniusta expoliat re sua partem condemnatam, aut confert aliquod ius parti in cuius fauorem pronunciatur

nunciatur. Et confirmatur hæc ratio. Iudicium est actus iustitiæ, iustitia autem constituit æqualitatem à parte rei. Ergo vbi talis æqualitas non existit, non est iudicium nec sententia, quæ habeat in conscientia vim.

Secundo: Sententia & quodlibet iudicium est velut quędam lex particularis, quæ fertur in illo particulari casu, & euentu, vt docebit D. Thom. art. seqnen. & infra quæst. 67. ar. 1. Sed lex iniusta non obligat in conscientia ex eodē D. Thom. artic. 1. huius quæst. ad primum, ergo nec sententia iniusta.

Tertiò: Celebre dictum est, & velut axioma inter Theologos, sententiam, quæ fertur in foro exteriori, obligare in conscientia, nisi fundetur illa in falsa præsumptione, ita vt oporteat cessare omnem errorem legitimè præsumptum, vt sententia obliget in conscientia, sed sententia, iniusta de qua hic agimus fundatur in falsa præsumptione, quamuis enim iudex ritè, ac iuridicè procedat, nititur tamen dicto testium præsumēs eos verum affirmare, quæ præsumptio falsa est, cū illi aut formaliter, & volentes mentiantur, aut saltem materialiter, & à parte rei.

Quartò: Cum omnis sententia iudicis vim suam habeat ex lege, quemadmodum leges eatenus obligant, quatenus nituntur ius naturale, & ab eo deriuantur, ita quoque & sententię iudicum, sed sententia iniusta à parte rei non tnetur ius naturale, imò in hoc casu destruit illud, cum expoliet verum dominum re sua, & illam conferat ei coius non est. Er confirmatur quia tàm lex, quàm sententia quæ continet reuera aliquem errorem nociuum proximo, siue sit manifestus, & intollerabilis, siue occultus in foro animæ non habet vim.

Conueniunt etiam in hac conclusione cum Theologis Iurisperiti in cap. Quia plerique, De immunita. Eccles. Quamuis (vt cæpi significare) Iurisperiti cum potissimum respiciant forum exterius, eam tantū sententiam appellant nullam, quæ continet manifestum & intollerabilem errorem. Theologi verò cum potissimè attendant ad forum animæ, omnem sententiam iniustam, quæ aduersatur institię & veritati a parte rei, siue error ipsius sit manifestus, & intollerabilis, siue nō, iudicant nullam & inualidam, rationibus adductis.

Intelligenda autem proposita conclusio est in foro conscientiæ, & simpliciter: in foro iniquā conscientiæ, nam aliter res habet in foro exteriori, in quo non attenditur veritati facti, sed probationibus iuridicis: Et simpliciter ac per se, quia per accidens nempe ad vitandum aliquod scandalum potest accidere vt aliqua sententia quamuis à parte rei iniusta & inualida, obseruanda tamen sit & timenda. Intelligenda quoque est, quando certum est & exploratum sententiam esse reuera à parte rei iniustam, quando enim non erit ita perspicuum sed solum dubitatur, obligat illa in conscientia; qoia re existente dubia, præsumendum est iudicem iustè iudicasse.

CONCLVSIO II.

Etiam si pars iniustè læsa non appellet, manet nihilominus ipsi suum ius, nec illud amittit.

Patet: Nemo priuatur suo iure nisi aut per legem iustam vt titulo præscriptionis, aut per sententiam iustam propter aliquam culpam, aut quia cedit suo iuri sciens, & volens: in hoc casu nempe ex solo defectu appellationis, nondum habet locū aliqua præscriptio, sententia supponitur esse iniusta, per solum silentium quo non appellat, non est dicendus consentire, nec cedere iuri suo, quia quando res cedit in proprium damnum, vt quis dicatur consentire, exigitur consensus expressus, & manifestus: ergo retinet iste etiā si non appellauerit suum ius. Vnde licebit ei recuperare bona sua si commodè possit citra scandalum, quamuis apud iudicem, elapso termino, intra quem iuxta leges poterat appellare, iam non conceditur ei actio, lege ita statuente, & iustè, partim in pœnam suæ pigritiæ, partim & potissime ob bonum publicum, vt litibus imponatur finis.

Habetur etiam hæc conclus. l. Iulianus. ff. de condictio, indebiti.

Ex doctrina harum conclusionum sequitur primò, si quando iudex ferat sententiam contra leges iustas, sententiam illam inualidam esse, nec obligare in conscientia. Patet. Tota vis & authoritas quam habet Iudex ad ferendam sententiam, pendet à lege, nihil enim aliud efficit iudicando, quàm accommodare legem vniuersalem ad factum particulare, sed quando iudicat contra præscriptū legis, non solū iudiciū illud, & sententia non habet vim, neq; robur à lege, imò lex illa negat ac prohibet illud fieri ac ita iudicari, Ergo talis sententia nullam habet vim, neque obligat.

Sequitur secundò: licere Ioanni, cuius res per iniustam sentētiam est adiudicata Petro, commodiori via qua poterit illam citra scandalum recuperare, quia recuperat suum: Quod si cum scandalo aliquo, vel violentia illam recuperet, peccabit quidem contra caritatē, ratione scandali illius vel violentiæ, non tamē contra iustitiam, cum acceperit suum, Et ita non tenebitur illud restituere, etiam si Petrus obtineat ab Ordinario excōicationem, contra quoscunque qui aliquid ab ipso acceperint: Quæ omnia intelligenda sunt nisi Petrus iam iustè præscripsisset, vt statim exponemus.

Sequitur Tertiò: Petrum, qui iniusta sententia possidet bona Ioannis, si mala quidem fide litigauit, & mala fide rem illam recepit, etiam si à iudice fuerit sibi adiudicata, nunquam præscribere, quia possessor malę fidei nunquam præscribit: vnde semper tenetur illam restituere, & vnà cum illa expensas quas alter fecit in lite, & omnia damna inde illi subsequuta: si verò bona fide rem illam postulauit in iudicio, & eadem bona fide rem illam recepit, iudice illam ipsi adiudicante, ac eadem bona fide illam possidet (iudicans iustam fuisse illam iudicis sententiam) toto tempore quod exigitur ad præscribendum, non tenetur illam restituere, etiam si elapso illo tempore præscriptionis deprætendat sententiam illam fuisse iniustam, & rem illam fuisse alienā: quia possessor bonę fidei (vt suo loco videbimus) verè præscribit, & quod præscribit, tuta conscientia possidet, ac retinet. Quod si bona fide litigauit, & recepit per sententiam, quam credebat iustam, sed antequam impleatur tempus ad præscribendum necessarium, intelligant sententiam illam à parte rei fuisse iniustam, & se reuera possidere alienum, tenetur illud verò domino restituere, nō tamen expensas, nec damna illi inde sequuta, cum ipse bona fide postulauerit, & receperit, non sit dicendus iniuriam alteri intulisse. Sentiunt ita omnes DD. tam Theologi quam Iurisperiti, nec ab hac communi doctrina recedēdum est, etiam si Hostien. inter Canonistas, & D. Bernardinus inter Theologos, quibus subscribit Silue. in ver. Restituēdo. §. 9. aliter videatur docere. Et est ratio: Quia iudex vt docent Arist. & D. Tho. est iustū animatum, & medium ad quod confugiunt homines in suis controuersijs, quo fit vt quod ipse iudicat, quamdiu non constat oppositum, habēdum sit pro iusto, non solum in foro exteriori verum etiam in interiori, ita vt bona fide ac tuta conscientia stare liceat tali iudicio: aliter vix possent hominum conscientiæ tutæ esse ac pacatæ in rerum dominijs, imò nihil certo: à fidelibus possideretur, si sententiæ iudicum quibus applicantur dominia bonorum, non essent præsumendæ iustæ, ac liceret eis in vtroque foro stare, donec oppositum apertè & manifestè innotescat.

Nunc ad argum. initio proposita. Ad 1. respond. sententiam excommunicationis bifariam posse esse iniustam, aut materialiter & formaliter simul, aut materialiter

terialiter tantum: Materialiter, & formaliter simul, quando continet intollerabilem errorem, vel quia fertur à non habente authoritatē, vel quia præcipit quod iniquum est, vel quia fertur sine probatione & testibus, vel quia nulla præcessit admonitio, vel quid simile: Et quæ sic iniusta est, nullo modo obligat neq; exterius. Materialiter verò tantum iniusta est sed forma liter iusta, quæ fertur quidā ab habente authoritatem, & supra debitam materiam, ac secundum allegata & probata, & seruato ordine iuris, sed per falsos testes. Et hæc obligat quidem exterius, debetque sic excommunicatus gerere se exterius vt talis, tum ratione scandali ad illud vitandum tum ratione obedientiæ, quia cum Prelatus in illa sententia ferenda ritè ac iuridicè processerit, parēdum est illi in foro exteriori, interius autem & absolutè cum nitatur falsæ præsumptioni, & dicto testium qui non protulerunt verum, non est excommunicatus, nec ligat eum illa sententia: adeò vt peregre recedens, vel occultè vbi nullum est scandali periculum, possit liberè agere periende ac non esset excommunicatus, cum tamen non sit. Verba autem D. Gregor. intelligenda sunt, quando res est dubia, sicut, & cætera præcepta superiorum.

Ad 2. dico argum. illud id tantum conuincere, innocen. enim in tali casu debere obedire, ac parere, nec resistere, sed subire patienter illud supplitium, quia iudex rectè iudicauit, & sententia illa licèt materialiter iniusta sit, formaliter tamen & iuridice iusta est, & rectè lata: pertinetque ad bonum commune, vt iudici rectè iudicanti obediatur. Quod si citra scandalū & vim possit iste custodes decipere, effringere carcerem, ac fugere, liceret ei, imò si vita res esset recuperabilis, liceret ei commodiori via qua posset recuperare illā, quia verò recuperabilis non est, actum est de ipso: bona autem temporalia cum sint res recuperabiles, qui illis expoliatur per iniustam sententiam, potest commodiori via qua poterit, illa recuperare.

Ad 3. respon. Iudicem Ecclesiasticum in illo casu rectè procedere, cum impedimentū illud dirimens prius matrimonium non probetur iuridicè, Et nihilominus vna cū hoc, vir ille nullo modò debet redire ad priorem, quę verè non est ipsius imò pati potius quascunq; censuras, & damna imò, & mortem si oporteret, quia si accederet ad priorē, quæ verè sua non est fornicaretur, fornicatio autem est adeo intrinsecè mala, vt nullo titulo nec præcepto superioris possit honestari: Et oppositum sentire est error condemnatus.

Et ad confirmationem, quæ additur dico, occidere innocentem non esse intrinsecè malum quin possit aliquando benè fieri, vt quando Abrahamo fuit præcepta vnigeniti sui verè innocentis occissio: Et ita non esse incommodum, vt innocens iuridicè probatus nocens occidatur à iudice propter bonum commune, ne hac via pateat aditus ad facile liberandos veros nocentes a debito supplicio: accedere autem ad non suam ita est intrinsecè malum, vt numquam possit bene fieri, nec est necessarium ad bonum commune, sat enim erit, vt iste qui sic compellitur per censuras, vel longius recedat, vel exterius si manet in eodem loco habeat se, vt vir prioris, interius, vero, vt omnino alienus. Tum etiam quia iste iudex licèt materialiter, & apertè rei occidat innocentem, vriudex tamen quo modo excercet suum munus, & quo modo considerandus est, formaliter, & iuridicè non occidit innocentem, sed nocentem: quia talem occidit, qualem nouit per allegata, & probata, & cum probetur nocens, vt iudex nō occidit nisi nocentem: quod infra latius patebit: Alter verò quacūque ratione sumatur, si accederat ad priorem, accederet ad non suam, quod nullo modo licèt.

Quod si adhuc vrgeas quod aliquos decepit: Ex duobus malis minus est eligendum, maius malum est esse excommunicatum, quam accedere ad non suam Ergo: neganda est minor: Quia malum culpæ cum sit malum simpliciter priuans hominem bono increato, & æterno, maius malum est quocunq; malo pænę, quod solū est malum secundū quid, solumq; priuat aliquo bono creato, & finito: quo fit, vt maius malū sit accedere ad non suam, quàm in hoc casu esse excommunicatum, quia illud est malum culpę, esse autem excommunicatum in hoc casu (cum talis excommunicatio non licet interius) solum est malum pœnæ: Quartum argum. postulat grauem illam, & difficilem controuersiam.

AN SENTENTIA INIUSTA CIRCA *beneficia Ecclesiastica habeat vim, & teneat in foro conscientia.*

Initio huius controuersiæ obseruemus primò: duplicem esse sententiam, aliam declaratoriam & aliam priuatiuā siue punitiuam: Declaratiua est, qua, cum aliqui contendunt, & litigant de aliquo beneficio quod neuter adhuc possidet, adiudicatur alteri, & declaratur a Iudice illi cōpetere: Puntiua vero est, qua, qui iam possidebat aliquod beneficium, in pœnam alicuius delicti, siue verè siue falso ei impositi, & probati, expoliatur illo beneficio, conferturque alteri.

Obseruemus secundò: Ex beneficijs quædam esse quæ sola voluntate, & auctoritate Episcopi conferuntur, alia verò, quæ non conferuntur nisi præcedente examine, & pro meritis, ac iuxta leges, & decreta conciliorum, qualia sunt fere omnia curata.

Denique obseruandum est, omnes illas distinctiones iudicis actoris, & rei proximè præcedenti controuersia adductas in hac quoque habet locum: Potest enim Episcopus expoliare aliquem suo beneficio bona fide, existimans se iustè agere, quia ita debeat secundum allegata, & probata, ita vt culpa solum sit in testibus, potest etiā ex sua iniquitate, & malitia. Similiter actor potest bona fide accusare clericum, & expoliatur beneficio quo iudicat illum tenera esse indignum, & si in eo decipiatur: potest etiam malitiosè, & falso calumniando, Denique clericus eoudem natus vt beneficio illo priuetur, potest appellare ad superiorem, aut non appellare sed tacere.

His positis variæ sunt in hac controuersia DD. opiniones, Panorm. in c. t. de concessio. Præben. Innocen. in c. Quia plerique de Immunit. Ecclesiæ. Angelus in ver. Sententia Ecclesiastica §. 8. Silu. eod. ver. §. vlt. & plerique Canonistarum volunt quod ad sententiam declaratiuam, si ea iniustiria, fit, idem omnino sentiendum esse, quod præcedenti controuersia diximus de sententia iniusta, quæ fertur à Iudice circa alias res secularesIlta, vt qui per talem sententiam iniustam recepit beneficium de quo fuit lis antequam ab vllo possideretur, cum primum nouit illius sententiæ iniustitiam, si quidem litigauit, & recepit illud bona fide restituat quidem, & resignet illud, non tamen expensas, quia bona fide litigauit, & recepit, si verò fraudulenter, vtrunque & beneficium, & expensas. Quo ad priuatiuam verò sententiam distinguunt, Si clericus iniquiunt, qui iniusta sententia priuatur beneficio quod iustè possidebat appellet, nec ipse amittit ius quod haber in suum beneficium, nec alter acquirit aliquod ius in illud per illam sententiam: cui dicto fauet illa Regula iuris in 6. [Stante appellatione nihil innouetur.] Quod si non proclamauerit nec appellauerit, sententia inquiunt est tunc omnino valida, & is cui beneficium istud per illam adiudicatur, recipit verum ius, & titulum illius, quia cum ille damnatus, & expoliatus tali sententia potuerit liberè proclamare, & appellare, nec voluerit, suo silentio apertè consentit illi sententiæ, & confitetur illud delictum, propter quod priuatur, vel saltim illa taciturnitate cedit iuri suo, iuxta ragulam Iuris. [Qui tacet consentire videtur.] Fauent huic etiam opinioni Legistæ, & Glossa Institut. de officio Iudicis §. vlt.

Dom.

Dom. Soto lib. 3. de Iust. q. 4. ar. 5. sequutus mag. suū Victoriam probat, quæ Panor. Ionoc. & alij affirmant de sententia declaratiua, circa punitiuam verò aliter docet, habet enim hæc tria. Primò in beneficijs, quæ sola authoritate Episcopi conferuntur, si sententia feratur bona fide secundum allegata, & probata, & recipiens beneficium quo alter per illam sententiam priuatur, bona fide illud recipiat, credens eum iustè illo priuari, quamuis talis sententia à parte rei iniusta sit, & lata per falsos testes, nihilominus esse validam, & conferre ius ad titulum recipienti illud beneficium, tutaque conscientia ab eo possideri, nec teneri ad illud resignandum, etiam si deinde innotescat ipsi illa testium falsitas, & iniquitas. Probatur hoc primum dictum, Ius, & titulus beneficij cuius ea hibitio, & collatio pendet ea sola voluntate, & authoritate Episcopi, nihil aliud exigit, quàm voluntariam, & actualē eiusdem Episcopi collationē; modo nulla interueniat aut misceatur symonia, iniuria, vel dolus, tam in conferente, quàm in recipiente, in hoc casu iste Episcopus voluntariè, & actu per illam sententiā confert huic hoc beneficium, nulla, vt supponimus interuenit symonia nulla iniuria, vel fraus, neque ex parte Episcopi, qui bono, & æquo animo illam sententiam tulit iuxta merita processus; neque ex parte recipientis, qui bona etiam fide illud recepit. Ergo: Quod si talis sententia, inquit, fuerit iniusta ex iniquitate Episcopi, qui recipit illud beneficium bona fide, manet rutus in cōscientia; & facit fructus suos donec illius iniquitatis Episcopi fit conscius, cum primum verò illā intellexerit, tenetur illud beneficium resignare. Prius illud probatur, quia contractus humani tam ciuiles, quam Ecclesiastici non requirunt ad suam æquitatem, & iustitiam nisi bonam fidem, secundum ea, quæ exterius apparēt; cum interiora, & occulta soli Deo sint perspecta: vnde qui recipit beneficium bona fide, ignorans malitiam, & iniquitatem conferentis, quandiu illam inculpabiliter ignorat, perinde se habet, ac si sine tali malitia, & defectu fuisset ipsi collatum, sicut, qui bona fide recipit beneficium a conferente illud cum aliqua symonia occulta, quamdio illa symonia conferentis (vt videbimus suo loco) est illi, qui bona fide recepit beneficium omnino, & inculpabiliter ignota; tuta conscientia retiner illud, & facit fructus suos, perinde ac si nihil tale interuenisset. Posterius verò oempe, quòd debeat beneficium illud resignare cum primum nouerit illam iniquitatem Episcopi, patet: quia per illam sententiam cum fuerit omni ea parte iniusta, & materialiter, & formaliter, & consequenter inualida, prior beneficiatus non amisit suum ius, & consequenter hic secūdus cum primum deprehendit talem iniustitiam, & iniquitatem sententiæ, tanquam intelligens priori manere suum ius, tenetur illud beneficium resignare, sicut qui bona fide recepit beneficium a conferente illud cum aliquā occulta symonia, cum primum illam nouit, tenetur illud relinquere, non autem tenebitur ad aliquam satisfactionem damnorum, cum ipse nullam alteri intulerit iniuriam, sed solus Episcopus.

Habet secundò Dominicus Soto in beneficijs, quæ non conferunt sola, & libera authoritate Episcopi, sed cum examine, & meritis maximè post Concil. Trid. in quo tota authoritas Episcopi circa huiusmodi beneficia legibus Iustitiæ deuincta est, sententiam iniustam etiam si bona fide feratur, & bona fide mandetur executioni, totaque culpa sit in solis testibus, non esse validam, neque conferre ius, Et eum qui receperit beneficium aliquod per talem sentētiam, cum primum nouerit illius iniquitatem, teneri ad illud beneficium resignandum, & dimittendum, etiam inuito episcopo. Non autem teneri ad reficienda damna priori beneficiato, cum ipse bona fide illud receperit, nec fuerit ei iniurius; Nec teneri ad restituendos fructus, quos percepit, sed illos reuera fecisse suos. Primò, quia cum accessorium sequatur naturam sui principalis, sicut bona fide retinebat illud beneficium, ita quoque bona fide recepit illos fructus, vt suos, & fecit suos. 2. quia in huiusmodi beneficijs fructus sunt velut stipendia debita ministerijs annexis beneficio, qua de causa sicut tuta conscientia habuit illud beneficium, ita quoque tuta conscientia recepit illos fructus, vt stipendia ministerijs, quæ ritè exercebat verè, & iustè debita. Quod autem teneatur beneficium ipsum omnino dimittere, cū primum nouerit iniustitiam sententiæ, patet. Cum huiusmodi beneficij collatio non pendeat ea sola voluntate episcopi, sed ea meritis etiā, & iustitia, qui semel illud habet iustè, & per merita, tandiu retinet ius, & titulum illius, quandiu retinet merita, sententia iniusta quacunque ratione sit iniusta, non expoliat illum suis meritis, ergo neque titulo, & iure sui beneficij: Et ita ex consequenti, qui illud recepit cum primum nouerit iniustitiam illios sententiæ, tenetur illud restituere, Episcopus verò compensare omnia dāna illata.

Asserunt tertiò Soto, & Authores huius opinionis, in beneficijs tàm primi, quā secundi generis, recipientem beneficium quo alter expoliatur sentētia iniusta, si illi expoliato calumniatus sit, teneri omnino beneficium illud statim resignare, & cōpensare omnia damna illata. Primò, quia nouit sententiam illam omnino esse iniustam, nec vnquam habuit bonam fidem, vel ignorantiam oppositi. 2. quia fraus, & dolus nemini debent patrocinari, hic autem per fraudem conatus est alium expoliare. 3. quia æquum est, & iustum, vt sicut in matrimonio qui machinatus est vitæ vnius coniugis, maneat inhabilis ad nubendum alteri coniugi superstiti, ita in hoc casu, qui falsò calumniatus est alicui clerico, vt suo beneficio iniquè expoliaretur, maneat inhabilis ad possidendum beneficium illius, cui falsò calumniatus est.

Ex recentioribus Thomistis quidam partim subscribunt huic secundæ opinioni M. Soti, & partim ab ea recedunt, Alij verò recedunt omnino: Quidam ergo conueniunt omnino cum M. Soto in primo dicto ipsius, circa beneficia illa, quorum collatio pendet ex sola, & libera authoritate episcopi. In secundo verò & tertio dicto ipsius non omnino conueniunt. Affirmāt enim cum Soto recipientem beneficium curatū, quo alter iniustè per sententiam expoliatus est, quacunque ratione sententia illa fuerit iniusta, siue ex falsitate testium, siue ex iniquitate iudicis, siue per calumniam eiusdem qui illod beneficiū deinde recepit, teneri quidem eniti apud iudicem, vt sententiam illam emēdet, & reuocet, & ad resignandum illud beneficium, cum primum poterit: rationē enim, qua hoc probatum est à Soto iudicant efficacissimam: Volunt tamen toto illo tempore quo non resignat beneficium, nec reuocatur illa sententia lata ab episcopo, habere verè ios, & titulum illius beneficij, & quæcunque ab ipso fiunt esse valida, & fieri tanquam à verò & legitimo curato.

Probant hanc partem. Primò, quia nisi sententia episcopi quamuis iniusta sit valida, & verè cōferat ius ac titulum beneficij, nihil esset tutum ac securum in Ecclesia Dei circa administrationem sacramētorum: Patet consequentia, quia sacramenta maximè pœnitentiæ debent conferri à vero curato, & Parrocho.

Secundò. In beneficijs curatis est iurisdictio, & hæc est quæ maximè pertinet ad ius, & titulum beneficij curati, iurisdictio autem confertur verè, & realiter ab episcopo cuicunque, in quem transfert ipse aliquod beneficium curatum, siue per sententiam iustam, siue per iniquitam illud traosferatur sicut iudex, quamuis per iniquitatem constituatur iudex, si tamen constituatur à Principe, vel ab alio habente authoritatem ad constituendos iudices, est verè iudex, & quæcunque facit sunt rata valida: vt habetur 3. q. 7. can. Infamis persona. Ergo similiter constitutus in beneficio curato ab episcopo, etiam si per iniquitatem, vel calumniam

niam sit constitutus, verè, & realiter est curatus, & habet ius ac titulum illius beneficij.

Tertiò. Sequeretur aliter maxima perturbatio, & confusio circa iura beneficiorum, expoliatus enim iniustè affirmaret sententiam illam esse omnino inualidam, & se retinere ius ac titulum illius beneficij: Similiter qui illud recepisset ab Episcopo, assereret se potius ius in illud obtinere, cum sibi altero expoliato collatum sit ab episcopo.

Quartò. Si prælatus per iniustam electionem confe rat beneficium indigno prætermisso digniori factum tenet, & quamuis indignus teneatur illud resignare, quamdiu autem non resignat, habet verè, & realiter ius, & titulum illius beneficij, estque verè beneficiatus. Ergo similiter in hoc casu.

Denique quando est communis error populi, & titulus beneficij omnia facta per Sacerdotem, quamuis per suspensum tenent, alioquin esset maxima perturbatio, & confusio in ecclesia, potestq; id colligi ex l. Barbarius. ff. de officio Prætoris: in hoc autem casu est communis error, siue opinio populi, existimantis illũ esse verum Parrochum, quẽ videt ab Episcopo in tali ecclesia cõstitutum, est & titulus beneficij, collatus ei per illam sententiam, quamuis iniustam. Ergo facta ab eo valida sunt, & tenent tanquam à vero Parrocho.

Alij in hac quæstione nec distinguunt inter beneficia nec inter sententiam declaratiuam, vel punitiuam, sed similiter iudicant de vtraque: distinguunt tamen inter sententiam quæcunque illa sit, quæ materialiter tantum iniusta est ex sola falsitate testiũ, & in qua iudex bona fide iudicauit iuxta allegata, & probata, partes quoq; bona fide inter se litigarunt, & eam, quæ formaliter & omnino est iniusta, quę scilicet nõ modò est iniusta ex falsitate testium, verum etiam ex iniquitate iudicis, & ex malitia, & calumnia alterius partis.

Quo posito statuunt duas conclusiones. Prior est.

CONCLVSIO I.

Per sententiam iniustam formaliter, & omnino, nullum ius, nec titulum acquiritur ab aliquo in beneficium aliquod quodcunque illud sit.

PRobant, sententia quæ non modò est iniusta ex falsitate testium, verum etiam est ex iniquitate iudicis, vel ex iniquitate, & calumnia alterius litigantis, omnino & simpliciter est iniqua, nulla, & inualida, imò nec dicenda sententia, sicut iudicium, quod formaliter, & omnino iniquum est, (vt docet D. Tho.) non est iudicium, ergo per talem sententiam nullum confertur ius alicui, sicut nec per iudicium omnino iniquum, & inualidum. Posterior conclusio horum DD.

CONCLVSIO II.

In causis quorumcunque beneficiorum, sententia ritè lata à iudice secundum allegata, & probata, siue sit declaratiua, siue punitiua, habet vim in foro animæ, & confert ius, ac titulum beneficij illi in cuius fauorem fertur, modò partes bona fide litigauerint, index quoque à quo animo, & bona fide illam tulerit.

PRobatur hæc conclusio. In Ecclesia est potestas tollendi, & conferendi beneficia, sicut expediens ad animarum salutem, & ad bonum spirituale ipsius Ecclesiæ, sed expedit maximè saluti animarum, & commodo totius Ecclesiæ, vt omnis sententia, quæ fertur circa beneficia, siue declaratiua sit siue punitiua, conferat titulum, & ius in conscientia, etiam si sit ex parte rei, & materialiter iniusta, Ergo cõfert illud. Maior certa est: quia cum Deus non deficiat in necessarijs, dubitandum non est contulisse Ecclesiæ talem authoritatem, veluti ipsi necessaria ad bonum spirituale ipsius.

Minor probatur, quia esset magna perturbatio in Ecclesia, si iura beneficiorum Ecclesiasticorum penderent à rei veritate, & ab ipsa iustitia: sæpe enim cũ Episcopi debeant stare dictis testium, sicut & cæteri iudices, haberentur pro Parrochis, qui non essent verè Parrochi, imò & pro Episcopis, qui non essent veri Episcopi, & consequenter non reciperet moltoties plebs fidelis vera Sacramenta ex defectu legitimæ iurisdictionis superiorum in subditos.

Secundò. Quando expedit ad bonum temporale Reipub. potest Rex (cum sit tutor illius, & custos boni publici) expoliare hone, vel illum priuatum ciuem bonis suis, & illa alteri adiudicare: Ergo multò magis quando expedit ad bonum spirituale Reipub. Christianæ poterit Episcopus hoc facere, pertinet autem ad bonum spirituale Ecclesiæ (vt cõstat) vt iura beneficiorũ sint certa, certa esse non possunt, nisi verè sint apud eos quibus per sententiam Ecclesiasticam quæcunque illa sit adiudicantur. Ergo. Et confir. quia beneficia Ecclesiastica potissimè sunt instituta propter bonum spirituale Ecclesię, cum ergo hoc bonum Ecclesię exposcat, vt habeat ius, & titulum beneficij ille, cui adiudicatum est, etiam si aliter fiat iniuria, penes illum esse debet.

Addunt tamen hi. DD. Eum qui per iniustam sententiam recepit beneficium, quod nondum possidebatur ab eo, contra quem sententia illa lata est, non teneri ad illud resignandum modo iste sit dignus, nam indignus nulla via potest beneficiũ retinere, imò nec recipere: Si verò beneficium illud iam ab alio iure possidebatur, & illo iniustè expoliato ipsi collatũ sit, teneri cùm primum nouerit illius sententiæ iniustitiam, ad resignandum illud in manibus Prælati, vt conferat illud cui competit, & admonendum illum, qui fuit expoliatus de iniustitia sententiæ, vt prosequatur suum ius. & ad restituendũ illi fructus beneficij, non solùm eos quos percepit postquam comperit iniustitiam sententiæ, verùm, & præcedentes, in quibus factus est ditior: excepta ea parte, quæ arbitrio prudentis potest iudicari tanquam iustum stipendium respondens ministerijs, quæ ratione illius beneficij exercuit ipse in illa Ecclesia.

Vt in hac controuersia se ipsa satis difficili, & tot DD. opinionibus reddita difficiliori, quod verius est deprehendamus, obseruemus primò, plurimom interesse inter id quod est habere ius, & id quod est factũ tenere, & esse ratum ac validum. Ad habendũ verum ius in beneficijs, exigitur, vt conferantur ab habente authoritatem, ac vt in collatione nulla interueniat symonia, iniuria, fraus, vel dolus: vt est definitum copiosè varijs in locis maximè in Decretalibus: De concessione præbendæ per varia capita. Vt factum verò teneat non exigitur ius beneficij, sed vel sola iurisdictio ordinaria, aut delegata, vel quod Ecclesia aliqua definitione sua, aut communi vsu, & antiqua consuetudine, quæ explicatur eius consensus; factum illud iudicet ratum, & validum. verbi gratia gerentes vices curatorum non habent ius nec titulum beneficij curati, gerentes vices Episcoporum non sunt Episcopi, at facta istorum vniuscuiusque in suo gradu valida sunt, propter delegatam iurisdictionem, quam habent. Symoniacus quoque nullum habet ius in dignitate, quã per symoniam acquisiuit, quamdiu autem non condemnatur de symonia, facta eius tenent, quia iudicantur totius Ecclesiæ consensu valida, suspensus similiter, irregularis, & excommunicatus non habent ius ad munera, & ministeria ecclesiastica, quamdiu tamen tolleratur ab Ecclesia, facta istorum tenent.

Obseruemus secundò in rebus sæcularibus parum referre Reipub. sitne hæc res Petri an Ioannis, sed sat illi esse. vt litibus occurrat lege præscriptionis: at in beneficijs, quæ instituta sunt ad cultum Dei, & obsequium ecclesiarum, quia esset magna perturbatio in Ecclesia, & minueretur cultus Dei, si iura beneficiorum

tum penderent semper ex rei veritate, & iustitia, ad tollenda hæc damna & optimam Ecclesiæ gubernationem, dirimendas lites, pacandasque conscientias conueniunt omnes Doctores tam Theologi, quàm Iuris Canonici interpretes, in beneficijs, quæ non nituntur meritis, & iustitiæ, sed liberæ tantum electioni Patroni, & collationi Episcopi; transferri iura verè, & realiter per sententiam iudicis ecclesiastici, etiam si illa iniusta sit à parte rei; modo æquo animo secundum allegata, & probata ritè feratur, & bona fide partes litigauerint, sicut ius bonorum temporalium transfertur in possessorem bonæ fidei lege præscriptionis. Adducit Panormitan. huius doctrinæ confirmationem c. Cum dilectus, extra de electione. Glossa etiam in c. 12. de concessione præben. adducit c. Quo ad consultationem: extra de sententia, & re iudicata. Sed hi textus tantum loquuntur in foro exteriori; in interiori autem esse verum, quod hic dicimus ratio adducta ostendit. Vnde tota difficultas, & controuersia consistit in beneficijs, quorum collatio iuxta leges Ecclesiasticas, & statuta conciliorum maximè Tridon. debet niti meritis, & iustitiæ, qualia sunt curata.

His positis dico primo.

Opinionem illam Canonistarum sententiam priuatiuam, etsi iniustam habere vim in foro animæ, & transferre ius, si expoliatus non proclamet, neque appellet; esse omnino reijciendam.

PRimò. Quia illa regula, qui tacet videtur consentire, intelligenda est de superioribus, aut his, qui cum possint, & debeant non tacere in aliquo euentu, tacent, tunc qui ita tacet apertè consentit.

Secundò. Quia in his, quæ cedunt in damnum proprium, non dicitur quis consentire per solũ silentium, aut per consensum tacitum, sed quando id liberè, & apertè exprimit, vt in omnibus contractibus, qui pendent ex consensu contrahentis docent Iurisperiti desiderari, quod cum sit verum in rebus secularib. multò magis in spiritualibus, & Ecclesiasticis.

Tertiò. In causis secularibus, eo quod condemnatus non appellet non censetur consentire, aut cedere iuri suo, ergo neque in causis beneficiorum, consequentia patet, quia iste habens ius ad illud beneficium quod possidebat, perinde erat verus dominus illius, postquam ei fuit rite collatum, sicut, & secularis est dominus rei, quam possidet. Antecedens verò ostendo, quia ex communi doctrina Iuristarum, & vera, qui nõ appellat intra tempus præfixum à lege, non expoliatur iure suo à parte rei, sed tantum negatur illi actio in iudicio, lege ita statuente, & iustè, vt imponatur finis litibus.

Quartò. Non appellare non est maius signum cedendi iuri suo, vel consentiendi, quando quis cõdemnatur per sententiam priuatiuam, quàm cum condemnatur per declaratiuam, sed quando cõdemnatur per declaratiuam non asseruot isti. DD. consentire vel cedere iuri suo, eum qui non appellat. Ergo nec dicendus est cedere iuri suo condemnatus sententia priuatiua, propterea quod non appellet.

Dico secundo, falsum esse quod ijdem affirmant, & M. Soto cum eis, sententiam declaratiuam, si iniusta sit non conferre ius beneficij, sed recipientem beneficium per talem sententiam teneri ad illud resignandum, sententiam verò priuatiuam etiam si iniusta sit, conferre ius in beneficijs, quæ pendent ex sola authoritate Episcopi.

RAtio est aperta: Quia per sententiam declaratiuam nulla culpa, vel crimen imponitur illi, qui non confertur beneficium de quo litigatur, neque expoliatur re aliqua, quam iam actu possideret, etsi haberet ius ad illam, per sententiam verò priuatiuam imponitur illi crimen, & condemnatur de eo, & expoliatur beneficio, quod actu possidebat, vnde cum maius damnum, & iniuria ei inferatur per sententiam priuatiuam, quàm per declaratiuam minus dicendus est consentire condemnatus per priuatiuam quàm per declaratiuam, & consequenter non minus conferet ius declaratiua, & si iniusta cum minus noceat, quàm priuatiua iniusta quæ magis nocet.

Dico tertio: In beneficijs simplicibus, quæ non pendẽt ex meritis, & iustitia, sed ex sola voluntate Episcopi sententiam ipsius, etsi iniustam, siue declaratiua sit siue priuatiua, modò bona fide ab eo lata sit, iuxta allegata, & probata, & bona fide partes litigauerint, confero ius, & titulum beneficij in vtroque foro, nec teneri ad resignandum beneficium, qui illud ita recepit.

PRimò. Quia aliter nil firmum, aut securum esset in Ecclesia circa huiusmodi beneficia. Secundò, quia ad obtinendum ius, & titulum in huiusmodi beneficijs, solum exigitur voluntas, & collatio Episcopi, modò nulla interueniat symonia, iniuria, vel dolus, quæ in hoc casu non reperiuntur, cum tàm Episcopus, quàm recipiens beneficium bona fide sint vsi. Quod si aliquo dolo vsus sit, qui aliquod beneficium ex his recepit, vt illud obtineret, tunc non est censendus acquisisse ius illius in foro animæ, cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinari, maximè si dolus ille occasio fuit expoliãdi alterum beneficio, quod iam possidebat.

Dico vltimò, in beneficijs curatis, quæ pendent ex meritis, & iustitia, distinguendum esse necessario inter sententiam declaratiuam, & priuatiuam hac ratione. Vt si per declaratiuam conferatur beneficium curatum digno dimisso digniori, peccauit quidem Episcopus, vt infra videbimus contrà iustitiam distributiuam. Dignus verò, qui illud per talem sententiam recepit, non tenetur illud resignare, sed acquirit verum titulum, & ius illius beneficij, modo non sit vsus, fraude, dolo, vel calumnia.

QVia cum illud beneficium nullius adhuc esset, & iste sit capax (& si non æquetur in meritis dignior (nec vlla fraude, vel calumnia vsus sit, collatio illa Episcopi est rata, & valida: alioquin esset maxima perturbatio in Ecclesia, si huiusmodi collationes beneficiorum non essent validæ, nisi fieret digniori, orirentur enim innumeræ lites, vno quoque iudicante se esse digniorem: Dixi semper digno dimisso digniori, quia indignus non est capax benefitij, nec vnquam acquirit ius in illud, neque simpliciter, & sine lite neque interueniente lite, & sententia.

Si verò sententia iniusta sit priuatiua, tunc verissimum est illud secundum dictum M. Soto, & Victoriæ. Sententiam iniustam qua aliquis expoliatur beneficio curato, quod actu, & iustè possidebat, non conferre ius neque titulum alteri, in quem per talem sententiam beneficium illud transfertur, quocunque modo illa sententia iniusta sit.

PRobat hæc efficaciter argumentum illud. Quia ius in huiusmodi beneficijs (cum sint instituta ad salutem animarum) nititur meritis, vnde sicut sentẽtia iniusta non expoliat priorem beneficiatum suis meritis ita nec suo titulo, & iure; Quod si ius istud manet in priore non potest transferri in alterum, non enim possunt duo habere verum titulum, & ius in idem beneficium. Secundò ex placito aliorum Doctorum. Clericus recipiens beneficium curatum, quo alter iniustè expoliatur, cum primum nouit iniustitiam sententiæ, & iniuriam illi priori factam, tenetur illum admonere de iniustitia quam patitur, & resignare illud beneficium:

cium: imò si fructus sint pingues, restituere quoque illum excessum, in quo arbitrio prudentum superant rationem iusti stipendij. Ergo qui per talē sententiam acquisiuit huiusmodi beneficium, non habet ius neque verum titulum illud. Probo consequentiam, quia si acquisiisset ius in illud fecisset illud verè suum, rem autem suam nemo tenetur resignare, aut restituere: Et confirmatur. Possessor bonæ fidei antequam præscribat tenetur rem quam possidet restituere, cum primum intelligit se rem illam possidere per iniquam sententiam, quia nondum habet acquisitum ius in illa, at si possidet bona fide toto tempore, quod exigitur ad præscribendum, cum primum præscribit facit rem illam suam, nec tenetur eam restituere, etiam si deinde intelligat per iniquam sententiam se incœpisset rem illam habere, quia eo ipso quo bona fide illam possedit toto tempore à lege constituto, & præscripsit, acquisiuit verum ius, & dominium in illam. Ergo similiter cum hic beneficiatus teneatur resignare beneficium illud, cum primum nouit iniquitatem sententiæ per quàm illud acquisiuit, efficitur necessariò non acquisiisse ius, & titulum ipsius.

Argumenta omnia Doctorum, qui aliter sentiunt, illi tantum nituntur fundamento, dari maximam perturbationem, & confusionem in ecclesia maximè circa Sacramentorum administrationem, nisi is cui per sententiam iudicis. Ecclesiastici (quamuis iniustam) cōfertur aliquod beneficium sit verè curatus, habeatque verum ius, & titulum illius beneficij. Sed hoc fundamentum ruit omnino ex prima obseruatione hic posita: differunt enim plurimum hæc duo habere ius, & titulum beneficij, vel habere iurisdictionem, & factum tenere: si quidem hæc duo ita essent inter se connexa, vt vnum sine alio reperiri non posset, tunc sequeretur profectò istud incommodum, & perturbatio in ecclesia, at cum possit habere iurisdictionem, & factum tenere etiam absque titulo beneficij, quia sufficit ad iurisdictionem sola voluntas superioris conferentis illam, non sequitur ex nostra sententia tale incommodum, vel perturbatio. Dicimus enim recipientem beneficium per sententiam punitiuam iniustam, quo alter iniquè expoliatur non acquirere ius, nihilominus facta illius tenere: tum quia per voluntatem superioris, etsi sententia eius iniqua sit, habet verè iurisdictionem, tum etiam quia ecclesia habet facta illius, vt rata, & valida.

ARTICVLVS VI.

An iudicium vsurpatum sit peruersum?

CONCLVSIO PRIMA quæ est affirmans.

Iudicium vsurpatum iniquum esse, peruersum, & nullum.



PROBATVR prima pars: Iudicium quo maxima iniuria alteri irrogatur, iniquum est, sed in iudicio vsurpato irrogatur maxima iniuria non solum reo, verumetiam vero, & legitimo iudici, cum iudicium vsurpatum fit, cum quis vult de eis re, aut persona iudicare, quæ non ad suam sed ad alterius authoritatem, & iurisdictionem pertinet: Ergo.

Probatur Secunda pars. Iudicium in quo non seruatur ordo, iuris, sed grauissime peruertitur & in rebus maximè necessarijs peruersum est, omnia autem iura proclamant vt in iudice sit authoritas publica & vis coerciua quàm possit exercere in eum quem iudicat, similiter proclamant, vt nemo iudicetur nisi à suo superiori. vnde illud B. Pau. Rom. 14. Tu quis es qui iudicas seruum alienum. Et Pilatus solo iure naturali adductus audiens Christum de Herodis iurisdictione esse, remisit illum ad Herodem. Ergo.

Probatur tertia pars conclusionis. Iudicium est quędam interpretatio, & applicatio legis ad causam, & personam particularem cum vi coactiua, sed explicare, & applicare legem cum tali vi exigit necessariò authoritatem & iurisdictionem in eo qui illam ita explicat, & applicat, alioquin nil aget, iudicium ergo vsurpatum cum fit ab eo qui non habet talem authoritatem & iurisdictionem in causa quam iudicat, nil reuera efficit, sed erit omnino nullum.

Circa hunc art. illud initio obseruandum est: Propriam rationem iudicij vsurpati apertius, & magis reperiri in iudicijs publicis quàm in priuatis, & temerarijs. Primò, quia sicut de ratione iudicij est, vt qui iudicatur compellatur subire iudicium sui iudicis, & superioris: ita de ratione iudicij vsurpati est, vt qui iudicatur compellatur subire iudiciū illius, qui non est suus iudex nec superior, quod in publico reperitur quidē non tamen in priuato, & temerario: temerariū enim iudicium ad nil compellit iudicatum. Secun. In iudicio vsurpato infertur iniuria illi iudici, cuius authoritas vsurpatur, quod etiam reperitur in publico non tamen in priuato, nullius enim alterius hominis authoritatem sibi vsurpat qui temerè iudicat, & si videatur vt dicemus Dei authoritatem qui solus occultorum est iudex vsurpare. Tertiò propria ratio iudicij vsurpati sumitur ex defectu authoritatis ideò enim dicitur vsurpatum, quia vsurpat sibi munus ad quod non habet authoritatem, hoc propriè & per se reperitur in publico iudicio non autem in priuato & temerario: in temerario enim non ideo. Ego quādo de te aliquid temere iudico, non ideo temere iudico, quia non habeam authoritatem, sed quia ex leuibus indicijs ita iudico, nec mihi licet ita iudicare vnde iudicium temerarium non est primò, & per se vsurpatum ex defectu authoritatis, sed ex defectu probationis. At publicum quando vsurpatum est, id habet per se, & absolutè ex defectu authoritatis, & non ex defectu probationis, quia si in iudice non est authoritas etiam si iudicet iuxta allegata & probata est iudicium vsurpatum. Si verò sit in ipso authoritas, desit autem legitima probatio, erit quidem iniquum ex defectu probationis, non tamen vsurpatum: Et ita D. Tho. in hoc artic. potissime loquitur de iudicio publico, vt ex ipsius argumentis patet: probat enim esse peruersum & iniquum, quia iudicare est interpretari & accommodare legem causæ de qua agitur, ad quod requiritur authoritas in iudicante, tum etiam quia iudicans potest compellere illum quem iudicat ad subeundum illud iudicium quod non potest fieri sine iurisdictione, & vi coerciua: certum autem est hæc duo interpretari & accommodare legem, & compellere iudicatum per vim coerciuam ad subeundum iudicium non conuenire iudicio priuato & temerario, sed soli publico.

Nihilominus priuata quoq; iudicia, quæ temeraria sunt, vsurpata appellare possumus, & extendere ad illam conclusionem Diu. Thom. Imprimis enim locus D. Pau. Roma. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Quo vtitur hic D. Thom. in argum. in contrarium de priuatis iudicijs temerarijs loquitur propriè. Secundò quia si iudicium vsurpatum est, quando vsurpat quis sibi authoritatem alterius, hoc etiam reperitur in iudicijs temerarijs, vt artic. 2. huius quæst. vidimus: etenim cum solus Deus sit secretorum cognitor iuxta illud 1. Reg. 17. Homines vident ea quæ apparent Deus autem intuetur cor: qui vult iudicare proximum de rebus occultis, Dei apertè sibi vsurpat authoritatem.

thoritatem. Vnde Iacobi.4. Qui iudicat fratrem suum dicitur constituere se iudicem legis: Et subdit: Vnus enim est legislator & iudex qui potest perdere & liberare, tu autem quis es qui iudicas proximũ tuum? q.d. Deus solus est qui occulta potest iudicare, & propterea perdere vel ab eis liberare: Tu quis es qui hoc iudicium soli Deo conueniens tibi vsurpas?

Offerunt se nunc circa hunc art. c. aliquæ difficiles, & graues controuersiæ, Quarum Prima sit:

AN TENEANTVR CIVES IN CONscientia obedire legibus & sententijs Principis, qui non est verus & legitimus Princeps sed tyrannus.

CErtum est, Turcam tyrannum esse & per tyrannidem regna illa occupasse: Est ergo quæstio. An Christiani qui agunt in Asia & Africa teneantur in foro animæ legibus & statutis illius stare? Similiter Catholici qui sunt in Anglia debeant ne obedire legibus istius impiæ Iesabelis? quam certum est iam non possidere regnum illud iusto titulo sed tyrannicè. Et est quęstio de his quæ iustè & prudenter præcipiũt, nam iniustas leges, & præcepta iuri naturali aut diuino repugnantia certum est nullo modo obligare etiam si à vero, & legitimo principe constituantur.

Communis est sententia DD. Canonistarum capit. At si clericus Ext. de iudicijs. Et Iuristarum in l. Barbarius, ff. de offic. Præto. & multorum Theologorum in 4. dist. 17. & 18. quam sequuntur plerique ex Summistis ver. Iudicium, Iudex: Sententia: Superiori qui non est legitimus princeps, sed tyrannus in foro animæ non esse obediẽdum: quod ita probãt. Axioma est omnium DD. sententiam prolatam a non iudice esse omnino nullam, & consequenter nullo modo obligare, sed in hoc casu quidquid tyrannus statuat, præcipiat, vel iudicet, est, velut sententia lata à non iudice Ergo: Minor cum consequentia aperta est, quia si tyrannus est, eo ipso non est iudex. Maior habetur expresè in illo cap. At si clericus; Et can. Accusatores. 3. q. 8. Et confirmatur. Ex D. Greg. 11. q. 3. can. Sententia, vbi non dixit absolutè quæuis sententia, sed sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda est. At lex vel sententia tyranni non est sententia pastoris Secundò: Iudicium vsurpatum ex doctrina huius artic. est peruersum & nullum, imo nec est dicendum iuditium, iuditium, autem tyranni perspicuum est esse vsurpatum, ergo.

Soto lib. 3. de iust. quæst. 3. art. 6. qui est commentarius huius artic. vult leges & sententias tyrannorum non obligare in conscientia nisi tales tyranni aut pręscriptione longi temporis, aut consensu Reipub. reddantur veri, & legitimi Principes, vt in Hispania & Gallia. in Hispania enim trahunt Reges initium a Gothis qui per vim & tyrannidem occuparunt hæc regna, sed cum progressu temporis libere, Hispani illos reges admiserint, & illis obedientiam iurauerint, successores illorum sunt veri & legitimi Principes, & iusto titulo ac iure regnant.

Recentiores Thomistæ recedunt plurimum à communi Iurisperitorum sententia, asserentes leges, & iudicia tyrannorum licèt reuera vsurpata sint vt nomẽ ipsum tyranni indicat, nihilominus si iusta sint, quando iam pacifice terras possident, obligare in conscientia, quia ita expedit bono communi in talibus locis, ne Respubli. in perpetuum perturbatione, sed aliqua pace fruatur, & quiete.

In explicanda hac controuersia obseruemus primò, varijs modis posse aliquem esse tyrannum. Primò, solo regimine & gubernatione, quo modo quiuis legitimus Princeps tyrannus censendus est, quando non secundum ius & æquitatem sed iniquè & tyrannice gubernat. Secundo modo iure & titulo, quia tyrannice regnum illud possidet, & non iure: quòd bifariam potest adhuc accidere, Nam aut possidet illud tyrannicè, quia nec populi electione, nec iure hæreditario, sed solo iure armorum per vim, & tyrannidem regnum inuasit, & occupauit, quia ratione ferè omnia regna inceperunt, præter regnum Israelis, cui à Deo Reges traditi, & designati fuerunt, aut quia licèt iusto titulo incæperit illud possidere, ob crimina tamen sua maximè ob hæresim, & apostasiam amisit ius in tale regnũ. Rursum qui tyrannus est, quia tyrannicè inuasit regnum, aut est adhuc in fieri, quando scilicet incipit dominari, & vsurpare sibi principatum, aut iam est in facto esse, ita vt à multis iam annis dominetur, & sit antiquus ipsius Principatus. Deniq; qui à multis iam annis dominatur, licèt tyrannicè regnum inuaserit, aut libero deinde Reipub. consensu receptus est, & iurata illi obedientia, sicut modò dicebamus de successoribus Gothorum in Hispania, vel nunquam est à subditis receptus, sed dissimulant ciues, & patienter illud ferunt, quia non habent vires ad eum repellendum.

Obseruemus secundò. Consensum Reipub. duplicem, esse alium formalem, & expressum, alium interpretatiuum, quo Respub. licèt non consentiat in aliquid aperiè, & expresè, rationabilitet tamen, & prudenter censenda est in illud consentire: quo modo dicenda est consentire in ea, quæ suæ optimę gubernationi, & paci sunt necessaria, quia rationi consonum est ciues in sua Repub. illa optare, & velle. Ex his duobus consensibus Reipub. vt tyrannus desinat esse tyrannus, & efficiatur verus, ac legitimus Princeps, sitque tutus in conscientia, requiritur ille prior formalis, & expressus: quia ius dominandi tribus tantum modis acquiritur, vel iure hæreditario, vel diuina electione, vt in Saulo, & Dauide, vel libera electione populi: libera autem electio populi dicit consensum formalem & expressum.

His positis dico communem illam sententiam Iurisperitorum, & multorum Theologorum veram quidem esse de tyranno, qui adhuc est in fieri, talis tyranni sententias & mandata non obligare, cum illi omnium consensu resisti possit. At si loquamur de tyranno in facto esse, qui iam pacificè regnum gubernat, probabilior multò est opinio recentiorum. Sententias & præcepta huiusmodi obligare, quia ita expedit paci, & bono illius Reipub. quamdiu ciues non habent vires ad illum repellendum. Opinio verò M. Soto in tribus peccat. Primò, quia cum sint varia tyrannorum genera, & variè de illis sentiendum, ipse de omnibus eodem modo loquitur. Secũdò, quia docet tyrannum reddi verum Principem præscriptione longi temporis, quod admittendum non est, quia cum tyrannus sit possessor malæ fidei nunquam præscribit. Tertiò, quia cum consensus Reipub. sit duplex expressus, & interpretatiuus, requiraturque ad electionem Principis consensus expressus, nec sufficiat interpretatiuus, non explicat M. Soto quis consensus desideretur.

Nos igitur per nonnullas assertiones propositam controuersiam explicemus.

PRIMA ASSERTIO.

Tyranno solo regimine tenentur ciues in legibus, & sententijs iustis obedire in conscientia.

HÆc aperta est, quia in huiusmodi sententijs non est tyrannus, sed verus Princeps.

SECVN-

SECVNDA ASSERTIO.

Tyranno iam suscepto libero, & expresso populi consensu, parendum est vt vero Principi.

APerta etiam est hæc cum per talem consensum sit iam effectus verus, & legitimus Rex.

TERTIA ASSERTIO.

Tyranno in fieri nullo modo tenentur ciues parere, siue iusta, siue iniusta præcipiat.

APerta hæc quoque est, quia nec in ipso est authoritas,& ius quo teneantur illi ciues obedire,nec bonum Reipub. id exigit,cum nõdum pacificè gubernet: vnde omnes DD. consentiunt huiusmodi tyranno posse ciues licitè resistere.

QVARTA ASSERTIO.

Tyranno in facto esse,siue quia tyrannicè regnum vsurpauit, siue quia tyrannicè illud retinet, quo iam per sententiam Ecclesiæ expoliatus est,regnat autem quia à subditis non potest repelli,tenentur ciues in foro animæ si iusta præcipiat,& iudicet obedire.

VT Christiani degentes Asiæ tenentur Legibus iustis Turcæ,& Catholici agentes Angliæ legibus iustis illius impiæ Reginæ obedire. Probatur.Tenentur ciues in conscientia consentire, & seruare ea, quæ sunt omnino necessaria suæ Reipub. vel simpliciter, & absolutè, vel saltim pro tali statu, sed obedire tyranno iusta præcipienti,quandiu repelli non potest,& haberi legitimus Princeps,est pro tali statu,& tempore omnino necessarium Reipub. ad eius conseruationem: Ergo tenentur ciues tūc illi obedire.Maior cum consequentia aperta est. Minor probatur.Primò,quia cum tyrannus ille sit potens viribus, & iam pacificè dominetur,sequeretur maxima perturbatio,& confusio in Repub.non obediendo illi,& plus nocerent ciues suæ Reipub. non obediendo quàm ipsemet tyrannus cum iusta præcipiat sua tyrannide.

Secundò: Quia ad bonam Reipub.gubernationem maximè in rebus tam desperatis, & deploratis expedit tanquam vnicum remedium, vt sit aliquis iudex, qui componat lites,& controuersias inter ciues,& cui tunc omnes obediant, aliter non possent homines tūc ciuiliter viuere, nec securi esse in domibus suis, non esset hospes ab hospite tutus nec vicinus à vicino, at tunc non potest haberi alius iudex, qui id præster nisi ille tyrannus.Ergo cum iusta præcipiat non solum exterius, verum etiam in cōscientia tenentur ciues obedire illi.

Tertiò:Ex D.Tho.1. 2.q.96.art.4. lex quæ fertur à non habente authoritatem non obligat in foro animæ,nisi vbi aliàs esset scandalum,& perturbatio Reipub.at quando tyrannus iam pacificè gubernat, nec potest repelli, esset graue scandalum, & perturbatio Reipub.illi non obedire: Ergo tunc, licèt à parte rei non habeat ipse authoritatem,nisi vsurpatam,ob bonum tamen Reipub. est illi in conscientia obediendum. Et confirm. Hoc interest ex communi sententia DD. inter consensum expressum Reipub.& interpretatiuum, quod expressus requiritur, vt quis eligatur, & instituatur verus Princeps, at vt subditi teneantur obedire etiam non verò Principi sufficit interpretatiuus,quando ita exigit bonum commune suæ Reipubli.quia rationabiliter,& prudenter iudicantur ciues consentire in necessaria suæ Reipub. Sed in hoc casu (vt constat)maximè expedit ad pacem,& bonum Reipub.ciues tali tyranno obedire: Ergo per consensum saltim interpretatiuum tenentur in conscientia iustis, & honestis præceptis illius stare, & parare.

Denique si ita res haberet, vt Indi Insulani per tyrannidem essent redacti ad dominium Regis Hispaniæ, sequeretur non teneri illos ad obediendum legibus, & statutis nostri Regis, & suorum ministrorum, quod esset omnia perturbare, nec est vllo modo asserendum.

Confirmantur hæc omnia:Primò ex Sacra Scrip.ex qua & historijs constat Romanos per tyrannidem occupasse Iudæam eo tempore quo Christus, & Ioannes Baptista prædicabant, at neque Christus,neque Ioannes neque Apostoli docuerunt ne illis obedirent, imò oppositū: Christus Matth. 22. docuit tributa esse reddenda Cęsari,imò ipse & reddidit:nec asseruit se libe rū,quia non esset obediendū tyrannicè imperanti:sed qui erat filius Dei,& Dauidis.Ioan.Bap.Luc.3.militibus quærentibus ab ipso(quos dubinm non est quin essent milites Romanorum)quid facerent non præcepit,vt militiam desererent quasi ministri principis tyranni, sed hoc tantum. [Vt neminem concuterent, & contenti essent suis stipendijs]. Vbi potiùs suasit stare in militia Cęsaris. Pilato etiam qui nullā authoritatem habebat nisi à Cęsare dixit Christus, [Non haberes in me potestatem.] &c. Et 1.Pet.2.[Subiecti estote siue Regi. tanq præexcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. [Nullus autem Rex tunc erat nisi Cæsar, neque vllus Dux nisi constituti ab ipso.

Confirmatur 2.Can.infamis 3.q.7.& l.Barbarius. ff. de officio Prætor.vbi sententia lata à seruo censetur valida, & obseruanda, iudicium autem serui certum est vsurpatum esse:Huius sententiæ assentitur quoque fuisse M.Victoria,imò eam apertè insinuat in sua relectione de Potestate ciuili,Nu.23.

Ad Arg.in oppositum dico iudicium tyranni ex parte iudicantis esse reuera vsurpatum,& sententiam eius nullam,quia proxima causa talis iudicij,& sententiæ, nempe authoritas eius est reuera vsurpata,& nulla,ex parte verò ciuium esse illi obediendum in conscientia, tanquàm iustæ sententiæ, & legitimo iudicio, quia tenentur ciues eligere minus malum temporale ad vitandum maius,& per minus malum quod est obedire illi vitant perturbationem suæ Reipub.quæ esset multò maius malum. Tum etiam quia iudicia huius possunt quadam ratione dici iudicia veri iudicis,quatenus tollerantur à Repub. per consensum interpretatiuum, qui sufficit,vt teneātur ciues obedire illi in conscientia. Ex quo etiam sequitur non modò ciues debere illi in conscientia obedire, verum etiam tyrannum ferentem tales sententias non peccare, quinimo peccaret nisi illas ferret,quādiu munus Principis retinet,quamuis teneatur in conscientia principatum relinquere, aut eniti medijs honestis,vt à Rep.in suum principem eligatur.

SECVNDA CONTROVERSIA EST. An Iudex extrahens hominem ab Ecclesia,quæ gaudet priuilegio immunitatis committat iudicium vsurpatū, & teneatur reficere homini ab illa extracto omnia damna.

NOn est hic quæstio de his quorum delicta iure ipso reddunt illos inhabiles, & indignos priuilegio immunitatis Ecclesiarum, nec est dubium, iudicem extrahentem ab Ecclesia,quę tale priuilegium habet, hominem qui priuilegio illo gaudere potest vsurpare sibi iudicium,cum exeunte tali priuilegio non habeat authoritatem ad extrahendum hominem ab illa, sed id potissimè, quærimus an iudex sic agens, tenea-

tur ad restituenda omnia damna, quæ illi homini ab Ecclesia extracto intulit. Si consuetudinem respiciamus videtur non teneri: non enim solent compelli iudices aliquid restituere homini extracto ab Ecclesia, sed solum Ecclesiæ ob iniuriam loco sacro illatam.

Secundò: Huiusmodi priuilegium tantum est concessum in fauorem loci sacri, non in fauorem confugientium ad Ecclesiam, sufficit ergo restituatur aliquid Ecclesiæ, cuius priuilegium læsum est, nec est quod aliquid restituatur ei, qui fuit extractus.

In oppositum autem est, quod vt quæst. 62. ar. 2. videbimus cuicunque leso cum iniuria sunt reficienda damna ipsi allata, in hoc autem casu cum extrahere hominem Ecclesia sit iudicium vsurpatum, & ex consequenti cum iniuria, non solum Ecclesiæ, verò etiam, & illius qui extrahitur sequitur apertè, non solum Ecclesiæ: verumetiam illi, qui extractus est, esse reficienda omnia damna, quæ ratione illius iniquæ extractionis passus est. Vnde sic.

CONCLVSIO I.

Iudex extrahens ab Ecclesia habente priuilegium, hominem, qui illa gaudere potest, tenetur non solum Ecclesiæ, verum etiam homini ab illa extracta omnia damna illata compensare.

PRobatur: ille sic receptus Ecclesiam, habet ius ratione illius priuilegij, (quamuis concessi Ecclesiæ) tuendi, se & omnia sua in illa Ecclesia, adeo vt si periclitetur de vita, velitque iudex per vim ipsum extrahere, possit cum moderamine inculpatæ tutelæ se per vim etiam defendere, & occidere illum iudicem, vt suum inuasorem: vnde velle illum extrahere, est priuare, & expoliare illum suo iure: Expoliare autem aliquem iu re adeò graui suo iure, est maxima iniuria, ergo omnia damna, quæ iste per illam extractionem acceperit, vt reuera ipsi illata cum iniuria sunt ei reficienda.

Secundò: Si superiori iudice remittente pœnam delinquenti, inferior nihilominus illam exigeret, & in exigendo aliqua damna illi inferret: tenetur procul dubio illa omnia ei restituere, sed priuilegium concessum à Principe alicui Ecclesiæ, nihil aliud est, quàm quædam relaxatio pœnæ debitæ delinquenti confugienti ad illam, quandiu in ea manet. Ergo velle extrahere illum ex tali Ecclesia, est velle exigere pœnam dimissam à superiori, & ita tenebitur sic extrahens ad omnia damna illi extracto restituere.

Tertiò: Qui non habet authoritatem, nec est iudex, si vellet iudicare, & tali iudicio alicui noceat, tenetur ad restitutionem illius nocumenti, iudex saltim inferior, ex legibus sui Principis (secundum quas, vt vidimus debet iudicare) est priuatus authoritate procedendi contra eum, qui se recepit in Ecclesiam habentem priuilegium: Ergo velle illum extrahere, vel iudicare est velut iudicium à non habente authoritatem, & per consequens quæcunque nocumenta extractione illius extractionis ille patietur, tenetur ei cõpēsare.

Quarto: Qui exigeret tributa à nobilibus contra priuilegia suæ nobilitatis, vel à vicinis alicuius loci contra priuilegia illius loci, teneretur ad restituenda non solum illa tributa iniquè accepta, verum etiam omnes expensas, & damna, quæ per illā exactionē illata sunt. Ergo similiter, qui contra priuilegium alicuius Ecclesiæ extrahit aliquem ab illa. Hæc doctrina est apertè definita 17. q. 4. can. Si quis el 4. Ex qua sequitur, extractum ab Ecclesia vel ex de proprio delicto iudicetur, vel vt testimonium dicat non teneri ad respondēdum iudici, etiam si aliàs iuridicè procedat, quia sicut non habet authoritatem ad extrahendum, ita neque ad interrogandum: in iudicijs enim, vt infra videbimus, si prior a suis iudicijs est nullus, cæteri quoque qui illi priori innituntur censendi sunt nulli.

Ad 1. Argum. in oppositum respon. non propterea esse immunes iudices à debito restituendi, quia non fit positum in vsu, imò ex eo in maiori periculo conscientiæ versari, multa enim modo committunt, quæ parum curant, quasi non haberent superiorem iudicem: dolebunt autem aliquam de Lege D. Augu. in illa verba, Psal. 2. [Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.] &c.

Ad 2. dico licèt tale priuilegium sit concessum in fauorem Ecclesiæ, nihilominus eo supposito fieri maximam iniuriā illi qui extrahitur, cum eo fine concedatur Ecclesię, vt illo gaudeant, qui ad ipsam confugiunt. Dico etiam concessa esse huiusmodi priuilegia, in fauorem quoque confugientium ad Ecclesiam, sicut in Vet. Lege erant designatę à Deo quędam ciuitates, ad quas confugerent delinquentes, qui non per insidias, sed casu quodam aliquem occidebāt. Non enim decet, vt in lege Euangelica misericordiæ, & charitatis plena, desinit delinquentibus loca refugij, cum illa habuerint in lege veteri timoris, & seruitutis, Lege D. Aug. 1. de ciuitate Dei, prioribus capitibus.

TERTIA CONTROVERSIA EST EXERceat ne Episcopus iudicium vsurpatum, quando sub censuris præcipit vt bona aliena abscondita restituantur, vel indicentur vero domino.

RAtio dubitandi est, quia compellere aliquem ad restituenda temporalia in foro exteriori, pertinet propriè ad iudicem secularem, non ad Ecclesiasticum. vnde Pau. 1. Cor. 6. [Secularia iudicia habentes, contemptibiles qui sunt inter uos constituitæ.] Et confir. Si rem manifestam compellere iudex Ecclesiasticus suo domino restitui, vsurparet profectò sibi iudicium. Ergo cum hoc ipsum faciat in re occulta, præcipiens per censuram illam reddi domino suo, videtur etiam vsurpare sibi iudicium.

In hac dubitatione dico primò, abuti authoritate Ecclesiastica, eos, qui pro quibusuis rebus proferunt sententiam adeò grauem qualis est excommunicatio, efficiunt enim, vt multa cōmittantur à subditis peccata, ac vt censuræ Ecclesię habeantur contemptui. Dico secundò Episcopum ferentem huiusmodi censuram, non proferre illā directè, vt aliter recuperet rem suam: id enim esset dicere ius in causa ciuili, & vsurpatio iudicij, sed vt is qui illam occultè retinet inuito domino, nec curat illam restituere, quia occulta est, metu excommunicationis restituat, & exeat à peccato, [Cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.] Quo etiam nomine præcipit, vt qui illud norunt, indicent, vt iuuent illum exire à peccato. Propter quod ait Pontif. in cap. Nouit. de iudicijs, [Ad officium vestrum spectat de quocunque peccato mort. corripere quemcunque Christianum, & si correptionē contempserit nostram, per distinctionem Ecclesiasticam coercere.] Quod fit in istis excommunicationibus & censuris. Ita ut vt in rebus apertis nō habeant locum, quia rem manifestam facilè potest apud iudicem secularem dominus illius repetere, nec est necessaria censura. Tū etiam quia in re manifesta excommunicationem ferre, non tam videretur id fieri, vt illam inique retinens, exiret à peccato, quam vt dominus ipsius illam recuperaret, quod non est iudicis Ecclesiastici, sed secularis.

Dubitare etiam hic aliquis posset.

AN IVDICES ARBITRI QVOS VVLgus appellat compromissarios exerceant iudicium vsurpatum, cum non habeant authoritatem publicam?

REspondeo huiusmodi iudices, verum & legitimum iudicium exercere, quia iure gentium ad vitan-

vitandas lites tale iudicium introductum est, & receptum eius autem gentium interueniente consensu vtriusque partis, confert illis authoritatem tam in foro interiori quàm exteriori: quin etiam tàm in iure canonico, quàm ciuili extant tituli de iudicibus arbitris. Vbi eorum authoritas iure positiuo confirmatur, & legibus municipalibus huius Regni.

Denique posset etiam hic quæri an Ecclesia exerceat iudicium vsurpatum, quando iudicat inter Principes & Dominos seculares de regnis, vel bonis eorũ. Et similiter: An princeps, vel iudex secularis exerceat iudicium vsurpatum, quãdo clericum ad se confugientem quasi iniquè à suo iudice Ecclesiastico grauatum, vt ab illo grauamine liberet, recipit. Sed hæ controuersiæ non sunt huius loci. Tractantur in disputatione de potestate Ecclesiastica sup. q. 1. huius Secun. Secun. ar. 10. vel infra in materia de iudicibus. q. 67. art. 1.

In solutione. 2. Arg. offert D. Tho. occasionem explicandi difficilem illam controuersiam.

SIT NE ACCVSANDVS MOYSES, *vel excusandus potius de homicidio, & crimine vsurpati iudicij quando interfecit Aegyptium, vt habetur. Exod. 2.*

TRes circa hanc quæstionem refert hic. D. Tho. opiniones: Primam excusantium Moysen eo nomine, quod licèt interfecerit Aegyptium inferendo illi iniuriam, potuerit tamen ita agere, vlciscendo quam Aegyptius ille intulerat fratri suo Hebræo, Deo ita ipsi interius insinuante, vt ex illo facto intelligerent fratres eius, quod postea multis erat miraculis manifestandum, videlicet Moysen destinatum fuisse à Deo, in iudicem, & liberatorem populi Israel ab Aegyptijs. Hãc sententiam sequuntur D. August. lib. 2. quæstionum in Exo. q. 2. Rabanus, Rupertus, Lyranus, & Abulensis in 2. cap. Exod. & Aloisius Lypom. in Catena. Et ante hos omnes Clemens Alexand. lib. 1. Stromatum ante finem, vbi refert sententiam quorundam asserentium Moysen solo verbo interfecisse Aegyptium, sicut D. Petrus Act. 5. solo verbo interfecit Ananiam, & Saphiram: quidam etiam Iudæorum (vt refert Abulen.) docent per inuocationem nominis Tetragrammaton interfecisse illum, sed hæc figmenta sunt, & qua facilitate dicuntur, reijciuntur, cum ex Sacra Scrip. constet illum per vim interemisse, habet enim apertè fuisse Aegyptium percussum à Moyse.

Secunda sententia excusat etiam Moysen hoc alio nomine, vt non per modum vltionis, sed via defensionis occiderit Aegyptium: defendendo fratrem suum Hebræum, cui Aegyptius ille inferebat iniuriam, cum moderamine tamẽ, quod licet cuiuis priuato, quando proximum suum ab aliquo videt iniquè inuasum. Ita D. Ambr. lib. 1. offic. c. 36. quod etiam probant Rupertus & Aloysius.

Tertia sententia damnat factum Moysi, licet laudet zelum & indolem, quem illo facto indicauit. Ita D. August. lib. 22. contra Faustum. cap. 70. vbi comparat Moysen fertili nouali, quod cum primum seritur de herbarum quoque inutilium luxurie & fertilitate laudatur, propter spem quã promittit futuræ frugis. Eandem sententiam habent D. Hieron. in Epist. ad Damasum, quæ incipit: Et factum est, vbi explicans primam illam visionem Esaiæ, in qua se pollutum propheta agnoscit, ait: Moysi conscientiã sorduisse extincto Aegyptio: Et D. Chrysost. lib. 3. de prouidentia, in principio reprehendit factum Moysi de homicidio.

Preter has est quarta sententia Caietani 2. cap. Exod. vbi ait se non videre certam rationem excusandi Moysen, sed incertam tantum: certam rationem non extare ostendit ex textu, vbi dicitur: [Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo] Circumspectio illa adesset ne aliquis testis, ostendit inquit Caiet. non fuisse percussionem illam per modum defensionis, vt asserebat secunda sententia B. Ambr. sed via vltionis. Ostendit etiam eadem circumspectio, non diuina inspiratione, vt habet prima sententia, sed humana cautela id gestum fuisse à Moyse, vnde non est certa ratio illum excusandi: aliquam tamen extare, quamuis incertam & sola coniectura ostẽdi: quia sunt qui dicãt Aegyptium illum fuisse vnum ex præpositis constitutis à Pharaone ad affligendos Hebræos: qui sicut & cæteri in illos durius agebat: testatur enim ibi Scriptura, fuisse maximam duritiem & tyrannidẽ eorum, qui in Aegypto præerant operibus Hebræorum: hoc ergo nomine poterat, inquit Moyses, quamuis priuatus esset interficere illum Aegyptium, vt hostem communem sui populi, hostem enim publicum & communem Reipub. licet etiam cuiuis priuato interficere, vt docebimus infra q. 64. artic. 3. Sed hoc certum non est. Aegyptium illum fuisse præpositum affligendis Hebræis, quamuis textus, Exod. 2. aliquem afferat cõiecturam, cum ante verba adducta habeat, [Moysen vidisse afflictionem populi sui & Aegyptium percutientem Hebræum.] q. d. vidisse illum Aegyptium tanquam ex constitutis ad affligendum Israelem, percutientem illum Israelitam.

Ex his opinionibus præferendæ sunt illæ quæ excusant Moysen, tàm quia ex sanctis Patribus plures sunt qui Moysen excusant quàm accusant. Nam & D. August. in quæst. super Exod. vbi illum excusat meminit sententiæ quam habuit lib. contra Faustum, & eam deserit. D. verò Chrisostom. & Hieronim. locis citatis non tractant hanc quæstionem ex professo. Tum etiam quia excusare Moysen à peccato, præterquam quod est excusare virum sanctissimum, & tempore, quo tanta charitate feruebat, vt cum potuerit haberi, vt filius filiæ Pharaonis, maluerit cum populo suo affligi. Est etiam maximè consonum Sacræ Scripturæ: quæ Num. 12. ait: [Erat autem Moyses mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.] Cui certè mansuetudini plurimum repugnaret Moysen damnare de aliquo homicidio. Porrò ex illis duabus opinionibus iam tertio positis, quarum vtraque Moysen excusat. Prima est magis eligenda, tanquam ea quam plures DD. amplectuntur, & quæ maximè consonat alteri loco Scrip. Sacræ; Actorum, 7. vbi dicitur, [Existimasse Moysen percusso Aegyptio, quod intelligerent fratres eius, quoniam dominus per manus ipsius daret illis salutem.] Qui locus maximè iudicat, accepisse Moysen à Deo aliquam reuelationem, vel diuinum instinctum, licèt Scrip. huius reuelationis nullam faciat mentionem, vt habet D. Aug. in loco. cit. in Exod. cum prima cuius meminit, sit illa quę habetur Exod. 3. quando apparuit Dominus Moysi in rubro, quo tempore erat iã Moyses 90. annorum, vt refert B. Steph. in illo sermone citato.

Non præteribo hic quàm lepidum & ridiculum sit, quod ex hoc loco colligũt quidam iurisperiti, Moysen non fuisse sacerdotẽ, eo quod interfecerit Aegyptium, quasi tunc homicidium voluntarium efficeret aliquem irregularem, & indignum sacerdotio: Cum constet ex Scrip. in illa lege summum Sacerdotem fuisse iudicem, etiam in causa sanguinis, & peculiariter de Moyse legamus Psal. 89: [Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.]

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXI. DE DIVISIONE IVSTITIÆ, in commutatiuam & distributiuam,

Explicauit hactenus D. Thom quæ pertinent ad iustitiam in genere, & quæ ad vitium illi oppositum nempè iniustitiam, & quæ ad præcipuum illius actum qui est iudicium: nunc de singulis ipsius partibus optima Methodo incipit differere, De iustitia scilicet commutatiua & distributiua, in quas omnes Doctores sequuti Arist. 5. Ethic. cap. 2. iustitiam communiter partiuntur.

ARTICVLVS I.

An conuenienter constituantur istæ duæ species iustitiæ commutatiua & distributiua.



OBSERVEMVS initio, cum duo genera contractuum inter ciues reperiantur, aliquādo enim priuatim, & mutuo inter se contrahunt, secundum sua priuata & propria bona, aliquando verò publica & communia inter se distribuunt, & in his contractibus, tàm circa bona propria, quàm circa communia, possit reperiri aliqua inæqualitas, secundum aliquem excessum vel defectum, exigi necessariò iustitiam, vt seruetur æqualitas, tàm in proprijs & priuatis commutandis, quàm in publicis & communibus distribuendis.

Obseruemus secundò, Iustitiam distributiuam, etsi videatur pertinere ad communem & legalem, si respiciamus eos à quibus exercetur, vt gubernatores & iudices, vel bona circa quæ versatur, quæ publica sunt & communia, verè tamen & propriè pertinere ad iustitiam particularem. Etenim vt ex superioribus constat inter iustitiam particularem & legalem hoc interest, quod hæc primò, & per se respicit bonum commune, particularis verò in ordine ad commune. Iustitia autem particularis contra, primò & per se respicit bonum priuatum & proprium cuiusque ciuis, commune verò quatenus illud cuique priuato necessarium est. Vnde cum iustitiæ distributiuæ hoc proprium & potissimum sit, vt quando bona publica, & communia distribuuntur, reddatur vnicuique particulari ciui pars illi debita, consequenter hæc iustitia rectè & propriè considerata dicenda est particularis. Quo fit non esse audiendos illos, qui considerantes tres ordines in Reipub. reperiri, alium totius ad partes, alium partium ad totum, & alium partium inter se, voluerunt iustitiam prima sui diuisione partiendam esse, in distributiuam quæ ordinet totum ad partes, legalem quæ ordinet partes ad totum, & commutatiuam quæ ordinat partes inter se. Quia distinctio habituum sumenda est ex proprijs ipsorum obiectis, & cum bonum quod respicit iustitia, prima sui diuisione distribuatur in commune & particulare, rursum bonum particulare, aliud sit quod recipit vnusquisque ciuis à suo conciue in priuatis contractibus, aliud verò quod recipit à Gubernatore, vel Principe, quando bona communia Reipub. diuiduntur, efficitur necessariò, iustitiam similiter prima sui diuisione diuidendam esse in communem siue legalem, & particularem, & sursum particularem, in commutatiuam quæ respicit bonum particulare cuiusque ciuis in mutuis contractibus, & distributiuā quæ respicit etiam bonum particulare cuiusq; ciuis, quando communia distribuuntur.

CONCLVSIO PRIMA.

Conuenienter diuiditur iustitia particularis in commutatiuam & distributiuam.

PAtet ex dictis: Habitus distinguuntur per proprios actus iustitia particularis est seruare æqualitatem cum persona, particulari, ergà personam autem particularem potest exercere inæqualitatē non modò vnus ciuis cum alio ciue, verumetiam Princeps & Magistratus cum suo subdito. Ergo necessaria est iustitia ad vitandam inæqualitatem vnius ciuis cum altero, quæ est commutatiua, tum etiam iustitia quæ prohibeat inæqualitatem Principis vel iudicis cum suo inferiori, quæ est distributiua. Circa huncart. hæ potissimè se offerunt controuersiæ: quarum prima est.

AN HAE DVAE IVSTITIAE COMMVT. & distributiua distinguantur natura, et specie: an materialiter tantum & per accidens.

DIu. Tho. apertè vocat hic has duas iustitias, duas species, & ratio qua conclusionem ipsius probauimus, idem docet, quia differentia habituum sumpta ex proprijs actibus ipsorum, specifica est, argumentū autem quo vsi sumus sumptum est ex proprijs actibus vtriusq; iustitiæ, commutatiuæ & distrib. Buridia tamen. 5. Ethi. q. 7. vult eas non differre specie & natura, sed sola materia: quod ita probat. Actus proprius vtriusq; iustitiæ & commut. & distr. est idem omnino, nēpè reddere priuatæ personæ æquale, licèt materia sit diuersa, quia iustitia commutatiua versatur circa bona priuata vniuscuiusq;. Distribut. verò circa communia Reipub. habitus autem distinguuntur per actus. Ergo hæ duæ iustitiæ non differunt specie, sed sola materia.

Secundò, obiectum formale vtriusq; iustitiæ est idē, nempè bonum debitum huic vel illi particulari, motiuum quoq; vtriusq; idem omnino, quia tàm is qui distribuit communia, quàm qui reddit propria & priuata vero domino, hoc intendit non expoliare fratrem re sua, distinctio autem specifica sumitur ab obiecto, Ergo. Et confir. Non plus differunt reddere Petro ex cōibus quod illi debetur, vel reddere eidē ex priuatis & proprijs quod ei debet, quā restituere ipsi pecunias vel restituere ipsi famā, sed restituere famā vel diuitias non distinguuntur specie, sed sola materia, ergo similiter reddere Petro ex cōibus quod illi debetur quod est iustitiæ, distrib. aut reddere debita ipsi ex suis pprijs qđ est cōmutatiuæ nō distinguent specie, sed sola materia.

Tertiò, si inter has duas iustitias esset distinctio specifica, id certè esset, quia commut. non respicit dignitatē personæ, quā respicit distrib. cuius est distribuere bona cōia seruata proportione cum dignitate, personarum, sed commutatiua etiam respicit dignitatē personarum, ergo non distinguuntur specificè. Probatur minor, quia ad iustitiam etiam commutatiuam pertinet, vt maior compensatio fiat si nobiliori & digniori illata sit iniuria, quàm si minus digno: vt constat ex D. Tho. 3. p. q. 1. & in d. 3. q. 1. art. 3. quæstionum. 2. ad 3. & nos dicebimus q. seq. art. 2. agentes de restit. famæ.

Opposita sententia est multò probabilior, quàm habet hic D. Tho. in solutionibus argumen. maximè. 2. & 4. & vbicunque de hac re agit & Arist. 5. Ethic. ca. 2. 3. & 4. istas duas iustitias specie differre. Q od vt magis intelligatur obseruemus. Actum quidem esse omnis iustitiæ reddere vnicuique suum, & debitum illi. Cæterum hoc quod dicimus suum & debitum varium est, & reuera diuersum, aliud enim est quod Petro dicitur suum actu, quod scilicet iam actu possidet, habetque actu illius rei dominium, aliud verò dicitur suum solo iure, quod vel iure hæreditario, vel legatione testatoris, vel ob sua merita expectat, Similiter debitum aliud est simpliciter tale, & aliud secundum quid: simpliciter debetur Petro quod ipsius est actu & possessione, detinetur autem apud alterum, vt pecunia quam mutauit Ioanni, debetur verò illi secundum quod non est adhuc actu ipsius, sed quod pro suis meritis, vel per hæreditatem, vel legatum, aut aliqua alia via expectat se recepturum. Hæc duo genera sui, & debiti non distinguuntur sola ratione, aut secundum multum vel paucum, aut secundum perfectum vel imperfectum, sed natura, & specie, cum suum actu, & debitum simpliciter nitantur actuali dominio, & possessioni, quod verò dicitur suum iure & debitum secundum quid, nitantur soli iustæ expectationi. Vnde quemadmodum hæc duo fundamenta actuale dominium, & iusta expectatio, reuera specie & natura distincta sunt, ita quoque duo genera sui, & debiti quæ ipsis nituntur. Sit.

CONCLVSIO II.

Iustitia distrib. & commut. non tantum materia, verum etiam specie, & natura distinguuntur.

PRobatur. Habitus distinguuntur specificè per obiecta formaliter & specificè distincta, sed hæ duæ iustitiæ habent obiecta formaliter & specificè distincta: ergo. Probatur minor: Obiectum iustitiæ est bonum debitum alteri, sed alia est ratio formalis & specifica boni cõmunis quod debetur ciuibus, vt patribus Reipub. quod est obiectum iustitiæ distrib. & alia ratio boni priuati, & proprij quod vnus ciuis debet alteri cui quod est obiectum iustitiæ commut. quia illud licet debeatur ciuibus nondum est actu illis applicatum, nec est adhuc illorum actu & possessione suum, nec debitũ simpliciter, sed secundum quid, nempe pro meritis & dignitate expectatum, bonum autem debitum particulari ex iustitia commutatiua est iam actu illi cui debetur applicatum, actu & reuera suum, cuius iam habet actuale dominium & possessionem, & quod simpliciter & omnino ac non secundum quid est illi debitum quæ duo genera sui, & debiti constat specie & natura distingui, ergo.

Secundò: Sicut reuera alius est ordo partis ad totum, & alius totius ad partem: ita quoque alius est ordo totius ad partem, & alius partis ad partem, sed iustitia legalis siue communis & particularis differunt vt vidimus natura & specie, quia legalis ordinat partes ad totum, particularis verò partem ad partem, ergo distinguentur: similiter distributiua quæ ordinat totum ad partes, & commutatiua quæ ordinat partem ad partem.

Tertiò, cum virtus versetur circa difficile, vbi existunt difficultates distinctæ, exigentur quoque virtutes distinctæ ad illas superandas, sed alia est difficultas quæ se offert ad seruandam æqualitatem in distributione bonorum communium, & alia quæ se offert in emptione, venditione, & alijs priuatis ac mutuis contractibus: cum experientia teste multos videamus, qui nullo modò violabunt ius & æquitatem in priuatis cõmercijs, qui tamen constituti rerum communium distributores nempe Episcopi vel Magistratus non seruant ius, & æquitatem, sed ducuntur sæpè amore, sanguine, muneribus vel precibus amicorum.

Quartò, Cum oppositorum eadem sit ratio, virtutes quæ habent vitia opposita specie distincta, specie quoque diuersæ erunt & distinctæ. Sed exceptio personarum quæ opponitur iustitiæ distribut. furtum, vsura & similia, quæ opponuntur commutatiuæ, sunt vitia specie distincta, & ita affecta, vt quæ opponuntur commut. non opponantur distribut. & è conuerso. Ergo.

Denique cum omnium consensu violatio iustitiæ commut. obliget ad restitutionem, an autem violatio distribut. similiter obliget, non sit ita certum, multis afferentibus non obligare, signum est, reuera & natura iustitias istas distingui.

Ad argum. Buridiani facilis est solutio ex dictis. Ad 1. enim & 2. respon. illum actum, & obiectum seu motiuum esse idem, & vnum genere subalterno & communi quadam ratione iustitiæ, non tamen esse idem specie vltima & athoma, cum aliud sit specie & natura debitum simpliciter & suum actu, & aliud debitum secundum quid & suum iure solo & expectatiua. Ad confirmationem 2. dico diuitias & famam debitum so la materia distingui, quia vtrumq; simpliciter, & actu debetur: bonum autem commune debitum ciui & bonum particulare debitum eidem specie & natura distingui, vt expositum est.

Ad 3. respon. iustitiam distribut. nõ respicere dignitatem personarum quacunque ratione, sed quatenus illis conferenda sunt bona communia, quod non habet commutatiua quæ si quando respicit dignitatem, respicit illam, vt pro dignitate restituatur honor, vel fama, quæ læsa fuerat, quod est bonum priuatum, & proprium, vnde semper manet inter istas duas iustitias illa specifica distinctio, vt commutatiua respiciat bonum proprium fratris illi actu debitum. distribut. verò bonum commune illi appropriandum.

Respon. 2. cum Caiet. iustitiam commut. simpliciter, & absolutè non respicere dignitatem personæ, quia non considerat illam nisi in actionibus, quibus infertur iniuria contra honorem alicuius, in quo casu dignitas personæ facit ad quantitatem debiti, & habet se velut quantitas pecuniæ, vt sicut in pecunijs non solus æquale nisi debens 100. reddat 100. ita in satisfactione iniuriarum non reddat æquale, nisi satisfactio fiat iuxta dignitatem personæ, quia quo persona dignior eo iniuria illa fuit maior, & consequenter debitum. Distributiua verò, in omni actione sua, absolutè & simpliciter respicit dignitatem personæ, non secundum quantitatem dignitatis, sed secundum proportionem: ex quo sequitur iustitiam commut. considerare dignitatem personæ, cui illata est iniuria, nõ propter dignitatem, sed ad deprehendendam quantitatem damni & debiti, vt iuxta illam fiat compensatio, vnde non dixit absolutè D. Tho. loc. cit. iustitiam commut. considerare dignitatem personæ, sed respicere personam secundum grauitatem damni, distribut. verò absolutè, & per se considerare dignitatem personæ, in ordine ad distributionem bonorum communium.

Sequitur etiam ex his qua ratione differant inter se Iustitia legalis, commut. & distribut. Sic enim differũt, vt legalis omnia & communia & particularia referat in bonum commune distribu. licèt versetur circa bona communia, dirigit tamen illa ad bonum priuatũ cuiusque ciuis, quatenus pars Reipub. est, & illi pro meritis & dignitate debetur: commut. verò refert bonũ priuatum cuiusq; in illum particularem, cui debetur vt suũ.

Sed ex his dictis offert se statim difficultas. Diuisum & membra diuidentia debent esse eiusdem rationis: Iustitia particularis est iustitia simpliciter, iustitia autem distribut. non est iustitia simpliciter. Ergo. Probatur minor. Habitus denominatur ab obiecto, obiectũ iustitiæ distribut. vt diximus modò, est debitum secundum quid. Ergo & ipsa iustitia distributiua iustitia erit secundum quid.

Secun-

Secundò, iustitia simpliciter si lędatur obligat ad restitutionem, iustitia distribut. vt videbimus ex multorum sententia non obligat ad restitutionem. Ergo. Hęc facilè diluuntur. Debitum enim quod respicit iustitia distrib. verè debitum est, & in genere debiti est simpliciter & omnino debitum, propter quod (vt diceamus) tenetur etiam ad restitutionem qui illam violat, idque sufficit vt iustitia distribut. dicatur iustitia simpliciter, sitq; verè & propriè species iustitiæ particularis: distinguitur autem à D. Thom. & DD. hoc debitum secundum quid comparatione ad debitum proprium & actuale quod oritur ex actuali dominio & possessione, & quod respicit iustitia commutatiua. Sed maior difficultas est;

***AN IVSTITIA VINDICATIVA** continеatur sub aliqua specie iustitiæ particularis, nempe sub commut. vel distributiua.*

PRimò aspectu videtur sub nulla istarum specierum iustitiæ contineri, non sub distributiua, quia hæc non consistit in æqualitate rei ad rem, sed inęqualitate rei ad personas secundum proportionem dignitatis: vindicatiua autem constituit ęqualitatem rei ad rem, nempè pœnæ cum delicto, iuxta illud Apocalyp. 18. [Quantum glorificauit se in delitijs, date illi luctus & pœnas.

Secundò. Distribut. non pertinet nisi ad solas personas publicas, quibus incumbit bona Reipub. inter ciues distribuere: vindicatiua verò potest etiam in priuatis reperiri, cum possit quiuis læsus exigere apud iudicem vindictam & compensum iniurię sibi illatę.

Iam neque ad commutatiuam dicenda est pertinere, quia commutatiua pertinet etiam ad personas priuatas, imò potissimè ab eis exercetur, vindicatiua verò si sit idem quod punitiua pertinet tantum ad publicas.

D. Thom. infra q. 108. art. 2. ad 1. habet punitionem delictorum, quatenus pertinet ad iustitiam publicam esse actum iustitiæ commut. Et 3. p. quęst. 85. artic. 3. ad 3. Ait iustitiam vindicatiuam respicere personam iudicis, & contineri sub iustitia commut. vbi Caiet. adductus authorit. D. Thom. asserit apertè iustitiam vindicatiuam esse speciem commut. Mag. Soto lib. 3. de iust. quæst. 5. art. 2. ad 3. docet. Iustitiam vindicatiuam bifariam posse considerari, vno modo quatenus pertinet ad iustitiam publicam, & refertur ad bonum commune: & hoc modo ait, est actus elicitus à iustitia commut. Imperatus verò a legali, quæ est in Principe & ministris illius. Alio verò modo posse considerari, vt refertur ad particularem ciuem, quatenus per iustitiā vindicatiuam nititur iudex tollere nocumentum illatum parti læsæ. Et hoc modo ait iustitia vindicatiua non solum est in iudice, sed etiam in priuato ciue, cui licet vindictam petere iniurię acceptę seruato ordine. Et sub hac consideratione non esse actum iustitię, neque commut. neque distribut. sed esse actum cuiusdam specialis iustitię, quę dicitur vindicatiua; quę est pars quędam potentialis iustitię particularis, reduciturque ad commutatiuam. Recentiores probabilius multo iustitiam vindicatiuam, etiam quatenus per illam nititur iudex tollere nocumentum illatum parti lęsę, volunt esse actum iustitię commut. quia Princeps & quiuis minister iustitiæ ex officio, & iustitia commutatiua tenetur nō solum punire delinquentes propter bonum commune, verum etiam vt fiat satisfactio parti læsæ, & reficiatur ipsi nocumentum quod accepit, quantum per iustitiam vindicatiuam refici illi potest.

Vnde obseruemus cum recentioribus ex D. Thom. infra quæst. 108. artic. 2. ad 1. Vindicationem bifariam accidi posse, vno modo, vt pertinet ad iustitiam publicam, quæ vindictam sumit de malefactoribus, tū propter bonum commune Reipub. tum etiam propter bonum personæ priuatæ, quæ læsa est: alio verò modo quatenus pertinet ad personam priuatam, cui iniuria illata est, vultque illam à se repellere, non propria authoritate, sed publica agendo apud iudicem.

Obseruemus secundò, illā, cui illata est iniuria duobus modis posse se habere, nam aut est persona, cuius honor, fama, & bona, in quibus læditur, sunt alijs quoque necessaria, vt in Prælato, patrefamilias, &c. aut ex eorum nocumento ipse tantum læditur, nec alicui alteri sequitur damnum.

CONCLVSIO PRIMA.

Iustitia vindicatiua, quæ est in Iudice, non solum quatenus respicit bonum commune Reipub. verum etiam in ordine ad bonum particulare partis læsæ, quatenus nititur illum leuare grauamine accepto & reficere iniuriam ipsi allatam, est actus iustitiæ, non quidem distributiuam, sed commutatiuam.

Est quidem actus iustitiæ, quia in eo redditur debitum, delinquenti enim debetur omni iure supplicium, Reip. etiam debetur, ne peccata maneant impunita, & læso debetur satisfactio iniuriæ acceptę. Non tamen est actus iustitiæ distrib. quia hæc consistit in distribuendis bonis communibus, in punitione autē nulla bona distribuuntur, cum inflictio pœnæ non sit numeranda in bonis. Sed est actus commut. Primò, quia ratio formalis iustitiæ commut. non solum consistit in eo, quod est facio, vt facias, vt in emptione & venditione, verum etiā in eo quod est facio ex debito, quia fecisti, vt quādo redditur merces constituta operario, iudex autem puniens reum facit, & ex debito sui numeris & officij, quia ille fecit.

Secundò in commut. seruatur æqualitas rei ad rem, hanc autem seruat iudex puniens reum, reddit enim illi supplicium, quod secundum legem, aut consuetudinem patriæ iudicatur æquale delicto commisso.

Tertiò. Iudex ex officio, & consequenter ex iustitia commutatiua tenetur non solum prospicere bono communi, sed etiam bono suorum ciuium, & seruare illos innoxios & illæsos quantum commodè potest: ergo non solum tenetur ex iustitia commutatiua, & ex officio punire malefactores propter bonum commune Reipub. verùm etiam vt pars læsa recipiat satisfactionem, & leuetur ab iniuria accepta. Et confir. quia iudex ideò recipit stipendium à Repub. in quod omnes ciues contribuunt, vt non solum exerceat suum munus & actus iustitiæ ob bonum publicum, verum etiam ipsos seruet illæsos, & eorum iniurias vindicet; vnde sicut mercenarius, qui accipit stipendium vt vineam colat & custodiat tenetur ad restituenda damna, quæ ex eius negligentia vinea illa patietur: ita quoque iudex si ex eius negligentia fures impunè agant, & crescant latrocinia in Repub. tenetur illa restituere, & quascunque iniurias quæ ex eius incuria ciuibus acciderint ex iustitia commutatiua.

CONCLVSIO II.

Huiusmodi vindicatio, quæ exercetur à iudice, licèt sit actus elicitus à iustitia commutatiua: est tamen imperatus a legali.

PAtet; Quia huiusmodi vindicatio primò, & per se respicit bonum commune, pacem scilicet, & quietem Reipub. ac vt cæteri timeant, propter quod tenetur iudex etiamsi nullus proclamet, ex officio (vt aiunt, malefactores) inquirere & punire.

CONCLVSIO III.

Vindicatio seu petitio vindictæ exercendæ à iudice, in eo, cuius honor, fama & alia bona aliquibus necessaria sūt, nec alia via recuperari ista possunt nisi per iudicem: est quoque actus iustitiæ commut.

PRobatur. Tenetur huiusmodi persona ex iustitia commut. exercere rectè suum officium, illud autem exercere non potest si maneat infamis, vel cum simili iniuria. Ergo tenetur ex iustitia commutatiua illam à se propulsare. Ergo quando non potest nisi petēdo vindictam apud iudicem tenetur ex iustitia commut. illam petere. Et confirm. iudex potest cogere suis ciuibus ad vlciscendas iniurias ipsorum, quia ad id tenetur ex officio, & ex iustitia commut. Sed similiter is, cuius honor, & fama alijs necessaria est, potest compelli ab illis, quibus necessaria est, vt illam postulet apud iudicem sibi restitui & satisfieri, quando alia via eam recuperare non potest. Ergo tenetur etiam hic ex iustitia commutat. in tali casu petere illam vindictam apud iudicem.

CONCLVSIO IIII.

Petitio vindictæ exercendæ per iudicem in alijs priuatis personis, quarum nocumenta non cedunt in damnum aliorum, sed in propriam tantum, non est actus iustitiæ, de qua hic agimus, quæ est virtus Cardinalis, & perfecta virtus, sed est actus cuiusdam iustitiæ, quæ est pars potentialis; iustitiæ, quæ est virtus Cardinalis, & ad eam reducitur: vocaturque peculiari sibi nomine vindicatio, seu iustitia vindicatiua.

PRobatur. Iustitia Cardinalis, de qua hic agimus, est perfecta virtus respiciens debitum legale, hoc est debitum, ad quod persoluendum potest quis lege compelli, sed priuata persona, cuius bona quando in eis læditur non sunt alijs necessaria, non potest aliqua lege compelli ad petendam vindictam, nisi interdum ex debito honestatis, & moral. Ergo huiusmodi petitio vindictæ non est iustitia, quæ est virtus Cardinalis. Et hæc est aperta sententia. D. Tho. infra q. 80. & q. 108. Vnde iustitia vindicatiua si consideretur, vt in personis priuatis non est iustitia Cardinalis, & perfecta, quæ diuiditur in commut. & distribut. neque ad aliquam istarum pertinet, non ad commutatiuam, quia nec pars læsa aliquid reddit delinquenti, vel aliquod debitum ei persoluit, nec delinquens restituit læso damnum in honore vel persona acceptum. Neque ad distribut. cum neque in iudice sit actus distribut. vt constat, sed vt docebit. D. Thom. q. 108. ar. 2. ad. 1. Est specialis quædam virtus, qua voluntas gubernatur, ne in exigenda apud iudicem recompensa damni accepti per excessum vel defectum peccet: reducitur autem quodammodo ad commutatiuam, quatenus pars læsa hoc facit, quia reus illud fecit, & exigit aliquam satisfactionem. Sicut gratitudo in bonis acceptis non est propriè in iustitia: nec distribut. quia reddens gratias, nullum bonum commune distribuit, nec commutatiua, tùm quia gratitudo nō est debito legali, sed morali tantum: tum verò quia non reddit æquale quod est proprium commutatiuæ: sed est specialis quædam virtus, gubernas voluntatem, ne animus in acceptis beneficijs per excessum, vel defectum erga benefactorem suum peccet, reducitur verò quodammodo ad iustitiam commut. quatenus gratiarum actio est quædam redditio debiti moralis. Quatenus verò in Principe vel iudice est, iustitia commutatiua est vt probatum est, non quasi iustitia commutatiua sit genus, & vindicatiua sit illius species, sed quod sit eiusdem rationis, & speciei cum commut. cum actus illius sit debitus ex officio, & consequenter ex iustitia commut. Ex his patet solutio Argumen initio huius controuersiæ propositi.

ARTICVLVS II.

An medium eodem modo sumatur in iustitia commut. & distribut.

DOctrina huius Ar. sumpta est ex Aristot. 5. Ethi. cap. 3. propter quod licet potuisset facilius à D. Thom. proponi, voluit tamen vt Arist. vestigijs hæreret, docere illam sumpta similitudine à proportionibus.

Obseruemus igitur duplicem proponi ibi ab Arist. proportionem aliam Arithmeticam, & aliam Geometricam, hæc propriè reperitur in magnitudinibus, illa verò in numeris, explicatur tamen vtraque, vt res facilior reddatur sumptis exemplis ex numeris. Interest ergo inter eas, quod in Arithmetica seruatur quidem eadem æqualitas excessus inter extrema, non autem eadem proportio, vt cum dico, sicut se habet senarius ad quaternarium, ad binarium, est, quidem æqualis excessus, quia senarius excedit quaternarium in duabus, & similiter excedit quaternarius binarium, non tamen est eadem proportio, nam senarij ad quaternarium est proportio sequi altera: quaternarij verò ad binarium est proportio dupla. Vnde in hac proportione sumuntur tres numeri, duo extremi, & vnus medius, ita vt ea in qua quantitate vnus superat & excedit medium, in eadem alter deficiat à medio, reducunturque illi duo extremi ad æqualitatem & medium, si eadem quantitas, in qua vnus excedit medium, adhibeatur illi qui deficit à medio: quo fit vt in hac proportione Arithmetica æqualitas sumatur secundum quantitatem: vt in exemplo proposito. Proportio Arithmetica est cum dico, sicut se habet senarius ad quaternarium, ita se habet quaternarius ad binarium, sumuntur hic tres numeri, duo extremi, senarius & binarius & medius inter eos quaternarius, in his numeris non est eadem proportio, vt diximus: est tamen eadem æqualitas secundū quantitatē, quia si excessum respicias, in qua quātitate excedit quaternarius binariū in eadē excedit senarius quaternarium, similiter si extrema ista velimus reuocare ad mediū, & æqualitatem reuocanda sunt attenta quantitate excessus, & defectus, apponendoque binario eandem quantitatem, in qua senarius excedit quaternarium, nempe duo: sic enim senarius descendit ad 4. & binarius ascendit ad 4. quæ æqualia omnino sunt. Vnde in hac proportione omnis æqualitas vel inæqualitas sumitur secundum quantitatem extremorum. In proportione vero Geometrica contra res accidit: reperitur enim eadem proportio inter extrema, non autem eadem æqualitas excessus vel defectus; Vt cum dico sicut se habent 6. ad. 3. ita se habent 4. ad 2. est in vtraque comparatione eadem, & æqualis proportio, nempe dupla: excessus autem secundum quantitatem inæqualis: nam 6. excedunt. 3. in tribus; 4. autem excedunt duo in duobus. Vnde in hac proportione Geometrica sumuntur quatuor numeri velut quatuor extremi & termini, ita affecti, vt duo eorum cum alijs duobus seruent eandem proportionem, non tamen æqualem excessum vel defectum secundum quantitatem: Quo fit vt in proportione hac Geometrica æqualitas non sumatur ex quantitate extremorum, sed ex sola proportione: vt in numeris propositis, inter 6. & 3. & ex vna parte, & 4. & 2. ex alia est æqualitas Geometrica, quia est eadem & æqua proportio nempe dupla, licet secundum quantitatem, numeri isti, & eorum excessus inæquales sint.

Obseruemus secundò: Cum in iustitia commut. redditur vnicuique quod suum est actu, & simpliciter debitum, reddendum esse in eo æquale & integrum simpliciter, nempe quantum debetur, seruandamque omnino

domino in illa integram æqualitatem inter hæc extrema debitum, & redditum, quæ æqualitas cum non pendeat à dignitate vel merito personæ, sed à sola quantitate rei debitæ, efficit vt medium iustitiæ cominut. fit medium, rei simpliciter., & æqualitas eius fit secundum integram quantitatem, vt tantum reddatur quantum debetur. Iniustitia verò distribut. cum non reddatur alicui, quod iam actu suum erat, & illi debitum, vt proprium ipsius, sed quæ communia sunt & Reip. distribuuntur in hos vel illos, vt eiusdem Reipub. partes pro meritis & dignitate: æqualitas huius iustitiæ non consistit in eo vt tantum reddatur quantum debetur, potest enim quis mereri Episcopatum, distributorem verò solum habere beneficium, curatum, quod illi conferat, nec consistit in eo vt per æquales quantitates distribuantur bona publica, immò esset inæqualitas maxima, & iniuria cum debito vt dicemus restitutionis omnes facere pares dignos, & indignos, dignos, & digniores; quia ius, & iustum, quod respicit hæc iustitia distrib. est meritum cuiusque, & æquale in præmijs; & bonis non habentes æqualia merita est à parte priuare digniorem suo iure: quo fit vt consistat æqualitas huius iustitiæ in proportione bonorum ad merita singulorum, vt sicut excedunt merita inter se, ita quoque excedant bona communia, quæ singulis conferuntur; vt si distribuenda sint beneficia, quorum vnum valet, vt 6. alterum vt 4. adsintque Petrus in meritis, vt 3. & Ioannes in meritis, vt 2. beneficium. vt 6. conferendum est ex hac iustitia Petro beneficium verò vt 4 Ioanni.

Sequitur ex his iustum, & æquale vtrumque iustitiæ esse quidem secundum rem, quia in vtraque attenditur res ipsa; nempe debitum verum & reale, sed cum hoc discrimine, vt iustum commutatiuæ consistat inæqualitate secundum quantitatem extremorum, nempè debiti redditi iustum autem distribut. cõsistat inæqualitate secundum proportionem meritorum & bonorũ inter se. Vnde patet, medium iustitiæ commutatiuæ esse medium rei secundum quantitatem extremorum, medium verò distrib. esse medium proportionis inter merita & præmia. Et consequenter æqualitatem iustitiæ commutatiuæ esse velut Arithmet. distribut. vero velut Geometr.

Meminit hic D. Thom. triplicis modi distribuendi bona communia iuxta varios modos gubernandi, ita vt cum Respub. per democratiam, id est, populatim potentiam gubernatur, illi censeantur digniores, qui libertati populi plus insudarunt, vbi Respub. gubernatur per Oligharchiam, id est, potentiam paucorum illi iudicentur digniores, qui diuitijs, & opibus magis abundant: vbi verò per Aristocratiam, id est, potentiam optimorum illi sunt digniores, qui virtutum meritis plus pollent: è quibus modis certum est inter Christianos hunc tantum tertium conuenire, duos verò priores alicuos esse à recta ratione iustitiæ distributiuæ.

ARTICVLVS III.

Sitne eadem materia vtriusque iustitiæ commutatiuæ & distributiuæ.

DVo præstat D. Tho. in hoc art. Primò respondet quæsito. secundo immitatus Aristot. 5. Ethic. cap. 5. recenset varia commutationum genera.

Circa primum obseruemus materiam iustitiæ duplicem esse, aliam remotam, nempe res personas vel opera, in quibus reperiri possunt ius vel iniuria, & aliã proximam, nempe vsum istorum vel actiones ipsas, quibus vtimur rebus personis aut operibus cum iure vel contra ius, quæ actiones vel sunt commutationes aliquæ in proprijs, & priuatis rebus huius aut illius, aut distributiones communium in partes Reipub.

Obseruemus secundò, non quemcunque contractum esse commutationem, sed illum tantum, in quo vnus contrahentium dat, vt recipiat, & alter accipit vt reddat. Quo fit vt simplex, & libera donatio, legatio testamentaria, nec sint commutationes, nec pertineant ad iustitiam commut. sed ad liberalitatem, cum in eis simpliciter detur, & recipiatur sine vllo debito reddendi, vel aliquid præstandi.

Obseruemus tertiò duplicem esse commutationem, aliam voluntariam, & aliam inuoluntariam, quæ quid sint dimissis multis quæ à Caiet. & alijs afferuntur, sic intelligetur facilius. Cum commutatio sit contractus, in quo vnus dat, & alter recipit cum aliquo debito, & vinculo, ex quibus præcipuus, & veluti agens est qui dat, vel is cuius bona accipiuntur, atque omnis denominatio à præcipuo & digniori sumenda, quando commutatio fit vtroque consentiente est voluntaria, quando vtroque dissentiente, vel saltim illo, cuius bona accipiuntur est inuoluntaria. Vt v.g. Furtum est quædam commutatio, quia fur accipit cum debito restituendi, & domino manet ius recipiendi, sed inuoluntaria, cum fiat inuito domino. Hæc commutationes tam voluntaria, quàm inuoluntaria conueniunt in obiecto, quia obiectum vtriusque est bonum debitum particulari personæ, vt illi actu proprium & suum, differũt autem extrinseca quadam ratione nempè penes consensum vel dissensum. Sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Conueniunt quidem Iustitia commut. & distribut. in materia remota, differunt autem in proxima.

PAtet ex dictis, vtraque enim versatur circa res, personas, & operationes, quæ sunt materia remota, sed ita vt commut. versetur circa actiones quæ sunt cõmutationes, distribut. verò, circa actiones quibus communia diuiduntur inter ciues, quæ actiones diuersæ sunt, & hæ vt constat sunt materia proxima.

CONCLVSIO II.

Iustitia commutatiua quæ versatur circa commutationes voluntarias, & quæ versatur circa inuoluntarias, non differunt specie, sed continentur sub eadem specie athoma.

RAtio est aperta, quia idem est obiectum formale vtriusque, nempe bonum debitum alicui particulari, illi actu proprium & suum.

Quo ad secundum caput huius Art. supposito res alias esse quæ vsu consumuntur, vt panis, vinum pecunia, &c. alias verò quæ non consumuntur, vsu licet aliquo modo deteriorentur, vt domus, vestis, &c. varia commutationum genera sic colliguntur. In primis earum quæ voluntariæ sunt, hac ratione. Aut Petrus confert rem suam Ioanni, & cum ea illius dominium accepto aliquo pretio, aut confert quidem illam, sed non transfert in alterum illius dominium, sed intituit eam recuperare. Prior illa traditio est emptio, & venditio: Posterior multiplex esse potest: nam aut gratis illam tradit recepturus etiam illam gratis, aut tradit illam cum aliqua vtilitate, & lucro eandem recepturus.

Rursum si gratis illam tradit aut ob bonum tantum recipientis, & est mutuum, aut vt res illa melius conseruetur, & est depositum, aut vt accipiens reddatur securus de aliqua re sibi debita, & est fideiussio, siue impignoratio. Quod si rem illam contulerit non gratis, sed recepturus eandem cum aliquo lucro, aut res illa est ex earum genere quæ vsu consumuntur, & tunc est vsura, aut ex his quæ non consumuntur vsu, estque locatio vel conductio, ita colliguntur sex

commutationes voluntariæ, Emptio, & Venditio, Mutuatio, Depositum, Fideiussio, seu Impignoratio, Locatio, & Vsura. Commutationes verò inuoluntariæ seu nociuę sic colliguntur. Aut fiunt in rebus, & in persona, aut in his, qui nobis coniuncti sunt, si in rebus, vel occultè: & est furtum, aut manifestè & cum vi, & est rapina, si in persona, aut in ipsamet persona, aut in dignitate, & honore ipsius: si in ipsamet persona, siue occultè id fiat, vt per insidias, vel exhibitionem, veneni, siue manifestè per inuasionem & vim, si inferatur damnum in vita est homicidium, si in membris est Mutilatio, aut Verberatio. Quod si in dignitate & honore aut occultè per Infamiam, vel Detractionem, aut manifestè per Conuitium, aut apud iudicem, ad quem reducitur falsum testimonium. Demum si in his, qui nobis coniuncti sunt, aut hi liberi sunt aut serui, serui computantur in bonis temporalibus, quo fit vt illos seducere reducatur ad furtum, si verò liberi, aut est propria vxor, aut aliqui affines, & consanguinei, in his eodem modo se habent damna, quæ eis inferuntur, ac ea quæ nobis ipsis, quod si sit vxor propria, quia hæc est vna caro cum viro, & grauissima iniuria, quæ in ea recipitur, habet proprium & peculiare nomen, diciturque adulterium. Ita colliguntur hæ 10. commutationes inuoluntariæ. Furtum, Rapina, Homicidium, Mutilatio, Verberatio, Infamia, Detractio, Conuitium, & Adulterium. De quibus omnibus in progressu huius disputationis aget D. Thom.

Prętermittuntur hic Matrimonium & alij nonnulli contractus naturales, quia de ciuilibus tantum, in quibus, iusta, vel iniuria reperiri potest instituta est hic disputatio.

Offert se hic dubitatio: qua ratione doceat hic D. Tho. furtum, rapinam, & similes iniurias pertinerę ad iustitiam commuta. cum neque actus ipsius sint neque obiecta. Sunt qui dicant D. Tho, quia agit hic de cōmutationibus, quas dirigit iustitia, ea occasione illas quoque voluisse recensere, in quibus reperitur iniustitia, etiam si istæ iniuriæ ad iustitiam non pertineant. Sed placet respondere D. Thom. consulto meritò illas recensere, vt pertinentes ad iustitiam, non quidem directè, sed reductiuè: quia sicut regula recti est etiam regula obliqui, cum obliquum reducatur ad rectitudinem, sitque rectum index & sui obliqui: secundum quem modum dicitur quoque obliquum quædam materia regulæ recti, ita quoque cum iustitia commutatiua omnes istas commutationes iniquas reducat ad æquitatem, & rectitudinem, est earum regula, pertinentque ad ipsum, vt materia reducenda per talem iustitiam ad rectitudinem. Pertinet etiam ad ipsam, quia in his reperitur verum debitum, quod est obiectum iustitiæ commutatiuæ, & consequenter vinculum restitutionis, quæ est actus commutatiuæ.

ARTICVLVS IIII.

An iustum sit idem quod contra passum.

Obsernemus primò, hoc nomen contrapassum non esse in vsu apud Latinos, sed fictum ab interpretibus ad exprimenda vocem Gręcam Antipeponsos qua vtitur Aristot. 5. Ethic, cap. 5, quæ propriè significat re pati idem quod alteri feceris, vnde contra passum, vel similiter, & tantundē passum propriè sumptum pertinet tantum ad possessionem violentam, siue illa fiat in persona, siue in bonis, non autem ad commutationem voluntariam cum passio propriè non sit vbi voluntas consentit, vsu tamē sermonis maximè inter Philos. morales & Theologos accommodatum etiam hoc nomen est commutationibus voluntarijs, ita vt dicatur etiam similiter pati, qui tantum dat quantum acceperat: significat ergo contrapassum duo, & primò & propriè eandem iniuriam, vel damnum pati quod intuleris, Secundo & impropriè tātum dare quantū acceperis: vtrumque verò horum pertinet ad iustitiam commutatiuam, prius illud ad eam, quæ est punitiua, posterius verò ad eam quę versatur in commutationibus voluntatis: de vtraque est quæstio: An vt quis reddat iustum, debeat similiter & tantundem pati, vel reddere, Quo fit vt de commutatiua tantum sit proposita quęstio, non autem de distributiua, cum in ea (vt constat) iustum non sit sumendum secundum æqualitatem debiti, & redditi, sed secundum proportionem tantum præmiorum ad merita personas.

Obseruemus secundò iuxta Arist. loco citato iudicasse Pythagoreos in omni punitione, & commutatione iustum seruari, si idem omnino & tantundem quis patiatur ac reddat, quantum intulit damni, vel accepit bonorum, affertque ibi illud Radamantis legislatoris.

Si quæ fecerit, hæc etiam patiatur & ipse:
Iudicium rectum erit, & exitus æquus.

Cui sententiæ videtur fauere lex vetus, Exod. 21. præcipiens vt qui alteri nocuerit, reddat animam pro anima, oculum pro oculo, dente pro dente.

Obseruemus tertiò, plurimū interesse inter id quod est similiter vel tantundem pati, vel reddere, & id quod est æquale pati, vel reddere: prius enim illud sumitur ex ipsa re vel actione, ita vt tantundem dicatur pati, vel reddere, qui in eadem re specie, vel in eadem quantitate patitur, aut satisfacit, vt qui patitur in oculo, quia nocuit etiam in oculo; posterius verò quod est æquale pati, aut reddere, non sumitur secundum æqualitatem rei ad rem, sed ex dictamine rectę rationis pensata omnibus, tàm re ipsa, & actione, quam circunstantija loci, temporis, & personæ. Iuxta dictamen enim rectæ rationis, primò in satisfactione iniuriæ, & damni accepti in persona, vel honore, non seruatur æqualitas per similitudinem rei ad rem, etenim si plebeius det Principi alapam, non est æqua satisfactio, vt alapam recipiat, sed suspenditur: Similiter si quis Prætori priuatim contumeliam dicat, aliter puniendus est, quàm si eam dixerit pro tribunali sedendo. In satisfactione quoque damni illati in bonis, non seruatur semper æqualitas, reddendo tantundem: raptor enim, qui per vim accipit bona mea: non solum læsit me in bonis, verum etiam mihi fuit iniurius per illam vim, & Reipub. infringendo publicam tutelam, & securitatem, quàm Respub. mihi, & meis rebus intra domum meam promittit, vnde vt fiat æqua satisfactio, & damno mihi illato in bonis, & iniuriæ, qua me & Rempub. affecit, plura debet reddere, quam accepit. Qua de causa Exod. vigesimosecundo, de raptore gregis dicitur: Si quis furatus fuerit ouem, aut bouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno restituet, & quatuor oues pro vna. In commutationibus etiam voluntarijs rarò posset seruati æqualitas, reddendo rem pro re, verbi gratia, Sum pastor ouium indige calceis, non esset iusta commutatio, vt darem ouem pro calceis, qua de causa cum homines à principio huius mundi commutationibus vterentur, dantes rem pro re, viderentque non posse commodè æqualitatem seruari, quia res communiter non sunt inter se æqualis valoris, inuenerunt nummisma: primò ad reddenda iusta, & æqualia precia valori rerum: secundò, vt facilius res inuenirentur, qui enim facit calceos & vellet ouem, forsam nullo pastore egente calceis non posset habere illam, venditis autem calceis, & accepta pecunia, illaque oblata, facilè habebit ouem.

CONCLVSIO I.

Si contrapassum sit pati idem in specie, quod feceris, contrapassum non est semper iustum, neque in in damnis illatis, neque in commutationibus voluntarijs, licèt aliquando seruari possit.

POtest quidem, vt cum homicida suspenditur, & quando illod Exodi dentem pro dente, sed non semper constat ex tertia obseruatione.

CONCLVSIO II.

Si contrapassum sit reddere, aut pati æquale secundum dictamen rectæ rationis, aut legis, aut consuetudinis patriæ, iustum est in actionibus iustitiæ commutatiuæ.

PAtet etiam ex dictis.

Obseruandum est hic, iudicio multorum Pitagoreos non aliter iudicasse, quam hic docemus cum D. Tho. se Arist. falso illorum sententiam interpretati: non erant enim tã stupidi, vt non intelligerent, maius crimen esse afficere regem vulnere quam plebeium, & ita esse dispari pœna plectendos, vnde quamuis absolutè suam sententiam protulerint, vt Moyses in Exodo, intelligenda tamen est secundum æqualitatem, quàm dictant recta ratio, & lex.

TRACTATVS DE DOMINIO RERVM.

DIVISA iustitia in commutatiuam, & distributiuam agit D. Tho. de proprijs vtriusque actibus, & vitijs vtrique oppositis, initium sumens à proprio actu commutatiuæ, qui est restituere: & ita agit statim. q. 62. de restitutione. Discipuli autem, & interpretes eius, quos hic imitabimur, considerantes omnem restitutionem oriri ex violato dominio, adeo vt dominium collocetur in definitione restitutionis, tum etiam esse dominium basim, & fundamentum omnium commutationum contractuum, & pactorum, quæ secundum iustitiam commutatiuam celebrantur, disputationi de restitutione, de emptione, & venditione, de vsura, de cambijs, & cæteris quæ sequuntur præmittunt hanc de dominio, tanquam maximè necessariam, & à qua aliarum intelligentia pendet. Agunt de dominio DD. in 4. distin. 15. quia in eadem agitur de satisfactione, ad quam pertinet restitutio. D. Tho. non ex professo, sed incidenter infra q. 66. art. 1. & 2. Et 1. par. q. 69. vbi agit de dominio primi hominis. Conradus in suo opere erudito de contractibus quindecim quæstionibus. Gerson de potestate Ecclesiæ, consideratione, 13. & de vita spirituali cap siue lectio. 3. Joan. de Medina C. de contractib tit de restitutione. Soto toto 4. libro de iustitia copiosissimè, Iurisperiti instit. de rerum diuis. & ff. de acquiren. rer. domin. de acquir. posses. de vsu & vsufruct. & similibus titulis, Summistæ in verbo Dominium Possessio. & quidam Conradus sæcularis lib de contractib. tracta. 1. è quibus omnibus ea colligemus, quæ huic loco sunt necessaria. Continebit autem hæc disputatio quinque potissima capita, seu quæstiones. Prima erit de essentia, & natura dominij. Secunda, de subiecto. i. quis sit capax dominij Tertia, do obiecto dominij, idest quæ res dominio hominum possint subiacere Quarta de diuisione dominiorum, & rerum, fuerit ne licita, & quando incæperit. Quinta, de translatione dominiorum, qua ratione dominia rerum valeant tuta conscientia ab vno in alium transferri vltro citroq; singulas autem quæstionos sicut D. Tho. solet in suos articulos distribuemus.

Quæst, I. De Natura, & Essentia Dominij.

ARTICVLVS I.

An dominium sit libera facultas, & ius vtendi re sua pro libito.



OBSERVEMVS initio, hanc vocem dominium nõ legi apud Ciceronem, sed loco eius nexus, vel mancipium: maximè 4. Epist. famil. libro 7. vbi ait: [Atticè sic scribis, te esse proprium mancipio, & nexu, meum autem vsu, & fructu, contentus ipso sum, id enim cuiusque proprium est quo fruitur.] Vbi apertè mãcipium, & nexum accipit pro dominio, distinguitque illud ab vsu, & vsufructu, quia vt infra dicemus, mancipium, & nexus transferunt rei potestatem, alia verò non, vnde mancipare, idem est quod trasferre dominium. Et in topycis ait: [Finge mãcipio aliquem dedisse, id quod mancipio dare non poterat, nunquid idcirco eius qui recipit factum est, minime:] Et de Aruspicum. resp. sic ait: [Multæ sunt domus iure mancipij, aut iure nexus.] Vnde dicitur filius emancipatus, i. citra dominium patris. Nihilominus vtuntur hac voce dominium graues authores, & Latini sermonis peritissimi. Varro de re rustica lib. 2. D. Hier. multis locis.

& Iuris-

& Iurisconsulti, quorum leges eleganti sermone sunt scriptæ. Extant enim in ff. tituli integri de rerum dominio, & in Sacris literis Thob. 8. & 2. Machab. 11.

Huic voci similes sunt damnatus, & damnatio, differunt autem à dominio: non vt vult Soto lib. 4. q. 1. art. 1. quia sumantur in malũ, significentque quandam tyrannidem, dominium verò sumatur in bonum, significetque legitimam possessionem, hoc enim commentitium est; cum tam in sacris literis, quàm apud alios authores, (vt passim est videre) promiscuè sumantur omnes istæ voces, & in bonum & in malũ Thob. 8. sumitur dominium in bonum, 2. Mach. 11. in malum. Tyrannis enim Ptolomei vocatur ibi dominium: dominatus sumitur quoque aliquando in malũ. Luc. 22 [Principes gentiũ dominantur eorum.] Esaiæ. 14. [Contriuit dominus baculũ imperiorũ virgam dominãtiũ.] 1. Pet. 5. [Non dominantes in clero.] Aliquando bonũ. Ps. 88. [Tu dominaris potestati maris. Esaiæ. 3. Ecce dominator dominus exercituũ. & 16. Emitte agnum domine dominatorem terræ. Sap. 12. Tu autem dominator virtutis.] Sed differunt istę voces, quia dominatus, & dominatio communiter significant imperiũ quoddam superiorum in sibi subditos, siue illud legitimũ sit, siue secus: dominiũ aũt etiam si aliquãdo sumatur pro hoc imperio, sed rarò, cõiter verò pro possessione & facultate, quàm habet quis rebus suis pro libito vtendi: ita dicitur aliquis habere dominium fundi, domus, equi, habere aũt dominatione, nõ rectè dicetur.

Hoc posito videamus quid sit dominium, Cõradus sequutus Gersonem docet in suo lib. de cõtract. tract. 1, q. 1. ius bifarium sumi, primò pro lege, qua iusta præscribuntur, quomodo dicimus ius ciuile, ius canonicũ; secundò pro potestate faciendi, vel gubernandi, quomodo dicitur rex habere ius in subditos, pater in filios. Ius inquit primò modo. i. pro lege differt plurimũ à dominio, 2. autem modo idem est quod dominium, Probat, quia cõmuni sermone idem est esse dominum alicuius rei, quòd habere ius in illam. Ait 2. quãmuis dominium prima facia, & cõi ratione sumptum, & ius sint idem, quia tamen dominium dicit quãdam auctoritatem & supereminentiam, strictè, & propriè loquẽdo omne dominium erit ius, non autem omne ius erit dominium, sed illud tantum quod habet dominus in rem suam, vel seruum, vt superior in inferiorem. Addit 3. licèt omne ius superioris sit dominium propriè, apud Iuristas tamen & in iure ciuili, vbi ita distinguitur dominium ab vsu, & vsufructu, vt dominium respiciat, non solum fructum verum etiam ipsam substantiam rei omnino & simpliciter vsus autem & vsusfructus, solum fructum & vtilitatem rei ad tempus, distingui ius & dominium tanquam superius & inferius: ita vt ius sit quid superius, significans quamcunq; potestatem vtẽdi se: dominium verò sit inferius, & significet potestatem plenam, & omnimodam vtendi re, vnde vsuarius & vsufructuarius dicuntur habere ius, quia habent potestatem ad vsum, & vsumfructum, non autem dominium ciuile, quia non habent ius plenum in substantiam rei. Ex his colligit Conradus dominium tribus modis dici: Primò communi quadam ratione, ita vt sit idem quod ius, & conuertatur cum iure; quod probat primò, quia quicunque habet ius in aliqua re potest dici dominus illius. & 2. ex definitione furti, est enim furtum acceptio rei alienæ inuito domino: quicunque autem accipit rem, in quam alter habebat ius, dicitur fur: vnde dominium & ius conuertentur sua primæua significatione. 2. modo sumi dominiũ strictè pro iure superioris in inferiorem. 3. modo vt sumitur in iure ciuili pro iure perpetuitatis & substantiæ rei.

Hæc doctrina Conradi & Gersonis non recipitur omni ex parte in scholis, neque probatur à discipulis D. Tho. sed alia via incedunt ad colligẽdam naturam, & definitionem dominij, suamque sententiam explicant propositis his conclusionibus.

CONCLVSIO I.

Omne dominium est ius, sed non vice versa, nec sunt ita idem vt conuertantur.

PRior pars perspicua est, ex eo enim dicitur aliquis habere dominium alicuius rei, quia habet ius in ipsam. Probatur 2. vxor habet ius in virum, iuxta illud Pau. 1. Cor. 7. [Vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier:] ita vxor non habet dominium in virum: Similiter filius habet ius in parentem vt ab eo educatur & alatur, seruus in dominum, vt ab eo vxor necessaria accipiat, at non dicetur filius dominus patris, aut seruus dominari hæro suo.

CONCLVSIO II.

Non omne ius superioris in inferiores est dicendum dominium.

PRobatur: Prælati Ecclesiastici habent ius in suos subditos, & Reip. gubernatores in ciues, at hi nõ sunt domini suorum subditorum, de prælatis ait Christus Luc. 22 [Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] & 1. Pet. 5. [Nõ dominantes in clero.] De gubernatoribus, qui volunt dominari conqueritur dominus Ezech. 34. [Quod cum imperio gubernent.] Vnde Iudi. 8. cum dixisset populus Gedeoni dominare nostri. [Absit (inquit) vt ego, & domus patris mei dominemur vobis, sed dominetur vobis Deus.] Et confirmatur ex Arist. 1. Polyt. c. 3. vbi constituit duplex imperium, aliud principis in ciues, & aliud domini in seruos, illud appellat ciuile hoc dispositum, i. dominatiuum: vnde ex Arist. authoritas & ius principis in subditos non est dominium. 2. Instituta de iure person. Ius superioris in inferiores diuiditur in ius, quod habet pater in filios, quod vocatur ibi ius patriæ potestatis, & in ius domini in seruum, quod appellatur ibidem ius dominij, vnde ius patris in filium non est dominium. 3. Qui habet dominiũ est dominus, dominus dicit relationem ad seruum, vnde si superior esset dominus inferioris, inferior esset illi seruus, possetque vti superior suo inferiori, vt seruo in omnẽ vsum, & omnia lucra inferiorum essent superiorum, hoc enim est esse seruum, vt totus sit domini, & omnia opera ipsius & quicquid acquirit, possitque de eo dominus liberè disponere præterquã de vita, cuius solus Deus est dominus: at nihil horũ possunt superiores in suos inferiores. 4. Vir est superior ad vxorem, at non est dominus eius, nec ipsa ancilla viri, sed socia, qđ indicauit Deus dicens: [Faciamus adiutorium simile ei.] Vnde Arist. dicit: [Ius viri in vxorem esse innominatum:] quia neque est vt domini ad seruum, neque vt patris ad filiũ, neque vt principis ad ciuem, sed præstantius cum sint vna caro, sed est vt dignioris in eodem regimine domus maximè post peccatũ, & in hoc sensu dixit Deus Gen. 3. [Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui:] quia in regimine domus vxor debet parere viro quod explicauit Pau. 1. Corin. 11. [Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus,] quasi dicat hæc est subiectio mulieris ad virũ, vt quomodo Christus paret Deo Patri, & Christo parent viri, sic viris obediant vxores, & 1. Pet. 3. agens de obedientia vxoris ad virum dicit: [Sicut Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans,] quasi dicat ad exprimẽdam obedientiam, quam illi habebat, vocabat eum dominum, est enim nomen honoris, & obedientiæ, non ad significandum dominium. Denique dominium iuxta communem omnium hominum conceptionem dicit, liberam facultatem vtendi re pro libito, & ad omnem vsum, & ad suam vtilitatem, superior autem non potest vti subditis pro libito, nec ad omnem vsum, nec ad suã propriam vtilitatem, imò officium eius ordinatur ad

vtilitatem

vtilitatem inferiorum, Reges sunt instituti ob vtilitatem Reip. pastores, & prælati in vtilitatem ouium, parentes tenentur thesaurizare filijs, & quæ illis vtilia sunt curare: non ergo ius istorum est dominium.

Nec valet prima ratio Conradi: communi sermone idem est esse dominum, quod habere ius, ergo sunt idem, debuissent enim ita argumentari, esse dominum est habere ius, & habere ius est dominum, ergo sunt idem esse hæc illatio necessaria esset, sed sumet et falsum, quia habere ius non est idē quod esse dominum, vt constat.

Nec valet 2. ratio, si accipiatur vxor à viro, aut filius à patre est furtum, furtum autem est acceptio alieni inuito domino, ergo isti sunt domini: quia huiusmodi raptus, vt infra videbitur, propriè non est furtum, sed captiuitas, dicitur autem furtum communi sermone, sed impropriè.

CONCLVSIO III.

Non omnis potestas vtendi re in proprijs commodum est dominium.

Patet: nam qui habet locatum equum, vel domum, aut vsum vel vsumfructum eorum, habet facultatem vtendi equo, aut domo in suum commodum, non tamen est dominus.

CONCLVSIO IIII.

Ad dominium non est necesse, vt possit vti Dominus re sua in omnes vsus, sed sat est, vt possit vti in omnes nulla lege prohibitos.

Probatur, Beneficiati habent veram possessionem suorum beneficiorum, pupilli sunt veri domini suorum bonorum, similiter vxor est vera domina suæ dotis, Nobiles in Hispania quorum facultatibus est annexum vinculum primogenituræ sunt etiam veri domini suorum bonorum, at beneficiati non possunt disponere de suis beneficijs cōtractu venditionis, nec illis aliquod onus imponere, pupilli non possunt disponere de suis bonis, imò omnes contractus eorum quandiu sunt pupilli lege rescinduntur, vxor sine licentia viri quandiu cum illo manet, aut non exigit apud iudicem suæ doris recuperationem non potest ex bonis dotis aliquid disponere. Nobilis isti non possunt substantiam illam primogenituræ, vendere, alienare, aut distrahere, iam ergo ad dominium, non requiritur libera omnino facultas in omnes vsus, sed in eos tantū qui lege nōn prohibentur. Quod autem pupilli vxor, &c. sint veri domini, patet, quia non reperitur in mundo alius dominus eorum nisi isti, ita vt nisi hi sint veri domini, caret et illa bona omnino vero domino, quod post factam rerum diuisionem impossibile est, & contra omne ius. 2. quia si ista bona rapiantur ipsis sunt omni iure restituenda, restitutio aūt fit verò domino.

De primogenitis existimant aliqui, nobiles, quorum hæreditates vinculatæ sunt non esse veros dominos illarum, quia non possunt illas vendere aut distrahere, sed oppositum est tenendum eodē argumento quo modo vsi sumus, quia necessario illarum hæreditatum & primogenituræ assignandus est aliquis verus dominus, nullus autem potest assignari, nisi ille primogenitus. Ex his colligitur dominium propriè esse tantum illud liberum ius, quod quis habet in rem sibi subiectam ad omnes vsus.

Possumus nihilominus, vt grauissimos istos Doctores conciliemus dicere, dominium duobus modis acci pi posse: primò ampla & cōmuni acceptione, pro ordine & habitudine ad rem aliquā vtrunq; possessam, siue res illa superior sit, siue inferior, siue pars substantiæ naturalis, siue bonum aliquod tēporale, siue commune, siue priuatum. Et hoc modo dicuntur Reges damnari rebusp. & ciues damnari vijs publicis & fluminibus & parentes filijs cum sint quædam pars substantiæ parentum, seruus quoq; hoc modo dicitur dam nari hæro, quia habet ius, vt ab eo alatur, ciues habent ius, incedendi via publica, & potandi è flumine Reges gubernandi Respub. Alio modo accipitur contractus, & magis propriè pro ordine & iure in rem inferiorem & subiectam, quam potest conuertere dominus illius in sui vtilitatem: quomodo distinxit Arist. 5. Ethico. c. 5. Ius dominatiuum seu hęrile ab omnibus alijs iuris speciebus, affirmans solum ius quod habet hærus in mancipium & seruum, esse dominatiuum, ius in qua acceptione nec Reges sunt domini Rerump. nec parentes filiorum, cum illi debeant gubernare Respub. non in suum, sed in ipsarum Rerump. commodum similiter parentes filios suos: & contra agentes tyranni dicendi sint. In quo sensu vocat aliquando Cicero Tyrannos dominos, & tyrānidem dominationem. Ex his duabus significationibus in priori illa dominium con uertitur cum iure. In secunda verò & propria tantum conuenit dominium iuri dominatiuo & hærili quod quisque habet in bona fortuna sibi propria.

His positis propria, & accommodata definitio dominij est, Ius seu facultas propria, libera & voluntaria vtendi rebus sibi subiectis ad propriam vtilitatem in omnes vsus, iure sibi permissos. In qua definitione ius seu facultas est velut genus, reliquæ differentiæ locū habēt. Apponitur in hac definitione in primis vox illa propria, tanquam distinguens dominium à possessione, sæpè.n. contingit vt habeat quis alicuius rei possessionem, non tamen dominium, eo quod nōdum habeat rei illius proprietatem, sed illa adhuc sit sub lite, Dicimus rebus illi subiectis ad differētiam iuris quod habet vxor in virum, filius in patrem, subditus in prælatum, quod non est dominium; cum non fit in sibi subiectis. 3. Ad propriam vtilitatem ad differentiā iuris, quod habent Rex in ciues, Episcopus, & Prælatus in suos subditos, quod ius non est verè & propriè dominium: non enim possunt eis vti ad suam vtilitatem, 4. dicimus ad omnes vsus, ad differentiam iuris, quod habent vsuarius, & vsufructuarius, qui habent qu. dē ius in fructus, non autem dominium in rem, quia nō possunt ea vti ad omnes vsus, non enim possunt ea vendere aut distrahere 5. dicimus in vsus, nulla lege impeditos propter pupillos, vxorē, & primogenitos nobiles qui habent verum quidem dominium, non tamen in omnes vsus, sed in eos quos lex ipsis concedit.

Quod verò hæc definitio exacta sit, patet primò, quia solus homo dicitur dominus suarum operationum, quia potest eis vti ad suam vtilitatem in omnes vsus sibi licitos. 2. Ex communi omnium hominū conceptione: omnes enim homines eum iudicant solo instinctu naturæ dominum alicuius rei, qui habet ius & facultatem in illam qualē hæc definitio exprimit. 3. si admoneas & arguas prodigū suæ prodigalitatis, solet ita respondere, noone ego sum dominus meorum bonorum? noone possum illis vti pro libito? & conuertere illa in quoscunque vsus? cui facio iniuriam?

Obseruant hic aliqui in definitione dominij addi optimè sine iniuria, vt quis possit vti bonis in omnem vsum sine alterius iniuria, quasi ita maximè exponatur natura dominij, quia prodigus licèt peccet contra virtutem liberalitatis, non tamen contra iustitiam, cū sit verus dominus: quod ex eo cognoscitur, quia nulli facit iniuriam sua prodigalitate: fur verò non est dominus, quia facit iniuriam. Sed eo ipso quo dicimus cum vti reb. sibi iure subiectis, significamus sine alicuius iniuria, nam qui iure suo vtitur, aut iure aliquid facit, nulli facit iniuriam.

Admonent etiam hic aliqui non esse necesse addi illam partem in vsus lege permissos quia hic tantū inquiritur mera natura dominij, quæ in eo consistit, vt possit

possit dominus rebus suis prolibito vti in omnes vsus, quod autem aliqui lege prohibeantur, id esse, per accidens, sicut grauia natura sua descendunt, quod autē aliquando in loco soperiori maneant, est per accidēs. Nihilominus optimè apponitur illa pars, quia dominium est ius & facultas iure gentium introducta, leguin quoque iustarum obseruatio in cōmertijs, & con trsctibus est ab omnibus gentibus recepta, & ita non est, quid extrinsecum vel accidentarium sed maximè proprium dominio, vt sit ius in omnes vsus lege permissos. Dicere etiam possumus in illa voce vsus contineri istam vltimam clausulam lege permissos, quia vsus qui non est lege permissus non est reuera vsus, sed abusus, tum etiam potestas ad talem vsum non est facultas, id est iuridica, potestas, quod sonat hoc nomen facultatis, imò nec moraliter loquendo est dicenda potestas cum id tantum possimus quod iure possumus. Optimè tamen additur, nec frustra ad illustrandā definitionem, & explicandam magis naturam definiti.

Ex his facilè est colligere, quid sint, & quomodo distinguantur, hæc nomina, Dominium, Possessio, Vsus nudus seu solus, Vsus fructus, Emphyteusis, & Titulus, Obseruandum tamen prius est ex Conrado, tract. 1.c. 12. has voces vsus & vsusfructus bifariam sumi posse, primo modò, pro ipso actu vtendi & fruendi. v.g. pro actuali vsu equi, actuali habitatione domus, secundo modò, pro iure, & facultate exercendi illum actum in re possessa, quod ius reuera differt ab illo actuali vsu, potestque vnum sine alio reperiri, non sumuntur hic vsus & vsusfructus pro ipso actu, sed pro iure & facultate ipsa vtendi & fruendi. Obseruemus etiam has voces vti, & frui in hac materia aliter sumi, quàm sumantur à Theologis in primo dist. 1. cum dicunt iuxta D. Augustinum rerum alias esse quibus vtimur, nempe creaturas, & aliam qua fruimur, nempe Deum, in primo enim sumuntur vti & frui, pro actu elicito voluntatis, quo voluntas amando adhæret alicui rei, ita vt re cui adhæret propter se dicatur frui, re verò cui adhæret propter aliud dicatur vti, hoc autem loco, & apud Iurisperitos, vti est ex re aliena tibi permissa re solum fructum capere, frui verò est, ex re aliena tibi permissa fructus in tuum vel aliorum, si tibi libuerit vsum conuertere.

Sic ergo ista differunt, vt dominiū sit facultas vtendi re, tanquam sua, & propria in omnes vsus, respiciatque dominium tam fructus rei, quam substantiam: potest enim Dominus locare, vendere, donare, effundere, euertere, &c. Vsus autem & vsusfructus non attingunt substantiam rei, sed solos fructus qui ex ea percipiuntur, cum hoc discrimine, qui habet vsum solū aut vsum nudum potest quidem ipse fructum percipere, sed alteri non potest concedere, vt qui habet solum vsum domus, potest in ea habitare, non tamen potest locare, qui verò habet vsumfructum potest vtrumq., potest vsufructuarius domus in ea manere, vel eam locare, potest vsufructuarius vineæ vuas vendere alijs, & ipse comedere, qua ratione definitur. l. 1. ff. de vsu & habi. & insti. de vsu & vsufructu. a Silue. verb. Dominium. verb. Vsus. à Conrado trac. 1. de contractibus. q. 12. 13. & 14. Vsusfructus ius vtendi atque fruendi alienis rebus, salua earum substantia. Vsus nudus ius vtendi, non tamen fruendi alienis rebus salua eorum substantia. Ex quo etiam sequitur, dominum non esse vocandum vsuarium, aut vsufructuarium, neque contra, quia dominus vtitur, & fruitur proprijs rebus, & eorum substantia, Vsuarius autē, & vsufructuarius alienis, quoad fructum tantum, non quo ad substantiam. Vnde propriè loquendo reperiuntur tantum vsus, & vsusfructus in rebus, quæ non consumuntur vsu, extenso verò vocabulo etiam in alijs.

Possessio secundum aliquos est voluntaria detentio rei firmata beneficio legis. Sed hæc definitio materialis tātum est, & reddita per causam ipsius possessionis, cum ex iusta detētione rei causetur possessio, vnde sic formaliter definietur: Ius ortum ex voluntaria, & iusta rei detentione per aliquem actum externum firmatum iusta lege. Dicitur libera, & voluntaria, quia deficiente consensu voluntatis non est possessio, cum homo per voluntatem, & liberum arbitrium possideat, quicquid possidet. Nam quoniam voluntas nisi exterius manifestetur non sufficit, additur per actum externum, seu corporalem, ita videmus quando accipitur alicuius domus possessio clandi, & aperiri ianuas, tradi claues, quia illo actu externo sequitur ius detinendi illam rem sub suo dominio. Demum quia id quod detinetur contra ius non possidetur, dicitur iuris adminiculo interueniente, vel iusta lege firmatum, ad excludendam iniquam possessionem, quæ propriè nō est possessio, sed vsurpatio: fur enim usurpauit quidem, sed non possidet, quod detinet, cum iniquè detineat. Ius ergo detinendi sub suo dominio illam rem per aliquem actum externum iusta lege firmatum est possessio: detentio autem effectus possessionis.

De emphyteusi multa Syluest. in verbo emphyteusis, sed vnico verbo est quoddam genus dominij simile vsuifructus, sed extendit se ad plura, quia emphyteuta re illa potest vti, & frui, & illam testamento, vel in dotem alteri mandare, non potest tamen vendere, aut commutare, vel onerare sine facultate alterius, vnde emphyteuta non vocatur dominus absolutè, sed dominus vtilis: ille verò à quo facultas ad vendendum, ad onerandum, vel mutandum accipienda est, vocatur dominus directus.

Titulus iuxta aliquos Parisienses, quos sequitur Gerson, vt docet Conradus tract. 1. q. 1. concl. 4. idem est quod dominium: ratio eorum est, quia titulus dominij, verbi gratia in domum est ius quod habet dominus in illam, hoc autem ius est quoque dominiū: Sed hoc est falsum, nam titulus est fundamētum dominij, vnde dicenti se esse dominum huius rei, dicimus ostende titulum, idest, fundamentum, dominium autem est facultas, quæ nascitur est illo fundamēto, & velut habitudo ac relatio dominij ad rem cuius est dominus: quemadmodum ergo relatio realis differt à suo fundamēto, & effectus à sua causa, ita titulus, & dominiū non possunt esse idem, sed reuera debent distingui. Est ergo titulus veluti principium, & causa efficiens moralis, ex qua nascitur dominium tāquam effectus illius. Sunt autem tituli dominij hi, Titulus possessionis, & dominij naturalis, quod habet homo in plantas, aues, pisces, & alia necessaria ad cibum, & potum, est vita naturalis, quæ sine his conseruari non potest: ideo in extrema necessitate, in qua periclitatur vita est vnusquisque iure naturali eorum dominus, & fiunt omnia communia, vt vitæ necessaria. Titulus patris in filium & filij erga patrem est generatio, nam qui dat esse debet dare, & conseruari, Titulus possidendi bona, ius gentium, & diuisio bonorum facta iure gentium, Titulus dominij particularis quo hic possidet hæc bona, ille alia legitima hæreditas, emptio, donatio, vel præscriptio Titulus iuris, quod habent Episcopi in suas oues, & superiores in inferiores electio, Titulus iuris quod habent Principes in Rebus p. electio earum aut iustum bellum.

ARTICVLVS II.

An in rebus, quæ vsu consumuntur differant vsus, & dominium.

RES quarum potest haberi dominium, triplices sunt, quædam enim sunt quæ vsu non consumuntur, vt vinea, domus, aliæ quasi in altero extremo positæ, quæ primo vsu consumuntur, vt cibus, & potus: aliæ verò tanquam mediæ inter has, quæ etsi vsu paulatim consumantur, non

non tamen primo vsu vt vestis, liber. Non est hic quæstio de his, quę nullo vsu consumuntur, nec de his, quæ paulatim consumuntur, in quibus omnibus perspicuũ est vsum separari posse à dominio, sed de his, quæ primo vsu consumuntur, & quarum vsus est reuera ipsarum consumptio, vt panis, vinum, pecunia, & similes. Rursum quia in his potest duplex reperiri vsus proprius, & extraneus, vt in vino proprius, & genuinus usus ipsius est illud bibere, extraneus verò illum odorare, cum non ad odorem, sed ad potum sit à suo cõditore institutum: similiter in pecunia, proprius ipsius vsus est, vt sit precium rerum, quod verò quis illa vtatur ad ostentationem, & faustum, extraneum illi est, & per accidens. Non est hic sermo de vsu illo accidentario & extraneo, quem nil prohibet separari à dominio: possum enim vinum, cuius tu dominium retines odorare, sed est sermo de proprio & genuino istarum rerum vsu. Neque hic quærimus, an ista distinguantur in genere naturæ; cum certum sit dominium panis & vini esse relationem, vsum autem esse actionem, qua istis vescimur: sed quæstio est in genere moris, & quatenus ista pertinent ad commutationes & contractus, an ista distinguantur, vt possit quis habere vsum earum nullo modo habens dominium.

In hac quæstione duę sunt pugnantes sententiæ quarum vtraque & probabilissima habet argumenta, & grauissimos authores Nicolaus 3. capit. Exijt qui seminat. De verborum significatione lib. 6. & Clement. 5. in Clementina Exiui de paradiso. Eodem titulo volunt in his rebus, quæ vsu consumuntur quas vocant vtensiles, posse separari vsum à dominio & concedi vnum sine alio; & ita Fratres Minores habere apud se vsum panis & vini, dominium autem nullo modo, sed dominium istarum rerum esse apud Papam, ipsosque illis vti, vt bonis Papæ, perindeac si quotidie Papa illos inuitaret, quemadmodum qui amicum apud se conuiuio recipit, retinet apud se dominium eorum quę mensæ apponuntur, ille verò conuiuia habet solum vsum sine dominio, pecuniarum verò dominium manere apud illos qui eas contulerunt. Hanc sententiam amplectuntur omnes Minores & multi ex recentioribus Thomistis adducti authoritate magistri Soto qui illam sequitur libro 4. de Iustitia, q. 1. ar. 1.

Probatur hæc sententia: Primò, Dominium est facultas vtendi re in omnem vsum, sed Franciscani pane, vino & alijs vsu consumptibilibus, sibi traditis non possunt vti in omnẽ vsum, non n. possunt illa vendere, locare, aut commutare, ergo habent vsum & non dominium: distinguuntur ergo hæc duo. Et confirmatur quando Franciscani istis vtuntur, perinde est ac si à Papa conuiuio reciperentur, vt ait Nicolaus 3. at conuiua eorum quæ mensę apponuntur solũ habet vsum & non dominium, non enim potest illa in alios vsus commutare. Ergo.

Secundò, Deuter. 23. dicitur vt faciens iter possit ingredi vineam & vuas illius comedere, foras autem extrahere non possit: huic apertè conceditur usus, cum possit comedere, negatur autem dominium, cum non possit foris extrahere & vendere. Ergo.

Tertiò, Fideles vt habetur Act. secundo. Initio nascentis Ecclesiæ habebant omnia in communi,] Nec quisquam dicebat aliquid suum, vel sibi proprium,] sicut exponitur duodecima quæstio. 1. Cano. Scimus. & Canon. Nolo. & Cano. Non dicatis, & Diuus Augustin. Initio suę regulæ, [Quia distribuebatur vnicuiq;] ait textus: [Prout cuique opus erat.] Iam ergo habebant illi primi fideles vsum & non dominium.

Quartò, Concedunt omnes, & auctores quoque oppositæ sententiæ. Minoritas nihil omnino habere, neque in communi, neque in particulari, & profiteri ipsos omnimodam paupertatem, & in communi, & in particulari, vnde tenentur cõcedere neminem eorum habere in particulari dominium illorum quibus vtuntur, habent autem in particulari vsum eorum quibus aluntur, ergo in ipsis differt reuera vsus à dominio. Simile est in alijs quoque religionibus, in quibus licet habeantur bona in communi nihil tamen aliquis possidet in particulari; neque cuiusquam rei habet dominium, cum tamen habeat vnusquisque priuatus religiosus ex concessione sui Prælati vsum earum rerum quibus priuatim vtitur.

Quintò videtur fauere huic sententiæ ius ciuile, nã Instit. de vsu & habitatione habetur, [posse aliquem habere vsum proprium holerum horti, & pomorum, quorum tamen non habet dominium, ita vt ea vendere, vel alienare non possit. Vbi apertè habenti vsum nudum alicuius rei, quem vocamus vsurarium conceditur ius vt ea vtatur, dominium autem eius, neque quo ad substantiam, neque quo ad fructum conceditur, cum illam, nec vendere, nec locare, nec alteri possit conferre: vnde in vsurario nudo distinguuntur reuera vsus, & dominium.

Denique Christus Redemptor vsum habuit eorum quibus vescebatur: dominium autem aliquando nullum, nec in particulari, iuxta illud eiusdem Christi Matth. 8. [vulpes foueas habent volucres cœli nidos, filius aũt hominis nõ habet, vbi caput suum reclinet.

Oppositam sententiam habet Ioannes 22. in tribus extrauagantibus, nempè. Ad conditorem. Cum inter nonnullos, & Quia quorundam: De verborum significatione vbi multa proponit. Primò probat multis argumentis in rebus vsu consumptibilibus nõ distingui reuera vsum à dominio. 2. ait Minores in huiusmodi rebus habere vsum simul & dominium, 3. ait esse figmentum asserere dominium harum rerum esse penes summum Pontif. & Papam singulis diebus parare illis mẽsam, 4. nihil perfectionis accrescere Minoritis, ex eo quod dicantur habere solùm vsum comestibilium, & licet in communi sint pauperiores alijs mendicantibus, quia alij possunt habere bona, & redditus perpetuos in communi, ipsi verò, neque in communi, neque in particulari, quo ad ea verò quæ vsu consumuntur, non esse pauperiores alijs mendicantibus, cũ reuera eodem modo vtantur rebus, quas possident, & quibus aluntur, sicut & alij mendicantes, qui dicũtur habere dominium. Vltimò dicit esse figmentum iniuriosum ipsi Romanæ sedi, & simplicitati religionis Christianæ asserere eleemosynas quas fideles simpliciter & absolutè conferunt Minoritis, cõferri ipsis tantum quo ad vsum, dominium autem eorum transferri in Summum Pontif. vnde subiungit si tale dominium apud nos esset, quod reuera non est, illi omnino renunciamus.

Hanc sententiam amplectuntur D. Anto. 4. p. tit. 12. cap. 4. §. 4. Caiet. infra in commento. q. 78. art. 1. & Sil. dominium. §. 3. Turrecrem. lib. 2. Summæ Ecclesiast. c. 112. & multi ex recentioribus Thomistis: Quæ optimis etiam rationibus probatur, Primò, ex iure ciuili. ff. de vsufruct. l. omnes. §. statuimus. habetur ne legetur perpetuus vsus rerum vsu consumptibilium sine dominio, causam assignat lex, quia relicto alicui vsu perpetuo rerum, relinquere alteri dominium, est dominium, illud inutile, & ridiculum ac reuera nullum. Et l. 2. eodem titulo dicitur, vt cum legatur alicuius vsus pecuniæ, censeatur legari illi simul ipsa pecunia, & dominium pecuniæ: & ratio huius legis est, quia nemo potest vti pecunia, nisi consumendo ipsam, qui verò illam omnino consumere potest sine obligatione restituendi, verus dominus illius & iudicandus. Nec valet quod his respon. Soto, legibus istis tantum prohiberi, vt nõ sumatur unum pretium pro vsu & aliud pro dominio, nihil enim minus ibi continetur quam memoria pretij, sed hoc apertè, ne distinguatur dominium ab vsu, quia in huiusmodi rebus ridiculum est concedere vni dominium, & alteri vsum, cum post vsum nihil omnino earum remanet.

Secundo

Secundò si vsus & dominium in rebus distinguuntur, vel ille vsus distinctus à dominio, est alicuius valoris, vel non, si nullius ergo moraliter loquendo, l. quo ad contractus, idem erunt omnino, si verò alicuius est valoris, poterit dominus istarum rerum quæ vsu consumuntur illas mutare retento apud se dominio, & pro illarũ vsu cũ sit distinctus & alicuius valoris, aliquid vna cum ipsis vltra sortem recipere, quemadmodum qui locat domum, equum, & ea quæ vsu non consumuntur, quia in istis distinguuntur vsus & dominium, recuperat eas intagras iure dominij, & accipit vna cum eis iuste aliquid à locantibus ratione vsus: at hoc in his rebus, quæ vsu consumuntur, vt in pecunia frumento, vino, & similibus est manifesta vsura, ut constabit infra q. 78. art. 1. Et confirmatur ex D. Tho. ibidem, vbi ait in rebus quarum vsus est earundẽ consumptio, non debet seorsum computari vsus rei à re ipsa, quo fit per mutuum trãsferatur dominium, quia transfertur & vsus. Simile habetur. l. 1. ff. de vsu earum rerum, quæ vsu consumuntur, & Instit. de vsufructu. §. constituitur. 3. omnium consensu vsus qui distinguitur à dominio, vel est ius vtẽdi re, seruata eius substantia, vel est ipse actualis vsus rei, seruata quoque eius substantia: vnde in vsu distincto à dominio quocunq; modo sumatur, seruatur & manet rei substantia, sed in his quæ vsu consumuntur, nulla manet rei substantia, cum idem omnino sint vti illa & consumere eius substantiam. Ergo in ipsis idem quoque omnino sunt vsus & dominium.

Vnde fit quartum argumentum: Cum vsus, & vsusfructus ex art. præced. non respiciant rei substantiam, dominium verò ipsam respiciat, magis arguit dominium, & maius ac superius ius, posse aliquem rem omnino consumere, & in nihilum redigere, quam posse vendere, vel alienare: maiorem. v.g. potestatem haberem ego profectò erga seruum meum, si possem illum occidere prolibito, quam habeo ex eo quod possim vendere: sed qui potest rem vendere, vel alienare habet eius dominium: ergo multò magis qui potest eam omnino consumere: vsus autem in his rebus, quæ vsu consumuntur, est ius & facultas consumendi illas, ergo est quoque simul dominium.

Quintò loquamur iam priuatim de Patribus Minoritis, Patres isti in ea quæ vsu consumuntur & accipiũt à fidelibus, habẽt plenarium vsum; possunt enim non solum eis vesci, verum etiam donare illa, commutare, immò & vendere si opus fuerit ad comparanda ea quibus indiguerint, & quæ sibi debentur ex eleemosynis missarum, aut funeralium repetare in iudicio, ergo habent verum dominium. Consequentia patet ex definitione dominij. Antecedens verò constat experientia, & extrauagantibus. Ioan. 22. vbi Sum. Pont. concedit eis facultatem habere vẽdendi, quin & Nicolaus. 3. in sua decretali docet posse ipsos vt huiusmodi rebus perinde ac si essent veri domini: Nec valet quod aliqui respondent ipsos non vendere illa aut repetere, sed per suos syndicos tanquam procuratores sibi ab Apostolica assignatos: quia ipsi accipiunt sibi procuratores sicut & alij religiosi, & totus conuentus illis procuratoribus suas vices tradit, & quod per procuratores facimus ex regulis iuris per nos ipsos facere dicimur.

Sextò cum eleemosyna, vt vidimus nõ sit mutatio, sed vera donatio, & in omni vera donatione dãs transferat usum & dominium rei in accipientem, in eleemosynis quas fideles faciunt Minoritis vtrumque transferunt vsum dominium, at non transferunt illud in Papam, ergo in ipsos Minoritas illas accipientes. Maior certa est. Probatur Minor, quia actualis translatio rei pendet & fit ab actuali consensu & intentione voluntatis veri domini, nullus autem fidelis faciens eis eleemosynas, intendit conferre dominium in Papam, nec minus quid cogitat quam de Papa, neque intendit retinere apud se tale dominium & solum vsum conferre, sed simpliciter & absolutè intentio eius est dare illi fratri: Et confirmatur, quia dans eleemosynã istis fratribus non aliter se habet erga ipsos, quã erga alios religiosos, vel pauperes quibus subuenit, qui verò alijs dat transfert reuera in eos simul vsum, & dominium, ergo.

Septimò, Si dominium harum rerum non residet apud ipsos, sed apud Papam si loquamur de vtensilibus, vel apud dantem si loquamus de pecunia, sequetur accipientem furto huiusmodi bona ab eis non teneri illa ipsis restituere, sed sufficere, vt illa restituat Papæ, vel danti, cum verè restitutio fiat si res accepta vero domino reddatur, at neque ipsi hoc admittunt asserentes sibi esse ista restituenda.

Octauò, Summ. Pontif. non aliter se habet erga fratres Minores, quã erga alios religiosos, & certè Concilium Trid. sess. 25. cap. 3. omnia, quæ habent religiosi ipsis eodem modo tribuit, nullo facto discrimine inter minoritas, & alios mendicantes, solum enim excipit illos, qui dicuntur Capucini, sed Papa non est dominus bonorum aliorum religiosorum; ergo nec eorum quibus Minoritæ vtuntur.

Denique quando vsus, & dominium distinguũtur, qui emit solum vsum, & non dominium minoris debet in conscientia emere, Fratres Minores emunt aliquando frumentum, vinum, & similia, & cum ipsi non habeant nisi solum vsum, hic solum venditur eis, & ita in conscientia minoris deberent ipsi emere, quod est ridiculum.

In hac quæstione adeò graui, nititur Turrecremata loco citato conciliare Summos Pontifices, asserens Ioannem 22. loqui de rebus, quæ vsu consumuntur, docereque in huiusmodi rebus vsum, & dominium non distingui. Nicolaum verò, & Clementem loqui de rebus, quæ non consumuntur vsu, docereque in huiusmodi rebus illam distingui, & ita Fratres Minores habere huiusmodi quidem rerum vsum, non autem dominium: sed hæc conciliatio pace tanti doctoris non est satis accommodata, quia (vt ex eorum decretalibus constat) omnes loquuntur de rebus, quæ vsu consumuntur, aliter nunquam dictum fuisset à Doctoribus istos Pontifices hac in parte inter se pugnare, neque oportuisset acuere ingenium in eis conciliandis. Vnde aliter sunt conciliandi, vt à nobis infra conciliabuntur, & aliter de hac quæstione sentiendum.

Obseruemus igitur quod ex Clementina: Exiui de paradiso à recentioribus optimè colligitur, licèt simpliciter, & absolutè loquendo ac prima facie dominiũ, & vsus ita distinguantur, vt dominium sit ius, quod dominus habet in rem suam, vsus verò actus quo quis illa vtitur, nihilominus vsum ipsum distinguendum esse necessariò in vsum in habitu vel iuris, & in vsum facti. Quid ista sint nonnulli, ita explicant, vt vsus iuris sit facultas vtendi re concessa à lege, vsus verò facti sit actualiter re illa vti, non vi legis alicuius facientis talem potestatem sed tantum de facto, vnde dicunt vsum iuris in rebus consumptibilibus non distingui à dominio quia quicunque vtitur re aliqua virtute alicuius legis iustæ illam sibi concedentis, eo ipso est dominus illius rei, vsum autem facti distingui à domino, cum possit vti aliquis de facto re aliqua, cuius nullum habeat dominium, vt fur qui raptum panem manducat. Sed hæc explicatio non est accommodata, nam ita Franciscani haberent vsum iuris, & consequenter dominium eorum quibus vtuntur, primò quia Sũmi Pontifices ista illis concedunt, concessio autem Papæ, vel principis vim habet legis. 2. quia vtuntur istis consentientibus veris dominis, qui illa tribuerunt, lex autem communis concedit vnicuique vt vtatur re si verus illius dominus consentiat. At vt constat ex illa Clemen. Exiui de paradiso, Clemens solum tribuit Minoritis vsum facti, non autem vsum Iuris. Adde quod Docto-

res

res excogitarunt istam distinctionem vsus, vt commodè explicetur, quomodo Patres Franciscani reb. vtantur sine illarum dominio: iuxta istam verò explicationem haberent, vt probatum est non modo vsum facti, verum etiam vsum iuris, & consequenter dominium. Sic ergo explicanda est, vt vsus in habitu seu iuris sit libera, & plena facultas habitualis vtendi re sine dependentia ab alio, quo fit, vt habens talem vsum habeat reuera dominium, nec distinguantur huius vsus, & dominiū, quia qui liberè, & absolutè re aliqua, vti potest, sine dependentia ab aliquo, qui illum iure impedire possit, eo ipso est dicendus verus, & absolutus illius rei dominus. Vsus verò facti seu vsus in actu est ipsa actualis rei consumptio, & vsus cum dependētia ab alio, ita fit vt etsi quis habeat huiusmodi vsum alicuius rei non propterea habeat illius dominium, sed distinguātur etiam in his, quæ vsu consumuntur vsus, & dominium, cum dominium dicat omnimodam, & absolutā facultatē vtendi re sine dependentia ab alio, vsus verò facti includat huiusmodi dependentiam.

CONCLVSIO I.

In rebus quæ vsu consumuntur vsus iuris non distinguitur à dominio. vsus verò facti distinguitur ab illo.

Constat apertè hæc conclu. ex dictis, probantque illam maximè quo ad secundam partem de vsu facti argumenta adducta pro prima opinione, Nicolai. 3. & Clementis. 5. In quibus illud tantum obseruandum est circa 3. argumentum, fideles primitiuæ Ecclesiæ non compelli eo ipso quo ad fidem accedebant ad bona sua in communi tradenda, sed liberum ipsis fuisse, vel ea deferre ad pedes Apostolorum, & in commune redigere, vel sibi priuatim retinere. Constat hoc apertè ex verbis B. Pet. ad Ananiam: [cur mentitus es Spiritui sancto? nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate.] Cæterum eorum, quæ multi fidelium vendebant, & redacta in pecuniam offerebant Apostolis, habebant omnes vsum facti, non tamen dominium, cum illis non possent vti in omnem vsum sed in suas tantum necessitates, vt docent illa verba textus: [Distribuebatur vnicuique prout cuique opus erat.]

Ex his colligo primò fratres Minores, neque in communi, neque in particulari habere vsum iuris, vel dominium eorum quibus vtuntur, & vnico vsu consumuntur, sed solum vsum facti, dominium autem rerum istarum manere penes Romanum Pontificem: pecuniæ verò apud eos qui illas largiuntur: adeò, vt possit Summ. Pontif. si vellet, exigere ab ipsis omnes istas res vsu consumptibiles sine vlla iniuria, & similiter pecunias, qui illas largiti sunt.

Secundò sequitur non esse negandum fratribus Minoribus vsum iuris, vel dominium in istas res, eo nomine, quòd non possint eas alienare, donare, vel vendere si oportuerit, existimo enim ista omnino posse ex licētia suorum superiorum, sicut, & religiosi aliorum ordinum possunt, imò reuera ita faciunt Patres Minores, & ita conceditur eis à Summis Pont. locis citatis, sed eo nomine esse negandum ipsis tale dominium, & vsus iuris, quia quæcunque habent, vt eis vtantur, habent cum dependētia ab alio, nempe vel à Rom. Pon. vel ab eis, qui ipsis pecunias erogarunt, quæ dependentia habet quidem locum in vsu facti, qualem solum habent fratres Minores, non tamen in dominio, vel vsu iuris, vt constat ex dictis. Et confirmatur, si daret Petrus Ioanni centum aureos, quos posset cōsumere in proprios vsus, hac tamen lege, vt si vellet, posset repetere, certè in hoc casu vsus tantum esset apud Ioannem, dominium verò apud Petrū, nec esset inutile, & occiosum, cum posset, si vellet repetere, hoc modo habent Patres Minores res quibus vtuntur, cum possit Pontifex illas sine vlla iniuria ab ipsis repetere.

Sequitur tertiò ex dictis nullum religiosum cuiuscunque ordinis posse ex his, quæ ipsi conceduntur ad suos proprios vsus vt victum, &c. aliquid in eleemosinam alicui erogare sine particulari licentia sui superioris, etiam si parcissimè illis vtatur, & sibi ipsi aliquid ex necessarijs subtrahat, vt cum mittitur religiosus aliquod negotium peracturus in locum à suo conuentu distantem, exhibeturque illi à suo prælato pecunia, qua victum sibi paret, si parcissimè viuat, tenetur quæ reseruat rediens in conuentum Prælato, & conuentui restituere, quia illi non est tradita pecunia absolutè, vt ea pro libito vtatur, sed solum ad victū eius, & ita, quæ supersunt ei non potest libere expendere aut erogare, sed Conuentui tenetur restituere. Quod si pecunia absolutè ei tradita sit, vt liberè eam expēdat in quoscunque vsus tunc potest ex ea eleemosynas facere, & cui voluerit honestè conferre, habet se enim tunc non vt dominus, sed vt minister voluntatis sui superioris. Idem dicendum est de famulis, & ancillis familiarum simpliciter & per se loquendo, dico per se loquendo, quia per accidens. v. g. si taxatur eis portio vt fit in domibus illustrium, poterunt tūc quæ voluerint ex illa portione sibi sumere, & reliquū cui voluerint exhibere, quia eo ipso quo designatur eis certa portio conceditur libera facultas de illis disponendi.

Nunc ad illa quæ huic sententiæ aduersantur, & imprimis ad authoritatem. Ioan. 22. In illis extrauag. citatis non est probanda solutio respondentium Nicolaum. 4. & Clementem. 5. successiuè Ioanni. 22. & illius emendasse sententiam, cum apertè constet, & ex historijs & ex illis extrauag. Ioannem Nicolao & Clementi successisse, respondeo igitur præcipuum institutum Ioannis fuisse, explicare qua ratione Christus, & eius Apostoli aliquando habuerint in communi & vsum & dominium eorum quæ aliquando possidebant, aliquando, verò, neque in communi, neque in particulari, cui doctrinæ impiè & temerariè se posuerunt Okam, & nonnulli similis farinæ, asserentes Christum, & Apostolos nunquam aliquod habuisse dominium, neque in communi, neque in particulari, & similem paupertatem profiteri minores. Definit, Pontif. & meritò quæ pertinent, ad paupertatem Christi, & Apostolorum, & oppositum sentientes damna, vt constat ex vltimis clausulis extrauagantis. Quia quorundam, in quo nec Nicolao, nec Gregorio. 9. nec vlli aliorum Pontificum qui de eadem controuersia paupertatis Christi & Apostolorum egerunt, repugnat, Quæ verò hac occasione de paupertate minorum, de dominio & vsu eorum affert, asserens illos habere quoque vsum iuris, dominium eorum quibus vtuntur à se abdicare, hæc & similia obiter, & vt peculiaris quidam doctor asserit, nec vllum est incommudum, vt in hac parte pugnet cum Nicolao, & Clemente, qui vt priuati etiam Doctores oppositum asseruerunt, fuit enim Ioannes 22. infestissimus Okam & socijs ipsius, & propter eos fratribus Minoribus.

Ad argumenta verò. Ad primum respondeo optimè leges illas ita præcipere, quia concesso alicui perpetuo vsu alicuius rei, vel simplici vsu pecuniæ, perspicuum est tale dominium inutile esse & ociosum, cæterum si relinquatur ille vsus cum dependentia ab alio, qualis est vsus facti, habens talem vsum, non habet dominiū cum dominium sit absolutum ius sine vlla dependentia ab alio.

Ad secundum dico, in his quæ vsu consumuntur, vsum non habere seorsum, & per se aliquod precium distinctum à precio rei, & hoc tantum docere ibi D. Tho. vt suo loco videbitur, nihilominus distinguūtur reuera in ipsis vsus facti & dominium, vt explicatum est, cum ille dicat dependentiam ab alio, quàm non dicit dominium.

Ad tertium, & quartum dico discrimen illud inter

vsum

vsum & dominium, ita vt vsus non respiciat rei substantiam, sed habeatur manente rei substantia: dominium verò respiciat substantiam, habere locum in his rebus quæ non consumuntur vsu, nam in his quæ vnico vsu consumuntur, tam vsus quàm dominium respiciunt substantiam cum non liceat illis vti quin eorum sumatur earum substantia, differrêt nihilominus vsus facti, & dominium in eo quod est habere dependentiam ab alio, vel non habere, sicut expositum est.

Ad quintum patet ex dictis solutio, possunt quidem Patres Minores istis rebus vti in omnes vsus ex licentia superiorum, nihilominus non habent earum dominium, sed solum vsum facti, eum in eis semper dependeant à voluntate Romanæ sedis, pœnes quam est earum dominium, nec sublatum est per illam abdicationem Ioannis. 22. licèt enim illud à se abdicauerit, (in quo nescio an rectè se gesserit) non tamen propterea abdicauit illud à se ipsa sedes Apostolica.

Ad sextum respondeo, fideles quantum in ipsis est simpliciter facere eleemosynas Franciscanis, sicut & cæteris, cæterum Franciscani illas recipiunt eo modo quo earum sunt capaces, & ita quia professi sunt omnimoda paupertatem, & in communi & in particulari, recipiunt quidem vsum facti, non autẽ dominium.

Ad septimum, dico posse fieri talem restitutionem Papæ: vel his qui pecunias largiti sunt, & ipsis remittentibus fuiem illum manære liberum, at qui quod semel Deo dicatum est in alios vsus transferri non debet, postquam ista Franciscanis per eleemosynam collata sunt, habent eorum vsum facti, ac propterea sunt eis restituenda, ita volentib. & Papa & fidelibus: qui eis eleemosynas fecerunt, consensu tacito, & implicito per communem fidelium cõsuetudinem explicato.

Ad vltimum patet ex dictis aliter se habere summum Pontificem circa bona Minorum, quàm circa bona aliorum ordinum, nec concilium Tridentinum Minoribus tribuit dominium eorum, quibus vtuntur, vt in ipso est uidere.

QVÆST. II. DE SVBIECTO DOMINII.

ARTICVLVS I.

Conueniat ne dominium soli Deo, & intellectualibus creaturis?

IN hac quæstione variæ sunt opiniones: existimarunt quidã solum Deum esse dominum, & nullum alium præter ipsum, in quam sententiam ducebantur primò illis verbis, Iob. 3. [Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem qui fabricatus est? q. d. nullum: Secundo sicut vnus & idem effectus non potest esse à duabus causis, quas vocãt tales, ita nec possent eiusdem rei esse duo domini simul & insolidum. Est autem Deus dominus vniuersorum simpliciter & insolidum. Esa. 22. [Ego dominus, hoc est nomen meum, &c.] Ergo.

Maioris in 4. dist. 15. Conradus lib. 1. de contractib. q. 3. & multi Parisienses sequuti Gersonem loco supra citato voloerunt bruta quoque habere dominium in pabula & herbas quibus aluntur. Probant. 1. quia Gen. 1. dicitur: [Ecce dedi vobis omnem herbam, vt sit vobis in escam, & cũctis animantibus terræ.] Vbi eodem modo traduntur herbæ hominibus & brutis. Dicitur etiam ibidem de creaturis inanimatis sole & luna, vt præsint, id est, dominentur diei ac nocti, imò iuxta veram Phylosophiam Metheorum orbes cœlestes dominantur, & gubernant hæc inferiora sublunaria.

Secundo, Psal. 103. in illa verba: [Herodij domus dux est eorum.] Habet glossa: [Herodius Princeps est inter aues rapaces & vna apex regina est inter alias, & Grues vnam vt ducem & reginam sequuntur, & inter terrestria Leo dominatur.

Hæc secunda opinio displicet plurimum Theologorum scolæ, est enim communis D. Tho. & aliorum sententia, bruta & irrationabilia expertia omnino esse dominij, solamque intellectualem naturam illius esse capacem, Diuiduntur autem discipuli D. Thom. in duas partes, quidam & plerique ex recentioribus volunt Deum & omnem creaturam intellectualem, tàm homines, quàm Angelos actu & reuera dominari in alia à se. Magister verò Soto lib. 4. de iustitia. q. 1. art. 2. quẽ multi sequũtur, vult Deum & homines dominari quidem actu & reuera, Angelos autem dominari quidem suis actionibus & operationibus, vt suæ cognitioni & volitioni, quia liberè eas exercent, & cum volunt, vt veri domini ipsarum, nõ tamen dominari actu & reuera huic mundo, nec his rebus, licèt sint capaces dominij vt creaturæ intellectuales. Probat Soto. Homines ideò sunt domini horum inferiorum constituti, quia propter hominem vt suum proprium finem hæc visibilia condita sunt, ipsisque homo indiget, vt alatur & viuat: Angeli autem neque his indigent, nec propter ipsos hic mundus inferior & visibilis cõditus est propter quod Angeli in primo instãti conditi sont homo verò perfecto opificio mundi: & vltimo loco quasi omnium finis. Ergo Angeli non sunt domini horum inferiorum. Videturque hanc sententiam docuisse apertè B. Pau. cum ait Hebr. 2. Non enim subiecit Deus Angelis orbem terræ.

Obseruemus cum dominium sit ius & facultas vtendi re pro libito in proprium commodum, & dicantur illis rebus nos vti, quas tanquam media vtilia in aliquem finem dirigimus: dirigere verò media vtilia, & accommodata in aliquem finem sit actus intellectus, & voluntatis, voluntatis quidem vt eligentis media præcognita ab intellectu intellectus verò vt præcognoscentis & dirigentis in finem, effici necessariò, eam tantum naturam esse capacem dominij quæ habet intellectum & voluntatem, & potest per actus harum potentiarum liberè vti rebus in suas vtilitates & fines, In hoc sensu, dixit Deus Gen. 1. [faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram vt præsit piscibus maris, volatilibus cœli &c.' Quasi dicat, faciamus hominem intellectus & voluntatis participem, id enim significat ibi nomen imaginis, differt namque vestigium vt docent Sancti Patres maximè D. Aug. & Basil. ab imagine, quia vestigium indicat tantum personam in communi, vt cum videò vestigium hominis in puluere agnosco hominem illuc transisse, sed quis transierit ignoro, at imago refert rem in particulari & distinctè: in alijs creaturis, est quidem vestigiũ Dei, quia ex eis deprehenditur esse aliqua prima & suprema causa, qualis autem illa sit non indicant, vt homo habet imaginẽ, quia iudicat qualis sit sua causa, nempe intellectualis & liber sit, vt infertur rectè Psal. 61. Non arguet qui docet hominem scientiam. i. qui condidit hominem intellectualem & capacem scientiæ non intelliget vt arguat, Faciamus ergo inquit Deus hominem ad imaginem &c. id est, intellectualem, & liberi arbitrij, vt sic præsit & dominetur cæteris rebus contra Gersonem & Parisienses.

CON-

CONCLVSIO I.

Inanimata & irrationalia non sunt capacia dominij.

PRobatur primo ex fundamento proposito: Dominium dicit intrinsecè vsum liberum rei, cuius est dominus, vt copiosè D.Tho.1.2.q.16. per totam. & D. Aug.lib.83.q.multis ibi in locis,bruta non habent propriè vsum, sed tantum metaphoricè, ergo nec dominium. Probatur Minor, vsus propriè & formaliter dicit ordinationem vnius rei in alteram, vt suum finem, ex cognitione & ex electione, in brutis autem non est huiusmodi ordinatio, quia nec cognoscunt finem, nec agunt ex electione, sed ex mero instinctu naturæ, ergo.

Secundò. Si bruta haberent dominium in has res, qui illis priuaret brutum,faceret ei iniuriam, hoc autem est ridiculum, bruta esse iniuriæ capacia vt docet Arist. 10.Ethic.cap.8. Ergo. Vnde qui bouē aut ouem priuat suo pabulo & herba, non pecudi, sed domino pecudis infert iniuriam.

Tertiò. Dominium est quoddam Ius, vt ex definitione eius constat,insensibilibus autē & irrationabilibus,vt docuimus.q.67. art.3. non conuenit ius, ergo, neque dominium.

Quartò, Qui non valet gubernare se ipsum nec potest dominari suis actionibus, minus potest gubernare alia aut dominari alijs,cum constet eum qui præest alteri, per proprias actiones præesse & dominari, vt passim videmus,præcipiendo, prohibendo, conferendo &c.at brutum cum non habeat intellectum & voluntatem non potest esse dominus suarum actionum, ergo multò minus aliarum, Minor patet, nam brutum & inanimatum non agit vt dominus suarum actionum, sed agitur potius, & mouetur in pulsu, & necessitate quadam naturæ. Hanc conclus. habet D. Tho.1. p.q. 82.art.1.& 1.2.q.16.art.2. ad 2.&q.17. de imperio. 2. contra g.c.100.

Ex hac conclus. sequitur quotiescunq; in Sacris litteris occurrunt aliquæ voces quæ videantur dominiū aliquod brutis tribuere intelligendas esse metaphoricè, ita quod dicitur solem præesse diei, intelligendum est de præsentia, assistentia solis, similiter cum dicitur herodius auibus dominari, apes habere ducem & leonem bestiarum esse regem, accipiendum est secundum quādam similitudinem, ratione alicuius naturalis excellentiæ,quæ ita huiusmodi animalibus conuenit, vt in alijs non reperiatur.

CONCLVSIO II.

Deus est dominus verè & perfectè totius vniuersi, & omnium quæ in eo continentur: ante mundi constitutionem potestate tantum, post mundi verò creationem reuera, & actu.

HÆc est de fide Psal. 23. Domini est terra, &c. Indic.9. Deus cœlorum creator aquarum & dominus totius creaturæ.Sap.6. Roma.13. & alijs innumeris locis.

Secundò, Perfectiones quæ conueniunt hominibus multi excellentiori modo competunt Deo,hominibus conuenit dominari,estque in eis perfectio, ergo multo excellentius debet dominium Deo conuenire: imò prius & per se Deo, secundario verò & posterius est hominibus tribuendum:Constat enim ex 1.q.18. Omnia nomina communia Deo & creaturis primò & per se dici de Deo,secundario verò de creaturis, vt iustus, sapiens bonus,&c.

Tertiò, Parentes vt videmus iure naturæ sunt domini filiorum, ideò antiquitus poterant eos vendere vt bona sua, quia eos genuerunt, & dederunt illis vitam & esse naturalem, sed Deus præstantiori modo omnia condidit, omnibus dedit esse, ergo. Vnde cōuenit Deo omnium rerum dominium iure creationis,& hic titulus assignatur in scriptura quotiescunq; agitur de eius dominio, vt Psal. citato.23. cum præmisisset: Domini est terra &c.subiungit, quia ipse super maria fundauit eum & super flumina &c. Hester.13. Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, redditque rationem. Tu enim fecisti cœlum & terram Esai.44. Ego dominus faciens omnia.in Cantico Moysi eodem modò affertur Dominus Deus illius populi:Nonne ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit te, & creauit te?&c. Dicimus post mundi constitutionem, quia antea, nec erat relatio nec dominium creatoris ad creaturam,nisi tantum in potentia, quæ potentia ex parte creaturæ accipienda est cum Deus ita sit actus purus & perfectissimus, vt omnis potentiæ sit expers.

Ex hac conclus. sequuntur multa: Primò cum dominium conueniat Deo,quia omnia condidit, omnibus dedit esse & conseruat, dominium esse commune ex æquo omnibus tribus personis diuinis sicut,& creatio, & omnia opera à dextra omnibus diuinis personis ex æquo conueniunt.2.sequitur conuenire Deo dominari ratione suæ naturæ,& essentiæ,quia illi essentiæ proprium est esse causam & principium omnis esse quod in creaturis reperitur 3. ius & dominium perfectius multò & excellentius in Deo quàm in creaturis intellectualibus reperi,primo quia omne dominium, quod habent Angeli, & homines in alia deriuatur à Deo Sap.10. Per me reges regnant, per me principes imperant.&c. Deus enim sicut est fons & origo omnis esse: ita, & omnis perfectionis quæ in creaturis reperitur Iac.1. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, &c. Vnde Sancti Patres veteri Testamento omnia bona sua, hæreditatis filios, & quæcunque habebant vocabant data opera Dei.2. quia homines & angeli, dominantur quidem his inferioribus, sed non omnibus, homo non dominatur elementis, Angelus non dominatur cordi humano, Deus autem omnibus dominatur, elementis Psal.88. Tu dominaris potestati maris, &c. ipsis Angelis & hominibus & eorum voluntatibus: cor regis in manu domini, Rex regum,& dominus dominantium,&c. Denique angeli,& homines non possunt naturas commutare aut destruere sola sua voluntate nisi applicando actiua passiuis, Deus autem est dominus absolutus, potest rebus pro libito vti,naturas mutare, destruere, annihilare, & quocunque voluerit vertere, nullamque alicui faceret iniuriam, si vellet in nihilum redigere cuncta creata, aut occidere innocentes, ita Sap.12. [quis imputabit tibi si perierint omnes nationes, quas tu fecisti?] Qua de causa Esa.& D.Paul. Deum figulo,& creaturas luto optimè comparant; potest enim figulus ex luto facere quicquid sibi placuerit.

CONCLVSIO TERTIA
contra Dominum Soto.

Angeli non solum sunt domini suarum actionum, verum etiam dominantur cœlis, elementis, & hominibus, tum singulis, tum etiam integris Regnis, & Prouincijs. Non quidem dominio herili, quale habet dominus in seruum, sed dominio ciuili, & imperatiuo, quale habet Princeps, & Gubernator in Repub.

PRobatur, Deus gubernat hæc omnia opera,& ministeria Angelorum,& per ducit ad suos fines, nam quosdam præfecit cœlis, alios elementis, alios animantibus, sed ad has res administrandas habet Angelus ius, non minus quam magistratus aut Rex, cui cura populi demandata est, neque posset à quoquā sine graui iniuria ab eo munere impediri, iuxta illud Pau. Heb.2. [Omnes sunt administratores spiritus, in ministerium

hominum missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis,]ergo habent dominium gubernatiuum in hæc, &c.ita Dan.10.dicit Angelus Danieli:[Et nunc reuertor, vt prælier aduersus Principem Persarum,cumque egrederer apparuit princeps Grecorum: [Vbi Angelos vocat Principes Persarum,& Græcorum.Et paulò infra: [Nemo est adiutor meus in his, nisi Michael Princeps.]id est Princeps populi Hebræi:Et in illa historia Senacherib Angelus,vt Princeps populi Hebræi occidit 101 millia aduersariorum, Angelus etiam gubernabat Israelem in egressu Aegypti, & itinere illo per desertum.

Athanagoras vetustissimus Philosophus Christianus,in defensione Christianorum missa ad Antoninũ, & Commodum Imperatorem docet Luciferum Angelum fuisse à Deo præfectum materię primę,quæ formis, & generationibus debebat deseruire, propter quod,inquit,Princeps huius mundi dicitur à Christo, Ioan.12.& vocantur à Pau.Rectores mundi huius, & tenebrarum harum: secundũ Pythagoricam enim doctrinam per tenebras intelligitur materia,& quicquid est subiectum generationis,idem habet Pellus libello de dæmonibus. Et est sententia receptissima inter Platonicos explicata à Platone in Timeo copiosè,quamuis D. Aug.& rectè in Psa. 54. negat dæmones esse rectores huius mundi & vniuersi,dici autem à Pau.Rectores mundi,id est,amatorum mundi, & iniquorum. Quæ sententia non repugnat, nam Athanagoras, & alij per dæmones intelligunt Angelos bonos, qui huic vniuerso,& hominibus præsunt. Ex his sequitur apertè.

CONCLVSIO IIII.

Homo,id est, genus humanum est dominus harum rerum,quæ sub cælo, & in hoc mundo sublunari continentur dominio participato à Deo.

Psal.8.[Omnia subiecisti sub pedibus eius,&c.]Gen. 1.[Faciamus hominem, &c.vt præsit,]id est dominetur,[piscibus maris,volatilibus cœli,&c.]Et probatur ratione per voluntatem, & donationem veri dominij transfertur verè, & realiter dominium in alterum,Deus est verus dominus harum rerum, transtulit autem,& contulit dominium earum hominibus,[Psal. 113.Terram autem dedit filijs hominum.Genes.1.Ecce dedi vobis omnem herbam.Gen.8. Ecce dedi vobis omnia animantia terræ,omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt,& omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum,quasi olera virentia tradidi vobis omnia.] Ergo.

Secundò;Omnis res est propter suum finem, estque illi subiecta,est autem homo finis omnis creaturæ corporeæ & huius mundi sublunaris.Ergo.

Tertiò: Dominium est facultas vtendi re in omnes vsus,lege permissos, hanc facultatem habet rationalis creatura.Ergo.Denique homo habet dominium sui ipsius,& suarum actionum, iuxta illud Ecclesi.15.[Reliquit eum in manu concilij sui.]Fuit ergo maximè consonum rationi,vt haberet homo omnium rerum huius vniuersi dominium,quo fit vt fundamentum dominij in homine sit liberum arbitrium ipsius, quod habet vt intellectualis creatura.

Nunc ad argumenta in oppositum.Ad illa quæ soli Deo ostendebant dominium competere,respondeo,locum illum Iob indicare solum Deum esse dominum rerum per se, & authoritate propria, quemadmodum Christus dixit:[Nemo bonus nisi solus Deus.]Et dicimus:Tu solus Sanctus,id est bonitate,& sanctitate naturali & propria, nec aliunde participata, quomodo non repugnat locus iste nobis, qui hominem facimus dominum vniuersorum,quæ in hoc mundo sublunari continentur dominio participato à suo conditore.

Ad illa verò Parisiensium facilis est solutio.Ad primum enim dico, eo loco non esse datas herbas brutis quasi dominis,sed solis hominibus, concessum autem esse brutis vesci illis, vt seruiant homini, iuxta illud Psal.112.[Producens fœnum iumentis,& herbam seruituti hominum.] Vnde non dixit:Ecce dedi vobis,& brutis herbas: sed, ecce dedi vobis, &c.vbi cum solis hominib.loquebatur Deus,constituens eos dominos, brutis autem propter homines concessit vsum.

Ad secundum respondeo,illis (vt iam admonuimus) dici tantum per metaphoram dominari,& præesse, ac regnare sicut dicuntur prata ridere.

Ad illud arg.de Angelis Magistri Soto: respondeo Angelos non habere dominium naturale,& imperatiuum in hæc, cum eis non indigeant, & in hoc sensu loquutum fuisse D.Pau.Heb.2.Habere tamen gubernatiuum, & ciuile, cum per ipsos hæc inferiora Deus ministret,& gubernet:in creaturas irrationales,& inanimatas plenum & perfectum, vt dominus fundi in suum fundum, in rationales & liberas, iuxta earum naturam inspirando,& mouendo illarum voluntatem, sicut Deus cum sit verus dominus omnium,omnia tamen disponit suauiter, naturalia absolutè & naturaliter,libera liberè,nullam volũtati inferendo vim:quamuis hoc inter sit,quòd Angelus potest inspirare,persuadere,non tamen efficaciter mouere, Deus autem potest suo auxilio,& gratia superabundanti.

Offert se hic dubium, an paruuli, & infantes ante vsum rationis, tum etiam & amentes sint capaces dominij.Et ratio dubitandi est,quia dominium includit vsum rei per proprias,& liberas actiones,intellectus, & voluntatis,præcipiendo,imperando, & prohibendo,quas non habent paruli,nec hi qui incidunt in perpetuam amentiam.Et confirmatur, quia Papa si labatur in talem amentiam(vt docet Caie.in opusc. de authoritate Pap.c.vlt.(continuò amittit dignitatem & dominium,estque alius in locum eius subrogandus.2. perpetuò amentes non gaudent beneficio præscriptionis, etiam si toto tempore à lege constituto rem possideant,ergo non habent dominium. Consequentia patet,quia cum lex præscriptionis non sit propter dominia, qui potest habere dominium, potest etiam præscribere. Denique tale dominium esset omnino inutile.

CONCLVSIO PRIMA.

Paruuli & infantes sunt veri domini suorum bonorum, etiam ante vsum rationis.

ITa Paul.ad Galat.4.[Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo,cũ sit dominus omnium] Quòd affert D.Pau. vt receptissimum apud omnes nationes; secũdò si quis accipiat bona infantis infert illi iniuriam,committitque furtum contra ipsum, ergo est verus dominus, patet ex definitione furti.3.paruulus est verè hæres,vt docent omnes leges,hæres,autem definitur,quo succedit:ergo.Denique bona particularia facta rerum diuisione habent particularem & certum dominium,bonorum infantis non sunt domini ipsi tutores, sed meri administratores, ergo dominus eorum est infans ipse, aut manerent illa sine vero] domino.

Ratio in oppositum nihil valet, nam licèt non vtatur adhuc infans suo intellectu,& libero arbitrio, sat est illum habere istas potentias, non enim diximus ad dominium requiri actualem vsum eorum, sed ipsas,esseque capacem dominij naturam intellectualem.

CON-

CONCLVSIO II.

Paruuli, & perpetuò amentes non possunt habere dominium gubernatiuum, & polyticum.

PAtet, quia ad huiusmodi dominium requiritur vsus intellectus, nec sufficit sola potentia naturalis, & ita Papa qui incidit in perpetuam amentiam continuò amittit dignitatem: & si quid attentet facere est irritũ, & nullum, & similiter iuxta multos authores graues pueri non possunt ordinari in Episcopos.

CONCLVSIO III.

Amentes quamuis perpetui, retinent penès se dominium herile, & ciuile, seu possessionem suorum bonorum, licèt priuentur iustis legibus eorum administratione.

PRobatur primò, Quia dantur ipsis a Rep. tutores sicut paruulis, qui tutores non sunt domini illorũ bonorum, sed meri administratores sicut tutores paruulorum. 2. qui accipit eorum bona facit eis iniuriam, & committit furtum contra ipsos. Ex quo sequitur nõ licere, nec licuisse Hispanis, vsurpare bona Indorum, qui erant barbari, eo nomine, quod essent amentes, nõ enim erant perpetuò amentes, sed habebant vsum rationis, habebantq; suo modo Resp. ciuitates, matrimonia, & contractus. 2. Quia etiam si essent amentes bona ipsorum essent expendenda in commoditatem eorum, sicut debent bona paruulorum expendi à tutoribus in eorum vtilitatem.

Per hæc patet solutio ad primum, & secundum. Ad tertium dico dubium esse an amentes præscribant, & quando demus eos non præscribere, id non perueniet ex eo quod non sint capaces dominij, sed quia in ipsis non habet locum bona fides, quæ requiritur ad præscriptionem, cum ad bonam fidem exigatur actualis vsus intellectus, quo ipsi carent.

ARTICVLVS V.

Qua ratione sit homo dominus eorum, quæ in hoc mundo sublunari reperiuntur.

GRauiter sunt hic decepti multi Neoterici, & à veritatis scopo aberrarunt, Imprimis hæretici Vualdenses seu pauperes de Lugduno, quos postea sequuti sunt Ioannes Vuicleph, & Ioannes Hus, dicebant dominium rerum fundari in gratia, & charitate, ita vt soli iusti, & existentes in gratia sint veri domini eorum, quæ possident, amissa aũt gratia per peccatum simul amitti dominium, & ita peccatores nullius rei habere dominium, nec particulare, & herile aliquorum bonorum, nec gubernatiuum, & politicum: vnde inferebant Duces, & Reges cum primum peccant carere omni authoritate, & dominio, nec aliter vocari dominos, quam homo pictus dicitur homo. Hunc errorem sequutus est Armacanus vir alioquin Catholicus, vt patet l. 10. quęstionum Armenorum, c. 4. Eundem habuerunt priori priores quidam hæretici, qui se iactanter vocabant sectatores Apostolorum, vt refert D. Bernar. ser. 66. in Cantica.

Potissima argumenta horum erant hæc. Primo Roman. 13: [Omnis potestas, & dominium à Deo est. Et Sapien. 10. Per me Reges regnant:] Sed Deus sua bona non tribuit scelestis, & peccatoribus, quia cum hi abutantur suis muneribus videretur approbare illorũ abusum, ergo. Secundò; [Ex Scriptura Oseæ 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt; & non cognoui. Ecclesiast. 10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias.] Tertiò, Fundamentum dominij in eo consistit, vt homo sit conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, vt constat Genes. primo. At peccator non retinet imaginem Dei, sed per peccatum, [comparatus est iumentis incipientib.] Quibus certum est non conuenire dominium aliquod vel ius. Denique ex D. August. [Peccator non est dignus pane quo vescitur.] Ergo multò minus habebit dominium aliquarum rerum, vel authoritatem aliquam, & dignitatem in Rep.

Secunda opinio est, quam habet Hostien. in ca. quia super his. De voto, & voti redemp. infideles non habere aliquod dominium: existimat enim hic Doctor omne ius dominij translatum esse ad Ecclesiam, iuxta illud Esa. 60. dictum Christo. [Gens & regnum, quod non seruierit tibi peribit.] Inde colligit infideles cum extra Ecclesiam sint non habere aliquod dominium.

Tertia opinio est in aliquo conueniens cum superiori, & in aliquo discrepans, Gersonis loco citato con sid. 15. Conradi tract. 1. quæstio. 2. & Parisiensium constituentium quoddam dominium gratificum: hac ratione, vt iusti, & in gratia, & charitate existentes acquirant nouum ius, & dominium in omnes res creatas amittantque illud, quamprimum cadunt à gratia: definiuntque illud, ius conueniens iustis, & existentibus in gratia secundum leges charitatis, inabdicabile seruans charitate, extendens se ad omnia. Concedunt isti nihilominus peccatores retinere apud se dominia earum rerum, quas iustis titulis antea possidebant, nec per peccata illa amittere, in quo distruot plurimum ab hæresi Vualdensium, quamuis conueniant cum ea, in eo quod statuunt, gratiam, & charitatem esse titulum, quo possunt iusti potiri rebus aliorum.

Probant hi suam opinionem. [Primò ex Paul. Roma. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:] quasi dicat, omnia seruire, & esse subiecta iustis, & paulò post: [Qui proprio filio suo nõ pepercit, &c. quomodo non omnia cum illo nobis donauit] & loquitur de iustis, ergo omnia dedit Deus iustis. [2. Cor. 7. agens etiam de iustis: Nihil, inquit, habentes, & omnia possidentes. & c. 3. loquens cum iustis: Omnia, inquit, vestra sunt, vos autem Christi.

Secundò vtuntur ratione: Amicorum omnia sunt communia, inter Deum autem & iustum est vera amicitia, ergo quæ sunt Dei sunt iusti: Deus autem est dominus omnium, ergo & iustus.

Tertiò; cum Deus creauit hominem ad imaginem, & similitudinem suam, antequam conferret illi rerum omnium dominium benedixit illi, indicans benedictos à Deo, quales sunt iusti, futuros esse rerum omnium dominos.

Communis autem Theologorum schola negat esse dominium gratificum, tantumq; cõstituit dominium, vel naturale, vel diuinum, vel humanum, & positiuũ. Vnde ad huius rei intelligentiam obseruandum est ex superioribus, ius in triplici esse differentia: nam aliud est naturale, aliud diuinum, aliud verò humanum positiuum, ius naturale, & diuinum non differunt ex parte authoritatis, cum vtriusque idem sit immediatus auctor & conditor, nempe Deus, sed differunt, quia naturale versatur in his rebus, quæ debentur naturæ rei, quemadmodum in primo homine intellectus, voluntas, & aliæ potentiæ fuerunt immediatæ à Deo, & miraculosè institutæ, sicut & prima hominis formatio fuit miraculosa, dicuntur nihilominus naturales, quia debitæ tali naturæ, qualem in homine Deus efformabat: ita quicquid debetur naturæ alicuius rei dicitur iure naturali ei conuenire, versaturque ius naturale, in his quæ debentur naturæ rei. Ius autem diuinum positiuum versatur in his rebus, quæ sunt supra naturam, vel non sunt simpliciter necessariæ, sed à Deo, præter ordinem naturæ tribuuntur, vel instituuntur. Rursum ius humanum positiuum duplex est, aliud gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines ita ipsis consentientibus statuit, aliud verò ciui-

ſe, quod vnaquæque ciuitas vel Reſp. vel populus ſibi priuatim conſtituit. Hoc ſtatuto ſit.

CONCLVSIO PRIMA DE fide contra hæreſim Vualdenſium.

Poteſtas, & dominium earum rerum, quas homo poſſidet, non innititur gratiæ, & charitati, quaſi gratia, vel charitas ſit titulus, vel fundamentum alicuius dominij temporalis, quin potius amiſſa etiam charitate, manet peccator dominus eorum, quæ antea iuſtè poſſidebat & cum dignitate, quam antea habebat.

PRobatur hæc ex Sacris litteris, Eſai. 45. de Rege Cyro, qui infidelis erat & peccator, habetur. [Hæc dicit dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam.] Hiere. 27. de Nabuchodonoſore infideli etiam & pagano, ait dominus:] Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis, ſerui mei, in ſuper & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi, & ſeruient ei omnes gentes. & paulò poſt: Gens autem & regnum, quod non ſeruiet Nabuchodonoſor Regi, Babylonis, & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo eius in gladio, & in fame,]& in peſte viſitabo ſuper gentem illam ait Dominus omnipotens.] Exech. etiam 29. ait de eodem Nabuchodonoſore. [Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauit mihi, ait dominus Deus.] Et Dan. 2. dixit Daniel eidem Nabuchodonoſuri: [Tu es Rex Regum & Deus cœli dedit regnum tibi.] Iob 34. [Qui regnare facit hypocritam (id eſt, peccatorem & iniquum) propter peccata populi.] Sapi. 6. [A domino data eſt poteſtas nobis, & cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis.] Et quid abſurdius quam aſſerere Dauid tempore quo peccauit amiſiſſe regnum, aut filium eius Salomonem, cum apertè de illo dixerit Deus 2. Reg. 6. [Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea. [Id eſt, non priuabo eum regno ſicut priuaui Saulem. 1. Pet. 2. [Serui ſubditi eſtote dominis veſtris, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcholis.] Cæſarem denique infidelem, & peccatorem fuiſſe ſcimus, nec propterea imperio ſuo, & dignitate fuit expoliatus, cum dixerit de illo Chriſtus. [Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c.] D. Auguſtin. copioſè lib. 5. de ciuita. Dei, capitu. 12. & ſequen. docet Monarchiam a Deo fuiſſe Romanis donatam, vbi poſt multa, cap. 21. ait: [Quæ cum ita ſint, non tribuamus dandi regni, & imperij poteſtatem niſi Deo verò, qui dat fœlicitatem in regno cœlorum ſolis pijs, regnum vero terrenum, & pijs, & impijs, ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet. Et inferius: Qui dedit inquir Mario ipſe & Cæſari, qui Auguſto ipſe & Neroni, qui Veſpaſiano vel patri, vel filio ſuauiſſimis Imperatoribus ipſe & Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano ipſe apoſtatæ Iuliano.] Vtor ratione, fundamentum dominij, & auctoritatis debet eſſe manifeſtum, dominus enim fundi requiſitus debet oſtendere titulum ſui dominij, ſimiliter magiſtratus titulum, & fundamentum ſui muneris, & iuriſdictionis, vnde cum Moyſes mitteretur à Domino ad filios Iſrael in Principem & Gubernatorem illorum, quæreretque ille a Deo, quomodo credent filij Iſrael me huic muneri ſuffectum dedit illi Deus ſigna manifeſta, At gratia & charitas ſunt res occultæ, de quibus nemo certus eſſe pōt, nec in ſeipſo, ergo nequeunt eſſe fundamēta dominij.

Secundò, non benè Deus prouidiſſet Reipub. humanæ, oporteret enim omnia dominia eſſe incerta, ac de nullo verè conſtare, cum nemo poſſet certò oſtendere ſe eſſe in gratia.

Tertiò eſſet maxima occaſio bellorum, perturbationum, ac commotionum: ſubditi enim negarent Regibus & Principibus ſuam obedientiam, dicendo illos eſſe in peccato. Vnus princeps alterius regnum inuaderet, dicens ſe eſſe in gratia, & alterum in peccato, liceret etiam terra infidelium, quæ nunquam fuerunt ſub dominio fidelium inuadere, vel eo ſolo nomine quod eſſent infideles, quę omnia ſunt prohibita, vt valde iniqua: cū nec infideles, quorū regna nunquam fuerunt fidelium liceat oppugnare, niſi quando reſiſtunt prædicationi Euangelicæ.

Hæc concluſio eſt definita in Concilio Conſt. ſeſſ. 8. errore 4. 8. & 15. vbi illa damnatus eſt error Vuicleph, qui ita dicebat: [Nullus eſt dominus ciuilis, nullus prælatus, nullus Epiſcopus dum eſt in peccato mortali.] Contra quem errorem adducuntur ibi in exemplū Salomon, Saul & alij Reges Iſraelis, qui quamuis peccatores, fuerunt nihilominus veri principes illius Regni, & domini illorum bonorum, vide de hac re Thomam Vualdenſem, lib. 2. doctrinalis fidei antiquę capit. 81. & ſequen. Victoriam relectione. 1. de Indis, nume. quatro Caietan. infra quæſt. ſexageſimaquinta, art. ſexto, & octauo, Caſtr. contra hæreſes, in verbo, poteſtas, Hæreſi 1. Soto libro 4. de iuſt. quæſt 10. 2. arti. primo.

CONCLVSIO SECVNDA. contra Hoſtienſem.

Fundamentum dominij non eſt fides, nec infideles propter defectum fides deſinunt eſſe domini earum rerum, quas alijs iuſtis titulis poſſident.

LOquor de infidelibus paganis, qui fidem noſtram nūquā receperunt, nā hæretici, vel apoſtatæ, qui ab illa recedunt, iuſtè expoliantur omnibus ſuis bonis, deſinuntque eſſe domini illorum à die commiſſi criminis. Hęc Concluſio aſſeritur ab omnibus Doctoribus, tàm Theologis, quàm Iuriſperitis, vnico excepto Hoſtienſi, ſequiturque apertiſſimè ex præcedenti: imò conſtat eiſdem teſtimonijs Sacræ Scripturæ, quibus probata eſt præcedens, nam Cyrus Nabuchodonoſor, Cæſar & ſimiles non modò gratia, & charitate verum etiam fide carebant omnino, & D. Petrus in illo loco loquitur etiam expreſsè de infidelibus, cum dicat etiam diſcholis. Et confirmatur Lucæ 22. [Reges gentium dominantur eorum, &cæt.] Roma. 15.]Reddite omnibus debita, cui tributum, &c.] Conſtat autem tributum eo tempore principibus infidelibus perſolui.

Probatur etiam ratione, fundamentum dominij ciuilis, de quo loquimur eſt facultas liberi arbitrij, hæc non minus repetitur in infidelibus quàm in fidelibus. Ergo.

Secundò. ſi infideles ratione ſuæ infidelitatis expoliantur dominio ciuili ſuarum rerum, multò magis fideles, qui odio proſequuntur Deum, cum odium Dei ſit multò grauius peccatum, at fideles propter nullum peccatū expoliari dominio ſuarum rerum definitum eſt in Concilio citato. Ergo.

CONCLVSIO TERTIA contra Gerſonem, Conradum, & alios.

Gratia, & charitas non tribuunt nouum aliquod dominium iuſtis nec habet iuſtus ratione & gratia & charitatis maius vtendi rebus ſuis, vel alienis quam peccator,

HÆc concluſio vſque adeò certa eſt, vt contrarium dici non poſſit ſine maxima temeritate, & periculo, Primò, quia iſta ſententia ſemel admiſſa ſtatus, & tranquilitas Reip. funditus euerteretur, & omnia liti-

litibus imò furtis atque rapinis redundarent, vniuersasque Resp. perturbari omnino oporteret, dum vnusquisque contenderet se habere gratiam, & charitatẽ, ac proinde ius ad aliorum bona: alios verò gratia, & charitate carere, ac consequenter omni dominio esse expoliandos. Absit autem vt gratia talem occasionem exhibeat, quod enim pro charitate institutum est contra charitatem militare non debet, Deus quoque, vt ait Pau. Auctor est pacis, & non dissentionis.

Secundò, Deus ista bona temporalia indifferenter, & in discriminatim omnibus tribuit iustis & iniustis, quod significauit Christus Matth. 5. Qui solem suum oriri facit, &c. & pluit, &c. At si charitas esset fundamentum dominij solis iustis Deus illa tribueret.

Tertiò, Deus semper concedit iustis ea, ad quæ ex charitate habent ius, vt patet in omnibus supernaturalibus, & spiritualibus, & in regno cœlesti, & his quæ iusti ex charitate merentur, sed bona ista temporalia non semper Deus concedit iustis, imò experientia teste maiori ex parte impij his rebus abundant, non ergo per charitatem acquirunt iusti aliquod nouum ius hęc temporalia.

Quartò, Dehortatur Christus iustos, in Euangelio, non solum à cupiditate, & studio bonorum, verum à possessione & vsu eorum, Si vis (inquit) perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c. Repugnat ergo rationi, vt charitas constituat iustos dominos eorum quæ non possidebant. Patet consequentia, Quia sequi Christum est per charitatem, qui ergo persuadet proprias possessiones dimittere, vt crescente charitate illum sequamur, non concedet profectò, ipsam charitatem, propter quam propria dimittenda sunt, nouum ius & dominium in aliena tribuere. Et confirmatur ex cap. 2. Act. vbi primi fideles initio nascentis Ecclesiæ afferebant omnia ad pedes Apostolorum, & priuabant se proprio dominio suorum, nullusque dicebat aliquid sibi proprium vt in gratia & charitate proficerent, vnde habet ibi Textus. [Credentium autem cor erat vnũ, & anima vna in Deo, & nemo dicebat aliquid, sibi proprium, sed erant eis omnia communia] &c.

CONCLVSIO IIII.

Homo vniuersaliter loquendo iure naturæ est dominus omnium fructuum terræ, & omnium brutorum, quorum carnes, vsui esse possunt, & eorum omnium quæ tuendæ & conseruandæ humanæ naturæ sunt necessaria.

PAtet ex notatione initio posita: Quicquid est debitum naturæ alicuius rei, & sibi necessarium, competit illi iure naturæ, sed quæ expectant ad victum, & vestitum hominis, qualia sunt fructus terræ, carnes, alimenta, scilicet & operimenta, sunt omnia necessaria naturæ, & vitæ ipsius ergo est eorum dominus iure naturæ: Et confirmatur: Iure naturæ licèt innasorem occidere cum inculpata tutela, quia talis occisio est necessaria tuendæ propriæ vitæ, ergo à fortiori istorum omnium, quibus indiget ad victum, & vestitum est homo iure naturæ dominus.

CONCLVSIO V.

Iure diuino positiuo aliqua persona priuatæ habent dominium aliquarum rerum.

HÆc inductione constat: In veteri lege iure diuino positiuo habebant Leuitæ ius recipiendi oblationes, & decimas: In lege Euangelica Sacerdotes & Ministri Ecclesię eodem iure diuino id exprimente habent facultatem, & ius recipiendi temporalia pro spiritualibus. Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua. 1. Tim. 5. [Non alligabis os boui triturant, &c. Eodem iure diuino Dauid fuit Rex Israel, &c. populus Israel

fuit Dominus terræ promissionis Psal. 104. Dedit eis regiones gentium. De eadem dixerat Gen. 9. Abrahæ, Semini tuo dabo terram hanc.

VLTIMA CONCLVSIO.

Iure humano est vnusquisque dominus in particulari earum rerum, quas iusto aliquo titulo possidet.

PRobatur, Deus temporalia hęc indiuisa contulit Adæ, & filijs eius initio mundi, & similiter post diluuium Noë & filijs eius, natura quoque omnia constituit indiuisa in communi, iure autem gentium vt videbimus, & consensu omnium nationum bona diuisa sunt, recta ratione omnes gentes in id ducente, tanquã maximè vtile & expediens ad pacem Reip. & cultum agrorum, ergo quod hic sit dominus huius fundi, ille alterius iure humano gentium (quod primam illam rerum communionem diuisit) factum est, Quod autem titulo hæreditatis, vel donationis, vel emptionis, vel præscriptionis, aut aliquo alio hic peculiaris ager sit Petri, ille verò Ioannis, hoc iure humano ciuili, idest, iustis legibus constitutum est.

Ex his sequitur tantum esse quatuor genera dominiorum, primum naturale, quod constat iure naturali, secundum diuinum, quod constat ex diuino præcepto & confessione. Tertium humanum quod constat iure humano, quod diuiditur in duo genera, in illud qđ constat iure gentium, & illud quod constat iure ciuili, nec oportet constituere tot genera dominiorum, quot faciunt Gerson, Conradus & nonnulli. Neoterici, qui producunt illa vsque ad triginta, duo constituentes quoddam dominium beatificũ, illud nempe ius quod sanctè habent obtinendi gloriam, aliud originale, idest ius quod habuit Adam edendi de ligno vitæ, aliud gratificum quod habent iusti ratione gratiæ in omnes res creatas, aliud Leuiticum quod habebant Leuitæ in decimas, & oblationes: qua ratione tot constituunt dominia quot sunt genera rerum quæ hominis dominio subijci possunt. Sed ex his quædam non sunt dominia, quæ verò sunt, reuocantur ad quatuor illa à nobis constituta, nam ius quod habent Beati, & iusti in gloriam non est dominium sed meritum & gratia, vnde gratia dicitur semen, & pignus gloriæ: ius illud Adæ in lignum vitæ, & Leuitarum in decimas est diuinum, cum Deo concedente illud haberent, & sic de similibus.

Nunc ad argumenta, inprimis ad illa hæreticorum. Ad primum neganda est illa minor, Deum sua bona, & officia non tribuere peccatoribus, cum constet illa tributa etiã fuisse Nabuchodonosor, Sauli, & alijs, quos retulimus ex Sacra Scriptura, Nec aliud docent loca illa Sacrę Scripturæ, nam imprimis in verbis Oseæ nõ improbãtur reges mali, sed Iudæi, quod voluerint Regem habere, cum Deus esset Rex eorũ Explicat enim illo cap. Oseas vt exponit. D. Hierony. causas, propter quas populus Israel tradendus erit in captiuitatem, & vnam earum constituit, quia voluerunt habere regem, in eo enim maximè Deũ fuisse offensum, constat abunde, 1. Reg. 12.

Alter locus ex lib. Sap. tantum indicat transferri regna de gente in gentem, propter iniustitias, & tyrannidem principum, quia sæpe Deus propter peccata eorum hostibus victoriam confert, sed non propterea eo ipso quo peccant, ius regni amittunt. Neque quod donis, & dignitatibus iniqui principes abutantur Deo tribuendum est, imò in hoc apparet Dei benignitas, quod omnibus bene faciat, & amicis & inimicis, omnes dignitatibus ornet, sicut solem suum oriri facit super bonos, & malos, non enim hæc præstat vt suis donis homines abutantur, sed vt sua benignitate allecti conuertantur ad ipsum. Ita habet B. Hierony. in illud Isaiæ, [Hæc dicit dominus Christo meo Cyro, &c.

Tertium ridiculum est, eodem enim argumento probaret Armachanus existentem in peccato peccare mortaliter, si vacet generationis, nec habere ius virum existentem in peccato ad petendum debitum vxori, cum prius quoque benedixerit Deus Adæ, & Euæ; quam dixerit eis, Crescite, & multiplicamini, &c. Vnde in istis verbis non fuit primis parentibus collata gratia aut aliquod donum supernaturale, sed naturale, tantum dominandi omnibus & vtendi, alioquin cum eodem cap. similiter dicatur benè dixisse piscibus, & iumentis, dicendum etiam esset, contulisse illis aliquod supernaturale donum, quod est stultum. Addo etiam si illa benedictio fuisset collatio alicuius gratiæ, nihilominus ea amissa remanere dominum, apud hominem: quia non fuit ei collata gratia tanquam fundamentum domini, sicut cum quis ordinatur, confertur ei gratia, vt benè exerceat ministeria ordinum, at nihilominus etiam si gratiam amittat, non priuatur potestate sui ordinis, cum non sit gratia fundamentum illius potestatis, sed caracter.

Ad rationem Hostiensis dico: ius omne in spiritualibus translatum esse ad Ecclesiam Catholicam, ita vt extra illam nec sint Sacramenta, nec sacrificia, nec vlla via ad salutem, vt habetur in cap. Firmiter de Sum. Trin. & Fide Catholica, & in hoc sensu dicere Esaiã, gentem & regnum quod Christo & ipsius Ecclesiæ nõ seruiet periturum spiritualiter, non tamen priuari suo dominio & iure temporali.

Ad argumenta verò Gersonis & aliorum. Ad primum locum ex Paul. dico non habere sensum, quem ipsi afferunt, vt omnia sint iustis tanquam dominis tẽporalibus subiecta, sed hunc, iustis omnia tam prospera quam aduersa cooperari in bonum, quia ex omnibus vtilitatem spiritualem capiunt. Etenim cum impij omnibus deteriores reddantur, iustitia in omnibus proficiunt, vt ex peccatis etiam in quæ incidunt, habet Glossa, fructum percipiant. Vnde D. August. in lib. de correptione & gratia ait: [Adeò omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum, vt etiam si quidam eorum deuient & exorbitent, hoc ipsum etiam eos faciat proficere in bonum, dum humiliores redduntur & doctiores, id est, cautiores, iuxta illud Psal. Bonum mihi quia humiliasti me.

Ad secundum respondeo, quod sicut constat ex Grę co Codice & interpretatione D. Ambrosij, legendum est in futuro donabit, & ita nõ colligitur, iustos quamprimum habent gratiam esse constitutos dominos, sed Deum aliquando donaturum ipsis omnia, quando scilicet seipsum eis conferret videndum, atque fruendũ: tunc enim possidebunt omne bonum, sicut dixit Moysi de sua gloria: [Ostendam tibi omnem bonum.] Dico secundò, siue legas donabit in futuro, siue donauit in præterito, non sequi inde iustos esse dominos omnium rerum, quia institutum D. Paul. eo loco est confirmare animos iustorum ad vitæ huius miserias, & ærumnas perferendas, & persuadere, vt certissimo fidant Deum ipsis non defuturum in omnibus necessarijs: idque probat argumento à maiori, dicens, Si Deus adeo nos diligit, & adeo nostri miseretur, vt filium suum tradiderit propter nos, quantò magis dabit nobis omnia, quibus viderit nos indigere, nobisque auxilio suo in omni ærumna præsto erit.

Ad tertium locum dico, significare omnia esse iustorum. Primò, quia omnia propter iustos facta sunt, sicut idem B. Paulus alibi dicit: [Omnia propter electos.] Secundò, omnia esse iustorum, quia in omnibus proficiunt, & omnibus vtuntur ad suum commodum spirituale, sicut dicimus omnia illis cooperari in bonum, & quæ habent, & quæ non habent, quæ habent rectè illa dispensando, quæ non habent illorum indigentiam patienter ferendo.

Ad quartum dico, B. Paul. non docere ibi, iustos omnia possidere, & omnium esse dominos, sed qua ratione debeant esse affecti iusti ad has res temporales, ita scilicet, vt ex vna parte amore, & cupiditate nihil minus diligant, perinde ac si nullam earum haberent, ex alia verò ita confidant nihil ipsis defuturum, perinde ac si omnia possiderent.

Ad vltimum respondeo satis ostendere Deum amicitiam suam iustis, cõmunicando eis omnia bona gratiæ, & præsentia, & æterna, & ex temporalibus ea quibus indigent ad vitam transigendam, quibus etsi pauperiem patiantur, non tamen defectum quo pereant iuxta illud Psalm. 36. [Non vidi iustum derelictum.] & cæt.

QVÆSTIO TERTIA, DE OBIECTO DOMINII, idest, quarum rerum homo sit dominus.

Eorum omnium quæ in hoc mundo sublunari continentur, vt auium, piscium, animantium, herbarum, & fructuum, & cæterorum, quibus homo vti potest & indiget ad victum & vestitum, propriæque vitæ conseruationem ipsum dominum esse, tàm iure naturali, quàm diuino, ex præcedenti quæstione abundè constat: proponitur autem hæc tertia propter alia bona, quæ licèt non pertineant ad victum & vestitum, pertinent nihilominus etiam ad hominem, & versantur circa illa varij contractus ciuiles, cuiusmodi sunt serui, & mancipia, cum pretio æstimari possit, honor, & fama, quæ inter bona temporalia computantur, salus vitæ & membrorum integritas, quæ sunt bona corporis, denique gratia & virtutes quæ sunt bonæ animæ: de quibus omnibus nunc suo ordine differendum est.

ARTICVLVS I.

Liceatne vnum hominem alteri dominari?



NA est ex præcipuis hæresibus Anabaptistarum, & Trinitariorum huius temporis, vt refert Guil. Bellarm. controuer. 5. lib. 3. cap. 2. asserentium non debere esse inter Christianos, qui alijs dominentur, nec dominio gubernatiuo, & polytico, quo superiores dominantur inferioribus, nec legali, & ciuili, quo aliqui alijs dominantur, vt suis seruis, & mancipijs, confirmant hunc errorem ex nonnullis sacræ Scripturæ, & sanctorum Patruum testimonijs, malè vt solent intellectis, Mat. 17. cum dixisset Christus: [Reges gentium a quibus accipiunt tributa?] Concludit: [Ergo liberi sunt filij.] At omnes Christianos filios Dei esse per fidem, constat Ioan. 1. ergo.

Secun-

Secundo Luc. 22. [Reges gentium dominantur eorum, non sic uteruos.] & 1. Corin. 7. [Pretio empti estis nolite fieri serui hominum.

Tertio. 1. Cor. 8. & Eph. 4. clamat Paul. [Vnum tantum esse dominũ, sicut vnus est Deus, vna fides, vnum baptisma.

Quarto, Ad Galat. 4. Paulus ita distinguit populum Christianum à populo Hebræo, quod hic significatus fuerit in Ismale filio ancillæ, nos vero in Isaac filio liberæ, & concludit Apost. [Itaque iam non sumus filij ancillæ sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

Quinto, Gen. 6. [Malè audit Nembrot, quod cœperit homines suę seruituti subijcere.]Er vt refert D. August. lib. 4. de ciui. Dei, capit. 4. ex Marco Tullio lib. 3. de Rep. Laudatur ille pirata, qui dixit Alexandro. Ego quia cum paruo ligno discurro pirata dicor, tu quia cum magna classe orbem terrarum expolias diceris imperator.

Sextò, Ecclesi. 15. dicitur apertè: Fecit Deus hominem rectum, id est liberum, quod docent verba sequentia. Et posuit illi in manu consilij sui, vnde non dixit Deus Gen. 1. Dominamini hominib. sed dominamini piscib. maris, volatilibus cæli, &c. vnde D. Aug. lib. 19. de ciuit. Dei, c. 15. ait: [Rationalem factum ad imaginem suam noluit Deus nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, iude primi iusti pastures magis pecorum quàm Reges hominum cõstituti sunt, vt hinc etiam insinuaret Deus, quid ordo postularet creaturarum, & quid meritum exigeret peccatorum.

Præter hos hæreticos est opinio cuiusdam Glossæ in cap. 9. Gen. insinuantis seruitutem esse iure diuino introductam in pœnam alicuius peccati, quia Noë Gen. 9. post ebrietatem maledicens nepoti suo Canaam, qui verenda ipsius patri suo Cam indicauit, dixit, [Eritque seruus fratrum suorum, a Canaam verò vt asserunt Hebræi descendunt Aegyptij Aetiopes, & aliæ nationes, in quibus incœpit, seruitus, Fauet huic Glossæ illud Diui Ambrosij dist. 35. can. Sextò, vbi ait: Non esset hodie seruitus nisi ebrietas fuisset, vnde est argumentum, Noë Gen. 9. depulsa ebrietate cum malediceret Canaam constituit illum seruum fratrum suorum, sed istæ maledictiones siue benedictiones Patriarcharum, cum fierent instinctu diuino habebant vim iuris diuini, ergo seruitus à iure diuino est. Et confirmatur apertissimo exemplo Tribus Iudæ, quæ ex benedictione Iacob morientis, Gen. 49. obtinuit principatum inter reliquas tribus, conueniunt autem omnes Tribum Iuda iure diuino habuisse sceptrum, & principatum inter Iudæos. Fauet etiam his quod paulò ante dicebat D. Augusti. hominem homini dominari non habere ortum ex ordine creaturarum, sed id exegisse meritum peccatorum, & Diu. Gregorius li br. 21. moralium capit. 11. Omnes inquit homines natura, æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios alijs dispensatio occulta postponit, ipsa autem diuersitas quæ accessit ex vitio rectè est diuinis iudicijs ordinata, &c.

Tertia opinio est, quam habuit Ginesius Sepulueda in suo Q olibeto, Quo iure Hispani dominentur Indis, vbi asserit quosdam homines natura esse seruos, & alios natura dominos, & liberos: Berbari, inquit, & qui nulla lege aut religione reguntur, sunt natura serui, qui verò ingenio valent, & ducuntur ratione sunt natura liberi, & illorum domini, & hac ratione ait potuerunt Hispani, Indos, vt barbaros, & natura seruos debellare, & subiugare. Hanc sententiam colligit ex Aristot. qui. 1. Poli. capit. 1. constituit duplicem seruitutem, aliam naturalē, & aliā legalem, naturalem aũt vocat eam, quam sapientes stultis, & rudioribus præsunt. Et capit. 3. docet barbaros, & more ferarũ agētes licere debellare, & vt feras venari, ac in seruitutē redigere.

Communis autem Iurisperitorum, ac Theologorum sententia est, homines a natura liberos, & pares esse procreatos, iustis autem de causis iure gentium esse seruitutem introductam, & quosdam alijs dominari, quemadmodum prima naturæ institutione omnia sunt communia, & indiuisa, iustis autem de causis (vt videbimus facta est rerũ diuisio & appropriatio iure gentium, naturali ratione omnes gentes id docente. Quæ sententia sumpta est ex Beato Gregor. & habetur. 12. quæst. 2. can. Redemptor, vbi ait: Homines quos ab initio natura liberos protulit, ius gentium iugo substituit seruituti.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus, hic non haberi sermonem de ea seruitute, qua peccans dicitur seruus peccati, vel qua bonus, & iustus dicitur seruus Dei, quæ est seruitus moralis, sed de ea qua vnus homo alteri subijcitur, vt suo superiori, ad patendum eius voluntati, & imperio, quæ dicitur seruitus ciuilis.

Hæc autem est duplex, naturalis & legalis, naturalis est, qua vnus homo non valens, se ipsum gubernare ex defectu ætatis, vel ingenij, vel vsus rationis, subditur alteri, vt regatur & gubernetur ab ipso, qua seruitute pueri, & qui sunt amentes vel rudes, & tardi ingenij dicuntur serui eorum qui valent prudentia, & ingenio, ad eum modum qui appetitus sensitiuus dicitur seruus rationis, quia debet regi, & gubernari ab ipsa. Quemadmodum enim anima naturaliter dominatur corpori, ita vt qui plus vigent animæ bonis, plus habent quo dominari alij possunt, suntque aptiores ad gubernandum: contra rudiores vt qui plus valent corpore, plus quoque habent virium, & aptitudinis ad imperata facienda, & ex consequenti sunt aptiores ad seruiendũ: Et hac ratione cũ homines in vnum conueniunt vel sua sponte vel lege aliqua compulsi, vt constituant aliquos qui præsint, natura ipsa docente, meliores animo & sapientiores constituunt. Hæc est seruitus naturalis, sic dicta non quia sit à natura constituta, natura enim omnes homines fecit pares & liberos, vt habetur in illo loco Eccle. 15. & docet D. Gregorius illo can. Redemptor, sed quia cum regere, gubernare, præesse, & dominari sit actus intellectus & rationis, ipsam natura producens alios præstantiori natura & ingenio, alios verò rudiori, exigit vt alijs præsint & dominentur, sapientiores vt potè rudioribus. Dicitur etiam hæc seruitus naturalis, quia ipsa natura exigit quod cuique expedit: expedit autem maximè sapienti, vt non gubernetur ipse ab insipiente, esset .n. intollerabile, sed ipse gubernet insipientem, iuxta illud. Ve terræ cuius rex est puer. Et insipienti, vt auscultet & pareat sapienti ac prudenti. Qui ratione excedit dicebat Tullius debet etiam & dominatione excedere.

Sunt autem inter hos aliqui gradus. quidam enim sunt omnino amenses, qui omnino carent vsu rationis: quales reperiri in tota aliqua natione vel Rep. non est credibile, qua enim ratione sic amantes matrimonia inire, filios educare, suam Remp. per aliquod tempus potuissent sustinere, alijs ita sunt rationis inopes, vt quamuis non sint omnino amentes; habent tamen ferinos mores, vescuntur impune carnibus humanis, & impune interficiunt innocentes, quales feruntur esse apud Indos qui dicuntur Caniuales & Canides: Alij verò sunt qui non habent eas prudentiæ partes, vt se ipsos gubernare valeant, apti tamen sunt vt ab alijs gubernentur. Hi ergo omnes sanctè, & iustè debent seruire ista seruitute naturali, vt statim ostendemus, quæ seruitus nõ est propriè seruitus, quia seruitus propriè sumpta dicit carentiam libertatis, qui autem seruiunt ista seruitute naturali liberi sunt domini suarum actionum & rerum. tum etiam seruitus propriè dicit malum & incommodum eius qui ista seruit, vtilitatem verò & commodum eius qui donatur, cũ seruus quic-

quid est domini sit: at seruire ista seruitute naturali nõ est in vtilitatem,& commodum dominorũ gubernantium, sed in bonorum eorum, qui ita seruiunt & gubernantur, cum ipsis maximè expediat gubernari à sapientibus. Eadem ratione dominium naturale quod respondet huic seruituti non est propriè dominium, sed sicut natura præfecit parentem filio, & virum vxori, quia debent hi ab illis regi, nec propterea dicendus est filius seruus vel mancipium patria, aut vxor viri, ita licèt natura, prætulerit sapientes rudibus, vt hi ab illis gubernentur, nõ propterea sunt rudi, serui & mancipia sapientium, nec inferiores superiorum à quibus gubernantur. Alia est seruitus legalis, lege positiua introducta, qua homines (licèt à natura liberi, & pares inter se conditi sunt) potuerunt tamen voluntate propria aut necessitate aliqua compulsi seipsos ex liberis seruos facere, non enim natura ita eos pares produxit, vt imparitatem inter eos fieri prohibuerit? Contingit autem hæc legalis seruitus vt dicitur Institut. de iure personarum 5. vnico & refert copiosè Sylu. verb, Seruitus. numero 3. tribus modis, Primò natiuitate, illi enim qui ex ancilla nascuntur serui sunt, quia partus sequitur ventrem, l. 5. ff. de statu hominum. Secundò modò, iure belli: qui enim in bello capiuntur, efficiuntur serui capientium, ideò appellantur mancipia tãquam manu capti, & serui, quia cum occidi possent, seruati tamen sunt l. 4. ff. eodem titulo. Tertiò modo iure emptionis: Vt cum homo liber maior viginti annis sua sponte seipsum alteri vendit, manet eius seruus, & hæc appellatur propriè ciuilis seruitus, vt patet Instit. loco citato. Et ad hunc tertium modum reduci potest alius, qui solet assignari, quando scilicet pater vendit filium: quod Leuit. 15. concedi videtur, & l. 2. C. de patre qui filium distra, sed hic titulus iam non videtur esse in vsu apud Christianos.

CONCLVSIO I.

Seruitus naturalis, qua alijs præsunt & sapientiores rudiores gubernant, quæ propriè seruitus non est, sed subiectio quædam polytica, & ciuilis, non modò est licita, verum etiam maximè necessaria omni iure.

IN primis naturali, cum ratio naturalis dictet, vt qui minus prudentes sunt ad seipsos gubernandos, à sapientioribus, & prudentioribus gubernentur, Deinde diuino, cum in Sacra Scriptura commendentur Melchisedech Rex Salem. Ioseph præpositus Ægypti, Moyses, Iosue, Dauid, Ezechias, Iosaphat, Iosias, & alij innumeri, qui à Deo ipso ad gubernandum Israelem fuerunt instituti, Num. 11. dixit Deus ad Moysem. [Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint, ac magistri,] vbi senes idem est quod sapientes, & prudentes. Deuteron. 17. Summus Sacerdos ita fuit constitutus à Deo iudex vitæ, & mortis, & supremus gubernator illius populi, vt præcipiatur occidi, qui illi non obedierit, & infra admonet Deus, vt si quando vellent Regem eligere, non eligerent alienigenam. Psal. 81. [Deus stetit in synagoga Deorum, &c.] vbi magistratus dij vocantur, rationem assignat Iosaphat. 2. Paralip. 19. Quia non hominum, sed Dei iudicia exercent, idest, loco Dei iudicant, Abundat Vet. testam. locis, in quibus Reges, & Magistratus in suo munere Deo placere, & inseruire admonentur, Psal. 2. [Et nunc Reges intelligite, &c.] Psal. 71. [Adorabunt eum omnes Reges terræ, &c.] Esai. 60. [Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore oris tui, &c.] & cap. 49. [Erunt Reges nutritij tui, &c.] Quod impletum videmus in Constantino, Theodosio, Carolo Magno, & alijs pijssimis Principibus. Et ne dicant Anabaptistæ licuisse hæc in Vete, Testamen. In Euangelio Christus dominus nec Regulum sua dignitate expoliauit, nec Cæsari, aut alijs principibus vt tyrannis voluit non obediri, sed obediri potius. Extat locus apertissimus de huiusmodi dominio gubernatiuo Matth. 24. [Fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam.] Rom. 13. Prima Thim. 2. ad Tit. 3. & 1. Petr. 2. approbatur etiam huiusmodi dominium.

Vtor ratione, si status Innocētiæ perseuerasset vxores viris, filij parentib. obedissent, fuissentq; in Repub. humana quidam superiores, & alij inferiores, qui ab illis gubernarentur, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 69. artic. 4. Ergo multò magis nunc in statu naturæ lapsæ, vbi multi hominum parum valent ingenio & ratione. Secundò inter angelos alij alijs principantur, superiores inferioribus quos illuminant, & perficiunt, ergo multò magis inter homines.

Obseruandum tamen hic est, vnum hominem naturaliter alteri dominari, non esse intelligendũ de actuali dominio, quod natura (vt statim dicemus) nulli in alterum tribuit, sed de fundamento & aptitudine, quasi dicamus, naturam eo ipso quo alios producit sapientiores, alios verò rudiores concessisse quibusdam aptitudinem ad dominandum, alijs verò ad seruiendum: in quo sensu intelligendus est Aristot. quando ait, barbaros esse natura seruos, etenim vt idem habet 1. Polyt. capit. tertio, sicut corpus natura subdit animę, ita & insipientes sapientibus, In quo etiam sensu dicitur Prouerb. 1. [Intelligens gubernacula possidebit, &c.] cap. 10. [Qui stultus est sauet sapienti.] cui fauet illud Platonis. [Beatas esse Resp. in quibus aut philosophi & sapientes gubernant, aut gubernatores philosophantur.] Reuocatur autem huiusmodi aptitudo in actum, electione Reipub. habet enim vnaquæque Respub. hoc ius à natura, vt possit sibi principem eligere, quia potestas ciuilis primò & per se residet in tota Repub. & ab ea transfertur in principem quem illa sibi eligit.

Quo fit vt & si Resp. eligens minus sapientem, non propterea possit magis sapiens gubernationē sibi vsurpare, similiter si in aliqua Rep. sint homines, vel mediocriter sapientes ad gubernandum, non licèt alteri Reipub. quamuis multo sapientiores habeat, vsurpare sibi illius Reipub. rationis compotes sunt, habent ius ad eligendum, & in maiori pace conseruantur per suos principes minus sapientes, quàm per sapientiores extraneos. Ita non licet principibus Christianis debellare barbaras nationes hoc prætextu, vt melioribus legibus & à sapientioribus gubernentur, Quod si omnes homines alicuius Reip. amētes essent, quod vt admonui non est credibile alicubi reperiri, vel haberent mores adeò firmos, vt innocentes impunè occiderent, & carnibus humanis publicè vescerentur, vendentes illas in macello, vt de aliquibus fertur, liceret profectò huiusmodi debellare, & in dominium gubernatiuum sapientum redigere, quia tenemur iure naturali proximis in suis necessitatibus subuenire, quę verò maior quam vt huiusmodi non vt belluæ, sed vt homines viuant? & per sapientes cum ipsi adeò barbari sint gubernentur? Non licet autem eos debellare, vt in seruitutem legalem mancipiorum redigantur, non enim exigit charitas, vt ex alienis miserijs lucra nostra quæramus, sed potius vt cum nostro etiam dispendio, & labore illis subueniatur.

Similiter qui huiusmodi hominum curam suscipiunt, non possunt illis graues labores iniungere, sed quod viderint conuenire saluti eorum, vt exerceantur: differunt enim duæ illæ seruitutes, naturalis & legalis: primò, quia hæc naturalis, & gubernatiua non est introducta propter aliquam culpam, sed natura ipsa exigente, sicut diximus, vt rudiores per sapientiores gubernentur: seruitus verò legalis introducta est per peccatum. Etenim cũ omnes homines natura sua conditi

dici fint liberi, & sui suarumque actionum domini, propter peccari nonnulli effecti sunt serui. 2. quia seruitus legalis cedit in vtilitatem domini, quæ maxima est pœna atque miseria, vt qui pro dignitate suæ naturæ creatus est tanquam finis horum inferiorum, & ad quem hæc omnia visibilia ordinantur, ipse ad alium tanquam dominum ordinetur: seruitus verò naturalis non est in vtilitatem, & commodum eorum, qui dominantur, & gubernant, sed illorum qui gubernantur, & subijciuntur. Non enim est regnum propter Regem, Nec Respub. propter magistratum, sicut nec grex propter pastorem, sed contra.

CONCLVSIO II.

Licèt alij sint à natura aptiores ad imperandum, & alij ad seruiendum, nullus tamen natura sua seruus est, aut dominus, sed omnes liberi, & pares natura conditi sunt.

HAec habetur apertè loco illo, Ecclesiast. 15. [Fecit Deus hominem rectum, &c.] & in illo Can. D. Greg. Redemptor; Et in hoc sensu habetur instit. de iure naturali gentium & ciuilis. §. seruitus. ff. de statu hominis. l. libertas, libertatem hominum esse de iure naturæ, & seruitutem esse contra ius naturæ, idest, naturam nullum hominem produxisse mancipium, aut seruum alterius. Vbi obseruandum est ex D. Tho. in 4. dist. 36. aliquid esse de iure naturæ dupliciter, vno modo, primariò quia primò & per se intenditur à natura, vt vitæ generatio, alio modo secundariò, quod scilicet non intenditur propter se, sed propter aliud, quo modo corruptio embrionis in vtero matris dicitur naturalis secundariò, quia intenditur à natura non propter se, sed propter generationem viuentis, ita hoc loco seruitus legalis non est à natura primariò, quia natura nullum produxit seruum, quamuis possit dici à natura. secundariò, quia ad tuendam vitam recta ratio naturalis docet expedire aliquando huiusmodi seruitutem.

Cæterum quod simpliciter libertas humana sit à natura probatur: Ea dicuntur seruire homini à natura, quæ sunt facta propter hominem, at omnes homines æqua lege sunt conditi à Deo, nec vllus alterius causa creatus est: ergo natura nullus est alterius seruus. Et cōfirmatur, sola mulier dicitur creata propter virum: in adiutorium eius, at nihilominus est natura libera, & quamuis subiecta viro, quo ad gubernationem domesticam, non tamen est ancilla vel mancipium viri.

CONCLVSIO III.

Seruitas legalis licèt non repugnet iuri diuino, non tamen est introducta iure diuino.

PRior pars cōstat. Exod. c. 1. Si emeris Hebræum sex annis seruiet tibi, &c. Leuit. 25. Si paupertate compulsu vendiderit se tibi frater tuus &c. Quin & parentes potuisse vendere filios suos, si necessitate cogerentur, habetur eodem capite, & 4. regul. & ff. de patria potestate. lib. 2. D. quoque Basilius, in Homilia contra diuites auaros refert fuisse id olim in vsu, quamuis modo iam non sit in consuetudine inter Christianos, imò omnino pro habitu tanquam repugnans pietati Christianæ vt Altera prius perspicua est, nullus enim est locus scripturæ, vel Ecclesiæ, definito, ex quib. colligatur seruitus legalis tanquam iure diuino introducta. Verba enim illa Noë nihil tale insinuant, vt infra videbimus.

CONCLVSIO IIII.

Seruitus legalis qua vnus homo alteri dominatur, licita est, & honesta.

IN primis, vt de ipsa in vniuersum loquamur Diuus Pau. varijs in locis eam probat. 1. Cor. 1. & 7. 1. Timoth. 6. Ad Ephes. 3. Ad Coloss. 6. Ad Tit. 3. & in Epist. ad Philemonem obsecrat illum vt benignè suscipiat seruum suum Onesimum. Extant de eadem re variæ Pontificum, & conciliorum definitiones, quas colligit Gratianus. 12. q. 2. per multa capita. Et dist. 1. c. ius gentium, quod desumptum est ex Isidoro lib. 1. Ethimologiarum, cap. 6. vbi habetur seruitutem esse introductam iure gentium, idem approbatur varijs constitutionibus Imperatorum. ff. de statu personarum. ff. de iustitia & iure. ff. & Institu. de iure naturali, gentium, & ciuili Instit. de patria facultate. & C. de patribus, qui filios distraxerunt, per varias leges.

Iam vt priuatim de singulis titulis seruitutis dicamus, æquum est, vt filius ancillæ sit seruus, & partus sequatur matrem in libertate vel seruitute, quia ista vt optimè obseruant D Tho. in 4. dist. 36. & Sylu. Seruitus. num. 4. pertinent ad corpus quod est à matre: seruitus etiam quæ nititur titulo emptionis vel venditionis, præter testimonia adducta, ex Exod. & Leuit. Probatur apertè licita esse, quia ratio naturalis dictat, vt minora bona pro maioribus tuendis exponamus: sed vita est maximum bonum inter temporalia, cui nec libertas nec vllum aliud temporale æquatur, ergo eadem ratione naturali dictante, quando opus fuerit ad vitam tuendam libertatem propriam exponere, vendendo se alteri, id omnino licebit, Nec obstat commune dictum, Non benè pro toto, &c, quia licèt libertas non possit æstimari auro., potest tamen & debet æstimari vita quæ præcisior est quàm libertas. [Pellem enim pro pelle, & cuncta quæ habet dabit homo pro anima sua, id est vita sua.

Denique seruitus, qua vnus denominatur alteri ratione iusti belli, licita est, & iusta: imò & opus misericordiæ, hoc adeò certum est, vt 1. Petri. 2. proponatur velut Axioma: A quos qui superatur, eius seruus est. Et confirmatur, Opus misericordiæ est eum quem iustè posses occidere, seruare illæsum, & redigere in seruitutem, sed superatos in iusto bello licèt occidere, ergo permittere illis, vt viuant, redigendo illos in seruitutem, opus est misericordiæ.

Ex his patet seruitutem legalē, de qua agimus non esse à natura, nec repugnare naturæ, imò rationem ipsam naturalem omnes homines admonere eam licitam esse, quando fuerit necessaria ad vitæ conseruationem, & quia illud dicitur, ius gentium, quod ratio naturalis omnes gentes docet, & in quo omnes gentes, & nationes conueniunt: seruitus legalis dicitur introducta non iure diuino aut naturali, sed solo iure gentium: Cæterum quia ius gentium Ius ciuile & Leges imperatoriæ amplectūtur & seruant, dicitur etiam seruitus esse à iure ciuili, & imperatorio, in hoc sensu, nam primo, & simpliciter à iure gentium est.

Circa hanc vltimam conclusionem obseruandum est in primis, seruitutem legalem siue iure belli, siue iure venditionis, non habet locum inter Christianos, ita vt qui semel suscepit baptismum, & effectus est Christianus existens liber, nullo modò deinde potest effici seruus alterius Christiani, etiam si in bello iusto capiatur: ita enim videtur tantum iure gentium inter ipsos Christianos, vt copiosè in materia de bello docent Theologi. Excipiuntur tamen ab hoc beneficio apostatæ desertores totius religionis, quos Hispanicè vocamus renegados, qui licèt aliquando Enangelium & Baptismum susceperint, cum tamen Christianam Religionem omnino deseruerint iure optimo consensu

omnium

omnium Doctorum sunt serui capientium. Et confirmatur, quia vt habetur cap. Ita quorundam & cap. Ad liberandam terram sanctam, Extra de Iudæi, & Sarracenis, qui dederint Sarracenis merces lege prohibitas, & qui in nauibus deferentibus piratas Sarracenorum gubernatores fuerint, efficiuntur mancipia, & serui capientium, quamuis non deserant fidem, quantò magis isti perfidi apostatæ, totius Christianæ religionis desertores? Et ita cautum est iure regio in Hispania accedente Pij V. Ponr. Max. auctoritate.

An verò Christiani efficiantur serui infidelium si capiantur ab ipsis, res est dubia, quia lege 5. C. Ne Christianum mancipium & c. Mancipia. dist. 54. & Extra de Iudæis & Sarracenis prohibetur ne Christianus sit seruus Iudæi, vel Pagani, ne filij liberę seruiant filijs ancillæ. sed plerique Doctorum, legem illam volunt intelligi de infidelibus, qui subduntur imperio Romano: huiusmodi infideles prohiberi, ne Christianos possint habere in seruos. Et ita iudicio sentiendum. Alijs verò infidelibus, licet habere in seruos fideles, quos in bello sibi iusto ceperint, Ita D. Petrus admonebat seruos Christianos, vt dominis suis etiam discolis deseruirent.

Ex his sequitur quid dicendum sit de Indis & Aethiopibus, qui à Lusitanis & Hispanis capiuntur, circa quos dico Primò tuta conscientia capi, & ad nos deferri ac vendi, si volentibus euangelium in illis regionibus prædicare ipsi resistant, & vt resistentibus prædicatione euangelicæ bellum inferatur, vel si ipsi existentes maiores viginti annis, se ipsos sua sponte vendant, vel filios suos compulsi necessitate. Nec obstat quòd aliqui dicunt, Hispanos ad illos peruenientes teneri ex charitate ad subueniendum ipsis, & non emendos propter eorum necessitatem. Quamuis enim verissimum sit, existentibus illis in necessitate, maximè si sit extrema, teneri Hispanos ad subueniendum eis per eleemosynam ex præcepto charitatis, nihilominus si ipsi sine vlla vi aut deceptione se ipsos vendant, quia non habeant à quibus per eleemosynas eorum necessitas leuetur, ementes eos non agunt contra iustitiam, sed possunt, in prætium eorum quæ ipsis largiuntur, accipere eorum libertatem, cum eis à natura connexa libera facultas ad se vendendos. Quod si fraude vel dolo (vt fertur) illos capiant, & allectos ac seductos quibusdam iocalibus & munusculis ad suas naues deferant, & in Hispaniam ducant, grauissimū committunt furti crimen: nec sunt tuti in conscientia, qui tales seruos vendunt & emunt, nisi ignorantia inuincibili, quæ in his rarissimè potest experiri excusentur, sed tenentur eos manu mittere, & suæ libertati restituere, etiam si non possint precium recuperare: quemadmodum qui rem alienam possidet, vel furatam à latrone emit, cum primum nouit se alienum, vel furto raptum possidere, tenetur vero domino restituere, etiam si non valeat precium datum recipere.

Nec valet ratio aliquorum, quod licet fraude deferantur, & hac ratione fiat eis iniuria, hic tamen delati conuertuntur ad fidem, quo bono ipsis sdeò vtili & præstanti carerent, nisi fuissent sic delati, præstatque bonum quod ipsis fit per fidem & baptismum, iniuriæ quam patiuntur in captura: Primò, quia Deus vult fidem suam liberè recipi, isti autem sic capti communiter eam non recipiunt liberè, vnde si possunt fugere qua facilitate eam receperunt, eadem illam de se sunt, quod est maximum malum. 2. licèt voluntariè aliqui eam recipiant, & in ea perseuerent, non sunt facienda mala, vt inde veniant bona, nec est medium aptum & ordinatum ad conuersionem eorum decipere eos, & deceptos capere, & vendere: alia sunt media à Christo proposita in Euangelio ad conuersionem infidelium.

Granatenses verò qui nostris temporibus rebelles fuerunt iustissimè sine dubio in seruitutem potuerunt redigi, cum hi non modo rebelles fuerint suo Principi, verum etiam fidem Christianam & Christum ipsum omnino deseruerint. Durissimum autem mihi sem per visum est, vt adulti qui non fuerunt rebelles, vel paruuli eorum qui rebelles fuerunt, redigantur in seruitutem, cum essent per baptismum regenerati: redigere enim in seruitutem aliquem Christianum sine culpa propria, propter sola peccata parentum, repugnat apertè Christianæ pietati. Nisi iam cum primum illud regnum Granatense à Regibus Catholicis acquisitum fuit, permissi sint patres istorum in eo permanere sub hac cōditione, vt si rebellarent, redigerentur in seruitutem omnes pertinentes ad illud regnum: quia si sub hac conditione fuerunt recepti, iustè facti sunt serui omnes isti Granatenses, tàm adulti, quàm paruuli eorum, sicut à principio potuerunt effici in illo bello iusto quo regnum illud obtentum fuit. Tum etiam si ad expensas factas à nostris in bello cui rebellio istorum occasionem obtulit, non fuit sufficiens redigere in seruitutem adultos rebelles, potuerunt quoque in eandem redigi paruuli eorum, velut bona parentum, vsque ad plenam satisfactionem.

Nunc ad argumenta illa hæreticorum initio proposita. Primus locus Matth. 17. nil habet commune cum seruitute de qua hic agimus, cum ibi tantum agatur de immunitate à soluendis tributis, qua gaudent filij Regum. Secundus locus Luc. 22. tantum docet Apostolos & Prælatos Ecclesiasticos non debere vti eo imperio, & faustu dominaudi, quo vtuntur principes seculares, maximè gentiles, cui consonat illud 1. Petr. 5. [Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregi ex animo.] Tertius locus 1. Corin. 7. loquitur de seruitute morali, cum enim docuisset ibi Pau. seruitutem legalem non prohibere libertatem spiritualem, nisi serui velint iniquis etiam dominorum desiderijs placere, & seruire, quin et si serui sint corpore, animo tamen liberi sunt ad seruandam diuinam legem, subiecit propterea: [Precio empti estis, nolite fieri serui hominū,] quasi dicat vt optimè exponit Photius in scholijs Oecumenij, [Et si serui sitis seruitute temporali, liberi tamen estis libertate spirituali,] quam Christus precio sui sanguinis vobis acquisiuit, tanto ergo pretio liberi effecti, nolite fieri serui hominum, iniquis eorum operibus seruientes. De eadem libertate spirituali quæ seruituti legali nō repugnat loquitur Pau. ad Gal. 4. Quartus locus nullā habet vim, est enim vnus dominus supremus, & fons omnis dominij, & præter ipsum alij inferiores ab illo authoritatem accipientes, sicut & vnus Deus, & ipse solus bonus bonitate sibi ingenita, & naturali, & nihilominus Principes & iudices dicuntur Dij in Sacris Litteris, Et iusti verè boni sunt bonitate participata. Quintus locus tantum docet dominium, & principatum tyrannide acquisitum quale fuit illud Nembroth iniquum esse, nos verò hic tantum probamus principatus & dominia quæ iustis titulis habentur, licita esse. Locus D. Aug. tantum indicat prima naturæ institutione omnes homines pares esse, neque vnum alteri dominari, quod nos etiam docemus, cui non repugnant seruitutes naturalis, & legalis, vt constat ex dictis.

Ad argumentum secundæ opinionis, quæ habet seruitutem iure diuino esse introductam in pœnam peccati. Gen. 9. Respondetur, non contineri in illis verbis aliquod præceptum, aut ius diuinum, sed esse prophetiam futuri euentus: ostendit enim Deus ipsi Noe iustè in nepotem, & filium suum irato, quas pœnas illi daturi essent cum sua posteritate, propter scelus in patrem commissum futurum scilicet, vt illius posteri magna ex parte in bellis iustis capti seruirent, quod adimpletū est, quando Chananæi, & illæ nationes à Cam descendentes fuerunt iustè debellatæ, & captæ à filijs Israel egressus ex Aegypto, Vel vt aliqui volunt prædictum à Noe posteritatem Cam seruituram, idest, futuram

turam inferiorem poſteritate Sem: ſeruire enim in diuinis literis ſæpe ſignificat eſſe poſteriorem, & ferre ſecundas partes, quomodo verba illa de Iacob & Eſau: [Quia maior ſeruiret minori,] explicat D. Paul. Roma. 10. ideſt, erit inferior, & feret ſecundas partes, in quo etiam ſenſu dixit Iſaac eidẽ Eſau de fratre ſuo Iacob: [Dominium tuum illum conſtitui & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubieci. [Conſtat autem Eſau nunquam ſeruiſſe Iacob, vt ſeruiunt mancipia: ſed dictũ fuit, quia Iacob & ipſius poſteritas ſemper in omni re tulit primas partes. Ex hac ſolutione liquet ſenſus illorum verborum. D. Ambroſij quem dicit Magiſter Soto ſe ignorare, cum tàm perſpicuus ſit ſi codicem conſuluiſſet. Referens enim Ambroſ. mala quæ ex ebrietate varijs modis ſubſequuta ſunt, ait: non eſſet hodie ſeruitus niſi ebrietas fuiſſet, ſignificans cum ex ebrietate, in quam incidit Noe ſumpſerit Cam occaſionem irridendi patrem ſuum, & huius peccati pęna fuerit vt ſeruiret poſteritas eius, à primo ad vltimum ebrietatem fuiſſe occaſionem illius ſeruitutis quam Noe prædixit poſteris Cam: habentur enim iſta verba in ſermone de ieiunio, vbi commendans B. Ambroſ. ieiunium & abſtinentiam à cibo, & deteſtans ebrietatem, more oratorum recenſet omnia mala, quibus ebrietas cauſa vel occaſio fuit.

Ad teſtimonia verò quæ Sepulueda in ſuæ ſententiæ confirmatione affert ex Ariſtot. reſpõdeo, non docere Philoſophum rudes & barbaros eſſe natura mancipia, nam ita multi etiam ex Hiſpania eſſent ſerui, ſeruitute naturali ob ſuam ruditatem, liceretque eos vendere, & habere vt mancipia, quod eſt falſum, quia cũ iſta ſubiectione ſeu ſeruitute naturali quam debent rudes prudentibus habere, ſtat libertas perſonæ ſimpliciter, Quo fit vt propter talem ſeruitutem naturalem nemo poſſit debellari, capi, aut vendi. Quod verò ait licere venari ac debellare gentes barbaras more ferarum viuentes, intelligendum eſt de gentibus, quæ non habent propriam ſedem, ſed more ferarum hac atque illac vagantur, aliena bona occupantes, & omnes infeſtantes, quomodo cęperunt Arabes Aſiam occupare, hos certè vt inuaſores, & communes Reip. hoſtes licet debellare, ac vim eorum vi repellere, & venari ac capere cum ſua feritate, & vaſtationibus occaſionem exhibeant prouincijs quas infeſtant iuſti belli, alios autem qui in ſuis terris manẽt, nulli iniuriam inferentes non licet debellare aut in ſeruitutem redigere ob ſolam ruditatem,

Duplex hic ſe offert dubitatio: Prima eſt: An ſerui poſſint licitè fugere à dominis ſuis, Syluest. in verbo ſeruitus. §. 3. & Glo. in c. ius gentium. diſt. 1. & ibidem Turrecrem. volunt nullo modo hoc eis licere ſi iuſto titulo ſerui ſint: Probant primò: Qui expoliat verum dominum re, quam iuſte poſſidet, peccat, & tenetur illam reſtituere, ſeruus eſt vera poſſeſſio domini ſui, non minus, quàm alia bona temporalia eiuſdem domini, aufugiens expoliat verum dominum ſua poſſeſſione, ergo peccat, & tenetur ſe illi reſtituere. 2. Qui accipit iuſtam pecuniam in ſatisfactione ſui iuſti laboris, ita eſt dominus, vt qui ipſum illa priuaret, committeret verè furtum, & teneretur ad reſtitutionem: at victor in bello iuſto recipit captiuos in ſatisfactionem iniuriarum, damnorum, & laborum, quos in illo bello iuſto ſuſtinuit, conceditque Princeps, quando potitur victoria militibus captiuos, velut quandam mercedem pecuniariam; ergo recedere à domino, & eum ita ſeruo expoliare furtum eſt, & cum vinculo reſtitutionis. Denique ita videtur habere Can. ſi quis ſeruum 17. q. 4. vbi abſolutè dicitur ſeruis non licere fugere à dominis, à quibus iuſto titulo poſſidentur; & C. de ſeruis fugit. ſeruis fugientibus, & recipientibus illos imponitur grauis pœna.

Recentiores verò Thomiſtæ diſtinguunt inter ſeruos, qui ſe vendiderunt, & eos qui iure belli effecti ſunt ſerui; priores volunt non poſſe fugere à dominis ſuis, quia ſe ipſos liberè tradiderunt, & voluntariè ſuam libertatem eis vendiderunt. Vnde eſt argumentum; Qui rem ſuam liberè alteri vendit, nõ poteſt eam deinde accipere inuito emptore abſque furto: iſti ſerui ſe ipſos ſuamque libertatem vẽdiderunt, ergo non poſſunt inuito domino ab eis recedere. Seruos autem iure belli, etiam ſi in bello iuſto capti ſint, poſſe tuta conſcientia fugere, oblata ſibi occaſione aliqua ſine vllo dolo, aut vi. Probatur prior pars, quia iſti ſunt ſerui iure gentium, ius autem gentium nempe conſenſus omnium nationum, quem explicat communis conſuetudo omnium prouinciarum, eſt vt capti in bello, tandiu ſint ſerui victorum, quamdiu à dominis ſuis cuſtodiuntur, & obſeruantur; ſecunda conditio talium ſeruorum eſt miſera & odioſa, ex regula autem iuris odia oportet reſtringere, & fauores ampliare, nõ ſunt ergo ita reſtringendi, quin quoties ſine vi, & dolo poſſint fugere, licitè valeant. Secunda pars conſtat ex alia regula iuris, quia vis, fraus, vel dolus nemini debent patrocinari: tertia, Chriſtianis captis in ſeruos, licet iure gentium omnium conſenſu fugere, ergo & cæteris ſeruis captis in bello; nam ius gẽtium idem eſt apud omnes; quarta, omnium conſenſu maiori vinculo tenentur ſerui emptitij, quàm in bello capti, at ſi non poſſent fugere ſicut illi, idem eſſet vinculum, & æqua conditio vtriuſque ſeruitutis. Denique Inſtit. de rerum diuiſione. §. ita earum; poſtquam definitum eſt, captiuos in bello eſſe ſeruos, ſubiungitur, quando autem euaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos redierint ſtatum antiquum recipiant.

Hæc autem ita accipienda ſunt, vt poſſint ſine vi, & dolo fugere, niſi dederint fidem dominis ſuis, ſe apud eos permanſuros, nam ſi talem fidem dederunt, non poſſunt fugere. Primò, quia iure naturali, quod nullo alio iure tollitur eſt ſeruanda fides, & promiſſio, ſecundò, quia dominus fidens illi promiſſioni non adhibet cuſtodiam, quam adhibuiſſet, vnde qui ea fide data recedit, decepit dominum ſuũ, fugitque per fraudem, & dolum. Ideo primo de ciuitate Dei. c. 15. commendat plurimum D. Aug. Marcum Attilium Regulum, qui cum eſſet captiuus, & ſeruus apud Carthaginenſes, conceſſumque ei eſſet ire Romam, modò daret fidem ſe eo reuerſurum, iuit, & cum certiſſimo vitæ diſcrimine reuerſus eſt, ne fidem datam frangeret; iure enim omne ſeruanda eſt fides in promiſſis.

Ad argumenta Sil. reſpondeo ſeruum in bello captum, ſine vi & dolo fugientem, non expoliare verum dominũ ſua poſſeſſione, aut ſua pecunia, quia eodem iure gentium, & conſenſu omnium nationum quo introducta eſt iſta ſeruitus, non perſeuerat, nec eſt poſſeſſio, vel pecunia domini, niſi quamdiu ab eo cuſtoditur. Ad can. ſi quis ſeruum, dico, ibi non prohiberi, ſeruos captos in bello poſſe fugere, ſed tantum præcipi, ne quis alienum ſeruum emptitium ſolicitet ad fugã, quia eodem iure gentium, quo ipſiſmet ſeruis conceditur fugere, prohibetur, ne quis alienum ſeruum ſolicitet: vt conſtat per multos textus, ff. de ſeruo corrupto. & ff. de fugitiuis. Ad Codicem de ſeruis fugitiuis, reſpondeo, ſicut detentus in carcere poteſt tuta conſcientia fugere, nihilominus punitur per leges, quia expedit bono communi ſic fugientes punire, ita licèt ſerui bello capti fugere poſſint, iuſtè tamen puniri per leges ſi fugiant, & à fortiori receptores eorum, quia ſic expedit ad bonum dominorum.

Altera Quæſtio eſt.

AN SERVI ITA SINT DOMINORVM suorum, vt quicquid est serui, vt vita operæ, & quicqud lucratur, vel ei tribuitur sit domini sui.

QVod pertinet ad vitam distinguendum est de foro: nam in foro exteriori iuxta iura antiqua poterat dominus impunè occidere seruū, vt patet ff. veteri de seruis. l. quod dominus. Modò verò iuxta iura noua non potest, nisi ex iusta causa: aliter contra ipsū procederetur, vt habet additio Glossæ ad legem modò ciratam: Quod dominus. vbi adducitur Bartolus huius sententiæ. Idem videtur habere Glossa. ff. de his, quæ sunt serui. l. prima, & Instit. eodem tit. §. in potestate; Vbi habetur dominum sine causa non posse occidere seruum, vnde videtur rectè colligi à contrario sensu, cum causa iusta posse illum impunè occidere: In foro verò interiori conscientiæ, non potest dominus, etiam si iusta causa existat, occidere seruum sua priuata authoritate, sed debet illum tradere iudici, vt cognoscat in illa causa, sicut habet vsus Hispaniæ. Primò, quia est contra ius naturæ, vt aliquis sit simul actor & iudex, vel quod sit iudex in propria causa, quod accideret, si dominus vellet seruum suum sua priuata authoritate occidere. Secūdò, quia præceptum illud, Non occides, generale est omnes comprehendens, omnibusque præcipiens, vt nullus aliquem propria authoritate occidat, sed solus iudex cui id incumbit ex officio. Nec est vllus Doctor, aut Sanctus, qui inde excipiat dominos, vel seruos.

De bonis verò temporalibus Soto lib. 4. de Iustitia. q. 2. ar. 2. ait. Seruos captos in bello non esse dominos eorum, quæ quotidiano labore lucrantur, sed solum eorum, quæ vel diebus post completum debitum laborem lucrantur, & eorum, quę vel ipsis dantur, vel iure aliquo hæreditario eueniunt, quia non est miseria eorum (cum odia oporteat restringere) ad tantas angustias redigenda, cum non sua sponte in illam seruitutem venerint. De seruis tamen emptitijs nil apertè asserit, sed tantum admonet in his standum esse iudicio Iurisperitorum, & legum.

Ex recentioribus conueniunt oēs cum Soto, quo ad seruos captos in bello; De emptitijs verò nonnulli ita distinguunt, aut bona (inquiunt) quæ isti acquirunt præter lucrum laboris quotidiani sunt permanentia, aut consumuntur vsu, si consumantur vsu, vt pecuniæ, vestes, &cæt. Non sunt dominorum, sed seruorum, quia cum serui possint habere vsum istorum, & in his vsus non distinguatur à dominio, possunt etiam habere & dominium, at si permanentia sint, esse dominorum, & de his intelligi leges illas asserentes, quidquid acquirit seruus domini sui esse. Inst. per quas perso. nobis acquir. dominia. §. item nobis. & ff. de acquir. rerum dom. l. etiam inuitis. Alij verò eodem modo iudicant de omnibus bonis, tàm permanentibus, quàm vsu consumptibilibus, quia serui emptitij licèt sint deterioris conditionis seruis captis, cum illi non possint fugere, hi verò possint, cæterum per seruitutē ad nihil aliud teneri, quàm permanere apud dominum, & quæ labore quotidiano lucrantur suo dominio exhibere. Hæc sententia mihi probatur, nam ad plura eos obligare durissimum est. Vnde dico de seruis captis veram esse, & communem opinionem, quàm habet Soto.

De emptitijs verò vtendum esse distinctione, nam aut ipsi quando se vendiderunt, vendiderunt se, & omnia iura sua, & quicquid habere in posterum poterāt, aut se tantum, & suas operas, non autem omnia iura sua: si priori modo se ipsos vendiderunt; quicquid lucrantur, siue quotidiano labore, siue ludo, siue ipsis donatione, vel iure hæreditario eueniat, est dominorum, quia ita ipsi voluerunt, cum se, & omnia iura sua domino tradiderunt. At qui se tantum vendiderunt, & suas operas, non autem iura sua, quicquid lucrantur labore quotidiano, aut ludo diebus, quibus laborādum est, domini est, quia domini sunt opera eorum cætera verò quæ eis eueniunt, ipsorum sunt. Vnde ipsorum est quod lucrantur, vel diebus festis, vel alijs diebus expleta opera, ad quam die illa tenebantur, ipsorum, quæ dono ab aliquo, vel hæreditate accipiunt. Ratio est aperta: Dominus non habet aliud ius in hos seruos nisi, quod per emptionem acquisiuit in ipsos, per emptionem verò tantum acquisiuit operas eorum quotidianas, & ius in ipsos, non autem in omnia alia iura ipsorum: Ergo. Maior certa est, probatur minor: quia seruitus quæcunque sit odiosa est, nec amplianda, vel extendenda nisi ad ea tantum, & præcisè, quæ seruus in sua venditione domino suo tradidit, cum id non expresserit. 2. quia non est seruitus istorum, cum necessitate compulsi se vendiderint, ad tātas angustias redigenda, vt quæ sibi proueniunt diuino quodam beneficio per alicuius misericordem donationem, aut hæreditatem, non sint eorum: cum suis operibus quotidianis sufficienter seruiant dominis suis. Denique huiusmodi serui, ex his quæ sibi fortuna fauente proueniunt, possunt se ipsos omnium consensu iure gentium redimere, quod non esset, nisi quæ illis vel donatione, vel hæreditate eueniunt, ipsorum essent, cum redimere se ipsum nemo possit ex bonis alienis.

ARTICVLVS II.

An homo sit dominus vitæ suæ, & membrorum?

IN hac quæstione omnes eodem modo sentiunt: Obseruemus igitur bona corporalia hominis in duplici esse differentia, quædam enim sunt, quæ per se, & simpliciter pertinent ad consistentiam, & constitutionem hominis, vt vita, salus membra: quædam verò quæ tantum per accidens, & ad ornamentum, vt agilitas, pulchritudo, robur, &c.

CONCLVSIO PRIMA.

Homo Dominus est tàm vsus suorum membrorum, & potentiarum, quàm eorum bonorum, quæ pertinent ad ornamentum sui corporis, vt agilitatis, pulchritudinis, &c.

PAtet, quia homo suo arbitrio potest vti suis membris, & potentijs, sua agilitate, & fortitudine, sine vlla iniustitia, vel iniuria alterius: imò qui vellet illi hunc liberum vsum prohibere maaimam ei iniuriam faceret, cum iure naturali, vt quæstione præcedenti art. 2. vidimus, sit homo suarum actionum, & operationum dominus.

CONCLVSIO II.

Homo non est dominus suæ vitæ, & membrorum.

HÆc est D. Tho. supra quæst. 59. art. 3. ad 2. & infra q. 64. art. 5. ad primum: Vbi eo nomine docet hominem non posse se occidere, quia non est dominus vitæ suæ. Et clarius 12. q. 73. ar. 9. ad 2. Idem Cai. infra q. 150. art. 2. Et q. 154. art. 6. vbi habet hominem non esse dominum suorum membrorum. Idem D. Hieron. in primo cap. Ionæ, & refertur 23. quæst. 5. Can. Non est necessarium. Et Ma. Victo. in relec. de homicidio notab. 23. licèt aliqui existiment ipsum aliter sentire. Et colligitur ex Sacra scriptu. in qua (vt videbimus statim conclu. 4.) soli Deo tribuitur dominium vitæ, & mortis. Vtor iam ratione ex definitione dominij, dominus potest vti re cuius est dominus pro libito saltim aliquando vsque ad eius cōsumptionem, citra vllam iniuriā, hoc enim est esse dominum; ideo diues dicitur verè dominus suarum diuitiarum, quia

potest

potest aliquando eis vti vsque ad earum consumptionem, citra vllius iniuriã, & iniustitiam, maximè si non habeat familiam, cui consumendo illis pecunias desit, eam quod pertinet ad pauperes, quibus illas deberet conferre, peccabit quidem non conferendo sua prodigalitate contra charitatem, non tamen contra iustitiam. At in nullo casu aut euento potest homo vti vita sua pro libito, vsque ad eius consumptionem & illa seipsum priuare, etiam si vita ipsius, nulli necessaria sit, quin maximam inferat iniuriam & Deo, & Reip. Deo quia vt inquit Tullius de somno Scipionis: Deus illam legem constituit sempiternam, vt nemo eius iniussu ab hac vita migret. Et Poeta: Nemini iniussu Regis ab hac vita exeundum est, cui consonat illud Iob. 14. Numerus mensium eius apud te est. Reip. verò: ita Arist. 5. Etic. c. 11. & D. Thom. infra q. 64. art. 4. docent homicidam sui ipsius irrogare graue iniuriam Reipu. quia priuat illam suo ciue, & parte, quemadmodũ qui mihi brachium abscinderet, peccaret contra iustitiam, & maximam mihi inferret iniuriam, quia priuaret me meo membro: propter quod Resp. eum qui intentat se occidere grauissimè punit, & eum qui se occidit, qui alia pœna punire tunc non potest, priuat sepultura.

Secundò, Dominium quocunque innititur alicui iuri, at homo nullo iure neque naturali neque diuino, neque humano est dominus vitæ suę: Non iure naturali: nam iure naturali, illa quorum homo est dominus appetit consumere ad sui conseruationem, vt videmus in his quibus indiget ad victum, & vestitum, at nulla est inclinatio, aut appetitus naturalis inductus homini ad se, vel membra sua consumenda, nec ad vtendum eis in damnum ipsorum: imò ad nil magis natura inclinat omne animal, quam ad sui conseruationem, & quicquid huic repugnat, dicitur naturæ aduersari: Iob. 2. [Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet dabit homo pro anima sua.] Secundò nec iure diuino, nullibi enim constituit Deus hominem dominum vitæ suæ, nec vitam in ipsius iure posuit. Nam Gen. 1. & 9. vbi omnia homini subiecit quidem ea quibus indiget ad vitam, non tamen vitam: imò præcepto illo non occides, tàm propriam, quàm proximi mortem prohibuit. Tum etiam eum ius diuinum non repugnet naturali vt vnque enim est à Deo, naturale autem ius exigat eiusque rei conseruationem, adeò, vt pro sui conseruatione liceat homini iure naturæ inuasorem suum, quando aliter se tueri non potest, occidere: ius diuinum non erat futurum aduersum huic iuri adeò naturali. Iure autem humano non esse dominum aper tum est, cum ius humanum maximis supplicijs, & pœnis afficiat eos, qui tentant se occidere, aut propria membra abscindere.

Tertiò, Si quis expoliet nos his, quorum sumus verè domini, licet eorum restitutionem remittere, at si quis me occidat, aut priuet brachio, et huiusmodi dãna possent refici restitutione eiusdem vitæ, vel brachij, non liceret mihi remittere talia restituendi, sed iure naturæ, quo teneor ad meam conseruationem, teneret acceptare illam restitutionem. Ergo.

Quartò, Ea quorum sumus domini, vt bona temporalia, possunt industria nostra, vel parentum à nobis acquiri, at vitam propriam, vel membra propria industria non valemus acquirere, nec parentes nobis illã conferunt, sed solus Deus, quamuis medijs parẽtibus illa nobis largitus est, ergo ad solum Deum pertinet horum dominium. Vnde sanctissima illa Machabeorum mater. 2. Machab. 7. dicebat: [Neque ego spiritũ, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorũ membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem], quique omnium inuenit originem, &c. Et confirmatur iuitium, & finis rei eius dem domini esse debent, qui enim dat esse, dat & con seruari: initium autem vitæ hominis, & introitus eius in hunc mundum non est in facultate hominis, sed filius Dei, ergo finis quoque, & exitus eiusdem hominis non est pœnes eum, nec ipse est dominus suæ vitæ, aut mortis, sed solus Deus:

Quartò, Ea quorum habemus dominium ex nostro pendent arbitrio, sed vita nostra non pendet ex nostro arbitrio, ergo. Probatur minor: vita aut accipitur pro anima rationali quæ in nobis principium est viuendi, at pro cõiunctione animæ cum corpore, in qua videtur consistere vita nostra, aut pro operatione ipsa vitali: Si primo modo non pendet ex nostro arbitrio, cum anima à solo Deo condita sit iuxta illud Prophetæ: Omnes animæ meæ sunt. Si secundo modo, coniunctio illa à Deo fit sine nobis, cum ab ipso solo anima creetur, & simul infundatur. Si verò tertio modo, operatio vitalis merè naturalis est, nullo modo ex nostra voluntate deprehendens. Denique hoc fuit peculiare priuilegium ipsius Christi, vt vita eius ex ipsius voluntate penderet iuxta illud Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam, &c.

CONCLVSIO III.

Non solum homo priuatus, verum etiam nec Respub. nec Princeps habet dominium vitæ, aut membrorum subditorum suorum.

Probatur, qui est verus dominus alicuius rei, nõ indiget alio titulo aut iure, quàm dominij, vt possit re illa pro libito vti, vsque ad eius consumptionem, sine vllius iniuria: Princeps autem & Respu. non potest occidere suos ciues titulo dominij, sed alijs, nempe, aut vt iudex in malefactis, aut vt custos boni communis, ergo non est dominus vitæ suorum ciuium. Maior certissima est ex definitione dominij. Minor probatur: quia omnium consensu in duobus tantum euentibus potest Princeps vel Resp. ciuem suum occidere, vel vitam eius exponere. Primò, si ciuis ille alicui læserit, tunc priuatur illum vita vt vindex malefactorũ. Secundò, quando ita exigit defensio boni communis agitque tunc vt custos illius boni. Quo nomine diait Aristot. 5. Ethic. cap. 11. & D Thom. inf. q. 64. art. 4. occidentem se facere iniuriam Reip. non quia sit domina vitæ illius, sed quia habet Resp. custodiam vitæ ipsius, quemadmodum qui occidit pupillum, aut violat virginem cõmissam tutori infert iniuriam non solum pupillo vel puellæ, verum etiam tutori nõ quia tutor sit illorum dominus, sed quia sunt sub illius custodia & tutela quæ ex his sequitur.

VLTIMA CONCLVSIO.

Solus Deus est verus dominus vitæ, & mortis.

Constat hæc apertissimè ea Sacris literis. Deut. 32. [Ego occidam & ego viuere faciam.] It. Reg. 2. [Dominus viuificat, & mortificat, deducit ad inferos, & reducit. Et apertissimè omnium Sap. 16.] Tu domine qui vitæ & mortis habes potestatem, id est qui solus habes potestatem. Et probatur ratione. Primò vita ipsa præcedit omne dominium nostrum tanquam fundamentum & origo illius, vita verò nostra habetur, regitur, & gubernatur per solum liberum Dei arbitrium, solus ergo Deus, est dominus vitæ nostræ.

Secundò, Ingressus in hanc vitam, & transitus ex ea in aliam pendet ex sola Dei voluntate, cum ipse solus sit qui viuificat & mortificat, ergo solus ipse est dominus vitæ nostræ: vnde Iob. 1. cum Deo permittente filij eius vita functi essent, di ait, [Dominus dedit, dominus abstulit. &c. 1. Reg. 3. Cum Samuel annunciaret Heli quæ ipsi & filijs eius euentura essent, & quomodo morituri essent. Respõdit Heli. Dominus, est quod bonum est in oculis suis faciat, Et ita citra vllius iniuriam potuit præcipere Abrahæ vt occideret filium

Sauli

Sauli vt occideret omnes Amalechitas, non solum iniquos & nocentes, verum etiam pueros & innocentes: Sodomis innocentes paruulos.

Sed contra primam conclus. sunt hæc argumenta. Primum ex illo Eccles. c. 15. [Reliquit Deus hominem in manu concilij,] idest, dominum sui ipsius & vitæ suæ: subiungitur enim statim: [Ante ipsum vita, & mors, aqua, & ignis, ad quodcunque voluerit mittat manum suam.]

Secundò: Propter vnumquodq; tale est, &c. homo autem est dominus bonorum temporalium: quia illa ordinantur ad vitam ipsius, cum ergo sit dominus eorum propter vitam, multò magis vitæ.

Tertiò, potest homo exponere vitam suam pro amico, tum etiam pro bonis suis vt contra furem maximè nocturnum, similiter potest exponere brachium pro vita sua, vt in morsu viperæ, & alijs euētibus, ergo est dominus vitæ suæ, & membrorum, eum possit ista consumere in suam vtilitatem. Et confirmatur, quia si ipse non esset dominus, & ea exponeret, faceret iniuriam vero domino, sicut qui exponit bona alterius in suam vtilitatē, vero domino, cuius illa bona sunt iniuriam facit: at homo in huiusmodi euētibus facit quod eum decet citra vllius iniuriam. Ergo.

Quartò, qui abscindit Petro brachium, tenetur ipsi Petro restituere damnum illatum ex iustitia commutatiua, ergo Petrus erat dominus illius brachij. Similiter qui occidit Ioannem, si vita esset recuperabilis teneretur illam ex Iustitia commutatiua Ioanni restituere, erat ergo dominus Ioannes suæ vitæ: Patet consequentia ex definitione restitutionis, nam restituere est verum dominum in dominio suarum rerum iterum constituere.

Quintò, Falsum est occidentem aut mutilantem se ipsum inferre iniuriam Reip. nam ita teneretur aliquid ipsi restituere, ad quod tamen nullus tenetur.

Denique homo habet dominium in elementa, flumina, fontes, & in seruos, nec potest illis vti vsque ad eorum consumptionem, non potest destruere fontes, nec seruum vita priuare, non ergo sequitur sicut argumentati sumus, non esse dominum vitæ suæ aut membrorum, quia non potest illis vti vsque ad eorum consumptionem.

Singula suo ordine diluamus. Ad primum respondeo, eo loco tantum significari, hominem esse dominum sui liberi arbitrij, & suarum operationum, & adeo liberum, vt possit quæcunque voluerit bona, vel mala exercere, non tamen esse dominum suæ vitæ, Nisi dicamus cum alijs, ibi agi de vita & morte spirituali, & ante ipsum ista esse, bene agere quod est viuere, & malè agere quod est mori, quem sensum insinuat ipse textus cum dicat: [Reliquit illum in manu concilii sui. Adiecit ei mandata, & præcepta, si volueris mandata seruare, &cæt. Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum. &c. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit dabitur illi, &c.

Ad secundum respondeo, illam Maximam Arist. habere locum in his quæ conueniunt in eodem attributo, sed ita vt vni insit propter alterum, vt homo amat pecunias, & vitā, & pecunias propter vitā, ergo multò potius amat vitam: huic enim instituto accōmodauit Arist. illud axioma q. d. propositiones & conclusio cognoscuntur, & ita, vt conclusio cognoscatur per præmissas, ergo multo magis præmissæ: At quando vnum est propter aliud, non tamen conueniunt in attributo, non habet locum illa maxima: Terra est calida propter solem, ergo sol est multò magis calidus, non valet, quia non conueniunt terra, & sol in vno attributo caloris. Cum ergo homo non sit dominus pecuniarum ex dominio, quod habet in vitam, sed quia illis indiget ad tuendam vitam, tantum, sequitur ipsum esse custodem vitæ suæ, & iure naturali teneri ad eius conseruationem, & custodiam, non tamen esse dominum. Quemadmodum si alicui dentur centum aurei, vt custodiat bona ciuitatis, est quidem dominus illorum centum aureorum, propter bona ciuitatis suę custodiæ commissa, non tamen est dominus bonorum ciuitatis.

Ad tertium dico: cum de ratione dominij sit, rem cuius est dominus posse pro libito exponere, eum qui id non potest pro libito citra alterius iniuriam, sed tūc solum, quando causa iustissima existit, non esse dominum: ita Resp. non est domina bonorum, aut vitæ suorum ciuium, non enim potest illa pro libito exponere, sed pro bono communi, aut ad punitionem alicuius delicti, quæ est causa iusta. Vnde ad argumentum dico, nō sequi hominem esse dominum vitæ suæ, quia illam pro amico exponere potest, id enim non facit pro libito, sed quia ibi interuenit maximum bonum, nempe fortitudinis, charitatis, fidelitatis ac amicitiæ, quæ causa honestissima est: similiter quando exponit membrum pro salute, aut vita tuenda, non facit id liberè, sed necessitate illa propriæ salutis ita exigente, quæ etiam causa iustissima est.

Ad quartum respondeo: teneri illum ad restitutionem, non quia Petrus sit dominus brachij sui, aut Ioannes vitæ suæ, sed duplici nomine, & vtroque diuerso à dominio. Primò, quia habet homo iure naturali custodiam vitæ, & membrorum, & qui infert iniuriam custodi, tenetur illi restituere, sicut qui rapit virginē ex domo tutoris, vtriq; tenetur & raptæ ob iniuriā ei illatam, & tutori qui illam habebat in custodia. 2. quia licèt homo non habebat dominium vitæ, & membrorum, habet tamen dominum vsus, & operarum, quas illis membris poterat exercere, & quia intulit damnū maximum in his, tenetur illi restituere, & huiusmodi damno reficere.

Ad 5. dico illum inferre quidem iniuriam Reip. vt custodi vitæ suorum ciuium, sicut expositum est: non tamen teneri ad aliquam restitutionem Reipub. faciendam, primò quia multæ sunt iniuriæ quæ non habent restitutionem, vt ea quæ infertur in adulterio apud viros graues, & prudentes. 2. quia cum membrorum illud non sit recuperabile, & ipsemet vsu illius se priuauerit, in quo sibi ipsi propria sponte intulit iniuriam, ponit quidem illum, restitutionem tamen non exigit.

Ad vltimum respondeo: hominem non posse consumere elementa, fontes, &c. quis non est aliquis priuatus, qui solus sit eorum dominus, sed est hoc dominium totius naturæ humanæ, & cuiusuis priuati vt patris generis humani, propter quod nō potest aliquis citra aliorum iniuriam, qui in ea simile dominium habent, illa destruere, vel consumere, seruum quoq; non potest dominus occidere, & vita illius vsque ad consumptionem vti, quia homo nō est dominus serui omnino, sed corporis tantum, laborum, & operum; illius, vt expositum est.

ARTICVLVS III.

An homo sit dominus sui honoris, & famæ.

IN hac quæstione, quæ grauissima est, & ad multa necessaria. Duæ sunt oppositæ sententiæ. Caie. infra quæst. 73. arti. 2. & in Summa, Verbo Detractio asserit, neminem famæ suę dominum esse, sicut nec vitæ, vnde colligit peccare mortaliter infamantes se ipsos, etiam si metu mortis id faciant, tenerique ad restituendam sibi famam. Dominium autem famæ constituit penes Rempul. quis ex honore, & fama ciuium constat honor, & fama Reip. quod maximum est ipsius bonum, ita docet infamantes seipsos esse iniurios suæ Reipul. & peccare non solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam.

Proba-

Probatur hæc opinio Caiet. nonnullis argument. Primò: Si homo esset dominus suæ famæ, posset illam prodigere absque peccato mortali, sicut,& bona, nam prodigalitas ex suo genere non est peccatum mortale, sed tantum veniale. Ex glossa autem in ca. si sacerdotibus. 15.q. condẽnantur de peccato mortali, qui seipsos infamant, ergo.

Secundò est D. August. 12.q.1. Can. Nolo: [Cõscientia tibi, fama autem proximo tuo.] Et lib. de bono viduitatis. cap. 22. qui liber habetur tomo. 4. ait: [Fama apud nos est, non propter nos, sed propter alios,] ergo fama mea non est solum mea, sed proximorum, & Reip. & eodem Can. Nolo: [Qui fidens conscientiæ suæ famam negligit crudelis est:] id est, peccat mortaliter, nam peccatum veniale non uocatur crudelitas, at si homo esset dominus suæ famæ, illam negligere, esset prodigalitas, venialis tantum ex suo genere, non mortalis. Et 11.q.3.can. Non sunt audiendi: grauiter reprehendit negligentes propriam famam, & subdit: [Nobis quidem necessaria est vita nostra, alijs verò fama nostra,] vbi ex D. Aug. Fama rest quædam communis est, nostra, & aliorum, vt sunt bona Reip.

Tertiò, ex eodem D. Aug. 1. de Ciui. Dei, cap. 10. illo præcepto. 8. non falsum testimonium dices, non minus prohibemur nos ipsos infamare, quàm proximos, sicut illo. 5. non occides, non minus prohibemur nosipsos occidere quàm proximos. Negamus autem homini do minium in vita sua, quia non potest se occidere, ergo similiter dicendus est nõ habere dominium in famam suam, cum non possit se infamare.

Quartò, Bonorum communium nullus priuatus est dominus, fama est bonum commune, ergo nullus est illius dominus. Probatur minor: quia cum homo sit pars ciuitatis, malum partis consurgit in malum totius, & contra bonum partis est bonum totius, & ita infamia vnius ciuis, redundat in infamiam totius ciuitatis, & fama ciuis in decus, & honorem totius ciuitatis.

Quintò, bonorum, quorum custodia nobis commissa est, & quorum propriè custodes sumus, non sumus domini, quo nomine diximus Remp. non esse dominam vitæ suorum ciuium, quia illam non potest exponere nisi vt custos tantum boni communis, sed in Sacris literis commẽdatur maxime custodia honoris, & famæ. Eccl. 41. [Curã habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm multi thesauri præciosi.] Et Pro. 22. [Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ.] Ergo.

Denique honor, & fama apud viros prudentes æquatur vitæ, & membris, & in casu aliquo præfertur, Iudas Machabæus prætulit illam vitæ. 1. Macha. 7. [Si venit, inquit, tempus nostrum moriamur, nec imponamus crimen gloriæ nostræ,] &c. At non sumus domini propriæ vitæ, aut membrorum, ergo nec famæ.

Oppositam sententiam habent Adrianus in 4. tit. de Restitutione, in quæstione de fama restituenda, Soto lib. 4. de iustitia, q. 2. art. 3. & lib. 5. q. 10. art. 2. & in Relectione de ratione tegendi secretum, Memb. 1. q. 3. Et omnes recentiores Thomistæ. Afferunt hi, honorem, & famam esse vnum ex bonis temporalibus, quorum homo dominus est: licèt sit maius bonũ quàm diuitiæ, & maiori cura custodiendum, vt docent Scripturæ. Probatur hæc sententia à suis authoribus varijs argumentis.

Primo sic: honor & fama sunt propria hominis bona, non ingenita, sed proprio ipsius labore, & industria acquisita, & parta, ergo est verè dominus illorum, sicut cæterorum bonorum, quæ proprio labore, & ingenio sibi comparat. Antecedens constat experientia. Conseq. verò patet: Eo enim nomine ostendimus hominem non esse dominũ suæ vitæ, quia bona quorum homo est verè dominus, possunt ab ipso acquiri, vitã aũt non acquirit homo, sed à solo Deo ipsi tribuitur.

Secũdò, homo verè est dominus eorum bonorum, quæ citra vllius iniuriam potest prodigere, & consumere, potest autem suum honorem si sit persona priuata citra vllius iniuriam contemnere ac prodigere, Ergo. Maior certa est, cum hoc intersit inter bona quæ non sunt mea sed alterius, & ea quæ mea sunt, quòd prodigendo mea, peccabo aliquando contra charitatem, nunquam tamen contra iustitiam, prodigere autem aliena prohibeor lege iustitiæ, quia infertur tali prodigalitate vero domino maxima iniuria. Minor verò patet: nulla enim est lex iustitiæ, quæ prohibeat contemnere honorem & famam. De vita enim constat præceptum & lex, cum constituatur solus Deus dominus illius in locis illis scripturæ, de fama autem nihil tale extat.

Tertiò, quæ sunt sub nostro dominio in aliquo casu possumus licitè expendere, & exponere, famam verò, & honorem in aliquo casu possumus exponere, adeo vt aliquando in eo mereamur, ergo. Maior constat, Eo siquidem nomine ostendimus, vitam non esse sub nostro dominio, quia in nullo casu, nec ob vllum finem possimus nosipsos illâ priuare, nec ob vitã æternam vt docet D. Aug. 1. de ciuit. Dei. ca. 2. & D. Tho. inf. q. 64. art. 5. ad tertium. Minor probatur ex Euangelio, vbi viris perfectis consulitur contemptus honoris, & opinionis, sicut, & diuitiarum, ita vt colligant Sancti studium honoris, & famæ sæpe noxium esse, sicut & studium pecuniarum.

Vnde est quartum argumentum. Absurdum est, nos non habere dominium eius rei quam frequenter possumus perdere, & abijcere, & ad quam conseruandam rarissimè tenemur, huiusmodi sunt honor, & fama: hæc enim disperdere aliquando non solum non est peccatum, sed excellentissima virtus, quam Christus non docuit verbo, & exemplo. Et præstantissimi Patres nostri Aug. Ambro. Hyer. & c. dispergendo hęc, gloriam consequuti sunt immortalem, ergo.

Quintò, bonum cuique proprium sub ipsius dominio est, & non sub dominio Reip. honor & fama est bonum cuique proprium, ergo sub ipsius dominio. Maior certa est, quæ enim sub dominio Reip. sunt, non sunt alicui propria, sed omnibus communia. Probatur minor: pars & totum in his sunt eiusdem rationis, fœlicitas humana est bonum cuique proprium, laus fama, & honor ex Arist. 1. Rhetori. cap. 5. sunt partes fœlicitatis humanæ, ergo.

Denique hæc est aperta sententia D. Thom. infra q. 64. art. 5. vbi ait ad tertiũ. [Hominem habere plenam facultatem disponendi circa ea, quæ pertinent ad hãc vitam, transitus autem ab hac vita in aliam non esse in libero hominis arbitrio.] Vnde ex D. Thom. potest homo disponere de suo honore, & fama, cum pertineat ad hanc vitam, Ea autem quæ sunt in hominis facultate, vt possit de ipsis disponere, sub ipsius dominio sunt. Et q. 73. art. 4. ad primum ait: [In arbitrio vniuscuiusque est pati detrimentum suæ famæ, nisi id vergat in alterius nocumentum:] homo autem non potest pro libito pati detrimentum, nisi in his quorum est dominus. Vnde est argumentum: homo expoliatus per iniuriam suo honore, & fama potest detractori liberè remittere restitutionem suæ famæ, aliter non esset in eius arbitrio pati detrimentum suæ famæ: Ergo est dominus illius. Consequentia patet, nam eorum, quorum nos domini non sumus, non possumus liberè remittere restitutionem, nisi per consensum eius, qui est verus dominus.

Hoc argumentum est efficacissimum apud Thomistas, licèt Adrianus (quamuis sequatur hanc sententiam,) iudicet illud infirmum, quia constat inquit, nos non esse dominos nostrorum membrorum, posse tamen condonare illorum abscissionem, & remittere restitutionem tali damno debitam. Sed hæc instãtia non tollit vim argumenti. Nam si ipsummet brachium, vel

membrum

membrum abscissum posset restitui. non liceret mihi remittere restitutionem illius, esset enim virtus illud iterum abscindere, si nollem recuperare cum possem, quod mihi non licet: quia tamen ipsum membrum recuperabile non est, compensatur illud damnum pecunijs, quas quia bonum temporale sunt ad meum dominium pertinens, possum remittere. Vnde quod recuperabile, & cuius possum restitutionem remittere, meum verè est, & ita cum liceat mihi remittere restitutionem meæ famæ illi qui me iniustè infamauit (vt infra cum D.Thom. docebimus, & est communis sententia) reuera honor, & fama bona sunt nostro dominio subiecta.

Vt in hac quæstione quod verius est assequamur: Obseruemus primò, bonum hominis diuidi primo, in spirituale, & temporale. Rursum temporale esse in triplici genere: in primo genere est vita, in vltimo opes, in medio fama: nam fama præstat opibus, vita verò, & opibus, & famæ, si simpliciter hæc considerentur, nam per accidens, & ex aliqua circunstantia, potest aliquando fama vitæ præstare: vt si sim persona publica, & mea fama sit necessaria meæ Reip. tunc possum exponere vitam pro fama, non vt fama, sed vt pro bono communi toti Reip. necessario, quo modo exposuit vitam pro honore Iudas Machabæus, quia illius honor erat tunc omnino necessarius populo suo.

Obseruemus secundò, teneri vnumquemque diligere se ipsum, & velle sibi oĩa bona ex præcepto charitatis, quia hæc cum ordinata sit incipit à seipso. Hoc præceptum diligendi se est maximè naturale, tum quia amicabilia ad alterum (vt dicebat Arist.) oriuntur ex amicabilibus ad se, tum quia natura hominis est maximè sui conseruatrix: Cæterum procedit iste amor hoc ordine, primo loco tenemur nobis velle virtutes, & bona animæ, adeo vt horum consequendorum gratia cætera omnia bona, (si opus fuerit) negligamus. Secundo loco tenemur nobis desiderare vitam. Tertiò diligimus cætera bona temporalia ex charitate, & illa nobis optamus, quantum ad vitam, & salutem corporis, & animæ exiguntur. Ita fit vt solum bonum animi sit per se experendum, & propter se tantum, nec alicuius alterius rei gratia. Vita quoque sit per se amanda, quia esse, & viuere per se ipsum est amabile, & charitas nõ destruit naturam; non tamen est amanda propter se tantum, sed propter aliud quoq;, ad paranda per illam bona animi: Honor vero diuitiæ, & alia bona temporalia non sunt amanda per se, nec propter se, sed propter aliud quatenus animæ vel corpori deseruiunt.

Obseruemus tertiò, honorem, & opes aliquando esse media ita necessaria ad vitam corporia, vel animi tuendam in nobis, vel proximis nostris, vt sine his constare non possit, aliquando verò esse media non simpliciter non omnino necessaria, sed conducentia, aliquando verò nec simpliciter necessaria, nec conducentia, sed planè superflua.

Obseruemus quartò, hominem, & si non sit dominus suæ vitæ, vt constat ex articulo præcedenti, esse tamen procuratorem, & custodem illius, tàm iure naturali, quàm diuino: quo fit, vt quia dominus vitæ non est, non possit mortem sibi afferre, quia verò procurator illius est, tenetur medijs accommodatis adhibitis illam curare, & tueri, non tamen tenetur ad omnia media eodem modo, nam media simpliciter necessaria tenetur adhibere eodẽ iure, & charitatis, & iustitię, quo tenetur vitam procurare, & cõseruare. In adhibendis autem medijs non necessarijs habet maiorem libertatem, ita vt aliquando nulla culpa sit illa negligere, aliquando verò leuis, cum illa necessaria non sint.

Obseruemus vltimò, quod diligenter hic considerandum est. Hæc esse maximè diuersa contemnere honorem; & famam, vel prodigere illam, vel infamare seipsum proprias culpas aperiendo; aut falsum sibi ipsi imponendo. Nam contemnere est non curare, nec ambire honorem, & gloriam humanam, quod est laudabile, & perfectionis in Euãgelio. Prodigere est per incuriam, & negligentiam virtutum, & bonorum operum, ac boni exempli non curare bonum nomen apud proximos. Alia duo, apertum est quid sint. Cęterum id quod est infamare se ipsum proprias culpas aperiẽdo, bifariam contingere potest, quemadmodum, & culpæ duplices sunt, aliæ graues, aliæ verò non ita graues: sunt quidem omnia peccata mortalia grauia in ordine ad Deum, & bonum nostrum spirituale: in ordine tamen ad honorem, & famam nõ omnia crimina mortalia dicuntur grauia, nam iuuenis lasciuus, qui prodit suam fornicationem, non infamat se de re graui in suo honore, sed grauia dicuntur peccata, aut ratione delicti, vt hæresis, vitium indicibile, stuprum cum maximè coniuncta, sacrilegium: aut ratione personæ, vt in viro honesto, & in muliere pudica fornicatio, vel furtum.

CONCLVSIO I.

Absolutè, & simpliciter loquendo, homo est dominus sui honoris, & famæ, sicut, & aliorum bonorum temporalium.

Hanc probant efficacissimè argumẽta adducta pro opinione Adriani, & Soti. Et confirmantur: Honor, & fama sunt propria præmia, & merces virtutum moralium, quas propria industria acquirimus, tum etiam artium, & scientiarum, quas nobis proprio studio comparamus, Vnde illud Arist. [Honor est premiũ virtutis.] Et illud M. Tullij: [Honos alit artes.] Eorum autem, quæ nostris laboribus exhibentur, vt præmia tẽporalia, nos veri domini sumus, sicut & cæterorum bonorum temporalium. Ergo.

Secũdò: Vitam nemo potest permittere sibi adimi, vbi illam sine inuasoris detrimento tueri potest, quia non est vitæ suæ dominus, nec alia ratio est cur id non possit, potest autem priuata persona famam suam cum sibi aufertur dimittere, ac deserere, etiam si illam posset tueri, vt docet apertè D.Tho. inf. q.73. art.4. ad primum, cum ait: [In cuiusque arbitrio esse detrimentum suæ famæ pati. Ergo.

Diximus autem in hac conclusione absolutè, & simpliciter loquendo, nam ex circũstantia aliqua, vt si sit persona publica, vel is, cuius fama alijs necessaria sit, tunc non est dicendus illius dominus, vt subiectis concluſ. explicabitur.

CONCLVSIO II.

Fama mea, quando est mihi omnino necessaria, aut maximè vtilis, & conueniens ad salutem mei animi, vel corporis, aut eorum quorum cura mihi incumbit, vt vxoris filiorum, &cæt. illam prodigere peccatum mortale est, non solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam.

Verbi gratia si fama perdita videam me in periculo probabili peccandi, quod accidit in fœminis, aut vitam meam exponi insidijs, aut simile periculum domesticis meis & familiæ meæ imminere, prodigere illam cum his periculis est peccatum mortale contra charitatem simul, & iustitiam. Contra charitatem constat, quia infero graue damnum mihi, & meis, ad quod vitandum teneor præcepto charitatis contra iustitiam quoque, quia quo iure teneor ad aliquam rem faciendam, vel conseruandam, eodem teneor ad media, quæ illi sunt necessaria, vel maximè vtilia, sed teneor ex iustitia curare vitam meam, & meorum, tam spiritualem, quàm corpoream, ergo, & ad tuendam famam quando ad hæc necessaria est, vel maximè conueniens.

CON-

CONCLVSIO TERTIA

Persona publica, cuius fama necessaria est, vel plurimum conueniens bono communi, & exercitio sui muneris prodigens illam, peccat etiam grauissimè contra charitatem, & iustitiam.

PRobatur, quia similiter tenetur hic ad curandum bonum communi, & omnia media ad illud necessaria, sicut, & pater familias ad curandam vitam, & salutem suorum domesticorum, & media ad id necessaria. Secundò, quo iure tenetur rectè exequi suum munus, & officium eodem tenetur ad paranda, & curanda media ad illud necessaria, sed ad rectam exequutionem sui muneris tenetur ex iustitia, ergo & ad conseruationem suę famę, quando illa ad id necessaria est, vel plurimum conducens.

CONCLVSIO IIII.

Quando mea fama est necessaria, vel plurimum conducens ad vlterius vitam spiritualem vel corporalem, cuius tamen cura mihi non incumbit, quia nec sum persona publica, sed priuata, nec est ille meæ familiæ, prodigere meam famam est peccatum mortale, contra charitatem quidem non tamen contra iustitiam.

COntra charitatem, quia sic prodigendo famam, qua indigebat frater ad suam salutem, noceo illi plurimum, teneor autem lege charitatis curare, ne sim nocumento proximo meo, v. g. est in hac vicinia mulier, quæ suo exemplo, & bono nomine facit animosas alijs puellis vicinis, vt sint pudicæ, quam virtutem non ita custodient, si illius mulieris fama vitietur, in hoc casu peccat grauiter contra charitatem hæc mulier prodigens honorem suum, quia nocet plurimum illis puellis, teneturque præcepto charitatis curare, ne sit alijs nocumento, quemadmodum tenetur curare, ne causa sui domus vicina succendatur. Et consitmatur, quia talis prodigalitas suæ famæ est scandalum in re graui: scandalum autem in re graui est peccatum mortale contra charitatem: Non tamen peccat contra iustitiam, quia supposito esse personā priuatā, & puellas quibus eius fama necessaria est, non esse sub illius cura, non tenetur bonum illarum, siue spirituale, siue corporale curare ex iustitia, sed tantum ex charitate.

Ex his fit prodigentes famam suam, de quibus in a. & 3. conclus. teneri ad restituendum sibi honorem, id est, curandum omnibus vijs illum recuperare, quia est necessarius illis, & suis ex iustitia, & prodigendo illum peccarunt contra iustitiam; prodigum vero suæ famæ, de quo quarta conclusio, (vt docet Adrianus q. citata ad vltimum) non teneri ad restituendum sibi honorem, vel id curandum ex vi iustitiæ, sed sufficere ne perseueret nocumentum, quod infert suo scandalo, si viderit illud permanere. Quemadmodum qui opes superfluas prodigit peccat quidem mortaliter contra pauperes, quibus illæ erant debitę ex charitate, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem, quia non erant debitæ ex iustitia.

CONCLVSIO V.

Falsum contra seipsum dicere peccatum mortale est, & grauissimum, non contra iustitiam, sed contra charitatem.

PAtet, Mendacium in re graui, & cum detrimento alicuius peccatum mortale est, falsum testimonium est mendacium in re adeò graui, vt honore, & fama, quæ omnibus diuitijs præstat. Ergo. Secundò, Præcepta Decalogi ex suo genere obligant ad mortale, sed illo præcepto octauo, vt docuit D. Augustin. non minus prohibemur contra nos ipsos falsum testimonium dicere, quàm cōtra alios proximos. Ergo. Quod autem non sit contra iustitiam, constat ex eo, quia hic nulli infert iniuria, sed sibi tantum, & in re, cuius ipse est dominus. Iustitia verò vel iniustitia non est ad se ipsum, sed tantum ad alterum.

CONCLVSIO VI.

Quando fama mea, neque mihi necessaria est, neque alijs, neque ex mea infamia affertur alijs probabilis occasio peccandi, vel scandalum, prodigere illam aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando laudabile.

SI id fiat sine iusta causa, in famā do me de culpis, quæ in ordine ad meū honorem non iudicantur graues, est culpa venialis. Si de culpis in ordine ad meum honorem grauibus, & turpibus est peccatum mortale, si verò infamem me ipsum ex iusta, & idonea causa, non solum non est peccatum, verum etiam est actus laudabilis. Probatur prima pars, quia constat, ego sum dominus meæ famæ, vnde prodigere illam sine causa, & sine graui etiam damno meo, vel aliorum, est velut prodigere bona, & diuitias citra alterius iniuriam, prodigalitas autem ex suo genere, maximè quæ fit citra aliorum iniuriam, est venialis. Similiter constat secunda pars, quia in re graui, & turpi honori meo me ipsum infamare est maximum nocumentum mihi inferre in re grauissima. Et ita peccatum mortale. Probatur tertia, quia prodigere bona temporalia, quorum sumus domini, aliqua iusta causa ita exigente, laudabile est. Est enim tunc actus liberalitatis, sed honor, & fama est vnum ex bonis temporalibus, quorum sumus domini, ergo illa prodigere ex iusta causa, laudabile est.

Vnde reus in crimine occulto, quod dum celat, timet maximam vim tormētorum, vt illa euadat potest suum crimen aperire, & se infamare, sicut posset suas opes exponere, vt se à grauissimo dolore liberaret. 2. Si quis occultum crimen commisit, ratione cuius innocens plectitur, esset opus perfectionis, ad liberandum innocentem, se ipsum (etiam nulla adhuc infamia illius criminis laboret) prodere. 3. Posset aliquis vitia sua detegere, & famam suam in discrimen vocare ad humilitatem, ne in tanto pretio habeatur eius sanctitas, vt sic securius viuat fugiendo dignitates & Episcopatus, sicut fecit D. Augu. qui ne tanti haberetur, ex humilitate scripsit & propalauit in libris suarum confessionum omnia peccata sua: Et cum Christus tot in locis hortetur suos ad contemnendos honores, id licebit ex humilitate, & ad fugiendos illos, modò non fiat cum scandalo aliorum. Vnde quod dicitur de B. Ambrosio, introduxisse mulieres meretrices in domum suam, ne eligeretur in Episcopum, nec habet certum authorem, nec est credendum, fuisset enim maximo scandalo cæteris illius populi.

Ex his antequam diluamus argumenta Caie. colligamus quando, & in quibus casibus se ipsum infamare sit peccatum mortale contra iustitiam, vel charitatem, vel vtranque. Dico igitur simpliciter se infamare sine iusta causa esse peccatum veniale ex suo genere, quia est prodigalitas quæ ex suo genere venialis est, ex accidenti autem, & aliqua circunstantia fit mortale in multis euentibus. Primò quando homo exponens & referens sua peccata mortalia, licèt non grauia honori suo, in illis tamen referendis gloriatur, & sibi complacet, ac delectatur, contra quos Psal. 55. [Quid gloriaris in malitia, &c. Et Ps. 93. Vsque quo peccatores gloriabuntur. Et Esaiæ. 3. [Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, & cæt. Similes Ioab. qui sanguinem homicidij gloriosus de sua culpa posuit

in balteo suo propter quod à Dauide iussus est occidi. 2. Quando infamat se de culpa turpi, atroci, & graui, vt hæresi, sacrilegio, stupro fœdissimo, ob atrocitatem delicti talis infamia sui lætalis est: 3. Ratione scandali quando infamando se est alijs occasio ruinę & peccandi, quia illius vita, & mores sunt alijs in exemplum. 4. Si ex sua infamia alij eiusdem status in hominum opinione patiantur damnum sui honoris, vt religiosus vel clericus sua crimina pandens sæcularibus, solent enim hi vnius vitio alios contemptui habere. 5. Si sua fama sit necessaria sibi vel suis ad bonum aliquod spirituale vel temporale, propter nocumentum quod infert sibi vel suis, peccat mortaliter. 6. Si est persona publica, cuius infamia redundat in infamiam suæ Reipubl. vel ipse sic infamatus non potest debitè suum officium exequi, ac alijs suo munere prodesse. Extra hos casus se ipsum infamare est peccatum veniale, vt prodigalitas diuitiarum qua nulli alteri nocetur.

Disputatur hic à nonnullis, an falso se infamans apud iudicem ob metum mortis, aut ad vitandam aliquam vim tormentorum peccet, & ad quid teneatur, sed hæc quæstio propria est eius loci, in quo agemus de reis, qua ratione debeant se habere in iudicio, infra quæst. 69.

Nunc ad argumenta initio posita. Ad primum respondeo, Glosam illam loqui in casu, de quo agit ipse textus, nempe de Episcopis, & Sacerdotibus, qui cōpulsi metu mortis subscribebant hæresi, & erroribus aliorum, & sic seipsos infamabant: Hi certè peccabant grauissimè, Primò, subscribentes hæresi, licèt illam non haberent in animo. Secundò, Infamantes se de crimine adeò graui. Tertiò. Scandalizantes simplices, & causam errandi illis offerentes, cum essent Episcopi, & personæ publicæ, quæ plurimum distant à nostro instituto.

Ad secundum respondeo, D. Aug. can. illo nolo. Loqui casu, quo fama nostra est alijs necessaria, vt in personis publicis, ait enim. [Qui fidens conscientiæ suæ famam negligit, crudelis est maxime in loco, idest, Dignitate Ecclesiastica positus. Vel dico secundò, si præcedentia & sequentia obseruentur, eo loco non hortari nos D. August. ad studium honoris & famæ, nō enim id decebat virum adeò sanctum & humilem, qualis fuit August. sed repræhendere absolutam illorum licentiam, qui volunt videri famæ suæ obliti, & in eius studio negligentes, & liberius quam decet viuunt cū aliorum scandalo, & offensione. In Can. autem illo. Non sunt audiendi, &c. loqui, vt benè obseruat Soto. D. August. de quibusdam mulieribus, quæ cum haberent in populo magnam sanctitatis opinionem, negligentes tamen erant circa suum honorem, & famam, cum aliorum scandalo: in quo etiam sensu repręhendit viduas de sua fama parum sollicitas, quarum vita est alijs adolescentioribus in exemplum, in illo libro de bono viduitatis.

Ad tertium respond. dicentem contra se falsum testimonium peccare mortaliter, vt dictum est. sicut & illum, qui se occideret, quia vtrumque est contra præcepta decalogi, non tamen peccare eodem genere peccati, nam occidens se peccat contra charitatem, quia tenetur se ac vitam suam diligere, & curare, & contra iustitiam quia non est dominus illius, facitque iniuriā vero domino nempe Deo, Infamans autem se, vel dicens contra se falsum testimonium in casibus explicatis, peccat contra charitatem qua tenetur honorem sibi vel alijs necessarium tueri, & alijs non esse scandalo: non tamen peccat contra iustitiam, quādo eius honor sibi vel alijs, necessarius nō est, quia tunc est absolutus dominus suæ famę, solamque prodigalitatem committit illam prodigendo.

Ad quartum respondeo, negando Remp. esse dominam meæ famę absolutè & simpliciter, sed tunc solum, quando ipsa mea fama indigebit, quia tunc bonum vel damnum partis redundat in totum, aliter non habet ius in illam, quemadmodū Resp. non est domina mearum facultatum, nec potest me meis opibus expoliare, sed illis vti quando ipsis eget. Quando autem Respub. egeat mea fama, & quantum egeat, non potest huius rei dari certa regula, sed sunt multa in particulari attendenda. Primum est respicienda vnitas Reip. habet enim vna communitas arctius vinculum quàm alia, & vbi arctius vinculum est, magis eget fama communitatis fama suæ partis. Verbi gratia maius vinculum est inter ciues vnius patriæ quam inter ciues vnius prouinciæ, maius quoque inter fratres vnius conuentus quàm inter vicinos vnius ciuitatis, & ita infamia vnius monachi magis redundat in infamiam aliorum eiusdē religionis vel conuentus, quam infamia vnius ciuis in alios. 2. Attendendus est finis cuius gratia societates hominum institutæ sunt, & ratione illius finis potest magis vel minus infamia vnius in alios redundare. Verbi gratia, constituuntur milites in aliqua arce pręsidij & illius tuendæ causa, si vnus illorum infametur de proditore, magis læduntur cæteri de tali infamia, quam si infametur de ludo vel fornicatione, quia hæc crimina non ita repugnant fini illius societatis, nec ita sunt grauia in illo statu militum sicut proditio, hęc omnia prudentiæ committenda sunt.

Ad secundum dico illis locis commendari custodiā honoris, & famæ ex pręcepto charitatis, vt expositum est: hoc tamen non tollit dominium famę, sicut Resp. est custos vitæ & bonorum suorum ciuium non tamen domina: dico secundò commendari ibi exercitium virtutum: nam cum honor sit præmium virtutis: in ea se exercere est medium ad bonum nomen.

Ad vltimum constat ex prima notatione supra posita, prudentes quando honor, & fama eorum suæ Reip. vel religioni vel bono communi necessaria est, aut plurimum conueniens, tunc pro illa non vt fama, sed vt bono communi vitam exponere, alias non esset actus prudentiæ, sed ambitionis humanæ, iuxta leges mundi, adeò à Christo in Euangelio condemnatas vitam pro honore exponere.

CONCLVSIO IIII.

An homo sit dominus bonorum suorum spiritualium.

Dominicus Soto libro 4. de iustitia. quæst. 2. artic. 1. quem nonnulli quamuis paucissimi sequuntur, habet in hac quæstione partem negantem, quam ita probat: Primò sicut Deus reseruauit sibi vitam corpoream ita & spiritualem, nempe gratiam, & virtutes, ac alia bona spiritualia. Psalm. 83. [gratiam, & gloriam dabit dominus:] Ibidem & Psalm. 23. vocatur dominus virtutum, Ergo.

Secundò, homo tantum est dominus eorum bonorum, quæ potest sua industria comparare, quo nomine ostendimus eum non esse dominum vitæ suæ, quia nequit illam propria industria sibi acquirere, sed à solo Deo illam accepit, at homo non acquirit sibi gratiam, fidem, virtutes infusas, & alia bona spiritualia sua industria, nec occurrit ad illa efficienter, sed tantum dispositiuè, operatus enim Deus illa in nobis sine nobis, vt in Concilio Mileuitano, & alijs multis definitum est contra Pelagium, ergo non sumus eorum domini.

Tertiò, Ea, quorū homo dominus est in aliquo euentu potest exponere sine peccato mortali, vt sæpè dictum est in superioribus, at gratiam, & alias virtutes nunquam potest homo exponere, aut consumere sine peccato mortali, imò hoc ipsum est peccatum mortale, istorum bonorum ruina, & consumptio.

Quar-

Quartò: Si homo esset dominus istorum bonorum, eodem modo dicēdus esset dominus Sacramentorum, & concionatorum, & eorum omnium, quibus iuuatur ad gratiam, quia ratio mediorum sumenda est ex fine, Sacramenta autem conciones, & similia sunt velut media ad gratiam, Et similiter dicendus esset dominus gloriæ, & visionis beatificæ, cum ista mereatur per gratiam.

Oppositam sententiam habet Cano. 4. par. Relectionis de Penitentia ad secundum habuitque illam Magister Victoria, quem sequuntur fere omnes recentiores, asserentes hominem esse dominum bonorum suorum spiritualium, quæ habet in hac vita ad merendam æternam. Probant hi suam sententiam. Primò ex illo Eccles. 15. [Deus fecit hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui, ante hominem vita, & mors bonum, & malum: &c.] Vbi vt supra vidimus apertè ostenditur homo esse dominus sui liberi arbitrij ad operandum bona, vel mala, & per consequens dominus bonorum spiritualium, ad quæ per propria opera sua se ipsum disponit. Vnde est argumentum, homo est liber dominus suarum operationum etiam supernaturalium quibus acquiruntur virtutes, & alia bona spiritualia; Ergo & bonorum spiritualium, quæ per huiusmodi operationes habentur.

Secundò. Etiam si ad huiusmodi bona acquirenda exigatur diuinum auxilium, acquiruntur tamen à nobis mediante isto diuino auxilio proprio labore, & industria, vnde in Sacra Scriptura merita vocantur opera nostra, vocantur etiam opera Dei, Esaiæ 26. [Omnia enim opera nostra operatus es nobis domine, &c.] ergo sumus domini eorum. Patet consequentia ex dictis. Ea enim quæ propria industria acquirimus nostro subsunt dominio.

Tertiò: Licèt ista non possimus exponere aut disperdere sine peccato, quando illa tamen disperdimus nulli facimus iniuriam, Ergo sumus domini. Patet consequentia, Quia ratio dominij in hoc consistit, vt possim consumere rem citra alterius iniuriam, quando enim alicui alteri fit iniuria, ille cui fit, est dominus, si verò nulli fiat nullus est dominus.

Quartò, si homo non esset dominus suorum bonorum spiritualium, qui faceret aliquem labi in peccatum non solum teneretur curare illius conuersionem, verum etiam aliquid restituere alicui alteri, illi scilicet, qui esset verus dominus illorum bonorum, quod est ridiculum: ad nihil enim aliud hic tenetur omnium consensu, quam curare illius, qui sua culpa peccat omni solicitudine conuersionem. Consequentia constat, maior verò patet, quia qui est in causa, vt aliquis deperdat bona aliena, tenetur illa verò domino restituere.

Denique sequentur ex opposita 4. sententia duo maxima incommoda. 1. Vt quotiescunque homo peccaret mortaliter, peccaret duplici peccato mortali, v.g. fornicando peccaret contra temperantiam quod est certum, & præterea contra iustitiam, qui prodigeret rem, cuius non est dominus, nempe gratiam sine consensu veri domini. Sequeretur. 2. vt quam primum aliquis peccat teneatur penitere: patet, qui nocui in alienis tenetur illa restituere quam primum potest, aliter nisi habeat consensum veri domini, committit nouum peccatum; vt videbimus in materia de restitutione: gratia, & virtutes non sunt bona nostra sed aliena, eorum restitutio fit per penitentiam, potest autem quiuis peccator, quam primum lapsus est penitere, ergo si non pœniteat statim, committit nouam culpam, quod est falsissimum.

Ex his opinionibus sequemur hanc secūdam, vt magis communem, & magis veram. Et ad maiorem intelligentiā obseruemus esse quędam bona spiritualia, quæ non faciunt hominem bonum formaliter, & intrinsecè, vt iurisdictio spiritualis, & potestas ad terminandas lites spirituales, titulus ad exigendas decimas, &c. alia verò esse bona spiritualia, quæ faciunt hominem verè intrinsecè ac formaliter bonum, vt gratia, & virtutes, & de his est quæstio. Nihilominus de vtrisque sit.

CONCLVSIO I.

Homo est verè dominus suorum bonorum spiritualium.

De prioribus patet, quia potest habens illa, liberè tradere cui voluerit, potest tradere cui voluerit, suam iurisdictionem, suum ius in decimas sibi debitas, licèt non vendendo, quia hoc est iure prohibitum, resignando tamen, & liberè donando, nec exigitur aliud ad dominiū, quàm vt possit quis liberè dare rem cuius est dominus, cui voluerit, citra alterius iniuriam: loquimur autē hic de proprio beneficio Episcopi, vel parrochi, non de illis, quæ potest ipse aut debet alijs conferre, nam in his cum sit distributor tantum, & non dominus, debet seruare leges iustitiæ distributiuæ. Secunda pars de posterioribus bonis ostenditur efficaciter argumentis adductis pro opinione magistri Cano. Et videtur certè hanc sententiam D. Tho. q. 50. art. 1. vbi facit hominem dominum omnium bonorum, quæ pertinent ad hanc vitam, pertinent autem, vt constat ad hanc etiam vitam ista bona spiritualia, vt virtutes, & gratia.

CONCLVSIO II.

Gratiæ gratis datæ, vt donum prophetiæ, linguarum, miraculorum, & similes non subsunt nostro dominio.

Patet, quia in his habet se homo merè passiuè, nec eas acquirit propria industria, sed a solo Deo liberè etiam sine vlla hominis bona dispositione cōferuntur, vnde habent ista bona aliquando ipsi peccatores in actu peccati existentes.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo, illo argumento tantum ostendi, nos habere gratiam & virtutes ex dono Dei, quod non negamus, nihilominus ita illa à Deo nobis conferuntur, vt nos quoque per bonum vsum nostri liberi arbitrij ad illa nos disponamus, & hoc nomine sumus domini, quod non est de vita corporali, quam ita habemus ex diuina donatione, vt nulla ratione nos illam nobis ipsis acquiramus. Dico 2. non sequi, habemus gratiam ex diuina donatione, ergo non sumus domini illorum, multa enim temporalia habemus ex diuina donatione aut ex donatione aliorum, quorum postquam ea data sunt nobis, veri domini sumus.

Ad secundum respondeo, esse nos dominos istorum bonorum, quia licèt non simus prima, & præcipua causa ac efficiens gratiæ nostræ, & virtutum, consequimur tamen illa disponendo nos ad ea diuino auxilio adiuti, sicut neque qui seminat, neque qui rigat est aliquid (vt habet D. Pau.) sed qui incrementum dat Deus, & nihilominus agricola ob suas industrias, & labores est dominus fructuum quos colligit. Et ad illud concilij Milleuitani dicimus Deum hæc operari in nobis sine nobis, id est, sine nostris meritis, aut propria virtute nostri liberi arbitrij, vt volebat Pelagius: non tamen sine concursu nostri liberi arbitrij, hac nostris dispositionibus gratia præueniente, & diuino auxilio adiutis propter quod vocamur Dei cooperatores.

Ad tertium respondeo, vt aliquis habeat verum dominium alicuius rei, non requiri, vt possit aliquando eam exponere, vel consumere sine peccato: sed satis esse, vt illam exponens vel consumens nulli faciat iniuriam, aut iniustitiam, diues enim si prodigat bona

sua, quibus pauperibus indigentibus poterat fauere, peccat quidem mortaliter, est nihilominus illorum verè dominus, quia ea prodigalitate non facit alicui vero domino illorum bonorum iniuriam.

Ad vltimum dico, illa omnia vt Sacramenta, concionatores &c. non acquiri à nobis, nec esse in Ecclesia nostra industria, & labore parta, Christus enim liberè mittit suos prædicatores. [Rogate inquit dominū messis, vt mittat operarios.] &c. & ita istorum non sumus domini. Gloriæ quoque & visionis beatæ non sumus domini, tum quia ista non pertinent ad hanc vitam, tum quia his semel habitis non est in facultate hominis de illis disponere, vel illa consumere, aut alteri donare, quod est de ratione dominij.

Ex hac doctrina sequitur hominem, qui labitur in peccatum non teneri continuo resurgere, & conuerti, ac remedium quærere, quia cum sit dominus suorum bonorum spiritualium, potest iuri suo cedere, ac pati in bonis suis detrimentum quod vult, modo non fiat cū damno aliorum ratione scandali, vt videbitur in disputatione de scandalo. Tenetur autem vnusquisque alteri proximo, continuo quam primum commode potest, adhibere remedium correctionis fraternæ, tum quia non est dominus bonorum spiritualium sui proximi, tum quia tenetur cum illo adimplere præceptum correctionis. Erga se ipsum autem habet quidem præceptum pœnitendi, non tamen quam primum lapsus est.

QVÆSTIO QVARTA DE DIVISIONE Dominiorum.

ARTICVLVS I.

An iustè, & conuenienter facta sit rerum diuisio & appropriatio.



VARII fuerunt, & Philosophorum, & hæreticorum errores, circa hanc quæstionē Platonici sequuti Socratem dicebant esse maximè vtile ad Remp. gubernandam, vt in ea ciues omnia haberent cōmunia, & possessiones, & fructus earum, tum etiam vxores, & liberos. Hanc formam Reip. inducit Socrates apud Platonem in Timeo, & copiosius dialogo 5. de Rep. Potissima horum ratio erat: Cum finis Reip. & gubernationis sit vnitas, & concordia ciuium, illa Resp. erit melius instituta, quę erit magis vna, & in qua ciues maiori concordia, & tranquillius agent, at si omnia sint indiuisa, & in communi possideantur, tam res quā mulieres, & liberi, erit Resp. magis concors, & vna. Ergo. Probatur imprimis de possessionibus, & rebus, ex eo enim q̄ sint diuisæ, & hic possideat hanc rem, & alter aliam, oriūtur ferè omnes lites, & iurgia, imò, & bella, vnoquoq; contendēte rem illam esse suam, quæ omnia cessarent, si omnia essent communia, & nullus valeret hoc, vel illud sibi vendicare vt proprium. De vxorib. verò, & liberis probatur: quia si vxores sint communes, nullus generantium haberet proprium filium, sed omnes iuniores genitos haberet pro filijs, & diligeret vt filios: similiter nullus natorum haberet proprium patrem, vel priuatim aliquem sibi agnoscere in patrē, sed omnes seniores, & maiores natu qui illum potuerunt gignere veneraretur, & diligeret vt patres, & sic esset maximum vinculum amoris inter omnes.

Præter Platonicos fuerunt hæretici Nicolaitæ, ab illo Nicolao Antiocheno exorti habentes eundem errorem circa fœminas, dicentes debere esse omnibus communes, quem varijs temporibus multi, & diuersi hæretici sequuti quoque sunt, vt refert D. Chrisostomus Hom. 4. in Matth. & copiosè Alphonsus de Castro contra hæreses, in verbo, coitus, Et Sebastianus de Medicis in suo catalogo hæreticorū, in verbo, Nicoalitæ, Eundem errorem Platonicorum tam quoad bona quam quoad vxores habuerunt etiam alij hæretici, qui se vocabant Apostolicos. Meminit horum D. August. in libro de Hæresibus, ad Quod vult Deum, cap. 40. & lib. 2. de gratia Christi, capit. 11. Et Epistola 106. vbi eundem tribuit etiam quibusdam Pelagianis. Eundem quantum ad bona sequuti sunt, deinde hæretici Vualdenses, & eorum duces Ioannes Hus, & Ioannes Vuicleph, vt habetur in Concilio Constant. sess. 8. hæresi 36. & referunt Tho. Vualdensis lib. 3. doctrinalis fidei cap. 81. Castro contra hæreses in verbo Ecclesia hæresi 4. & in verbo, Paupertas hæresi secunda, & in verbo Apostolus hæresi 2. Medina de restit. quæst. 1. dubio 1. asserentes inter Christianos maximè inter clericos debere omnia esse communia. Eundem sequuti sunt Lutherus, & Henricus Rex Angliæ quorum vsu, & concilio Ecclesiæ Germanicæ, & Anglicanæ suis bonis expoliatæ sunt.

Vtebantur hi, & alij Hæretici his argumentis. Primò cum ius naturæ sit omnino indispensabile, & nullo alio iure aut consuetudine possit abrogari, non potest licere quod est contra ius naturæ, sed iure naturæ sunt omnia indiuisa, & omnibus cōmunia, ergo. Consequentia patet cum maiori. Minor est commune dictum tàm Philosophorum quàm Theologorum, iure naturæ omnia esse communia. Et confirmatur primo ex Isidoro lib. 5. Ethimologiarum, & habetur in decretis. 1. dist. cap. ius naturale, vbi ait, ius naturale esse, vt res sint omnibus communes.

Secundò ex Gen. cap. 2. vbi Adæ, & omnibus eius filijs concessa est in communi, & vniuersaliter omnium rerum possessio, vbi explicatur ius naturæ. Quod ius ne dicas sublatum esse, aut abrogatum per peccatum, confirmatum est, & repetitum, iterum Gen. 9 post peccatum & diluuium, quando dictum est Noe, & filijs eius: [Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piscibus maris. &c.] Ex D. Clem. epist. 4. & habetur 12. q. 1. can. Dilectissimis, patet idem: ait enim: [Communis vsus omniū quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatē alius dixit hoc esse suum alius illud:] vbi apertè iniquitati tribuit D. Clemens rerum diuisionem, & appropriationem.

Tertiò Christus Luc. 14. [nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet &c. non potest meus esse discipulus:] quasi dicat repugnant hæc, meum discipulum esse, & aliquid possidere vt proprium, sed omnes Christiani sunt discipuli, ita enim vocabantur tēpore Christi ergo.

Quartò: certum est Christum proposuisse, & consuluisse suis sectatoribus eam vitæ rationem, quæ est vtilior, & perfectior, suo autem exemplo docuit habere omnia in communi, omnium enim rerum proprietatem à se abdicauit, & idem verbo sæpe docuit apostolos suos, ergo hoc genus vitæ magis decet Remp. Christianam. Et confirmatur primo, concilia Euangelica dantur de maiori bono, dixit autem Christus Mat. 19. illi iuueni perfectionem desideranti, [si vis esse perfectus vade, & vende omnia quæ habes.] idest abdica à te omnem proprietatē. Act. 5. punitus est morte Ananias, quia partem suorum bonorum sibi retinuit nec omnia in communi collocauit, sicut alij fideles primitiuæ Ecclesiæ faciebant.

Quintò

Quintò. Respond. Christiana nullius virtutis debet esse adeo studiosa sicut charitatis, nihil enim Christus magis illis commendauit verbo, & exemplo, ad charitatem autem ac veram amicitiam, & pacem tuendam facit plurimum omnia habere in communi, nam iuxta commune dictum amicorum omnia sunt communia. Et in primitiua Ecclesia in qua charitas vigebat, & sanguis Christi, vt inquit D. Hyeronimus adhuc feruebat in cordibus fidelium, omnia erant communia: Vnde dicitur act. 2. [credentium autem cor erat vnum, & anima vna in Deo,] & subiungit quasi rationem reddens. Et nemo dicebat sibi aliquid proprium, sed erant illis omnia communia,] quæ causa mouit D. August. in. & alios sanctos Patres, ad instituendas religiones in quibus omnia essent in communi, vt fideles imitantes primos illos Christianos, maioris charitatis vinculo vnirentur.

Denique multorum Sanctorum testimonijs videtur apertè condemnari rerum appropriatio: August. in tract. 6. super Ioan. Et habetur distinct. 8. can. Quo iure ait. [Inter fideles omnia debent esse communia.] Ambro. distin. 47. can. Sicut hi. [Nemo dicat proprium quod commune est.] Chrisost. in cap. 6. Luc. [A Deo percepimus omnia : quod autem dicimus meum, & tuum mendacij sunt verba.] Et oratione de S. Philogonio, tom. 3. agens de vita beata ait: [Auferentur ibi aduersa valetudo, morbi, peccandi materia, vbi non est meum, ac tuum frigidum illud verbum, & quicquid est malorum in vita nostra inuenea, innumeraque gignens bella.

In hoc art. non est quæstio de dominio naturali, quod habet vnusquisque in suas proprias actiones, & operationes, huiusmodi enim (vt ex superioribus constat) nullo tempore, fuit commune, sed omni tempore tam ante peccatum, quam deinde in statu naturæ lapsæ, & corruptæ vnusquisque est dominus suarum actionum, cum in hoc consistat libertas nostri arbitrij, vt vnusquisque moueatur ad agendum à se, & sua propria, ac libera voluntate, & non ab alio, quæ libertas in quocunque statu conuenit homini, nec fuit sublata per peccatum, quamuis deinde introducta seruitute domini habeant ius in operationes seruorū (suorum: actionum autem internarum, & immanentium, tum etiam externarum quatenus procedunt ab internis vnusquisque est iure naturali, quod nunquam sublatum, aut abrogatum est verus dominus: Sed quæstio est de rebus, quę sunt extra hominem, vt vxoribus, liberis, & bonis temporalibus. De quibus sit.

CONCLVSIO PRIMA.

In communi vxores possidere in nullo statu fuit conueniens, imo talis communio est execranda, & mala.

HAnc probat Arist. copiosè, & eruditè. 2. Politico. à capite primò, vsque ad sestum contra Socratem, & Platonem, propositis innumeris incommodis. quæ ex tali communione, & promiscua permixtione virorum, & mulierum necessariò sequerentur: quorum pręcipua hæc sunt. Primò illa communio obstaret maximè generationi filiorum, constat enim experientia, meretrices, & mulieres quę cum pluribus congrediuntur, minus, & raro concipere.

Secundò, ista communio noceret plurimum educationi filiorum; tum quia communia negligentius semper curantur, priuata autem, & propria diligentius: tum quia nullus certo sciret quis esset eius filius, compertum aūt est, parentes filios de quibus plurimum, & prudēter dubitant minus curare, vt patet in spurijs.

Tertiò, esset minor amor inter ciues, contra, quàm putabat Socrates, quia cum vnus non posset esse filius plurium virorum, nullus filius agnosceret aliquem pro vero patre nec se diligerent eo amore, quā exigit vera consanguinitas parentum, & filiorum, compertum enim est parentes parum, aut nihil diligere eos filios, de quibus hæsitant, & è conuerso.

Quartò, cum inter homines sæpe incidant contentiones, rixæ, iurgia, & cędes, accideret sæpe, propter ignorantiam, quàm hæc communio necessariò secum adduceret, vt parentes occiderent suos filios, filij inimiam inferent parentibus, & fratres fratribus, &c. Similiter ob eandem ignorantiam cum omnes viri, & mulieres promiscuè iungerentur congrederentur sępe fratres cum proprijs sororibus, & patres cum suis filiabus, quæ omnia iustām errorem turpem, & bestialem maximè ostendunt.

Quintò, iuxta istam opinionem non essent necessaria matrimonia, nec simplex fornicatio esset peccatum, hoc autem est absurdum, & apertissimus error contra ius naturæ, ergo: Quod autem sequatur ex illa opinione. Patet, nam in matrimonio licèt aliquando; Deus dispensauerit vnum virum habere plures vxores, vt multiplicata prole populus fidelis, qui tunc exiguus erat, & sola familia Abrahę cōtentus, augeretur, nunquam tamen licuit vnam vxorem esse plurium virorum, quia vno viro ducente plures, pater est certus ex vnitate genitoris, & mater per euidentiam partus, pluribus autem congredientibus ad vnam ignoraretur pater geniti, quod cum cum maximè rēpugnet rectæ educationi, propter quam etiam institutum est matrimonium efficitur repugnare omnino matrimonio, vt vna sit plurium: iuxta illam verò opinionem vnaquęque mulier haberet plurimos viros, & vnusquisque vir innumeras mulieres. Similiter cum nulla essent in tali Rep. matrimonia omnes essent soluti, & solutę, & omnes concubitus essent fornicationes simplices, & cum licerent, imò iuxta istos expedirent Reip. fornicatio simplex non esset peccatum, quæ sunt maxima absurda: cum matrimonium sit de iure naturæ, & fornicatio simplex peccatum mortale contra ius naturæ vt suis locis docent Theologi.

Et confirmantur ex illo Genes. 2. vbi Deus ius naturæ instituens: Erunt inquit, duo in carne vna. Qua vocē excluditur omnino ista communio, & promiscua mistio quasi omnino repugnans naturæ. Hæc conclu. est definita per beatos Apost. in concilio Hyerosolimitano act. 15. vbi definientes simplicem fornicationem esse peccatum mortale, simul condemnarunt istū errorem Platonicū, quo tanta facultas conceditur ad fornicādum. Est ēt condemnatus Apoc. 2. vbi dicitur Episcopo Ephes. [Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi:] inter alia verò Nicolaitarum facta, & errores hic vnus erat, vt constat ex eodem cap. paulò inferius, cum dicitur. Episcopo Pergami. [Habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel edere, & fornicari: ita habes tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.] quasi dicat vt Bālaam (sicut constat nu. 24.) docuit Regem Moab, vt mitteret ad Israelitas innumeras fœminas, vt illis promiscuè permisti Deum suum offenderent, & eius auxilio priuarentur, ita Nicolaitæ, qui apud te sunt docent promiscuam mistionem, & communionem virorum, & fœminarum, quàm doctrinam ego odi. Eundem errorem post beatos Apostolos vniuersa Ecclesia Catholica, vt turpissimam, & fœdissimam hæresim perpetuo detestata est, vt docet Diuus August. locis supra citatis in quibus huius erroris meminit: Lege D. Thom. lib. quarto de regimine principum capit. 4. vbi huncerrorem adeò turpem ostendit, vt existimet simul, Socratem, & Platonem grauissimos, & honestissimos phylosophos ac virtutis adeò studiosos non fuisse in ea sententia, vel eam referendo aliquorum opinionem retulisse, vel aliquos Platonicos impudicos, vt nomine tantorum Philosphorum suam impudicitiam tuerentur, hunc errorem illis imposuisse.

Ex his diluitur argumentum quo hic error confirmabatur, constat enim ex dictis ista communione promiscua non augeri amorem ciuium, sed minui potius, & maximis incommodis Remp. humanam repleri.

CONCLVSIO II.

Communis rerum, & bonorum possessio præter quam vxorum fuit conuenientissima in statu innocentiæ, & naturæ integræ, & sic fuisset in illo obseruata.

AD hanc & sequentem probandum est obseruandū, statum illum innocentiæ ob statū naturæ per peccatum corruptæ maximè differre, nam in illo cum appetitus esset per donum iustitiæ originalis subiectus rationi, & ratio Deo, homines sola ratione, & diuina lege ducerentur, propter quod præferrent communia proprijs, quia recta ratio & diuina lex ita exigunt. 2. ex eodem dono iustitiæ haberent, vt nullus se ipsum, & sua inordinatè diligeret, aut nimio amore sui ipsius afficeretur, sed quantum recta ratio, & lex Dei patiuntur. Ex quo sequebatur tertium, vt summo amore, & charitate se inuicem omnes diligerent, vt proximis suis non minus quàm sibi omnia bona optarent, nullaque inter ipsos aut cupiditas aut inuidia boni alieni oriretur. Modo autem post peccatum amisso illo dono iustitiæ originalis, contra omnia ista habent: nam nec rationalis volūtas legi Dei subiecta est, nec appetitus rationi, sed sensu, & appetitu communiter homines ducuntur, propter quod comparantur iumentis in sacra Scriptura. 2. maximo sui, & suarum rerum amore afficiuntur. Erat, inquit D. Aug. proprius illi statui amor Dei, vsque ad contemptum sui: huic verò misero in quo sumus amor sui vsque ad contemptum Dei] Ex quo sequitur, vt propria plus iusto diligant modò & curent homines aliena concupiscant, & sibi qua via possunt rapiant, vel saltim inuideant, communia verò parum aut nihil curent.

Obseruemus: 2. in illo statu nec indiguisse homines vestibus, iustitia originali omnium oculos pudore, & sancta simpliciate replête, nec domibus aut ædificijs, quia nulla fuisset in paradiso terrestri aeris intemperies, vel cœli iniuria: nec fuissent tunc agri arandi, seminandi, & multo labore colendi, quia terra & arbores sua sponte protulissent suas fruges, & fructus sapidissimos, solum deberent homines illos curare, ameno quodam & placido exercitio ab omni & labore, & molestia alieno, sicut nobiles qui in nemoribus & hortulis suis curandis, animi refocillandi gratia se exercent, in quo sensu inquit sacra Scriptura. [collocauit Deus hominem in paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret illum. Modò autem post peccatum indiget homo indumentis, & domicilijs, quæ propria industria, & labore paranda sunt: indigent agri cultura, arandi sunt, istigandi, seminandi, colligendi fructus, & cum maximo labore dicente domino: In sudore vultus vesceris pane tuo.]

Obseruemus tertiò cum necessarium bifariam dicatur, aliud simpliciter quod per se omnino necessarium est, aliud ex suppositione, quod non est quidem simpliciter necessarium sed supposita aliqua conditione, vt nauis necessaria est si supponamus nauigandum esse, quomodo domus non est simpliciter necessaria, est tamen suppositis iniurijs cœli: ita cum docent Catholici, diuisionem bonorum fuisse necessariam, non est intelligendum simpliciter, sed suppositis hominum cupiditate, discordia, & alijs incommodis quæ peccatum consequuta sunt.

His positis probatur tam apertè secunda conclus. Rerum diuisio nō est simpliciter necessaria, sed ad vitanda damna quæ peccatum sequuta sunt, nempè ne hominum discordia fructus deficiant, ne ob suas cupiditates, contentiones, & discordiæ circa res, & fructus inter eos oriantur, in illo autem felicissimo statu innocentiæ non esset periculum, ne fructus deficerent, terra, & arboribus sine vllo humano labore illos sponte ferentibus, nec esset vllum periculum alicuius discordiæ inter homines, cū in ipsis nulla esset cupiditas nulla inuidia, nullus inordinatus sui, & suorū amor. Ergo.

Secundò, in statu Christianorum qui sequūtur perfectionem vt religiosorum habentur omnia in communi, conuenitque hæc communitas plurimum viris perfectis, sed ille status erat, maximè perfectus & excellentior quocunque eorum, quæ modo haberi possunt, quantumuis perfecto, ergo in illo statu fuissent omnia communia: ita vt in vnaquaque re omnes haberent dominium, & vnusquisque in omnes. Et confirmatur communi consensu omnium gentium (est enim hæc vna vox omnium nationum, & gentium) in prima hominum ætate, quam vocant auream, quæ respondet statui innocentiæ, omnia fuisse omnibus communia, solo enim ductu naturæ norunt omnes gentes in statu, in quo nulla erat inter homines cupiditas, aut inuidia, sed naturalis, quædam simplicitas, & ductus rectæ rationis, commodum esse, vt omnia essent communia, & ita in illo statu aureo homines sequutos esse hanc solam rectam rationem, iuxta quam sublata simul omni cupiditate, inuidia, & discordia, maximè expediuit omnia esse communia.

CONCLVSIO III.

Rerum diuisio, & appropriatio post peccatum est licita, & honesta.

HÆc est de fide. Ita D. Aug. locis citatis, maximè lib. de hæresibus cap. 40. vbi illos hæreticos Apostolicos hoc nomine vocat hæreticos, quia contra fidem, & doctrinam Ecclesiæ, & Apostolorum damnarent rerum diuisionem, & propria ac priuata dominia, quæ fideles habent in suas res. Vide in decretis 12. q. 1. 2. 3. & 4. vbi per multa capita agitur de proprietate clericorum. Eadem conclus. est definita tanquam de fide in Concil. Palestino contra Pelagianos. Et in Concilio Constan. contra Ioannem Hus, & Ioan. Vuicleph. sess. 8. c. 13. in Conc. Trid. Sess. 25. in decr. de Regula. c. 3. contra Lutherum, qui negabat Ecclesiasticos habere dominia suorum bonorum. Vbi Concil. Trid. docet Ecclesiasticos, & quoscunque fideles etiam religiosos habere dominia propria suorum bonorum iuxta suum statum, Religiosos in communi, cæteros fideles, & clericos in particulari. Conceditque ibi omnibus ecclesijs, & monasterijs tàm virorum quàm mulierum, vt possint habere dominium in communi suarum rerum, & habere vt sua bona mobilia, & immobilia, exceptis Capucinis, & Fratribus de obseruantia S. Francisci.

Et probatur concl. Exemplo sanctorum vtriusq; testamenti. In Veteri sancti Patriarchæ Abraham, Isaac, Dauid, &c. habuerunt propria, imò a principio mundi Adam, & facultates suas diuisit inter filios, bona, possessiones, agros greges, diuitias, quorum omnium erāt veri, & priuati domini, vt patet ex sacrificijs Abelis, & Caini, quorum alter obtulit ex gregibus ouium, vt proprijs, alter verò ex fructibus terræ vt suis. In nouo condemnator quidem cupiditas diuitiarum, & insolentia diuitum non tamen diuitiæ nec dominia. Matth. erat vera domina suarum facultatum Luc. 11. & cap. 20. dixit Zachęus. Ecce dimidium bonorum meorū do &c. certè si rerum possessio esset iniqua, præcepisset Christus illi omnia relinquere, & reprehēdisset, quod possedisset, quia fuisset iniquum, nec valeret consuetudo aliqua vel præscriptio contra ius naturæ. Thabita similiter. Centurio, & qui conuertebantur non astringebantur (vt vidimus ad dimittenda propria & renunciandum suis possessionibus.

Secundò: Christus Matth. 16. Inueni quærenti quid

facto opus esset ad vitam æternam, respōdit serua man data, nihil amplius iniunxit, Deinde verò explicans quid exigitur ad perfectionem, adiecit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. vbi distinxit apertè Christus inter ea quæ exiguntur, & sufficiunt ad salutem, & ea quæ exiguntur ad perfectionem, ita vt ad perfectionem exigatur abdicatio bonorum temporalium, ad salutem verò sufficiat obseruatio mandatorum, nec desideretur bonorum abdicatio.

CONCLVSIO IIII.

Non solum licita, sed maximè conueniens, & necessaria fuit in statu naturæ lapsæ rerum diuisio & appropriatio.

PRobatur primò, post peccatum quando iam terra non sua sponte offert fructus, & homo pluribus indiget, necessario agri sunt colendi, & proprio labore paranda domicilia, & tegumenta, male autem, & segniter colerentur agri, & curarentur alia necessaria, si res manerent in communi, cum communia in hoc hominum statu parum curentur, ipsa experientia teste. Ergo non solum expediuit, verum etiam maxime oportuit, vt res diuiderentur, & appropriarentur, vt suam vnoquoq; curante, nec deficiant fructus, nec alia necessaria.

Secundò confirmatur argumento, quo vtitur Arist. 2. Politic. c. 2. & 3. Si omnia essent in communi, essent etiam ab omnibus curanda promiscue, quæ autem plurium curę, & ministerio committuntur promiscue, & indifferenter, male administrantur, ergo ad optimam rerum administrationem oportuit rerum dominia distribui. Maior certa est. Minor patet exemplo singularum domorum in quibus cū singulis seruis sua propria, & priuata munia distribuuntur, prestat vnusquisque quod sibi incumbit, quando autem pluribus indifferenter idem committitur, aut multa multis promiscue, & indifferenter, nullus quidquam præstat, vnoquoque in alterum onus, & laborem proijciente. [Videmus inquit Arist. multitudinem seruorum in priuata domo idem munus obeuntium sibi inuicem obstare.] Quod damnum multo magis in tota Rep. si non esset cuique appropriatum quod curet reperiretur.

Tertio facta rerum diuisione nouit vnusquisq; quid suum sit, quid alienum, in quam messem possit mittere falcem, in quam non, hæc cognitio tollit lites, & iurgia, vel saltim maxime iuuat ad illas tollendas, quādo autem res habentur ab aliquibus in cōmuni, frequenter oriuntur, propter cupiditatem humanam, vnoquoque volente aut totum aut quod melius est sibi vendicare. Ergo ad pacatum Reip. statum melius fuit, & vtilius res diuidi. Consequentia nota est. Prior pars antecedentis constat experientia, nam hæc est radix omnium litium, varios contemnere de eadem re ex ignoratione cuius illa priuatim, & propria sit, ad quā ignorantiam tollendam adducuntur testes, instrumēta &c. & cum primum id deprehenditur cessat omnis lis, & controuersia. Posteriorem vero partem eiusdem antecedentis ostendunt omnes historiæ, cum Romulus, & Remus in communi Romam possiderent, alter alterum occidit, vt totam retineret sibi, quem non occidisset, si habuissent possessiones, & dominia diuisa. Genes. 13. fuit orta contentio inter pastores Loth, & Abraham, quia in communi habebant herbas, aquas & montes, in quibus pascebantur eorum greges, quod cū intellexisset Abraham dixit ad Loth. [Ne quæso sit iurgium inter me, & te, inter pastores tuos, & meos, fratres enim sumus: Ecce vniuersa terra coram te est, si ad sinistram ieris ego ad dexteram declinabo. &c.] Quo testimonio apertè constat ad pacem, & tranquillitatem Reip. maximè expedite possessiones, & diuitias esse distinctas, & cuique assignatum suum, &c.

Quartò in Rep. necesse est reperiri diuersos hominū ordines, qui gubernent, qui custodiant illam, qui colāt agros, & ministrent alia necessaria, vnde ipsemet Socrates constituebat hos tres status, agricolarum, & opificum vnum, alium militum, & custodum murorū tertium iuris prudentum, & gubernatorum: si omnia essent in communi tempore pacis omnes fugerent statū agricolarum, & artificum, ad vitandos labores, velletque, connumerari in militibus vel iuris prudentibus: tempore belli, & obsidionis, omnes fugerent statum militum, eligerentque alios, imò omnes ad munera publica vt honorifica inhiarent: ita esset Respub. perturbationibus plena, & nil quisque rectè in suo munere exequeretur. Dices gubernatores compellerent cæteros ad sua munera, dico minime id posse, nam cum omnia essent in communi, agricolæ tempore pacis conquærerentur cur non omnes laborarent, & resisterent vi, & manu volentibus fructus ab ipsis elaboratos capere: Milites tempore belli conquererentur cur non omnes intenderent custodiæ ciuitatis, clamores hos tantæ multitudinis nullus gubernator valeret componere. Modò verò cessant omnia ista incommoda, quia agricolæ & artifices exercent suas operas, expectantes fructus earum, vt suos, & sibi vtiles: milites expectantes sua stipendia vt sibi propria, gubernatores vt honorem, & vtilitatem ex suis muneribus reportantes, accipiuntq; alij ab alijs pacificè, & amicè ea quibus indigent mutuis commutationibus vel pecunijs.

Quintò Pertinet maximè ad Reipub. conseruationem, vt ciuitates incolantur, & regna sint distincta, & à suis habitentur, sublata rerum diuisione, & appropriatione, parum curarent homines hic aut illic permanere, experientia enim teste, nulla re magis homines diutius in eodem loco permanere suadentur, quā quod ibi suas habeant possessiones, & bona: propter quod Deus in Veteri Testamento iussit matrimonia inter cognatos fieri, ne confunderentur hæreditates, vt illis permanentibus sub dominio eiusdem tribus, in eodem loco, & parte quam cęperant incolere permanerent.

Sextò, Delinquentes libetius male agerent, cum nō haberent quid amitterent, nec posset iudex illos in bonis punire, qua via magis quam timore mortis, multos à malis detineri, experientia teste certissimum est.

Denique, & est argumentum Aristot. loco citato: Sicut sublata vxorum proprietate, & priuatis matrimonijs tolleretur virtus temperantiæ & castitatis, quæ maxime versatur in abstinendo ab alieno thoro, ita sublata rerum diuisione, & proprietate, perirent omnino liberalitas, hospitalitas, & cæterę omnes virtutes pertinentes ad humanitatem, quæ sunt maxima ornamenta Reip. bene institutæ. Patet consequentia, nemo enim haberet quod alijs largiretur, cum sint huiusmodi opera exercenda ex proprijs iuxta illud: [Honora Deum, & da pauperi de tua substantia, &c.

Fauet apertissimè huic doctrinæ Sacra Scriptura, quæ volūtati diuinæ tribuit, quod alij diuites, alij pauperes sint, Prouerb. 3. [Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est dominus. Prou. 10. Benedictio domini diuites facit. &c. Eccl. 13. Bona est substantia cui non est peccatum. &c. Et cap. 5. Homini dedit Deus diuitias atque substantiam, potestatemque vt comedat ex eis, & vt fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Et cap. 31. Beatus Deus qui inuentus est sine macula] Sāctus Iob bona, & possessiones suas dona Dei vocauit, at si rerum diuisio & dominia iniqua essent, diuitiæ nec vocarentur dona Dei, nec ipsius tribuerentur voluntati, & largitati.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum multæ afferuntur solutiones. Quidam respondent, illud axioma iure naturæ omnia esse communia, intelligendum esse in extrema necessitate, & inter amicos, aliter

non esse à iure naturæ, vt omnia sint communia. Sed hæc explicatio non est optima, loquitur enim aperte istud axioma de prima illa rerum communitate ante omnem diuisionem, vt patet ex Isidoro loco citato. Et dist. 8. can. Differt. Tum etiam, licet vera amicitia exigat, vt sibi inuicem amici faueant cum indigent, quæ autem vnus amicus possidet non sunt alterius, nec sunt inter amicos dominia cõmunia, sed distincta. Scotus in 4. distinct. 15. q. 2. concedit illud axioma, & fuisse legem naturæ ante peccatum: deinde verò post peccatum fuisse legem illam abrogatam vel reuocatam. Sed neque ita bene respondetur, primo, quia lex naturæ est immutabilis, & inuariabilis omnino, vt supra docuimus cum Isidoro, distinct. 6. can. Non est peccatum. 2. si lex naturæ præcipiebat res in communi possideri aut id tantum præcipiebat durante statu innocentiæ, aut absolute, & oĩno in quouis statu: si dixeris prius, lex illa naturæ non est reuocata, sed tantum est mutatus status hominum, sicut præceptũ ieiunij impositũ sano nõ reuocatur quia effectus infirmus non teneatur ad illud, sed mutatur ipse homo, & pręceptum durat, & ita restitutus sanitati tenetur ieiunare, ad quod non teneretur si esset reuocatũ. Si dixeris secundum manebit, illud nunc quoque, & ita rerum diuisio, & appropriatio erit iniqua: quod est hæreticum. Propter hoc argumentum respondent alij quos sequuntur Conra. de contract. Trac. q. 5. Alexander Alensis 3. p. q. 27. membr. 4. art. 1. illud axioma fuisse præceptũ naturæ pro statu innocentiæ, & ad illud tantum pertinere. Et ita modo in statu naturæ corruptæ nullo iure naturæ prohiberi rerum diuisionem imò conuenire. Sed neque hęc solutio satisfacit. Primò, quia neq; in illo statu prohibitum fuisset hominibus aliqua priuatim possidere in quibus se exercerent. Secundò, quia omnes Doctores istud axioma simpliciter proponunt, non intelligentes nomine naturæ statum inocentiæ, sed ius ipsum naturæ in communi.

Vnde ad solutionem obseruemus primò ex D. Tho. infra q. 66. art. 2. quod etiã docent Conradus & Alensis: naturam circa mores humanos quædam præcipere, vel prohibere districtè, vt venerandos parentes, non furandum: alia verò neque præcipere, neque prohibere, sed indifferenter relinquere, vt in eis obseruent homines, quod iuxta dictamen rectæ rationis viderint magis expedire: quo modo dicitur matrimonium de iure naturæ, quia illud non præcipit districtè, nam ita non liceret continere omnino, neque illud prohibet, sed indifferenter proponit, vt an hominibus obseruetur sicut viderint expedire: ita dicunt communiter Doctores. Dupliciter aliquid esse de iure naturæ, vel positiuè quia illud directè ius naturæ pręcipit, vel prohibet, aut negatiuè, quando circa illud ius naturæ nihil præcipit, aut prohibet, sed reliquit illud hominum prudentiæ, permittens illis, quod pro loco & tempore viderint magis conuenire.

Obseruemus secundò, aliud esse quærere, vtrũ vsus rerum sit à natura communis, & aliud quærere, vtrum dominium earum sit iure naturæ commune. His positis dico duo cum D. Tho. loco citato. Primò, iure naturæ vsum rerum esse omnibus communem in extrema necessitate, quia sicut iure & præcepto naturali tenetur vnusquisque fratri extremè indigenti fauere, & qui extremè indiget iure naturę potest vitam suam tueri, eodem iure vsus eorum, quæ huic indigentiæ necessaria sunt est communis, debetque secundum leges charitatis, & liberalitatis naturalis in extrema necessitate vsus omnium rerum, omnibus illis indigentibus sine discrimine concedi. Dico secundò, quantum ad dominium & proprietatem omnia esse communia iure naturæ, non quidem positiuè, sed negatiuè, quod est dicere, naturam omnes res & earum dominia omnibus hominibus indifferenter concessisse, quia nulli priuatim tribuit ipsa hanc rem, vel illam. Cæterum sicut ipsa nihil diuisit, neque priuatim tribuit, ita nec prohibuit, quo minus si quando expediret, diuiderentur, sed reliquit in facultate & arbitrio hominum, vt iuxta dictamen rectæ rationis pro diuersitate gentiũ, nationum, temporum, & institutorum, in illarum possessione commodiorem rationem sequerentur.

Vnde ad argumentum quod repugnat iuri naturæ est iniquum, at iure naturę omnia sunt communia, concessa maiori, distinguo minorem, iure naturæ sunt omnia communia, non positiuè, quasi talis lex, aut præcęptum sit à natura positum, sed negatiuè, quia natura omnia omnibus proposuit, nihil cuiquam priuatim tribuens, sed vna cum hoc non prohibuit rerum diuisionem & appropriationem.

Ad secundum, Glossa in illud caput, Dilectissimis interpretatur verbum D. Clementis [per iniquitatem,] id est, per iniquam consuetudinem iure gentium introductam, æquitati naturali contrariam: Sed hæc Glossa falsa est & stulta. Etenim si ius gentium quo diuisio facta est repugnaret iuri naturæ, non esset ius, sed iniquitas & peruersio iuris, nec redderet homines tutos in his, quæ possident, cum tamen tuti sint omnium consensu. Idcirco dico ibi D. Clemẽtem agerę de vsu bonorum, non de dominio & proprietate, qui vsus, cum necessitas exigit, debet esse communis, quod necessitatę exigẽtes diues nolit esse communem, sed dicat id quod pauper indiget suum, per iniquitatem & auaritiam suã id dicit. Vel dico, si concedamus illum loqui de dominio, per iniquitatem intelligere peccatum originale, quod vocat à Dauide Psal. 50. iniquitas: [Ecce enim in iniquitate, cõceptus sum.] Loquitur ergo causaliter (vt dicunt) & fundamentaliter, per iniquitatem, id est, per peccatum primorum parentum, & ratione naturæ nostræ corruptæ rerum dominia esse diuisa: quod fatamur, sicut enim docuimus, in statu innocentię, & quando nullum fuisset peccatum, nec cupiditas, vel discordia hominum non fuisset necessaria ista diuisio.

Ad tertium respondeo, Christum ibi non agere de actuali, ac reali abdicatione bonorum, hanc enim non exigit (vt vidimus) nisi in eo qui vult perfectus esse, sicut dixit illi iuueni, Matt. 19. sed loqui de animo & affectu. Debet enim Christianus illis renuntiare quo ad effectum, ita vt illa non diligat nec cõcupiscat amore nimio, sed ordinato, ac vt media ad bona spiritualia, sitque paratus omnia relinquere, & contemnere quotiescunque salus animæ suæ ita postulauerit sicut Matthę. 13. vult relinqui parentes quo ad effectum & nimium amorem. Nec desunt qui dicant, Christum ibi agere de Euangelica perfectione, quam qui suscipit, debet omnibus renuntiare.

Ad quartum diluendum obseruemus primò, aliqua esse secundũ se & simpliciter meliora, quæ tamen comparata ad aliqua subiecta sunt deteriora, verbi gratia esse spirituale simpliciter melius est, homini autem melius est spiritu & corpore constare: vacare contemplationi secundum se melius est, in parte autem familias & prælato eo tempore quo oportet vt suis prouideant, & illorum curæ inuigilent, deterius esset.

Obseruemus secundò quędam esse, quę erga paucos sunt optima & præstantissima, toti autem generi humano essent nociua & perniciosa: Vt vita contemplatiua cœlibatus in paucis optima sunt, & excellentia, vniuersos autem homines velle contemplationi & cœlibatui vacare, esset perniciosum Reip. humanæ, quæ ad sui conseruationem indiget omnino matrimonijs & exercitijs vitæ actiuæ.

Ex his colligo tria: primò absolutę & simpliciter loquendo, melius esse possidere res in communi quàm in particulari, ideo in statu innocentiæ, & in collegio Christi possidebantur in communi. 2. paucis hominibus & religiosis & his qui volunt Deo vacare melius esse in cõi viuere, quam alio modo vt docuit Christus suo exemplo, cum collegium ipsius fuerit norma religiosorum

gioforum

ginforum & perfectorum. 3. vniuerso generi humano, & toti hominum multitudini, ad vitanda innumera incommoda quæ sequerentur, si post peccatum res nõ sent in communi, melius esse, vt diuisa sint earum dominia & proprietates.

Ex his dico ad argumentum, Christum consuluisse suis eam vitæ rationem, quæ vtilior est & perfectior, non tamen præcepisse. Etenim vt aliqua res sit in concilio, satis est, vt secundum se sit melior, & nonnullis magis expediat, quamuis non expediret omnibus, in præcepto autem tantum sunt, quę omnibus expediunt & sunt necessaria: vt patet de cœlibatu & virginitate, quæ sunt in concilio, non tamen in præcepto. 1. Corin. 7. [De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do. & Christus Matth. 19 Qui potest capere capiat.] Et ita consuluit rerum abdicationem suoque exemplo illam docuit, vt rem secundum se meliorem & perfectiorem, his qui volunt perfectionem aggredi, non tamen præcepit omnibus, quia omnibus non ita expedit, imò potius oppositum vt constat.

Ad confirmationem illam ex punitione Ananię: Medina codice de restitutione. q. 1. ait: fortè illos qui initio Ecclesiæ cõuertebantur ad fidem, emittere votum viuendi in communi, & offerendi omnia bona sua in communi, quia tunc ita expediret cum pauci tunc essent fideles, quod tamen crescente deinde Ecclesia in maximum numerum non expedirit, imò fuisset nocivum: & cum Ananias fuerit exprimis illis conuersis ad fidem, tanquam trãsgressorem illius voti punitum esse à B. Petro: Sed hæc solutio stare non potest, si consulamus textum, sic enim dixit Petrus Ananiæ: [Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? cur ergo mentiri voluisti Spiritui sancto?] Vbi duo apertè innuit B. Petrus, primum fuisse liberum Ananiæ, & ijs qui conuertebantur retinere apud se proprios agros & hæreditates, similiter liberum fuisse eorum, quæ venderent sua sponte, precia retinere si vellent, aut deferre ad Apostolos & in communi constituere. Secundò Ananiam in eo deliquisse, quod dixerit se totum precium offerre Apostolis, cum medietatem tantum offerret, reliquum apud se secretò retinens, in quo mentiens Petro, mentiebatur simul Spiritu sancto cuius vices Petrus gerebat. Vnde non erat in primitiua Ecclesia votum quod suspicatur Medicina, nec ob illius transgressionem punitus est Ananias, sed quia voluit decipere suum Prælatum in quo mentiebatur Spiritui sancto.

Ad quintum respondeo, inter paucos vt religiosos iuuare multum ad maiorem amorem habere omnia in communi, toti autem Reip. natura adeò corrupta, & cupiditate plena id non expedire, sed melius conseruari omnes in pace rebus diuisis, vt ex dictis constat. Dico præterea, oriri quidem lites inter fideles propter meum & tuum, non quia bona diuisa sunt, & appropriata, sed quia culpa hominum multoties ista dominia perturbantur, nec certo dignoscitur quid cuiusque sit, quod primum depræhenditur cessat omnis, lis, essent autem multò plures, & maiores lites, si res non essent diuisæ, & in quibus nunquam ferè finis potuisset imponi.

Ad testimonia Sanctorum: Ad illud D. Aug. & Ambro. respondeo, illos (vt ex decursu orationis liquet) loqui quando pauperes indigent, tunc enim omnia debent esse communia, tenenturq; diuites illi facere sua bona per eleemosynam communia, quantum indigēt. Ad primum locum Chrisostomi dico, docere ibi diuites, ne sibi, & suis industrijs abundantiam suorum bonorum tribuat, sed diuinæ largitati, sicut faciebat sanctus Iob qui magnam suarum facultatum copiam Deo non sibi, nec suis laboribus tribuebat, dicens Dominus dedit &c. Ad secundum locum eiusdem Chrisostomi respondeo, illa verba, meum, & tuum, & hominum culpa mille mala, & lites inducere, sed nihilominus vt ex dictis constat necessaria esse, quia maiora, & plura sequerentur, si res post peccatum mansissent in communi, & indiuisæ.

ARTICVLVS II.

Quo iure facta sit rerum diuisio, & appropriatio.

Caie. inf. q. 66. art. 2. ad primum sentit diuisionem rerum in communi & vniuersali. i. res esse diuidendas, hoc esse à iure gentiũ, quia recta ratio docuit, omnes gentes ad vitanda omnia illi incommoda, de quibus art. præcedenti, oportere res diuidi: diuisionem autem rerum in particulari. i. quod hæc possessio sit huius, illa illius, id non esse à iure gentium, sed factum esse lege Ciuili, & Imperatoria. Colligit hoc ex doctrina D. Thom. quia D. Tho. loco citato ait, diuisionē rerum pertinere ad ius positiuũ Ciuile: q. aũt 57. dixerat esse de iure gentiũ, quæ inquit Caiet. pugnant: concilianturautem ita vt voluerit significare D. Thom. diuisione in generali, i. quod res diuidantur, esse de iure gentium, appropriationem autem in particulari esse de iure ciuili. Confirmatur hæc doctrina ex D. Aug. qui can. Quo iure dist. 8. ait: Quo iure defendis villas Ecclesiæ diuino an humano, diuinum ius inquit in Scripturis habemus humanum legibus Regum. Vnde quisque possidet quod possidet? nonne iure humano? nam iure diuino Domini est terra &c. Et infra iure humano dicitur hæc villa est mea, hic seruus est meus, mea est hæc domus.

Soto lib. 4. de iust. q. 3. art. 1. vult diuisionem rerum in communi esse à iure gentium, appropriationem verò in particulari esse quidem aliquam à iure gentium, aliquam verò à iure ciuili. Ratio eius est: quia negari non potest, quin statim post peccatum in primis mũdi initijs, antequam essent in orbe aliquæ gentes, nationes, vel Principes qui constituerent leges ciuiles, primi isti homines solo ductu rectæ rationis, & iure gentium, res inter se ad pacificè viuendum diuiserint, nulla interueniente lege ciuili, Gen. 4. primi illi duo fratres Abel, & Cain, quo tempore nulla adhuc erat lex ciuilis, habuerant bona diuisa, cum alter esset agricola, & obtulerit de fructibus terræ vt bonis suis, Alter pastor ouium, obtuleritque de gregibus suis vt de proprijs bonis, cum oblatio debeat fieri ex proprijs iuxta illud [Honora Deum de tua substantia, &c. Certum etiam est, quamplurimas res esse, in particulari addictas, & tributas aliquibus certis personis lege imperatoria, & ciuili, & donationibus Regum, & Principum. Vnde sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Quædam dominia sunt iure naturali diuisa & appropriata quibusdam hominibus.

Patet hæc exemplis: Dominium quod habet vnusquisque in suas proprias actiones, & operationes, dominium quod habet in suum honorem & famam, dominium paternum quod habent parentes in filios, dominium quod habet vir in vxorem, & familiam, hęc sunt diuisa iure naturali: sicut enim iure naturali vnusquisque habet ista dominia, ita quoque simili iure naturali sunt cuique appropriata. Et confirmatur, quia in statu innocentiæ, in quo ius tantum naturale cum lege Dei vigeret haberent etiam homines ista dominia inter se distincta, vt docet D. Thom. 1. p. q. 69. art. vlt.

CON-

CONCLVSIO SECVNDA.

Diuisio, & appropriatio rerum in generali, id est quod res sint diuidenda, non est facta iure diuino, nec naturali, nec ciuili.

PRobatur prior pars testimonio apertissimo Diuus Aug. in illo can. Quo iure: Et est argumentum, Ius diuinum habemus in sacris Scripturis, aut colligitur ex illis, vel vt tale docetur ab Ecclesia, sed in nullo loco Sacræ Scripturæ legimus Deum præcepisse hominibus vt res inter se diuidant, nec est locus ex quo tale colligatur, nec tale vnquam proposuit Ecclesia tanquam de iure diuino: imò Si Sacram Scripturam consulas, omnia refert in communi, & indifferenter esse à Deo tradita hominibus, Ecce dedi vobis omnem herbam &c. Gen. 1. Similiter post diluuium, Gen. 9. Omnia Deus in communi tradidit Noë, & filijs eius. Vnde Psal 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. Probatur secunda pars conclus. de iure naturali a Scoto, in 4. dist. 12. hoc argumento: Natura non potest inclinare ad opposita, sed natura in statu innocentiæ inclinabat ad habenda omnia in communi; Ergo non potest deinde inclinare ad ea diuidenda, & appropriandacum hęc sint opposita. Sed hæc ratio non est accommodata, quia naturam inclinare ad diuersa in diuersis statibus, non est inclinare ad opposita, recta enim ratio non potest inclinare ad opposita, inclinat tamen in vno tempore ad comedendum, in alio ad ieiunandum, quia ita illa exigit in illis temporibus. Ita quoque expediebat in statu innocentiæ habere omnia in communi, & tunc ad id inclinabat natura, expedit modo esse diuisa, & ad id quoq; inclinat modo nulla mutatione existente in ipsa, sed mutatis tantum statibus.

Sic ergo probatur illa pars. Si diuisio rerum esset à iure naturæ, cum ius naturæ sit idem semper sibi simile, & omnino inuariabile, in omni statu oportuisset res diuidi, in statu autem innocentiæ non fuisset talis diuisio. Ergo, secundò, si ista diuisio esset à iure naturæ, non essent iure naturę omnia communia, quod est contra illud commune dictum, & axioma, omnium Philosophorum, Theologorum, & Canonistarum iure naturæ omnia esse communia. Tertiò, si ista diuisio esset à iure naturæ, esset contra ius naturæ, vita eorum qui habent omnia in communi vt religiosorum, quod est hæreticum. Quartò gratia, & Euangelium non destruūt naturam, est autem concilium Euangelicum pertinēs ad perfectos, & via ad maiorem gratiam non habere aliquid proprium sed omnia, in cōmuni, ergo res esse diuisas & his vel illis appropriatas non est de iure naturæ. Denique ius naturale nulla indiget ratiocinatione, & discursu, sed scriptum est in cordibus nostris, aut sequitur necessariò & euidenter ex primis principijs naturalibus, vt inire matrimonia, quod nbi non vis, non occides, &c. Sunt enim vel principia naturæ, vel ex illis necessariò illata: at diuisionem rerum fieri non est principium naturæ, nec sequitur ex principijs naturæ demonstratiuæ, sed secundum quandam congruentiam, ita colligendo: Agri colendi sunt, commodius autem colentur si diuidantur & appropriertur, quàm si maneant in communi, ergo diuidantur, vnde hæc diuisio non est à iure naturæ.

Tertia pars de iure ciuili, patet ex dictis contra Caiet. Nam ante omne ius ciuile Cain & Abel, habuerūt bona diuisa, filij quoque Noe Gen. 11. indicarunt expedire vt prouincias mundi inter se diuiderent. Gen. 13. Loth & Abraham ad tuendam pacem sine vlla lege ciuili solo ductu rectæ rationis iudicarunt similiter oportere terras inter ipsos diuidi.

CONCLVSIO TERTIA quæ sequitur apertè ex præcedenti.

Diuisio rerum in generali, idest, quòd res diuiderentur, est à iure gentium.

PAtet à sufficienti diuisione, nam si non à iure diuino, neque à naturali, neque à ciuili, necessariò debet esse à iure gentium, cum non sint alia iura præter hæc. Et confirmatur ius gentium naturale & ciuile ex superioribus. q. 57. ita differunt, vt ius naturale nulla indigeat ratiocinatione aut discursu ex congruentia aliqua petito, sed est impressum cordibus hominum: ius ciuile constituitur à Principe vel à Repub. proceribus ipsius in vnum conuenientibus, ius autem gentium neq; est impressum cordibus vt naturale, sed ex his quæ natura & recta ratio dictant ratiocinādo & discurrendo colligitur, vt maximè congruens, & expediens, neq; constituitur à Principe aliquo vel Reip. cōuentu, sed sine vlla aut Principis auctoritate, aut conuentu hominū in vnum locum ad illud statuendū conuenientium, omnes gentes & nationes in illud cōuenerunt recta ratione illud omnibus suadente: sed res diuidendas esse non impressit natura hominū in mentibus, neque in communi aliquo omnium hominū conuentu ita statutū est, sed statim post peccatū in primis mundi initijs omnibus ita iudicantibus vt paci & vitę humanæ maximè congruens, ergo neque à iure naturali est, neque à ciuili rerum diuisio sed à iure gentiū.

CONCLVSIO IIII.

Diuisio rerum in particulari & earum appropriatio, idest, quod hæc prouincia sit huius gentis, hic ager illius hominis, hoc fundum alterius, factum est partim iure gentium, partim iure ciuili & imperatorio.

PAtet vtraque pars ex historijs sacris & humanis: Prior quia statim post peccatum initio mundi, vt diximus ante omne ius ciuile hominibus in id tacitè consentientibus quidam illas terras, alijs alias occuparunt, & earum dominia & possessionem sibi vendicarunt, prima eorum occupatione. Docebat enim ipsa hoc recta ratio, cū res diuidendæ essent & appropriandæ, vt res quę sub nullius esset dominio primo occupanti concederetur, nullusque postea illam sibi vendicare tentaret, tanquam rem verum ac legitimum dominum iam habentem. Vnde dicitur Insti. de rer. diuis. §. Ferè. quod antea nullius fuit id naturali ratione prę occupanti conceditur: Simile habetur. ff. de iust. & iur. l. Ex hoc iure: Vocat autem ibi textus naturalem rationem ius gentium, quia illud per dictamen rectæ rationis & ex principijs naturalibus colligitur maximè congruere. Altera pars manifestissima est, multa enim pluribus sunt adiudicata legibus Principum & regnorum: multæ Resp. in publicis conuentibus Principem sibi constituerunt, & illi totius prouinciæ dominium tradiderunt: Principum etiam & regnorum legibus multi multa possident, vt habetur. ff. de constitutionibus l. Quod principi.

VLTIMA CONCLVSIO.

Facta rerum diuisione multa adhuc manent indiuisa & in communi, vt locus, ciuitas, itinera fontes flumina, elementa, littora, pisces, aues, feræ, portus, & similia.

NAm ius gentium idest communis hominum consensus hæc sub nullius priuato dominio constituit, imò omnes conueniunt in eo, vt his quicunque indifferenter vtatur, & liberæ communesque sint omnibus piscatio, venatio, & similia: quamuis Respub. & Principes hæc aliquando prohibeant, vel alicui priuato concedant, vel in bonum ipsiusmet Reipub. vel ad tollendas lites, vel ob aliam iustam causam, quæ si nulla existat tyrannide tales prohibitiones & interdicta ponuntur. Probatur hæc vltima cōclusio. Quia rerum diuisio duplici causa facta est, ad tollendas lites, & vt agri

agri melius colantur: at piscatio, venatio, itinera, fontes, &c. rarissimè possunt esse causa litium, nec indigēt hominum cultura, cum terra & mare, ac natura ipsa sua sponte ista producant.

Nunc ad argumenta Caiet. Ad primum ex dictis D. Thom. respondeo. Apud D. Tho. & alios auctores, ius gentium cū sit medium inter naturale, & positiuum, esse vtrique quadam ratione simile, & vtriusque naturam induere, & nomen sortiri, aliquando vocatur naturale, quia naturalis ratio illud insinuat, vt congruens & expediens, sicut vidimus modò Institut. de rerum diuis. §. Ferè: Aliquando verò vocatur humanum & positiuum, quia sicut ius positiuum est ex hominum condicto, ita & ius gentium est ex hominum condicto, omnibus gentibus in illud consentientibus: Vnde non repugnat, D. Tho. asserere in vno loco diuisionem gentium esse de iure gentium, & asserere in alio pertinere ad ius positiuum, quia tunc non intelligit per ius positiuum ius ciuile, sed idem ius gentium, quod etiam vocatur ab ipso positiuum, maximè cum in via D. Tho. vt vidimus q. 57. art. 3. ius gentium non sit species iuris naturalis, sed positiui.

Ad textum D. Aug. in can. Quo iure: dico rectè ibi asserere D. Aug. villas Ecclesiæ esse de iure humano imperatorio, nam Ecclesiæ ex se nihil temporale habent, sed ea quæ ab imperatoribus & alijs fidelibus eorum donationibus, ipsis tributa sunt. Vnde ille canon loquitur priuatim de dominijs Ecclesiæ, non autem de vniuersali rerum diuisione, & priuatis hominum dominijs.

Præter hęc offerunt se contra dicta in secunda conclu. hæc argumenta. Primum est. Id sine quo pacificus hominum status constare non potest, ratio naturalis dictat faciendum, & per consequens est à iure naturę, sed ratio naturalis dictat sine rerum diuisione pacem constare non posse: Ergo diuisio ista est à iure naturæ. Et confirmatur, quia Arist. sequutus solum lumen naturæ, in secundo Polyt. docet istam diuisionem.

Secundò lex naturalis est, vt quæ nullius sunt primo occupanti concedantur, sed prima rerum diuisio facta est per huiusmodi præoccupationem ergo à lege naturalis est.

Tertiò, videtur esse facta iure diuino: Nam terra promissionis lege diuina positiua tradita est populo Israelis, eodem iure & lege, decima pars fructuum data est Leuitis: & regnū Israelis Dauidi & filijs ipsius.

Ad primum respondeo, de iure naturali posse nos loqui dupliciter, vno modo strictè & propriè, pro eo quod per se est à natura, & est impressum cordibus hominum: quomodo rerum diuisio non est à iure naturali: Secundò modo dicitur etiam quodammodo à iure naturæ, quod homines colligunt ratione naturali, circa media in ordine ad aliquem finem, & quod ita colligunt est ius gentium propriè, non tamen naturale, licèt illi maxime simile, & affine, & hoc modo diuisio potest aliquo modo dici de iure naturali, propriè autem est de iure gentium, & non naturali. In illa autem secunda cōclusione, quando negamus diuisionem rerum esse de iure naturali, sumimus ius naturalè propriè, & iustè. Dico secundo cum Conrado tracta. 1. q. 9. diuisionem indicatiuè esse de iure naturali, quia ratio naturalis indicauit illam expedire hominibus. Executiuè autem esse à iure gentium, & humano, quia hominum consensu facta est: Et ita patet etiam solutio ad confirmationem, ex testimonio Aristo.

Ad secundum respondeo cū eodem Conrado vsum rei à nullo occupatę esse primò occupā. is iure naturæ, dominium autem, & appropriationem iure, & consensu gentium.

Ad vltimum respondet Conradus ius diuinum nunquam diuisisse dominia personalia, id est nunquam addixisse alicui personæ priuatę hác vel illam rem, sed tantum tribuisse dominia communia, totum regnum toti genti tradens. Sed hęc solutio constare non potest, cum Abrahæ dixerit Deus: [Tibi, & semini tuo dabo terram hanc,] Vbi data fuit illi priuato, & filijs eius, vt heredib., sicut modo quæ dat Rex alicui priuato transeunt deinde in hæredes. Dauidi similiter priuatim tradidit regnum, & post ipsum filijs eius. Et in lib. Iosuę certis personis addictæ sunt diuino oraculo certæ aliquę, & proprię possessiones ob egregia ipsorum facta: Vnde dico conclusionem illam secundam, qua negamus diuisionem rerum esse à iure diuino intelligendam esse in vniuersum, id est, vniuersum, orbem, & bona eius diuidi, & appropriari, non esse à iure diuino, cui non repugnat aliqua particularis diuino nutu esse aliquibus tributa.

ARTICVLVS III.

An Imperator sit dominus totius orbis, & rerum omnium quæ in ipso sunt.

IN hac etiam parte varij sunt Doctores. Host. tit. de præscrip. §. quæ autem vult Imperatorem, & cęteros Principes non solum esse dominos suorum subditorum iurisdictione, verum etiam dominio proprietario omnium bonorum, quæ à subditis possidentur. Ostenduntque ex l. Bene à Zenone. Cod. de quadri. præs. vbi dicitur: [Omnia sunt Principis, [Et ex Authen. Vt de cætero, colla. 5. vbi dicitur: [posse Imperium aliquando aliquid accipere venerabilium domum dum voluerit. [Sed hæc opinio reijcitur à cęteris iurisperitis.

Ioan. And. Bald. in l. Cunctos populos. C. de Sum. Trin. &c. Bart. l. Hostes. ff. de capti. postliminio reuer. Et omnes Itali fatentur, Imperatorem carere ista proprietate, & dominio bonorum, & possessionum suorum subditorum, quam illi tribuit Hostien. quo ad iurisdictionem tamen & dominium gubernantiuum, volunt Imperatorem tori orbi imperare, & vniuersa Regna mundi illi esse subiecta. Cui sententiæ ita adhærent, vt Bart. loco citato existimet hæresim forsan esse id negare, cum ex illo Luc. 2. [Exijt ædictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. [Videatur apertè colligi, vniuersum orbem Augusto fuisse subiectum, cui in eadem iurisdictione, & imperio negandum non est, Imperatores succedere. Et initio sui tracta. in Extrauag. Ad reprimendum idem repetit velut de fide.

Probatur horum sententia: Primò ex cap. Solitæ, de Maior. & obed. in hoc mundo duo sunt luminaria magna, Papa, & Imperator, vbi sicut Papæ tribuuntur spiritualia, ita, & Imperatori temporalia, habet autem Papa spiritualem potestatem in totū orbem, & omnia Regna mundi, ergo similiter Imperator temporalem.

Secundò, ex D. Hiero. 7. q. 1. Can. in apibus: [Sicut in apib. vnus est Princeps, & inter grues vna est dux, ita & inter homines vnus est Imperator omniū Princeps.

Tertiò, in lege, Deprecatio. ff. ad legem Rhodiam de iactu. ait Antoninus: [Ego mundi dominus.] Et in extrauag. ad reprimendum ait Henricus. 7. [In tranquillitate Roman. Imperij totius orbis regularitatem conquiescere.

Quartò, Adam, & Noe fuerunt domini totius orbis: De Adam constat Gen. 1. [Vt præsit terræ, &c. De Noe, Gen. 9. Crescite, & multiplicamini, & dominamini.] Adam autem & Noe reliquerunt successores, quales nunc nō possunt esse alij quam Imperatores, ergo,

Quintò, Deus instituit in orbe optimum, & præstantissimum gubernationis genus, Psal. 13. [Omnia in sapientia fecisti. [Optimum autem & præstantissimum gubernationis genus est Monarchicum, est ergo constituēdus in orbe vnicus Monarcha, & supremus omnium Princeps, qualis nullus alius esse potest quam Imperator.

Sextò,

Sextò, Nabuchodonosori dixit Dan. cap. 9. [Tu Rex Regum es, & dominus cœli gloriā, & imperium dedit tibi, & omnia in quibus habitāt filij hominum.] At Imperator eandem habet potestatem quam ille habuit: ille namque quatuor Monarchiæ Assiriorum, Persarum, & Medorum, Græcorum, & Romanorum in æquali potestate sibi successerunt, imò posteriores maiorem semper habuerunt quam priores: Monarchia verò, & principatus Romanorum manet quod adhuc saltem penes Imperatorem.

Denique ex D. August. 5. de ciuit. Dei cap. 12. & 15. Deus contulit Romanis totius orbis imperium quia suo modo boni erant, Et ex D. Thom. lib. 3. de regim. prin. cap. 13. Christus substituit in Augusto dominiū, quod ipse habebat in toto orbe, gerebatque Augustus in toto vniuerso vices Christi, quamuis id ipse non intelligeret, cum verò non gereret Augustus vices Christi in spiritualibus, dicendus est gessisse illas in toto orbe in temporalibus, Augusto autem succedunt Imperatores. Ergo.

Oppositum docet Victoria 1. relec. de Indis §. 24. & 25. Soto de iust. lib. 4. q. 4. artic. 2. & in 4. sententiarum dist. 25. q. 2. art. 1. estque communis inter Theologos. Ex Iuristis habet illam Faber in l. illa Cunctos populos, & communiter Iurisperiti vltramontani, quamuis idem Faber affirmet oppositam esse communem, intelligendus tamen est inter Italos, & citramōtanos.

Probatur hæc sententia varijs etiam rationibus, Primò. Potestas sæcularis, non est adeo, immediate vt spiritualis, hanc enim Deus ita instituit, vt ipsemet designaret, & eligeret sacerdotes, in quib. resideat, in veteri Testamento Aaronem, & filios eius, in nouo B. Petrum, & ipsius successores, sæcularis verò quamuis sit à Deo mediante tamen electione Reip. in popolo quidem Hebreo designauit Deus Duces vt Moysen, Iosue, Iudam, & similes, deinde Reges Saulem, Dauidem, & filios eius, ex peculiari quodam priuilegio, quia ita populus ille indigebat, at communi vsu omnium nationum, vnaquæque Respu. habet ius eligendi sibi Principem, & ipsius electione constituitur, & hoc modo intelligendum est illud Prou. 8. [Per me Reges regnant.] Vt aliqua verò Resp. Regem vel Imperatorem sibi constituat, in quem suam transferat potestatem, exigitur publicus conuentus saltim maiorum, & procerum illius Reip. qui in eam electionem consentiant, at nunquam vniuersus orbis talem habuit conuentum, neque potuit habere, si totius vniuersi ambitum respicias.

Et confirmatur, etiam si vniuersus orbis in vnum conuenire posset, aut per literas suum consensum offerre, id non expediebat, vt vnus totius mundi Princeps eligeretur. Docet Arist. 7. Poli. c. 4. Rempub. non eo meliorem esse quo maiorem, sed tantam esse debere, quantam vnus Princeps gubernare commodè potest, per se ipsum, vel suos, sicut nauis eius debet esse magnitudinis, quis à nautis gubernari commodè possit, & corpus eius quantitatis, vt ab anima commodè possit viuificari: Propter quod vnumquodque animal certum habet terminum suæ magnitudinis. Constat enim experientia, Reges qui amplissima, & distantissima Regna possident, difficillimè illa gubernare, & ipsa Regna varia pati dāna, partim quia ministris à suo Principe longè distantibus non ita obeditur, partim quia quæ priuato Regis ordine efficienda sunt, non possunt in promptu sicut oporteret habere, sed per internuntios, qui non ita celeriter possunt peruenire, sicut exigit Regni illius necessitas.

Secundò, Si vnus esset in orbe omnium dominus & monarcha, aut iure naturali esset ille introductus, aut iure diuino, aut humano ciuili, vel Pontificio. Non iure naturæ, quia natura omnes homines condidit liberos, & pares, nec ipsa aliquem alteri subiecit, neque aliud dominium ipsa constituit præter paternum, & maritale, vt docet D. Tho. 1. p. q. 92. art. 2. ad 2. & q. 96. art. 4. Et Arist. 1. Polyt. cap. 4. & seq. affirmat præter potestatem paternam, & maritalem, cæteras omnes iure humano esse introductas. Iure diuino fuerūt quidem instituti illi Duces & Reges Israelis, sed ex peculiari priuilegio huius populi vt diximus, at nullo loco Scripturæ, vel Conciliorum, aut Sanctorum Patrum constat, aliquem esse institutum à Deo totius orbis Principem, vel dominum, illud enim de Nabuchodonosore, Augusto, & Romanis explicabitur infra. Et confirmatur, quia si de iure diuino Imperator Romanus haberet dominium in totum orbem non potuisset Imperium diuidi in Orientale & Occidentale, sicut diuisum est & sapientissimè iustis de caussis à Pont.

Neque iure humano Pontificio, nam cap. per venerabilem, Qui filij sint legit. Inno. 3. definit, Reges quales sunt Reges Hispaniæ, & Galliæ, in temporalibus non habere superiorem in terris: Estque communis sententia Iuristarum patrimonium Ecclesiæ non esse subiectum Romano Imperatori.

Denique neque iure ciuili: quis tale ius aut haberet ortum ab aliqua lege ab ipsomet Imperatore lata, aut ex consensu aliorum Principum, vel totius orbis, non ex lege à se lata, quia vt lex obliget debet prius legislator habere iurisdictionem, quod si ex lege sua illam habet, antea non habebat, & consequenter nec talem legem ferre poterat. Cæteri Reges nunquam tale constituerunt, nec cōsenserunt, immò oppositum omnino, neque totus orbis, vt constat in id consensit, nec potuit in vnū conuenire ad habendū tale consensum.

Hæc secunda sentētia multò verior, & probabilior censenda est, Ad cuius maiorem intelligentiam obseruemus, naturam eo ipso quo dedit omnibus rebus appetitum conseruandi seipsas, & tuendi se à suis contrarijs: indidisse simul hominibus desiderium viuendi in communi, & aggregatim, cōstitutis ciuitatibus & Rebusp. vt sic melius habeat vnusquisque ea, quibus indiget, commodiusque possit ab alio iuuari: Et consequenter docuit eos, oportere vt aliquos sibi Principes constituerent, vel vnum, vel multos à quibus gubernentur cum non possit Respub. benè ac pacificè gubernari, quin habeat caput cui cæteri pareant. Hoc dictamine rectæ rationis electi sunt Principes vnus, vel plures: Quo fit, vt etsi aliqui vi armorum & tyrannicè regna, & Imperia sibi vsurpauerint, vt Nembroth, & similes, multi tamen electi sunt ab ipsa Repub. recta ratione, quam Deus hominum mentibus impressit ita exigente, propter quod potestas sæcularis Regum, & Principum à Deo etiam deriuatur, quia illa, ab vnaquaq; Republica instituta est, diuinitus per dictamen rectæ rationis erudita. Qua de causa, qui potestati huiusmodi cōtradicit, Dei ordinationi resistit, vt ait Pau. Rom. 13. Hac etiam ratione dicuntur illam Principes habere à Deo, vt Dan. 2. vbi dicitur Deus cœli Regnum & Imperium tradidisse Nabuchodonosori, & Christus ad Pilatum, [Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.] Et 1. Pet. 2. [Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.] Estque error vt supra vidimus, Principibus non esse obediendum, quasi omnes tyranni sint.

Obseruemus secundò, si loqui velimus de titulo, quo Imperatores modò gubernant cum discrimine loquendum esse, Imperatores enim infideles ante Christi aduentum, haud dubiè habuerunt imperium sine iusto titulo, sed sola vi armorum, cum nunquam fuerint electi à Rep. sed armis & potentatu omnes illæ monarchiæ incœperint, propagatæque fuerint & translatæ. Constat satis ex historijs, Ninum monarchiam Assyriorum, Arbacem monarchiam Medorum & Persarum, Alexandrum monarchiam Græcorū, & Iulium Cæsarem monarchiam Romanorum ita incœpisse: propter quod sicut violenter fuerunt introductæ, ita perpetuæ esse non potuerunt, sed perierunt, vt in illa visione.

sione statuæ,argenteæ,& ferreę,Dan.2.ostensum fuit. Nec valet dicere Deum permisisse, vt haberent isti Imperatores potestatem in illas nationes propter peccata earum, cum hæc permissio non sit iustus titulus, Romani enim permissi fuerunt habere potestatem sæcularem in terram Israelis ob peccata Iudæorum,nec propterea erant legitimi eorum Principes,cum diuino præcepto Deuter.17.interdictum eis esset, ne facerent Regem alienigenam:sicut eundem populum tradidit Deus sæpe ob ipsorum peccata in manus Philisthinorum,& Chaldæorum,nec propterea Philisthęi, vel Caldæi erant legitimi Reges populi Hebræi. Post aduentum Christi principes infideles, qui habent terras Christianorum occupatas tyranni sunt, nec habēt iustum titulum ad illas possidendas,cum eas solis armis & bellis iniustis acquisierint, propter quod iustè possunt à nobis debellari,ad recuperanda nostra, quæ habent ipsi iniquè vsurpata,Imperatores autem Christiani iusto titulo possident imperium, quia Respub. Rom.consensit in Augustum Cæsarem,cui Imperatores Christiani succedunt, vel saltim in Constantinum Magnum & reliquos, seguntúrque ab his qui habent legitimum ius ad illos eligendos, in primis apud Græcos,deinde verò apud Germanos,vt constat cap.venerabilem,de electio.

CONCLVSIO PRIMA contra Hostien.

Neque Imperator, neque vllus Princeps habet proprietatem bonorum suorum subditorum.

PRobatur,quicunque Princeps,si legitimus Rex sit, & non tyrannus, habet potestatem à Repub.per communem consensum,& electionem ipsius,at nulla Resp.transtulit in suum principem dominium, & proprietatem bonorum suorum ciuium, sed solam iurisdictionem, & dominium gubernatiuum, quo indiget quæuis Communitas ne sit acepala & sine Duce, neque vnquam in talem proprietatem consensit. Ergo.

Secundò, Principes electi sunt in vtilitatem Rerumpub. at habere ipsos proprietatem bonorum suorum ciuium,non est in eorum vtilitatem, sed illis maximè noxium,& contra eum finē propter quem princeps eligitur:hac si quidem via facile fieret Tyrānus, & in suum priuatum commodum omnia bona Reipu. converteret,cum contra illum facere oporteat: nō est ergo tale dominium, & proprietas veri & legitimi Principis, sed tyranni, vt videmus accidisse Turcis, quia creduntur Imperatores eorum, habere apud ipsos dominium, & proprietatem omnium bonorum suorum subditorum.

Denique qui habet dominium & proprietatem aliquorum bonorum, potest illis vti pro libito in quocunque vsus,at Principes non possunt vti bonis suorum ciuium pro libito, sed solum quatenus postulauerit bonum commune.

CONCLVSIO II.

Imperator Roman.neque de facto, vt experientia constat, neque de iure,habet dominium, & iurisdictionem in vniuerso orbe.

HÆc efficacissimè probata manet argumentis supra positis. Et confirmatur. Nullus enim ex antiquis Imperatoribus, quibus posteriores succedunt, habuit ius in Antypodas,& Indos insulares, & vniuersas orbis regiones, nullus in terrā promissionis, quam Deus solis Hebræis promiserat & concessit. Neque expediebat ad optimam orbis administrationē, vt vnus ferret leges vniuerso orbi, in quo tam variæ sunt nationes,& tam distinctis moribus, vt varijs,& differentibus legibus omnino indigeant, quas vnus ferre non potest,nec valeret tot & tam distantia Regna vnus in pace continere.

Denique si ex D.Aug.4.de ciuit.Dei cap.15.[Iniquitas ampliora fecit regna, & perdomitis gentibus dilatare regnum,]idest, ad comprimendas iniquitates hominum oportuit augeri regna, & reges potentiores esse, profectò cum nos simus in quos fines seculorum deuenerunt, si quando oportuisset vnicum esse totius orbis Principem,& dominium,iam id nostro seculo experiremur,ac vi deremus.

Ad argumentum Hostien. Dico locum, quem affert, ex L.Bene à Zenone,intelligendum esse de bonis,quæ pertinent ad fiscum, suntque in publico ærario, locus uero ex Auth.tantum significat,posse principem accipere bona aliorum,& venerabilium etiam domorum, cum necessitas Reip. postulauerit : non tamen alia ratione.

Ad argumēta aliorū in primis ex illo loco exijt edictum,&c.Non sequitur Augustum vel eius successores toti orbi dominari, ibi enim D. Luc. non affirmat Augustum fuisse dominum totius orbis, sed tātum refert quid fecerit,ex sua ambitione,& cupiditate: sicut cum ait Psal. [Dixit insipiens in corde suo non est Deus :] non affirmat Propheta non esse Deum sed tantū refert quid impius in corde suo dicit. Adde eo loco nomine vniuersi orbis non intelligi totū mundum, neq; n. Antypodas scribi iussit, sed prouincias quæ ditioni Romanæ (quæ iam latissima erat) tunc parebant, est enim in vsu maximam regionem orbem appellare, sic indiam nouum orbem dicimus : Et Luc.lib.3. [Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Ad primum argumentum ex cap. Solitæ respōdeo, ibi constitui duas supremas dignitates, Pontificiam, & regiam.Non tamen inde sequi,vt sicut datur suprema spiritualis,& pontificia in vno residens summo,vt pote Pontifice ita detur suprema temporalis,& ciuilis in vno residens Imperatore duplici de causa primo quia spiritualis ita est immediatè à Christo instituta, & Beato Petro tradita ac legitimo ipsius successori,qui est Rom.Pont.vt ab eo in alios Episcopos, & Ecclesię prelatos deriuetur. Regalis verò,& secularis, est etiam à Deo, sed mediante Rep. ita vt tota primo in Rep.resideat,& ab ipsa in Principem quem sibi eligit transferatur. Transtulit autem illam Resp.non in vnum,cum id non expediret, sed in varios Reges, & Principes pro diuersitate gentium,& nationum. Secundò quia Pont.constituitur magister fidei,custos religionis Christianæ,& sacramentorum, ac legis Euangelicæ,propter quod oportuit,vt sicut vna tantum est fides,vna christiana religio, vna lex Euangelica, & eadem sacramenta,ita quoque vnum tantum esset in spiritualibus caput,& princeps,in quo suprema spiritualis potestas resideat ad aliosque dimanet,qualis est Roma.Pont.In temporalibus verò cum Resp.adeo distinctæ sint,mores gentium adeò diuersi, & leges quibus gubernari debent diuersas esse oporteat, oportuit similiter diuersos esse Principes, & vnam quamq; Rempub.priuatum sibi regem constituere, in quo suprema potestas secularis illius regni residēat. Quamuis cum Imperator coronetur per Pont. ad defendendam, fidem,& Ecclesiam ab hereticis, & persecutoribus suis est superior principibus Christianis hac ratione, vt possit,& debeat ad hæreticos, & inimicos crucis arcendos, propulsandaque schismata illos conuocare, in alijs verò causis non habet ius, neque licet ad ipsum appellare præterquam in locis,& terris ipsi priuatim subiectis,quæ dicuntur imperiales.

Ad secundum dico verba D.Hiero.id tantum innuere, vnūmquodque regnum,& Remp.melius gubernari ab vno Principe,& capite,quàm à pluribus,vt accidit in examine apum:quod etiam docet Arist.3. Poly. c.5.& D.Tho.1.de regim.Principum à c.1.vsque ad 6. iuxta

Sextò, Nabuchodonosori dixit Dan. cap. 9. [Tu Rex Regnm es, & dominus cœli gloriã, & imperium dedit tibi, & omnia in quibus habitãt filij hominum.] At Imperator eandem habet potestatem quam ille habuit; ille namque quatuor Monarchia Assiriorum, Persarum, & Medorum, Græcorum, & Romanorum in æquali potestate sibi successerunt, imò posteriores maiorem semper habuerunt quam priores: Monarchia verò, & principatus Romanorum manet quod adius saltem penes Imperatorem.

Denique ex D. August. 5. de ciuit. Dei cap. 12. & 15. Deus contulit Romanis totius orbis imperium quia suo modo boni erant, Et ex D. Thom. lib. 3. de regim. prin. cap. 13. Christus substituit in Augusto dominiũ, quod ipse habebat in toto orbe, gerebatque Augustus in toto vniuerso vices Christi, quamuis id ipse non intelligeret, cum verò non gereret Augustus vices Christi in spiritualibus, dicendus est gessisse illas in toto orbe in temporalibus, Augusto autem succedunt Imperatores. Ergo.

Oppositum docet Victoria 1. relec. de Indis §. 24. & 25. Soto de iust. lib. 4. q. 4. artic. 2. & in 4. sententiarum dist. 25. q. 2. art. 1. estque communis inter Theologos. Ex Iuristis habet illam Faber in l. illa Cunctos populos, & communiter Iurisperiti vltramontani, quamuis idem Faber affirmet oppositam esse communem, intelligendus tamen est inter Italos, & citramõtanos.

Probatur hæc sententia varijs etiam rationibus, Primò. Potestas sæcularis, non est adeo, immediate vt spiritualis, hanc enim Deus ita instituit, vt ipsemet designaret, & eligeret sacerdotes, in quib. resideat, in veteri Testamento Aaronem, & filios eius, in nouo B. Petrum, & ipsius successores, sæcularia verò quamuis sit à Deo mediante tamen electione Reip. in populo quidem Hebreo designauit Deus Duces vt Moysen, Iosue, Iudam, & similes, deinde Reges Saulem, Dauidem, & filiosq eius, ex peculiari quodam priuilegio, quia ita populus ille indigebat, at communi vsu omnium nationum, vnaquæque Respu. habet ius eligendi sibi Principem, & ipsius electione constituitur, & hoc modo intelligendum est illud Prou. 8. [Per me Reges regnant.] Vt aliqua verò Resp. Regem vel Imperatorem sibi constituat, in quem suam transferat potestatem, exigitur publicus conuentus saltim maiorum, & procerum illius Reip. qui in eam electionem consentiant, at nunquam vniuersus orbis talem habuit conuentum, neque potuit habere, si totius vniuersi ambitum respicias.

Et confirmatur, etiam si vniuersus orbis in vnum conuenire posset, aut per literas suum consensum offerre, id non expediebat, vt vnus totius mundi Princeps eligeretur. Docet Arist. 7. Poli. c. 4. Rempub. non eo meliorem esse quo maiorem, sed tantam esse debere, quantam vnus Princeps gubernare commodè potest, per se ipsum, vel suos, sicut nauis eius debet esse magnitudinis, quia à nautis gubernari commodè possit, & corpus eius quantitatis, vt ab anima commodè possit viuificari; Propter quod vnumquodque animal certum habet terminum suæ magnitudinis. Constat enim experientia, Reges qui amplissima, & distantissima Regna possident, difficillimè illa gubernare, & ipsa Regna varia pati dãna, partim quia ministris à suo Principe longè distantibus non ita obediunt, partim quia quæ priuato Regis ordine efficienda sunt, non possunt in promptu sicut oporteret habere, sed per internuntios, qui non ita celeriter possunt peruenire, sicut exigit Regni illius necessitas.

Secundò, Si vnus esset in orbe omnium dominus & monarcha, aut iure naturali esset ille introductus, aut iure diuino, aut humano ciuili, vel Pontificio. Non iure naturæ, quia natura omnes homines condidit liberos, & pares, nec ipsa aliquem alteri subiecit, neque aliud dominium ipsa constituit præter paternum, & maritale, vt docet D. Tho. 1. p. q. 92. art. 2. ad 2. & q. 96. art. 4. Et Arist. 1. Polyt. cap. 4. & seq. affirmat præter potestatem paternam, & maritalem, cæteras omnes iure humano esse introductas. Iure diuino fuerũt quidem instituti illi Duces & Reges Israelis, sed ex peculiari priuilegio huius populi vt diximus, at nullo loco Scripturæ, vel Conciliorum, aut Sanctorum Patrum constat, aliquem esse institutum à Deo totius orbis Principem, vel dominum, illud enim de Nabuchodonosore, Augusto, & Romanis explicabitur infra. Et confirmatur, quia si de iure diuino Imperator Romanus haberet dominium in totum orbem non potuisset Imperium diuidi in Orientale & Occidentale, sicut diuisum est & sapientissimè iustis de caussis à Pont.

Neque iure humano Pontificio, nam cap. per venerabilem, Qui filij sint legit. Inno. 3. definit, Reges quales sunt Reges Hispaniæ, & Galliæ, in temporalibus non habere superiorem in terris; Estque communis sententia Iuristarum patrimonium Ecclesiæ non esse subiectum Romano Imperatori.

Denique neque iure ciuili: quia tale ius aut haberet ortum ab aliqua lege ab ipsomet Imperatore lata, aut ex consensu aliorum Principum, vel totius orbis, non ex lege à se lata, quia vt lex obliget debet prius legislator habere iurisdictionem, quod si ex lege sua illam habet, antea non habebat, & consequenter nec talem legem ferre poterat. Cæteri Reges nunquam tale constituerunt, nec cõsenserunt, immò oppositum omnino, neque totus orbis, vt constat in id consensit, nec potuit in vnũ conuenire ad habendũ tale consensum.

Hæc secunda sentẽtia multò verior, & probabilior censenda est, Ad cuius maiorem intelligentiam obseruemus, naturam eo ipso quo dedit omnibus rebus appetitum conseruandi seipsas, & tuendi se à suis contrarijs: indidisse simul hominibus desiderium viuendi in communi, & aggregatim, cõstituris ciuitatibus & Rebusp. vt sic melius habeat vnusquisque ea, quibus indiget, commodiusque possit ab alio iuuari: Et consequenter docuit eos, oportere vt aliquos sibi Principes constituerent, vel vnum, vel multos à quibus gubernentur cum non possit Respub. benè ac pacificè gubernari, quin habeat caput cui cæteri pareant. Hoc dictamine rectæ rationis electi sunt Principes vnus, vel plures: Quo fit, vt etsi aliqui vi armorum & tyrannicè regna, & Imperia sibi vsurpauerint, vt Nembroth, & similes, multi tamen electi sunt ab ipsa Repub. recta ratione, quam Deus hominum mentibus impressit ita exigente, propter quod potestas sæcularis Regum, & Principum à Deo etiam deriuatur, quia illa, ab vnaquaq; Republica instituta est, diuinitus per dictamen rectæ rationis erudita. Qua de causa, qui potestati huiusmodi cõtradicit, Dei ordinationi resistit, vt ait Pau. Rom. 13. Hac etiam ratione dicuntur illam Principes habere à Deo, vt Dan. 2. vbi dicitur Deus cœli Regnum, & Imperium tradidisse Nabuchodonosori, & Christus ad Pilatum, [Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.] Et 1. Pet. 2. [Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.] Estque error vt supra vidimus, Principibus non esse obediendam, quasi omnes tyranni sint.

Obseruemus secundò, si loqui velimus de titulo, quo Imperatores modò gubernant cum discrimine loquendum esse, Imperatores enim infideles ante Christi aduentum, haud dubiè habuerant imperium sine iusto titulo, sed sola vi armorum, cum nunquam fuerint electi à Rep. sed armis & potentatu omnes illæ monarchiæ incœperint, propagatæque fuerint & translatæ. Constat satis ex historijs, Ninum monarchiam Assyriorum, Arbacem monarchiam Medorum & Persarum, Alexandrum monarchiam Græcorũ, & Iulium Cæsarem monarchiam Romanorum ita incœpisse: propter quod sicut violenter fuerunt introductæ, ita perpetuæ esse non potuerunt, sed perierunt, vt in illa visione.

fione ftatuæ, argenteæ, & ferreæ, Dan. 2. oftenfum fuit. Nec valet dicere Deum permififfe, vt haberent ifti Imperatores poteftatem in illas nationes propter peccata earum, cum hæc permiffio non fit iuftus titulus, Romani enim permiffi fuerunt habere poteftatem fecularem in terram Ifraelis ob peccata Iudæorum, nec propterea erant legitimi eorum Principes, cum diuino præcepto Deuter. 17. interdictum eis effet, ne facerent Regem alienigenam: ficut eundem populum tradidit Deus fæpe ob ipforum peccata in manus Philifthinorum, & Chaldæorum, nec propterea Philifthæi, vel Caldæi erant legitimi Reges populi Hebræi. Poft aduentum Chrifti principes infideles, qui habent terras Chriftianorum occupatas tyranni funt, nec habēt iuftum titulum ad illas poffidendas, cum eas folis armis & bellis iniuftis acquifierint, propter quod iufte poffunt à nobis debellari, ad recuperanda noftra, quæ habent ipfi iniquè vfurpata. Imperatores autem Chriftiani iufto titulo poffident imperium, quia Refpub. Rom. confenfit in Auguftum Cæfarem, cui Imperatores Chriftiani fuccedunt, vel faltim in Conftantinum Magnum & reliquos, eliguntur que ab his qui habent legitimum ius ad illos eligendos, in primis apud Græcos, deinde verò apud Germanos, vt conftat cap. venerabilem, de electio.

CONCLVSIO PRIMA contra Hoftien.

Neque Imperator, neque vllus Princeps habet proprietatem bonorum fuorum fubditorum.

Probatur, quicunque Princeps, fi legitimus Rex fit, & non tyrannus, habet poteftatem à Repub. per communem con fenfum, & electionem ipfius, at nulla Refp. tranftulit in fuum principem dominium, & proprietatem bonorum fuorum ciuium, fed folam iurifdictionem, & dominium gubernatiuum, quo indiget quæuis Communitas ne fit acepala & fine Duce, neque vnquam in talem proprietatem confenfit. Ergo.

Secundò, Principes electi funt in vtilitatem Rerumpub. at habere ipfos proprietatem bonorum fuorum ciuium, non eft in eorum vtilitatem, fed illis maximè noxium, & contra eum finē propter quem princeps eligitur: hac fi quidem via facile fieret Tyrānus, & in fuum priuatum commodum omnia bona Reipu. conuerteret, cum contra illum facere oporteat: nō eft ergo tale dominium, & proprietas veri & legitimi Principis, fed tyranni, vt videmus accidiffe Turcis, quia creduntur Imperatores eorum, habere apud ipfos dominium, & proprietatem omnium bonorum fuorum fubditorum.

Denique qui habet dominium & proprietatem aliquorum bonorum, poteft illis vti pro libito in quofcunque vfus, at Principes non poffunt vti bonis fuorum ciuium pro libito, fed folum quatenus poftulauerit bonum commune.

CONCLVSIO II.

Imperator Roman. neque de facto, vt experientia conftat, neque de iure, habet dominium, & iurifdictionem in vniuerfo orbe.

Hæc efficaciffimè probata manet argumentis fupra pofitis. Et confirmatur: Nullus enim ex antiquis Imperatoribus, quibus pofteriores fuccedunt, habuit ius in Antypodas, & Indos infulares, & vniuerfas orbis regiones, nullus in terrā promiffionis, quam Deus folis Hebræis promiferat & conceffit. Neque expediebat ad optimam orbis adminiftrationē, vt vnus ferret leges vniuerfo orbi, in quo tam variæ funt nationes, & tam diftinctis moribus, vt varijs, & differentibus legibus omnino indigeant, quas vnus ferre non poteft, nec valeret tot & tam diftantia Regna vnus in pace continere.

Denique fi ex D. Aug. 4. de ciuit. Dei cap. 15. [Iniquitas ampliora fecit regna, & perdomitis gentibus dilatare regnum, id eft, ad comprimendas iniquitates hominum oportuit augeri regna, & reges potentiores effe, profectò cum nos fimus in quos fines feculorum deuenerunt, fi quando oportuiffet vnicum effe totius orbis Principem, & dominium, iam id noftro feculo experiremur, ac videremus.

Ad argumentum Hoftien. Dico locum, quem affert, ea L. Bene à Zenone, intelligendum effe de bonis, quæ pertinent ad fifcum, funtque in publico ærario, locus uero ex Auth. tantum fignificat, poffe principem accipere bona aliorum, & venerabilium etiam domorum, cum neceffitas Reip. poftulauerit: non tamen alia ratione.

Ad argumēta aliorū in primis ex illo loco exijt edictum, &c. Non fequitur Auguftum vel eius fucceffores toti orbi dominari, ibi enim D. Luc. non affirmat Auguftum fuiffe dominum totius orbis, fed tātum refert quid fecerit, ex fua ambitione, & cupiditate: ficut cum ait Pfal. [Dixit infipiens in corde fuo non eft Deus:] non affirmat Propheta non effe Deum fed tantū refert quid impius in corde fuo dixerit. Adde eo loco nomine vniuerfi orbis non intelligi totū mundum, neq; enim Antypodas fcribi iuffit, fed prouincias quæ ditioni Romanæ (quæ iam latiffima erat) tunc parebant, eft enim in vfu maximam regionem orbem appellare, fic indiam nouum orbem dicimus: Et Luc. lib. 3. [Ignotum vobis Arabes veniftis in orbem.

Ad primum argumentum ex cap. Solitæ refpōdeo, ibi conftitui duas fupremas dignitates, Pontificiam, & regiam. Non tamen inde fequi, vt ficut datur fuprema fpiritualis, & pontificia in vno refidens fummo, poffe Pontifice ita detur fuprema temporalis, & ciuilis in vno refidens Imperatore duplici de caufa primo quia fpiritualis ita eft immediatè à Chrifto inftituta, & Beato Petro tradita ac legitimo ipfius fucceffori, qui eft Rom. Pont. vt ab eo in alios Epifcopos, & Ecclefiæ prælatos deriuetur. Regalis verò, & fecularis, eft etiam à Deo, fed mediante Rep. ita vt tota primo in Rep. refideat, & ab ipfa in Principem quem fibi eligit transferatur. Tranftulit autem illam Refp. non in vnum, cum id non expediret, fed in varios Reges, & Principes pro diuerfitate gentium, & nationum. Secundò quia Pont. conftituitur magifter fidei, cuftos religionis Chriftianæ, & facramentorum, ac legis Euangelicæ, propter quod oportuit, vt ficut vna tantum eft fides, vna chriftiana religio, vna lex Euangelica, & eadem facramenta, ita quoque vnum tantum effet in fpiritualibus caput, & princeps, in quo fuprema fpiritualis poteftas refideat ad aliofque dimanet, qualis eft Roma. Pont. In temporalibus verò cum Refp. adeo diftinctæ fint, mores gentium adeò diuerfi, & leges quibus gubernari debent diuerfas effe oporteat, oportuit fimiliter diuerfos effe Principes, & vnam quamq; Rempub. priuatum fibi regem conftituere, in quo fuprema poteftas fecularis illius regni refideat. Quamuis cum Imperator coronetur per Pont. ad defendendam fidem, & Ecclefiam ab hereticis, & perfecutoribus fuis eft fuperior principibus Chriftianis hac ratione, vt poffit, & debeat ad hæreticos, & inimicos crucis arcendos, propulfandaque fchifmata illos conuocare, in alijs verò caufis non habet ius, neque licet ad ipfum appellare præterquam in locis, & terris ipfi priuatim fubiectis, quæ dicuntur imperiales.

Ad fecundum dico verba D. Hiero. id tantum innuere, vnūmquodque regnum, & Remp. melius gubernari ab vno Principe, & capite, quàm à pluribus, vt accidit in examine apum: quod etiam docet Arift. 3. Poly. c. 5. & D. Tho. 1. de regim. Principum à c. 1. vfque ad 6.

iuata

iuxta illud Hier. 12. [Pastores multi demoliti sunt vineam meam :] Quod etiam insinuat natura, quæ vnicuique corpori vnicum constituit caput, & in sacra Script. ex speciali priuilegio, Reip. iustorum promittitur vnicus Rex, & caput, non tamen voluit significare in toto orbe omnibus prouincijs, & regnis vnicum Imperatorem dominari, sicut neque omnia examina apū vbi subijcitur duci.

Ad tertium respondeo cum Soto, dictum Imperato. Antonini in propria causa ac pro se ipso non facere fidem, tum etiam illud verbum esse insolentis cuiusdã arrogantię, nec admittendũ, cũ soli Deo ita loqui competat: ego dominus Modestius certè multò ac verius, Iustinianus in L. Cunctus popolos, vbi ait. [Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium :] Vbi non omnes populos sed aliquos apertè affirmat imperio subiacere. Et l. In nomine domi. C. de officio pręf. præt. Afri. terminos quoque nominat regionum suarum. Et Instit. Quibus modis ius pat. potest. solu. §. si ab hostibus, ponitur limen imperij, vnde deriuatur nomen illud postliminium. Et l. mercatores. C. de commercijs. distinguit ipsemet Imperator inter suos, & Regi Persarum subiectos.

Ad illud Henrici dico, per totum orbem ibi intelligi eam partem, quæ tunc Romano Imperio subiacebat, quæ propter suam latitudinem, & magnam prouinciarum copiam quæ ditioni Romanæ parebant, vocatur totus orbis, sicut illud Luc. 2. [Exijt edictum a Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis :] Id est prouinciæ Augusto subiectæ. Totius autẽ mundi Imperator dominus non est, neque per electionem, per quam potestas ciuilis alicui tribuitur, neque institutione Summi Pont. vt in illa Extrauag. Ad reprimendum vult Bart. nam neque id Pont. præstat, neque ipsi Imperatores admittunt.

Ad Quartum respondeo, Etiam si concedamus Adam, & Noe habuisse totius orbis principatum (quod adhuc est sub dubio) non inde sequi, aliquos eorum posteritate illis in imperio successisse, imò insinuat S. Scriptura ipsos imperium quod in orbe obtinebant, genere humano aucto, & per prouincias diffuso, inter suos diuisisse, recta ratione illos admonẽt ad optimam gubernationem mundi ita expedire.

Eodem modo soluitur quintum instituisse Deum optimam gubernandi rationem, quæ est monarchia, non quidem in toto orbe, ita vt vnus sit totius orbis dominus, & princeps: hoc enim vt vidimus magis obesset, quàm prodesset debitę gubernationi, sed instituit illam in singulis nationibus, & regnis, ita vt in vnoquoque regno non plures sed vnus tantum princeps, & Rex dominetur, sicut natura vnicuique corpori vnicum constituit caput.

Ad sextum dico imprimis Nabuchodonosorem nõ fuisse cõstitutum à Deo Imperatorem speciali aliqua ratione, eo modo quo cõstituti fuere Saul, vel Dauid, sed dicitur Deum tribuisse illi imperium, quia permisit, vt bello vel iure hæreditario eo potentiæ perueniret: Secundò constat ex S. Scriptura neque Nabuchodonosorem, neque vllum alium, habuisse dominium vel iurisdictionem in populũ Israelis, cum illum liberum Deus constituerit, prohibueritque Deut. 17. ne Regem extraneum haberent.

Ad vltimum respondeo, non esse intelligendum D. Aug. quasi Deus dederit Romanis totius orbis imperium, pro suis meritis, & virtutibus, cum ipsemet August. doceat eodem loco, omnès Romanorum virtutes falsas, & fucatas fuisse, ac corruptas studio inanis gloriæ, sed dicitur dedisse illis imperium, quia cum inter idolatras, & impios ipsi meliores essent, permisit, vt superiores euaderent in bello, cæterosque suę ditioni subiugarent, reciperentque hac via in hoc seculo virtutum suarum licèt fictarum mercedem suam, sicut dicitur de hypocritis in Euangelio. [Receperunt mercedem suam, vel vt optimè B. Leo Ser. 1. in Natali Apost. Petri & Pauli: [Disposito diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, vt citò per omnes haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.] Ad locum D. Tho. dico. cõstare ex art. 4. huius quæstionis, Christum non habuisse dominium temporale huius mundi, neque illud tradidisse Augusto: intelligendus autem est D. Tho. permisisse Christum, vt haberet illud Augustus in prouincias Romanę ditioni subiectas, cũ ipse quatenus homo, qui simul filius Dei erat, potuisset illam habere, & in vniuersum mundum si voluisset. Nam Christus Saluator noster (iuxta ipsum quoque D. Tho.) potestatẽ, quàm habuit in temporalia, non aliter habuit, quàm in ordine ad Spiritualia.

QVÆST. V. ET VLTIMA DE TRANSLATIONE Dominiorum, nempe quibus vijs dominium alicuius rei ab vno in alium tuta conscientia transferatur.

EXplicata rerum & bonorum diuisione, proximum est, vt quibus vijs rerum dominia ab vno in alium transferri debeant, vt tuta conscientia habeantur, explicemus. Est autem quæstio hæc de translatione dominiorum maximè necessaria, & scitu dignissimã, non modo ad materiam restitutionis, verum etiam ad omnem iustitiam commutatiuam, cum omnis iniustitia, & debitum restituendi ex eo oriatur, quod habeantur aliena bona iniqua via. Initio autem huius disputationis duo obseruanda sunt: Prius est differre plurimum hæc duo, translationem dominij & acquisitionem dominij, nam acquisitio dominij non requirit mutationem domini: in rebus enim quæ nullius adhuc sunt, acquirit dominium iure gentium (vt vidimus) qui primum illas occupat, sine vlla mutatione alicuius domini. Translatio verò dominij exigit mutationem domini; definitur namque, Transmissio rei, ab eo qui legitimè ipsam possidet, in alterum, qui illius incipit esse dominus. Quo fit, vt nisi hæc translatio fiat debita via, inferatur iniuria vero domino, & maneat vinculum restitutionis. Secundò obseruandum est, cum bona

omnia

omnia tribus subijciantur. Primum Deo, vt supremo & præcipuo omnium rerum creatori & domino. Secundò, priuatis dominis & legitimis possessoribus: & tertio Reip. quatenus exigit bonum publicum; ita quoque tribus vijs posse translationem dominiorum fieri. Primò, diuina voluntate, quæ explicatur nobis, aut iure diuino naturali per dictamen rectæ rationis naturalis, a iure diuino positiuo expresso per aliquam ipsiusmet Dei reuelationem, quomodo fuit translata terra promissionis à Chananæis in filios Israel, & regnum Israelis à Saule in Dauidem. Secundò, libera voluntate, & donatione domini illa possidentis. Tertiò, per legem à Rep. constitutam, vel sententiam iudicis, inuitis etiam & repugnantibus proprijs dominis, bono publico ita exigente. De priori modo nulla est difficultas, in duobus verò posterioribus nonnullæ graues, & difficiles controuersiæ explicandæ sese offerunt.

ARTICVLVS I.

Possitne vnusquisque sua libera voluntate rei suæ dominium in alium transferre?



Bseruemus primò, sicut homini duo conueniunt, nempe esse liberum, & dominum suarum actionum; & esse animal sociabile, ac partem huius Reip. humanæ, ita habere ipsum à natura duplicem inclinationem, vnam ad liberè operandum, & disponendum de se, & suis, in suam propriam vtilitatem & commodum, aliam verò ad curandum, & tuendum bonum publicum, & quæ ad illud conducunt, ad quod bonum refertur, & ordinatur non per voluntatem propriam, sed per publicam Principis, cui ex officio incumbit cura boni communis. Quæ duæ inclinationes, etiam si aliquando materialiter videantur sibi in aliquo pugnare, ambæ tamen sunt naturales, recta ratione dictante, vt homo non disponat liberè se & de suis, sed vt expedit, & conducit bono communi: imò hæc secunda, quæ respicit bonum commune est magis naturalis, cum natura magis inclinet in bonum commune, quàm in particulare, sicut aqua, vt grauis naturali inclinatione, & pondere fertur deorsum, vt pars tamen huius vniuersi, propter bonum commune ipsius, fertur sursum, ne detur vacuum, nec minus naturalis est hic assensus, imò multò magis, quàm ille descensus.

Obseruemus secundò, Legem tam diuinam, quàm humanam duobus modis posse se habere, circa translationem dominiorum: Primò, cohibendo & prohibendo illam, quod præstat, vel auferendo huic, qui est dominus facultatem dandi, vt in pupillis, vel alteri accipiendi, vt in vsurario, symoniaco, assassino, & iniquo iudice. Secundò, transferendo dominium alicuius rei inuito domino, vel in pœnam alicuius criminis ab ipso commissi, vel in vtilitatem ipsius Reipub.

CONCLVSIO PRIMA.

Simpliciter & absolutè maximè naturale, & consonum rationi est, vt possit vnusquisque dominium suarum rerum in alterum pro libito transferre.

Dixi simpliciter & absolutè, nam per accidens, vel per prohibitionem legis, vel ex malo fine, vel quia sibi, aut suis noceat, potest esse aliena à recta ratione talis translatio: simpliciter autem & absolutè, vbi nullum ex his incōmodis interuenit, est vera conclusio. Et probatur: Primò, ex definitione dominij; nam dominiū est facultas vtendi re sua pro libito, in quemcunque vsum lege non prohibitum, transferre autem rem suam in alterum libera voluntate, vt donatione, venditione, aut alio contractu, quàm lex diuina vel humana non prohibet, est vti illa in vsum non prohibitum, ergo eo ipso quo quisque est dominus alicuius rei, potest eius dominium libera sua volūtate in alium transferre.

Secundò, homini ideo conuenit dominium, quod non conuenit brutis, quia habet intellectum, & voluntatem liberam, sicut ergo ideo potest esse dominus, quia est liberi arbitrij, ita quoque liberè poterit dominium suorum in alium transferre: Vnde in Scripturis idem est esse dominum, & posse de rebus suis liberè disponere. 1. Reg. 3. [Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.] Et Matth. 20. in illa parabola vineæ, ait dominus vineæ de suis pecunijs, [non licet mihi quod volo facere?]

Tertiò, dominus potest rebus suis vti in pios vsus simpliciter & absolutè, nisi ex circumstantia vitietur, transferendo à se dominium suarum rerum, exercenturque tunc illustrissimæ virtutes Liberalitas, Magnificentia, Pietas, Votum paupertatis, ergo. Habetur apertè hæc conclu. Inst. de rer. diuisio. §. per traditionē. Et ff. de acquiren. rer. dom. l. qua ratione. §. litteræ, vbi dicitur. [Nihil esse tàm consonum naturali æquitati, quàm volūtatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.]

CONCLVSIO SECVNDA.

Consonum etiam est rectæ rationi, & iuri naturali, vt possit lex humana, & ciuilis prohibere alicui translationem suarum rerum in alium: Tum etiam priuare aliquem & inuitum dominio illarum, & illud in alium transferre.

Probatur prior pars: Respond. licèt non sit domina bonorum suorum ciuium, est tamen custos illorū, & boni publici, ad legitimam autem custodiam pertinet, prouidere, ne domini imprudenter & temerè illam disponant ergo iustum est, & maximè consonum rectæ rationi, vt Resp. statuat leges, quibus imprudentes, & temerariæ translationes bonorum prohibeantur. Ita iusta est lex, quæ prohibet, ne pupillus ante certum tempus quo iudicio valeat, possit aliquid donare, vel alienare, ne bona sua temerè dilapidet. Vnde ff. de minoribus. l. 1. dicitur: [Prætor naturalem æquitatem sequutus, cauit ne pueri quorum concilium infirmum est, & multorum insidijs expositum, suam dispensarēt substantiam.] Iusta lex, quæ prohibet, ne bona Ecclesiæ possint alienari, quia aliter illa permanerent. Iusta lex, quæ prohibet aliquos ludos.

Secundò pertinet ad Remp. obuiare fraudibus, & dolis, hoc non potest, nisi per suas leges statuat, qui contractus sint validi, qui inualidi, ergo æquissimum est iustum, vt possit lex Reipub. eas prohibere translationes dominiorum, quas viderit dolis fraudibus, & iniquis contractibus misceri.

Denique vita hominum tueri non potest sine societate humana, societas hæc non potest benè constare, nisi contractus & commercia humana à publica authoritate

authoritate ordinentur, & disponantur, sicut oportet, ergo iure naturæ pertinet ad auctoritatem humanam benè ordinare commercia, & contractus, eademque potest translatione dominiorum quas viderit paci, & vtilitati ciuium non conuenire, prohibere. Ita prohibet ne primogenituræ alienentur, quia conuenit maximè Reipub. existere potentes in ea, cum sint istæ familiæ velut ossa ipsius, tenenturque ciues huiusmodi legibus & ordinationibus obedire in conscientia: primò, quia iuxta illud Paul. Rom. 13. [Qui superioris ordinationi resistit, Dei ordinationi resistit.] Secundò, quia vnusquisque debet bonis suis vti iuxta rectam rationem at sicut dictat recta ratio naturalis, vt vnusquisque eo ipso quo dominus est, sit liber, & liberè disponat de suis, ita quoque dictat eadem recta ratio, vt quatenus est ciuis, & membrum Reipub. non vtatur suis bonis, & illo dominio, nisi secundum leges & regulas sibi propositas à Repub.

Probatur iam secunda pars conclus. Primò bonum publicum & totius præferendum est bono particulari & partis, ergo quando ad bonum publicum oportebit aliquam rem ab hoc in alterum transferri poterit id Lex, vel inuito domino: Hoc nomine Possunt Principes, & Respub. imponere vectigalia, accipere aliquam. coram à singulis, & hæreditates auferre, si bonum publicum ita exigat.

Secundò habet Resp. authoritatem puniendi delinquentes, & initiosis in bonis, ergo potest condere leges, quibus ob aliqua crimina, priuentur illa committentes suis dominijs.

Tertiò est Resp. custos pacis, & quietis, poterit ergo condere leges; quibus ob pacē & quietem ciuium finiendasque lites, transferantur dominia ab his vel inuitis in alios, cuius modi est lex præscriptionis.

Ita patet quo modo hæ duæ conclusiones sint maximè consonæ iuri naturali, & rectæ rationi: conueniuntque in ipsis omnes Doctores.

Porrò vt hæc magis explicata maneant ad sequentes quæstiones, obseruandæ sunt diligenter duæ regulę in hac materia celebres. Prima est, cui secundum legem, siue pontificiam siue ciuilem, aut iuris communis, aut iuris peculiaris cuiusque regni, tribuitur dominium alicuius rei, eidem in foro etiam interiori tributum esse eiusdem rei dominium. Secunda est quasi apendix præcedentis, omnem sententiam, quæ in foro exteriori tribuit dominium alicuius rei, tribuere quoque illud in foro conscientiæ, nisi sit pœnalis, aut fundetur in falsa præsumptione. Dico, nisi sit pœnalis, quia vt copiosè infra videbimus, pœnam nemo tenetur subire ante iudicis condemnationem, dico etiam nisi fundetur in falsa præsumptione, quia licèt iudex iuxta probata iudicans, rectè iudicet, sententia tamen ipsius, si falsis nitatur probationibus, non habet vim in foro animæ.

Hæ duæ regulæ licèt communes, & veræ, patiuntur tres exceptiones: Prima est quando lex non est præceptiua, aut concessiua, sed permissiua tantum, fertur que sententia iuxta tenorem talis legis, tunc non confertur dominium in foro conscientiæ, nec per talem legem, nec per talem sententiam. Verbi gratia, Negat lex venditori decepto infra medietatem iusti precij actionem in iudicio; hæc lex non præcipit rem illam emptoris esse, nec liberat eum à debito restituendi id, quod defraudauit, sed solum permittit, illam venditionem externus haberi tanquam validam, ad tollendas lites. Secunda exceptio est, quando leges non tribuunt alicui absolutè rem aliquam, sed solum concedunt illius repetitionem, talis concessio non confert actu dominium, sed solum dat actionem in iudicio, vt in eo iudex per suam sententiam illud conferat. Verbi gratia, concedit lex, vt quæ aliquis ludo amisit, possit in iudicio repetere, hæc lex nec tribuit dominium pecuniæ illi qui perdidit in ludo, nec expoliat dominio illum, qui lucratus est, sed solum præstat, vt is qui perdidit possit apud iudicem repetere, & iudex compellere illum, qui lucratus est ad restituendum. Tertia exceptio adhibetur ab aliquibus, quando lex definit contractum cui deest aliqua solemnitas iuris nullum esse, huiusmodi legem volunt aliqui non expoliare actu possidentem re per talem contractum acquisita nisi adueniente iudicis sententia, sed an ita sit in foro animæ, copiosè à nobis statim disputabitur.

Ex his sequitur, debere Theologum prudentem, in controuersia, de qua interrogatur ab aliquo fideli, inquirere à peritis & probis iurisperitis, quæ leges siue communes, siue particulares patriæ circa illam existant, & illis cognitis, considerare sint ne præceptiuæ, an permissiuæ tantum, vel pœnales. Et tunc iuxta regulas & doctrinam hic positam, & sequentibus controuersijs explicandam, iudicare. Vnde alienum debet esse à iurisperitis mittere falcem in ea, quæ spectant ad forum animæ, alienum quoque à Theologo quæ fori exterioris sunt sibi assumere, sed petitis illis ex iurisperitis, postmodum quæ ad conscientiam pertinent discernere, iuxta illud Pau. [Prius quod animale est deinde quod spirituale.

His ita positis, ad priuatas difficultates, quæ hoc loco à Doctoribus tractantur circa translationes dominiorum, quæ vel priuata cuiusque voluntate fiunt, vel legis, aut iudicis, authoritate, explicandas, descendamus.

ARTICVLVS II.

An per solum actum interiorem voluntatis quo aliquis deliberatè apud se statuit aliquid alteri conferre transferatur dominium.

Dixi in titulo huius articuli, statuit, quia vt videbimus in materia de voto, differunt hæc plurimum, proponere, promittere, siue statuere, & actu tradere, possum ego apud me ipsum aliquid proponere vt bonum, non tamen illud statuere, sed manere anceps, qui autem apud se statuit aliquid, iam illud apud se promittit, Quæstio nostra non est hic de promissione in futurum, de qua infra cum D. Thom. q. 88. neque de proposito interno, quo aliquid videtur bonum alicui, non tamen promittit: sed de actu, quo apud se certo statuit aliquid alteri tribuere, An per talem actum interiorem voluntatis transferatur dominium rei illius in alterum?. Verbi gratia, debet mihi pauper centum, dico apud me interius, bonum est remittere debitum illi pauperi, & ex nunc remitto, Similiter videns ego virginem pauperem, dico apud me, bonum esset exhibere illi centum in dotem, ex nunc do illi centum, vt nubat: Per huiusmodi actus internos, acquisierunt ne iam illi dominium in illa centum, ita vt in conscientia tenear ab illo debitore nil accipere, & illi puellæ illa centum dare.

Ioan. Almain. in 4. distin. 15. q. 2. Thomas de Argentina in suo tractatu de matrimonio. q. 2. sentiunt dominium non transferri per solum actum interiorem, probant quia si solo actu interiori transferatur dominium per solum actum interiorem possent fieri contractus humani, hoc autem est falsum, vt patet in matrimonio, quod est quidam contractus humanus, nequit autem fieri, neque tenet nisi consensus animi exteriori verbo vel signo explicetur, nec quantumuis vir & mulier consentiant inter se, nisi mutuus ille consensus palam verbo vel signo vicissim ab vtroque exprimatur, est matrimonium.

Alijs Doctoribus vt Angelo in summa Verbo. Pa-

Ctum.

ctum.5.1.& Magistro Soto lib.4.q.5.art.1.& lib.7.q.2. art.1. oppositum videtur probabilius, Statuit enim duplicem esse promissionem & translationem dominij siue contractum alium mutuum, & reciprocum, in quo vt habetur l.Labeo.ff.de verbor.significar. vltro citroque nascitur obligatio, soletque explicari per huiusmodi verba, do, vt des, facio vt facias, qualis est in venditione: do hanc rem, vt des tantum pretij, in locatione, do tibi vsum huius domus, vt des mihi tantum pretij, in matrimonio, do tibi corpus meum, vt accipiam corpus tuum in meum, alium verò esse simplicem, in quo non do, vt des, sed simpliciter statuo aliquid tibi conferre, quia ita visum est mihi. vbi simplex tantum est translatio, qualis est donatio.

Hoc posito habet Soto tria, Primum promissionem quæ mutua & reciproca est, qualis est in matrimonio inter virum, & vxorem, nisi exprimatur verbis vel signis, non obligare neque in foro interiori, neque in exteriori. Et ratio est apertissima, quia in promissione mutua debet esse notus vnicuique parti animus, ac consensus alterius, animum autem nosse non possumus nisi per externa verba vel signa. Secundò ait promissionem quæ mutua non est, sed simplex, qua statuo aliquid simpliciter alteri conferre, non obligare in foro exteriori apud iudicem, nisi verbis vel signis exprimatur: ratio est aperta, quia actus purè interni non subijciuntur iudicio humano, sed soli diuino, Tertiò, ait, huiusmodi promissionem, & decretum animi non mutuum, nec explicatum exterius verbis vel signis, probabile esse posseque problematice defendi, obligare in foro interiori, & conscientiæ, stando in iure naturæ. Stando inquit in iure naturæ, & simpliciter, nam si lex humana Ecclesiastica, vel ciuilis ob bonum publicum & pacandas conscientias aliter statueret, tunc standum esset decreto legis.

Quod autem simpliciter & seclusa omni lege humana, stando soli iure naturæ. probabile sit hoc assertum, nititur ostendere Magister Soto multis argumentis, Primò. Ex prima concl. præcedentis articuli, nihil magis naturale, quam quod homo per suam voluntatem possit res suas alteri donare, & earum dominium in alterum transferre, sed in casu de quo hic agimus, vult hic sua voluntate efficaci illa centum alteri conferre, ergo per illam solam sine vllo externo sermone verè sua alteri contulit, suntque iam illius.

Secundò voces non obligant nisi ex vi conceptus interni, cuius sunt signa, sed si quis externa voce aliquid Petro conferat, reuera transfert dominium illius rei in ipsum ergo multo magis si iuterius ita deliberat, & statuit. Probo consequentiam, quia cum actus externi habeant vim ab internis, & sint propter ipsos, multo magis obligare debet internus quam externus, vi illius axiomatis, Propter vnum quodque tale, &c.

Tertiò, maius vinculum efficit interior deliberatio, & consensus quàm solum propositum, at si ex interno consensu dandi non sequeretur vera, & actualis translatio dominij, nil amplius efficeret ista deliberatio, quam nudum, & simplex propositum.

Quartò, promissio facta Deo, & quæ fit homini etiã si obiecto differant, in genere tamẽ, & natura promissionis non different, sed promissio facta Deo quamuis interior, obligat, cum ea solum efficiat votũ, ergo interior facta homini obligabit etiam in conscientia.

Quartò, si promissio illa, & deliberatio interna firmetur iuramento, ex omnium consensu obligat in conscientia, ergo erat ipsa quoque se sola obligatoria: Patet consequentia, quia iuramentum additum non est ipsa promissio, ex qua oritur obligatio, sed tantum promissionis confirmatio: Vnde si promissio erat nulla, etiam si adhibeatur iuramentum, manet nulla, sicut votum, quod non obligat etiam si addatur iuramentum non obligat, iuramentum enim non inducit obligationem, sed tantum confirmat illam.

Sextò, si cõsensum internum significes amico nihil de nouo consentiendo, sed dicendo illi hoc apud me statui tibi dare, vide velis ne illud accipere, teneris in conscientia reddere, eo volente rem illam accipere, sed non teneris virtute huius externæ significationis, quia hæc nullum nouum consensum habuit comitem. ergo virtute illius prioris, ergo illam obligabat.

Septimò promissio expressa verbis facta absenti, vel surdo nil omnino audienti, obligat etiam in conscientia, ergo & interna. Probo consequentiam, quia tam ignota est mea promissio absenti, vel surdo nihil omnino audienti, etiam si verbis explicetur. quàm si esset omnino interna, & non explicata verbis, ergo sicut obligat vna ita & alia.

Vltimò, talis interior consensus est quædam mentalis loquutio & promissio, ergo adimplenda, ita vt si non adimpleatur sit mendax, & fidei fragus, qui ita promisit, & retrocedit. Et confirmatur ex D. Tho. qui infra q.88.art.3. ad 5. ait. eum qui non adimplet promissionem peccare, & infideliter agere, quia mutat animum, sed interius promittens nisi adimpleat promissum mutat etiam animum. ergo peccat quoque, & agit infideliter.

Ex his tribus dictis Magistri Soto, primum verum est, contractum mutuum non posse fieri, nisi per signa externa aut verba explicetur, nam contractus mutuus vt venditionis, locationis, matrimonij, & similes fiunt inter homines conuentione & pacto interueniente, conuentio autem non potest fieri exteriori, Vnde Io. Vuicleph damnatur vt hæreticus, quia asseruit matrimonium posse celebrari solo actu interiori, de quo errore vide Tho. Vualdensem libro de sacramentis, cap. 132. Ex quo sequitur Amalyni argumentum non conuenire proposito, cum nostra quæstio non sit de contractu mutuo, sed de simplici, qualis est translatio dominij, & donatio.

Quod secundò air verissimum etiam est, & extra omnem controuersiam.

In tertiò autem recentiores omnes plurimum ab eo dissident, maximè cum D.Tho. infra quæst.88.artic.1. & in 4.dist.38.quæst.1.artic.1. ita distinguat inter promissionem facta homini, & eam quæ fit Deo, vt Deo qui intuetur cor, possit se homo obligare sola promissione interiori, homini autem qui tantum videt quæ foris apparent, nequaquam, sed debet necessario promissio quæ fit homini vt liget, exterius declarari. Nobis hic subscribere placuit.

CONCLVSIO PRIMA.

Posito tali actu interiori, & deliberatione voluntatis, non statim transfertur dominium in alterum, sed manet adhuc prior ille verus dominus suæ rei, sicut antea erat.

Patet, cum dare, & accipere sint relata, quamdiu nõ est qui accipiat, neque est donatio, neque translatio dominij, sed per meum actum interiorem alter nihil accipit, ergo neque aliquid illi do, aut transfero in ipsum aliquod dominium. Maior certa est, patet minor, quia acceptio rei alienæ est actus externus, propter quod Deus in decalogo legis constituit duo præcepta distincta, aliud, quo prohibetur actus interior, idest, concupiscentia rei alienæ, & aliud quo prohibetur actus exterior, nempe acceptio rei alienæ inuito domino.

Secundò, ergo non possum trãsferre dominiũ mearum rerum in alium nisi illo consentiente, sed quamdiu ego retineo apud me illam deliberationem occultam alter non consentit, ergo manet apud me illius rei dominium. Et confirmatur ex communi sententia Iurisperitorum, Asserunt enim omnes ad translationem dominij, requiri actualem exhibitionẽ rei quæ donatur, actualis autem exhibito consensu omniũ est

actus exterior, quo vnus dat palam, & alter palã quoque respondet, se velle accipere.

Denique cum dominium sit ius in rem, qui transfert dominium, transfert ius in illam, sed actus interior, neque dat ius neque tollit, ergo. Patet minor, quia si aliquis prælatus mente sua reuoluat & dicat intra se: Ex nunc concedo Petro facultatem absoluendi, aut dicat intra se: ego reuoco à Ioanne potestatem absoluendi, omnium consensu, per talem actum internum neque Petrus constituitur confessarius, neque Ioannes amittit facultatem audiendi confessiones.

Hanc conclusionem non audet negare Soto, perspiciens vim horum argumẽtorum, sed ait: quamuis actu interiori non transferatur statim dominium, teneri tamen eum, qui talem actum, & deliberationem secum habuit, illam alteri manifestare, illique si eam rem acceptare voluerit, exhibere. Contra hoc sit.

CONCLVSIO II.

Nemo tenetur huiusmodi actum interiorem, aut deliberationem alteri manifestare, imò si sibi placuerit, potest eam reuocare.

Probatur: posito tali actu interiori non transfertur dominium rei, sed manet dominus ille idem qui antea erat, ergo potest de ea liberè adhuc disponere, ergo potest illam sibi retinere, aut alteri conferre, & priorem illam deliberationem reuocare. Et confirmatur: per illum consensum interiorem nullum ius fuit alteri acquisitum, ergo manet adhuc apud eum idem ius quod antea habebat, poteritque de re illa adhuc liberè disponere, & mutare sententiam. Patet consequentia: bona illa aut sunt sub meo iure, aut sub iure alterius, cui illa interius promisi, non sub iure ipsius, cum per actum interiorem nullum ius, vt constat fuerit ipsi acquisitum, ergo sub iure meo, ergo possum illa liberè retinere, vel alteri, dare & priorem illũ animum reuocare.

Secundò probatur, si ego teneor rem alteri promissam ipsi reddere, hoc non est ex aliqua lege publica, & ciuili, sed ex lege priuata quam tuli mea voluntate, sed huiusmodi leges priuatas à sola mea voluntate institutas possum ego reuocare, quoties voluero ideo namque (vt videbimus) testamentum quamdiu testator viuit, potest renocare, quia testamentum est velut lex quædam priuata, instituta à priuata voluntate testatoris, ergo possum reuocare illam. Ex quo sequitur apertè non teneri me ad manifestandum alteri quod apud me statueram, cum possim illud decretum, ac deliberationem internam mutare, ac reuocare.

CONCLVSIO TERTIA contra Magistrum Soto.

Promissio, vel deliberatio non explicat verbis, aut signis simplex & non mutua, non obligat in foro interiori conscientiæ.

Probatur, homo natura sua habet, vt non referatur nec ordinetur in alterum hominem, per solam cogitationem & conceptum internum, sed per signa externa, & sensilia, inter quæ voces habent præcipuum locum, sed in translatione dominij, qui illud transfert, ordinatur in alterum hominẽ, in eum, scilicet in quem dominium transfert, ergo per solum conceptum, & actum internũ nulla est translatio dominij, nec aliqua inde consurgit obligatio. Minor cũ consequentia aperta est. Maior probatur, quia homo ita est animal polyticum, vt simul sit corporeum ex anima, & corpore cõstans, quod non valet sua opera cum altero homine cõmunicare, nisi mediante corpore, & actione externa, in quo differt ab Angelis, qui cum sint incorporei, & intellectuales, intellectualiter, & spiritualiter inter se cõmunicant, homines verò per voces & signa sensilia.

Et confirmatur ex sacramentis, in quibus ideo instituit Christus in materiam & formam res externas, & sensiles, quia homo propter quem instituta sunt, ex corpore & spiritu constat, & actiones internas per externa signa communicat, & profert.

Secundò, promissio mutua, & quæ mutua nõ est, sed simplex, licèt differant in modo & circunstantia, quia vna est mutua, alia non mutua, conueniunt tamen ambæ in natura promissionis, sed in promissione mutua, ex sola interna, & occulta animi deliberatione nulla nascitur obligatio, nec tenetur vnus suam mentem alteri indicare, ergo neque ex promissione non mutua, & simplici nascetur aliqua obligatio. Patet consequentia, quia si aliqua ibi esset obligatio, nasceretur illa ex vi promissionis, cum igitur in mutua occulta nulla sit obligatio, quamuis sit promissio, quia est occulta, neque in non mutua, & simplici, cum sit etiam occulta & purè mentalis, aliqua erit obligatio.

Denique hæc est apertissima sententia D. Tho. loco citato, q. 88. art. 1. vt patet ex discrimine adducto, quod ipse D. Tho. constituit inter promissionem factã Deo, & factam homini. Et consona Sacræ Scripturæ Sap. 6. & Prou. 6. repetuntur hæc verba. [Captus est proprijs verbis, & illaqueatus sermone oris sui.] Vbi apertè insinuatur, hominem non obligari alteri, nisi dum illi suum consensum exterius indicat & promittit. Estque communis omnium hominum conceptio, tàm peritorum, quàm imperitorum, neminem alteri obligari, nisi illi verbis fidem dederit, vnde commune illud proloquium, [Verba ligant homines.

Nunc ad argumenta in oppositum.

Ad primum respondeo, posse quidem vnumquemque transferre dominium suarum rerum in alterum sua libera voluntate, seruato tamẽ polytico, & humano more, & debita ratione communicandi, & tractandi cum hominibus, nempe per signa externa & verba, non aũt per solos conceptus internos, non enim sumus Angeli.

Ad secundum respondeo, naturam, sicut instituit voces & signa ad exprimendos conceptus internos, ita etiam instituisse ipsas voces & signa, vt instrumenta quibus vnus homo obligetur alteri; verba enim ligant homines, vnde licèt actus externi habeant vim ab internis, interni tamen non ligant sine externis, sed in digent illis ad vnum hominem alteri obligandum, tanquam conditione sine qua non.

Ad tertium dico, falsum esse antecedens in ordine ad hominem, erga Deum quidem deliberatio, & promissio habent vim, quam non habet solum propositũ, vt videbimus in materia de voto, at erga hominem nihil amplius valet promissio, vel deliberatio interior non expressa verbis, vel signis, quàm propositum internus, quod potest quisque pro libito mutare, cum contractus humanus non geratur nisi per signa & verba externa.

Ad quartum constat iam ex doctrina D. Thom. Deo posse hominem se obligare per actum internum, quia est inspector cordis, & cui omnia nuda sunt & aperta, vnde ad ipsum ordinamur, & potissimè, per internã voluntatem, & actus interiores, ad hominem autem, qui non intuetur cor, sed tantum videt ea quę foris apparent, non ordinamur, neque illi nos astringimus in aliquo, per nudam voluntatem, nisi adhibitis verbis & signis externis.

Ad quintum dico, illam promissionem iuratam non habere vim, & obligationem ex vi promissionis, sed ex vi iuramenti propter reuerentiam diuini nominis, vt videbimus in materia de iuramento. Vt si quis promittat latroni, in via ipsum deprædanti, & occidere volenti centum sub iuramento, tenetur seruare illam promissionem, non quia illa sit obligatoria, sed quia cum possit ab ipso licitè adimpleri, & virtute iura-

iuramenti adducitur, Deum in testem illius promissionis, debet ex religione, & reuerentia Deo debita, præstare, id, in cuius testimonium talem testem adduxit.

Ad sextum dico, in tali casu teneri illum dare quod alteri promisit interius, non propter solam promissionem internam, sed quia illam exterius expressit, nec reuocauit, quæ cum alter velit accipere, effectu est iam externa promissio sua donatio, ac vt talis valida & obligans.

Ad septimum respondeo, esse per accidens illam promissionem non audiri a surdo, cæterum cum sit expressa, & habeat omnia requisita ad legitimum contractum humanum, nempè vt fit ab eo qui potest, & vult transferre, & exterius significata, habet suam vim, & inducit obligationem, sicut si audiretur: nam quod non audiatur, per accidens est, nec tollit uim, quam natus est habere talis contractus. De promissione autem quæ sit absenti, dicetur copiosius suo loco, articulo sequenti.

Ad vltimum respondeo, D. Tho. (vt ex verbis ipsius apertè constat) agere eo loco de promissione externa, quam non adimplere est quædam infidelitas. Similiterque agere ibi de mutatione animi alteri significati, nam animum nondum expressum mutare (vt hic docuimus) licèt, cum per internum actum nullum ius alteri adhuc sit acquisitum, nec vlla consequenter per talem mutationem fiat illi iniuria: Nec valet, dicere, illam promissionem internam esse mentalem quandam loquutionem, & ideo non adimplentem illam mentiri, & fidem frangere, quia cum mendacium sit aliud ore, & aliud corde habere, quando fides non datur per verba externa, sed interius tantum, cum internus consensus licèt sit mentalis loquutio apud se, non tamen sit loquutio ad alterum, etiam si mutetur, neq; mendacium ibi est, neque fidei fractio verè & realiter.

Percunctabitur hic aliquis. Si quis deliberet interius dare Ioan. centum, & habeat simul animum obligandi se ad illud in conscientia, manebit ne obligatus? Respondeo, hunc hominem si quemadmodum statuit dare centum Ioanni, ita simul statuat obligare se illi, nihil cogitans de propria conscientia, non teneri ad aliquid: quia sicut promissio interna in ordine ad Ioannem non obligat, ita neque statutum internum obligandi se eidem Ioanni: quia vnus homo in nullo obligatur alteri nisi per actum externum: si verò statuat apud se dare Ioanni, & simul statuat obligare se in conscientia ad id efficiendum, tunc teneri reuera in foro interiori. Primò, quia cum testis conscientiæ sit solus Deus, promissio illa facta cum ista additione, implicitè, & virtute fit Deo, etiam si tunc non recordetur actu Dei: quemadmodum qui statuit dare aliquid pauperi vel ecclesiæ interius, etiam actu non recordetur Dei, tenetur, tanquã si illud Deo promiserit adimplere, quia omnis pia promissio implicitè, & virtute fit Deo, Secundò, quia velle se obligare in conscientia est quoddam genus voti, votum autem perficitur etiam per actum internum.

Ex his fit, quæ dicta sunt in articulo de actu interiori, intelligenda esse de simplici donatione, quæ fit ob humanam amicitiam, vel alium finem temporalem: quod si interna deliberatio sit de aliquo opere pio, cũ illa fiat Deo, & sit quoddam votum, sufficiet actus internus ad obligandum.

ARTICVLVS III.

Quam vim habeat in foro conscientiæ ad transferendum dominium, vel ad obligandum promissio externa.

ANgelus in verbo. Pollicitatio distinguit inter pollicitationem, & promissionem, ita vt illa fiat nullo rogante, & acceptante, promissio verò aliquo & rogante, & acceptante. Communiter autem inter Doctores hæ duæ voces pro eodem sumuntur, maximè à Syluestro in verbo: Pactum. Promissio igitur multiplex est, quædam cum iuramento, de qua in materia de iuramento, alia simplex, & sine iuramento, de qua in hoc articulo. Hæc rursum aut est omnino simplex, aut cum causa, omnino simplex est, quæ nec fit ratione alicuius debiti præcedentis, nec sub conditione, vel conuentione aliqua cum altero, sed propria tantum sponte, & simplici verbo promittentis, ex mera ipsius liberalitate, vocaturque pactum nudum. Alia verò est cum causa, quæ vel fit ratione alicuius debiti, vel vt is, cui fit aliquid præstet, vocatur pactum vestitum, ad quam etiam reducuntur promissiones, quæ fiunt Ecclesijs, Hospitalibus, pauperibus, etiam si fiant ex mera liberalitate, quia in his obsequium Dei, est velut causa, & debitum. Rursum omnes istæ promissiones tàm nudæ, quàm vestitæ aliqua causa possunt bifariam fieri, aut verè, & animo adimplendi illas, aut fictè, & sine tali animo, similiter aut possunt fieri præsenti, & acceptanti, aut absenti, & remoto. De quibus omnibus hic agendum est.

Obseruemus secundò, sicut non omnis assertio futuri est promissio, possum enim dicere, & asserere aliquid, non promittendo illud, sed explicando tantum institutum animi mei, vt cum admoneo auditores cras me lecturum, ita quoque non fieri promissionem per sola verba promissoria, vt promitto, spondeo, do fidẽ &c. verum etiam multoties per verba non promissoria sed assertoria: Quod accidit dupliciter. Primò, quando per illa licèt natura sua assertoria, habeo animum obligandi me quomodo Gen. 28. Iacob promisit licèt per verba assertoria, quando dixit. Si dominus fuerit mecum in via per quam ambulo, ex omnibus quæ dederis mihi offeram ei. Et 1. Reg. 1. quando dixit Anna, si dederis mihi sexum virilem) dabo eum domino omnibus diebus vitæ eius. Secundo modo quando iuxta communem conceptum prudentum, verba illa sic dicta habent sensum promissorium, Dico, obsecro te vt aliquid pro me agas, respondes faciam, est promissio, quia licèt vox faciam simpliciter sit assertio, in bocca su iuxta communem conceptum est promissio. Et ita qui dicit ducam te in vxorem meam promittit, & sunt sponsalia, quia licèt vox ducam natura sua tantum sit quædam assertio, & explicatio animi, ex communi consensu Ecclesiæ significat promissionem. Vnde reijciendus est cauillus multorum, qui quæ promiserunt, dicũt se non promisisse, quia non dixerunt promitto, do fidem, sed faciam dicam, &c. Standum enim est in his significatione, quam talia verba sic dicta habent, iuxta communem prudentum conceptum.

Obseruemus tertiò, in promissione, vt valida sit, & liget, ex communi Doctorum consensu, requirit vt sit vera, deliberata, & voluntaria, rei licitæ, possibilis, & quam mutatio rerum vel status non enertet. Primò igitur requiritur vt sit vera, nam ficta quæ sit sine animo obligandi se ipsum, iuxta D. Thom. in 5. q. 1 to. art. 3. ad 5. & omnes eius discipulos, non obligat in foro interiori: Secundò, deliberata, vt is qui promittit sit sciens, & volens, sufficit enim ad promissionem, deliberatio, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, vel ad votum. Tertiò vt sit voluntaria, agimus enim hic de simplici, & sine iuramento promissio enim quam iuramentum non confirmat, si extorta sit vi vel metu in nullo foro obligat vt constat per varia capita. De bis quæ vi metusve causa fiunt. Quartò rei licitæ, etenim qui promittit peccare aut id quod sine peccato adimpleri non potest, peccat promittendo, & multò magis adimplendo, sicut qui vouet vel iurat aliquid iniquum. Vnde illud Isidori 22. quæst. 4. [In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quinto, possibilis, nam ad impossibile nemo tenetur, vt habetur de reg. iuris, lib. 6. Reg. Nemo. Vnde talis amentia potius est

quàm promissio. Vltimò quam mutatio rerum vel status non eneruat, tali enim superueniente mutatione vt docet Diu. Thom. loco citato. Ex Seneca libro de beneficio. promissionis vis cessat, Verbi gratia promisi Petro ensem, non teneor dare, si deinde insaniat. 22. q. 2. can. Ne quis: Promisi ducere Ioannam virginem fornicatur deinde, non teneor iam illam ducere. capit. Quemadmodũ de iureiurando: Promisi aliquid quod tempore promissionis erat licitum, vt mittere ad te triticum, quando adimplenda est promissio, redditum est id illicitum, vel Rege prohibente extractionem tritici è regno, vel quia illud omnino meæ familiæ est necessarium, non teneor adimplere promissum, ita ca. Quinta vallis. De iureiurando, sunt autem hæc intelligenda non de qualibet mutatione, sed de ea, quam si promittẽs recogitasset, reuera nihil tale promisisset, vt docet optime Glossa in capit. significasti el 1. de Homicidio. In quo confessarius cum sit iudex in foro conscientiæ, stabit dicto, & fidei promittentis.

Circa hæc sese offerunt graues, & vtilissimæ controuersiæ. Prima est;

AN PROMISSIO FICTA OBLIGET *in conscientia, quando scilicet promittens non habuit animum se obligandi.*

AD hanc quæst. & sequentes obseruemus, Veritatem, & fidem, qua alicui in promissione damus maximè distingui, nam veritas quę propriè dicitur veracitas pertinet ad verba, & formaliter ac propriè in ipsis consistit, cum ordine, & relatione ad animum. Vnde est verum, seruaturque veracitas, quando id profertur ore quod animo concipitur, falsum aũt, & mendacium quando non ita profertur: fides autem, quam alteri damus, & per quam nos alteri astringimus, & cuius adimpletio dicitur fidelitas, pertinet etiam ad verba, cum ipsis explicetur, potissimum tamẽ ad animum, & consensum internum voluntatis, verba enim ea se, & sua natura sicut non sunt instituta ad obligandum, sed ad explicandos animi conceptus, ita ex sua natura non habent vim obligandi; sed explicandi, obligant autem quatenus significantia internum animi consensum, & ita principium, & radix omnis obligationis, & vinculi in contractibus humanis est consensus voluntatis, maximè in foro conscientiæ, in quo potissima regula ad iudicandum de contractibus, & actionibus humanis est interior consensus voluntatis.

Obseruemus secundò, veracitatem, & fidelitatem sic differre, vt veracitas non pertineat ad iustitiam; sed est virtus quædam moralis, consistens non in ordine ad alterum, quod est de ratione iustitiæ, sed in ordine verborum quæ dicuntur ad cor, vnde potest quis mentiri, & agere contra veracitatem, absque eo quod agat contra iustitiam, vt cum quis mentitur sine vlla iniuria alterius, vt in mendatio officioso. Quo fit vt mendatium ex suo genere non sit peccatum mortale, sed veniale tantum, quia ex suo genere nullam iniuriam natum est inferre proximo; erit autem mortale, si ex materia vel circumstantia aliqua sit nociuum, & tunc est contra iustitiam, non qua mendatium est, sed qua nociuum cum iustitiæ sit, vt suum vnicuique tribuatur, & nulli noceatur. Fides autem quam alteri damus, & per quam nos alteri astringimus, cui opponitur infidelitas siue perfidia, pertinet ad iustitiam, & illam non seruans (qui dicitur perfidus fidei fragus, & infidelis) agit contra iustitiam commutatiuam, contra iustitiam, quia iustitiæ est reddere debitũ vera autem promissa debita sunt, iuxta cõmune dictum omnium hominum, quod est quædam vox naturæ, [Omne promissum debitum.] Et commutatiuam, quia iustitiæ commutatiuæ est, da vt des, facere vt facias, quando autem datur alicui fides per veram promissionem, videtur interuenire hic contractus, credo tibi, quia tuam astrinxisti fidem, serua fidem, quia credidi tibi: Vnde oĩum sapiẽtum iudicio qui fidẽ suam in re graui alteri dedit, maximam illi infert iniuriam, nisi illam seruet. Quo circa dixit Cicero. 1. de officijs? [Fides hæc de qua loquimur, non solum ad iustitiam attinet, verum etiam est verissimum iustitiæ fundamentum, cui omnium, hominum pacta conuenta quę nituntur.]

Obseruemus tertiò, in promissione omnino simplici, & nuda, in qua nulla est causa præter liberam voluntatem promittentis, nullum aliud debitum reperiri, pręter illud, quod nascitur ex voluntate, & fidelitate promittentis, in promissione verò in qua est causa aliqua vel conuentio, quam dicimus pactum vestitum, pręter debitum quod dependet ex voluntate, & consensu promittentis, reperiri etiam debitum illud, quod causa illa vel conuentio facta secum affert. Estque talis promissio quidam contractus mutuus, pertinens ad iustitiam commutatiuam, cum talis promissio sic fiat, promitto, quia hoc aut illud facies; vel hoc aut illud debeo, quia hoc aut illud fecisti.

His positis nonnulli ex recẽtioribus volunt promissionem fictam non solum illam, quę est ex causa, & aliquo debito præcedenti, verum etiam illam, quæ est omnino simplex, & nuda, obligare in conscientia ad præstandum promissum.

Probant primò, mendacium nociuum obligat ad restitutionem nocumenti illati, promissio ficta in re graui, est deceptio, & mendacium cum iniuria, & nocumento illius, qui sic decipitur; quicunque enim vir prudens per talem promissionem fictã maximam sibi iniuriam esse illatam iudicat, hoc nocumentum resarciri non potest nisi seruando promissum, Ergo.

Secundò in re graui sub pœna mortalis veritas simpliciter asserenda est pro omni tempore, tam pro præsenti, quàm pro futuro, qui promittit fictè non solum mentitur quando promittit, verum etiam quamdiu non adimplet, ergo quandiu non adimplet, manet in statu peccati mortalis, ergo vt ab illo se eximat, tenetur adimplere.

Vltimò est fidelitate quam homines iure naturali inter se seruare tenetur, hæc duo sunt selara, credidi tibi danti mihi fidẽ tuã serua mihi illã: sed in promissione etiã ficta, promissarius credidit, & habuit fidem promittenti ergo tenetur ille alter seruare, Vnde est commune dictum, & velut vox naturæ: verba ligare homines, cui consonat illud scripturæ. [Illaqueatus es verbis oris tui.]

a Contrariam sententiam videtur docuisse D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. Et apertissimè Caie. eodem loco D. Antoninus 2. par. titulo 5. ca. 6. §. 1. Siluester Verb. Pactum q. 4. Azpilcueta in Manuali cap. 18. num. 6. & plerique Thomistarum quos nos etiam sequemur. Sit ergo, Prima conclu.

[Promissio ficta non obligat ita in foro conscientiæ, vt qui sic promisit, teneatur illud adimplere.] Probatur, Ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. hoc interest inter actum hominis, & actum humanum, quod ille potest esse sine consensu per incogitantiam, humanus verò sicut natura humana est intellectualis, & liberi arbitrij, ita debet esse à sciente, & volente, promissio quæ verè est promissio, & per quam datur fides est actus quidam humanus, ergo vt obliget debet esse à sciente, & volente, ficta non est à volente, ergo non obligat.

Secundò omnis obligatio in promissione nascitur ex fide data, verba enim externa ex se non obligant, sed tantum sunt signa explicantia internam fidem quę illis datur, in promissione ficta nulla datur fides, sed tantum verba, vt constat ex prima obseruatione. Ergo.

Tertiò, si ex promissione ficta nasceretur obligatio, vel propter verba quæ dicuntur, vel propter consensum voluntatis, vel propter vtrumque simul, non propter vtrumque simul nec propter consensum, cum

sola

ſola verba data ſint in tali promiſſione, & non ex animo, nec propter verba, quia verba ſine conſenſu voluntatis, nihil aliud habent quam eſſe verba, verba autem vt verba non ſunt inſtituta ad obligandum, ſed ad explicandum tantum.

Vltimo, ſi quis virginem violauerit, quam promiſit ficte ducere, & ſit æqualis conditionis cum illa, omniũ conſenſu tenetur illam ducere: cauſam autem quam reddunt Doctores, vt D. Thom. in 4. diſtinct. 28. quæſt. 2. Scotus in 4. diſtinct. 30. quæſt. 1. Antoninus loco ſupra citato. Adrianus in 4. quæſt. 2. de matrimonio. Nauarro cap. 16. num. 18. & ex recentioribus Victuria, & omnes Salmanticenſes, vt refert Speculum coniugiorum tertia parte art. 16. non eſt quia promiſit, cum fuerit ficta promiſſio, ſed quia intulit illi nocumentum, quod tenetur reſarcire ad æqualitatem, quod non rectè præſtat cum ſit illi æqualis per pecunias, ſed ducendo illam, ergo iuxta hanc doctrinam promiſſio ficta non obligat. Hæc eſt aperta doctrina D. Gregorij. 22. quæſt. 5. can. Humanæ. [Humanæ (inquit) aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant, diuina vero iudicia talia audiunt, qualia ex intimis cordis proferuntur, certè nouerit ille qui voluntatem, & intentionem alterius varijs explicat verbis, quia non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis, ſed verba intentioni deſeruire.] Vbi apertè noſtram videtur habere ſententiam. Secunda concluſio.

[Promittens fictè in re graui peccat mortaliter.] Patet, mendacium licèt ex ſuo genere peccatum veniale ſit, quando tamen per illud grauis iniuria infertur proximo, mortale eſt. Sed promiſſio ficta maximam infert proximo iniuriam. Conſtat enim experientia virum prudentem cum primum nouit in re graui promittentem ipſi eſſe mentitum, maxima iniuria, & contumelia iudicare ſe affectum, ergo.

Secundò ex D. Tho. ſupra quæſt. 28. cum charitas ſit amicitia, illud omne eſt peccatum mortale contra charitatem, per quod inter prudentes iuſtè diſſolueretur amicitia, ſed quiuis prudens iuſte repelleret à ſua amicitia illum, qui in re graui ipſum deciperet, ergo.

Vltimò nemo excluditur à beatitudine, neq; habet illum Deus odio niſi propter peccatum mortale, at ſic mentientes abominatur Deus, & excludit à gloria vt homicidas, Pſal. 5. [Virum ſanguinũ, & doloſum abominabitur dominus,] ergo. Tertia concluſ.

Si per promiſſionem fictam aliquod nocumentum inferatur proximo præter iniuriam, & contumeliam quæ naſcitur ex deceptione, damnum illud reſarciendum eſt. Patet, quia omne damnum iniuſtè illatum ſatisfaciendum eſt, damnum autem quod infertur in deceptione, iniuſtè infertur, Quod ſi ſola irreuerentia, & contumelia illata ſit, tunc tenetur fictè promittens ad duo: primò quia decepit, certiorem facere proximum, vt ab illa deceptione liberetur. Secundo, quia contumelia eum affecit placare illum, ea via qua placandus eſt proximus contumelia affectus, per verba vel alio modo. Vltima concl.

[Si promiſſio ficta ſit ex cauſa vel debito, in cõſcientia adimplenda eſt.] Patet in promiſſione, quamuis ficta, ſed quæ fit ex cauſa, licèt non exiſtat debitũ quod naſcitur ex fidelitate, cum fuerit ficta, exiſtit tamen debitum, quod conſequitur cauſam, huic debito non ſatisfit niſi adimplendo promiſſionem, ergo.

Ex his ſequuntur duo: primum eſt, de promiſſione ficta quæ naſcitur ex debito præcedenti, iudicandum eſſe, etiam ſi promittens non habuerit intentionem, perinde ac ſi habuiſſet, quia ratione illius debiti præcedentis tenebatur illam habere, Secundum eſt quando promiſſum fuit ex cauſa non vera, etiam ſi fiat cum intentione, non obligare promittentem perinde, ac ſi non habuerit intentionem. Verbi gratia aſſerit Petrus ſe cognatum meũ, ob hanc cauſam, promitto illi centum aureos, ſi deinde deprehendam non eſſe cognatum, non teneor dare, quia talis conſenſus fuit ſub illa conditione, conſenſus autem conditionatus conditione non exiſtente vera, nullus eſt.

Nunc ad argumenta in oppoſitum, Ad primum patet ſolutio ex tertia concl.

Ad ſecundum reſpõdeo, teneri hominem ad verum ſemper aſſerendum, & ita qui fictè promittit, peccat quando promittit, in futurum verò non tenetur niſi ad certiorem reddendum illum, quem decepit, & placandum, vt ita eſſet deceptio, & mendacium illius.

Ad tertium dico, illa duo habui tibi fidem, ergo ſerua fidem, relata eſſe, quando fides data eſt, quando autem ſola verba data ſunt, & alter deceptus eſt, non tenetur promittens ſeruare fidem, cum illam non dederit, ſed deceptum liberare à deceptione, & placare.

Poſt promiſſionem fictam agendum eſt de vera, Ea poteſt fieri vel præſenti, & acceptanti, vel abſenti, & remoto. Videamus primum.

AN PROMISSIO FACTA PRAESENTI, & acceptanti, obliget in conſcientia.

OBſeruemus primò, propoſitam quæſtionem intelligenda eſſe ex genere ſuo, & obiecto, quia ratione alicuius circumſtantiæ, quæ ab extrinſeco accidere poteſt, non eſt dubium quin poſſit eſſe mortale non ſeruare promiſſum, vt cum medicus promiſit infirmo adhibere oẽm diligentiam in illo curando, propter quod infirmus ille non vocauit aliũ medicũ, ſi medicus ille non adhibuit diligentiã, quam promiſit, & ea de cã infirmus ille grauius damnũ paſſus eſt, tunc violaſſe illã promiſſioné, eſt mortale, propter graue detrimentũ quod infirmo intulit, pertinetq; ad peccatũ iniuſtitiæ.

Obſeruemus ſecundò hic tantum quæri an violare promiſſionem ſit mortale, nam quod ſit veniale nulli eſt dubium. Quo modo quæſtio hæc grauis eſt, & neceſſaria ad mores, quia ſi violare promiſſionem ex ſuo genere eſt mortale, quando violabitur in materia graui erit mortale, etiam ſi non tranſeat ad ſpeciem alterius virtutis materia illa, quod ſi violatio iſta ex ſuo genere venialis tantum ſit, etiam ſi ſit de materia grauiſſima erit venialis, niſi iam ratione materiæ tranſeat ad ſpeciem alterius virtutis, quæ ſit ſub præcepto.

His poſitis Armilla in verbo, Perfidia, & Caie. (quẽ ſequuntur nonnulli recentiores) eodem Verbo: & infra q. 113. art. 5. ſtatuunt promiſſionem veram duplicẽ eſſe, aliam ſimplicem, quæ fit ſimplici verbo, aliam legalem quæ fit coram teſtibus vel ſcripto, dicitur hæc legalis, quia ex lege debet promiſſio corã teſtibus vel ſcripto facta eſſe, vt poſſit promittens compelli in iudicio ad complendum illam: Inter has conſtituit hoc diſcrimen, vt ex illa priori nullum aliud debitum oriatur, quàm naturale debitum non mentiendi, ita vt qui illam non ſeruat, agat quidem contra veritatem, quam iure naturæ debet, non tamen contra iuſtitiam, niſi iã non ſeruare talem promiſſionem ex circumſtantia ſit nociuum, tunc enim erit quoque contra iuſtitiam ratione illius nocumenti. Ex alia verò promiſſione nẽpe legali naſcatur duplex debitum, nempe illud naturale non mentiendi, & aliud legale, id eſt debitum reddendi promiſſum virtute legis. Nam cum ad conuictum, & ſocietatem humanam æquum ſit, ciues promiſſiones maturas, & benè deliberatas adimplere, fidem quæ ſibi datam ſeruare: lex circa illas promiſſiones quæ fiunt ſolo verbo, cum temere, & impudenter, ac facilè poſſint, & ſoleant fieri, nihil decernit, illas aut quæ fiunt coram teſtibus vel ſcripto, vt maturas, & plenè deliberatas vult ad tollendas rixas, & lites, ac alia incommoda, quæ non ſeruatis huiuſmodi promiſſionibus in Rep. paſſim orirentur, obſeruari, & adimpleri, & promittentem manere debitorem, ſicut ad tollendas lites, & pacem Reip. ſtatuta eſt lex

præſcriptionis: quæ lex cum reſpiciat bonum commune, eſt iuſta, obligans in conſcientia, & inducens debitum quod vocamus legale.

Colligit ex his Caie. promiſſionem factam coram teſtibus vel ſcripto obligare in conſcientia, ad præſtandum promiſſum, cum ex tali promiſſione non ſolum naſcatur debitum non mētiendi, & ſeruandæ veracitatis, verum etiam debitum illud legale, ad quod tenemur ex iuſtitia virtute legis iuſtæ, propter quod non ſeruans talem promiſſionem peccat mortaliter contra veritatem, & contra iuſtitiam, manetque ſemper ei vinculum præſtandi promiſſum in vtroque foro, quia debet illud id in conſcientia, cum lex ſit iuſta, & poteſt compelli à iudice, Promiſſionem autem ſimplici verbo factam, (niſi eius omiſſio ſit nociua) non obligare in conſcientia, nec eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantum illam violare.

Probatur primo, ex promiſſione vera, & ſimplici tantum naſcitur debitum illud naturale non mentiendi, & ſeruandæ veracitatis, ad non mentiendum autem non tenemur ex iuſtitia, nec ſub mortali, niſi quando mendacium eſt pernicioſum, ergo ex ſimplici promiſſione nemo manet deuinctus adimplendi illam, nec peccabit mortaliter ſi non adimpleat: Maior ſumitur à Caie. tanquam certa. Minor conſtat ex dictis, veracitas enim cum non ſit ad alterum, ſed tantum dicat ordinem ſermonis ad mentem, non pertinet ad iuſtitiam.

Secundò violare promiſſionē ſimplicem, nihil aliud eſt quàm fallere, & decipere, fallere autem ex ſuo genere non eſt niſi veniale, vt patet in mentiente, ergo. Et confirmatur ſicut mendacium eſt triplex, iocoſum, officioſum, & nociuum, è quibus ſolum nociuum eſt mortale, ita deceptio, & perfidia eſt triplex, iocoſa, ocioſa, & nociua, è quibus hæc tantum vltima eſt mortalis.

Vltimo quod debetur ex iuſtitia poteſt apud iudicem exigi, cōtra promiſſionem ſimplici verbo factam, non licet apud iudicem agere, nec iudex poteſt ſic promittentem compellere in iudicio, ergo.

Oppoſitum docent Panor. 22. q. 5. can. Iuramētum, Et cap. primo de pactis, Et in cap. Prudentiam de donationibus, & in cap. Si cautio de fide inſtrum. Siluester verbo Pactum, num. 3. & 4. Soto lib. 7. de iuſtitia q. 2. art. 1. Nauarro in manuali cap. 18. num. 6. D. etiam Antoninus 2. parte, titulo 10. cap. 1. §. 4. videtur in hanc declinare, & M. Victo. eandem dicitur habuiſſe. Volunt ergo non ſolum promiſſionem illam legalem obligare, in conſcientia, (in quo omnes conueniunt) verum etiam violare illam, quæ ſolo verbo fit, niſi ex leuitate materiæ excuſetur, eſſe peccatum mortale, & teneri in conſcientia ad illam adimplendam.

Probatur, In contractu promiſſionis ex D. Thom. ſicut veritas reſpicit ipſam promiſſionem, ita fides executionem illius, nec id diffitetur Caiet. cū dicat in ſumma, Perfidiam in promiſſis eſſe vitium contra fidem, qua fiunt dicta: Et in 22. loco citato veritatis eſſe verum dicere, fidei autem dicta verificare, vnde ſicut obligat veritas ad non decipiendum fratrem in promiſſione, ita fides adimplendū promiſſum, & opere verificandum, ſed decipere fratrem promiſſione ficta in re graui eſt peccatum mortale, vt conſtat, ergo, & non adimplere promiſſionem eſt peccatum mortale vbi data eſt fides, in promiſſione autem vera quantumuis ſimplici data eſt fides, ergo.

Secundò, vt vidimus, & optimè Cicero, veritas non pertinet ad iuſtitiam, fides autem maximè, adeò vt ſit ipſius iuſtitiæ fundamentum, vnde qui non adimplet promiſſionem veram, agit contra fidem datam, & conſequenter contra iuſtitiam, peccatum autem contra iuſtitiam in re graui eſt ex ſuo genere mortale, & cum debito ſatisfaciendi, ergo.

Tertiò promittere non ſignificat dicere verum vtcunque, ſed dicere illud obligando ſe cui dicitur, ad illud ſeruandum & adimplendum, vnde tranſit in naturam iuſtitiæ, ergo violare ſimplicem promiſſionem verè, & ex animo factam, nō ſolum eſt contra veritatem, verum etiam contra iuſtitiam.

Quartò, omnis iniuria, per quam inter prudentes iuſtè diſſoluitur amicitia, eſt peccatum mortale contra charitatem, ſed omnium ſapientum iuditio prudenter, & iuſta, repellet quiuis à ſua amicitia eum, qui in re graui violat fidem ſibi datam, nec minorem ſibi iniuriam vir ſapiens iudicat irrogari, non ſeruata fide, quam falſa, & ficta promiſſione, ergo. Et confirmatur quia omnium gentium, & nationum exiſtimatione, perfidus, & fidei fragus iudicatur execrandus, vt ſceleſtiſſimus homo: quæ communis exiſtimatio eſt vox quædam naturæ.

Quintò ex D. Tho. infr. q. 88. ar. 3. violatio voti non ſolum eſt peccatum grauiſſimum, quia eſt contra virtutem religionis, verum etiam quia eſt contra virtutem fidelitatis, & eſt ſpecies quædam infidelitatis contra fidem datam, vnde ex D. Tho. infidelitas in promiſſis in re graui ex ſuo genere eſt peccatū mortale, nō adimplere veram promiſſionem quamuis ſimplicem eſt infidelitas, ergo.

Sexto ſeruare fidem non ſolum eſt inclinatio naturalis, verumetiam pręceptum iuris naturæ, deductum neceſſariò ex illis primis principijs. Quod tibi non vis, &c. Et quod tibi vis &c. vt illa, non occides, non falſum teſtimonium dices, cuius oppoſitum nempe non ſeruare fidem eſt contra dilectionem proximi, vt conſtat ex tertio argumento, Quicquid dicat. Caiet. Præcepta autem iuris naturalis, quorum violatio eſt contra charitatem proximi, obligant ſub mortali.

Septimò, promiſſio illa quæ fit coram teſtibus, & tabellione, licèt in iudicio forenſi habeat maiorem vim, verum à parte rei, ideo pertinet ad iuſtitiam, quia eſt fides data fratri, ſed ſimiliter in ſimplici promiſſione, quę non fit cum iſta ſolemnitate, datur fidei fratri, ergo pertinet etiam ad iuſtitiā. Minor cum conſequentia perſpicua eſt. Maior probatur: quia ſolemnitas illa non mutat nec variat naturam promiſſionis, ſed tantum reddit illam ſolemniorem, & validiorem in iudicio, à parte autem rei nec mutat, nec addit maiorem obligationem in conſcientia, cum in foro animæ tota obligatio oriatur ex fide verè data alteri.

Octauò, quæ ſunt neceſſaria ad conuictum, & ſocietatem humanam iure naturæ ſunt obſeruanda ex iuſtitia legali, quæ reſpicit bonum commune, ad conuictum autem, & ſocietatem humanam, nihil magis neceſſarium, quàm vt ciuas ſibi fidem ſeruent, cum hæc (vt dixit Cicero) [Sit fundamentum omnis iuſtitiæ, cui omnium hominum conuenta pactaque nituntur,] ergo. Vnde Prou. 6. [Si ſpoponderis amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui. Eccleſ. 15. Diſplicet Deo infidelis, & ſtulta promiſſio.] In ſcriptura autem, quæ Deo dicuntur diſplicere mortalia ſunt: Et in cap. illo Iuramenti. 22. q. 5. in diuino iudicio ſimilis culpæ eſſe aſſeruntur qui falsò iurat, & perfidus: dicente Scriptura: [Os quod mentitur occidit animam.] Et ibidem ait D. Chriſoſtom. [Dominus inter iuramentum, & ſimplicem fidelium loquelam nullam vult eſſe diſtantiam,] ſed iuramentum obligat ex ſuo genere ſub mortali, ergo & noſtra promiſſio ac loquela. Et cap. qualiter, de pactis, habetur, [Studioſè agendum eſt, vt ea quæ promiſimus, opere compleamus.] Idem habetur in ſententia cap. 1. eodem titulo, & L. 1. ff. de pactis. Et idem Caie. infra. q. 88. art. 1. ait, violare ſimplicem promiſſionem aliquando eſſe veniale, id eſt in materia leui, aliquando verò mortale, id eſt in graui materia. Vnde ex eodem Caiet. erit mortale ex ſuo genere, nam quod ex ſuo genere eſt veniale, non fit mortale, niſi tranſeat in aliam ſpeciem peccati quod ex ſuo genere ſit mortale: vnde ibi Caiet. non ſibi conſtat, ſed potius videtur docere eo loco eſſe mortale ex ſuo genere.

Ex

Ex quibus apertè sequitur veram promissionẽ, quæcunque illa sit, obligare in conscientia, cum sit peccatum mortale illam violare, & per consequens potens illam adimpleat, nec est aliter absoluendus: sicut qui in casu quo tenetur facere eleemosynam, si non facit cum possit, nisi faciat non est absoluendus. Et qui tenetur restituere, si possit, non est absoluendus, nisi restituat.

Eandem sententiam habet apertè D.Thom. infra q. 110. artic. 3. ad 5. cum dicat, eum qui verè promisit, & rem licitam, ac cum alijs conditionibus, quas initio huius art. apposuimus, infideliter agere, nisi seruet promissum; & infideliter mutare animum quem habuit, dum verè promisit. Vbi non tantum contra veritatem, verum etiam contra fidelitatem debitam dicitur agere huiusmodi, infidelitas autem in re graui ex eodem D.Thom. loco citato. q. 88. art. 3. ex suo genere peccatum mortale est.

Excusatur autem ab hac obligatione adimplendæ promissionis. Primò, qui post illam datam redditus est impotens ad illam adimplendam, in hoc enim casu est velut mutatio rerum, & status. Secundò, si res promissa reddita sit iam inutilis, vel noxia promissario, vt promisi tibi ensem, & tu effectus sis furiosus. Tertiò, si seruare fidem datam, ex aliqua causa superueniente futurum est mihi magis nociuum, quam sit tibi profutura illius obseruatio: verbi gratia, promisi tibi cras meam opem in iudicio, infirmatur interim filius cui si cras desim, plus illi nocebo mea absentia, quàm tibi sim profuturus in iudicio, non teneor. Vnde seruanda est in his regula quam loco citato assignat, & benè Caiet. vt considerentur impedimenta superuenientia, & conferantur cum re promissa, & facta collatione, quod recta ratio suaserit pensatis conditionibus locorum, personarum, temporum, & negotiorum esse honestius, id fiat.

Nunc ad argumenta ipsius Caiet. Primum, illud sumit falsum fundamentum, nempe ex promissione vera, & simplici tantum consurgere debitum non mentiendi: constat enim ex dictis, consurgere etiam debitum seruandæ fidelitatis: nam in vera promissione duo sunt, veritas in promittendo, & fides in adimplendo, quæ fides cum pertineat ad iustitiam, infidelitas illi opposita est peccatum mortale in re graui.

Similiter soluitur secundum, nam in vera promissione, illam non seruare non solum est fallere, verum etiam violare fidem datam.

Ad tertium respondeo D.Thom. eo loco, vt ex verbis ipsius, & progressu sermonis constat, nomine honestatis non excludere iustitiam particularem, ad quam tenemur in foro conscientiæ, sed iustitiam legalem, ad quam potest iudex compellere in foro ciuili, & contentioso. Promissio enim simplex non est adimplenda ex iustitia legali, nec potest adduci in iudicium, nihilominus adimplenda est ex fidelitate, & consequenter ex iustitia particulari, quam respicit forum interius, hancque iustitiam particularem ad distinctionem illius legalis, vocat ibi D.Thom. honestatem. Ad confirmationem dico multa committere viros graues, & illustres mortalia, & grauissima, quæ ipsi leuia, & venialia arbitrantur.

Ad vltimum. Falsa est illa maior, quicquid debetur ex iustitia posse exigi apud iudicem, nisi intelligatur de iustitia legali, idest, quicquid debetur ex iustitia secundum leges: quia iudices tenentur iudicare secundũ illas, lex autem cum respiciat bonum commune, & obuiare litibus dat quidem actionem in iudicio, in promissione quæ testibus, vel scripto fit, quia hæc iudicatur deliberata, & potest commodè, ac facilè lis circa talem promissionem exorta absolui, in simplici verò nõ, quia hæc facilè & temerè fieri potest, essetque maxima litium occasio, & præstandi falsa iuramenta, si deferretur ad iudicium, quia vbi scripta, & testes desunt, deueniendum esset ad iuramentum. Quamuis autem in iudicium duci non possit humanum, in iudicio tamen diuino, & foro conscientiæ, manet semper vinculum ob fidem datam adimplendi illam ex iustitia, quam affert secum fidelitas, ad quam iure naturali omnes homines tenemur.

Respondeo etiam, tribus modis posse Petrum debere aliquid Ioanni: Primò, quia Ioannes habeat ius in illud tanquam rem suam, quomodo debet fur, & quicunque possidet alienum rem illam vero domino. Eodem etiam modo res promissa promissione legali debetur promissario, quia lex iusta habet authoritatem ad transferenda dominia, & inuito domino, lex autem ista de promissione legali est iusta, propter quod facit rem promissam vt propriam, & sub iure promissarij. Eodem quoque modo est promissarij res illi promissa ex debito, vel causa, & conditione subsequuta, quia promissum ex causa, posita illa causa est verè debitum à parte rei, & res illius, qui conditionem appositã seruauit. Secundo modo, potest Petrus debere aliquid Ioanni, non vt rem Ioannis, & in quam Ioannes habet ius, sed quia Petrus cum possit disponere de bonis suis, voluit se ipsum constituere debitorem Ioannis, libertate, quam habet in se, & sua, quod debitum non nascitur ex natura rerum, sed ex consensu ipsius Petri. Hoc modo debetur, quod simplici verbo, sed verè ex animo promittitur, quia quod ita promittitur, adimplendum est, vt seruetur fidelitas, quam ius naturæ inter homines exigit. Tertio modo debetur aliquid nõ ex natura rei, nec quia Petrus constituit se debitorem, sed quia necessitas fratris obligat ad dandum, vt quod debetur pauperi in casu quo quis tenetur ad eleemosynam. Quod debetur primo modo, debetur ex iustitia simpliciter, quia reddere vnicuique suum pertinet ad iustitiam simpliciter. Et tale debitum habet duo, primò, vt possit duci in iudicium: pertinent enim propriè ad forum contentiosum, quæ debentur ad iustitiã simpliciter. Secundò, vt cõmitetur semper & personam debentem & bona illius, vnde non solum qui id debet tenetur illud soluere, verum etiam filij, & hæredes ad quos transeunt bona. Quod debetur secundo modo non debetur ex iustitia simpliciter, cum non sit res alterius, sed ex iustitia secundum quid, quatenus ille constituit se debitorem, & tenetur iure naturæ seruare fidelitatem, ideo hoc debitum ex fidelitate, quale est in promissione simplici, non potest duci in iudiciũ, quia non est ex iustitia simpliciter, nec potest probari iuridicè, cõmitaturque personam, non bona, quia fidelitas cadit in personam non in bona. Quo fit, vt qui sic promisit, debeat quidem ipse adimplere, filij autem, & hæredes iam non teneãtur nisi pater præciperet ipsis, vt fidem à se datam seruent, aliter non tenentur: quemadmodum non tenentur ad vota suorum parentum. Quod debetur tertio modo debetur ex charitate, cõmitaturq; istud debitum, necessitatem pauperis ex qua nascitur, nõ personam nec bona, & ita tenetur diues, quamdiu illa necessitas durat, dare sub mortali. Ex his patet solutio ad argumentũ Caiet. Maior enim illa vera est de his, quæ debentur primo modo, quæ verò debentur secundo, debentur quidem sub mortali, sed non possunt adduci in iudicium ob rationem redditam, quamuis non desint, qui asserant posse adduci, vt refert Syluester in verbo, pactum. q. 5. sed solutio reddita præstat.

AN PROMISSIO FACTA ABSENTI obliget in conscientia.

PRomissio, quæ fit absenti duplex est: Prima, quæ habet solemnitates iuris, nempe in qua vocatur tabellio, inducuntur testes, subscribit promittens, alia verò est, quæ non habet huiusmodi solemnitates. Et hæc duplex adhuc est, vna quæ potest probari in iudicio, quia

licèt non fuerit tabellio,nec scripta sunt,tamen testes, qui illam testabuntur,alia verò quæ non potest probari in iudicio,nec testibus, nec sufficientibus indicijs.

Obseruemus secundò, cum promissio sit quædam translatio dominij,in omni autem translatione exigantur,qui transferat,& qui recipiat,si promissio, quæ fit absenti fit sub conditione,& contractus mutuus,factã si feceris,illam non habere vim, nisi testes coram quibus fit,nomine absentis possint illam recipere,& de facto recipiant,aut ipsemet promissarius per rescriptum, vel interpositam personam illam recipiat. Patet hoc, quia nulla mutua promissio obligat,nisi ille,cui fit,ipsam acceptet,quia obligatio cuiuslibet contractus promissorij, & mutui pendet ex mutua voluntate. ff. de verbor.signific.l.obligatio. Quod si fuerit simplex, & vtilis promissario, non exigitur expressus consensus promissarij; sufficit vt à quouis recipiatur promissio: consensus enim promissarij in re sibi vtili,quasi certus habendus est.

CONCLVSIO PRIMA.

Promissio facta absenti, cum solemnitate iuris obligat in conscientia, non solum ad seruandam fidelitatem, verum etiam ex iustitia simpliciter.

PAtet, quia lex vult ità promissum deberi promissario,lex autem iusta obligat in vtroque foro.Secundo,debitum legale est debitũ tàm ex fidelitate, quàm ex iustitia,quod autem cum solemnitate iuris promittitur est debitum legale.

CONCLVSIO II.

Promissio carens solemnitate iuris, sed quæ potest probari per testes in iudicio & constat per eosdem testes. vel inditia, probabiliter fuisse facta verè & animo obligandi se,obligat etiam in conscientia,non solum ex fidelitate, verum etiam ex iustitiâ.

PAtet, lex iusta obligat in vtroque foro, & inducit debitum legale,quod est debitum ex iustitia, sed lex ciuilis iustè ad tollendas lites, ac vt seruetur fidelitas,sine qua societas humana & Respub. constare nõ potest, vult huiusmodi promissiones efficere promittentem debitorem, & transferri per ipsas dominium in promissarium,ergo. Patet minor. In Castella in legibus Regni lib.5. titulo De los contractos que han de valer.l.1. Et clarius lib.8. De las exceptiones que han de poner,leg.5.vbi habetur: Omnis promissio quæ potest probari in foro exteriori, & testibus vel indicijs constiterit iuxta prudentiam iudicis, fuisse factam animo obligandi se, obliget promittentem, sicut si fuisset obseruata in ea omnis solemnitas iuris.] Idem omnino habent leges municipales huius nostri regni Valentini, imò seruatur idem apud omnes iudices in hac corona Aragonum.

CONCLVSIO III.

Promissio vera facta absenti, licet non possit probari in iudicio (vt quæ fit per interpositam personam, quæ non sufficit cum sit vnicus testis, vel scripto quod promissarius amisit) licèt non obliget ex iustitia simpliciter. quia ex tali promissione non nascitur debitum legale: obligat tamen in conscientia ex fidelitate sicut promissio vera facta præsenti.

PRior pars certa est,non esse ibi debitum legale, & in hoc sensu intelligenda est lex prima.ff.de pollicitationibus,vbi dicitur: [Pollicitatio non semper inducit obligationem. & ff. de pactis,l.3.&l. Iuris gentium, vbi dicitur. [Simplex pactio non parit obligationem loquuntur omnes istæ leges de obligatione iustitiæ simpliciter, & debiti legalis,nam deberi in foro conscientiæ, & debito ex fidelitate patet: Ista promissio quæ fit absenti per scriptum, vel interpositam personam,licèt in iudicio probari non possit, est tamen vera promissio admissa ab alio,vt supponimus per internuntiũ,& in qua detur,accipitur fides, & habet quicquid habet illa quæ fit præsenti ex animo, ergo obligat in conscientia,sicut illa. Vnde ff. de pollicitationibus.l.1. Et cap. Qualiter et el primo,de pactis. Extra habetur. [Studiosè curandum est, vt ea, quæ promittuntur opere compleantur. Et 22.q.5.can. Iuramenti,dicitur,inter fideles nihil differre debere, quod promittitur,& quod iuratur, vt diximus. Et in omnibus his textibus non distinguitur inter promissionem, quæ fit præsenti vel absenti, modò vera sit, & ab aliquo acceptetur.

AN PROMISSIO FACTA SVB CONDItione turpi obliget in conscientia.

NOn est hic sermo de promissione rei turpis, nam hæc illicita est, & nullo modo adimplenda, etiã si iuramento firmata sit, vt si quis promisit amico hostem illius occidere, si mulier promisit alicui fornicari,fides enim quæ virtus est præstantissima, & iuramẽtum, non debent esse vinculum iniquitatis, Et de his illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem, &c. Sed quæstio est de promissione rei licitæ sub conditione tamen turpi: Rursus promissio hæc rei quidem licitæ duplex est,alia prohibita lege, alia verò non prohibita: prohibet lex ciuilis non iuduci aliquid promittatur,vel detur,vt iustè vel iniustè iudicet, ne etiã assasino vel testi aliquid exhibeatur, hac lege non solum prohibetur opus malum, sed etiam aliquid dare vel promittere causa illius. Aliquando verò, lex prohibet quidem opus malum, non autem aliquid pro illo dari vel accipi, posse, vt in meretricibus, prohibet quidem lex meretricium, non tamen ne meretrix aliquid possit ab amico accipere, & per consequens amicus illi dare. Non est hic quæstio de promissione sub cõditione turpi prohibita lege: nam cum lex iusta obliget in conscientia, & tales leges sint iustæ,sunt seruandæ,& consequenter quod ipsis prohibetur recipi,nullo modò licet dare,aut promittere.Est enim velut promissio rei illicitæ,cum sit rei prohibitæ iusta lege. Quæstio ergo est de promissione rei, quidem secundum se licitæ,sed ob causam turpem, non tamen ob eam lege aliqua prohibitæ, vt promitto meretrici,decem aureos si fornicetur mecum, fornicatur, redigitur in actũ turpis illa conditio, dare decem aureos, quorum sum dominus, secundum se res licita est, teneor ne in conscientio adimplere promissum & date illi decem aureos? vel ero liber à tali debito? quia conditio fuit turpis.

Obseruemus primò,cum promittere, & adimplere sint diuersa, posse habere diuersas causas, ita vt causa promittendi sit turpis, adimplendi verò honesta, v.g. Promitto mulieri decem aureos si fornicatur mecum, fornicatur, dico deinde mecum huic promisi centum aureos, meamque fidem illi astrinxi si mecum fornicaretur, fornicata est, & fecit quod volui, volo illos ipsi tradere,non quia fornicata est, de quo doleo, sed vt seruem fidem, quam illi dedi, in hoc casu,& similibus, causa promittendi fuit turpis, adimplendi verò honesta,& iusta,nempe fides data.

Obseruemus secundò, promissionem sub turpi conditione,aliter se habere antequam conditio redigatur in actũ,& aliter postquã iã redacta, & subsequuta est: nam antequam redigatur, adimpleri illa promissio, aut seruari non solet nisi intuitu illius causæ turpis, postquam autem subsequuta est,potest cõmodè adimpleri, & obseruari sine intuitu causæ turpis, sed solo intuitu alicuius

alicuius obiecti boni, vt seruandæ fidei. Vt in exemplo proposito. Qui promittit mulieri decem aureos vt ea dat illi corpus suum, antequam tradat, potest quidem mutare consilium, & dare illi decem aureos liberè, perinde ac si nulla extitisset promissio, attamen dare illi, tanquam seruando promissionem, est inducere illam ad redigendam in actum conditionem turpem, cum illam in se promissio sic facta includat. at postquam iam cōditio subsequuta est, & ille fornicatus est, potest dare non ob fornicationem, de qua iam forsan pœnitet, sed quia astrinxit illi mulieri suam fidem.

Obseruemus vltimò ex Durando in 3. distinc. 39. q. 4. conditionem turpem quæ apponitur promissioni, variam esse; nam quædam est contra naturam ipsius contractus, vt si dicat quis, ducam te in meam, sed ita vt post decem annos liceat nobis dissoluere hoc matrimonium, cum matrimonium sit contractus natura sua perpetuus, & indissolubilis, talis conditio est contra naturam matrimonij. Alia est turpis non solum in se, sed etiam in ordine ad id quod promittitur, vt si dicat quis, ducam te in meam, si postquam nupserimus, per meretricium mihi victum pares, vel si hostem meum occidero, in talis homicidij gratiā missam solemnem Deo offeram, offerre enim Deo missam licitum est, & sanctissimum, at hæc conditio ad reddendas gratias pro homicidio, est conditio turpis in se & in ordine ad rem promissam, nēpe missam, alia vero est turpis in se, non tamen in habitudine ad rem promissam, vt si dicam, si furata fueris centum aureos ex domo paterna, ducam te, vel si mihi copiam tui feceris, dabo decem aureos.

CONCLVSIO PRIMA.

Promissio sub conditione, quæ sit contra naturam contractus non obligat.

EST enim talis promissio destructio potius contractus, & stultitia, quàm promissio. Secundò est promittere contradicentia, nam accipere in vxorem, & accipere ad tempus tantum sibi contradicunt, promittere autem contradicentia stultitia potius est, quàm promissio.

CONCLVSIO II.

Promissio sub conditione non solum turpi in se, verum etiam in habitudine, & ordine ad rem promissam non obligat.

PAtet. In tali promissione non solum conditio est turpis, verum etiam res ipsa promissa est obiectum turpe promissio autem rei, & obiecti turpis non est adimplenda, ergo. Probatur maior exemplo adducto. Quando promittitur, si hostem occidero offeram missam in gratiarum actionem, in hac promissione non solum conditio est turpis si hostem occidero, verum res promissa, nempe Missa in gratiā homicidij, quamuis enim Missa sit res sanctissima, at Missa in gratiam homicidij obiectum turpe est, quemadmodū eleemosyna res sanctissima est, at eleemosyna ad inanem gloriam, hoc totum peccatum est, & obiectum turpe, nempe hypocrisis.

CONCLVSIO TERTIA.

Promissio sub conditione turpi tantum in se, antequàm conditio redigatur in actum non est adimplenda, postquam verò redacta est in actum, & subsequuta, adimplenda est in conscientia.

PRobatur prior pars, quia adimplere talem promissionem, vt constat ex secunda obseruatione, est adimplere illam intuitu conditionis turpis & obiecti illiciti, tum etiam est inducere proximum ad redigendā conditionem turpem in actum, & peccandum. Probatur secunda pars, de qua est ferè tota nostra quæstio. Primò: Omnis promissio de re licita quæ nocet saluti, nec prohibet maius bonum, est adimplenda: sed hæc promissio de qua nunc agimus est huiusmodi, Patet: in primis dare illi mulieri decem aureos res licita est, & nullo modo repugnans saluti, verò, quia non datur intuitu peccati, nec ex complacentia illius, sed ad seruandam fidem illi datam, ergo est adimplenda.

Secundò, si hic promisisset verè & ex animo sine tali conditione, ex fidelitate tenetur seruare illam promissionem, sed turpis conditio in hoc casu perinde est, ac si non esset apposita nec adiecta, vt habetur c. finali, de conditionibus appositis in matrimonio, & Instit. de legatis. §. vltimo, ergo. Et confirmatur conditio impossibilis, siue ex natura rei, siue ex circunstantia in iure, habetur pro non adiecta, cap. vlt. de pactis, sed conditio turpis est impossibilis secundum iura, quia secundum iura id possumus, quod iure, idest, licitè possumus, ergo in hoc casu conditio turpis habenda est tanquam non adiecta, & adimplenda promissio veluti simplex.

Tertiò, qui dotauerit Ecclesiam, vel promiserit dotare ea conditione, vt res illius Ecclesiæ non subiaceat Episcopo, promittit sub conditione turpi, tenetur tamen seruare promissionem, & reddere rem promissam, quæ licita est, seclusa illa conditione turpi, vt habetur 10. q. 1. can. 2. ergo promissio rei licitæ, quamuis sub conditione turpi, tali conditione exclusa, adimplenda est.

Denique Gen. 38. commendatur Iudas de fidelitate, quam exercuit, mittendo ad Thamar ædum, quem illi promiserat si cum ipso fornicaretur.

ARTICVLVS IIII.

An omnis donatio siue contractus lege humana prohibitus, sit inualidus in foro conscientiæ.

DVabus vijs fieri omnem translationem bonorum, aut libera legitimi domini voluntate, aut legis, vel Principis decreto, iam constat. Rursum consensus proprij domini duplex est, aut interior mentalis, & tacitus, de quo præcedenti articulo, aut expressus & exterius significatus: Qui potest adhuc triplex esse, nam aut est actualis translatio, & exhibitio dominij, quæ vocatur proprio nomine donatio inter viuos, aut promissio futuræ exhibitionis, aut dispositio testamentaria, egimus iam de promissione, nunc de donatione, & dispositione testamentaria agendum est. Vbi. Obseruemus primò, huiusmodi donationem duobus modis fieri, aut simpliciter, reuera, & actu rem ipsam & dominium eius transferendo, & donando, aut cum conditione, quæ est duplex, alia posita à lege, vt quod donatio fiat cum his, vel illis solennitatibus, de quibus consulendi sunt iurisperiti, alia verò posita ab ipso donante, vt cum quis transfert in alium dominium, non ex nunc, sed pro tali tempore, interim illam apud se retenturus, vel cum conditione, & pacto obligante recipientem ad aliquid efficiendum. Huiusmodi donationes sunt omnes validæ, & irreuocabiles, iure naturæ ita exigente, quia per eas cum externæ sint transferunt reuera dominiū, & non adimplere illas esset alterum reuera re sua expoliare. Sunt etiam validæ iure humano ita statuente, vt patet in Digestis, & Decretalibus varijs titulis de Donationibus: quæ autem fiunt sub conditione, sortiuntur suum effectum posita illa conditione.

Obseruemus secundò, quantum attinet ad præsentem disputationem, cum translatio dominij fiat voluntate domini, constituunt à Theologis triplicē voluntatem,

tem, elicitam, debitam, & liberam, elicita est simplex, & deliberatus consensus voluntatis, exterius expressus, debita est quando aliqua lege teneor aliquid velle, quod & ea sublata alias nollem vt qui promisit & iurauit latroni, ne ipsum occideret 100. aureos, tenetur velle eos illi conferre voluntate debita, quia id certè nollet, tenetur tàm ex vi iuramenti præstiti. Libera est, qua quis propria sponte, nullo metu, aut violentia interueniente, nulla cogente lege, vult aliquid, ad quod volendum nullo etiam iure prohibetur. Ex his tribus voluntatibus, hæc vltima est, quæ desideratur ad validam, & realem translationem dominij. Prima enim nempe sola elicita non sufficit, potest enim eam habere pupillus, furiosus, vel religiosus, nequeũt autem omnes isti aliquam donationem facere, quia iure prohibentur. Nec sufficit secunda nempe debita, nam qui iuramento promisit aliquid prædoni, aut vsurario, tenetur voluntate debita velle id efficere, & dare, non tamen transfert dominium eorum, quæ dat in illos, sed manent illi semper obnoxij restitutioni. Ex his sit conclusio vera, & aperta.

CONCLVSIO VNICA.

Quicunque est verè & absolutè dominus alicuius rei, nec lege aliqua prohibetur de ea disponere potest illam vt voluerit liberè donare potenti recipere, seruata ordine iuris.

PAtet hæc ex dictis & superiori articulo: Expendendæ tamen sunt singulæ partes. Primò, debet esse qui dat verè dominus. Ita fur latro, symoniacus, vsurarius, non possunt dare de acquisitis per rapinam, & suos contractus iniquos, non enim sunt domini, sed tenentur veris dominis restituere. Secundò debet esse absolutè, & simpliciter dominus, ita primogenitus nõ potest suam primogenituram alienare, aut transferre, quia est quidem dominus illius, non tamen absolutè, sed cum conditione & vinculo non alienandi, mulier nupta non potest dare sine licentia viri, nisi habeat bona extra dotem, quia licèt sit domina suæ dotis, non tamen absolutè, sed eo pacto, vt eorum administratio subsit viro. Tertiò oportet vt dominus nulla lege prohibeatur à libera dispositione suorum bonorum, ita pupillus non potest aut donationẽ, aut translationem facere. Quartò, debet voluntate libera dare, non enim sufficit coacta quantumuis debita. Quintò, potenti recipere, ita vsurario, symoniaco, iudici vt corrumpat ius, assassino nunquam fit translatio dominij, quantumuis liberè velit quis huiusmodi hominibus dare. Denique seruato ordine iuris, lex enim partim ad obuiandum fraudibus, & dolis, partim ad cohibendam imprudentiam, prodigalitatem, & suæ familiæ destructionem statuit in singulis contractibus quasdam conditiones seruari, quæ dicuntur solemnitates iuris sine quibus prohibet contractum fieri, ita vt si aliter fiat sit inualidus, & nullus. Ita præcipit donationes non valere inter virum, & vxorem durante matrimonio, inter alios autem valere, sed ita vt publicis etiam curiæ instrumentis, & scriptis insinuentur. Præcipit, vt testamentum, quod fit in scriptis sine tabellione habet septem testes, & ipsorum testium subscriptionem, & sigilla, necnon subscriptionem testatoris, vt habetur. l. hac consultissima. C. de testamentis, & Instituta eodem tit. qui est titulus decimus, lib. 2. §. Sed cum paulatim: Quod ius commune recipitur in legibus Castellæ, Partita, 6. tit. 1. lib. 1. & 2. quibus lex Tauri addit, vt valeat tale testamẽtum, quod communiter dicitur in scriptis, à Iuristis verò, & Theologis testamentũ clausum, cum tabellionis subscriptione & sigillo, etiam si desint ipsorum testium subscriptiones, & sigilla. Similiter præcipitur, vt nũcupatiuum testamentum, id est, apertum habeat septem testes, vt habetur eadem lege, hac consultissima, quamuis legibus Hispanis sufficit tabellio cum tribus testibus, vel si non possit haberi tabellio quinque testes, aut saltem tres, si neque quinq; haberi possint, vt videre est in Ordinationibus Regalib. lib. 5. tit. 2. l. 5. Similiter ne sint legitimi testes mulier, surdus, mutus, ebrius, & infamis, sed alij ab his. In eadem instit. §. testes: Præcipit lex Pontificia, 10. q. 2. can. Ea enim & 12. q. 2. can. Sine exceptione. Et in Decretalib. tit. de rebus Ecclesiæ non alien. per varia capita, ne clerus, vel capitulum possit aliqua bona Ecclesiæ vendere, aut alienare sine tribus tractatibus, id est licentia Episcopi, decreto Prætoris, & consensu maioris partis capituli. Præcipit lex de electionibus, vt electio fiat vocatis omnibus habentibus ius ad ferendum suffragium, aliter electionem esse nullam.

Huiusmodi ergo donationes, in quibus non seruabitur ordo iuris, iuxta hanc conclusionem non transferont dominium.

In hac doctrina & conclusione, quo ad omnes partes præter hanc vltimam, omnes DD. conueniunt, circa vltimam verò est maxima difficultas, & varietas opinionum.

Videamus ergo tàm pro hoc articulo, quàm pro sequentibus.

AN PER CONTRACTVM, QVI IVRE humano est inualidus, & nullus transferatur dominium in foro interiori conscientiæ?

COnfert Petrus Ioanni liberè, spontaneè, & actu aliquod prædium à donatione inter viuos, obliuiscunturque donationem istam libris publicis curiæ insinuare, possidebit ne Ioannes tuta conscientia illud prædium? cum talis donatio lege humana iudicetur nulla? Similiter habeo hæreditatem mihi mandatam per testamentum imperfectum, cui ita deficit aliqua iuris solemnitas, vt lege humana illud testamẽtum sit nullum & irritum, potero ne retinere illam hæreditatem tuta conscientia? vel tenebor illam restituere vero & legitimo hæredi? Et similiter de alijs contractibus, qui lege humana iudicatur nulli, si quid per illos habeam, potero ne illud tuta conscientia possidere?

In hac quæstione graui, & difficili variæ sunt, & maximè discrepantes DD. sententiæ. Prima est Innoc. in c. quia plerique. de immun. Eccles. vbi licet breuiter, apertissimè tamẽ docet contractum, cui deficit solemnitas iuris, ita esse nullum in foro conscientiæ, vt qui per talem contractum aliquid habet, teneatur statim illud restituere. Sequuntur Innocentium ex Iurisperitis Bal. in l. 1. C. de Sanctissimis Ecclesijs, nu. 55. Alex. & Imola in l. nemo potest ff. de legatis el primo, Fortunius trac. de vltimo fine, illatione 15. Didacus Couaruuias super caput. Cum esses. de testamentis. nu. 5. Et in repetitione super regulam, Peccatum parte 2. §. 3. & ex nostris habuit quoque illam Magister Cano. imò Soto, licet eam non sequatur, refert vsque ad sua tempora fuisse inter Theologos Salmaticenses communem, & ab omnibus receptam.

Probaturque efficacissimis argumentis, Primo, Lex ciuilis in contractibus sibi subiectis, in quibus possunt accidere fraus, & dolus, debet & potest iustissimè illis occurrere, hoc autem non potest, nisi assignando conditiones, per quas quantum prudentia humana valet, illis obuietur, & irritando contractus sine ipsis celebratos, sed in huiusmodi contractibus, nempe donatione, venditione, testamento, electione, & similibus possunt euenire fraus & dolus, ergo ad obuiandum eis, iustissimè potuit, & debuit lex assignare conditiones, ita seruandas in ipsis, vt illis deficientibus sint nulli, leges autem iustæ ex omniũ consensu obligant subditos etiam in conscientia, ergo in foro conscientiæ per contractum iure humano irritum, & nullum non transfertur dominium.

Secundò, contractus celebratus à pupillo est irritus, & nullus in conscientia, adeò vt qui per talem contractum aliquid accipit à pupillo, teneatur illud restituere, & hoc non alio nomine, nisi quia lex humana decernit tales contractus esse nullius valoris: sed eadem lex humana statuit contractum, cui deest solemnitas iuris esse nullum, & irritum, ergo per talem contractum etiam in foro animæ non transfertur dominium. Maior ab omnibus conceditur. Minor patet ex ipsis legibus, verbi gratia, testamentũ (vt hoc exemplo vtamur) imperfectum, & minus solemne leges ipsæ nullum & inualidum esse apertissimè decernunt. C. de testa. l. hac consultissima habetur. [Vbi testamentum non fuerit subscriptum, pro infecto illud haberi conuenit.] Et paulò post. [Ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus.] Instit. quibus mod. testamenta infirmantur. §. ex eo aut Iustinianus. [Imperfectum testamentum sine dubio nullũ est.] Et l. 3. Tauri dicitur: [Vbi testium numerus iustus non fuerit, testamentum nullam fidem faciat.] Vbi apertè testamentum minus solemne vocatur inualidum, & nullum. Et illo can. Sine exceptione. 12. q. 2. apertè habetur alienationem rerum Ecclesiasticarum in consulto Episcopo factam esse irritam: Et ita iudicatur non solum in foro exteriori, verum etiam in interiori.

Tertiò, testamentum minus solemne non tribuit ius maius hæredi, qui tali testamento instituitur, quam si testator intestatus decederet, at si testator intestatus decedat, hæres ille nullum ius habet ad illius defuncti bona, sed in vtroque foro succedet, qui illi defuncto propinquior est, & hæres ab intestato, ergo hæres ille institutus testamento minus solemni, reuera non est hæres, neque potest in foro animæ hæreditatem illam recipere, aut retinere: Minor cum consequentia aperta est. Maior constat ex legibus modo adductis. Et confirmatur iste, sic institutus hæres non potest possidere res illas, nisi virtute illius testamenti, sed istud testamentum est nullum, & nullius roboris, vt patet ex iuribus citatis, ergo.

Quartò, lex non respicit casus particulares & accidentarios, sed bonum commune, & ea quæ communiter, & vt plurimum eueniunt, & lata secundum ea, quæ vt plurimũ eueniunt, est iusta, ac obligans in conscĩetia omnes, etiam si finis, & ratio eius in aliquo particulari non concurrat: Vnde est commune dictũ, non deficere legem, etiam si finis, & ratio eius deficiat in aliquo particulari, quia finis legis non cadit sub lege. Verbi gratia, statuit lex, ne pupilli contractus aliquos celebrent, quia ingenium eorum infirmum est, & insipiens, est pupillus præstantis, & prudentis ingenij, poterit ne hic, quia in ipso deficit in particulari finis & ratio legis, cõtractus celebrare? minimè, quia lex non respicit casus particulares, sed quæ communiter eueniunt: At hæ leges conditæ sunt ad bonum commune Reip. ad vitandos dolos, qui communiter possunt, & solent euenire in contractibus humanis, ergo sunt iustæ, & seruandæ in conscientia, definiunt verò huiusmodi leges, vt contractus minus solemnes sint nulli, ergo reuera in conscientia sunt nulli.

Quintò: Sententia iusta quæ neque nititur, neq; fundatur in aliqua falsa præsumptione, est obligatoria in conscientia: idem enim est iudicium in foro conscientiæ, quod in foro exteriori, vbi res certò constat, & iudicium illud non nititur alicui falsæ præsumptioni: sed si quis sit constitutus hæres per testamentum minus solemne, & id certò constet iudici, iudex iustissima sententia compellet hunc, tanquam illegitimum dominum, concedere hæreditatem illam hæredi ab intestato, tanquam vero domino: ergo in conscientia ille non erat verus dominus, nec fuit in ipsum translatum dominium per illud testamentum minus solẽne.

Sextò, quando electio aliqua est inualida, & nulla iure humano, nullam habet vim in foro conscientiæ, nec vllam tribuit authoritatem tali electo, imò tenetur illam nullo modo acceptare, quia est illa (iure ita statuente) irrita, & nulla, vt constat toto titulo de electionibus: sed testamentum imperfectum est iure humano irritum, & nullum, ergo per ipsum nullum acquiritur dominium, sed tenebitur qui aliquid accepit virtute ipsius, illud restituere.

Septimò, si quis decedens sine liberis dicat fratri suo, Ego constituo Petrum hæredem, & volo huic vel illi hæc legata exhiberi, neque illam voluntatẽ suam posset literis publicis mandare, morte præuentus, frater ille in tali casu etiam si constet sibi de voluntate fratris non tenetur, stare illi voluntati, ergo similiter et si illa voluntas esset mandata literis, cum tales literę nullum habeant robur ipso iure, nec vllam fidem faciant, non tenebitur frater stare in conscientia illi testamento imperfecto, neque illum habere pro hærede, aut legata illa exhibere.

Octauò, sequeretur ex opposita opinione maximũ incommodum, vt aliquis vel peccet mortaliter, vel sine vlla culpa sua patiatur maximũ suorum bonorum iacturam: patet: sit pupillus hæres ab intestato alicuius defuncti, cuius hæreditatem obtinuit testamento imperfecto Petrus, in hoc casu si Petrus per testamentum imperfectum est dominus illius hæreditatis, tutor pueri illius aut exiget apud iudicem, aut exigat si non peccat, quia nititur priuare Petrum hæreditate, cuius est verus dominus, si non petit cum per leges humanas potuisset petere & acquirere pupillo, quia leges illud testamentum imperfectum, irritant, tenebitur pupillo ex suis bonis compensare, quantum valebat illa hæreditas, cum hæc sit pena tutorum, qui non curant acquirere pupillis quicquid rectè, & iure possunt.

Denique si huiusmodi leges essent iniustæ, essent laquei animarum, & tollendæ, iuxta illud in cap. Quoniam. de præscrip. Quod absque peccato mortali obseruari non potest derogandum est, vt Resp. illas custodit, & à viris peritis, & timoratæ conscientiæ obseruantur, vt iustę, ergo obligant in conscientia. Maius patet, quia si contractus minus solemnis in conscĩetia est validus, cum iudex debeat iudicare secundum leges scriptas, contractum illum in foro animæ ratum & validum iudicaret nullum: & cõsequenter legitimum dominum foro conscientiæ, expoliaret in foro exteriori, in quo peccaret profectò tam iudex, quamuis qui per illius sententiam bona quibus alter expoliatur acciperet, quàm cæteri qui verbo, testimonio, aut alia quacunque via iuuassent ad illam sententiam ferendam. Et confirmatur maior illa, tales leges esse laqueos animarum, quia succedens ab intestato, si hæreditatem alteri mandatam imperfecto testamento apud se haberet, facilè adduceretur ab istis legibus, ad illam apud se contra conscientiam retinendam, cum possit illam virtute huiusmodi legũ statim repetere.

Secunda opinio est Panormit. in ca. Quia plerique, de Immunitate Ecclesiarum. 28. & c. Requisiuit. de restitutione in integrum. Vbi statuit translationem aliquam, vel contractum dupliciter posse irritum esse & nullum, vno modo ex defectu personæ transferentis vel accipientis, quia per legem talis persona redditur omnino inhabilis ad celebrandos cõtractus & ad transferendum dominium, vel recipiendum, vt patet de pupillo, monacho, mente capto, de patre erga filium spurium, de vsurario, symoniaco, &c. vel posse esse nullum non ex defecto personæ, sed ex defectu alicuius conditionis, & solemnitatis iuris, vt in testamento in quo non repetitur integer numerus testium, qui in eo exigitur, vel non habent testes illas qualitates, quas iura postulant. Statuit etiam in contractu minus solemni, aliquando occurrere fraudem, vel dolum, aliquando verò nullo modo reperiri, sed bona fide illũ exerceri, & certò constare de voluntate celebrantis illum,

His

His positis Contractus (inquit) Panorm. primo modo nullus, est verè nullus in vtroque foro, nullumque per ipsum transfertur dominum, teneturque qui tali contractu aliquid recipit, in foro conscientię illud restituere: contractus autem nullus secundo modo. ex defectu conditionis iuris, si insit fraus, & dolus, est quoque omnino nullus in vtroque foro: quia fraus, & dolus in nullo foro debent alicui pattocinari, si verò nullus ibi insit dolus, vel fraus, sed bona fide celebretur, certoque & fideliter constet de libera voluntate contrahentis, quamuis in foro contentioso huiusmodi cõtractus habeatur inualidus, in foro tamen conscientiæ validus est, transferturque per ipsum dominium: & dat verum ius. Vnde statuit hanc vniuersalem, & generalem regulam Panor. Omnes illos contractus qui stãdo intra terminos iuris naturalis, & gentium essent validi, etiam si ex aliquo defectu solemnitatis iuris per legem humanam decernantur nulli, si in ipsis nullus sit dolus, aut fraus in foro conscientiæ esse validos, & conferre ius, atque dominium. Additque hæredem ab intestato, si postulet apud iudicem hæreditatem, quam alter habet per testamentem minus solẽne, sed sine vlla fraude vel dolo, peccate mortaliter, nec posse tuta conscientia hæreditatem illam recipere, etiam si à iudice ipsi adiudicetur, sed teneri ad illam restituendam.

Sequuntur Panorm. Antonius de Butrio in d. capit. Quia plerique, Ancharanus, Decius, Felinus, Bartolus, Alciatus, & multi alij quos refert Couarruuias, in cap. cum esses, de testamentis, idem habet Mencacha lib. 1. de institutione, & creatione hæredum. §. 1. illatione. 23. videbiturque esse communis Canonistarum in c. finali, de solutionibus & Iuristarum in l. cũ quis. C. de iuris, & facti pręsumptione. Ex nostris habet eandem Syluest. verb. Testamentum. Primo. q. 5. & verb. Alienatio. §. 13. Verb. Hæreditas. 3. q. 7. Adria. col libe. 7. art. 1. contr. 2. corol. 2. Medina C. de restitutione. q. 23. circa finem.

Probatur hæc sententia. Primò, sicut cessante causa debet cessare effectus, ita cessante fine legis humanæ, debet cessare vis legis humanæ, standumque iuri naturæ, & gentium, vt patet ex cap. cum cessante, de appellationibus, & cap. Et si Christus, de iureiurando, constatque exemplo, lex enim diuina de correctione fraterna, cum lata sit ob fratris emendam, vbi non est spes emendæ cessat, nec obligat, vt docet D. Aug. in c. si quis de pœniten. dist. 7. sed finis legum quæ iubent contractus, vel testamenta sub his vel illis conditionibus fieri, hic est, ne in tali cõtractu reperiatur fraus vel dolus, vt constat ex lege illa. Hac consultissima, & Instit. de testamen. §. citato, ergo quando constat euidenter nihil doli subesse, vt quando certò constat de libera, simplici, & efficaci voluntate dantis vel testatoris, talis contractus non subest legi isti humanæ, sed standum est in eo iuri naturæ, & gentium, & sic erat in foro conscientiæ validus.

Secundò, in huiusmodi contractu, cũ non inhabilitetur à iure ipsa persona, habet homo ius naturale, & liberum ad dandum, vel instituendum hæredẽ quam vult, eo modo, quo voluerit, ius ciuile non potest derogare iuri naturali, ergo potest ille instituere hæredem sua libera voluntate quem voluerit, eritque talis in foro animæ verus hæres.

Tertiò, in cap. Quod sicut de electionibus, statuit Innocentius, electionem, quæ fit à maiori parte capituli, etiamsi desit in illa aliqua iuris solennitas, esse nihilominus validam, ergo similiter, & contractus, quantumuis minus solemnis erit validus.

Quartò, leges humanæ cum fundentur in falsa præsumptione, neque dant, neque adimunt ius in foro animæ, vt si iudex absoluat debitorem, quia actor nõ potuit probare debitũ ex defectu testium, non adeo manet debitor tutus in conscientia, sed tenetur soluere quod debet: sed leges quæ rescindunt huiusmodi contractus, & testamenta, in quibus non est fraus, fundantur in falsa præsumptione, ergo non habent vim in foro conscientiæ. Maior certa est Minor probatur ex fine ipsarum legum, non enim irritant. istæ leges hæc imperfecta testamenta, quia velint infirmare aut reddere inualidam, & inefficacem voluntatem testatoris, cum ipsi consultum esse velint, sed quia putant in huiusmodi testamento esse fraudem, & dolum, & ideo ex tali testamento non posse benè colligi voluntatem testatoris, hæc autem præsumptio est falsa, quando euidenter nulla est fraus, vel dolus, sed certò cõstat de vera, & libera voluntate testatoris, ergo vbi deest dolus & fraus, contractus validus esse debet in foro animæ.

Quintò, in c. cum esses. de testam. Alexander Tertius habet leges, quæ exigunt in testamẽtis vltra tres testes, esse alienas à diuina leges, & contra patrum instituta, & consuetudinem ecclesiæ, dicente Christo. [In ore duorum, vel trium stet omne verbum;] sed leges contra diuinam legem non obligant, ergo testamentum leges humanas irritum, in foro cõscientię non desinet esse validum, & firmum.

Sextò in illa l. hac consultissima. §. ex imperfecto sic dicitur: [Ex imperfecto testamento voluntatem testatoris teneri. i. colligi. non volumus:] Vbi non irritat voluntatẽ testatoris in testamento imperfecto, sed tantum docet non posse ex eo benè colligi. Et l. 3. Tauri ita dicitur: [Vbi non est sufficiens, & requisitus numerus testium, testamentum nullam fidem faciat:] Vbi etiam lex non infirmat voluntatem testatoris, sed tantum vult illud non integram fidem facere, sicut lex quæ statuit infames, & inimicos non esse idoneos testes contra me, non statuit me non commisisse crimen, sed per illos id non sufficienter probari, cum ergo leges non irritent voluntatem testatoris, manet illa efficax, & cõferens verè ius, & dominium in foro conscientiæ. Et confirmatur ex vsu iudicum: nonunquam enim iudices optimi & periti, si constet eis propria confessione illius, qui debet succedere ab intestato, alium esse à defuncto institutum liberè & voluntariè hæredem, sine vllo dolo & fraude, adiudicãt huic sic instituto illam hæreditatem, quamuis testamentum defuncti sit minus solemne.

Septimò: si iura cum tanto rigore accipienda essent, vt in foro etiam conscientiæ testamentum minus solemne esset nullũ omnino, eueniret casus in quo homo verè & simpliciter dominus, non posset de suis bonis liberè disponere, patet apertè, quando aliquis est morti proximus, nec adessent tabellio, aut testes idonei, quales exiguntur per leges in testamento nuncupatiuo, moreretur que antequam eorum haberet copiam, non posset testamentum condere, nec de bonis suis disponere.

Vltimò: Multi viri graues, religiosi, & timoratæ conscientiæ possident bona per testamentum, vel contractum imperfectum, vt vnico tractatu bona Ecclesiæ, possidentque illa pacata, & tuta conscientia, cum nulla fraus, vel dolus ibi sit, sed fideliter, & rectè illa acceperint, essetque durissimum eos illis expoliare, ergo in conscientia istæ leges non reddunt inualidos contractus minus solemnes.

Tertia opinio est Magistri Victoriæ, & Dominici de Soto libro quarto, de iust. quęst. 5. art. 3: media inter has duas. quam sequuti etiã sunt Doctissimus vir Ioannes à Peña, & multi recentiores, leges huiusmodi non intendere, vt contractus à persona legitima celebrati sine vllo dolo, vel fraude sint ipso facto nulli, sed id tantum, vt in iudicio habeantur nulli. Probant hoc fundamentum. Primò, quia animus, & vis legis ex fine ipsius colligendus est, finis legum est hic solus, obuiare fraudibus & dolis, ad obuiandum autem his, sufficit, vt in iudicio huiusmodi contractus nullam fidem

faciant

faciant, possintq; à iudice irritari, ergo hoc tantū ostendæ sunt leges istæ intendere, neque aliquid aliud.

Secundò, si ipso facto hæ leges irritarent istos contractus minus solemnes, & ante iudicis sententiam: teneretur possidens aliquam hæreditatem per testamentum, vel legatum imperfectum, cum primum nouisset defectum testamenti, & decretum harum legum, hæreditatem illam, vel legatum hæredi ab intestato restituere, hoc autem esset nimio rigore leges intelligere, nec est in vsu apud viros peritos, & timoratos, donec iudex præcipiat, consuetudo autem est optima legum interpres.

Tertiò, leges ciuiles eo modo obligant, quo recipiuntur, & sunt in vsu, cum consuetudo sit optima legum interpres, sed leges ciuiles, quæ irritos faciunt contractus minus solemnes, non sunt ita receptæ, neque in vsu apud sapientes, vt expolient possidentem aliquid per tales contractus, nisi adueniente iudicis sententia. Maior certa est. Minor constat authoritate talium Doctorum, vt Victoriæ, Soto, Peña, &c. ergo.

Quartò, in dubijs melior est conditio possidentis, vt habetur de reg. iuris in sexto, ergo in tanta varietate opinionum declinandum est in fauorem possidētis, etiam si possideat per contractum minus solemnem, donec iudex aliter declaret.

Quintò, quod argumentum simile est sexto adducto pro opinione Panormit. Verba legum id apertè insinuāt: in Instit. enim adducta titulus id docet, sic enim habet, [Quibus modis testamenta infirmentur. Non ait sint ipso facto nulla, sed infirmentur. Lege illa, Hac cōsultissima. non dicitur [Testamentū imperfectum nullam habeat vim, sed ex testamento imperfecto voluntatem defuncti volumus teneri,] idest, colligi; Quia tale testamentum eo ipso quo imperfectum est, est suspectum, si ergo certò constiterit, & extra omnem suspitionem de voluntate testatoris, habebit vim quamuis sit imperfectum, donec per iudicem infirmetur. Denique in lege illa 3. Tauri apertè dicitur, [vt testamentum imperfectum non faciat fidem.]

Denique ex regula illa Innocentij, cap. Quod sicut, de elect. vbi dicitur. [Electionem, quæ iuri naturæ cōsentit, licèt non seruentur in ea iuris solemnitates, tenere, sed esse infirmandam, si in iudicium deferatur.] Apertè colligitur (inquit Soto) non quod vult Panor. electionem minus solemnem esse in cōscientia validam simpliciter & omnino, sed sic electum esse tutum in cōscientia, quousque per iudicem electio illa annulletur.

Ex hac hac sententia colligit Mag. Soto: Primò, benè potuisse legē ciuilē irritare in vtroq; foro, huiusmodi contractus minus solemnes, sicut & contractus pupillorum, non tamē irritasse, nisi adueniente iudicis sententia. Secundò, per hmōi contractus minus solemnes, vbi nullus est dolus vel fraus, transferri quidem dñium in foro interiori, sed reuocabile per sententiā iudicis, & qui tali contractu aliquid possidet, esse tutū in conscientia, donec iudex oppositū definiat. Tertiò, hæredem ab intestato, cum primum intellexerit defectum testamenti, posse illam hæreditatem apud iudicē exigere, imò & illam adire, & præoccupare, ac defendere se nullitate testamenti. Quartò, possidentem aliquid per contractum imperfectum, antè iudicis sententiam, cum iustè possideat, etiam si nouerit defectum illius contractus, non teneri vitium illud, & defectum alteri manifestare: quia nemo tenetur sibi nocere, aut alterius bonum curare cum damno proprio, nisi iam ex aliquo officio ad id teneretur, vt si tutor esset hæres; testamento imperfecto bonorum, quorum suus pupillus est hæres ab intestato, teneretur aut manifestare illud, quia est tutor, aut tutelam dimittere. Vnde infert vtrumque esse tutum in conscientia &, hæredem, per testamentum imperfectum si bona illa apud se detineat, quia tali testamento transfertur ius & dominium in foro conscientiæ, vsque ad iudicis sententiam, & similiter hæredem ab intestato, si illa apud se habeat, quia cum apud iudicem possit illa exigere, potest præoccupare quasi à iudice statim illa accepturus, & vti beneficio legis.

Hæc doctrina aliqua habet vera, & aliqua falsa, pace quod tantorum DD. dixerim. Verum est in iudicio istos contractus nullam fidem facere, & à iudice posse irritari, cum leges illos iudicent irritos, debeatque iudex secundum leges scriptas iudicare. Verum etiam est, adueniente iudicis sententia teneri eum, qui contractu, vel testamento imperfecto aliquid possidet, vero & legitimo hæredi, & domino restituere. Verum denique hæredem ab intestato posse iustè agere apud iudicem cōtra habentem bona defuncti per testamentum imperfectum, vt constat ex dictis. Et cōfirmatur, cōtractus validus tàm iure naturali, quàm ciuili, iustè, & sanctè pōt impugnari, quando lex concedit in illo restitutionem in integrum, ergo multò magis contractus, qui licèt iure naturæ esset validus, iure tamen positiuo ob bonum commune censetur inualidus. Consequentia aperta est. Antecedens patet in ludo, (vt videbimus) & in multis alijs contractibus, de quibus agitur Titulo de restitutione in integrum: Tùm etiam contractus validus vtroque iure, & naturali, & ciuili, aliquando per restitutionem in integrum rescinditur, ergo multò magis contractus qui iure ciuili censetur inualidus, quamuis hic reuera non rescindatur de nouo à iudice, cum ipso iure sit inualidus, sed declaratur tantum irritus, & nullus.

Falsum tamen imprimis est fundamentū quod statuit Soto, non esse animum legis irritare istos contractus simpliciter, & ipso facto, sed tantum in iudicio. Patet. Vbi verba legis aperta sunt, id præcipiunt, qđ significant, quæ regula est velut axioma in hac materia, sed leges istæ nullam prorsus exceptionē faciūt, sed absolutè aiunt, vbicunque defuerit talis solemnitas contractum illum esse nullum; Verbi gratia, lege illa: Hac consultissima dicitur; [Vbi testm̄, non fuerit subscriptū, pro infecto habeatur Infectum & nullū idem sunt in iure. Instit. quib. mod. test. infirmentur. §. ex eo, dicitur apertè, [Imperfectum testamentum sine dubio nullum est. Et in lege illa Tauri dicitur: [Testamentū, in quo defuerit iustus numerus testium, nullam fidem habeat, tàm in iudicio quàm extra iudicium: ergo istæ leges simpliciter, & ipso facto irritant istos contractus, & non tantum in iudicio.

Secundò, quam habet lex ciuilis authoritatē in personas habet in bona, & contractus, imò, & maiorem, sed leges, quæ irritant contractum ex defectu personæ, reddunt illū ipso facto nullum absolutè & in vtroque foro, tam in iudicio, quam extra, & ante iudicium, ergo, & quæ reddunt contractus nullos ex defectu cōditionis, & solemnitatis, cum similiter loquantur, reddunt illos absolutè, & ipso facto nullos.

Tertiò, Intelligentia legis sumenda est ex fine, finis istarum legum est occurrere fraudibus, & dolis, sed cum plures sint ex his contractibus, qui non deferuntur, nec possunt deferri ad iudicium, aut ibi probari, vel ex ignorantia veri domini, vel ex defectu testium, vel ex penuria ad litigandum, vt constat experientia teste, si leges istæ tantū irritarent istos cōtractus in iudicio, non esset sufficienter occursum fraudibus, & dolis.

Falsum etiam est exemplum quod apposuit Soto de bonis Ecclesiæ, nam cum personæ Ecclesiasticæ, sint secundum se inhabiles, ad vendendum vel alienandum bona Ecclesiæ, fit autem eis facultas cōditionibus quibusdā, illis verò non seruatis, contractus ab ipsis factus est nullus, velut ex defectu personæ, & per consequēs ipso facto & simpliciter nullus, vt contractus pupilli.

Tertiò falsum est quod ait, vtrumque, & possidentem per testamentum imperfectum, hæredem ab intestato, posse tuta conscientia hæreditatem si apud se illum habeat, possidere. Primò, quia sic darentur duo

domini

domini eiusdem rei simul, & eodem tempore, quod est impossibile. Secundò, quia si est verus dominus (vt vult Soto) possidens per testamentum imperfectum ante iudicis sententiam, ergo ante illam hæres ab intestato non potest illa possidere, imò tenebitur restituere illi alteri, donec aduenerit iudicis sententia.

Ex quo sequitur falsum etiam esse quartum dictum posse hæredem ab intestato, bona illa vt sibi debita, præoccupare, Primò, Quia cum possit per iudicem repetere, & si debita ipsi, & sua, non potest tamen priuata authoritate præoccupare, vt dicemus de famulo cui debetur merces, quam potest in iudicio exigere. Secundò, quia si ante iudicis sententiam ille alius est verus dominus, quo modo potest ille accipere, & expoliare verum dominum.

Ad colligendum ex his omnibus quid verius sit saluo semper meliori iudicio. Obseruemus, non esse hic quæstionem, an leges ciuiles potuerint istos contractus imperfectos, & deficientes in solemnitate iuris, in vtroque foro statim ipso facto irritare, quia potuerunt quidē, cum in Rep. sit plena authoritas, ad occurrendum quantum potuerit omnibus ijs fraudibus, & dolis, tam in iudicio quam extra iudicium, sicut potuerunt contractus ex defectu personæ, ac si id quidem voluerunt leges tàm in iudicio quam extra, tàm in foro interiori quàm in exteriori, illos pro facto irritant: quia leges ciuiles iustę obligant etiam in conscientia: ita D Th. 1.2.q.69.ar.4. conueniuntque in hoc Innocētius, Panor. & Soto locis citatis, & oēs Doctores: Sed quæstio tota est, an de facto leges id definiant & statuant, nam Innocentius vult id definere: consentit Panor. vbi est fraus & dolus vbi verò nullus est dolus vel fraus nihil tale definire, Vnde secundum Panormit. tàm in foro animæ, quam in foro contentioso qui sine fraude, & dolo possidet tali contractu, iustè possidet, nec est à iudice expoliandus. Soto vult vbi nullus est dolus, ante iudicis sententiam tuto possidere, à iudice tamen esse expoliandum, quia debet iudex iudicare secundum leges scriptas, secundum quas contractus imperfecti nullam faciunt fidem in iudicio, sed habendi sunt pro infectis.

Obseruemus secundò quando variæ sunt Doctorum opiniones, in his quæ pertinent ad mores & consciētiam, licèt vna sit vera à parte rei, quod ad praxim tamen, eum qui nouit illam veram, ita vt iudicet aliàs falsas, debere agere iuxta illam, quam nouit veram, quia aliter ageret contra conscientiam, eum verò qui prudenter iudicat omnes probabiles, posse amplecti quam voluerit, maximè si agatur de re, quam actu bona fide possidet, quia cum prudenter varias illas opiniones iudicet probabiles, est meritò dubius, & in dubijs melior est ratio possidentis. Ex his sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Per contractum iure ciuili nullum reuera, & a parte rei non transfertur dominium.

PAtet, quia leges ciuiles iustè potuerunt illos irritare, & reddere ipso facto nullos, ac si id voluerint, obligat in foro conscientiæ. Quod autem id voluerint, probant efficaciter argumenta quibus opinio Innocentij nititur, & quæ adduximus contra tertiam sententiam. Et confirmatur primò: Quia si leges istę irritantes contractus minus solemnes nō obligarent in conscientia, non esset prouisum per ipsas fini, propter quē conditæ sunt, quod est maximum incommodum: Consequentia verò patet, Vult, verbi gratia lex ciuilis testamentum imperfectum nullum esse, ne fraus vel dolus in eo locū habeant, si hæc lex nō obligat in consciētia, qui poterit habere bona Ioannis per quodcunque testamentum erit tutus in conscientia, & cum videat se tutum, quacunque via conabitur, illum) etiam si imperfectè) testari. Similiter, vult lex Ecclesiastica, ne bona Ecclesiæ possint alienari, nisi cum illis conditionibus, ne facilè alienētur, sed diutius permaneant, si contractus sine istis conditionibus, esset validus in conscientia, certè facilè alienarentur.

Secundò, quam habet vim lex Ecclesiastica in matrimonio, eandem habet lex ciuilis in contractib. ciuilibus, sed Ecclesia definiente, matrimonium non celebratum coram sacerdote, & tot testibus, aut sub hac vel illa conditione esse nullum, reuera est nullum in vtroque foro, vt patet modò de matrimonio clandestino, ergo cōtractus ciuilis vel testamentum, quod ex defectu alicuius conditionis. Lex ciuilis statuit esse nullum, reuera in vtroque foro est nullum.

Tertiò, Si contractus lege humana nullus ex defectu solemnitatis in foro conscientiæ esset validus, certè id esset, quia in isto foro standum esset soli iuri naturali, & iuri gentium, quibus stando est validus, at contractus factus à pupillo stando iuri gentium, & naturæ validus est, quia verò irritatur à lege est in vtroque foro nullus, ergo similiter hi contractus etiam si stando iuri naturæ, & gentium essent validi, quia tamen irritantur lege ciuili, censendi sunt irriti, & nulli.

Quartò, Leges quę prohibent, ne pater det bona sua filio spurio, reddunt irritam, & nullam translationem bonorum in tali filio in vtroque foro, nec alia ratione, quam virtute legis, cum tamen iure naturæ, & gentium quicunque filius possit succedere in bonis paternis, ergo & leges quæ decernunt contractus minus solemnes esse nullos, in vtroque etiam foro obligabunt, cum non leuiora, imò grauiora verba in legibus irritantibus contractus imperfectos, quàm in alijs legibus reperiantur.

Vltimò, Si dominus præscribat œconomo suo modum, & formam seruandam, in contractibus, quos nomine sui dñi celebrabit, annullans & cassans quoscūque aliter celebratos, profectò celebrati ad ęst œconomo dimissa ista forma & modo sibi à domino suo assignato, non sunt validi, nec conferunt ius in conscientia, sed Respu. habet authoritatem ad præscribendum suis ciuibus formam, & modum seruandum in suis contractibus non minus quàm dominus suo œconomo, ergo aliter celebrati, quàm Respub. pręscribit, nulli sunt. Vnde quod infert Soto contra Innocentium, tanquam maximum incommodum, vt hæres, vel legatarius per testamentum imperfectum, tenerentur restituere hæreditatem, vel legatum hæredi ab intestato, iudicamus verissimum, tantum abest, vt sit incommodum.

CONCLVSIO II.

Cum vtraque opinio habeat Authores grauissimos, vtraque est probabilis, illi qui non valet quæ verior sit, & vim argumentorum expendere.

HOC certum est ex primo topico.

CONCLVSIO III.

Qui valet attingere ex his opinionibus veriorem esse illam nempe Innocentij, & ita animo concipit, iudicatque cæteras falsas, tenetur statim quicquid per contractum imperfectum obtinuerit restituere, aliter enim ageret contra conscientiam.

HÆC etiam perspicua est.

CONCLVSIO IIII.

Qui non valet attingere, quæ istarum opinionum sit verior, sed vtrasque iudicat probabiles, si actu possideat aliquid per contractum imperfectum, tutò illud possidet, nec tenetur restituere, donec iudex præcipiat.

NOn propter rationem Soti, quia leges istæ tantū annullant in iudicio, sed quia cum ambę opiniones

nes sint ipsi probabiles, est ipse prudenter dubius, & in dubijs melior est ratio possidentis: [Similiter qui possidet ab intestato bona alieri mandata testamento imperfecto, tutò illa possidet etiam ante iudicis sententiam:] non tanquam sibi debita, vt vult Soto: non enim id sufficit, vt vidimus, sed quia cum ambæ opiniones sint ipsi probabiles est prudenter dubius, & in dubijs melior est ratio possidentis.

CONCLVSIO VLTIMA.

Iudex tenetur cum primum constiterit iuridicè de defectu contractus, illum declarare nullum, & rem vero domino restituere.

PAtet, tenetur iudicare secundum leges scriptas, & non iuxta suum arbitratum, vt supra vidimus, tenetur que illarum verum, ac legitimum sensum nosse, hę autem leges iuxta suum legitimum sensum veramque intelligentiam reddunt contractus ipso facto nullos, vel saltem iuxta Sotum annullandos in iudicio, ergo.

Ex his sequitur; Primò, in testamētis imperfectis, bona tutius postulari apud iudicē, vel possideri ab herede ab intestato, quàm ab alio instituto per testamentum imperfectū, quia de possessione primi nullus dubitat, de possessione autem secundi, tot viri graues, & rationibus adeò efficacibus adducti. Secundò, quia etiam iuxta Sotum, ius succedentis ab intestato est irreuocabile omnino, ius autem alterius est debile & reuocabile, & ita prior ille tutius possidet etiam iuxta Sotum. Sequitur secundò, vt si hæres ab intestato petat apud iudicem sua bona: & institutus in heredem per testamentum minus solemne defendat se fraude, & dolo, occultando testes, vel scripturas, vel inducendo falsas, tenebitur reddere illa bona hæredi ab intestato, sine alia iudicis sententia, quia leges irritantes contractus istos non sunt pœnales, sed præceptiuę.

Excipiuntur ab hac doctrina in primis omnium cōsensu opera pia, in quibus conueniunt omnes Doctores cuiuscunque opinionis in alijs sint, contractum etsi minus solemnem, modò non existat in eo aliquis dolus validum esse in vtroque foro, tum in fauorem causæ piæ, tum quia eo ipso, quo opus illud pium est, libera voluntate contrahentis, & propria ipsius sponte, & non per aliquam fraudem iudcatur mandatum: Nec opus est hic loca Doctorum ita asserentium afferre, cū nullus neque ex Theologis ex Iuris peritis oppositum vnquam docuerit: Vnde miror impietatem quorundam iudicum, qui cum soleant in plerisque causis addictissimi esse Panormitano, iuxta quem quicunque contractus minus solemnes, modo constet bona fide, & sine vllo dolo celebratos esse, sunt validi, ipsi in hac parte aliquos cōtractus respicientes opera pia, ob defectum alicuius solemnitatis iuris, suis iniquis sententijs tanquam nullos, & irritos damnant. Cum omnes DD. eo ipso, quo pertinent ad opera pia, in vtroque foro (& si minus solemnę) ratos & validos iudicent esse habendos. Nec fauet huic impietati, leges municipales huius, vel alterius Regni illos irritare, tum quia iudices non minus in legibus, priuatis sui Regni, quàm in legibus iuris communis, intelligendis, & accommodandis causis de quibus iudicant, debent doctrinis, & ex positionib. grauissimorum DD. suæ facultatis stare, alioqui vt quid tam grandem Doctorum & librorum parant, vel potius ostentant suppellectilem. Tum quia Doctores omnes tàm Theologi, quàm Iuris periti, quando præsentem quæst. huius articuli disputant, an cōtractus lege ciuili nullus ex defectu alicuius solemnitatis iuris habeat vim; non distinguunt inter ius cōe & leges municipales, sed de omnib. in vniuersum loquuntur, quæcunque illæ sint, quæ contractum minus solemnem irritant, & in hoc sensu loquentes docent vno animo & consensu, contractum in fauorē operis pij celebratum, & si minus solemnis sit, validum esse omnino in vtroque foro, nisi certò constet aliquem dolum in eo accidisse. Ego, vt verum fatear aliquos istorum iudicum, non tàm legum peritia, vel Doctorum studijs, quàm proprio arbitratu in ferendis sententijs vti, mihi habeo persuasum, quibus non immeritò dicitur per Prophetam, [Erudimini qui iudicatis terram.]

Excipitur secundò matrimonium: in quo si desit aliqua solemnitas iuris essentialis, & necessaria, nullum transfertur dominium, nec reuocabile, quia matrimonium natura sua habet vinculum indissolubile, & irreuocabile, etiam si contrahentes mutuo vellent suo iuri renunciare, quod non est in alijs contractibus humanis, qui ex mutuo consensu contrahentium dissolubiles sunt, & reuocabiles. Vnde in matrimonio, aut nullum transfertur dominium, aut si transferatur, indissolubile omnino est.

Excipitur tertiò. Electio, quæ si iure irrita est ex defectu alicuius solemnitatis, nullum reuera transfert dominium, nec electus potest illam acceptare tuta conscientia, quia per electionem confertur electo iurisdictio spiritualis, quæ res adeò grauis per electionem dubiam, imò ipso iure nullam non est censenda in illum transferri. Propter quod viri graues etiam si in alijs contractibus concedant cum Victoria, & Soto transferri dominium, sed reuocabile, in electione tamen non audēt ita asserere. Quod si electio non sit ipso iure irrita ob talem defectum, sed tantum veniat irritanda, potest electus illam accipere, & vti potestate, quousq; à superiore habente authoritatem irritetur, vt in casibus de quib. agitur in illis textibus, c. sicut tn. c. Bonæ memoriæ, el 2. de ele. & electi potestate. Vt qn̄ in electione non vocātur absentes, quia electio nō est irrita ipso iure ex tali defectu, cū vocare absentes nō sit de substātia electionis, venit tamen irritanda, sic electus potest illā admittere, & sua potestate vti, donec irritetur: qn̄ .n. non vocātur ex contemptu, possunt absentes illi cōqueri de cōtemptu: & prosequi despectum suum, irritabiturque tunc electio: secus est si electores absentes ob bonum pacis consentiant electioni factæ, tunc enim non est irritanda. Circa quæ vide Sylu. verbo electio. q. 10. §. 1.

Nunc ad argumenta in oppositum, Et primò ad illa Panorm. Ad primum dico, leges non respicere casus particulares sed eos, qui communiter, & vt plurimum eueniunt, aut possunt euenire. Vnde finis legis dupliciter potest cessare, aut in communi, & omni ex parte ita vt nullum sit iam periculum damni: ad quod vitandum fuerat condita talis lex & isto modò cessat etiam lex; in quo sensu loquitur capit. illud, Cum cessante: Secundo modo pōt cessare in aliquo particulari euentu, non tamen omnino, & in vniuersum, sed non propterea cessat vis legis, cum ipsa non respiciat casus particulares, & extraordinarios, sed communiter euenientes. Verbi gratia, est lex sub grauissima censura, ne legantur libri hæreticorum, cuius legis finis est occurrere periculo, quod ex tali lectione possent Catholici pati, est Catholicus eruditus, & firmissimus in fide, qui etiam si illos legat non periclitabitur, cessabit ne in isto illa lex & censura; minime quidem, sed esset excommunicatus, si illos legeret, quamuis de illo periculo esset omnino securus, quia lex non respicit casus particulares, sed finem communem & vniuersalem. Similiter irritat lex contractus pupillorum, quia ingenium eorum infirmum est, & cauillis iniquorum expositum est: pupillus valens ingenio & prudentia plusquam suus tutor, erit ne hoc nomine contractus talis pupilli validus? cessabitque in illos vis illius legis (minime quidem, ob eandem causam. Sic in proposito argumento, etiam si aliqui contractus imperfecti celebrentur sine vlla fraude, vel dolo, quia tamen

men vt plurimum (qualis est hominum cupiditas) cū dolis celebrantur, possuntque fieri, lex retinet suam vim. Ad id verò quod affertur de correctione fraterna, respondeo, præceptum istud non habere pro fine aliquid commune per se, & sua natura, sed bonum particulare proximi, & salutē illius. Et ita cum finis istius legis sit particularis, cessante illo in particulari, cessat quoque illa lex & eius vis.

Ad secundum respondeo, Vt constat ex primo articulo, naturale esse vnumquemque liberè de suis bonis posse disponere, sed debite, & recto modo, Et naturale etiam, vt Resp. quæ custos ciuium est, valeat per suas leges modum illum assignare, & arctare ciues suos ad illum propter bonum commune, Vnde quando irritat contractum ex defectu huius vel illius conditionis, & si talis annullatio primò & per se, & immediatè non cadit in personam, nec sit defectus personæ, secundariò tamen cadit etiam in personam, & perinde est statuere contractum cum tali defectu, esse nullum, ac statuere personam talem contractum afficientem ad sic efficiendum esse inhabilem. Sicut in matrimonio clandestino primò & per se Ecclesia statuit illa irritare, & annullare, & quia annullato contractu manet persona inhabilis, ait esse inhabiles eos qui alio modo quam ipsa statuit in Concilio Tridentino ad sic contrahendū, Vnde leges decernentes istas solemnitates non sunt contrariæ iuri naturæ, quod vnusquisque habet ad disponendum de suis bonis, cum eodem iure naturæ destinetur homo vt pars polytica ad bonum commune, teneaturque de suis bonis disponere eo modo, quo exigit bonum commune.

Ad tertium respondeo, textum illum non benè adduci ab auctoribus oppositæ sententiæ, non enim ait ibi Innocentius, electionem iure humano nullam ex defectu alicuius solemnitatis esse validā, cum oppositum doceat in illo cap. Quia pleriquе, & vbique, sed tantum docet, vbi difficultas & dubitatio orietur, an in electione fuerit seruata debita solēnitas, tunc quia res est dubia, deferendam esse ad iudicem, standumque iudicij sententiæ, & ante illam electum esse tutum in conscientia, quia in re dubia melior est ratio possidentis; Quando autem apertè constat defuisse solemnitatem iuris, esseque electionem ex eis, quas lex positiua annullat, tunc ipso facto est electio illa inualida in foro conscientiæ, teneturq; sic electus nullo modo illā acceptare, nisi ex ignorātia inculpabili excusetur.

Ad quartum respondeo, leges istas de quibus loquimur non fondari in falsa præsumptione, quia licèt in isto, vel illo casu particulari cessent fraus, & dolus, possunt esse in alijs multis, & legis præsumptio non est in omnibus ita reperiri, sed posse in multis, quę pręsumptio vera est, at sufficiens, & prudēs, vt debeat legislator occurrere huic periculo, & dāno. Et ad illud leges istas tantum irritare testamentum imperfectum, non autem infirmare voluntatem testatoris, & ideo vbi certò cōstiterit de illius voluntate extra omnem fraudem, & dolum, illi voluntati standum esse. Respondeo eo ipso, quo prohibet lex, & iustè tales contractus vel testamenta, infirmare etiam voluntatem testatoris ad hic testandū. Potest enim Resp. bono communi ita exigente, suos ciues prohibere, ne disponere valeant de suis bonis, nisi iuxta modum lege præscriptum, ita vt qui illum omiserint nihil omnino efficiant, tàm in foro interiori quàm exteriori. Vnde falsum est quod existimat Adrianus, leges rescindere tantum ista testamenta, ne decipiatur testator aliqua fraude vel dolo: cum iuxta apertissima ipsarum verba, quorum proprio, & genuino sensui standum est, hoc etiam velint, vt talia testamenta dicantur, & iudicentur nulla, & velut non facta, eo ipso quo non seruant debitam solemnitatem iuris.

Ad quintum respondeo, Alexandrum eo in loco non abrogasse leges has ciuiles, tum quia sunt iustæ, quando enim in hominibus erat fides, & sinceritas sufficiebant duo vel tres testes, quam, sinceritatem, & primæuam ac antiquam fidem respiciens lex diuina, dixit in Deoteron. in ore duorum &c. modò autem, quando nullibi tuta fides, & malitiæ, mendacia, cauilli, & fraudes innudauerunt, æquissimum est, vt in re adeò graui qualis est testamentum, & dispositio defuncti, qui non potest huc redire ad se explicandum, & tuendum, tot adsint testes sicut ipsamet lex pontificia. 2. q. 5. can. pręsul, in causis grauib. Cardinalium, & Episcoporum, & aliorum hominum præstantium, vult plures testes adduci. Et ita leges has contractuum ob malitiam humanam adeo iustas, & bono communi necessarias non derogat Papa, cui non est data potestas in destructionem, sed in ædificationem. Tum secundo, quia non habet ipse ius in leges Principum sæcularium, nisi quando sunt contra ius diuinum aut naturale, vt habetur dist. 96. can. Cum ad verum. Et can. Duo sunt, huiusmodi autem leges sunt maximè consonæ iuri naturali, & dictamini rectè rationis. vt constat ex primo artic. huius quæstionis, & per consequens etiam iuri diuino. Vnde respondeo, Textum illum bifariam intelligi, aut de legatis pijs, circa quę, quoniam pia sunt, & eo ipso non mandata ex cupiditate alicuius hæredis, sed ex deuotione testatoris, sufficere duos vel tres testes, & cum legata pia velut bona quædam spiritualia, non tam legibus ciuilibus, quā pontificijs subiecta sint potuisse Papam statuere vt sufficiant ad illa duos vel tres testes, nec per hoc tollitur vis legum ciuilium, circa alios cōtractus, legata, vel hæreditates temporales, cui expositioni fauet capit. Relatum. proximè sequens eodem titulo, in quo ita disponitur, & diffinitur de legatis pijs. Alia expositio est quam amplectuntur Cano. li. 6. de locis Theologicis cap. 8. Et Soto loco citato decretum istud Alexandri loqui de terris subiectis Ecclesiæ Romanę, in quibus Papa habet vtramque authoritatem, & in quibus sicut Princeps etiam temporalis præcipit iudicibus, & gubernatoribus. vt de testamentis, & alijs contractibus ciuium non iudicent iuxta leges ciuiles, sed iuxta decreta canonum: quæ expositio est magis consona textui, loquitur enim ibi Papa iudicibus Hostiensibus, & Vellenensibus quæ terræ ditioni Rom. Pontif. etiam in temporalibus subijciuntur. Extendit hoc decretum Cano ad alias terras subditas alijs episcopis, quasi loca etiam ecclesiæ subiecta, sed in hac parte (pace quod ipsius dixerim) non benè sensit, episcopi enim qui habent alios Superiores Legislatores, & Principes, quibus loca sua subiecta, etiam sunt vt partes Regni superioris, vt episcopi Hispaniæ, quorum terræ sunt partes Hispaniæ, tenentur in temporalibus seruare leges ciuiles suorum Principum, & Regum, & sic iurant quando promouentur ad Episcopatum, loca, & terras suas sub obedientia Regis tueri, Episcopi etiam qui habent iurisdictionem temporalem in ciuitatibus, & prouincijs, quę constituunt Remp. integram, sicut possunt sine alterius superioris authoritate, quando bonum commune suæ Reip. exigeret indicere bellum, & congregare exercitum, sic etiam possunt condere leges ciuiles suæ Reip. necessarias, nec crediderim, Papam illas posse derogare, cum ipsi in temporalibus non sint subiecti Papæ nisi sicut alij Principes Christiani, in ordine ad cultum Dei, & bonum spirituale.

Ad sextum constat solutio ex dictis, constat enim leges istas non solum in iudicio, & in foro contentioso tollere vim, & fidem contractibus, & testamentis minus solemnibus, verum etiam ipso facto illos reddere nullos, sicut contra Magistrum Soto ostendimus, & cum sint iustæ, consequenter obligant in foro interiori. Et quod dicitur in isto 6. argumento, leges non infirmare voluntatem testatoris, explicatum modò est in solutionibus secūdi argumenti, quomodo illā infirmēt. Ex vsu quoque iudiciū inefficax ducitur argumētū,

nam

ſiam iodices cum ſiut Iuriſtæ, ſequuntur Panorm. cuius opinio inter Iuriſtas dicatur cõmunior, quid quod ipſimet Panor. & Soto ſentiunt in foro contentioſo leges iſtas infirmare huiuſmodi contractus.

Ad ſeptimum reſpondeo, non eſſe inconueniens, vt propter bonum commune conſtituatur homo in aliquo euentu in tali diſcrimine, vt non poſſit de ſuis bonis ſiue culpa ſua diſponere, leges enim quantumuis iuſtæ non poſſunt cauere omnes euentus particulares, ſed tantum reſpiciunt bonum commune, & quæ communiter eueniunt, præſertim cum iſte caſus ſit maximè fortuitus & rarus, cum poſſit quiuis, vel minima diligentia habere in oppido quantumuis exiguo integrum numerum teſtium.

Ad vltimum reſpondeo, iſtos viros eſſe tutos, non quia contractus iſti minus ſolemnes transferant verũ dominium, ſed quia cum ambæ opiniones videantur ipſis probabiles propter dignitatem Doctorum, qui vtramque amplectuntur, ſunt meritò, & prudenter dubij, & in dubijs melior eſt ratio poſſidentis, ſicque tuta conſcientia poſſident, vt dictum eſt in quarta concluſione noſtra.

Nunc ad argumenta, quibus Magiſter Soto nititur oſtendere ſuæ opionis fundamentum. Ad primum reſpondeo, finem legum iſtarum non eſſe prohibere dolos, & fraudes quacunque ratione, ſed omnino quantum humana authoritas, & prudentia poteſt: ad prohibendum autem omnino, non ſufficit, vt ſint tantum nulli, & nullius fidei in iudicio, cum in multis contractibus huiuſmodi, non poſſint defectus eorum commodè probari in iudicio, aut ex defectu teſtium, aut culpa tabellionum, aut iniquitate ipſorum iudicum, lege autem ſtatuente, vt ipſo facto ſint nolli, ſufficienter tunc occurſum eſt, etiam ſi deficiant, vel teſtes, vel tabellio ſit perfidus, aut iudex iniquus, cum per talem contractum, in foro animæ, cuius aliquando homines curant, nullum ius aut dominium transferatur.

Ad ſecundum fatenr, eſſe quidem hanc ſententiam rigidam, eſt nihilominus vera, ſolent enim doctrinæ ad conſcientiam, & reſtitutionem pertinentes, eſſe carni, & ſanguini, ac cupiditatibus humanis rigidæ.

Ad illud nõ eſſe in vſu, nil mirum, quia cum tot ſint Doctores ex vtraq; parte, qui poſſidet, iudicat opinionem ſuæ vtilitati fauentem veriorem, eſtque tutus eo modo quo expoſitum eſt.

ARTICVLVS V.

Qua ratione per teſtamentum transferatur dominium.

TErtius modus transferendi dominiom priuata poſſidentis voluntate, eſt per teſtamentum, quod à donatione, & promiſſione maximè differt, donatione etiam ſtatim transfertur dominium rei in accipientem, promiſſione licèt non ſtatim transferatur dominium, attamen, vel promiſſarius acquirit ius, vt in promiſſione adimplenda ex iuſtitia, vel ſaltim promittens conſtituit ſe debitorem, vt in promiſſione adimplenda ex fidelitate, per teſtamentom autem nec hęres nec legatarius acquirunt aliquod dominium, vel ius, quamdiu teſtator viuit, nec ipſe teſtator manet debitor, ſed exprimit tantum, quid velit eo tempore teſtator de bonis ſuis fieri, cum facultate quamdiu viuit, mutandi voluntatem illam, & animum.

Vnde donatio, & promiſſio, cum primum fiunt, habent vim, ſuntque irreuocabiles, niſi promiſſarius, & donatarius renuncient iuri ſuo: Teſtamentum autem quamdiu teſtatoꝛ viuit nullam habet vim, ſed reuocabile eſt. Ita D. Paul. ad Hebr. 6. [Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris, teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt.] Reuocabile eſſe omnia iura proclament, Ius canonicum 13. q. 2. can. Vltima voluntas. Et cap. Cum Marthæ de celebratione miſſarum, ex iſto loco B. Paol. definit Pontif. omne teſtamentum mutari, minni, vel augeri poſſe vſque ad mortem. Ius ciuile l. 4. ff. de adimendis legatis, Et l. omnium C. de teſtamentis, Et l. multis. ff. teſtamento militis reuocatur teſtamentom prius per poſterius, etiam ſi prius coram duobus teſtibus, vel ipſo Cæſare factum ſit, non ſolum quo ad legata ſecularia, verum etiam quo ad cauſas pias, in capit. ex inſinuatione de procur. Quæ iura Cæſarea, & Pontificia recipiuntur in Caſtella Part. 6. tit. 1. l. 5. & in regno Valentino, extenduntur vſque ad teſtamenta iurata, ita vt prius teſtamentum etiam ſi iuret teſtator ſe illud perpetuò obſeruaturum, & nunquam mutaturum, poſſit per poſterius reuocari, ita in l. 44. Iacob 1. & l. 115. Petri. 2. vnde teſtamentum propriè non dicitur vltima voluntas (niſi ſit omnium vltimum) quia voluntas quamdiu viuimus ambulatoria, & mutabilis eſt, ſed dicitur diſpoſitio teſtamentaria, iuxta illud Eſaiæ ad Ezechiam, [diſpone domui tuæ, &c.

Ex hoc ſequitur inſtitutum hæredem, vel legatariũ per aliquod teſtamentum, ſi nouerit teſtatorem aliud deinde condidiſſe, quo prius reuocatur, non poſſe illud celare, ſed debere illud indicare, aliter peccabit, & tenetor ad reſtitutionem. Quia cum inſtitutus poſteriori teſtamento ſit verus dominus, indicare illud non eſt arma exhibere aduerſario, ſed rem alienam vero domino reſtituere, ad quod ſimpliciter, & in conſcientia tenetur.

Circa teſtamenta quantum noſtra diſputatio exigit varia ſeſe offerunt, Ac vt initio certa ab incertis ſeparemus, admonendi ſunt primò fideles à Theologis, vt ſani, vel ſaltim initio morbi teſtamenta condantur, tũ vt commodius id præſtent, tum etiam, quia ſolent ſucceſſuri ab inteſtato, ne quid alijs relinquatur à teſtatore, auertere aduentum tabellionis, & teſtium, quod qui faciunt peccant grauiſſimè, & tenentur reſtituere, quæ intelligebant, teſtatorem velle alicui relinquere, vt docet optimè D. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 1. §. 2. Et quod peius eſt, qui fraude, vel dolo nititur, ne infirmus teſtamentum condat, amittit hæreditatem, quam expectabat ab inteſtato, deuoluiturque hæreditas ad alios propinquos, vt habetur l. 1. C. ſiquis aliquem teſtari prohibeat. Quæ lex cum ſit iuſta ad obuiandum fraudibus, & dolis, obligat in conſcientia, tenerurque qui ſic impedierit ad reſtitutionem. Poteſt aliquis via honeſta per ſe aut alios precari conditurum teſtamentum, vt ſibi, & non alteri relinquat bona, fraude autem vel dolo impedire ne condat teſtamentum, non poteſt.

Secundò, admonendus eſt teſtator, vt in ſtatu gratię illud faciat, nam ſi eſt in peccato, quæ mandat nihil illi proderunt ad gratiam, vel gloriam, imò neque ad ſatisfactionem. Miſſæ verò quando illo vitam functo celebrabuntur, proderunt ſi ſit in purgatorio, ex applicatione offerentis, virtute autẽ teſtamenti nil illi quicquam pium proderit, vt docent D. Tho. Ricaꝛdus, Bonauentura, & alij in 4. diſt. 16.

Tertiò admonendus eſt, vt ſi habet debita, ſtatim illa ſoluat ſi habet apud ſe pecuniam, vel ſuppellectilẽ, quam ſine graui detrimento domus ſuæ vẽdere poteſt, tùm quia quod ipſe non præſtat, minus præſtabunt hęredes, tum quia vt videbimus, qui debet, & poteſt commodè ſoluere, debet ſtatim maximè exiſtens in diſcrimine vitæ, nec eſt differenda ſolutio niſi ex conſenſu creditoris. Loquorque de omni genere debiti, ſiue debeatque pecunias ſiue res acceptas à mercatoribus, ſiue ſtipendia aliqua ab opificibus, vel famulis. Quæ verò non põt ſtatim ſoluere, apertè ſignificet, & in chyrographo confiteatur ſe debere, propria, vel tabellionis manu ſubſcripto, plenamq; teſtamentarijs copiam faciat illud quamprimũ ſoluendi, tum vt tollatur om-

nis occasio litium, quod maximè curandum est testantibus, tum quia faciendo tunc quod pro tali loco & tempore valet, & pœnitendo de negligentia præterita, est tutus in conscientia, nec detinebitur in purgatorio si hæredes sint tardiores in soluendis debitis, quia cum fecerit testator quod in se est, mora illa non ipsi, sed solis hæredibus imputabitur.

Quartò, in dispositione testamentaria debent seruari hæc 1. leges ciuiles iustæ, cum illæ obligent in vtroq; foro (iustæ inquam) nam aliquæ sunt iniustæ, illæ scilicet quæ legi naturali, aut diuinę repugnant, etiamsi ad bonum finem latæ sint, vt in nostro regno, lex quæ concedit parentibus priuare filios suos etiam alimentis necessarijs, est iniusta contra ius naturale, quod præcipit, vt qui dedit esse det & conseruari indigenti. Lex quæ vult filios, qui se cultui diuino consecrant reclamantibus parentibus, omnino priuari bonis parẽtum est etiam iniusta. Est enim contra omne ius, pro bono opere & laudabili pati pœnam. Habuerunt quidem istæ leges bonum finem, continere filios in obedientia parentum, verum cum sint contra ius naturæ sunt iniquæ: ideo vbi aliquid à lege pendet, testator non condat testamentum sine consilio Theologorum & Iurisperitorum. Secundò seruabit in dispositione bonorum ordinem charitatis, qui est in præcepto, vnde curabit prius proprium funus & animam pro ratione sui status, non iuxta leges sæculi, sed prudentiæ & pietatis, deinde si habuerit filios instituet illos hæredes, est; enim ius naturæ, [Si filius & hæres] præter filios si bona suppetant mandabit legatarijs de quibus benè meritus est, maximè si indigeant, & illorum obliuisci sit futurum scandalo & ingratitudini, quod aliquando potest esse mortale, in quo stabit consilio prudentis, & periti confessarij. Si careat filijs, mandabit bona sua propinquioribus, non temerè, sed pensatis optimè & prudenter propinquitate, honestate, indigentia, & beneficijs à singulis acceptis. Hæc omnia omnibus in confesso sunt, & ab omnibus conceduntur, difficultas autem & controuersia maxima est circa testamenta iurata, circa filios spurios, vel legitimos inobedientes, quid erga singulos parentibus liceat. Videamur igitur primò.

AN TESTAMENTVM IVRATVM possit in foro conscientię sine peccato, & iniustitia reuocari.

IN hac quæstione varij sunt Doctores, Bartol. in l. si quis. ff. de legatis. Bald. in l. 1. de sacrosanctis Ecclesijs, Glossa in cap. illud vltima voluntas. Iason in l. si cõuenerit. ff. de iurisdictione & alij multi, quos refert Couar. de testam. p. 2. Rubricæ. num. 15. volunt testamen. etiam si testator intet se illud nunquam reuocaturum, esse nihilominus reuocabile, & iuramentum illud ad nil obligare. Probant primò, Iuramentum sortitur naturam illius actus, cui adhæret, vt habetur cap. quemadmodum, de iureiurando: sed testamentum est actus natura sua reuocabilis, cum nec sit donatio, nec promissio, ergo & iuramentum quod illi apponitur reuocabile est, & non obligat.

Secundò, Iuramentum cõtra bonos mores non obligat ex regulis iuris in sexto, sed testamentum iuratum est contra bonos mores, ergo. Probatur minor, primò, donatio vniuersalis omnium bonorum, nulla re sibi relicta, etiam si iuramento firmetur, omnium consensu est temeraria, imprudens, & iniqua, ac habenda pro inualida tanquam contra bonos mores, quia tali donatione priuat se homo libertate testandi, & mandandi opera pia, ac cõsulendi animæ suæ, quod est contra bonos mores, sed per testamentum iuratum si sit irreuocabile, priuat se homo, eadem omnino libertate. ergo est contra bonos mores. Probatur secundò, eadem minor, dari fratri occasionem peccandi est contra bonos mores, sed per testamentum iuratum datur proximo occasio desiderandæ & captandæ mortis testatori, experientia enim teste, qui nouit se certò esse hæredem, erit sollicitus de morte illius, cui successurus est, sicut videmus in successore hæreditatis vinculatæ nonnunquam accidere, ergo.

Tertiò ex communi sententia, vt habetur in l. stipulatio. ff. de pactis testamentorum, Pactum, quo aliquis dicat: constituo te in hæredem, & nisi id præstitero, ex nunc spondeo tãtam pecuniam tibi dare, est iniquum, nec obseruandum, tanquam contra bonos mores, quia est contra naturalem libertatem testandi, sed testamentum iuratum si sit irreuocabile est contra eandem libertatem, ergo contra bonos mores, & eo ipso non obseruandum.

Denique lex huius Valentini regni vult omnino esse reuocabile tale testamentum, si hæc lex esset iniusta, esset reuocata, cum tot Christianissimi Principes post illos primos Iacobum & Petrum successerint, habuerintq; tot conuentus, quibus tot prælati, & viri eruditi ac timoratæ conscientiæ adfuerunt, nusquam autem reuocata est, sed relicta vt iusta, lex autem iusta obligat in conscientia, ergo testamentum etiam si iuratum sit, poterit tuta conscientia reuocari.

Oppositum docet Guillelmus Durandus in Speculatore titulo de instrumentorum editione. §. Compendiosè. Hostiensis titulo de sepulturis. §. an licitum, & alij multi, asserentes testamentum iuratum nisi aliquid iniquum contineat ita esse validum & firmum, vt nullo modo possit per subsequens, & posterius reuocari. Probant primò. cap. cum contingat. de iureiurando, contractus, & pacta, quæ ex se obligatoria non sunt, nec contra salutem animæ, si iuramẽto firmentur, sunt valida & irreuocabilia, ne aliqua iniuria irroget Deo, qui illorum testis adductus est: Testamentum quidem ex se mutabile est, illud autem mutare, vel in eo permanere liberum est testatori, & neutrum est contra salutem animæ, ergo si iuramento firmetur immutabile fit, & irreuocabile.

Secundò, donatio inter virum & vxorem durante matrimonio, quamuis prohibita lege quo ad forũ exterius, ne mutuo amore se inuicem expolient, si tamen iuramento firmetur est seruanda in foro conscientiæ, nec vllo modo reuocanda, vt docet copiosè Couar. in cap. primo de testamentis, estque communis opinio Theologorum & Canonistarum, ne committatur periurium, ergo & testamẽtum iuratum quamuis lex prohibeat, ne quis auferat sibi libertatem testandi, debet manere firmum & irreuocabile, ne committatur periurium.

Tertiò si non liceret priuare seipsum libertate testãdi per iuramentum, hoc ideo esse, quia hæc libertas adeò esset à iure naturæ, & necessaria ad bonos mores, at non est. Probo. Quod est contra ius naturæ, & bonos mores, ita est intrinsecè malum, vt nunquam possit benè fieri, vt fornicari, furari, &c. sed priuare se libertate testandi potest aliquando benefieri, vt renunciando omnibus amore paupertatis Euangelicæ, sicut scribitur de B. August. [Testamentum nullum fecit, quia pauper Christi vnde faceret non habebat.] Et habetur c. si religiosus de electione in 6. & 12. q. 1. can. non dicatis. Tum etiam omnium consensu potest fieri vniuersalis donatio omnium bonorum ecclesiæ, ita vt donans nihil sibi relinquat de quo testetur. C. de sacrosanctis Ecclesijs l. Iubemus. §. nulli. & est communis, vt docet Couar. tomo 1. par. 5. colum. 1. imò seclusa omni lege ciuili, & stando in iure naturæ & gentium, eo ipso quo quis est liber dominus suorum bonorum potest illa omnia cui voluerit dare, nil omnino sibi relinquendo, vt habetur in Auctentico Ingressi, C. de sacrosanctis Eccles. quod certè non liceret si esset contra bonos mores.

Tertia opinio est media inter has, quæ asserit, vt

sicut

sicut promissio de ducenda vxore, quamuis iurata, de facto est reuocabilis, non tamen de iure, sine graui peccato periurij, vt si Petrus postquam promisit sub iuramento ducere Joannam, ducat Bertam, est verus vir Bertæ, & secundum factum tenet. licèt grauiter peccauerit, & fuerit periurus, ita in proposito, testamentum Iuratum esse reuocabile de facto, non tamen de iure, id est si post testamentum iuratum aliud conficiatur valere hoc secundum in vtroque foro, conficientem tamen illud grauiter peccare, & esse periurum. Hanc sententiam habent Ioannes Andreas in regula, Quod semel, de Reg. iur. in 6. Archidiac. in illud cap. Vltima volontas. Anchar. in cum contingat, de iureiurando, Felinus in ca. In præsentia, de probationibus, quibus videtur adhærere Cou. de testam. p. 2. Rubrica, nu. 19. pag. 14. in fine 2. col.

Probant hi priorem partem huius opinionis, nempe testamentum iuratum dissolui per secundum hac ratione: Iuramentum priuati hominis non potest mutare naturam contractus, sed hæc est propria, & genuina natura dispositionis testamentariæ, vt sit reuocabilis, & mutabilis, cum nec sit donatio, nec promissio, vt docet idem Innoc. in illo cap. cum Marthæ, ergo, non desinit testamentum reuocabile esse etiam si iuratum sit. Et confirmatur: quia ita cõdidit testamentum, aliquem actum instituit efficere, per quam donationem, promissionem, an testamentum non dices donationem, vel promissionem, tum quia de his non est hic quæstio, tum quia donatio, & promissio irreuocabiles sunt etiamsi non sint firmatæ iuramento, vnde dices testamentum, nam de hoc est quæstio, sed testamentum eo ipso quo testamentum est, reuocabile est, ergo si actu reuocetur manebit reuera reuocatum.

Secundò, actus contra iuramentum factus, etiam si agens periurus sit, validus est, si prior actus cui appositum est iuramentum non sit perfectus, & firmus, sed imperfectus, & mutabilis, vt in voto simplici iurato, si post votum simplex & iuratum castitatis quis contrahat matrimonium, est validum, quia votum illud non erat actus perfectus, licèt sic contrahens fuerit periurus, & sacrilegus, sed testamentum quantumuis iuratum est actus imperfectus, & pendens quamdiu testator viuit, nec habet perfectionem vllam, aut vim, & robur, nisi post mortem eius, ergo actus secundus, & testamentum subsequens erit validum, & dissoluet primum illud iuramentum, licèt sic agens sit periurus.

Secundam partem nempe reuocantem testamentum iuratum esse periurum, ostendunt argumenta secundæ opinionis. Et confirmatur. Maior libertas exigitur, & iure naturæ in matrimonio, quàm in testamẽto, capit. Cum locum. Desponsalibus, atqui si quis promisit Ioannæ sub iuramento ducere illam, & deinde ducat Bertam est periurus, etsi matrimonium cum Berta sit validum, & ratum, ergo similiter, & si secundum testamentum sit validum, quia prius natura sua reuocabile erat, reuocando tamen illud egit contra iuramentum, & est periurus.

In hac quęstione difficili, & graui. Obseruemus primò, testamentum variè fieri posse, nam aut est benè dispositum, in quo seruantur leges iustę, ordo charitatis, & quæ dictat recta ratio, aut est male dispositum, tum, continetur que in ipso aliquid iniquum; vel contra leges iustas, vel contra ordinẽ charitatis, vel contra rectam rationem. Rursum bene dispositum, aut ita est omni ex parte perfectum, vt non solum sit bene dispositum pro tempore quo fit, verum etiam pro omni tempore quia in illo prouiderit testator omnibus litibus, euentibus, & difficultatibus quę quocũque tempore possent se offerre, aut licèt sit bene dispositum, non tamen ita omni ex parte perfectum: vt sit disposuit optimè quidem testator iuxta tempus quo illud condidit, non tamen satis prouidit omnibus euentibus futuris, at quia non valuit, aut quia non curauit.

Obseruemus secundò, legem ciuilem, quæ statuit testamentum etiam iuratum reuocari posse, esse iustam: primò, quia lex non respicit singulares, & extra ordinarios casus, sed communes, & ordinarios, communiter autem, & regulariter non valet prudentia humana omnibus futuris sufficienter prouidere. Sap. 9. [Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, &c.] Ideo lex præsumens testatorem non valuisse omnibus futuris prouidere, quod est commune, vult vt semper possit mutare: Secundò, quia licèt testamentum iuratum non sit causa necessaria captandæ mortis alioquin nõ liceret instituere primogenia, nec vinculare hæreditates, est tamen maximè periculosa, & contingens, ideo lex iustè abhorret à testamentis iuratis velut talem occasionem offerentibus, admoneatque meritò Doctores confessarios, vt suadeãt fidelibus abstinere ab huiusmodi testamẽtis. Tertio, hmõi testamenta multoties oportet reuocari per alia, & nisi lex cui incumbit componere ac regulare cõtractus humanos, & explicare statuere qui debeant esse validi, qui non, definisset, quod testamentum debeat valere quod non, nunquam esset finis litibus: Cũ ergo hoc legi incumbat, cõsiderans lex primo incertitudinẽ, & imperfectionem prudentię humanę. Secũdò occasionem, quæ per iurata testamenta offertur hæredibus captandæ mortis. Tertiò illud testamentũ debere esse validius, quod magis accedit ad naturam testamenti, cuiusmodi est quod posterius est, tùm quia testamentum dicit vltimã voluntatem, tùm quia testamentum cum nec donatio sit, nec promissio est actus natura sua mutabilis, iustissimè statuit, vt testamentũ prius, etsi, iuratum, possit quamdiu testator viuit reuocari.

CONCLVSIO PRIMA.

Testamentum malè dispositum, & continens aliquid iniquum, etsi iuratum, non est obseruandum sed reuocandum; ita vt quando conditum, & iuratum peccauerit testator, quando autem reuocatur: nec peccet, nec sit periurus.

HÆc aperta est, quia iurare rem iniquam est malum, & inferre Deo iniuriam, facere illum testem iniquitatis, malum quoque obseruare tale iuramentum, Ex illo communi axiomate: [Iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

CONCLVSIO II.

Testamentum benè dispositum, & omni ex parte perfectum, omnia prospiciens: ita vt nulla possit de nouo occurrere iusta causa ad illud mutandum, & iuratum, si a testatore reuocetur erit de facto reuocatum, valebitque posterius in vtroque foro, peccabit tamen grauiter illud reuocans, & erit periurus.

PRiorem partem huius conclu. probant argumenta facta pro prima opinione Bart. adducta pro priori parte opinionis Ioan. Andreæ, Alcia. & Couar. Et confir. Lex iusta habet vim in vtroque foro, sed lex quę concedit facultatem reuocandi priora testamenta etiam iurata est iusta, vt constat, ergo. Secundam partem huius conclus. probant efficaciter argumenta adducta pro secunda opinio Hostien. & Guilelm. Durandi, vna cum argumento adducto pro secunda parte tertiæ opinionis. Quo fit ista argumenta non egere solutione, cum illa primæ opinionis tantum probent, testamentum quantumuis iuratum esse reuocabile de facto, quod nos etiam dicimus: argumenta verò secundę ostendant esse periurum, eum qui reuocauerit testamentum iuratum, in quo nihil iniquum continetur, quod nos etiam docemus.

CONCLVSIO TERTIA.

Testamentum bene dispositum, sed imperfectum, in quo non est omnibus futuris prouisum, & iuratum, si nulla se offerat de nouo iusta causa ad mutandum, reuocando illud, licèt de facto erit validum secundum, peccabit tamen sic reuocans, & erit periurus, Quod si iusta causa sese offerat, licet illud reuocare sine vllo periurio.

PRior pars patet ex secunda conclus. Posterior pars probatur, quia qui condidit testamentum imperfectum, & iurat illud aut ita iurat, vt statuat non mutare illud, etiam si iusta causa deinde sese offerat, aut statuit seruare illud noua causa sese offerente, quæ exigat iuxta rectam rationem mutandum esse, si iurauit priori modo, iuramentum fuit iniquum, & malum, nec obseruandum, si secundo modo ipsemet & prudenter retinuit facultatem mutandi illud oblata iusta causa adueniente. Dices quid si nil horũ venerit illi in mentem, sed simpliciter iurauerit? Dico simplex iuramentum semper esse accipiendum sano modo, & perinde ac si implicitè iurauerit, se non mutuaturum illud, nisi recta ratio oppositum ostenderit: sicut in simplici promissione, quæ semper est intelligenda sano modo, nisi venerit noua & iusta causa, ob quam ex mutatione rerum & statuum sit ipsa quoque mutanda.

AN LICEAT TESTATORIBVS PRO libito, & arbitratu suo, relinquere bona sua filijs, & cognatis.

QVæstio hæc ad filios legitimos pertinet, de spurijs enim & illegitimis vltimo loco dicemus: Reddunt autem illam difficilem leges ciuiles aliquarum prouinciarum, maximè huius Regni Valentini, facientes liberam facultatem parentibus disponendi de bonis suis siue in filios, siue in extraneos. Extat enim lex 43. Iacobi primi hanc facultatem plenissimè concedens, quæ non solum non est reuocata, verum etiam per Regem Ferdinandum ampliata, & concedit parentibus, posse filijs nil omnino relinquere, neque hæreditatem, neque alimenta.

Ad cuius explicationem, Obseruemus primò leges maximè huius Regni, licèt omnes bono fine conditæ sint, non tamen omnes esse iustas, nisi obseruent hæc tria. Primò, vt nulla ratione legi diuinæ, aut naturali repugnent, quæ enim his repugnabit non est lex, sed corruptela, cum omnis lex deriuetur à recta ratione, quæ nil aliud est quàm impressio quædam diuini luminis. Secundò lex iusta debet respicere bonum commune. Tertio ea quæ frequenter & communiter eueniunt, quæ tria si aliqua lex non habeat non est iusta. Quando ergo aliquę leges vel iuris communis, vel municipales, deuiabunt à lege Dei, vel naturali, non licet testatoribus vti facultate sibi concessa à talibus legibus, sed debet tunc agere iuxta legem diuinam, & dictamen rectæ rationis, similiter iudices licet debeant iudicare iuxta leges scriptas, quando illæ non sunt consona iuri naturali & diuino, relictis illis iudicare debent iuxta rectam rationem, obedientes Deo, & non hominibus, [Deus enim est per quem Reges regnant, & principes imperant, & conditores legum iusta decernunt.

Obseruemus secundò, parentes vbi lex hoc ipsis cõcedit, posse punire filios sibi rebelles & scelestos in bonis. Et ratio est, quia princeps cum sit custos iustitiæ, & vindex delinquentium, potest punire in vita & in bonis filios rebelles & scelestos, maximè si peccata eorum possint efficere perturbationem in Rep. per quos voluerint ministros: concedendo autem facultatem parentibus exhæredandi filios sibi rebelles & scelestos, constituit illos ministros suæ punitionis, sicut potest constituere virum ministrum punitionis vxoris adulteræ. Vnde vbi lex hoc concedit parentibus tanquam ministris institutis à principe & Rep. punitionis criminum suorum filiorum, id iustissimè possunt.

CONCLVSIO I.

Pater filios studiosos, & sibi obedientes non potest exhæredare, licèt possit ex aliqua iusta causa hæreditatis illi minuere.

PRobatur prior pars, pater etiam si lex plenam facultatem illi tribuat, non potest agere contra ius naturale, vel gentium, est autem ius naturale & omniũ gentium teste Paulo: [Si filius, & hæres,] rursum: [Patres debent thesaurizare filijs] ergo. Et confirmatur, Si pater discedat intestatus, filius succedit in bonis patris ab intestato, non alio nomine nisi quia ratio naturalis, & ius omne gentium ita dictat. Ergo.

Probatur secunda pars inductione:] Potest pater in primis cum consensu ipsorum filiorum, imponere illis aliquod grauamen, vel tributum, per quod hæreditas illorũ minuatur, imò & ex eorum consensu illos exhæredare, modò ij liberè consentiant, & non per vim aut dolum, sed vt placeant patri. Quod patet, quia in hoc casu habet locum regula illa scienti & cõsentienti nulla fit iniuria. Et regula vnicuiq; licet cedere & renuntiare iuri suo. Quod si dixeris, filij non possunt renuntiare in præiudiciũ tertij, & ita non possunt in præiudicium suorum filiorum: respondeo, si habeant familiã, quæ illa hæreditate egeat, non posse quidẽ id sine peccato, sed erit illud contra charitatem, non contra iustitiam, quia vbi bona non sunt vinculata, nepotes non habent ius in bonis auorum, sed tantum filij, qui cum sint veri domini, si renuntient vtuntur iure suo, quamuis malè & ita peccabunt peccato prodigalitatis, non tamen iniustitiæ.

Secundò potest pater minuere hæreditatem filij ratione alicuius donationis iam factæ, sed hac lege, Donatio potuit fieri tripliciter, aut ad constituendum illi statum, vt quæ fit tẽpore matrimonij, vel ad suscipiendos sacros ordines, aut fuit facta sine ordine ad statum filij, cũ conditione tamen expressa, quæ ipsi iũe dabantur dari illi loco suæ hęreditatis, & legitimę portionis, aut fuit omnino simplex, neq; ratione status, neq; cum conditione, sed omnino liberè vt quæ fit extraneo ex mera liberalitate. Si pater dedit filio primo, vel secundo modo, potest in testamento, non solum minuere partem quæ mandanda erat illi filio, verum etiam illum tuta conscientia exhæredare, cum ille per talem donationem iam acceperit suam hæreditatẽ, vt optimè Couar. in cap. Raynaldus de testam. num. 7. si verò facta sit donatio tertio modo iuxta l. si quando. §. & generaliter. C. de inoffic. testamento, cum ille non acceperit adhuc suam hæreditatem, sed tantũ munus, relinquenda est illi cum studiosus sit sua portio, poterit autem relinqui minor quàm alijs, qui nil acceperunt, maximè si egeant cum ita dictet recta ratio.

Tertiò potest minuere hæreditatem posterioribus filijs, si velit instituere Maioratum, & Primogenitură, ita tamen vt relinquat alijs honestum victum. Patet, primogenia sunt necessaria in Rep. vt ossa in corpore, oportet enim in Repub. esse aliquos diuites, & potentes, qui illi opitulentur tempore belli, aut alicuius infortunij, primogenia autem non possunt institui si omnibus ex æquo essent relinquendæ hæreditates, ergo licet alijs à primogenito, modò honestus victus iuxta suum statum relinquatur, minuere hęreditatem. Et cõfirmatur exemplo sacræ Script. in qua sanctissimi Patriarchæ curarunt habere primogenia, Abraham enim vnum constituit principem hæreditatis Isaac, alijs honestum victum, & munera tantum tribuens.

CON-

CONCLVSIO II.

Potest pater inter filios studiosos quam viderit honestiorem & sibi obedientiorem alijs in bonis praeferre, & è conuerso minus digno aliquid prae caeteris mandare, modò non priuet alios sua legitima portione.

PRior pars perspicua est, dictant enim illam recta ratio & lex gratitudinis. Et ita Genes. 46. Iacob moriens filio suo Ioseph mādauit extra fratres suos agrū Sichem &c. cuius meminit Ioan. ca. 4. quo venit Christus Samaritanam illam conuersurus.

Posterior quae difficilior est probatur. Si pater id nō posset certè, quia ageret vel contra charitatem, vel cōtra iustitiam, non prius, quia charitas in collatione bonorum respicit necessitatem proximi, hic autem supponimus singulis filijs dari suas legitimas portiones, & ex eo quod illi minus digno mandatur, nullam indigentiam alijs imminere, nam si immineret non posset: Nec est contra iustitiam: non contra commutatiuam, cum iam mandet vnicuique debitam illi partem: commutatiua autem versatur circa debita, Nec contra distributiuam, cum distributiua, vt optimè ait D. Nauar. cap. 17. num. 37. tantum respiciat personas publicas, in distributione munerum, bonorum, & praemiorum iuxta merita, dicteque vt ad munera publica, & beneficia Ecclesiastica dignoriores assumantur, testamentum autem est actus priuatus priuati hominis, & circa res priuatas. Et confirmatur, Potest pater dare dum viuit abundanter pauperibus, si filij ipsius non egeant, ergo à fortiori potest abundanter dare filio studioso licèt minus digno, cum alijs suam quoque legitimam mandet, nec propter id, in quo illum minus dignum praefert, alijs aliqua indigentia subsequatur.

CONCLVSIO III.

Potest pater filios, quamuis legitimos, propter eorum crimina, si lex ciuilis hoc ipsi concedat, exhaeredare.

PAter, Filij scelesti potest puniri à Principe, & Respub. in bonis per suos ministros, pater autem autoritate legis exhaeredans illos punit ipsos, vt minister Reip. ergo.

Secundò, non repugnat iuri naturali aut diuino punire filios rebelles, & scelestos, imò est talis punitio vtilis bono communi, ergo lex quae hoc concedit parentibus iusta est, & per consequens licet patri in filios scelestos vti facultate legis. Antecedens patet, imprimis non repugnare iuri naturali, nam omnes nationes filios scelestos à se expellunt, & bonis expoliant vt indignos bonis paternis: nec diuino, cum lege Dei filius cōtumax, & rebellis praeciperetur lapidari, & priuari vita, quantò magis bonis? Vnde cum Scriptura narrasset peccatum Esau, qui contra praeceptum patris duxit mulieres infideles in fine capit. 26. statim initio capit. proximè sequentis 27. narrat quasi in poenam illius inobedientiae, quomodo benedictio Isaac, & Primogenium translatum sit in Iacob, & sublatum ab Esau. Similiter Genes. 44. Dignitas regia, & tribus regia, quae debebat esse maior inter filios Iacob, translata est ad quartum filium Iudam, sublataque à Ruben, qui erat Primogenitus ob suam turpitudinem, sublata etiam à Simeone, & Leui, qui erant secundus, & tertius, praecedebantq; natiuitate Iudam ob sua homicidia.

Denique redundat in bonum publicum, vt filij rebelles à parentibus suis priuentur haereditate, vt alij timeant, & contineantur in obsequio, & obedientia parentum. Vnde Iacobus primus legem illam 43. qua conceditur facultas parentibus ad exhaeredandos filios, Interpretatur ipse, & iustificat lege. 47. vbi ait: id posse parentes. Primò, si filij manus violentas ipsis iniecerint. Secundò, si illos mentitos esse cum contumelia asseuerint. Tertiò, si illos non curarint à captiuitate redimere cum potuerint. Quartò, si de crimine aliquo, & facinore parentes suos apud iudicem accusauerint. Quintò, si cum nouerca sua concubuerint. Sextò, si à fide per haeresim, vel apostasiam recesserint. Quibus additur in alijs legibus si contra voluntatem parentum matrimonia contraxerint. Vide Couarru. in c. Raynutius, de testamentis.

CONCLVSIO IIII.

Pater filios siue legitimos siue illegitimos nullo titulo potest priuare alimonijs ipsis necessarijs: quod si filij non egeant, sed habeant aliunde, vnde sibi sufficiant, vel vitā haereditaria, vel quia sua industria, & labore valeuerunt, & valent sibi acquirere bona, vel castrensia, vel quasi castrensia quos possunt propter sua crimina exhaeredare, possunt eti am alimonijs priuare.

PRior pars probatur: Ius naturale, & diuinum non obstante quacunque lege humana, & ciuili obligat, sed alere filios maximè legitimos, cum indigent, est ius naturale. ergo tenentur ad id. Probatur minor, Primò, quia ius naturale est, vt qui dedit esse det & conseruari, cum ipse possit, & alter egeat. Secundò, quod natura omnia animantia docuit, ius naturale est, at omnia animantia quantumuis bruta alunt suos foetus.

Secundò, omnium consensu patres ad plura tenentur erga extraneos. [Si quis (inquit Paulus) suorum, & maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior,] suorum inquit, & maximè domesticorum non exterorum, sed extraneo tenetur quiuis in extrema necessitate alimenta praebere, cum possit, ergo & filio quantumuis iniquo, vel illegitimo, non solum in extrema, verū etiam in graui praebenda sunt à patre alimenta. Et confirmatur ex cap. Cum haberet. De eo qui ducit in matrimonium, quā polluit per adulterium. Vbi Clemens 3. praecipit, vt parentes necessaria subministrent filijs ex damnato etiam concubitu genitis, quatenus eis suppetunt, facultates. Et in Castella l. 10. auri permittitur parentibus, titulo alimentorum donare istis filijs. 5. partem suarum rerum. Et quamuis Constantinus, & Iustinianus dixerint legibus à se editis, hos filios non esse alendos, vt in Authentico. Ex complexu. C. de incestuos. & inutilibus nuptijs, & in Authentico, Quibus modis efficiantur naturales. l. vnica. §. finali, Hae tamen leges, vt seuerissimae, & minus piae reuocatae sunt iure Pontificio, & lege Hispaniae, Et in nostro Regno Valentiae licet concedant leges parentibus, vt possint filijs, & alimenta negare, à iudicibus tamen non obseruantur in hac parte, quia negare alimenta necessaria filio, est verè illum necare, iuxta illud B. Ambrosij: [Quem non pauisti occidisti.]

Probatur secunda pars, filio habenti vnde sibi sufficiat, posse patrem ob culpas ipsius negare alimenta, Quia si deberet, aut ex iustitia, aut ex charitate: Non ex charitate, quia charitas respicit indigentiam proximi. Constituimus autem hic istum filium sibi sufficere, nec indigere: Nec ex iustitia, Primò, quia iustitia respicit debitum, filio autem iniquo, & rebelli cum non egeat, nihil debet iam pater. Secundò, quia lex, quae concedit parentibus negare alimenta filijs propter sua scelera est punitiua, & eo ipso quo imponit poenam pro culpa est iusta, & ita pater vt illius minister potest vti facultate, quàm talis lex ipsi tribuit. Denique cum tamen teneatur ne pereat, quando sibi sufficit, non tenebitur dare, cum tunc tale periculum non existat.

CONCLVSIO VLTIMA.

Parentes carentes filijs tenentur distribuere bona sua inter cognatos, & propinquos, si egentes sint, seruato ordine charitatis, præferendo honestiores, propinquiores, & pauperiores alijs, quod si egentes non sint, poterit tuta conscientia bona sua conuertere in opera pia.

PRior pars patet, quia ordo charitatis est in præcepto, exigit autem charitatis ordo, vt propinquos egentes iuuemus, & hoc opus alijs pijs præferamos, dicente domino, Oseæ 6. [Quia misericordiam volui, & non sacrificiũ.] Vnde D. Ambrosius, Aug. Chrisost. & alij sancti Patres, quæ Ecclesijs mandabantur si defuncti relinquebant affines indigentes, præcipiebant illis exhiberi, & non Ecclesijs.

Probatur. Secunda pars, quia si non posset testator conferre in opera pia, sed deberet mandare cognatis, aut id deberet ex charitate, aut ex iustitia, non prius, quia isti affines vt supponimus non egent, charitas autem respicit indigentiam proximi, nec ex iustitia, quia iustitia respicit debitum, hic autem cum bona illa sint sua omnino, & simpliciter, nec vinculata, non debet illis quicquam, potestque liberè disponere in vsus nulla lege sibi prohibitos: nulla autem est lex quæ præcipiat, vt deficientibus filijs conferantur cognatis, qui non egeat, vel prohibeat conuertere illa in opera pia. Et confirmatur: Poterat hic diues, si non habet cognatos pauperes, conuertere dum viuit in eleemosynas omnia bona sua, sicut dixit Christus illi adolescenti Matth. 19. [Vade vende vniuersa quæ habes & da pauperibus &c.] Potest etiam fieri dum viuitur donatio vniuersalis omnium bonorum Ecclesijs, vt vidimus, ergo potest moriens mandare omnia in opera pia. Patet consequentia, quia nõ est minus dominus moriẽs, quàm esset viuens, nec vlla lex prohibet moriẽti, quod non prohibet viuenti.

Denique obseruandum hic est, testatorem si habeat varios cognatos, vel filios, & diuersa bona varijs vijs acquisita, in illorum distributione debere cuique filio, vel affini ea mandare, quæ à prædecessoribus talis filij, vel affinis, accepit, hoc enim exigit æquitas, vt in bonis à maioribus acceptis succedant qui illis sunt affiniores, & non alieni. Tum etiã potest pater tuta conscientia ad satisfaciendum famulis, amicis, vel soluẽda debita sua, minuere hæreditate filij, non solum bonis à se acquisitis, verum etiam filio vinculatis, filiusq; tenebitur in foro conscientiæ illa soluere, etiam si in iudicio non condemnetur, quia filij eo ipso quo hæredes, tenentur in foro conscientiæ soluere debita parẽtum, ex quibusuis bonis ab illis acceptis. Vide D. Nauar. ca. 29. num. 36.

Ex his conclusionibus omnes certissimę sunt, prętertertiam, nam licèt possint parentes filios sibi rebelles punire in bonis, id tamen intelligendum est in his, in quibus filij debent obedire parentibus, cum autem in contrahendo matrimonio videantur non teneri ad obediendum ipsis, propter maximam & plenam libertatem quam ius naturæ concedit volentibus nubere non videtur iusta lex in hac parte, nec conclusio posita comprehendere ducentes matrimonium sine facultate parentum. Vnde videamus.

POSSINT NE PARENTES FILIOS contra voluntatem eorum contrahentes matrimonium exhæredare,

QVæstio hæc in primis non est de alimentis, cum constet iam ex præcedenti controuer. parentes filijs indigentibus nullo titulo posse denegare alimenta, iuxta eorum statum necessaria. Nec est quæstio de filijs quibus parentes iustam occasionem obtulerunt, vt per seipsos contraherent: vt quando filia à parentibus plus iusto opprimitur, vel à nouerca indecenter tractatur, aut efficitur multæ ætatis, i. plusquam viginti quinque annorum, intra quos æquum est, vt nubat, parentes autem ne illam dotent, vel ob suas priuatas vtilitates illam nuptui tradere recusant, vel volunt filiũ, siue filiam accipere in coniugem laborantem infirmitate aliqua contagiosa, vel imprudentem, & amentem, aut durioris ingenij & conditionis. Quando propter has vel similes causas filij in consultis parentibus contrahunt cum coniuge honesto & sibi æquali, omnium consensu nec culpandi sunt, nec sua hæreditate priuandi. Prudentum namq; iudicio non sua, sed parentũ culpa tales filij ad contrahendum & sibi prouidendum iustam occasionẽ habuerunt: vbi verò culpa non est, nec tanta pœna inferenda est, quanta est exhæredare illos.

Quæstio ergo nostra est de filijs, qui sine iusta causa contra parentum voluntatem contrahunt & maximè de filiabus, tùm quia leges Castellæ ad solas filias pertinent, nec possunt ibi exhæredari filij sic contrahentes. Et in nostro regno licèt leges aliquæ de omnibus loquantur tàm filijs, quàm filiabus plerçque tamen vt lata à Iacobo primo Dertusę anno 1321. à Petro secundo; ab Alfonso anno 1448. A Ferdinando catholico 1510. Carolo V. 1542. nihil dicunt de filijs, sed contra solas filias latæ sunt, voluntq; non solum illas exhæredari posse, verum etiam adiuuātes & complices in tali matrimonio puniri pœna capitali. Tùm etiam quia cũ filij sint viri & prudentiores, nec tantæ inhonestatis arguendi sunt quantæ puellæ, si contra voluntatem parentum nubant, nec tanto rigore in ipsos exercendæ legis, per regulam iuris odia restringi &c.

In hac quæstione varij sunt Doctores. Nam Panor. Felyn. & Hostien. in cap. 1. de desponsatione impuberum, Alex. 1. vol. conf. 67. Decius in cap. vt Ecclesia. de constitur. Idem Ferrara in l. Nuptias. ff. de regul. iuris. Rodericus Xuares lib. 3. Fori tit. de matrimonio. l. 2. Couar. Epitome in 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 8. nu. 5. vbi dicit esse communem. Et in nostris Palud. in 4. d. 28. q. 2. Victor. obiter de matrimo. in Summa, Syluest. in verbo lex q. 15. Alfonsus à Vera Cruce in Speculo coniug. p. 3. art. 20. volunt hi omnes filios sic contrahentes peccare quique mortaliter, tanquam inobedientes in re graui non tamen posse à parentibus priuari hæreditate, adeò vt pater qui eo nomine illos priuauerit nõ sit absoluendus, nec alij filij, ad quos hæreditas translata est, sint tuti in conscientia, sed teneantur illam filio sic exhæredato restituere, Conar. addit, nec peccare nec teneri filios in causa matrimonij obedire parentibus.

Probant hi Doctores suam opinionem, Primò si parentes possent exhæredare has filias, id esset quia per illas sic contrahentes aliqua ipsi afficerentur iniuria, at non est ita: Probo: qui vtitur facultate concessa sibi à lege nemini facit iniuriam, filia nubens sine voluntate patris vtitur facultate sibi à lege concessa, ergo nullam ibi infert iniuriam. Maior est regula iuris. Minor patet, quia omni iure naturali, diuino, & Ecclesiastico conceditur filijs libera facultas ad contrahendum.

Secundò lege Ecclesiastica (cui omnes ciuiles parere debent, vt inferiores superiori) vnusquisque adeò est liber ad contrahendum, vt à nemine possit ipsi in causa matrimonij inferri, vel metus; at si pater posset exhæredare filiam, quod nubat, cui vult, posset in causa matrimonij incutere illi metum cadentem in constantem virum, timore enim amittendæ hæreditatis, & subeundę paupertatis non contraheret liberè, quem timorem subeundæ paupertatis & cadendi à statu hęreditatis, omnes faciunt timorem cadentem in constantem virum.

Tertiò ex D. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. in his, quæ pertinent ad sustentationem proprij corporis, vel generationem prolis, filij non sunt subiecti parentibus matrimonium pertinet ad generationem prolis, ergo in causa-

sa matrimonij filius non est subiectus parẽtibus: Nũc sic: Nemo agit contra obedientiã superioris nisi quando non obtemperat illis. in his in quibus est illi subiectus, filius in causa matrimonij non est subiectus parentibus, ergo contrahens contra illorum voluntatem non committit peccatum mortale inobedientiæ, ergo non potest exhæredari, quia iusta pœna non potest inferri nisi ob culpam.

Quartò non licet vti facultate concessa à lege iniqua, & abrogata leges concedentes parentibus, vt filios sic contrahentes possint exhæredare, sunt iniquæ, & abrogatæ per leges Ecclesiasticas, quæ illis superiores sunt, ergo. Probatur minor: In primis, quod sint iniquæ. Lex repugnans iuri naturali, aut diuino iniqua est, sed istæ leges repugnant iuri naturali, cum plena & omnimoda libertas, quæ exigitur ad contrahendum, quę est à iure naturæ, per istas leges tollatur, quia timore perdendæ hæreditatis duceret filius non quam vellet, sed quam pater volet, quod apertè est contra libertatem naturalem in matrimonij, ergo sunt contra ius naturæ & iniquæ. Secundò, sunt abrogatæ iure Pontificio, nam in cap. Tuam. De ordine cognitionum. Et cap. causam. Extra. Qui filij sint legitimi, el secondo, & cap. 1. de sponsalibus, definitur causas matrimoniales, & condere leges circa matrimonia non spectare ad potestatem sæcularem, sed Ecclesiasticam. Vnde leges istæ nullam habent omnino vim, tanquam conditæ à non habente authoritatem, & mittente falcem in messem alienam.

Vltimò argumentantur Couar. & Albornoz in suo opere de contract. lib. 4. tit. 8. etiam si filij sic contrahentes committerent inobedientiam, & leges concedentes parentibus facultatem exhæredandi filios sic contrahentes essent iustæ, non licet parentibus exhæredare illos. Probo, in primis non propter illam inobedientiam. Patet, E duobus malis minus est eligendum. Minus malum in ordine ad bonum vniuersi, filium contrahere sine voluntate patris, quàm impedire libertatem matrimonij, si pater posset exhæredare impeditur ista libertas, ergo præstat vt possit contrahere sine voluntate patris, quàm vt possit exhæredari. Neque titulo & virtute legis, nam istæ leges (inquit Albornoz) sunt latæ in odium matrimonij clandestini, modò autem post Concilium Tridentinum, nullum iam est matrimonium clandestinum, sed omnia celebrantur in facie Ecclesiæ: Vnde istæ leges iam non retinent suam vim.

Ita colligunt isti Doctores, patrem à iudicibus obligandum esse ad statuendam dotem filiæ, etsi contra ipsius voluntatem nupserit, quando nupsit viro honesto, & sibi æquali, quod si indigno, & turpi, non esse obligandum ad id à iudice. Priorem partem probant, quia pater tenetur ad duo ad tradendam filiã nuptui, & ad constituendam illi dotem, à priori liber est, cum ipsa iam nupserit, manebit ergo cum debito posterioris, idest, constituendæ dotis, Tum etiam quia vbi lex est iniusta, & abrogata, iudex non debet iudicare secũdum illam, quamuis scriptam, sed secundum ius naturæ, & rectam rationem, & per consequens in fauorem matrimonij, cui omne ius adeò fauet. Secundum probat. Couarr. quia non est compellendus pater affectus iniuria à filia, vt illi constituat dotem, affectus autem est maxima iniuria, quando illa viro turpi nupsit.

Oppositum docent Glossa in c. de raptoribus. 36. q. 1. & Glossa in Authent. Sed si post. C. de inofficioso testamento. Antonius de Butrio in cap. accedens. de procuratoribus. Paul. Parisiensis volum. 3. concl. 29. Bald. Nouellus, de dote. p. 6. priuilegio 16. num. 6. Ioan. Lopez de Palacios Ruinos, in cap. Per vestras. de donat. inter virum, & vxorem. fol. 88. colum. 2. Moder. Parisien. in Alexandrum, volum. 1. concl. 97. colum. 1. Et ex nostris Dominicus Soto in suo. 4. distinct. 39. q. 1. art. 6. Bartholomæus à Medina in Sum. in 4. præcepto, Nauarro in Manua. c. 14. nu. 15. & c. 26. nu. 35. Ant. Cordoua. in summa. q. 171. & omnes ferè patres Dominicani huius ciuitatis, asserentes filium sic cõtrahentem peccare mortaliter contra obediẽtiam quam patri debet, & iustissimè authoritate legum posse patrem illũ filium in pœnam illius inobedientiæ exhæredare.

In Castella concedunt leges patribus posse exhæredare filias sic nubentes intra 25. annum, lib. 3. fori, tit. de matrimonio. leg. 2. & lib. 5. ordinatio. tit. 1. leg. 4. Et partita 4. tit. 1. l. 10. & l. 49. Tauri. Anno 1537. in pragmaticis conditis Madritij pragm. 41. extendit hanc facultatem Carol. V. etiam si filia excedat 25. annum, & nubat contra voluntatem patris, modo non habeat nouercam, de filijs autem nil statuunt leges Castellæ. In nostro regno tum filios quam filias possunt exhæredare patres, si ipsis dissentientibus contrahant, quamuis plures, & potiores leges sint latæ, vt constat ex initio huius quæstionis contra filias, quam contra filios. Et meritò, tenentur enim ipsæ ad maiorem honestatẽ, suntque imprudentiores, & quæ facilius possunt decipi inconsultus parentibus. Sequemur, & nos hanc sententiam cum aliquo moderamine, cuius veritas vt appareat.

Obseruemus primò iure gentium, omnium nationũ consuetudine explicato, non esse puellarum, quæ verecundiam habent quærere virum, sed pertinere ad parentes tradere nuptui filias suas quamdiu sub patria potestate sunt; Tum quia sic exigit puellarum honestas, adeo vt apud omnes nationes iudicetur inhonesta, quæ se ipsam viro tradidit, tum quia parentibus incumbit curare honorem, quietem & bona filiorum vt sua, & in nulla re tot bona sese offerant si rectè fiat, aut damna si contra, nullibi vtilius succeditur aut periculosius erratur, quàm in eligenda coniuge. Accedit his quod in re adeò periculosa, & in qua puellæ, vt faciles, fragiles, & nullius experientiæ facilè decipi possunt necesse est vti prudentum consilio, quod à nullo commodius, possunt accipere quam à parentibus, qui, & experientia valent, & cum ipsas maximè diligant, de earum honore, & quiete, felicique statu sunt plurimum soliciti. Hoc ius gentium confirmat ius Pontificium. 30. q. 1. cap. Aliter, vbi Euaristus ad innuendum, quam æquum sit, puellas non se ipsas tradere, sed per manus parentum viros accipere, statuit vt suo tempore non haberetur pro nupta, quam non desponsaret pater, simile statuit Leo eodem loco, can. Qualis. Et D. Ambrosius. vt habetur 32. q. 2. can. Honoratur Agens de Rebeca, quando pater eius dixit:] Quæramus voluntatem puellæ: Ait: Consulitur puella non desponsalibus, illa enim iudicium expectat parentum, non enim est virginalis pudoris eligere maritum, sed iam desponsata viro, de profectionis die consulitur. Et in S. literis parentibus tribuitur hoc munus. Sap. 7. Da filiam. tuam viro prudenti. & 1. Corinth. 7. copiosè docet D. Paul. à parentibus tradendas esse filias nuptui. Non solum inter Christianos, verum etiam inter Paganos hoc obseruatum est. Vnde Hermione in Andromacha Euripidis sic loquitur. Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum. Nec legitur in aliqua Historia sacra, vel prophana puella honestam aliter nupsisse, quam consilio, & ordine parentum. Ex quo sequitur aperte ad id teneri ipsas, ratio aperta est. Hæc sunt relata teneor tibi prouidere, tu debes subijci, & gubernari mea prouidentia, vt apparet in tutoribus, & pupillis, sed iure gentium tenentur parentes quærere viros idoneos filiabus suis, & tradere illas nuptui sicut decet, ergo tenentur ipsæ eodem iure, nisi turpes, & inhonestæ esse velint, nubere consilio, & ordine parentum suorum, maximè quamdiu parentes non sunt in mora, nec iustam occasionem ipsis offerunt quærendi sibi idoneos viros. Nec hoc diffitentur auctores primæ opinionis, vt videre est in Couarru. loco citato.

Obseruemus secundo, Tribus modis posse aliquem induci vel retrahi à matrimonio, Primò compellendo, & cogendo minis vel terroribus vt etiam si nolit contrahat cum hac, Vel prohibendo, & impediendo per minas etiam, & terrores, ne contrahat cum illa, quam vult: Et hoc apertè est contra libertatem naturalem matrimonij, cum debeat in matrimonio consensus esse omnino liber, & nullo modo coactus, ita vt nisi liber sit, non sit matrimonium, Quo fit, vt nulla humana potestas, nec sæcularis, nec Ecclesiastica possit aliquem compellere ad matrimonium, vel impedire, vt docent optimè Corduba & Speculum coniug. locis citatis, Et Soto in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 3. & est deffinitum in concilio Trid. Sess. 24. cap. 6.

Secundo modo potest aliquis induci ad matrimonium, vel propositis damnis per iustam legem ipsi imminentibus, sine vlla fraude vel dolo, sed solum nitendo vt ab illis se eximat, Vt quando corruptori alicuius virginis, quia vult lex talem aut suspendi aut ducere illam, dico suadeoque vt ducat, ne suspendatur, vel iudex ipse ait, aut duc illam, aut peribis, Hoc modo inducere illum ad contrahendum, non est agere contra libertatem matrimonij, non enim cogo illum, sed tantum suadeo quod illi vtilius est, Nec est incutere illi timorem vt contrahat, ipse sua culpa acquisiuit sibi illum timorem, & lex iusta ob peccatum commissum illum incutit per impositionem illius pœnæ. Ego tantum conor vt à pœna iustæ legis, & dāno quod timet, & ex peccato suo iustè ipsi imminenti, ducendo hanc se eximat.

Tertiò modo potest quis retrahi à matrimonio, & suaderi ne contrahat cum hac, quam vult precibus vel minis à iusta lege petitis, idque vel fraudulenter, & cum dolo, vt non ducens hanc, quam vult, ducat aliā quam nolebat, vel suadeo ne ducat sine vlla fraude vel dolo, quia ducere illam, est ipsi nociuum, & indecorum: Retrahere aliquem illo priori modò, & cum illa fraude, est, iniquum, & verè contra libertatem matrimonij, ac propterea omnino prohibitum in concilio Trident. loco citato, Retrahere autem secundo modo, quia illi est nociuum, & indecorum per admonitiones, vel minando illi pœnas quas lex iusta concedit, hoc non est agere contra libertatem matrimonij, non enim est cogere illum ne contrahat, sed tantum est conari vijs licitis, ne libertate illa in damnum suū abutatur, quod maximè licet, admonitiones enim & minæ à iusta lege petitæ viæ sunt licitæ, & media licita, conari quoque ne quis sua libertate abutatur maximè licitum, Quid enim magis naturale quàm dominum absolutū de bonis suis liberè disponere, at quia homines ista libertate abuti possunt in damnum suū: & Reipub. statutæ sunt leges à Repub. quibus præscribuntur illis regulæ, ne tali libertate abutantur. Similiter, quid magis liberum, quam compotem rationis posse, quæ voluerit vota emittere, at quoniam ista libertate homines possunt abuti, vouendo imprudenter, superiores vota inferiorum, & parentes vota filiorum, qui illis subsunt, abrogare, & commutare possunt. Ita in proposito, libertatem naturalem filiorum ad contrahendum nulla potestas valet tollere, aut impedire, regulare autem, aut moderari ne filij turpiter, contrahentes in damnum suum, & Reipub. perturbationem, illa abutantur, potest Resp. & parentes authoritate Reip. Imò non esset benè prouisum Reip. humanæ, nisi in ipsa esset authoritas ad præscribendas leges, quibus libertas hominum, in quouis contractu, in quo illa possunt abuti, reguletur. Vnde vt benè obseruauit Palacios Rubios loco citato, libertas matrimonij in his duobus tantum consistit. Primò, vt nullus possit ab aliqua potestate cogi, vt contrahat cum hac aut illa, nec compelli, vt non contrahat cum hac aut illa. Secundo, vt matrimonium contractum libera huius volūtate cum hac, nullus possit dirimere aut impedire, quin sit validum, & ratum: Cæterum nō dat ista libertas filijs, quin si turpiter vel contra voluntatem patris benè illis consulentis contra hanc, peccent grauiter, & possint pro tali culpa puniri. sicut qui fecit votum simplex, manet cum libertate contrahendi, qui à nemine potest prohiberi ne contrahat, & matrimonium quod contraxerit nemo poterit dirimere, non tamen dat illi ista libertas, quin sic contrahens peccet, cum illa libertate abutatur.

Obseruemus vltimò ex Magistro Soto in 4. q. 29. q. 1. art. 4. cum matrimonium duo habeat, vt sit sacramentum, & contractus, quamuis Principes sęculares nil possint in matrimonium vt sacramentum, sed soli authoritate Ecclesiæ hac ratione subiaceat, at qua contractus quidam naturalis, & polyticus est, Principes sæculares curare possunt, imò & debent vt fiant matrimonia ea ratione qua conuenit paci, & quieti Reip. & imponere pœnas aliter contrahentibus, & ea ratione celebrantibus matrimonia, vt propterea Resp. perturbationes pati possit: sicut multa sunt delicta quorū iudicium per se, & directè ad iudicium Ecclesiæ pertinet, puniuntur tamen illa pœnis à iudicibus sæcularib. impositis, quatenus pacem Reip. perturbent, quomodo punit lex ciuilis vsurarios, periuros, eos qui contrahunt nuptias incestas, & fideles, qui cum infidelibus, & Iudæis matrimonia iungunt: cum tamen ista peccata directè ad iudicium Ecclesiæ pertineant.

CONCLVSIO PRIMA.

Filij qui sine iusta causa contrahunt contra voluntatem parentum peccant mortaliter.

PRobatur, Omnis iniuria illata parentibus in re graui, & propter quam iudicio prudentum inter patrem, & filium iustè dissoluitur amicitia. est peccatum mortale, sed filius contrahens contra voluntatem patris sine iusta occasione, infert illi maximam iniuriam, iusteque omnium prudentum iudicio pater cum in re adeò graui sit contemptus, reijcit talem filium à sua amicitia, ergo peccat mortaliter. Maior certa est. Probatur prior pars minoris, primò experientia teste nullus est pater, quantumuis prudens, & timoratus, qui non iudicet se in tali casu affectum maxima iniuria, & contumelia. Et confirmatur. Ex sententia authorum oppositæ opinionis, si contrahat cum coniuge turpi afficit patrem iniuria, ergo etiam si contrahat cum honesto, & digno. Probo consequentiam: si contraheret cum turpi patre consentiente nullam illi infert et iniuriam, ergo tota ratio, ob quam infert illi iniuriam est, quia contrahit contra voluntatem ipsius. Nec valet dictum Couar. eum qui vtitur facultate sibi concessa à lege, nemini facere iniuriā: lex enim Ecclesiastica tantum concedit filijs, vt non possint cogi ad hanc vel illam, ac vt si contraxerint, matrimonium sit validum: cæterum quod non stent concilio parentū, & illis obediant, quando parentes agunt quod in se est, & aliter peccent, nulla est lex, quæ tale concedat, imò oppositū, vt patet ex primo fundamento.

Secunda pars probatur etiam experientia, apud omnes enim gentes, ratione naturali ita dictante, filij sic contrahentes non audent facies parentum intueri, imò conscientia vrgente, cuius testimonium fallere non potest, quærunt amicos ad placandos parentes, quasi graui iniuria, affectos, & iustè ipsis iratos. Vnde Rebeca Genes. 26. iustè scribitur indignata Esau, quod contra voluntatem parentum duxisset mulieres ex Chanaan.

Secundò, Inobedientia parentum in re graui est peccatum mortale, sed parentibus facientibus quod in se est, filius contrahens contra voluntatem eorum committit inobedientiam in re graui, ergo peccat mor-

mortaliter. Maior est certa, quia præcepta decalogi in re graui obligant sub mortali. Minor patet imprimis consensu omniū nationum, quæ sola rōne naturali dictante tales filios iudicant inobedientes. Secundò, me tibi prouidere, & te mihi obedire, in his quibus debeo tibi prouidere, sunt relata. Quo argumento probat D. Pau. Hebr. 13. obediendū esse prælatis, quia ipsis cura est de nobis, adeò vt teneant rōne nostri reddere, parētes sub mortali tenentur prouidere filijs de necessarijs ad statum, de coniuge, & familia &c. ergo tenebuntur & filij sub mortali obedire parentibus, in his quæ pertinent ad coniugem, & optimam gubernationem suarum familiarum, & personarum: imò esset iniquum obligare parentes in re, in qua filii nullo modo tenerentur ipsis obedire.

Tertio omne scandalum, & perturbatio grauis Rep. & domo parentum est peccatum mortale, huiusmodi matrimonia regulariter gignūt scandala, perturbationes inimicitias, & lites in Rep. iter affines, & cognatos vtriusque partis, si sint personæ nobiles, vel saltim in domibus parentum, si sint infirmę sortis. Ergo. Vnde præter Couarru. & aliquos paucissimos, alij DD. non negant hanc primam conclusionem.

CONCLVSIO II.

Leges concedentes parentibus potestatem exhæredandi filios, qui sine iusta occasione contra ipsorum voluntatem contraxerunt, iustissimæ sunt.

PRobatur: lex puniens peccatum mortale, quod potest Reip. pacem perturbare, per legitimum ministrum, iusta est, & vtens illa agit ita conscientia, contrahere contra voluntatem parentum qui nullam occasionem obtulerunt, est peccatum mortale, natum producere mille perturbationes, & rixas inter affines, Lex concedens parentibus facultatem exhęredandi filios ob tale peccatum, nil aliud facit quam punire peccatū filij per legitimū ministrū, quia pater eo ipso quo lex id sibi concedit, est legitimus minister, ergo.

Secundo lex lata ab habente auctoritatem quæ nec repugnet iuri naturali, nec diuino, sed respicit pruden ter bonum commune, iustissima est, hæc lex est huiusmodi, ergo. Imprimis est lata ab habente authoritatem, nam Principes seculares possunt prohibere etiam circa matrimonia, vt contractus quidam sunt, peccata nociua Reip. Deinde non repugnat iuri gentium quod est deriuatum à iure naturali, quo patentibus incumbit cura tradendi filias in matrimonium, Nec diuino, cum in sacris etiam litteris ex primo fundamento parentibus hæc cura mādetur, Deniq; apertum est respicere bonum commune, nempe vt filij contineantur in obedientia parentum, & obuietur perturbationibus, & litibus, quæ ex huiusmodi matrimonijs oriuntur.

Tertio cum Resp. sit custos ciuium, iustissimè potest, imò & debet libertatem quantumuis naturalem qua ciues abuti, & sibi ac Reip. nocere possunt, moderari, & regulare per leges, possunt filij abuti ista libertate naturali ad contrahendum, & sibi ac Rei. nocere, imò ita frequenter accidit, nulla autem commodior via est ad occurredū huic damno, quam obligando illos, vt vtantur concilio, & voluntate parentum, quos certissimum est desiderare filijs omne bonum, obligare autem illos commodius non potuit Resp. quam concedē do parentibus facultatem exhęredandi illos, si contra ipsorum voluntatem contrahant, ergo leges istę iustissimę sunt.

Et confirmatur quando duo sunt sibi inuicem debitores, & habent in se inuicem ius, si vnus non seruet ius alteri, nec hic alter tenetur seruare suum ius, illi parentes iure gentium sunt, gubernatores filiorum in his quæ pertinent ad eorum educationem, statum, & familiam, filij iure quoque naturali & gētium sunt hęredes parentum, filius contrahens contra voluntatem patris non seruat parenti suum ius politicum, & gubernatiuum, quod habet in ipsum, quamdiu est sub patria potestate, ergo nec pater tenebitur seruare tali filio suum ius, constituendi illum hæredem, sed poterit iustissimè cū à lege id sibi concedatur exhæredare illum.

Denique lex Reip. plus potest in filios ad puniendum illos quàm pater ipse. Vnde in Veteri testamento poterant parentes filios rebelles flagellis, aut alia via punire, non autem pœna capitali, lex autem puniebat illos morte, præcipiebat enim illos lapidare, sed hoc peccatum mortale, quod committunt filij contrahentes contra voluntatem parentum, possent parentes ali qua pęna temporali punire. ergo cum lex multò maiori & acerbiori vti possit, poterit illos punire priuatione hæreditatis.

Fauet tandem huic opinioni Sacra Scriptura. Quæ cum narrasset Gen. 26. in fine cap. (vt supra diximus) matrimonium Esau cum mulieribus Canaan contra voluntatem parentum, quasi in pœnam illius peccati subijcit statim, cap. proximè sequenti. 27. quomodo amiserit Esau primogenituram, & benedictionem patris, quæ erat velut præcipua hæreditas illius temporis, fueritque translata ad Iacob, quamuis enim id Deus ab æterno statuerat, nihilominus illud æternum Dei decretum mandatum est executioni hoc ordine, vt prius peccaret Esau contrahendo contra volūtatem parentum, & in pœnam huius peccati curaret Rebecca priuare illum benedictione, & hæreditate.

Nunc ad argumenta in oppositum.

Ad primum patet solutio ex dictis in prima probatione primæ conclusionis.

Ad secundum dico, Lege Ecclesiæ prohiberi ne alicui ad contrahendum incutiatur timor, non tamen prohiberi, quin lex iusta puniat delicta contrahētium, & incutiat timorem, non quo cogatur ad contrahendū, sed quo abstineant à peccato quod sic contrahendo committerent, timorem enim pœnæ debitæ ob peccatum, iusta lege statuta, incutere licet, vt docet ipsemet Syluest. in verbo. metus & habetur in vtroque iure: In ciuili. ff. quod metus causa sit l. continet. § sed vim. Et in Canonico cap. primo de adulterijs: quomodo constat leges istas incutere timorem filijs sic contrahentibus, quod maximè licet.

Ad tertium Respondeo, nil minus D. Tho. ibi docere, sed cum varij sint status, alij in quibus corpus maceratur, & abstinet homo à generatione prolis, vt religio, cœlibatus &c. alij in quibus homo indulget & carni, & vacat generationi, vt matrimonium, docet non teneri filium in his quæ pertinent ad electionem huius, vel illius status, obedire parentibus, verbi gratia, volo, esse religiosus, pater vult vt contraham, non teneor illi obedire, vult pater filiam hanc fieri monialem, illa autem vult nubere, non tenentur obedire parenti. Vnde subdit D. Thom. seipsum explicans, & docens hanc esse mentem suam, non tenetur filius obedire parentibus de matrimonio, vel virginitate seruanda & in 3. par. in additionib. q. 4. 7. art. 9. q̄rens an filius possit compelli præcepto patris, vt contrahat matrimonium? respondet, non teneri, in hoc sensu, quia potest, illo reclamante intrare religionem: cæterum cum statuat filius contrahere, non vti patris concilio, sed contra voluntatem illius agere posse, sine peccato inobedientiæ, nullibi docuit D. Thom.

Ad quartum respōdeo, leges istas non esse iniquas, neque repugnare iuri naturali, aut diuino, vt ex dictis constat, non enim tollunt libertatem naturalem, quam matrimonium exigit, sed moderatur & regular illam, aliud enim est tollere libertatem, vel illam impedire, quod nulla potestas vel lex potest: & aliud illam regulare quod possunt leges. Quod illam non tollat, cōstat, quia libertas in illis duobus consistit, primò vt nemo possit cogi ad contrahēdum cū hac, secundo vt matri-

mo-

monium contractũ à nemine possit irritari, aut dirimi, sed maneat validum, & ratum, leges ciuiles neque cogunt aliquem, vt contrahat, vel non contrahat cum hac aut illa, neque prohibent quin matrimonium contractum sit validum, & ita non repugnant libertati matrimonij neque illam tollunt.

Quod autem possint illam libertatem regulare præter ea, quæ dicta sunt confirmatur. Quemadmodum pro charitate, vel iustitia institutum est, contra charitatem militare non debet, ita quod pro bono communi institutum est, bono communi non debet repugnare, libertas matrimonij est à natura hominibus tributa ad commodè contrahenda matrimonia, ad commodè societatem humanam ineundam, & pro conseruatione Reip. si verò non benè reguletur & ordinetur ista libertas, repugnabit commodo & optimo modo contrahendi matrimonia, & societati humanæ, ac conseruationi Reip. quia nisi benè reguletur, contrahent multi turpiter & indecenter, cum maximo damno societatis humanæ, & Reip. perturbatione, sicut videmus accidere quando similia matrimonia fiunt, maximè inter nobiles, oportuit ergo per leges illam moderari, ac regulare, non potuit autē ista libertas melius regulari ad tollenda omnia ista incommoda, quam subijciendo filios concilio parentum, & concedendo facultatem parentibus exhæredandi illos, si contra ipsorum voluntatem contrahant, ergo.

Secundò falsum est quod sumit istud argumentum, Leges istas ciuiles esse abrogatas per leges Ecclesiæ, & principibus sæcularibus iure Ecclesiastico esse interdictum condere aliquas leges circa matrimonia, vt cõtractus quidam sunt: nam cap. illo Tuam nil minus habetur: Erat quæstio an Regina quædam Vngariæ legitima hæres esset, quia dubitabatur, an matrimonium inter parentes eius fuisset legitimum, volebat hoc Rex Franciæ iudicare, Admonet Honorius Regem, hanc causam & similes, sit ne matrimonium validum nec ne? quod pertinet ad substantiā matrimonij, pertinere ad iudicium Ecclesiæ. Hoc non prohibet, quin quatenus matrimonium contractus quidam est, possint Principes sæculares punire peccata, quæ illud contrahentes cõmittunt, si noceant Reipub. Similiter illo c. causam. cum dubitaretur de quodam Anglo, an matrimonium eius esset legitimum, simulque an possessionem quandam quam titulo illius matrimonij possidebat iustè haberet. Scribit Alexander Tertius iudicare de possessione illa, pertinere ad Regem, iudicare autem de matrimonio illo, fuerit ne legitimum an non, hoc pertinere ad Ecclesiam, quod nos non negamus: nam ista est causa purè matrimonialis, qualis ad iudicium tantum Ecclesiæ spectat, sed non ideo tollitur Principibus sæcularibus facultas puniendi peccata, quę in contrahendo matrimonio committi possunt, si sint nociua Reip.

Ad vltimũ quod habet duas partes. Ad priorem dico, constare iam ex dictis, per leges has non impediri libertatem, quàm omnia iura concedunt matrimonijs, & ita maius malum esse inobedire parentibus, quod est peccatum mortale, quàm continere filium, ne ita turpiter, & liberè contrahat, cum liceat moderari & regulare istam libertatem. Ad posteriorem (quo argumento vtitur Albornoz) dico, licèt leges istæ conditæ sint in odium matrimonij clandestini, fidem nihilominus potissimum illarum esse, vt filij sint obedientes parentibus, Vnde quando per clandestina matrimonia contrahebant parentibus inuitis, puniebant illa matrimonia vt clandestina: modò verò quando iam sublata sunt, & in facie Ecclesiæ contrahunt, punit non matrimonium, quod iam, clandestinum non est, sed inobedientiam quæ committitur contrahendo reclamante patre, etiã si matrimoniũ fit in facie Ecclesiæ.

Superest vt agamus iam de his, quę pertinẽt ad filios spurios: Videamus igitur.

AN FILII ILLEGITIMI POSSINT *succedere bonis paternis?*

OBseruemus primò: varia esse huiusmodi filiorum genera, nam quidam sunt ex vtroque parente soluto, qui inter se contrahere possent, dicuntur hi naturales: alij verò nati sunt ex parentibus, qui inter se contrahere non possunt, ex aliquo impedimento inter ipsos illud omnino prohibente: vocantur spurij, quasi ex spurcitia nati, & damnato concubitu, dicuntur à quibusdam nothi, ab alijs verò manzeres: ita Deut. 22. [non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus in Ecclesia domini.] Habent ista nomina varias significationes, quas nunc dimitto, sumuntur enim à doctorib. communiter in eodem sensu.

De prioribus pauca sufficient. Posteriores verò de quibus copiosius hic agendum est, nempè spurij, duplices sunt: quidam enim eorum sunt filij sæcularium, nati ex adulterio, alij verò filij clericorum vel monachorum habiti ex sacrilegio, in quibus omnibus quædam certa sunt, & indubitata, alia verò in cõtrouersia.

Certum est apud omnes, filijs quātumuis spurijs deberi alimenta, vt supra diximus, & constat ex illo cap. Cum haberet. De eo qui duxit in matrimo. quam polluit per adult. Qua de causa conceditur parentibus in legibus Tauri, vt possint quintam partem bonorum suorum filijs spurijs exhibere.

Quæ ita accipiẽda sunt, vt parentes satisfaciant quidem obligationi iuris naturalis, si huiusmodi filij ea præstent alimenta, quæ necessaria sunt in huius vitæ subsidium: possunt nihilominus si velint, multa amplio ra præstare, iuxta facultates suas, & qualitatem filiorum, vt si filius vir probus euaserit, dederitque operam litteris, & velit fieri Doctor, aut si militiam ex ercens idoneus existat ad munus Ducis, vel Centurionis, potest pater plura ei conferre.

Et quidem in sæcularium filijs illam summam videtur taxare lex citata Tauri, sed sic obseruanda, vt si quinta pars bonorum non sufficiat ad alimenta vitæ filij necessaria, debeat superaddere pater quæ necessarijs desunt: si verò quinta pars excedat quę qualitati, & dignitati filij necessaria sunt, non propterea est diminuenda, sed tota, & integra exhibenda illi, si pater voluerit. Dixi in filijs sæcularium, quoniam lex. 9. Tauri, concedit matri, vt in testamento designet filio ex damnato concubitu concepto quintam partem suorũ bonorum, excipit tamen inde filios clericorum & Religiosorum, circa quos vult seruari legem illam conditam Numantiæ à Ioanne primo, quæ cum nimio rigore, & odio filiorum clericorum, & Religiosorum loquitur. Vnde huiusmodi filij potuerunt parẽtes clerici præstare ea, quæ exigit ius naturæ: pro qualitate filiorum, & consequenter qnintam partem, si vitæ illorum necessaria sit, at si excedat, non poterunt totam, & integram eis exhibere. Idem omnino dicendum est in hoc nostro Regno Valentino.

Secundò certum etiam est, filijs naturalibus posse parentes bona sua mandare, si non habeant legitimos, quia iure naturali, & gẽtium vbi legitimi non sunt, alij succedunt, nisi lex ciuilis ob bonum publicum aliter statuat, circa naturales verò lex ciuilis nil statuit, nec priuat eos iure hęreditandi, nisi quando legitimi existunt.

Similiter si filius spurius ex dãnato, & adulterino cõ cubitu sit ex parte sæculari, ex matre verò libera, & soluta, potest mater (nisi habeat legitimos) mandare illi spurio sua bona, quamuis pater id nequeat, quia mater iure naturæ id potest, neque vlla lege ciuili impeditur, sed solus pater: eo quod in huiusmodi filijs pater incertus est mater verò non potest esse incerta, vnde rota controuersia est de filijs ex vtroque parente adultero, vel saltem matre, & filijs clericorum.

Iudicarunt quidam, si pater bona sua confecat filio spurio,

spurio, siue per testamentum siue extra illud, donatio-nem illam etiam si sit contra leges, validam esse, & te-nere de facto, donec iudicis sententia rescindatur, & inualidetur. Vtebantur hi hac ratione: leges pœnales non obligant in conscientia, nec impediunt translatio-nem dominij, ita vt si facta sit, non teneat, donec in-terueniat iudicis sententia, & condemnatio: sed leges quæ prohibent bona parentum transire ad filios spu-rios, sunt pœnales ponentes hac via libidinem paren-tum, ergo.

Secundò, leges impedientes translationem dominij per contractum, cui deficit aliqua solemnitas iuris, non ita impediunt illam, quin sit valida, & de facto te-neat, donec aduenerit iudicis sententia, loquuntur au-tem leges, impediunt translationem dominij per con-tractum minus solemnem, multò vrgentius & signifi-cantius, quam istæ, quæ latæ sunt contra filios spurios, ergo istæ quæ pertinent ad filios spurios, non prohi-bent, quin bona collata à parentibus huiusmodi filijs, de facto sint actu, & verè donata, donec à Iudice ta-lis donatio rescindatur. Maior placet Panormi. & gra-uissimis Doctoribus, vt vidimus, Minor constat, nam leges illæ pertinentes ad contractus minus solemnes; dicunt, illos esse nullos, & habendos tanquam non factos, qualia verba tam dura, & odiosa, non habent le-ges, quæ pertinent ad filios spurios.

Soto quem sequûtur nonnulli recentiores lib. 4. de Iustit. q. 5. ar. 1. Et in suo quarto di. 41. q. vnica. art. 4. do-cet filios secularium non posse succedere per testamen-tum, cum ita statuant leges, vt videre est, lib. 3. Fori tit. 6. leg. 1. Et Partita. 4. tit. 15. l. 3. quibus similes omnino sunt leges huius nostri Regni Valentini, & quibus con-sonat quod habetur in illa Authentica. Quibus modis naturales efficiantur. l. vnica: §. Finali. & in Authenti-ca ex complexu. C. de incestuosis nuptijs, &c. Authen-tica licèt. C. de natural. liber. Quæ leges iustissimè sunt, ad punienda grauissima peccata, & adeo Reipub. no-ciua, qualia sunt sacrilegia, & adulteria. Extra testa-mentum uerò, vult Soto, parentes seculares filijs suis spurijs posse, vel viuentes bona sua dare, vel commit-tere fidei amici, qui ipsis illa det. Ratio eius est: Le-ges istæ hoc tantum statuunt, ne huiusmodi filij succe-dant parentibus iure hæreditario, ergo alia via pos-sunt succedere: Consequentia perspicua est, quia istæ leges sunt odiosæ ac propterea restringendæ; Antece-dens verò patet, cum in toto iure communi, & Cæsa-reo, no sint aliqua lex, quę prohibeat bona parentum transire ad filios spurios extra testamentum, neque in legibus Castellæ aut nostri Regni: in legibus enim huius regni Valentini nulla talis existit, in legibus Ca-stellæ, nil arctius inuenitur definitū, quàm quod habe-tur Partita. 4. tit. 15. l. 5. Et li. 3. Fori Regal. tit. 6. De las herentias: quibus locis id tantum habetur, ne possint hi filij illegitimi hæreditario iure succedere in bonis parentum, vbi attendenda est illa vox hęreditario iu-re, hac enim sola via prohibent. Filios autem Clerico-rum vel religiosorum, addit Soto, nullo modo posse succedere: neque in testamēto, neque extra illud, cum lex in vniuersum statuat, vt tales spurij neque testa-mento, neque vllo alio modo habeant bona parētum, aut consanguineorum. Ita habetur. lib. 1. Ordinat. Re-gal. tit. 3. l. 22. & lib. 2. tit. 3. l. 5. His verbis: Nec habeā, nec hæreditent, nec hæreditare possint, bona suorum parentū, vel aliorum consanguineorum.] quod etiam habetur apud nos in legibus huius regni tit. De filijs clericorum.

Couar. in Epitome super 4. Decretal. cap. 8. §. 2. nu. 3. & 7. & 8. vult, nullos spurios siue filij secularium sint, siue Clericorum posse succedere in bonis paternis, ne-que testamento, neque donatione, neque committen-do fidei amici, neque vlla alia via. Quod probat, quia nō solum leges quæ agunt de filijs clericorum, verum etiam quæ agunt de filijs sæcularium, habent apertè ut isti filij sunt omnino incapaces, & inhabiles ad bo-na paterna: sunt enim hæc verba legum.

Quia adulterium res adeò execrabilis & Reipub. nociu-na est, vt ab illo homines abstineant, & filios per adulte-rium generare vereantur, volumus, ne tales filij bona pa-rentum habeant, nec per testamentum possint illis à pa-rentibus mandari.

Vbi apertè lex ista hoc intendit, ne huiusmodi filij bona paternum habeant.

Secundò, Et si finis præcepti non cadat sub præcepto, sumitur tamen ex eo genuina intelligentia, & expli-catio legis, & præcepti. Hęc lex condita est, vt viden-tes homines filios quos ex adulterio gignent futuros pauperes, & miseros, abstineant ab adulterijs, quibus tales filij generati possunt, at si extra testamentum pos-sent illis dare bona sua, nil ista lex præstaret, nec obti-neret finem suum. Hanc sententiam sequuntur omnes ferè recentiores interpretes D. Tho. Ad cuius plenio-rem intelligentiam.

CONCLVSIO PRIMA.

Tàm iure communi, & Cæsareo, quàm iure priuato, & municipali Castellæ, & Valentiæ, filius ex damnato con-cubitu susceptus, siue sit clericus siue sæcularis, inhabilis est ad suscipienda bona patris, siue per testamentum, siue per aliquam donationem inter viuos, siue per quemcunque alium contractum.

PAtet Conclusio: Imprimis in iure Cæsareo, in illa Auctētica Quibus modis naturales efficiantur. §. finali habetur: [Omnis qui ex complexibus aut nefa-rijs, aut incestis, aut damnatis processerit, nec natura-lis nominetur, nec alendus est à parētibus, nec aliquam ex præsenti lege habebit communionem] idest parti-cipationem. Additque inferius acriora verba. Et in illa Auctentica, Ex complexu. C. de incestuosis nuptijs, dicitur: [Ex complexu nefario, aut incesto, seu damna-to, liberi nec naturales sunt nominandi, omnis substan-tiæ paternæ indigni beneficio, vt nec à patre alantur.] Et in Auctentica, Licet patri. C. de naturalibus liberis, dicitur in vltimis verbis: [Sed qui ex damnato sunt coitu omni prorsus beneficio secludantur. In legibus Castellæ Partita. 6. tit. 13. l. 10. prohibetur in vniuersum patri, nulla ibi facta distinctione inter secularem vel clericum, ne aliquam donationem filijs illegitimis fa-ciat, ac si fiat non teneat, conceditque filijs legitimis, & auis, vt intra duos menses possint donationem illam reuocare, ipsis autem non existentibus, aut negligen-tibus, applicat fisco, quod donatum est.

Et confirmatur verbis legum adductis in argumen to proposito à Couarruuia. In legibus huius Regni, tit. De his quibus vt indignis Foro. 1. t. 12. & omnium apertissimè. 13. prohibemur parentes tam sęculares quàm clerici aliquas donationes facere filij spurijs, tam in testamento, quàm extra illud.

Ex hæc conclusione sequitur apertè, peccare morta-liter, tam parentes dantes bona sua filijs spurijs, quam filios spurios illa recipientes, contra tenorem huius-modi, legum, cum leges istæ iustissimæ sint, & maximè necessariæ bono communi, ac propterea obligantes in conscientia.

CONCLVSIO II.

Iure priuato Castellæ filius ex damnato concubitu ca-ptus potest, & per testamentum matri succedere.

HIs seruatis conditionibus: Prima, ne mater illa habeat alios legitimos, nam vbi legitimi exi-stunt, spurij succedere non possunt, fieret siqui-dem legitimis grauis iniuria. lege Cum acutissimi. ff. de fideicommiss. Quæ lex vbique recepta est. Secunda,

ne mater illa ob talem concubitum mereatur pœnam mortis idest ne concubitus ille sit adulterium ex parte ipsius matris habentis virum. Tertia, ne susceperit filium illum ex clerico, vel religioso. Vltima, ne concubitus ille fuerit incestus, vel stuprum. Quacunque harum conditionum deficiente, non potest filius spurius succedere matri. Quo fit, vt illa tantum adultera valeat filium suum spurium hæredem instituere, quæ soluta est, & libera, suscepit autem filium ex viro coniugato, nullo inter ipsos incestu vel stupro interueniente. Hęc conclusio cum omnibus istis conditionibus appositis sancita est Castellę à Regina Ioanna. l. 9. Tauri, vnde in legibus Castellæ additur iuri communi citato in Auctent. Quibus modis naturales efficiãtur sui. §. fi. in Auctent. Ex complexu Cod. De incestuosis nuptijs, spurius natus ex stupro: Nam iuxta ius commune, in istis legibus solum prohibetur succedere spurius ex adulterio materno, sacrilegio, vel incestu: non autem natus ex stupro soluti cum soluta: qui tamen Castellę prohibetur etiam succedere illa. l. 9. Tauri. In nostro Regno iuxta leges citatas, hi solum spurij succedere matri nõ possunt, qui prohibentur iure communi, vt potè spurij ex adulterio materno, sacrilegio vel incestu, de spurijs ex stupro, quando vterque solutus est, nil habent leges nostræ, sed illud relinquunt iuri communi. Et meritò, nam cum hi per subsequens matrimonium legitimi possint effici, cap. Tanta est vis. Qui filij sint legitimi, inter naturales computandi sunt stando in iure communi, etiam si ex stupro procreati.

CONCLVSIO III.

Filius spurius, qui contra tenorem harum legum recipit bona paterna, tenetur ante iudicis sententiam restituere illa, vel parenti, à quo illa accepit, vel hæredibus ipsius, siue ab intestato, siue succedentibus per testamentum: Post iudicis verò sententiam fisco.

PRobatur prior pars: Filius spurius cum sit omnino incapax illorũ bonoru m (vt ostendimus) tenetur restituere illa vero domino, verus dominus illorum bonorum ante iudicis sniam est: aut ille idẽ qui dedit, aut hæredes ipsius, ergo ante iudicis sententiam debet alicui istorũ restituere. Maior certa est, Minor probatur, Quia qui donauit per illam donationem non est redditus inhabilis ad dominium, illorum bonorum, nec hæredes ipsius, cum per legem non priuetur illis, nisi in pœnam suæ iniquæ donationis, leges autem pœnales non obligant ante iudicis sententiam. Altera pars patet. Leges ciuiles iustæ possunt imponere pœnam suis transgressoribus, hæ leges prohibentes ne filijs spurijs bona paterna conferantur, sunt iustę, ad obuiandũ adulterijs, & sacrilegijs, ergo potuerunt imponere pęnam suis transgressoribus, imponunt autem hanc, vt qui illa huiusmodi filijs dederint, tam ipsi quàm hæredes eorum adueniente iudicis sententia, illis expolientur, & tradantur fisco, ergo sententia iudicis, quæ iuxta huiusmodi leges iustas, & sanctas applicat illa fisco, iusta est, & consequenter executioni mandanda, illique in conscientia obediendum.

CONCLVSIO VLTIMA.

Princeps secularis potest efficere legitimos filios spurios, tàm secularium quàm clericorum, quo ad successionem hæreditariam, vel aliam quamcunque donationem in bonis paternis, siue habitis ex patrimonio maiorum, siue acquisitis.

HAec conclusio. Probatur ex principijs iuris. Res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, Et cessante causa cessat effectus, inhablitas filij spurij ad bona paterna tota nascitur ex placito Regis, & Principis secularis constituentis tales leges, ergo ex placito eiusdem potest dissolui, & effici habilis.

Secundò. Quicunque Princeps potest dispensare in suis legibus, sed omnes leges quæ efficiunt filios spurios inhabiles ad bona paterna, sunt conditæ à principibus secularibus, ergo possunt in eis dispensare.

Cæterum, quia in iure communi non est dispensandum in præiudicium tertij, & leges istæ sunt in vnoquoque regno vniuersales, & communes, essetque in præiudicium tertij, dispensare in eis legitimando filios spurios, quando existunt legitimi, conclusio hæc intelligenda est quando non existunt filij legitimi, qui hæreditate sua propter spurios expolientur. Et ita habet vsus, non enim reddunt legitimos istos spurios Principes Christiani; quando existunt legitimi, aut si reddant, sine præiudicio legitimorum.

Nunc ad argumenta in oppositum. Et primò ad illa primæ opinionis.

Ad primum Respon. Leges istas non tantum esse pœnales, verum etiam præceptiuas, reddentes huiusmodi filios spurios inhabiles, & incapaces ad recipiendã vllo modo bona paterna, præter necessaria vitę, & ita obligare in conscientia, etiam ante iudicis sententiam.

Ad secundum constat ex ar. huius quęst. leges irritantes contractus mu ua solemnes, iuxta veriorem opinionem, illos omnino reddere nullos, & inualidos in foro animæ, & similiter leges istæ reddentes inhabiles spuriũ de quo loquimur, reddunt illum omnino incapacem bonorum patris.

Ratio verò. M. Soto nullam habet vim, cum constet leges Castellæ, & huius nostri Regni Valẽtini omnino interdicere, ne vllo modo isti filij spurij in bonis paternis succedant, neque in testamento neque extra illud. Sed offert se hic dubitatio.

AN HAERES CONSTITVTVS PRAEsita fide, vel sub fiducia de reddenda hæreditate filio spurio, sit verus hæres, & acquirat verum dominium illorum bonorum, vel teneatur in conscientia reddere illa bona filio spurio, aut fisco?

EAdem dubitatio existit de donatario, cui pater viuens extra testamentum donat bona sua, sub cõfidentia vel accepta fide, illum bona quę accepit traditurum deinde filio spurio.

In hac etiam parte varij sunt DD. iuxta leges aliorum regnorum, nam in legibus nostri regni Valentini hæc quęstio sublata est. tit. illo, De his quibus vt indignis, For. 14. Sunt ergo qui sentiunt, institutum hæredem per testamentum siue data tali fide, siue cum sola confidentia interius concepta à parte filij spurij, nullo modo esse hæredem, nec posse bona illa aut sibi aut tradenda a illi filio accipere, sed exhibenda esse, vel hæredibus illius ab intestato vel fisco, in pœnam talis testamenti, quod apertè in fraudem legum ita conditum est.

Probatur hæc opinio. Per contractum fraudulentum nullum dominium transfertur, tale testamentum apertè est in fraudem legum, ergo nullum conferret dominium, sed erunt bona illa tradenda alijs hæredibus, vel fisco.

Secundo, si iste esset verus hæres, & testamentum istud validum, sequerẽtur duo repugnantia, nempè vt possit retinere illam hæreditatem, & quod non possit, ex eodem autem antecedenti sequi duo pugnantia, maximum est absurdum: Quod verò sequantur ostendo: imprimis iste hæres non tenetur talem hæreditatẽ reddere fisco, nisi adueniente sententia iudicis, quia reddere illam fisco est pœna, ad quem nemo renetur, nisi damnatus à iudice. Secundò nec tenetur hæredibus ab intestato, cum ipse sit verus hæres, per testamentum,

mentum, iuxta sententiam, quam ista opinio impugnat validum. Tertiò, nec tenetur reddere illa filio, quoniam si teneretur certè ratione illius promissionis est fidei datæ, at promissio data contra legem, & in fraudem legis, nõ obligat in conscientia: ita sequitur istum hæredem non teneri ad dandam alicui istam hæreditatem, sed posse eam sibi retinere. Quod autem non possit constat argumento iam facto, quia per contractum dolosum nullum acquiritur ius testamentum autem istud dolosum, est, cum sit in fraudem legum, ita sequuntur duo pugnantia.

Alia opinio est huic omnino opposita, & satis recepta à recentioribus, asserens huiusmodi hæredem, peccare quidem mortaliter, accepiando talem hæreditatem, cum id fiat in fraudem legum, esse tamen verum hæredem, & dominum illorum bonorum; quia nullæ sunt leges quæ tale testamentum irritum reddant, & inualidum, licèt concedant à iudice irritandum, & tradenda illa bona fisco, nec quæ talem hæredem faciant inhabilem, & incapacem ad suscipiendam huiusmodi hæreditatem, sed solũ concedunt in pœnam præstita fidei in fraudẽ legum, vt possit priuari illa hæreditate. Vnde iudicant, leges istas, circa huiusmodi hæredes institutos sub tali fide, non esse præceptiuas, reddentes eos inhabiles ad talem hæreditatem, sed solum pœnales, quas constat non obligare ante iudicis sententiam.

M. Soto loco citato de huiusmodi hæredibus distinguit sicut, & de filijs spurijs: institutum hæredem à parte seculari, sub fide reddenda hæreditate filio suo spurio, iudicat verum hæredem, cum debito tamen tradendi bona illa illi filio ob fidem datam patri ipsius, qua filij spurij secularis iuxta sententiam ipsius possunt habere bona parentum aliqua via extra testamentum. Quando autem hęreditas committitur à patre fidei amici, vt per illum velut interpositam personam transeat ad filium, in tali casu filius spurius non est dicendus habere bona patris per testamẽtum ipsius. Addit tamen hęc intelligenda esse, nisi fiscus bona illa petierit, quia si petat, standum inquit (erit iuri) exteriori.

De filijs verò clericorum, & religiosorum asserit tria. Primum, cum per leges, vt videre est lib. 1. Ordin. Regal. tit. 3. l. 22. & lib. 5. tit. 3. l. 2. huiusmodi filij neque hæreditate, neque vlla alia via possint habere bona suorum parentum, vel consanguineorum, sed sint omnino inhabiles & incapaces ad illa quoquo modo suscipienda, (quod lex iustè potuit statuere in odium sacrilegij & consequenter obligare in conscientia) peccare forsan mortaliter, clericum committentem bona sua fidei amici, & amicum suscipientem illa data tali fide, vt violatores legis iustæ in re graui. Secũdò ait, si clericus mandet bona sua amico spe interius tantum concepta, nec vllo modo explicata, neque vlla data fide à tali amico, de reddenda hæreditate filio spurio, amicum istum esse verum hæredem, & dominum illorum bonorum, posseque illæsa conscientia sibi retinere vt sua, vel dare filio illius clerici, sicut posset cuiuis alteri bona sua liberè elargiri. Addit quoque nisi fiscus illas postulauerit, q̃a si postulet, & probetur præsumptio, accepisse illa, vt redderet filio clerici, condẽnabitur à iudice propter talem præsumptionem iuridicè probatam, reddere illa fisco: tali verò præsumptione minimè probata, non condemnabitur. Habet tertiò, Si tradat clericus amico bona sua, explicans se ideo tradere, vt illa filio suo spurio deinde exhibeat, & sub tali conditione amicus illa recipiat, neque amicum istum posse in tali casu bona illa sibi retinere neque filio clerici tradere, sed debere, ante iudicis sententiam restituere illa hæredibus illius clerici ab intestato, adueniente verò sententia, & condemnatione fisco.

Vltima opinio est, & communis inter DD. huius scholę Valẽtinę, tàm in filijs clericorum, quàm in filijs secularium, institutum hæredem sub data fide testatori, de exhibenda hæreditate filio ipsius spurio, nullum acquirere dominiũ, nec esse hæredem, maximè in hoc nostro Regno, cuius leges expresè tale testm̃ reddunt nullum, & irritum, institutum verò sine vlla fide data, nec vllo pacto inter ipsos inito, neque aperto sermone, neque sub aliquibus signis, sed sola confidentia interius concepta à testatore nullo modo indicata, esse verum hæredem, & dominum illorum bonorum: quia leges huiùs Regni tantum irritant testamentum, quo instituitur quis in hæredem, sub fide de tradenda hæreditate filio spurio, aliquo verbo vel signo exterius significata, de alijs verò nil omnino statuunt, & cum hæ leges sint odiosæ, non esse extendendas ad ea quę nõ exprimunt. Huic sententię iudicamus subscribendum, quam subiectis conclusionibus magis explicabimus.

CONCLVSIO PRIMA.

Hęres institutus à parente, siue seculari siue clerico capta fidè, verbo, vel quocunque signo exterius significata, de tradenda hęreditate filio spurio, nullo modo est hęres, nec dominus illius hęreditatis.

HÆc in nostro Regno extra omnem est dubitatione, legibus municipalibus huius Regni ita apertè statuentibus, & irritantibus talia testamenta, quę leges cum iustę sint in odium adulterij & sacrilegij, & maximè vtiles bono communi, obligant in conscientia. Sed probatur iam in vniuersum: Imprimis iure Cæsareo. l. Prædonis. ff. de per. hęred. l. Ita fidei. ff. de iure fisci. l. In tacitis. ff. de legatis, & fideicommissis: talis hæres censetur loco prædonis, & priuatur illa hæreditate, applicaturque fisco: vbi redditur hæc ratio [In fraudem legis fieri, cum quis obligat se ad præstandum fideicommissum, ei qui capere non potest.] Quæ leges cum illum hæredem prædonem iudicent apertè iudicant, ipsum bona illa iniquè recipere ac retinere, sicut & prædo iniquè accipit, & retinet, quæ furatur. Idem habetur in legibus Castellæ lib. 5. Ordin. Regal. tit. 3. l. 43. & lib. 30. tit. 1.

Et confir. Leges non modò Cæsareæ, verum etiam peculiares Castellæ volunt filios spurios, neque iure hæreditario, neque vlla alia via habere bona parẽtum, at si huiusmodi hæres, qui sub datà fide instituitur à parente, esset verus hæres, haberent ista via filij spurij bona parentum, neque leges aliquid effecissent. Maior constat Partit. 4. tit. 15. l. 3. & ex proximè pręced. controu. Minor probatur, quia talis hæres tenetetur ex fidelitate, & iustitia reddere hæreditatem illam filio spurio: imprimis ex fidelitate, quia promisit. & dedit fidem, promissio autem, & fidelitas in re graui (vt vidimus) obligat sub mort. Et ex iustitia, quia accipiens aliquid sub aliqua conditione tenetur ex iustitia illam adimplere, vnde leges nunquam sortirentur suum effectum.

Secundò, Hoc interest inter contractum bonâ fide celebratum, sed imperfectum, & deficiẽtem in solemnitatibus iuris, & contractum fraudulentum, quod ille, vel reuera est nullus, vt diximus, vel vt minimum annullandus à iudice, fraudulẽtus verò est omnino nullus, & inualidus, aliter si contractus fraudulenti haberent vim, & transferrent dominium in foro animæ, omnia licerent replere rapinis, & furtis per contractus fraudulentos, huiusmodi autem testamentum est omnino fraudulentum, quæ est ratio legis illius in tacitis, ergo hæres sic institutus sub data fide nullo modo est dominus istius hæreditatis, nec potest illam filio Spurio exhibere, sed ante iudicis sententiam tenebitur illam reddere alijs hæredibus ab intestato, adueniente verò iudicis sententia fisco.

CON-

CONCLVSIO II.

Heres institutus a parente siue sæculari, siue clerico, nulla præstita fide, neque tacitè neque expressè de reddenda hæreditate filio spurio, etiam si testator apud se certo speret, talem hæredem redditurum bona illa filio suo spurio, & sub hac spe illum instituat, aliàs illum non instituturus, est verus hæres, & dominus illorum bonorum, nec tenetur ex iustitia, vel in foro animæ bona illa tradere filio spurio.

PRior pars probatur. Nulla lege prohibetur, testatorem ista instituere hęredem, quem voluerit, modo non instituat sub data fide tacitè, vel expressè: Instituit autem hunc nulla tali fide data, ergo est titè, ac rectè institutus, & consequenter verus ac legitimus hæres. Quod verò testator conciperat secum hanc certam spem, amicum illum, quem instituit hæredem benefactorum filio suo, nulli legi repugnat, imò est maximè consonum iuri naturæ, ab eo cui benefacis, tibi, vel tuis similia beneficia expectare.

Ex priori parte huius conclus. sequitur secunda etenim si verus hæres ac dominus est illorum bonorum per tale testamentum, cōsequenter potest in foro animæ nulla iudicia violata illa sibi retinere: nullam enim transgreditur iustitiam, qui sua sibi retinet. Spes namque sola, quam testator concepit, cum nullum pactum interuenerit, vel promissio, non obligat ipsum.

CONCLVSIO VLTIMA.

Tenetur nihilominus iste hęres ex iustitia alere filios spurios testatoris, imò & ex gratitudine tenetur ad multa alia beneficia illis conferenda, & aliquando sub mort.

PRobatur prior pars, obligatio ex iustitia, quam viuens habet aliquis testator, transit cum bonis hęreditatis ad hæredes ipsius, sed parentes ex iustitia, & pietate tenebantur alere filios suos quantumuis spurios, ergo & iste hęres. Altera pars constat, quia qui suscipit beneficium, tenetur ex gratitudine illud rependere, & aliquando sub mort. huiusmodi hæres recipit beneficium à testatore, debet ergo ex gratitudine simile præstare ipsi in filio suo, qui manet loco patris. Ita dicebant veteres: [Ad gratitudinem pertinet cum fœnore remetiri beneficium.] Et ordo charitatis exigit sub mort. vt beneficus præferatur illi à quo nullum beneficium accepimus. Denique vix potest talis hæres non esse beneficus filijs testatoris, cuius hæreditatem accepit, quin in animo suo contemnat, & despiciat testatorem illum, & beneficium, quod ab illo recepit, qd in re graui est formaliter, pec. mor. ingratitudinis.

Ad argumenta in oppositū: Quæ pro prima opinione afferuntur, tantum probant, hæredem institutum sub data fide tacitè, vel expressè de tradēda hęreditate filio spurio, non esse verum hęredem, nec dominum, nec posse bona illa sibi retinere, vel tradere filio, sed vel hæredibus ab intestato, vel fisco, vt exposuimus in prima conclusione. Qua parte verò repugnant secundæ conclusioni nostræ nullam habent vim.

Ad primum enim dico, in huiusmodi testam. vbi nulla interuenit data fides tacite, vel expressè, nullam exi stere fraudem, sola enim spes animo concepta à testatore nulla ratione exterius signi ficata, non reddit testamentum fraudulentum. Ad secundum dico similiter non sequi in nostra sententia illa pugnantia, quia iste hæres, potest illa bona vt verus Dominus, legitimusque hæres sibi retinere, per testamentum illud, quod nullo modo est fraudulentum, sed ritum, & validum.

Argumenta secundæ opinionis nituntur falso fundamento, quia leges omnes tàm Cæsareæ, quàm particulares huius Regni Valentini, vel Castellæ omnino volunt spurijs nulla via posse parentes bona sua mandare, at si testamenta ista sub data fide essent valida cum hæres sic institutus teneretur, omnino ob datam fidem bona illa tradere filio, reuera ea via bona sua pater illi filio demandaret.

Nec admittenda est opinio. M. Soto in hac parte cū eodem modo loquantur, sintque (vt vidimus) accipiēdæ leges iam circa filios spurios sęcularium, quam circa filios spurios clericorum.

ARTICVLVS VI.

An per ludum transferatur dominium.

DE ea translatione dominij, quæ sit propria & libera voluntate vniuscuiusq;, hactenus egimus, nunc de ea, quæ fit authoritate alicuius legis, vel reclamante domino differendum est. Lex quæ proprium dominum expoliat suis bonis duplex est, alia ex particulari conuentione hominum, vt in ludo, in quo nullus, quidem vellet rē suam alteri conferre, ludendo autem exponit se, si ludus iuxta ipsius leges ita duxerit, vel nolens eam tradere. Vnde ludus est, quidam contractus libere susceptus, sed postquam susceptus est, cogens ludentes velut quædam lex, cui voluerunt se deuincere. Alia lex est authoritate Reip. introducta, quæ ad bonum commune expoliat aliquando dominum re sua, vel nolentem, vt lex præscriptionis. De his nunc dicamus oportet, & imprimis De ludo. De quo disserunt DD. in 4. distinct. 15. Alensis. 3. par. quæst. 86. memb. 3. D. Tho. supra. q. 32. art. 7. & infra. q. 168. & ibidem Caieta. Ardia. in suo. 4. in dispu. de Restitut. habet quæst. peculiarem de ludo Castro libr. 2. de potest. leg. pœn. c. 2. Soto lib. 4. de iust. q. 5. ar. 1. Iuristæ in Digesto. tit. de Alearoribus, & in Cod. titul. de Religiosis, Canonistæ. Can. Episcopus. dist. 35. Et in cap. clerici, el secondo, De vita & honesta. Cleric. Et capit. Inter dilectos, De excessibus prælat. Nauar. in suo Manua. cap. 19. & cap. 28. à dditionum ad cap. 19. Summistæ in verb. Ludus. Nonnulli etiam Doctores ediderunt peculiares tractatus de ludo, vt Ioan. Bap. Stephanus Costa, & quidam Minorita Francis. Alcozer. qui scripsit sermone Hispano.

De ludo duo sunt quæ potissimè disputari possunt: Primo, sit ne actio licita vel vitiosa? & lucrum ludo paratum honestum an turpe; Secundò, qua ratione per ludum transferatur dominium?

AN LICEAT LVDERE.

HAec prima quæstio de ludo non tam propria est huius loci, quàm secunda, ideo paucis ab ea nos expediemus.

CONCLVSIO PRIMA.

Ludus ex suo genere non est peccatum, imò res licita & honesta, adeo vt possit esse virtus.

PRobatur, recreatio sumpta ad resocillandum animum, & reficiendas vires, nisi ex aliqua circunstantia vitietur, licita est, ludus ex suo genere est quædam animi recreatio ad reficiendas vires, leuandasque huius vitæ molestias, vt optimè docuit Arist. 4. Ethic. cap. 1. & D. Thom. infra. q. 168. artic. 2. Ergo.

Secundò, quod inter duo extrema constituit mediū in actionibus moralibus virtus est, hæc sunt velut duo extrema, abstinere ab omni genere voluptatis, & recreationis, quod est (vt dicebat Arist.) esse agrestem, vel semper recreationibus incumbere, quod est esse prodigum & amentē, ludus verò est quoddam animi leuamen ad melius laborandum, medium constituens inter. ista extrema, est ergo virtus. Et ita ab Arist. 2. Ethic.

Ethic. cap. 6. constituitur in ludo, & ioco quædam virtus tenens medium, quàm vocat Eutrapeliam, possumus illam appellare moderatam iucunditatem. Et Cicero lib. 1 offic. ait: [Ludo & ioco vti licere, sicut somno, & quiete, quæ ob seipsa non sunt necessaria; sed vt recreati vegeriores ad labores redeamus.

Vbi ad maiorem huius conclus. intelligentiam obseruemus ex D. Tho. in 4. dist. 16. q. 94. ar. 2. triplicem esse ludum quendam, qui ex gaudio deuotionis procedit, quo vsus fuit Dauid corã Arca domini, & de quo dixit, 2. Reg. 7. [Ludam & vilior fiã corã domino:] cui similes sunt ludi, quibus vtuntur fideles ex Christiana pietate in festo Corporis Christi, & in Natali Domini. Alij sunt inseipsis turpitudinem continentes, & ad libidinem prouocantes, quales à paganis in theatris agebantur, quibus immundos spiritus initium dedisse non dubito, iuxta illud B. Chrysosto. hom. 6. in Matth. [Nõ Deus dat ludere, sed diabolus, sedit enim inquit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. [Et huiusmodi ludi sunt omnino à fidelibus vitandi: audiunt enim malè in Sacris litteris, Tob. 4. [Nunquam cum ludentibus miscui me. [Hiere. 15. [Non sedi cum ludentibus in concilium.] Alij sunt nullam habentes turpitudinem, quos Arist. liberales vocat, ad animi recreationem inuenti, circa quos versatur virtus Eutrapeliæ, qui nisi ex aliqua circunstantia vitientur, honesti sunt.

CONCLVSIO II.

Ludus prohibitus lege à Rep. recepta, nec per contrariam consuetudinem abrogatam, peccatum mort. est.

Patet, Respub. habet authoritatem ad prohibenda opera sibi nociua, cui non obedire (cum leges humanæ iustæ obligent in conscientia) pec. mort. est, at ludi prohibiti lege recepta, & obseruata nociui sunt, neq; enim alio nomine prohibentur, nisi ob innumera nocumenta quæ ciuibus afferunt, vt experientia constat, ergo tales ludi pec. mor. sunt. Vnde C. de religios. l. Alearum vsus, dicitur: [Licet res esset antiqua ludus, prodijt tamen pro tempore in lachrymas, cum quidam ludere nescientes proprias substantias perdant, & ex hac inordinatione blasphemare conãtur. [Quæres, qui sunt igitur ludi prohibiti; Dico legem duplici via prohibere ludos. Primò, ratione dignitatis personæ, & scandali quod talis persona sic ludens generare potest, ideo prohibentur, ludere aleis, pila, & similib. Prælati, & clerici sub mort. quia sic ludentes solent esse scandalo: Ita Can. Episcopus distin. 35. qui est canon Apos. 35. cap. Clerici. el secundo. cap. Cum decorem, De vita, & honest. cleric. c. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum, Auth. de sanctissi. Episcopis. §. interdicimus. Et in concil. Triden. sess. 25. cap. 1. præcipitur, vt seruentur iura omnia super ludo, & luxu clericorum per Pontifices, vel alia Concilia statuta: quæ leges recipiuntur Hispaniæ, Part. 1. tit. 5. l. 57. & tit. 6. l. 34.

Vbi non desinam admonere clericos iuxta Angelũ verbo, ludus. nu. 2. ludũ laruale m quem exercent personati, quos Hispane vocamus maxcaras, esse clericis interdictum, sub mort. & forsan sub eadem censura, qua prohibentur religiosi, ne sine iusta causa habitum suæ religionis muteut.

Secundò, prohibet lex ludos ratione damni, quod in illis recipi potest, quod triplex est, Aut spirituale, quo nomine prohibentur ludi Mimorum, & Histrionum, prouocantium circunstantes ad turpitudinem. 33. quæst. 5. can. Nec solo. l. solent. ff. de aleatoribus. & l. cirata alearum vsus: quæ leges receptæ quoque sunt in Castella, lib. 8. Ordin. Regal. toto tit. 19. & in pragm. Caroli. V. lib. 8. tit. 8. de los thaures y juegos, Aut corporale, vt quãdo in tali ludo vita vel salus periclitatur, Habetur tit. de homicidio in Decretal. varia. cap. in quibus sub excommunicatione prohibentur tornea- menta, ars sagittariorum, & astiludia, in quibus ludentes periclitantur, maximè c. 1. de Torneamẽtis. &c. Ad audientiam de homicidio. Dixi in quibus ludentes periclitantur, nam vbi experientia teste tale pericolum non est, non prohibentur: qua ratione ludus pilæ, & alij, in quibus vires corporis exercerentur sine periculo vitæ, vel salutis, nõ sunt prohibiti, Aut temporale, quo nomine prohibentur ludi alearum, & omnes quos vocant fortunæ, cum in his nisi prudenter, & moderate ludatur, bona temporalia, & necessaria familiæ plurimum exponantur.

Dixi in hac secunda conclu. lege recepta, & vsu obseruata, quæ enim iam in dissuetudinem abijt, non obligat: Vnde ludentes aleis, taxillis, similibusquè ludis in magna quantitate vel nimia assuetudine, quos Hispanè vocamus thaures peccant mortaliter, quia circa huiusmodi lusores leges prohibẽres tales ludos, in vsu sunt, nec dissuetudine abrogatæ. Dicitur enim lex abijsse in dissuetudinem, quando. Magistratus illam violantes non puniunt, at vbique maximè in tota Hispania leges Cæsareas iam citatas prohibentes ludos alearum, & similes Gubernatores, & Iudices ita obseruãt, vt istos quos dicimus thaures grauiter puniant, & carceri tradant, receptores illorũ publicis pœnis afficiant, mensas que, sedas, & quæ huiusmodi lusoribus seruiebant, comburentes. Vnde sic ludentes, non modo clericos verum etiam seculares (quicquid dicat Soto) crederem peccare mortaliter, cum hæ leges iustæ sint, & obligent. Quod si huiusmodi ludis aliquis citra scandalum moderatè vtatur, ad solam animi recreationem, oblata iusta occasione, & sine periculo iurandi, exponẽdi multam pecuniam, aut alicuius alterius vitiosæ circunstantiæ, non peccat: ita videmus viros honestos his etiam ludere in aliquo conuiuio, vel festo, nec propterea à gubernatoribus iudicari lusores, aut transgressores legum quæ prohibent ludos alearum, Et habetur ita l. Quod in conuiuio. ff. de Aleæ lusu. Idem docent Angelus ludus num. 4. Suplem. verbo ludus aleæ §. 1. & 2. Ricardus in 4. dist. 18. art. 6. quæst. final. vbi quod addit Ricard. ludẽtem ex auaritia peccare mortaliter, intelligendum est ex auaritia mortali, Vnde Bartol. in proœmio Digestorum. §. Illud, Bald. in illa Authen. Alearum, Arch. in c. Episcopus. dist. 35. & Card. in clementina de vita, & honestate clericorum. q. 10. asserentes, ludentes aleis, peccare mortaliter ob innumera crimina, quę huiusmodi ludis solent misceri, intelligendi sunt de ludentibus in magna quantitate, & vitiosa cõsuetudine, non de ludentibus raro, moderatè, & commoditer, ad honestam tãtum recreationem iusta causa oblata: Priores enim sunt, qui suos ludos mille blasphemijs, mendis, & dolis replent, de quibus isti Doctores, non posteriores. Quod indicat illa vox deseruiens, quæ habetur in illo can. Episcopus: sicut enim diuites, qui rectè suas opes distribuunt, nõ deseruiunt diuitijs, sed illis dominãtur, & vtuntur, qui verò nimio amore, & cupiditate illis afficiuntur, dicontur viri, & serui diuitiarum, ita qui moderatè, & prudẽter ludis (quanuis alearum) vtuntur, non deseruiunt illis, sed qui vitiosa consuetudine, & in magna quantitate ludentes, illis videntur se totos consecrasse.

Quo fit ludum scacorum non esse prohibitum, nec clericis, quicquid aliqui sentiant, cũ secum afferat communiter moderatam recreationem, citra illa pericula, quæ ex alijs imminent: hic enim ludus cõmuniter neque scandalo est, neque iuramentis, neque bonorum temporaliũ notabili nocumento expositus, Dico communiter, quia nil adeò honestum est, quo vel malitia, vel copiditas, vel luxus hominum non possit abuti, hic autem respicimus, quæ communiter eueniunt. Ita Innocent. c. Lator de Homicid. Archadiac. can. Episcopus dist. 35. Ricar. loco citato. Angelus in ludo num. 2. Pauor. in c. Clerici officia. de vita, & honest. Cler. & DD.

in Authen. illa de Sanctis. Episcopis. §. interdicimus. quos refert Tabien. verbo, ludus nu. 7.

AN PER LVDVM PECVNIA PRAEsente transferatur dominium?

OBseruemus initio, omnes species ludorum reduci ad hæc tria genera, primum in quo natura, & ars plurimum valet, fortuna verò parum vel nil, vt in ludo choreæ, palestræ, & scacorum &c. secundum in quo fortuna, & casus multum valent, ars autem, vel ingenium parum, vel nihil possunt, vt in ludo taxillorum, id est de los dados, & in ludo cartarum quo ad aliquas species, vt in his, quæ hispanè dicuntur quinolas, o al quinze, tertium in quo licèt fortuna habeat suas partes, ars nihilominus ingenium, & concilium habet quoque suas, vt in ludo taxillorum, & tabellarum, in quo licèt successus, & iactus taxillorũ pēdeat à fortuna, in componendis verò, ducendis, ordinandisque tabellis, iuuant plurimum consilium, & ars: Idē accidit in ludo cartarum quo ad aliquas species, vt in ludo, qui hispanè dicitur de las malillas, vel del triumpho.

Ex his tribus generibus ludi primum non est prohibitum aliqua lege absolutè, & simpliciter, sed solum quo ad excessum pecuniæ, quæ exponitur, qua de causa iure communi taxatur in tali ludo ne possit exponi vltra solidum, vt habetur l. illa Alearum C. de Religiosis, & sumptibus funerum: in Hispania licèt exponere vsque ad 30. ducatos, & non vltra.

Secundum verò, & tertium genus iure communi canonico, & ciuili, & priuato tam Castellæ, quàm huius regni prohibentur.

Sub nomine aleæ, Angelus, Ludus, num. 3. intelligit tantum secundum genus ex istis tribus, illud scilicet, quod tantum nititur fortunæ, & in quo parum aut nihil consilium, ingeniumque valent, quamuis à multis DD. tertium quoque genus dicatur alea, cum in eo tam fortuna, quàm consilium iuuent, sed reuera ille ludus propriè alea est, in quo sola fortuna iuuat, & eo nomine prohibitus, quia cum proni sint homines ad tentãdam fortunam ludi, ea aduersa, in blasphemias, aliàque crimina prorumpunt.

Porrò, cum duobus modis accidat ludere, aut pecunia præsenti, & statim soluta, aut credita, & data fide: agemus nunc de ludo pecunia præsente de ludo, qui exercetur ea absente postea dicturi.

In hac quæstione prius, quæ certa sunt constituamus oportet: Imprimis certum est apud omnes, quæ fraude, vel dolo acquiruntur in ludo, esse omni iure restituenda, ratio est aperta, quia ad translationem dominij requiritur voluntarium liberum, & purum, quo nomine tradens pecuniam vsurario, non transfert dominium illius in ipsum, quia non tradit illam voluntariè, & liberè, sed sua necessitate compulsus, fraus autem, & dolus, efficiunt involuntariũ saltem mystum, quo circa in ludo qui contractus quidam est voluntariè susceptus, vbi interuenerint fraus, & dolus, non transfertur dominium.

Fraudes verò huiusmodi duplices sunt, quædã præcedentes ludum, aliæ quæ committuntur in actu ludi, Quæ præcedunt ludum duob. modis accidere possunt, primò, per ignorãtiam fictam, vt si quis fingat se ignarum alicuius ludi, in quo est exercitatissimus, & ea ratione trahat ad ludendum alium, qui verè est ignarus, quicquid ab eo tali fraude decepto lucrabitur, tenetur restituere, quia cum ludus sit quidam contractus pertinens ad iustitiam commutatiuam, in quo vterq; ludentium suam pecuniam æqualiter exponit, debet quoque esse æqualitas inter vtrumque, ita vt vterque æqualiter se exponat damno, vel commodo, quæ tamen æqualitas deficit, quando alter, cum sit ludi alicuius peritissimus, fingit se illius ignarum, & sub ea deceptione trahit ad ludendum alium, qui illius verè ignarus est. Quod si quis ludi alicuius peritus nesciens alterius ignorantiam, sed bona fide credens illum similiter peritum, vt periculum sui faciat, ludat cum illo, & lucretur, non tenebitur restituere, quia tunc nulla est deceptio. Et in hoc casu ille peritus bona fide æqualiter exposuit suam pecuniam, sicut, & alter.

Committi secũdò, ante ludum fraus, seu potius vis, quando vnus trahit alterum ad ludendum vi, & minis, vel suasionibus adeò improbis & importunis, vt alter ferè inuitus, & coactus ludat: verecundia, & pudore suffusus, ne nimium rusticus, & agrestis ac minus comes habeatur. Huiusmodi enim præces, seu potius conuitia ad vim reducuntur. Ita D. Tho. sup. q. 32. art. 4. ad 2. sic enim est intelligendus eo loco: licet Adria. in suo 4. de rest. q. de ludo, immeritò reprehendat D. Thom. asserentem, eum qui trahit alium ad ludum non acquirere dominium rei lucratæ: tradere enim si vim vocis attendamus, quamuis aliquando non significet vim, vt Ioan. 6. [Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.[Vt optimè ibi ostendit D. Augu. ex illo Poetæ: [Trahit quemque sua voluptas. Multoties nihilominus significat etiam vim, iuxta illud Grammaticorum: [Trahimur nolentes, ducimur volentes, in quo sensu loquutus est ibi D. Th. Qui ergo huiusmodi precibus importunis, seu probis alium trahit ad ludendum, tenetur restituere lucrata, peccatque mortaliter, vt docet Nauar. in suo Manuali, c. 19. nu. 5. Est enim ludus (vt diximus) contractus liberè, & voluntariè susceptus, vis autem, & metus, ac improba ista persuasio tollunt rationem voluntarij. Quod si non improbis sed communibus tantum vrbanisque suasionibus, quis ad ludendum alium trahat, non tenebitur ad restituendũ lucrata ab eo: in quo forsan sensu loquitur Adrian. loco citato.

In actu autem ludendi aliqui interueniũt doli, quos patitur ipsius ludi natura iuxta eius leges: alij verò sũt qui repugnant legibus ludi, vti dolis prioris generis licèt, nec tenetur qui illis vtitur lucrata restituere, vt cum habens potiores partes ludi, vidensque certissimò se lucraturum, auget sponsionem, id est, embida el resto, vel contra videns se non posse lucrari, auget illam, vt alios terreat: quamuis enim hoc videatur quædam deceptio, licita tamen est, quia ita fert lex ludi: Et, ludentes eo ipso quod conueniunt ad ludum, tacitè vel expressè consentiunt in dolos, quos leges ludi admittunt: huiusmodi enim non tam doli quàm cautela, & artes ludentium dicendi sunt. Quando autem dolus repugnat legibus ludi, acquisitum tali ludo restituendum est, quia in tales dolos non consentiunt ludentes, vt si quis ludat pluribus vel fictis cartis lusorijs. In huiusmodi verò legibus ludi si ludentes inter se dissideant, standum est dicto & sententiæ peritorum in tali ludo: ita Couarr. Reg. Peccatum. §. 4. nu. 4. Medina C. de restitut. q. 22.

Secundò certum est lucrantem ab eo, qui non est sui iuris veluti pupillo, filio familiâs, vxore non habente alia bona præter dotem, monacho vel moniali, aut furioso, non acquirere dominium rei lucratæ, cum huiusmodi illius rei, quam exponunt ludo, vel domini non sint, vel dominium illius in alium transferre non possint, de quibus vltima controu. huius art. priuatim differemus.

Tertiò, certum est eos, qui per ludum non transferunt dominium rei lucratę in alium, quia vel illius rei domini non sunt, vel illius dominium in alium transferre non possunt, similiter neque rei, quam lucrātur in ludo: dominium posse acquirere, ita vt qui perdere non potest, non lucrari possit. Ratio est aperta.

Primò, quia in omni contractu debet esse par conditio, & par periculum contrahentium, quod non esset si aliquis ludentium lucrari posset, & non perdere.

Secundò,

Secundò, quia contractus eius, qui non potest perdere in ludo, est simpliciter & absolute, nullus & inualidus, per contractum autem omnino nullum, & inualidum, sicut non confertur dominium, ita neque acquiritur.

His positis duæ sunt circa propositam quæstionem Doctorum sententiæ. Prima, D. Bonauenturæ in 4. dis. 15. 2. par. illius dist. art. 2. q. 1. Paludani eadem dist. q. 3. art. 5. Richardi ibidem art. 1. q. 8. Gabril. eadem dist. q. 13. Turrecrema. in illo ca. Episcopus dist. 35. q. 3. Angeli in verbo, ludus asserentium, quicquid aliquis lucratur per ludum lege prohibitum esse restitendum necessariò, nec per talem ludum acquiri dominium, sicut per contractum lege ciuili inualidum, & nullum. Probant suam sententiam ex lege lata à Iustiniano in Authe. Alearum vsus. C. de religiosis, vbi postquam Imperator ostendit ludum multorum malorum esse causam, subiungit hæc verba: Subditorum igitur commodis prospicientes, hac præsenti lege decernimus, vt nulli liceat in publicis, vel secretis locis, vel domibus priuatis aleis ludere, neque in specie, neque in genere, quod si contrafactum fuerit, nulla sequatur condemnatio, & solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur.] Vbi apertè lex ista vult acceptum per ludum reddi, nec translatum esse dominium in lucrantem, quę lex cum sit iusta in bonum Reip. obligabit in conscientia.] Similia verba leguntur in legibus Castellæ, par. 1. titu. 5. l. 57. & lib. 9. fori. l. 35. & lib. 8. ordi. Regal. tit. 10. l. 2. Ioan. 2. Et in pragma. Carol. V. lib. 8. l. 8. in quibus omnibus decernuntur duo. Primum, ne qui ludo aliquid perdidit, compellatur à iudice illud soluere secundò, vt is, qui perdidit, & soluit possit repetere: quamuis differant in tempore, quia in illa Authen. conceditur repetitio intra 50. annos, lex verò Carol. V. cui tanquam vltimę standum est in Castella, ad tollendas lites vult fieri repetitionem intra octo dies. De legibus nostri regni infra dicemus.

Quod si quæras ab his cui facienda sit restitutio: Respondent Hugo, & nonnulli quos refert Silue. verbo, Ludus. q. 3. num. 1. restituendum esse pauperibus, quia tale lucrum est turpe, turpe autem lucrum conuertendum est in pauperes. ff. de condi. ob turpem cau. lege 3. & 4. quam sententiam dicit Angelus Ludus num. 7. esse communem inter canonistas. Palud. & Ange. volunt post iudicis sententiam restituendum esse lucrum ex ludo, vero domino qui perdidit, quia ita postulat lex, ante iudicis verò sententiam pauperibus, quia illa bona non sunt lucrantis cum lege prohibeatur acquirere illorum dominium, nec eius qui perdidit cum iam per ludum illa à se abdicauerit, amiseritque illa, tanquã dans operam rei illicitę: quod si iam erat erogatũ pauperibus, & vocetur in iudicium, poterit (inquit Palud.) allegare se iam exhibuisse pauperibus illud lucrum, nec tenebitur ad amplius: Cæteri verò Doctores volunt, tam ante iudicis sententiam, quam post illam, esse verò domino restituendum lucrum illud, quia cum per ludum non sit translatum dominium, qui perdidit semper manet dominus eorum quę perdidit, tenebitur què lucrans illi restituere, siue accesserit iudicis sententia, siue non, cum restitutio sit facienda verò domino, nec habeant locum pauperes, vbi constat de vero domino, subscribunt huic sententiæ Host. & Archidia. vt habet Silue. Ludus. q. 3. num. 3. vbi refert istas tres opiniones, nec satis explicat, quam probet.

Oppositam sententiam habent Alexand. Alensis. 4. p. q. 39. membro. 3. art. 9. Adria. in 4. de restit. q. de ludo Alphonsus de Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 2. corolla. 2. Soto lib. 4. de iust. q. 5. ar. 2. quem sequuntur omnes recentiores Thomistæ asserentes, per huiusmodi ludum modo fiat sine fraude, dolo, & vi, & inter eos qui liberè possunt disponere de suis bonis, transferri dominium, & lucrantem tuta conscientia retinere rem lucratam, donec à iudice iubeatur restituere. Fundamentum horum doctorum est, quia volunt has leges esse merè pœnales, & ita non impedire translationem dominij, nec reddere cõtractum nullum, sed tantum dare actionem perdenti ad repetendum corã iudice, & authoritatem iudici, qua precipiat illa restitui.

Alphonsus de Castro loco citato, ait tria: Primò, illam legem Iustinia. tantum habere locum in terris Imperio subiectis, in Hispania autem, Gallia, & alijs prouincijs, & Regnis Imperatori non subiectis non habere vim. Secundò, esse abrogatam per contrariam consuetudinem. Tertiò, etiamsi omnes comprehenderet, nec esset abrogata, non teneri lucrantes ad restitutionem, nisi adueniẽte iudicis sententia, quia lex ista si verba ipsius rectè expendantur, non irritat translationem dominij, sed tantum dat actionem perdenti ad repetendum in iudicio. Hoc tertium est verum, & ratio huius opinionis. Primum autem, & secundum falsum, quia illa lex Cæsarea legibus Hispaniæ, & Galliæ recepta est, nec est abrogata per contrariam consuetudinem, cum in terris Imperatoris experientia teste seruetur, & perdentibus in ludo detur repetitio in iudicio, precipiantque iudices, vt restituantur ipsis, quæ sic perdiderunt, nisi propria sponte suoque silentio velint iuri suo, & facultati, quæ illis sit à lege, renunciare.

Nos hanc sententiam sequemur, ad cuius maiorem intelligentiam, sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Per ludum stando in iure naturæ transfertur dominium modò fiat sine fraude, dolo, & vi, & inter eos, qui absolutè, & omnino sunt domini suarum pecuniarum.

Probatur; Prodigus, qui temerè effundit pecunias, reuerá transfert dominium in eum, cui illas exhibet, ergo à fortiori, & lusor in eum qui lucratur sine vlla fraude, dolo, aut vi. Probo consequentiam.

Primò, quia ludus non est peccatum ex suo genere, cum possit esse virtus, prodigalitas verò est peccatum ex suo genere ad minus veniale.

Secundò, in ludo vterque lusor exponit suam pecuniam ex æquo, imminetque vtrique idem periculum, in prodigalitate est simplex donatio citra vllum periculum accipientis, vnde potius debet transferri dominium in ludo, quàm in prodigalitate.

Secundò, si iure naturæ non posset transferri dominium per ludum, id certè esset, aut ex forma talis contractus, quia mala, aut ex obiecto, aut ex intentione, nempe propter auaritiã, & cupiditatẽ ludentium, sublata. o. omni fraude, violentia, & inhabilitas ludentiũ cum vnusquisque possit liberè de suis disponere, & illa cui voluerit dare, non potest contractus vitiari, nisi vel ex modo, & forma, vel ex obiecto, vel ex intentione. Sed forma contractus iure naturæ non prohibet transferri dominium in ludo, quia ludus est contractus æqualis, in quo æqualiter exponit pecuniam vterque ludentium: nec obiectum, quod est pecunia exposita, cum sint innumeri contractus habentes idem obiectum, nempe pecuniam expositam fortunæ, qui nihilominus sunt liciti, & honesti, & per quos tuta conscientia transfertur dominiũ: vt in assecuratione mercium, quæ deferuntur per mare, in depositionibus, id est, apuestas, in sortibus, id est, las joyas, & quãdo emitur iactus retis à piscatore, ac similibus, in quibus omnibus pecunia exponitur fortuna, Deniq; neq; prohibet translationẽ dominij maximum, & ardens desiderium lucrandi. Auaritia enim, & cupiditas, vt docet D. Tho. infra q. 118. triplex est, alia quæ opponitur iustitię, qua aliquis cõtra ius appetit, vel accipit alienũ, alia quę opponitur liberalitati, qua quis desinit dare, & largiri, quæ debet, alia quæ opponitur temperantiæ, qua quis nimis appetit ditari, non tamen contra ius. Prima est peccatum mortale contra iustitiam, obligatque ad

restitutionem accepti contra ius. Secunda est etiam mortales contra charitatem, vel liberalitatem, quando ex præcepto erat dandum, nec datum est, sed non obligat ad restitutionem, vt constat ex disputatione, de eleemosyna. Tertia est ex suo genere venialis, nec obligat ad restitutionem, quia nullam infert alicui iniuriam: & huiusmodi est, quæ reperitur in ludo, in quo nullus est dolus, fraus, aut vis.

CONCLVSIO II.

In nullo ludo prohibetur per leges ciuiles translatio dominij pecunia præsenti, modò absint fraus, dolus, & vis, ac ludentes sint domini suarum pecuniarum, sed tantum datur actio ad repetendum perdita apud iudicem.

HÆc est communis modò inter omnes DD. Et probatur. Leges istæ cum sint odiosæ sunt restringendæ ad id quod præcisè, & propriè verba significāt, sed in istis legibus nullum est verbum, quod reddat inhabilem ludentem ad lucrandum, vel accipiendum lucrum, nec est verbum aliquod asserens contractum ludi esse nullum, inualidum & irritum, sicut in illis legibus, quæ irritant testamenta, & alios contractus minus solemnes, in quibus apertè dicitur, vt talis contractus sit nullus, & inualidus ad transferendum dominium. Ergo.

Secundò, vbi lex vult per ludum non transferri dominium, id apertè dicit, & præcipit cito reddi lucratū non expectato iudicio, vt videre est lib. 8. ord. Rega. ti. 10. l. 1. vbi cū velit lex inter milites quamdiu sunt sub vexillis militaribus, & accipiunt stipendia militaria, non transferri dominium per ludum talorum seu tabularum, habet apertè, militem, qui tali ludo aliquid ab alio milite lucratus fuerit, statim reddat lucrum, ei qui perdidit, nec dicitur, vt qui perdidit agat apud iudicem, at in illa Auth. Iustitia, & legibus illam recipientibus non dicitur, vt qui lucratur statim reddat, sed vt solutum actionibus competentibus repetatur, idest, apud iudicem. Hæc enim secunda clausula explicat priorem.

Sed offerunt se contra hanc conclusionem duo. Primò D. Tho. loco citato apertè in eam declinare sententiam, vt leges reddant contractum ludi inualidum, & nullum ad transferendum dominium. Secundò in lege illa alearum. C. de Religiosis, & c. haberi, vt præscriptio bonorum acquisitorum per ludum non fiat ante 50. annos. Vnde est arg. Qui habet rei alicuius dominium non indiget præscriptione, at bona acquisita per ludum indigent præscriptione 50. annorum in iure, ergo per ludum in iure non transfertur dominium.

Ad primum respondent quidam, D. Tho. ita esse intelligendum, vt si quæ ferantur leges, quæ annullent ludum, per illum non transferri dominium, sed hæc explicatio nil dicit, neque habet locum, cum D. Tho. loquatur de legibus iam latis, & de quibus est quæstio, an impediant actum. & omnino translationem dominij per ludum. Respondent alij, Iurisperitos antiquos communiter ita intellexisse illas leges, vt per illas prohiberetur translatio dominij per ludum, & D. Thom. sequutum communem Iuristarum intelligentiam, in eam partem declinasse, nostris autem temporibus illā intelligentiam iam esse abrogatam per contrariam cō suetudinem: Primò, quia viri probi, qui istis ludis prohibitis in iure lucrantur, seruatis illis conditionibus, vt ludatur sine vi, fraude, & dolo, & cum his, qui sunt absolutè, & omnino Domini suarum pecuniarum, non restituunt, nec à confessarijs peritis admonentur, vt illa restituant. Secundò, quia prælati, qui sunt animarum custodes ex officio & prædicatores verbi diuini nil tale præcipiunt, nec docent, cum sciant nihilominus hos ludos exerceri, & in eis lucrari multa. Tertiò, Magistratus, & iudices, qui legum habētium vim sunt executores, ista quoque norunt, nec compellunt lucrantem restituere, nisi ille qui perdidit iuridicè exigat, cū tamen possent & deberent talia lucra ex officio prohibere, & præcipere restitui, etiamsi à perdente non repeterentur, si leges istæ actu & reuera prohiberent translationem dominij: Consuetudo autem (quando superior non reclámat) est sufficiens ad reuocandam legem, quantò magis intelligentiam legis.

Est quidem satis accommodata solutio, Respondetem tamen cum alijs, dominium duplex esse, aliud perfectum, & absolutum, quod non pendet à sententia iudicis, neque est abrogabile, aliud imperfectum & cum conditione, nisi à iudice abrogetur: per ludum transferri quidem verum dominium, non tamen illud perfectum & absulutum, sed imperfectum cum possit à iudice abrogari, & compelli qui ludo aliquid lucratus est ad illud restituendum, si is qui perdidit repetat, & in hoc sensu sensisse D. Tho. per ludum non transferri dominium, perfectum scilicet & absulutum, & omnino inabrogale: in quo etiam sensu crederem Iurisperitos intellexisse illas leges, cum ipsi omnia referant ad forum exterius.

Secundum, eodem modo soluitur, ibi non esse sermonem de præscriptione in foro conscientiæ, & à parte rei, sed solum in foro exteriori, in quo is dicitur præscripsisse, qui habet iam dominium perfectum & absolutum, & omnino irreuocabile à iudice, quale non habet qui ludo aliquid lucratur, in iure communi, nisi post 50. annos, cum intra illos in isto iure detur repetitio.

CONCLVSIO III.

Qui ludo lege prohibito aliquid amittit, potest id tuta conscientia apud iudicem repetere, & recuperare intra tempus à lege sibi concessum.

PAtet. Istæ leges omnium iudicio sunt iustæ, & in bonum Reipub. sed sicut lex iusta obligat in cōscientia, ita quoque qui vtitur facultate concessa sibi à lege iusta, est tutus in conscientia: concedunt autem istæ leges facultatem repetendi, & recuperandi apud iudicē, ergo id licitè potest qui perdidit. Dixi intra tempus concessum: nam illa Authen. Iustinia. vt dixi concedit 50. annos, sed tantum tempus est occasio litium. Carolus in pragmaticis editis Madritij anno 1528. pragma. 22. vult fieri intra 8. dies, quæ leges sunt æquiores, sic enim tollitur occasio litium & perturbationum, repetitione ad breuius tempus redacta.

CONCLVSIO QVARTA QVÆ non est tantum probabilis, vt vult Soto, sed etiam certissima.

Illa repetitio & recuperatio debet fieri iuridicè in iudicio, alias qui lucratur, non tenetur dare ei qui perdidit, si priuatim petat.

PRobatur. Hæ leges sunt merè pœnales, non enim reddunt lucrantem inhabilem ad recipiendum, & habendum lucrum, vt constat, sed tantum dant actionem repetendi ei qui perdidit in pœnam ludi, leges autem meræ pœnales non obligant nisi adueniente sententia iudicis, ergo qui lucratur non tenetur dare nisi ex præcepto iudicis.

Secundò tota vis & facultas quam habet qui perdidit ad recuperandum, est à lege ciuili, nam iure naturæ, vt ex prima conclusione constat translatum erat dominium, sed leges istæ hanc solam vim indicant ad recuperandum, nempe apud iudicem, illa enim Authentica apertè dicit competentibus actionibus repetatur, leges Hispaniæ dicunt, vt qui perdidit exigat intra tot dies, vel procedat ad exigendum, quæ

voces

voces omnes significant repetitionem in iudicio. Ergo.

Denique vsus, qui est primus legum interpres sic habet, vt tantum testituatur pecunia, quando is, qui perdidit, repetit in foro exteriori coram iudice, & non aliàs.

CONCLVSIO VLTIMA.

In nostro regno absolutè, & simpliciter transfertur dominium per ludum, in quo non est fraus, vis, vel inhabilitas.

Patet, iure naturæ transfertur dominium per ludum, nisi lex ciuilis aliter disponat, sed in nostro regno, l. 5. Iacobi primi tit. de ludis & lusoribus, non datur actio ad repetendum, sed tantum prohibetur iudex, nec condemnet eum, qui aliquid amisit in ludo, ergo in nostro regno absolutè transfertur dominium.

Ex his patet argumentum, Palud. & aliorum inualidum esse, fundamentum enim illorum est, leges ciuiles efficere ludum contractum nullum, quod constat esse falsum, cum tantum dent actionem ad repetendum in iudicio.

Quæres hic duo. Primò vocatus in iudicio teneatur ne quando desunt testes fateri veritatem, se per ludum prohibitum lucratum esse tot pecunias; Respondeo teneri, nam licèt res secreta sit, cum sit tamen in damnum tertij, tenetur iudici maximè sub iuramento interrogatus verum dicere, quia iudex iuridicè interrogat quando est requisitus ab eo cui per legem datur actio, ad repetêdum. Quod admoneo propter aliquos confessarios imperitos, qui putant in secreto non esse aliquid asserendum in damnum proprium, vt intelligendum est, quando iudex non ritè interrogat, in hoc autem casu benè & ritè interrogat, vt constat.

Quæres secundò, An ille qui perdidit aliquid ludo prohibito, nec vult repetere in iudicio ex verecundia, vel timore, possit priuatim & secretò ab alio accipere quod amisit. Adria. loco cit. habet partem affirmantem: ratio eius est, Qui lucratur tenetur restituere perdenti, ergo potest perdens secretò & citra scandalum ab eo accipere. Patet consequentia, quia hoc nomine potest famulus accipere à domino stipendium, quia dominus tenetur illi restituere. Communis sententia est in oppositum, sub hac distinctione. Aut in ludo fuit fraus, dolus, violentia, vel inhabilitas in ludente, aut nihil horum, sed sola prohibitio legis cæteris necessarijs concurrentibus ad debitum ludum, si in ludo fuit fraus, dolus, violentia, aut inhabilitas ludentis, tunc qui perdidit potest citra scandalum secretò accipere, quando alia via commodè non potest, vt quando apud iudicem videt se non posse facilè recuperare, vel ex defectu probationis, vel ex timore, vel alia de causa, ratio est aperta, quia per talem ludum nunquam fuit translatum dominium in lucrantem, sed semper mansit apud perdentem, res autem suas potest verus illarum dominus tuta conscientia recipere, vbicunque illas inuenerit, secretò & sine scandalo, quâdo alia via non potest. Quod si in ludo debitæ circunstantiæ sint, nilque aliud reperiatur præter legis prohibitionem, non potest secretò accipere qui aliquid perdidit, sed solum per sententiam iudicis. Patet, qui lucratus est, est verus dominus, vereque est translatum dominium rei lucratæ in ipsum, donec accedat iudicis sententia, ergo ante illam secretò accipere, est verum dominum sua re expoliare, quod est furtum. Secundò, hic qui perdidit non potest recuperare nisi virtute legis, ergo eo tantummodo poterit, quo sit illi facultas à lege, à lege autem non datur ei facultas recipiendi, nisi in iudicio, ergo non potest secretò recipere, & extra iudicium.

Tertiò, quando in aliquo contractu conceditur restitutio in integrum, non licet priuata authoritate accipere sibi ius, est enim contra omne ius, vt in propria causa aliquis sibi ipsi dicat ius, propriaque authoritate agat, quod agendum est authoritate iudicis.

Hæc argumenta ostendunt apertè hanc sententiam communem non esse probabilem tantum, vt existimat Soto, sed verissimam, & certissimam.

Ad argumentum Adrian. respond. maximum esse discrimen, nam famulus habet simpliciter & absolutè ius in mercede sibi debita, & ita quando alia non valet, potest secretò illam accipere, vt rem suam, at res perdita in ludo, donec iudicis sententia accedat, est lucrantis, nec potest qui perdidit illam recipere, nisi accedente iudicis sententia.

AN QVANDO LVDITVR PECVNIA absenti, data solum fide, transferatur dominium in conscientia.

Dvæ sunt in hac quæstione oppositæ sententiæ. Alfons. de Castro lib. 2. de leg. pœna. cap. 2. & Medina. Cod. de Restitution. quæst. 12. volunt teneri ad soluendum, quod data fide quis amisit in ludo. Probant, Iure naturæ promissio facta de re licita, maximè si mutua sit, adimplenda est, in huiusmodi ludo mutuo, & vicissim promittunt sibi lusores soluere, quicquid sic ludendo perdetur, quæ solutio licita est, cum possint & gratis dare. Ergo.

Secundò, Contractus iste quo ludentes sibi inuicem promittunt perdita soluere, nulla lege ciuili est irritus, ergo nascetur ex illo obligatio soluendi: Probo consequen. quia iure naturæ omne promissum, quod nulla lex prohibet adimplere, est debitum. Antecedens verò constat, quia tàm leges Cæsareæ, quàm priuatæ Castellæ solum dant repetitionem in iudicio, non autem prohibent solutionem. Leges huius nostri Regni prohibent quidem, ne possit exigi in iudicio, quod sic perditum est in ludo, non autem prohibent quin is, qui perdidit soluat, & qui lucratus est recipiat.

Tertiò, si non teneretur soluere qui perdidit, id certè esset, qui potest quæ soluit repetere in iudicio: hæc autem facultas non tollit debitum soluendi: Nam qui iurauit vsurario, aut latroni dare aliquid, potest illud repetere in iudicio, nec propterea liberatur à debito exhibendi, quæ promisit.

Quartò, qui ludit pecunia, præsenti, & apposita, tenetur haud dubio soluere, si perdat, ergo & qui ludit pecunia absenti data fide Probo consequentiam, quia in toto iure ciuili tàm communi, quàm particulari nulla sit distinctio inter ludentem pecunia præsenti, vel ludentem data fide. Et confirmatur, in ludo debet esse æqualitas inter ludentes, cum sit contractus (vt diximus pertinens ad iustitiam commut.) at si ludant duo, vnus pecunia præsenti, alter verò sola fide data, hic omnium consensu si lucratur verè acquirit dominium pecuniæ præsentis, ergo & ille acquirit quoque dominium pecuniæ sibi promissæ: alioquin non esset æqualitas, sed esset peioris conditionis, ludens pecunia apposita, quod est maximum absurdum.

Vltimò, si ludens pecunia credita perdat & soluat deinde lucranti, & iste qui lucratus fuerat recepit deinde pecuniam, in illo ludo sibi promissam, non tenetur restituere, sed tuta conscientia illā retinet, donec in iudicio repetatur, in quo omnes conueniunt. Ergo per huiusmodi ludum sub data fide transfertur etiam dominium, alioquin ille, qui fuerat lucratus, nec posset deinde lucrata recipere, nec retinere.

Oppositum docent Adrian. in 4. de pœnit. quæst. 12. Couar. Reg. Peccatum, p. 2. §. 4. nu. 9. Soto lib. 4. de iust. quæst. 5. artic. 2. Nauar. in Manua. cap. 19. nume. 17. & in additio. cap. 28. & est communis inter Thomistas ludentem pecunia promissa non teneri ad soluendum, neque transferri dominium in aliquo foro:

In foro exteriori probant, quia sic lucranti per leges negatur actio: In foro verò interiori hac ratione: Iure ciuili sic lucranti non datur actio ad petendam pecuniam promissam ab eo, qui perdidit, imò contra, si is, qui perdidit soluerit, datur illi repetitio, vt constat ex iuribus citatis præced. controuer. Ergo poterit is, qui perdidit, quæ nondum soluit sibi retinere tanquã ea, ad quæ statim recuperãda habet ius, quorsum enim iste circulus, vt soluat, quæ statim in iudicio potest recuperare? Et confirmatur ex regula iuris, cap. quia ad agendum. de reg. iuris in 6. & in l. inuitus nemo. §. cui damus. ff. de reg. iur. [Exceptio & retentio ei competit, cui datur actio:] sed per leges datur actio huic, qui ita perdidit, ad repetendum. Ergo competit quoque ei retentio rei sic perditæ, nec tenebitur illam soluere.

Ad intelligentiam huius quæst. quæ passim occurrit, obseruemus primò: Non esse hic quæst. de promissione firmata iuramento: tunc enim perspicuum est ob reuerentiam iuramenti soluendum esse promissum, quidquid leges disponant, cum talis solutio sit licita, quamuis possit fieri statim apud iudicem repetitio: Constat ex cap. debitores, de iureiurando: vbi definit Alexander Tertius, eum qui iurauit soluere vsuras, teneri ad illas persoluendas (etiam si statim possit coram iudice illas repetere) ex religione, & reuerentia diuini nominis. Et eadem de causa, si promisit sub iuramento soluere, & non repetere, tenetur ad vtrumque seruandum: quia illud soluere licitum est, & lex, quæ dat repetitionem, est solum facultas in beneficium perdentis, licèt autem vnicuique facultati, quæ sibi sit à lege renunciare.

Obseruemus secundò, quæstio. hanc tractari posse, aut stando solum in iure naturæ, aut stando in iure Cæsareo, & communi, aut stando in iure particulari huius, vel illius regni: Iure enim naturæ omne promissum, quod licitè adimpleri potest, est debitum: in iure Cæsareo nil peculiare habetur de ludo pecunia credita: sed indifferenter, & eodem modo loquitur ius commune in illa Authentica de ludo, siue fiat pecunia apposita, siue promissa tantum: Ius Castellæ ante comitia habita à Carolo V. Madritij anno 1518. Simile omnino erat Iuri Cæsareo, at in illis comitijs lata est lex, ne in vllo genere ludi quantumuis liciti, vt pilæ, istæ promissiones sint alicuius roboris, sed omnino irritæ, & inualidæ, ita vt neque qui perdidit teneatur soluere, neque qui lucratus est possit accipere, qua lege apertè videtur reddi nullus talis contractus promissorius in ludo: In legibus nostri Regni nil decernitur circa has promissiones, præterquam quod lucrans non possit exigere in iudicio.

Obseruemus vltimò, iuxta grauissimos Doctorum nostri temporis, illam legem Caroli Quinti sic intelligi, vt qui promisit, non teneatur in conscientia soluere perdita, quia lege ista talis promissio redditur nulla, & inualida, quæ lex cum sit iusta habet vim in vtroque foro: qua verò parte statuit, vt si is, qui perdidit soluat, lucrans non possit recipere, nec retinere, videri apud Hispanos, iuxta morem Prouinciæ ferè impossibilem, quoniam vt est Hispanorum ingenium & conditio, si soluenti pecuniam, quam data fide perdidit, is qui lucratus fuit, vellet iam restituere, nollet eam ille vllo modo recipere, sed indignaretur, velut de iniuria sibi illata. Et ita ex hac parte legem illam non obligare, nisi vel adueniente iudicis sententia, vel si is, qui soluit postularet sibi repeti soluta. Et confirmatur: hæc sententia vsu & consuetudine, quæ est optima legum interpres. Videmus enim maximam partem magnatum, quorum multi viri probi sunt, & timorati, ludere pecunia credita, & quæ lucrantur, deinde cum sibi soluuntur recipere, ac retinere, nec propterea sentire se obnoxios restitutioni, aut à propria conscientia accusari, aut obligari à confessariis prudentibus, & peritis ad ea, quæ sic lucrati sunt, & acceperunt restituenda.

CONCLVSIO PRIMA.

Stando in solo iure naturæ, seclusaque omni lege ciuili, qui perdidit pecuniam in ludo sub data fide, tenetur illam soluere in conscientia.

Hanc probant efficaciter argumenta primæ opinionis adducta.

CONCLVSIO II.

Stando in iure communi, & in iure antiquo Castellæ, tenetur lusor similiter soluere pecuniam perditam, & promissam in ludo.

Patet: Obligatio naturalis soluendi promissa non potest cessare, nisi virtute alicuius legis illam auferentis ob bonum commune, leges Cæsareæ, & antiquæ Castellæ, eodem modo loquuntur de ludo, siue pecunia sit præsens, siue absens, nec prohibent solutione pecuniæ perditæ, vt constat, ergo sicut in ludo pecunia præsenti non prohibent translationem dominij, sed solum dant repetitionem, ita in ludo pecunia absenti non prohibetur trãslatio dominij, sed solum statuunt ne pecuniam perditam possit, qui lucratus est exigere in iudicio.

CONCLVSIO III.

In Regno Castellæ post illam legem Caroli V. Anno 1518. qui perdit in ludo sub data fide non tenetur soluere: quod si liberè, & voluntariè soluat, qui lucratus est, potest recipere, ac retinere, donec ab eo, qui soluit repetatur.

Prior pars probatur: Sicut lex Ecclesiastica potest cassare vota imprudenter facta, ita lex ciuilis temerarias, & imprudentes promissiones, ob bonum commune, huiusmodi autẽ promissiones in ludo sunt temerariæ: experientia enim teste: cum primum lusorum animus incaluit, si pecunia credita ludatur, exponunt illam in magna quantitate sine modo & termino, quod non ita fit, quando est præsens, & oculis subiecta, cassantur autem omnino, & irritantur istæ promissiones lege illa Caroli V. ergo, qui ita promisit, non tenetur soluere. Altera pars constat ex tertia obseruatione posita.

CONCLVSIO VLTIMA.

In hoc nostro Regno Valentino pecunia promissa in ludo, in conscientia soluenda est lucranti.

Patet eodem arg. quo probata est secunda conclus. Quia iure naturæ pecunia promissa soluenda est, nisi lex ciuilis ob bonum commune, oppositum statuat, leges autem huius Regni non irritant istas promissiones in ludo, sed solum negant lucranti actionem in iudicio.

Nunc ad arg. primæ opinionis, qua parte possunt nostræ sententiæ aduersari; Primum, secundum, & tertium, probant (vt diximus) primam conclusionem hic positam, nempe iure naturæ soluendam esse pecuniam promissam in ludo, vbi leges ciuiles non irritant illam promissionem, sed solum negant actionem lucranti, vt in nostro Regno: vbi verò illam prohibent, & irritant, vt in Castella post illa Comitia Carol. V. non esse soluendam.

Ad quartum respondet Couarru. lucrantem ab illo, qui ludit pecunia præsenti, posse illam recipere, non

ratione ludi, sed quia alter vult actu soluere, nec prohibet lex, vt illa actuali, & præsenti solutione transferatur dominium, lucrantem verò pecunia absenti, non posse accipere, quia sic ludens per promissionem illam non transfert dominium lege illud prohibente. Sed pace (quod tanti Doctor. dixerim, cum in ludo debeat esse æqualitas, mas imè in translatione dominij: si vnus ludentium non potest perdere, neque transferre dominium, profectò neque alter: Quo fit, vt si apponens pecuniam præsentem potest transferre dominium, similiter ludens data fide possit etiam transferre dominium, quamuis hic non tenebitur, in Castella soluere lege id sibi concedente, si verò soluat actu transferr dominium, & alter, vt ex tertia obseruatione constat, potest recipere, ac retinere. Dico igitur ad illud argumentum in hoc nostro Regno ludentem pecunia promissa, post lucrari ab eo, qui simul luderet pecunia præsenti, quia in hoc regno etiam si ludet pecunia pro missa, tenetur soluere lucranti: In regno vero Castellæ, vbi ludens pecunia promissa non tenetur soluere, nisi expressè, & sub iuramento renuntiet iuri, & facultati legis, non posse lucrari à ludente pecunia præsenti, sed teneri ad restituendum, si quid lucretur, & accipiat, quia hic contractus est iniquus, cum inter sic ludentes reuera non sit æqualitas in exponenda pecunia, ludens enim pecunia præsenti ita illam exponit, vt teneatur soluere, ludens verò pecunia absenti, exponit quod nisi (sub iuramento promittat) non tenetur soluere.

Ad vltimum dico, in Castella lucrantem pecuniam promissam, si ignoret illam legem Castellæ, posse illam absoluiè recipere, & retinere, tanquam ritè lucratam, durante in ipso illa ignorãtia, si vero legem illam sciat, posse illam recipere, & retinere non tanquam ex vi ludi, sed quia alio volente, tradere, liberè & voluntariè censendus est donare, adeò vt iniuriam sibi irrogari putaret, nisi reciperetur, vel si ei restitueret. quo fit legem illem in hac parte non esse iuxta ingenium Hispanorum obseruabilem, vt ex dictis constat.

Ad argumenta secundæ opinionis, Ad primum dico, circulum illum, quo debens pecuniam promissam in ludo, soluit, & deinde repetit (in alijs regnis à Castella) non esse inutilem, sed vtilissimum, quia sic homines arcentur à ludu, intelligentes se simpliciter, & vt dicunt de plano teneri ad soluendum, etiam si deinde possint repetere in iudicio, ad confirmationem respondeo regulam illam. Retentio ei competit, cui actio datur, posse habere duplicem sensum, vt possit retinere, qui potest repetere beneficio legis, vel vt possit retinere, qui potest repetere tanquam verè suum, in hoc posteriori sensu hæc regula vera est: Habet famulus apud se decem aureos domini sui, debet illi dominus totidem, ex stipendijs, quæ famulus commodè recupe rare non potest, potest illos apud se retinere, quia posset illos in iudicio repetere, vt verè suos: In priori autem illo sensu falsa est, quod enim aliquis repetere po test sola authoritate legis, & per sententiam iudicis, ante illam sententiam non potest sibi retinere, sed tenetur illud exsoluere: aliter propria authoritate diceret sibi ius, essetque iudex in causa propria, quod non licet. Vt fiscus non potest retinere bona quæ Petro, debet, etiam si deinde illa sibi adiudicanda sint ob aliquod delictum eiusdem Petri, qui illa habiturus est sola authoritate legis, cuius executor est solus iudex per suam sententiam. Et ita in hoc casu iste qui debet pecuniam promissam in ludo tenetur illam soluere, quia quamuis possit illam repetere potest quidè beneficio legis, non tamē vt rem suam, cum illam alteri verè debeat ex vi illius promissionis, & fidei datę in ludo, quę iure naturæ seruanda est.

AN FILII FAMILIAS PVPILLI Monachi, & similes possint transferre dominium alicuius rei per ludum.

CONCLVSIO I.

Filij familiat in domibus parentum agentes sine facultate parentum nullius pecuniæ possunt transferre dominium, vel acquirere per ludum.

IDemque sit iudicium de alijs positis in titulo huius controu. Patet prior pars, Ille solus potest transferre dominium, qui est absolutè, & simpliciter dominus, filius in hoc casu nullius pecuniæ est dominus, ergo non potest alicuius pecuniæ transferre dominium.

Secundò, qui non possunt transferre bona sua per alios contractus non est cur possint per ludum, sed omnes isti de quibus in hac controu. non possunt exercere alios contractus, quia omnes isti, aut non habent dominiũ pecunię, vt filij familias, monachi moniales, &c. aut si habeant, habent illud impeditum, vt pupilli ergo, Secunda pars patet: cum in ludo debeat esse æqualitas, ille solus potest per ludum acquirere dominium, qui potest per eundem ludum transferre, filius familias non potest transferre, ergo neque acquirere, & ita si quid ipse lucretur tenebitur restituere, & si quid ab ipso alius lucretur, tenebitur quoque ei restituere. Ex hac conclus. patet, filium habentem bona castrensia, vel hæreditate, aut alia via accepta in quibus nõ subijcitur patri, sed est ipse absolutus illorum dominus, posse illa in ludo exponere, & perdere, ac similia lucrari tuta conscientia.

CONCLVSIO II.

Filius familias cui pater in aliqua vniuersitate vel militia, vel alio loco annorum, & alimenta exhibet, potest aliquam particulam illarum pecuniarum, quas a patre accepit ludo exponere.

ILlam certè, quæ suæ honestæ sustentationi non deficiet, vt si accipiat 100, potest ludere 4. aut 5. Ita tenent Soto loco citato. Nauar. ca. 19. num. 9. & est cõis.

Primò, quia parentes communiter in hoc implicitè, & tacitè consentiunt.

Secundò, quia pecuniæ filio dantur ad suam vitam honestè transigendam & in eos vsus, sine aliquibus vita mortalis commodè transigi non potest, inter alia autem quæ ad vitam transigendam exiguntur, est aliqua animi voluptas, & recreatio, cum ergo ludus sit quoddam leuamen laboris ac molestiarum, quo animus refectus ad sua studia & officia alacrior redeat, potest et in ludo expendere aliqua partem bonorum, quæ suæ sustentationi non desit, & qui hanc partem lucrabitur tutus est in conscientia, tutus quoque ipse filius familias similiter lucrando. Idem dicendum est de religioso, qui expensis suis conuentus est in curia ad negotia, aut in aliqua vniuersitate litteras discens, nisi expressè à suo superiori, vel per leges sui ordinis sit ipsi prohibitum, nam si prohibitum sit, neque ludere potest, neque lucrari, si lucretur tenetur restituere, si perdat est ipsi restituendum, scilicet suo conuentui.

Sed quæstio est, An filius qui potest perdere 5. possit lucrari vltra 5. Magister Soto sentit non posse, quia nullus potest amplius lucrari quàm possit perdere, vt in ludo seruetur semper æqualitas: Quod si dicas, si lucretur prioribus 5. alia 5. iam habet 10. sua, & ita poterit hoc augmento, plura lucrari, dicunt qui tuentur sententiam Soti, illa acquisita per ludum a filio esse bona, quæ dicuntur proficua, dicuntur enim bona proficua, quæ filius comparat sua industria ex bonis collatis sibi à patre, bona autem proficua filij sunt patris, quamdiu ille sub eius potestate est, pertinentq;

ad patris dispensationem, vt docent Sylueſt. verbo, Peculium. verbo, eleemosyna. q. 5. & Nauar. in Manua. capit. 17. num. 157. & ita non posse filium illa ludo exponere, Communis autē sententia recentiorum Thomistarum est, posse istum filium familias plus lucrari nec propterea deesse æqualitatem, quæ exigitur inter ludentes. Quod vt apertius reddatur, Sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Filius qui solum potest perdere vnico actu. 4. non potest lucrari ab vnoquoque ludentium in illo eodem actu nisi solum. 4.

HAnc probat ratio Soti, quia aliter non seruaretur æqualitas: Dico ab vnoquoque ludentium, quia si sint, verbi gratia quinque simul ludentes, potest lucrari 28. vt potè ab vnoquoque totidem, quot ipse poterat perdere, nempè. 4. Vbi enim multi ludunt, seruatur æqualitas si vnusquisque seorsum tot possit perdere, quot ab vnoquoque similiter collusorum seorsum sumpto potest lucrari.

CONCLVSIO II.

Filius familias qui potest tantum perdere. 5. si vltra perdat, est excessus ille restituendus ipsi a lucrante, etiam sit talis lucrator, deinde in eodem ludo, aut in alio excessu illum perdat.

PRior pars constat, quia sicut filius iste non potest amplius perdere, quam 5. nec maiorem summam per ludum alienare, ita nec qui cum illo ludit, potest maiorem summam ab illo recipere, & si quid vltra recipiat, non facit suum. Altera pars probatur sic: qui illum excessum lucratus est, simul atque ipsum lucratus est, tenetur illum restituere, vt alienum, & vt rem acceptam ab eo, qui illius dominium transferre non poterat, et go quod illum excessum, deinde in eodem, vel alio ludo perdat per accidens est, nec liberat ipsum ab illo debito restituendi, sicut qui furatus est decē, non liberatur à debito restituendi, propterea quod alius eadem 10. ab ipso rapiat, antequā illa restitueret.

CONCLVSIO III.

Filius familias per varios actus ludi potest plura lucrari, quàm possit ipse ab initio amittere.

PAtet, Ad æqualitem ludi id tantum exigitur, vt possit lusor tot perdere, quot potest lucrari, sed filius iste, qui potest perdere ab initio primo iactu. 5. potest lucrari illis, alia. 5. quo posito iam habebit 10. verè sua, quæ potest esponere secundo iactu, & lucrari cum illis alia. 10. quæ cum prioribus efficient. 20. Et hoc progressu poterit seruata semper æqualitate, & iustitia ludi lucrari. 100. & plura: cum semper in eadem sponsione, & iactu Hispanè dicimus, En la misma mano y embite, quantitas quam locratur: nunquam excedat quantitatem, cuius iste filius est dominus, & quam potuit rectè esponere.

Secundò, si filius iste non posset lucrari, plura, quàm illa 5. quæ ab initio potest exponere, sequeretur, vt cum primum ipse illa lucratus est, teneretur sub mort. cessare à ludo, quia aliter exponeret se periculo lucrandi, quod non potest, seu furandi. Similiter pauper, qui solum potest exponere. 10. ludens cum diuite, cum primum lucratus esset 10. ab illo diuite, tenetur etiam sub mort. cessare à ludo: Quod nullus vnquam DD. docuit nec ipse Soto.

Tertiò, in iure sepe contractus, qui fiunt inter pupillos, & alios, qui sunt sui iuris, quamuis non valeant, qua parte sunt in pupilli detrimentū, valent tamen qua parte sunt in illius fauorem, & commodum, quamuis sint in detrimentū eius, qui contrahit cum illo pupillo vt habetur Instit. de inutilibus stipulatio. §. pupillus. Idē seruatur in contractibus, qui fiunt inter Ecclesiam & seculares, can. Si qua de rebus. 12. q. 2. Ergo idem est dicendum in hoc casu, de pupillo, & filio sic ludente & lucrante.

Quartò, si quæ in hoc ludo esset inæqualitas illa potius esset in damnum pauperis, vel pupilli, vel filiifamilias, quam in damnum alterius, qui est sui iuris, quia hic qui est sui iuris, & absolutus dominus suarum pecuniarum, potest magis, ac magis augere sponsionem, Hispanè, echar maior resto y lleuarselo todo de vna mano à pupillo, quod non licebit isti pupillo, vel filiofamilias, ac subinde semper diues ille, qui est sui iuris est superior in ludo, potestque securius fortunæ se committere, filius verò familias non ita, nisi habeat suum ludum certum, & securum.

Es his facilè diluuntur argumenta M. Soto.

Ad primum constat, iam filium istum, vel pupillum vnico actu non posse amplius lucrari, quàm possit perdere ab initio, per plures autem actus posse plura lucrari: nec propterea deesse; (vt constat) æqualitatem, quæ exigitur in ludo, cum illa tantum sit attendenda in vnaquaque sponsione seorsum, non in tota summa pecuniæ, quam vnus potest lucrari, & alter perdere. Quin etiam ex dictis constat, posse istum filium, vel pupillum plus lucrari, quam perdere, cum contractus celebrati cum minoribus, qua parte ipsis vtiles sunt, sint validi: quo fit, vt cū is, qui est suis iuris cōsentit in lodere cum tali pupillo, vel filio, eo ipso consentisit in absolutam translationem suæ pecuniæ in illum, quantum ille lucrabitur. Et simul quoque cōsentiat, se non posse ab illo pupillo, vel filio lucrari, nisi quātū ille pōt perdere.

Ad secundum dico, bona illa proficua acquisita a filio esse sub patris dispositione, quamdiu ille filius est in domo sui patris, cum primum verò extra mittitur ab eodem patre cum bonis, ex quibus viuat, per consuetudinem, quæ iam habet vim legis, posse filium de illis disponere, patre in id consentiente voluntate quadam interpretatiua.

Denique ad maiorem huius controuer. explicationem dico tria. Primò, filium qui iam perdidit illa. 5. quæ ex voluntate interpretaria patris poterat exponere, si adhuc deinde ludat, & luctetur, teneri ad restituendum lucratum, quia cum solum posset exponere illa 5. istis perditis, perinde se habet, ac si iam luderet sine vlla pecunia, ac sine periculo perdendi, qui verò non potest perdere, nec potest lucrari, esset enim (vt diximus) maxima inæqualitas, quàm non patitur iustitia ludi. Similiter dico secundò, filium istum, qui solum potest exponere. 5. si prima sponsione, & iactu exponat 10. & illa lucretur, teneri ad restituendum 5. solum què posse sibi retinere alia 5. quia sicut solum potest perdere 5. ita quoque solum potest in illa sponsione lucrari 5. Tertiò dico, filium, qui potest exponere 5. & primo iactu exponens illa lucratur, alia 5. posse deinde exponere decem, & lucrari alia decem, quod si illa quoque lucretur, posse iam exponere 20. & cum illis lucrari alia 20. & hoc progressu (vt constat ex tertia conclusione) posse lucrari magnam summam, seruata semper debita æqualitate ludi. Ex his facilè intelligetur, quid sentiendum sit est illa dubitatione.

POSSINT NE VXORES TRANSFERE dominium aliquorum bonorum per ludum?

NVptæ mulieres quatuor genere bonorum possunt habere: Primò, suam dotem. Secundò, alia, quæ dicuntur communia, quæ scilicet tàm viri, quàm vxoris industria acquiruntur durante matrimonio. Tertiò, quæ communi vsu, & sermone Iurisperitorum dicuntur paraphernalia, ea verò sunt, quæ vxori adueniunt extra dotem, vel hæreditate, vel donatione, vel aliqua alia via. Quartò, quæ ipsa mulier sua priuata industria,

industria,& labore acquirit,& lucratur, postquam muneri suo,& curæ domesticæ plenè satisfecit. De bonis primi,& secundi generis, sine licentia viri non potest ludere, imò nec eleemosynam facere, præter ea, quæ iuxta consuetudinem suæ patriæ mulieres sui status solitæ sunt facere: quia illorum dispensatio solius viri est,& in eis, sicut in gubernatione domus vxor est subiecta viro: De bonis verò tertij, & quarti generis potest ludere, quia hæc non subiacent viro, sed ipsius mulieris voluntati solæ,& dominio.

ARTICVLVS VII.

An per legem præscriptionis transferatur verè dominium in foro conscientiæ.

VLtimo loco agendum est de lege, qua authoritate Reipubl. & ob bonum ipsius transferuntur dominia, vel inuitis proprijs dominis: Huiusmodi est lex præscrip. & vsucapio. de quibus extant tituli in vtroque iure.

Agunt de hac materia Iuristæ Instit. & C. de vsucapionib. & præscriptionibus. Canonistæ in Decreto, 16. quæst. 3. per varia cap.& in Regul. possessor. De regulis iuris. in 6. Theologi in 4. distin. 15. D. Tho. ibidem & quodlib. 12. art. 5. Adrian. in 4. de restitut. quæst. peculiari. de præscript. Medina, C. de restitu. quæstio. 16. 17.& 18. Castro 2. libro de lege pœna. cap. 5. Soto lib. 4. de iustit. quæst. 5. art. 4. Summistæ in verbo, Præscrip. vsucap. Ac vt à nominis significatione exordiamur, hæc vox præscriptio sua primæua significatione idem pollet quod exceptio, estque præscribere id ipsum, quod opponere exceptionem alicui: Hispanè, El embargo. In qua significatione vsi sunt hac voce Latinissimi authores vt Cicero primo offic. & Quintil. 7. Institutionum. Vsu autem DD. apud Theologos,& Iuristas præscribere, est idem quod acquirere dominium, & ius per possessionem continuatam tempore à lege præscripto. Sic definitur. ff. de vsucapionibus. l. 3. & in hoc sensu sumitur à Pont. in suis decretis. Idem quoque significat vsucapio, si hanc vocem prima fronte spectes, quia propriè vsucapere est rem aliquam per vsum illius sibi capere,& vendicare, à DD. tamen ita distinguuntur hæ voces, vt præscriptio, versetur circa res immobiles, vsucapio circa mobiles, & eas quæ vsu consumuntur: secundò vt præscriptio fiat diuturniori tempore, vsucapio breuiori,& paucioribus annis. Fit enim vsucapio inter præsentes tribus annis, inter absentes quatuor, Instit. de vsucap. Et C. eo. tit. l. qua actione.

Præscriptio autem alia est longi temporis, alia longissimi temporis, alia plusquam longissimi, longi temporis est decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes: longissimi temporis est triginta annorũ inter præsentes, & quadraginta inter absentes, vt habetur Instit. & C. citatis. & C. de præscript. longi temporis. l. Malæfidei. Præscribitur autem breuiori tempore inter præsentes quàm inter absentes, quia agentes in eadem Ciuitate vel regno facilius possunt sua quærere,& recuperare, quàm agentes in remotis locis, & culpabilior multò est illorum negligentia,& segnities, Quæ autem prouinciæ vel regna vtantur præscriptione longi temporis. & in quibus rebus, quæ verò præscriptione longissimi temporis, ex priuatis cuiusq; regni legibus petendum est, consulendique sunt de ea re Iuristæ. Præscriptio plusquam longissimi temporis fit centum annis, qua gaudebant antiquitus omnes Ecclesiæ: nec contra ipsas vel earum bona poterat præscribi nisi post centum annos, vt habetur in l. vt inter. C. de præscript. Deinde tamen statutum est in illa Authen. quas actiones,& refert 16. quæst. 3. Can. Nemo. vt Ecclesiæ, & earum bona gaudeant tantum præscriptione illa longissimi temporis, & sola Romana gaudeat præscriptione centum annorum: quamuis modò iuxta consuetudinem Italiæ contra Ecclesiam Romanam nullo tempore præscribatur.

Hoc posito, Variæ sunt in hac quæstione opiniones Glossa in cap. finali, de præscript. & multi Iuristæ, vt refert Couar. in regula possessor malæfidei. parte 2. §. 11. voluerunt possidentem aliquid tempore à lege præscripto, quacunque fide id possideat, siue bona, siue mala, in vtroque foro acquirere illius rei dñium.

Probant primò, Quia lege Si quis emptionis, & l. Cum notissimi. §. 1. C. de præscriptionibus. 30. vel 40. annorum. habetur, præscriptionem etiam cum mala fide procedere, & habere vim, leges autem ciuiles possunt transferre dominium bonorum, ergo etiam cum mala fide transfertur dominium. Quæ leges sunt receptæ in Castella lib. 3. partitio. tit. 26. l. 21. vbi conceditur illi, qui per triginta annos possidet rem aliquã quacunque ratione illam possideat, præscribere, etiam si res illa furtiua sit,& mala fide possideatur.

Quod si dixeris has leges esse abrogatas iure Ecclesiastico,& decretis Pontificum quæ deinde afferemus, contra lex Ecclesiastica non potest derogare legem ciuilem circa bona temporalia, cum in his potestas sæcularis non sit subiecta spirituali, sed habeat suam propriam, & priuatam authoritatem ab illa distinctam, nec ab illa dependentem vt vidimus. Et confirmatur quia Carolus V. Princeps religiosissimus post Alexandrum III. Bonifacium VIII. & Innocentium III. qui illas leges ciuiles abrogarunt, eas innouauit,& reualidauit in comitijs habitis Madritij anno 1528.& statuit petitione: 157. vt contra famulum recedentem à domino suo, & non petentem mercedem intra trienniũ, dominus præscribat: Certum autem est, talem dominum in illo triennio habere malam fidem, cum non reddiderit mercedem laborum illi famulo.

Denique in Conc. Milleuitano cap. 2. & refertur. 16. q. 13. can. Placuit el secondo. & cap. 1. de præscriptionibus, conceditur Episcopo, vt præscribat intra triennium partem alicuius Episcopatus alieni, quæ certè præscriptio non potest fieri sine mala fide.

Secunda opinio est huic è diametro opposita, asserens neminem posse bona aliena tuta conscientia retinere, quantumuis bona fide illa possideat toto tempore à lege præscripto, sed teneri ad restituendũ, quotiescunque nouerit illa aliena esse, etiam si tempus legis sit elapsum: excusari autem per iustam ignorãtiam, quamdiu ignorat, iudicatque bona fide illa esse sua, ita docent summa Rosella verbo, Præscriptio. §. 14.& Antonius de Buttio in cap. vigilanti de præscriptionibus: vocantque hanc communem Theologorum, in quo decipiuntur vt videbimus, Eandem sequuntur multi Iuristæ quos referunt Silue. verbo, Præscriptio. 1. §. 13. & Conar. loco cit. par. 3. §. 2.

Probatur hæc opinio. Primo, l. 2. de præscindenda venditione, habetur, vt venditor qui decipit emptorem vltra medietatem iusti pretij, teneatur restituere illum excessum, qui verò decipit infra dimidium iusti pretij non teneatur. Et hoc ad tollendas lites, sed hac lege nõ obstante, in foro conscientię tenetur venditor restituere quemcunque excessum iusti pretij, omnium Theologorũ consensu, nec ista lex ẽt si ob bonum commune,& tollendas lites, transfert illum excessum, (cũ sit alienum) in dominium venditoris, ergo similiter, cũ bona quæ præscribuntur, reuera sint aliena, ẽtsi lex ciuilis ad tollendas lites cõferat illa pscribẽti, non erit hic tutus in cõscientia, cum primũ nouerit esse aliena.

Secundò in illis comitijs habitis Madritij an. 1528. ad tollendas lites præcipitur, ne famulus qui inf. triennium non postulat mercedem suã, amplius audiatur à iudice: nihilominus omnium consensu tenetur dominus in conscientia illam soluere, quidquid lex ista statuat, ergo similiter quamuis hæc lex præscriptionis sit ad tollendas lites, tenebitur nihilominus qui præscripsit, cum primum nouit illud esse alterius restituere.

Tertiò iudicium quod fundatur in falsa præsumptione non habet vim, neque reddit aliquem securum in conscientia, sed lex præscriptionis fundatur in falsa præsumptione, & iudicio possidentis, putantis rem suam, quæ verè non est ipsius, ergo.

Quartò fundamentum præscriptionis est bona fides, ergo quocunque tempore ista desit, desinet præscriptio ipsa habere vim. Est enim axioma sublato fundamento cui nititur aliquis contractus, & iustitia illius, illum contractum effici inualidum, nullum, & iniquum. Deficit autem bona fides, quotiescunque nouit rem, quam haber esse alienam, quocunque tempore id intelligat, etiam si post elapsum tempus præfixum à lege, ergo quocunque tempore intelligat rem esse alienam, tenebitur illam restituere.

Quintò & vltimò, Finis ob quem condita est lex præscriptionis est triplex. Primus obuiare litibus. Secundus reddere certa dominia rerum: Tertius, punire negligentiam veri domini in recuperanda re sua, sed propter nullum horum finium lex ciuilis valet trãsferre dominium rei alienæ tuta conscientia, ergo. Maior certa est, & patebit magis progressu huius disputationis. Minor probatur, imprimis duo illi fines priores tantum pertinent ad forum exterius, nempè obuiare litibus, & efficere dominia certa, in foro enim tantum exteriori aguntur lites, dominia verò in foro interiori certa sunt, Vltimus minus sufficit ad transferenda dominia: Primò, quia priuare aliquem sua re ob solam negligentiam in recuperanda illa, est grauissimam pænam imponere pro culpa, quæ communiter, & ex suo genere venialis tantum est. Secundò, quia si ob negligentiam veri domini esset iusta præscriptio, similis culpa accideret in vero domino, quando aliquis rem eius mala fide possidet, posset tunc possessor malæ fidei tuta conscientia præscribere, quod est falsum, possessor enim malæ fidei (vt docebimus) nunquam præscribit.

Tertia opinio est Adria. in sua 4. materia. De restl. q. de præscriptione, & quolib. 9. art. 2. asserentis, eum qui possidet alienum bona fide, si dominus rei sit negligens negligentiaque sit peccatum mortale, verè præscribere, & tuta conscientia tem illam posse retinere, quod si negligentia non fuerit mortalis non præscribere in foro conscientiæ, sed teneri ad rem illam restituendam: præscribere autem in foro exteriori, quia denegatur in iudicio, actio vero domino ad repetendam illam rem, elapso tempore à lege præscripto. Priorem partem probat, Imperator est (inquit) supremus dominus totius orbis, & omnium rerum temporalium, quæ in ipso sunt, potuit ergo per suas leges ob negligentiam veri domini bona illius transferre in alterum, hoc autem præstat in lege præscriptionis, cap. enim illo Vigilanti; habetur, [Ephesinum Legislatorem ad vitandam miserorum segnitiem, & longi temporis, errorem, ac confusionem, primum omnium tricennalem, vel quadragenalem præscriptionem sua lege sanxisse.] Vbi ergo negligentia veri domini erit culpabilis, & mortalis, meritò priuatur suis bonis, & in alium bona fide illa possidentem transferuntur authoritate legis, vbi verò solum erit venialis, cum hæc lex sit odiosa, ita erit restringenda, vt habeat quidem vim in foro exteriori, quia iudices debent stare legibus, non autem in foro interiori: esset enim maximè rigidum, & iniquum, pro culpa veniali expoliare aliquem re sua.

Et confirmatur cessante fine legis debet quoque cessare ipsius vis saltim in foro animæ, finis istius legis est punire grauem, & culpabilem negligentiam dominorũ, quando ergo negligentia erit venialis, non trãsfertur dominium in foro animę.

Quarta opinio, & communis inter DD. tàm Theologos, quàm Canonistas est, possessorem malæ fidei nunquam præscribere, possessorem verò bonæ fidei præscribere in vtroque foro, completo tempore à lege constituto: Ita docent D. Thom. quolib. 12. art. 5. Scotus in 4. dist. 15. q. 2. Palud. ibidem. q. 4. Marsi. in 4. q. 11. ar. 3. dub. 8. Silu. verb. præscript. primo. §. 13. Medina. C. de Restit. q. illa. 22. Caieta. in Summ. verb. præscripto. Castro loco citato. Soto lib. 4. de iustitia. q. 5. ar. 4. Et omnes discipuli D. Thom. Et plures Iurisperiti, quos affert Couarr. loco citato, quibus ipse subscribit: Eandem sententiam habuerunt grauissimi Pontifices Alexand. III. Bonifacius VIII. Innoc. III. non solum, vt priuati Doctores, verum etiam vt Romani Pontifi. illam definierunt.

CONCLVSIO PRIMA.

Possessor malæ fidei nunquam præscribit, & leges ciuiles id concedentes, per iura Pontificia sunt omnino abrogatæ in vtroque foro.

VBi non solum significamus, Sum. Pót. Sanctè & iustè antiquasse, & abrogasse leges illas sæculares, quæ concedebant dominium possessori malę fidei, tãquam iniquas & iniustas, verum etiam affirmamus, leges illas & ante huiusmodi abrogationem neque contulisse ius in foro animæ, neque benè egisse quatenus negabant vero domino actionem contra possessorem malæ fidei. Probatur hæc prima concl.

In primis, quæ est ratio Innoc. III. c. fi. de præscrip. Et si potestas sæcularis simpliciter, & secundum se non sit subiecta spirituali, in ordine tamen ad spiritualia, nempe quantum exigit gubernatio animarum, & conscientiarum securitas illi subiecta est, ita vt si Princeps sæcularis statuat legem fauentem peccatis, & nocentem conscientiæ fidelium, potest & debet Sum. Ponti. legem illa reuocare, ac nullã omnino reddere: potestatem enim quam habet Princeps sæcularis in ordine ad bonum commune, debet exercere sine damno animarum, in quo subest Papæ, cui incumbit, ne ouib. à Christo sibi commissis aliqua via in spiritualibus noceatur, leges concedentes possessori malæ fidei facultatem præscribendi, sunt iniquæ, & in damnum animarum, imò & Reip. in damnum spirituale animarum, cum tantam occasionem offerant retinendi alienum contra propriam conscientiã, scientem, & clamantem interius se alienum possidere, in damnum verò temporale Reip. quia iniqui, & praui quacunque via nitentur occupare aliena, sperantes elapso tempore præscriptionis futura sua. Ergo leges istas adeò fauẽtes peccatis, & nociuas Reipub. vt iniquas, & iuri naturæ repugnantes sanctè ac iustè potuit Papa reuocare, reuocat aũt illas de facto Alex. III. in c. illo vigilanti: vbi recitata lege illa Ephesini Legislatoris, corrigit illam, ita vt in possessore malę fidei non habet locum Bonif. VIII. in illa Regu. [Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit] Innoc. III. vnà cum Concil. Lateran. in c. fi. de præscr. idem omnino. Ergo.

Secundò, Qui possidet mala fide. i. contra dictamen suæ conscientiæ existit in peccato: sumitur. n. hic fides pro dictamine conscientiæ, iuxta illud B. Pau. [omne quod non est ex fide peccatum est] peccatum autem nemini suffragatur, maximè in damnum proximi, ergo possessor malæ fidei non potest acquirere dominium rei alienæ: Et confirmatur possessor malæ fidei, aut nouit rem non esse suam, aut saltem id meritò dubitat, nec vult inquirere verum, quocunque modo istorum sese habeat, cum dolo, & fraude possidet, id quod ita habet, fraus, autem dolus nemini patrocinantur. Ergo.

Tertiò, leges apertæ iniquæ, & contra ius naturæ non sunt leges, sed corruptela, & eo ipso in nullo foro habentes vim, leges istæ concedentes, vt cum mala fide liceat præscribere, sunt huiusmodi. Ergo. Maior aperta est. Minor probatur, quia iuxta istas leges fur, vsura-

vſurarius, ſymoniacus, & ſimiles, eo ipſo quo eſſent in mora reſtituẽdi (in qua mora grauiter peccant) elapſo tempore à lege præfixo, eſſent veri domini eorum quę furto, rapina, vſura, vel ſymonia acquiſiſſent, nec tenerentur amplius ad illa reſtituenda, quod eſt contra omne ius naturæ.

Quod verò hæc lex in foro etiam exteriori ſit iniqua, quatenus negat verò domino actionem in iudicio contra poſſeſſorem malæ fidei, oſtendo: quia hac ratione, potentes vexarent, & raperent bona imbecilliorum, & cum hi nec proprijs viribus, nec authoritate iudicis poſſent ſe tueri, retinerent illi bona hæc vi rapta, & progreſſu temporis facerent ſua, & conſequenter quo quis eſſet nequior, eo eſſet melioris conditionis, cum maximo damno, & perturbatione Reip.

CONCLVSIO II.

Poßeſſor bonæ fidei, ſiue dominus rei negligens fuerit ſiue ſecus, completo tempore à lege ſtatuto ſeruatisque alijs conditionibus, in vtroque foro præſcribit, & manet verus dominus illius rei, nec tenetur illam reſtituere, etiam ſi deinde intelligat illam fuiße alterius.

HAec concl. non modò eſt D. Tho. & aliorum Doctorum quos retulimus, verum etiam aperta doctrina Summorum Pontif. Alexandri, Bonifacij, & Innocentij locis citatis. Et præter eos Gelaſij, & Concilij Toletani 9. per multa capita. 16. q. 3. D. Aug. 14. q. 1. can. ſi virgo. Et cap. ſanctorum. de præſcriptionibus: in quibus locis Pontifices non tantum loquuntur de foro externo, verum etiam interno. Nam interrogati. An poſſeſſor malæ fidei ſit tutus in conſcientia? reſpondent negatiuè, ſimulque aſſerunt illum, qui bona fide poſſidet, iuſtè præſcribere. Et confirmatur, quoniam Eccleſia in ſuis decretis potiſſimum inſtituit conſulere conſcientijs fidelium, & hac de cauſa reprobauit leges illas ſæculares, quia non poterant ſeruari ſine peccato, vt habetur c. fi. de præſcr.

Vtor iam ratione: Sicut lex ciuilis iuſtè poteſt impedire translationem dominij, (etiam ſi proprius dominus velit illud transferre) quando ad bonum commune expedit, ita quoque poteſt priuare ciues dominio ſuarum rerum, quando ad bonum commune expedierit, & transferre illud in alios, vel reclamantibus proprijs dominis, ſed expedit maximè ad bonum commune, vt lex pręſcriptionis ſeruatis conditionib., quas Pontifices apponunt, conferat verum ius, & dominium præſcribenti, ergo confert illud, & ſic poſſidens eſt tutus in conſcientia. Maior certa eſt. Minor probatur. Pertinet namque in primis id maximè ad bonum commune, & pacem Reipub. cuius lex cuſtos eſt, obuiare litibus.

Secundo, vt dominia rerum ſint certa & ſecura: Etenim cum homines negligentiores ſint in curandis alienis, diligentiores verò in proprijs, qui poſſident res bona fide, multoque tempore, niſi præſcriptione legis intelligerent ſe verum, ac certum ius illarum habere, eſſent cum magno Reip. detrimento in illarum cultu, & augmento negligentiſſimi, timentes ne poſt longum tempus aliquis appareret illorum dominus, illaque repeteret.

Tertiò, vt confuſio, & error temporum vitetur in rebus.

Ob hos autem fines conditam eſſe legem præſcriptionis conſtat apertè, nam illius primi finis meminit Cicero in oratione pro Aulo Cecinia: vbi ait: [Vſucapio, id eſt, præſcriptio, eſt finis ſolicitudinis, ac periculi litium.] Secundus verò habetur. ff. de vſucap. l. omnes. Et 16. q. 3. can. Placuit el ſecundo. Et in illo cá. vigilanti; Vbi cum Epheſinus Legislator, qui primus legem præſcriptionis tulit, duas aſſignaret cauſas, aliam ad puniendam negligentiam domini, aliam verò ad tollendum errorem, & confuſionem dominiorum Alex. III. illum corrigit tollẽs primam cauſam, & reddens ſolam ſecundam. Ex quo patet (pace, quod dixerim Adriani) diſtare plurimum à vera opinione eius, cum exiſtimat, præcipuum præſcriptionis finem eſſe punire negligentiam domini, & ita illa ceſſante non poſſe præſcribi vi illius principij, [Ceſſare legem ceſſante eius finem] Pontifices ſiquidem in omnibus decretis ſuis hos perpetuò fines aſſignant, ad tollendas lites, & reddenda dominia rerum certa, nec curant de negligentia domini: imò ſi negligentiæ eſſet habenda ratio, vt vult Adria. Sequerentur hæc duo incommoda: Primum, vt raro lex pręſcriptionis haberet locum, quia communiter huiuſmodi negligentiæ non ſunt peccata, vel ad ſummum venialia, cum procedant ex ignorantia, vel obliuione. Alterum, vt lex, quæ ad tollendas lites, pacandaſque conſcientias inſtituta eſt, eſſet maior occaſio litium, & inijceret innumeros ſcrupulos conſcientijs hominum, quia non poſſet certò conſtare, quando eſſet negligentia mortalis, & ſufficiens ad præſcribendum, quando verò venialis tantum, neque ad illud ſufficiens.

Nunc ad argumenta primæ opinionis.

Ad primum conſtat, iam leges illas iure Pontificio eſſe reuocatas.

Ad primam verò inſtantiam, conſtat etiam ex ratione, qua probata eſt prima concluſ. poteſtatem ſæcularem ſubiacere Eccleſiaſticę in ordine ad ſpiritualia, poſſeque Pontifi. irritare leges ciuiles fauentes peccatis, & nociuas conſcientijs, quales ſunt leges concedentes, poſſeſſorem malæ fidei poſſe præſcribere.

Ad ſecundam dico, cum Couar. in Reg. poſſeſſor. p. 2. §. 11. legem illam Caroli V. duo continere.

Primò, vt ſi res fuerit dubia, an famulo illi debeatur merces, quam per totum triennium non exegit, pronuncietur ſententia in fauorem domini.

Secundò etiam ſi fuerit res certa, dominum toto illo triennio mala fide detinuiſſe mercedem illam, non continuò fiat in illum executio, nec detur actio illi famulo, ad tollendas lites, fraudes, & moleſtias famulorum: Nihilominus tenetur dominus ille in foro animæ ad ſoluẽdam mercedem illam, quia ſi reuera non ſoluit, non poteſt habere hanc bonam fidem, ſe non debere illi famulo ſuum ſtipendium; quod ſi aliter exiſtimet, erit opinio erronea, nec valens ad bonam fidem, vt dicemus.

Ad tertium reſpondeo, Decretum illud quod habetur in c. placuit ex Conc. Aphricano non concedere Epiſcopo dominium aliquod diocœſis vicinæ titulo præſcriptionis, nec haberi ibi ſermonem de quauis diocæſi, ſed de ea, in qua fuerit fides deſerta; Vult Eccleſia, vt ſi pars alicuius diocęſis à fide receſſerit, & in ea reducenda ad fidem proprius Epiſcopus negligens fuerit, vicinus aũt ſolicitus, & ſtudioſus, eamque reduxerit ac conuerterit, tunc maneat pars illa ſub ditione eius, qui illam ad fidem reuocauit.

Primò, in fauorem fidei.

Secundò, in præmium Epiſcopi, quia ita fuit ſolicitus in ouibus illis ad Chriſti fidem reducendis.

Tertiò, in pœnam negligentiæ proprij Epiſcopi; modo pars illa non ſit ex matrice, i. Archiepiſcopali; lex autem præſcriptionis non punit culpam, aut negligentiam domini, ſed id tantum inſtituit, tollere lites, & efficere certa dominia rerũ, Vide gl. in can. illo, placuit.

Ad argumenta ſecundæ opinionis.

Ad primum dico, leges illas de venditione eſſe tantum permiſſiuas, negantes decepto infra medietatem iuſti pretij actionem in iudicio, ad tollendas lites, non tamen concedentes venditori exceſſum illum iuſti pretij. Vnde nec ipſe poteſt illum tuta conſcientia retinere, cum nec bona fide illum habeat, nec lex illum ipſi concedat, nec potuerit concedere, vt docebimus infra cum D. Tho. q. 77. art. 1. Lex autem præſcriptio-

ois

nis est concessiua, concedēs possessori bonæ fidei cum tanto tempore rem illam bona fide habeat, vt faciat suam ob fines dictos, qui bono communi adeò expediunt. Constat autem inter leges concessiuas, & permissiuas hoc interesse, quod hæ nullum conferant ius in foro animæ, sed tantum negent actionem in iudicio, concessiuæ verò conferunt ius in vtroque foro.

Quod si quæras, qua ratione constet legem illam de venditore decipiente infra medietatem iusti pretij esse tantum permissiuam, legem autem præscriptionis esse concessiuam: dico primò id constare ex communi intelligentia Iurisperitorum, quorum in hac parte maxima est authoritas. Secundò, recta ratione ita exigente, quia ille venditor habet malam conscientiam: scit enim se iniquè vendere, leges autem non fauent malis conscientijs, sed tantum in eo casu tribuunt, vt permittatur, negeturque actio in iudicio, propter periculum multarum litium: possessor verò bonæ fidei possidet, & habet cum bona conscientia, leges autem solent fauere bonis conscientijs, concedereque illis verum ius eorum, quæ ita possident.

Sed obijcies, sicut ergo decepto infra medietatem iusti pretij negatur actio ad tollendas lites, ita contra possessorem malæ fidei esset neganda actio vero domino, ad tollendas etiam lites. Respondeo non esse parem rationem, quia in deceptione pretij, emptor (etsi deceptus) est quodammodo voluntarius in exhibendo illo excessu pretij, at quando possessor malæ fidei habet alienum, verus dominus nullo modo est voluntarius.

Secundò, negando actionem illi emptori decepto, non datur occasio iniquis inuadendi aliena, quæ tamen maximè daretur, si negaretur veris dominis ad repetendas res suas à possessoribus malæ fidei.

Ad secūdum constat iam solutio ex dictis in responsione ad secundam instantiam, quam afferebant authores primæ opinionis.

Ad tertium respondeo, licèt iudicium huius existimantis rem alienam esse suam, sit falsum à parte rei, in genere tamen moris, cum bona fide rem illam iudicet suam, esse rectum, cui accedens decretum legis statuentis, vt quando bona fide aliquid tanto tempore possidetur, acquiratur dominium, (quod decretum est rectum, & optimum ob bonum commune) efficit rem verè illius. Quo fit, vt præscribens non acquirat dominium vi sui priuati iudicij, sed virtute legis iustæ, bona verò fides ipsius sit velut causa sine qua non.

Quartum similiter soluitur, fundamentum præscriptionis non esse bonam fidem, sed legem illam ob bonum publicum, iustam: habita enim bona fide toto tempore à lege constituto, si deinde aliud innotescat non tollit dominium, quod per legem absolutè translatum est, cum primum completum est tempus ab ipsa taxatum. Nec bona illa fides perpetuò exigitur, sed per illud tantum tempus quod lex statuit ad præscribendum, quo exacto habet possessor ille hanc certam scientiam, certumque iudicium, rem illam iam esse suam, & si certò sciat olim fuisse alienam; sicut is, qui rem aliquam emit, scit eam certo esse suam, simulque scit ante illam emptionem fuisse alienam.

Ad vltimum respondeo, ex illis finibus primum in exteriori quidem foro habere locum, nihilominus cū pax exterior cui obuiando litibus consulitur, sit magnum Reip. bonum, consequenter lex respiciens talem finem, est iusta, ac vt talis sufficiens ad conferendum ius in foro interiori. Secundus finis habet etiam locum in foro interiori, in vtroq; enim foro refert plurimum dominia rerū certa esse. Tertius verò finis est maximè remotus, & parum vel nullo modo intentus à lege. Quo fit vt siue dominus rei sit negligens in illa recuperanda, siue non, possessor habens conditiones requisitas à lege verè præscribat. Hinc sequitur legem istam præscriptionis non esse pœnalem, vt voluit Castro loco citato, sed esse concessiuam, & tribuentem dominium possessori bonæ fidei, etiamsi nulla interueniat culpa aut negligentia veri domini: Sed videamus iam.

QVAE CONDITIONES EXIGANTVR ad præscribendum?

Quatuor sunt, quæ communi consensu Doctorum exiguntur ad verè, & tuta conscientia præscribendū. Primò, possessio vera, & propria rei. ff. de Vsucapio. l. possessione. [Sine possessione (inquit) non præscribitur.] Et ita religiosus cum nil possit possidere, non potest præscribere, conuentus autem, qui potest possidere, potest & præscribere: Sæcularis non potest præscribere aliquod spirituale, cum neque illud possit possidere, vt beneficia, decimas, &c. nec depositarius potest præscribere, quæ deposito accepit, cū illa nō possideat.

Exigitur secundò, cōtinuatio possessionis per totum tempus legis, collocatur enim hæc pars in deffinitione præscriptionis initio posita. Vnde si quis re, quam possidebat iustè priuetur, quando illam iterum in suam recipiat, incipit de nouo tempus præscriptionis, debet namque tempus legis ita esse continuum, vt nec per horam interrumpatur, Dixi iustè, nam si iniustè illa expolietur, non desinit illam reuera possidere, cum semper sit illius verus dominus.

Tertiò requiritur bona fides, licèt in facto erret. l. si bonæ fidei. ff. De verbo. signi. ea verò deficiente constat nullo tempore præscribi. Bona fides dicitur scientia vel iusta credulitas rem illam suam esse, & nō alienam: sumitur enim hic (vt diximus) fides pro propria conscientia, & existimatione, qua quis rem quàm possidet iudicat omnino esse suam, quæ bona fides debet esse quoque continua, & non interrupta per totum tempus legis, quia cum bona fides debeat esse cum possessione, sicut possessio non est interrumpenda toto tempore legis, ita per bona fides quæ illam comitatur.

Quartò debet possideri illud aliquo titulo, aut naturali, aut legitimo, aut saltim præsumpto, Naturalis sumitur ex natura rerum, qualis est contractus quo verè, & à parte rei transferuntur dominia: vt donatio, venditio, ius hæreditarium, dispositio testamentaria, iusta sententia Iudicis quæ nititur veritati, & legitimæ dispositioni testium, Legitimus est, qui si conculamus leges cōfert dominium, quamuis re vera præsupponat aliquid falsum, vt sententia iudicis lata secundum allegata, & probata, & iuxta leges, fed nititur falso dicto testium: dicitur hæc sententia legitima, & titulus legitimus ad possidendum quia si contra lata esset, esset illegitima, & cōtra leges. Præsumptus verò est, sententia iudicis, quæ & contra allegata, & probata lata est, hæc enim non est titulus legitimus, cum sit contra leges, sed solum præsumptus, quia sententia iudicis, etsi à parte rei omnino iniusta sit, præsumitur tamen semper iusta, estque exequutioni mandanda, donec à superiori iudice reuocetur.

Ex his sequitur primò qua ratione distinguantur inter se tituli naturalis, legitimus, & præsumptus, ac bona fides. Potest primò quis rem habere titulo naturali, & verò à parte rei sine bona tamen fide, ex suo falso iudicio, quo existimat illam esse alienam, in quo casu hic nunquam præscribet, sed tenetur inuestigare verum dominum, & rem illam vel ob suam conscientiam erroneam restituere illi, quem iudicat verum dominū, aut conscientiam deponere, Potest secundo quis per sententiam iuxta allegata, & probata latam, sed quæ nitatur falsis testibus, possidere rem aliquam titulo legitimo, sed sine bona fide, si falsitas illorum testium ipsi innotescat, qui etiam non potest præscribere ex defectu bonæ fidei, Potest contra habere rem aliquam per sententiam verè iniquam, sed cum bona fide, existimans illam omni ex parte iustam, in quo casu sine titulo naturali vel legitimo, sed solum præsumpto

pto rem habet, præscribet tamen ratione illius bonæ fidei. Tertiò potest quis sine vllo titulo à parte rei rē aliquam possidere cum bona tamen fide, qua durante præscribet. Vt qui per 30. vel 40. annos rem possidet bona fide, nec meminit quo titulo ad eum peruenerit, Qui credit rem sibi legatam aut donatam à verò domino, qui tamen non erat illius dominus. Filius qui iure hæreditario succedit in bonis paternis, credens illa verè esse patris sui, cum tamen essent furtiua, vel aliena, Q to fit, bonam fidem esse magis necessariam ad præscribendum quàm titulum, sine titulo enim potest aliquando præscribi, sine bona verò fide nūquam, vt patet ex his exemplis, & habetur. l. omnes. C. de pręscrip. 30. aut 40. annorum. Vbi statuitur, vt post 30. aut 40. annos omnis actio extinguatur. Idē habetur Can. Placuit. 16. q. 3. el secundo. §. Post.. Vndè quando dicitur à DD. requiri titulum ad præscribendum, intelligendum, est de præscriptionibus illis longi tantum sine vsitati temporis. 10. aut. 20. annorum, non de pręscriptionibus, quæ dicuntur longissimi vel plusquam longissimi temporis, nempe. 30. vel 40. aut 100. annor.

Sequitur secundò hæredem latronis, qui bona fide succedit in bonis paternis, si duret illa bona fides per 30. aut 40. annos præscribere, nec tamen habete titulum. Quòd licèt negetur à M. Soto commune tamen est inter DD. vtriusque iuris. Et probatur: Imprimis iste hæres (quod certum est) non habet titulum naturalem aut legitimum, quod verò nec habeat præsumptum, ostendo, Præsumptus habetur etiam per sententiam iudicis, quamuis iniquam, sed neque latro qui bona illa rapuit, neque hæres eius habent illa per aliquā sententiam iudicis, neque iustam neque iniquam, Ergo. Et confirmatur ex ipsis legibus, quæ statuunt bona furtiua nullo titulo haberi, ita l. Cum hæres. ff. de diuersis tempo. præscrib. l. Si mala fide C. communia de vsucapionibus. Quod autem hęres latronis præscribat, si duret in eo bona fides per 30. aut 40. annos. est receptum apud iurisperitos, & habetur. l. illa omnes C. de præscriptio. 30. aut 40. annorum: quamuis nō pręscriptione illa longi temporis 20. aut 30. annorum, vt habetur legibus citatis. l. cum hæres & lege. Si mala fide, & lege Vsucapio. C. de vsucapione pro hęrede. Quæ leges cum dicunt hæredem latronis non præscribere intelligendæ sunt de præscriptione longi siue, & vsitati tantum temporis, nempe. 10. aut. 20. annorum.

Similiter emens rem furtiuam a latrone cum bona fide, non habet titulum ad præscriben. vsitato tempore. 10. vel 20. annorum, vt habetur instit. de vsucapionibus. §. Furtiuæ, & §. Quod autem: vbi dicitur. [Furtiuæ res, & quæ vi possessæ sunt, etiam si longo tempore bona fide possessæ fuerint, vsu capi non possunt. Et subitur. Nō solum fur, aut quiuis alius qui per vim possidet, sed nec quiuis alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit vsucapiendi ius habeat.] Vbi apertè loquitur lex de vsucapione longi & vsitati temporis, non de illa longissimi temporis. 30. aut 40. annorum, vt constat non modò ex illa. l. citata omnes, verum etiam. l. si aliena. ff. de vsucapio. Ex quibus fit à fortiori latronem ipsum nullum habere titulum, nec legitimum, nec præsumptum, nec posse præscribere (etiam si ex aliquo euentu haberet bonam fidem, quod est ferè impossibile) tempore vsitato vt habetur in illo. §. Furtiuæ. instit. de vsucapio. & l. Vbi lex inhibet. ff. de vsucapio. vbi dicitur vbi lex inhibet vsucapionem bona fides possidenti nil prodest: Quo etiam modo intelligendæ sunt leges dicentes, rem vitiosam esse impræscriptibilem, loquuntur de præscriptione vsitati, vel longi temporis, & nomine rei vitiosæ intelligunt rem furtiuam, vt explicatur. C. de vsucap. l. vnica. Poterit tamen præscribere longissimo tempore 30. vel 40. annorum, si toto illo tempore accideret latronem habere bonam fidē, de quocunque enim possessore bonæ fidei quacunque ratione rem illam quam possidet habeat, intelligenda est lex illa omnes C. de præscrip. 30. vel 40. annorum: statuens vt omnis actio extinguatur post 40. annos, quæ lex vt vidimus iusta est, non pœnalis neque innixa falsæ præsumptioni, sed tribuens ius in conscientia, ne rerum dominia perpetuò incerta, tollanturque lites & contentiones, quæ causæ legis in quocunque possessore bonæ fidei habent locum, & in latrone, si accideret ipsum bona fide aliquando possidere quæ rapuit per 30. aut 40. annos, ita glossa in illo §. Furtiua, Medi. C. de restit. q. 16. & Grauiss. Mag. Peña in lectura huius artic. Quod si quęras quà ratione fur potest habere bonam fidem? iam admonui, id fere impossibile esse, nihilominus posse, potest enim in aliquo casu sine culpa sua obliuisci rem illam esse furtiuam. Vide Siluest. verb. Præscrip. cap. 1. §. 8. & cap. 2. §. 12. Et Couarru. in Regu. Possessor. p. 2. §. 9.

Quæres hic licèt fur & hæres ipsius, & qui ab illo emit non possint præscribere rem furtiuam tempore vsitato, sed solum illo longissimo 30. vel 40. annorum, fructus tamen rei furtiuæ poterunt ne præscribere tempore vsitato, ita vt si rem furtiuam bona fide possideant per 10. vel 20. annos possint facere suos fructus illius. Respondeo ad faciendos suos ictos fructus sufficere præscriptionem vsitati & longi temporis, ita habetur. l. bonæ fidei emptor. ff. de acquiren. rerum dominio: vbi dicitur [Qui non potest vsucapere propter rei vitium, fructus tamen rei faciet suos.] Cuius legis sensus est, eum qui non potest vsucapere tempore vsitato rem vitiosam, idest, furtiuam, fructus tamen illius facere suos temporis vsitati præscriptione. Idem habetur l. Qui scit. §. bonæ fidei. ff. de vsuris. Et l. si aliena. §. Scæuola. ff. de vsucapio. Vnde si Petrus sit furatus bouem, filius Petri hæres illius non potest sibi pręscribere bouem illum, quē bona fide recepit, tanquam rem verè patris sui, nisi spatio longissimi temporis durante eadem bona fide illum possideat, fructus verò & partus illius faciet suos, postquam possederit spatio vsitati, & longi temporis.

Iam cum bona fides adeò necessaria sit ad præscribendum, explicemus oportet.

AN BONA FIDES NECESSARIA ad præscribendum patiatur secum dubitationem.

GLossa in cap. si diligent. & cap. finali, de pręscriptionibus. Et ibidem Panorm. quem sequuntur multi Iurisperiti, maximè Sylu. Præscrip. primo. q. 3. num. 3. & summa Rosella verbo, Restit. septimo, §. 19. volunt, dubitationem, qua quis hęsitat, an res, quam possidet, sit sua, non tollere bonam fidem, nec impedire præscriptionem, Eandem sequitur Bart. in l. naturaliter. ff. de vsucap. asserens habentē fidem dubiam à principio non præscribere. Quod si à principio incipit possidere cum bona fide, & sine vlla dubitatione, deinde verò adueniat illa dubitatio, & hæsitatio præscribere nihilominus, assertque Bart. in eadem sentent. Inno. in illo c. fin.

Probatur hæc sententia à suis auctoribus. Primò, ex isto c. fin. de præscrip. vbi duo habet Pont. Primo enim definit necessarium esse ad pręscribendum non habere conscientiam rei alienæ. Secundo adhibet rationem, quia præscribere, & possidere rem cum mala fide est mortale. Ex quo cap. sic argumentatur, Sūmus Pontif. eam tantum exigit fidem ad præscribendum, quam habens non sit in peccato, at, qui possidet rem aliquam cum hæsitatione sit ne illi propria, paratus tamen, cum primum deprehenderit esse alienam, restituere illam uero domino, hic haud dubiè non peccat mortaliter, possidendo, & retinendo illam, quādiu ita dubius est, cum in dubijs melior sit ratio possidentis, ergo fides ita dubia sufficiens est ad præscribendum.

Secundò,

Secundò, qui dubitat sit ne res quam habet sua, non habet conscientiam rei alienæ, quia conscientia rei alienæ dicitur, cum quis habet rem, quam conscientia propria interius testatur esse alienam.

Tertiò ex cap. Si virgo. 34. q. vnica: vbi habet D. August. [Si virgo nupserit nesciens viro alieno: hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit. Si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubauerit.] Vbi sumitur scientia pro certitudine, adhibetque D. Aug. exemplum sumptum ex præscriptione dicens: [Sicut in iure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum.] Ex quo loco sic argumentor. Tādiu quis est possessor bonę fidei potestque præscribere ex D. Aug. quamdiu ignorat se possidere alienum, at, qui tantum est dubius, & si per illam dubitationem hæsitet, an res quam habet, sit sua, non tamen scit esse alienam, imò id reuera ignorat, ergo huiusmodi dubitatio non tollit bonam fidem. Nec est quod verba ista D. Aug. intelligamus solum de ignorantia puræ negationis, qua & is qui rem, quam scit certissimò suam esse, ignorat esse alienam, sed possunt etiam intelligi de ignorantia prauæ dispositionis, qua rem illam habens dubitat an sit sua, quod ostendunt verba sequentia, subdit enim D. Aug. [Cum verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur.] Vnde iuxta August. qui non scit se habere aliena, etsi dubitet, non est in mala fide. Angelus loc. cit. num. 4. vbi affert in sua sententia Antonium de Butrio distinguit, aut qui dubitat habet, inquit, iustam causam dubitandi, aut leuem & momentaneam, si hanc non impedit quin præscribat, sicut qui leuiter dubitat in rebus fidei, & non fixè, non est hæreticus cap. 1. de hæreticis. Si verò habeat grauem, & iustam causam dubitandi, non præscribit, quia iura ad præscribendum non solum requirunt, vt possessor ille non sit in mala fide, verum etiam vt sit in bona, dubius autem grauiter, & iusta de causa etsi non sit in mala fide, non tamen est in bona.

Addit Angelus duo. Primò, opinionem suam esse veram in foro animæ: in foro tamen contentioso valituram illam Panor. vt censeatur à iudicibus præscribere possessor rei, vel eo solo quòd non habuerit malam fidem. Ait secundò, opinionem suam intelligendam esse, quo ad præscriptionem rei, quia ad percipiendos fructus sufficit quoque (inquit) non habere malam fidem.

Tertia opinio est Adria. in suo 4. de Rest. q. peculiari, de præscrip. & Quodlib. 2. vbi habet duo. Primò, possessorem dubitantem, an res sit sua, non posse illam sine peccato possidere, nec præscribere. Probat primò, sic possidens habet conscientiam læsam per tale dubium, quod etiam fatetur Panor. in illo cap. fin. col. 11. versu, secundo principaliter, at, qui habet conscientiam læsam non possidet bonam fidem, ergo sic possidens in peccato est, nec potest præscribere. Secundò, mulier nupta perinde habet ius ad petendum debitum à viro, sicut possessor bonæ fidei ad pręscribendū, sed mulier dubitans iustè an iste sit suus vir, non potest petere debitū ab illo, ergo iustè dubitans, an res quam possidet, sit sua, non potest præscribere. Tertiò, faciens id de quo dubitat, an sit peccatū mortale, peccat mortaliter, possidens rem de qua dubiat, an sit aliena, facit opus de quo dubitat an sit peccatum mortale, ergo peccat mortaliter. Maior certa est. Minor probatur. Detinere alienum est peccatum mortale prohibitum, 7. præcepto, sicut & accipere illud, sed accipiens rem de qua iustè dubitat an sit aliena, exerceret opus de quo dubitaret, vel saltim deberet dubitare an sit peccatum mortale, ergo similiter possidens rem de qua dubitat an sit sua, exercet opus de quo dubitat, vel dēt dubitare, an sit peccatū mortale, habetq; hunc animū, volo detinere rem, quā detinendo forsan pecco mortali.

Addit secundò Adria. quod si rem de qua dubitat, an sit sua, detineat non vt possessor, sed tanquam seruans illam verò domino, faciatque diligentem inquisitionem ad deprehendendum verum dominum, & ea facta non appareat, tunc potest illam tuta conscientia retinere, ac præscribere.

Quarta opinio est Mag. Soto lib. 4. de Iust. q. 6. art. 4. quem nonnulli sequūtur, quæ partim accedit ad illam Angeli, partim verò recedit ab ea, habet enim tria. Primò si dubium sit leue, non esse curandum, si verò graue, & iustum, per illud interrumpi tempus, quia sic dubitans iam non habet pacatam, & securam conscientiam, in qua consistit bona fides, sed læsam, & vulneratam. Secundo debere istum facere diligentem inquisitionem, alioquin peccare mortaliter, nec posse rem retinere. Tertiò si facta diligenti inquisitione adhuc maneat dubius, teneri ad diuidendam rem illam cum eo, de quo dubitat an sit verus ipsius dominus, pro ratione dubij, quod si nullus constiterit dominus, cum pauperibus.

Diuisionem autem hanc ita faciendam esse, aut secundum medietatem, aut secundum aliquam partem pro ratione dubij, sic potest probari. Primò, Qui possidet bona fide rē, quam rationabiliter credit esse suā, potest totam illam possidere, qui verò mala fide, totam tenetur restituere, ergo qui dubia fide, neque totam poterit possidere, neque totam dimittere, sed diuidetur. Probatur conseq. quia sicut medium participat naturam vtriusque extremi, ita quoque effectus prouenien̄s à medio debet esse medius inter effectus vtriusq; extremi.

Secundò, stante isto dubio potest index iustè iudicans diuidere inter possidentem, & alium de quo dubitatur, an sit verus dominus, vel saltem aliquam partem illi adiudicare, quia iudex sicut possessorem bonæ fidei debet sustinere in possessione integra rei, ita quando est dubia fides, potest aliquid illi minuere, at quod iudex iudicaret per iustam sententiam, obligat in conscientia, ergo.

Vltima opinio est multorum recentiorum interpretum D. Thom. asserentium possidentem iam bona fide aliquam rem, si deinde incipiat dubitare, an sit sua, factaque diligenti inquisitione non appareat illam esse alienam, non teneri ad diuidendam illam, neque ad partem aliquam alteri dandam, sed in integrum posse illam tuta conscientia sibi retinere.

Probatur primò, quia si ille, qui est ita dubius, teneretur rem illam diuidere, sequeretur non esse meliorem conditionem possidentis, quod est contra omne ius. Patet conseq. quia tantum haberet de illa, re non possidens, quantum possidens.

Secundò, posset ille, qui non possidet cognita dubitatione possidentis partem, quam possidens teneretur illi restituere, priuata anctoritate sibi, accipere, hoc repugnat ipsi Soto in 4. dist. 27. q. 1. artic. 3. Conseq. verò patet, quia istè non possidens iuxta hanc doctrinam Soti habet ius ad illam partem quam alter tenetur in conscientia ipsi dare, imò si istè non haberet ius ad illam, alter non teneretur dare.

Quartò, in c. illo Vigilanti. De præscriptio. dicitur: [Nulla antiqua dierum possessio iuuat aliquem malæ fidei possessorem, si enim non restituerit, postquam nouerit se aliena possidere, tunc malæ fidei peribit.] &c. Quo loco perpendendum maximè est illud verbum, nisi restituerit post quam nouerit se aliena possidere, significat enim à contrario sensu, anteqnam nouerit se aliena possidere, non teneri ad restituendum, sed tuta conscientia posse retinere, cum istè reuera non intelligat se aliena possidere.

In hac quæst. obseruemus. Primò, conscientiam siue fidem dubiam non esse idem quòd bona fides, neque idem quod mala fides, sed quid medium inter eas, sicut pallidum est color medius inter albū, & nigrum; in primis

in primis non esse idem quod bona fides: constat ex l. bonæ fidei emptor. ff. de acquir. rerum dominio. vbi habetur bonæ fidei, & non dubie emptor &c. vbi apertè distinguuntur bona fides, & dubia. Secundò in alijs materijs bona fides non patitur secum hæsitationem, & dubitationem, ergo distinguuntur bona fides, & dubia. Anteced. patet hoc exemplo: qui dubius est, an hodie sit dies ieiunij, habet quidem conscientiā dubiam, an liceat hodie comedere carnes, non tamen habet conscientiam, aut fidem bonam, hodie licet eas comedere. Tertiò, fides dubia omnium consensu non sufficit ad incipiēdum tempus præscriptionis, cum tamen bona sufficiat. Quod verò distinguatur etiam dubia fides à mala, patet, nam fides dubia sufficit ad retinendum tuta conscientia, donec res plenè intelligatur, & ad defendendum contra litigantem, donec iusta sententia res decernatur, ad quæ tamen non sufficit mala fides. Qui enim malā fidē retineret, esset in peccato. Denique bona fides dicit assensum quòd res sit mea, mala fides dissensum, quòd non sit mea, sed aliena, dubia fides nec assensum, nec dissensum, apertè igitur ista distinguuntur.

Obseruemus secundo, aliud esse fidem dubiam, & aliud bonam fidem, sed erroneam. Dubia est, qua aliquis credit rem, quam possidet, suam esse, sed cum hæsitatione, & formidine, de qua fide qua dubia nūc agimus. Bona verò fides, sed erronea est, quā quis certò credit, rem quam possidet suam esse, cum tamen reuera, & à parte rei sit aliena: cæterum hic error multiplex esse potest, nam aut potest esse in iure, aut in facto, in iure, cum possidet rem quam iure prohibetur possidere, vt simoniacus possidens beneficium per simoniam, vsurarius possidens aliquid per vsuram. In facto est error, cum quis accipit vel emit rem ab eo, qui non est verus dominus, quem tamen iudicauit verum dominum. Porrò error in iure potest esse apertus, quando, scilicet ius apertè, & citra controuersiam vel opiniones Doctorum prohibet, rem illam possidere, vt in exemplis adductis de simoniaco, & vsurario, vel est dubium, & positum in quæstione, an ius illud prohibeat rem illam possideri, vt in re quæ possidetur per contractum minus solemnem, dubium est an ius illud prohibeat, reddatque contractum illum inualidum, an secus. Rursus error in iure potest esse aut solo iure, aut mistus, ita vt sit simul error iuris, & facti, vt cum quis putat se accepisse rem ab eo qui est dominus, cum reuera dominus non sit, & dato illum esse dominum iure prohibetur dare, vt cum quis accipit à pupillo, rem quam credidit esse pupilli, posseque sibi dari à pupillo, quæ tamen illius pupilli non erat. Quando error est in solo iure, possideturque res, quam apertè, & extra omnem dubitationem prohibent iura ab illo possideri, etsi ille credat se iustè illud possidere, talis fides sic erronea, quamuis bona, & excusabilia ob ignorantiam, omnium Doctorum consensu non sufficit ad præscribendum. Ita Angelus Præscrip. nu. 2. Syl. Præscrip. c. 1. q. 3. num. 2. & habetur apertè. l. §. si à pupillo. §. Pro empto. l. nunquam. la seconda. ff. de vsucap. Si verò error sit vel in facto, vel mixtus partim in iure, partim in facto, sic errans possidens tamen bona fide præscribit præscriptione longissimi temporis, ita Ang. & Sylu. locis citatis. Innoc. in c. Si diligenti. De præscrip. Panor. in c. cum dilectus, de consuetud. Host. in c. cura. de iure patro. & est communis inter DD. quos referūt Syl. & Angel. loc. cita.

Obseruemus tertiò, aliud esse habere conscientiam læsam, & aliud dubitare: nam conscientia læsa habet coniunctum peccatum, dicitur enim conscientia læsa, cum quis intelligit se rem alienam possidere, nec vult restituere, vel cum iustè dubitat an alienum possideat, nec vult adhibere debitam diligentiam, vt deprehendat verum dominum: dubitare autem est esse animo ancipiti, quod potest esse sine peccato, & sine conscientia læsa, vt in eo qui fecit debitam diligentiam, nec inuenit aliquem cui maiori iure res illa competat, tūc enim tuta conscientia illam retinet possessione sibi fauente, cum in dubijs melior sit ratio possidentis.

Obseruemus quarto, Dubium duplex esse, aliud speculatiuum, an res ita sit à parte rei, & aliud practicum, nempe quid sit licitum, & faciendum, quæ ita sunt affecta, vt manente dubio speculatiuo posit cessari practicum, & conscientia esse tuta: vt explicatur in c. Inquisitioni. De sententia excommunicationis. Et can. Quid culpatur. 23. q. 1. V. g. dubitat miles an bellum sit licitum, quod dubium est speculatiuum, & simul cum eo habet hoc iudicium practicum, & certum, principe præcipiente bellandum mihi est, nam aliàs destrueretur Resp. Simile exemplum habetur in c. Dominus. De secundis nuptijs. Vbi definitur mulierem dubitantem, an vir, cui nupta est, sit verè eius vir, teneri, nihilominus ad reddendum debitum viro illi, si ipse postulauerit, quia vno cum illo dubio speculatiuo, debet habere hoc iudicium practicum verū & certum; teneor nihilominus, si debitū à me postulauerit reddere illi. Similiter potest quis dubitare de eadem re circa vnum effectum, & non circa alium, v. g. potest aliquis haberet dispositionem, quam iudicabit sufficere ad suscipiendum baptismum, dubitabit verò an illa sufficiat ad pœnitentiam, & absolutionem. Potest dubitare, an titulus, quo habet fundum, sufficiat ad verum dominiū, non tamen dubitabit, sed erit certus illum sufficere ad retinendum illum, donec res elucescat apertè.

CONCLVSIO PRIMA.

Ad præscribendum sufficit fides, & certitudo humana, ita vt licet non sim certus metaphysicè, & omni prorsus certitudine rem illam esse meam, sed maneat adhuc aliquis scrupulus: & formido, possim nihilominus possidere, & præscribere.

PAret primò, Ad præscribendum sufficit illa fides, & certitudo qua communiter homines possident bona sua, sed hæc est certitudo fidei humanæ, quę, cū reducatur ad opinionem, semper est cum aliqua dubitatione & formidine, ergo. Secundò, ea certitudo in quaque re exigenda est, quam natura rei patitur, est enim animi & ingenij indisciplinati, vt ait Aristot. in omnibus eandem certitudinem exigere, sed in præscriptione similibusque contractibus humania non potest haberi alia certitudo iuxta naturam rerum temporalium, quam moralis & humana, ergo.

CONCLVSIO II.

Possessor qui vel à principio possessionis rei non habet bonam fidem, vel deinde progressu temporis desinit illam habere, quia iustè & grauiter dubitat an res illa sit sua, nec inquirit, cui res illa competat tanquam vero domino, non solum non præscribit, verum etiam est in peccato mortali, eo quod non inquirat verum dominum.

ET probatur, Bona fides est necessaria ad præscribendum tanquam fundamentum iustæ possessionis, & præscriptionis, ergo si hæc statim ab initio desit, sicut deficiente fundamento nil potest superædificari, ita deficiente bona fide nil potest præscribi. Vtraque verò pars concl. tàm ista prior, quàm altera de eo qui progressu temporis incipit dubitare, nec inquirit, res illa cuius sit, probatur ex l. bonæ fidei. ff. de acquirendo rerum dominio: vbi dicitur apertè: Emptorem bonæ fidei, & non dubiæ præscribere.

Secundò, ad præscribendum requiritur fides sana, & conscientia secura, ac illæsa, sed qui dubitat grauiter, & iustè, an res illa sit sua, siue à principio, siue tractu temporis, ita dubitet, nec inquirit cuius illa sit, nō

habet

habet conscientiam sanam, sed læsam, vt constat, ergo non præscribit, imò ratione illius conscientiæ, ita læsæ est in peccato.

Hæc conclu. pertinet ad iustè dubitantem, sed negligentem in inquirendo vero domino rei de qua dubitat, sequentes pertinebunt ad eum, qui adhibet diligentiam quam debet, vt deprehendat quia sit verus dominus illius rei. Porro cum hæc dubitatio accidere possit statim à principio, cum primum res possidetur, vel ita vt initio bona fide, & sine vlla dubitatione possideatur, deinde verò tractu temporis illa dubitatio sese offerat: Accidere etiam possit dubitantem, an res quam habet sit ipsius, post factam diligentem inquisitionem tribus modis se habere, aut ita, vt sit æquè dubius, aut ita vt inueniat se potius ius habere in eo illa, quam alterum, de quo est anceps, an sit dominus illius, vel contra, alterum potius & maius habere in illam: Hæc omnia priuatim explicanda sunt.

CONCLVSIO III.

Qui prudenter dubitat est, an res, quam possidet, sit sua adhibitaque debita diligentia ad inquirendam veritatem manet ex æquo dubius, vel deprehendit se habere maius, & potius ius quàm alter habeat, tuta conscientia potest rem illam integram sibi retinere, ac possidere bona fide, etiam si in mente sua semper maneat speculatiuè dubius.

PRobatur hæc apertè ex regulis iuris. Est enim regula: [In pari delicto, & causa melior est conditio possidentis.] Est alia regula: [Cum iura partium æqualia sunt, fauendum est reo: In hoc autem casu qui dubitat de re sua est velut reus.

Secundò, Quando dubitatur de vero domino alicuius rei, ille est cēsendus verus dominus illius, & in vtroque foro, qui plures titulos pluraque iura habet in illam, sed in hoc casu hic qui possidet hæc habet par & æquale ius in rem illam cum altero, & præterea possessionem, ergo potest illam, vt verus dominus illius integram sibi retinere.

Tertiò, si in tali dubio iudex rem illam integram, & totam adiudicaret isti possessori, illa sententia esset iusta, & consequenter hic possessor esset tutus in conscientia, ergo simpliciter, & absolutè in pari dubio hic possessor tuta conscientia rem illam retinet. Antecedens probatur, quia sicut quando duæ opiniones sunt æque probabiles, potest iudex in ferenda sententia sequi, quam voluerit, ita quando iura partium sunt æqualia, potest iudex declinare iustè ac rectè in quam voluerit, imò iustius adiudicaret rem istam possessori, quàm alteri, cum in pari dubio potior sit ratio possidentis. Conseq. verò patet, quoniam sententia iudicis, quæ non nititur falsæ præsumptioni, nec est pœnalis, non magis confert ius in conscientia, cùm pronunciatur, quàm antequam pronunciaretur, sed tantum explicat quis habeat ius, de quo litigantes altercabantur.

Quartò, licèt iste sit dubius speculatiuè, cuius sit illa res practicè tamen est certus, se posse illam possidere, cum sit certus in dubijs meliorem esse conditionem possidentis.

Quintò, aliter dominia rerum manerent semper incerta cum maximo damno Reip. & contra finem legis præscrip. Nam cum semper emergat dubitationes, maximè in timoratis conscientijs, si quando emergit aliqua dubitatio in animo possidentis, factaque diligenti inquisitione manet adhuc speculatiuè dubius (speculatiuè inquam, quia practicè videt se non habere minus ius quam alter habeat, & simul se habere titulum possessionis) & propter tale dubium speculatiuum tantum, facta illa diligentia non liceret possidere, nec præscribere, rarissimè lex præscriptionis sortiretur suum effectum.

Denique faciens quod in se est non tenetur ad amplius, sed possessor, qui adhibet debitam diligentiam ad inquirendum verum dominum, quando de illo dubitat, fecit quod in se est, nec alia via manet illi ad medendum illi dubio, non ergo tenebitur ad amplius, sed tuta conscientia potest rem illam sibi retinere ac possidere.

CONCLVSIO QVARTA.

Si hic possessor qui ita dubius est, facta diligenti inquisitione deprehenderit alterum habere maius, et potius ius quàm ipse habeat, tenetur dare illi aliquam partem pro ratione potioris iuris, quod alterum deprehendit in illam rem habere, ad arbitrium prudentis.

PRobatur si in illa diligenti inquisitione deprehenderetur ius possidentis adeò tenue esse ac leue, vt appareret ferè nullum, totumque ius competere alteri, qui non possidet, teneretur tunc ille qui possidet totam rem illi date, & sic pronunciaret iudex per suam iustam sententiam, ergo quando ius non possidentis apparet maius, & potius quam ius eius qui possidet, tenebitur hic dare illi partem aliquam illius rei, pro ratione maioris iuris quod ipse in eam rem habet.

CONCLVSIO QVINTA.

Qui à principio dubitat de re, quam possidet, adhibita quæ debita diligentia deprehendit se habere maius vel æquale ius cum altero, vel si inuenit se habere minus dedit illi aliquam partem iuxta, ea quæ modò dicebamus, cum primum adhibuit istam diligentiam, & præstitit quæ diximus, incipit reuera præscribere, etiam si maneat in sua mente eius dubium illud speculatiuum.

PRobatur ad inchoandam præscriptionem sufficit simul cum possessione, & alijs conditionibus bona fides humana, quando autem adhibita sufficienti inquisitione possessor iste deprehēdit se habere maius, vel æquale ius, aut si inuenit se habere minus, dedit iam alteri quod debuit, habet iam bonā fidem humanam, ergo incipit tunc vere præscribere. Maior constat ex prima conclusione. Minor probatur; Quia licèt speculatiuè adhuc dubitet, moraliter tamen, & practicè certus est rem illam esse suam, & tutè ab ipso possideri.

Secundò, finis legum præscriptionis, est, nè dominia rerum sint incerta longo tempore, at nisi hic possessor de quo agimus facta iam illa diligentia posset præscribere, perpetuò maneret dominium rei illius incertum, quia facta debita diligentia nulla est alia via ad tollendum dubium, quam iste iam fecit, & manet illi semper dubium, quam illud speculatiuum, cū quo transmittit ipse rem illam in suos hæredes, & illi in alios.

Tertiò, si iudex per suam sententiam adiudicasset rem illam sic dubiam isti possessori, inciperet ipse tunc præscribere, sed non minori iure nec minus tuta conscientia illam possidet facta diligentia, de qua hic agimus, quam si à iudice per iustam sententiam fuisset illi adiudicata, ergo cum primum adhibuit istam diligentiam incipit præscribere.

Quartò, mulier, quæ existimans bona fide virum suum esse mortuum nupsit alteri viro, & potest huic secundo debitum teddere, imò & petere ab eo, etiam si postea dubitet de vita prioris, nec valeat facta debita diligentia dubiū illud à mente sua repellere, iuxta aliquos, & grauissimos Theologos vt Sot. in suo. 4. dist. 27. q. 1. art. 3. & dist. 37. q. vnica art. vlt. circa fin. Ergo multò potius in nostro casu, censendus est hic possessor post talē diligentiā adhibuit, post eam posse præscribere, Probo conseq. Quia leges ciuiles habent authoritatem ad transferenda dominia bonorū fortonæ, quam tamen non habent ad transferendum dominium corporis quo ad actum coniugalem nisi vero marito, vnde si facta

facta debita diligentia à muliere ista, etiā si maneat speculatiuè dubia, nihilominus est verè vxor istius secundi viri multò potius possessor iste facta ista debita diligentia dicendus est iustè rem istam possidere, & præscribere.

CONCLVSIO VLTIMA.

Si is qui rem aliquam bona fide aliquo tempore possedit, deinde verò dubitat iustè, & prudenter, adhibuit tamen cum primum dubitauit debitam diligentiam, non interrumpitur per talem dubitationem tempus præscriptionis, nec est quod ab illa diligētia incipiat rursum præscribere, sed continuatur tempus subsequens illam diligentiā cum toto præcedenti, computandumque est cum illo.

Haec conclu. est contra Adrian. & Soto. habet tamen illam Syl. verbo Præscrib. primo. q. 5. nu. 3. vbi refert in eandem sententiam Barthol. & alios Doctores, habent illam Coua. Regu. Possessor. p. 2. §. 7. & auctores primæ opinionis quos retulimus, Probantque illam efficacissimè argumenta, quibus eadem prima opinio probata est, maximè testimonium illud. D. Aug. can. Si virgo, Et confirmatur si deferatur in iudicium hæc lis, An Petrus, qui cæpit vineam possidere bona fide, & in ea permansit per aliquot annos, deinde verò cum primum cæpit dubitare an vinea illa esset ipsius, adhibuit debitam diligentiam ad inquirendam veritatem, depræhenditque se maius ius vel saltim æquale habere cum illo de quo dubitauit, an esset dominus illius vineæ, si proponatur inquam iudici. An iste Petrus in hoc casu debeat prosequi tempus illud, & continuare cum præcedenti ad præscribendum, vel potius sit interruptum, oporteatque vt de nouo post illam dubitationem, & diligentiam incipiat præscribere, iudex per iustam sententiam decernet, non teneri ad inchoandam præscriptionem ab illa diligentia, nec esse interruptum tempus per illam dubitationem, cui statim occurrit adhibita debita inquisitione, & fecit quod in se est, sed posse illud tempus prosequi, & computare, ac coniungere cum præcedenti: ergo similiter in foro animæ, si quis cœpit possidere bona fide, & in ea per aliquod tempus permansit, si deinde dubitet simulque adhibeat debitam diligentiam, non interrumpitur tempus illud præscriptionis, neque est de nouo inchoandum post illam diligentiam, sed continuandū, & computandū vnà cum præcedenti. Antecedens constat vsu omnium rectè ac peritè iudicantium. Conseq. verò probo, quia sententia in foro exteriori pronuntiata, quæ non nititur falsæ præsumptioni, ferturque iuxta leges vel receptum vsum omnium iudicum est iusta, decernitque id ipsum quòd in conscientia est seruandum.

Secundò si iura ipsa spectes, quamuis ad inchoandam præscriptionem exigant bonam fidem, & non dubiam ad persequendum verò, & protrahendum tempus præscriptionis quod bona fide inchoatum est, tantum exigunt ne superueniat denique mala fides. Vnde illa regula secunda de regu. iut. in 6. [Possessor malæ fidei non præscribit.] Et illa in c. fin. citato. [Vt præscribens non habeat conscientiam rei alienæ.

Denique ex c. Inquisitioni. De sententia excommunicationis, Et illo c. Dominus. de secundis nuptijs: mulier, quę nupsit secūdo viro, & si sit dubia de vita prioris, nihilominus tenetur viro reddere debitum, & per manet ac continuatur matrimonium, ergo multò potius qui cœpit possidere bona fide, etsi deinde dubitet, cum tamen adhibeat debitam diligentiam, debet continuare suam possessionem, ac consequi tempus ad præscribendum. Conseq. patet ex supradictis.

Sed contra hanc conclu. offert se duplex argumentum Prius est, Cum similiter exigantur ad præscribendum tempus statutū à lege, & bona fides, oportet ista duo simul concurrere, at per dubitationem interrumpitur bona fides, constat enim plurimum differre bonam fidem, & dubiam, ergo per dubitationem interrumpetur etiam tempus ad præscibendum.

Secundò per litis contestationem in foro exteriori interrūpitur præscriptio, etiam si sit bona fide inchoata, sed litis contestatio solum facit conscientiam dubiam, etsi non malam fidem, ergo per solam conscientiam, & fidem dubiam interrumpetur similiter tempus præscriptionis.

Ad primum ex his respondeo, desiderari quidem bonam fidem ad inchoandum tempus præscriptionis, non tamen toto tempore subsequenti, sed sufficere, si dubitatio aliqua occurrat, adhibere debitam diligentiam ad inuestigandam veritatem, aliter quidem sic possidens haberet cōscientiam læsam, & vulneratam, & ferè malam fidem, adhibita tamen debita diligentia non habet conscientiam læsam, sed sanam, nec malam fidem, sed ita dubiam, vt virtute illius diligentiæ, cum per eam iam faciat quod in se est, sufficiat ad prosequendam possessionem, & præscriptionem.

Ad secundum dico in litis cōtestatione interrumpi tempus per dubium non qua dubium solum, sed quia oritur illud ex litis contestatione, & petitione veri domini, efficitque vt sic contestatus iam non habeat pacificam possessionem rei illius, iura verò solum instituunt fauere posteriori pacifico: quando autem dubium oritur priuatim in animo ipsius possessoris, ex alijs causis, cum tale dubium non efficiat, quin rem illam possideat, consequenter talem dubium non interrumpit tempus præscribendi: ad præscribendum siquidem solùm exigitur pacifica possessio (idest nullo contradicente) cum bona fide à principio, & debita diligentia, si aliquod deinde dubium occurrat, quo efficitur nè vnquam conscientia sit læsa vel cum mala fide.

Nūc ad argumenta aliarum opinionum. Argumenta primæ opinionis ostendunt, vt diximus, hanc vltimam conclu. quam iudicamus multò probabiliorem, quam sit sententia Adriani & Soto; Admonemus tamen vt in ipsis est videre, illa procedere tantum in eo, qui incœpit cum bona fide, deinde verò adueniente dubio adhibuit debitam inquisitionē, etenim si à principio sit dubius, cum adhuc non habeat titulum possessionis, non potest rem illam integram retinere, sed debet pro ratione dubij diuidere cum altero quem suspicatur verum dominum, vel cum pauperibus pro ratione dubij ad arbitrium prudentis, & consequenter donec illa dubitatio sit sublata per debitam inquisitionem, & satisfactionem, non potest præscribere, in hac enim parte vera est sententia M. Soto constatque aperte ex illa l. bonæ fidei. ff. de ac. rer. dominio, vbi dicitur. [Bonæ fidei, & non dubiæ emptor potest præscribere.] Loquitur enim de eo qui incipit possidere, quod significat vox emptor, quæ formaliter & propriè sumpta quo modo ibi sumenda est significat qui rem de nouo sibi comparat & possidet per contractum emptionis.

Argumentum Angeli eodem modo soluitur ad inchoandam præscriptionem requiri bonam fidem, post inchoatam verò cum bona fide sufficere, si dubitatio sese offerat, diligentem illam inquisitionem.

Ad argumēta Adria. Ad primum constat ex dictis, eum solum habere conscientiam læsam, qui dubitat an res, quam habet, sit sua, nec inquirit, vt habeat veritatem: dubitantem verò, qui, cum primum dubitat, inquirit diligenter cuius, illa sit nec habere conscientiam læsam, nec esse in peccato, sed tuta conscientia rem illam possidere, qua vna cum illo dubio speculatiuo, habet hoc iudicium practicum verum & rectum, per illam diligentiam fecisse quod debet, nec teneri ad amplius.

Ad secundum, Soto locis citatis habet, mulierem illam teneri ad reddēdum debitum viro petenti, quandiu dubia est, nec dum diligenter inquisiuit an ille vir sit suus vir: facta autē diligenti inquisitione posse reddere,

dere,& petere: Sed reuera tam illo c. Dominus. De secundis nuptijs, quàm cap. Inquisitioni adducto, quàm cap. Laudabilem. Nolite pendente. Pótifices cum conscientijs sibi consulant, apertissimeque & distinctè loquantur, tantum definiunt, vt possit & debeat reddere, ne vir ob mulieris dubium priuetur iusta possessione, quam habet in corpus vxoris, nil tamen dicunt de petendo, quod certè non tacuissent si facta diligēti inquisitione id vxori liceret, facilè enim fuisset Pontificibus illud aduertere, nil tamen dicunt de ista diligentia, sed de sola redditione debiti, ad quam tenetur mulier ob possessionem viri. Ad argumentum igitur dico, mulierem istam non posse petere, quia ad petendum non sufficit dubia fides, sed exigitur certa & bona ex natura contractus matrimonij, ad præscribendum verò etsi à principio exigatur bona fides, deinde verò sufficit dubia cum debita diligentia, quia ius præscriptionis pendet à legibus, quæ (vt constat) tantum exigunt, vt qui incæpit bona fide possidere ac præscribere, nullo modo habeat deinde, vel conscientiam læsam, vel malam fidem.

Ad vltimum dico, detinentem rem de qua dubitat, an sit aliena, nec adhibentem debitam diligentiam, exercere opus de quo dubitat, vel saltim debet dubitare, an sit peccatum mortale, & consequenter peccare mortaliter: at qui detinet rem de qua dubitat an sit sua, fecit tamen debitam diligētiam, & ea adhibita inuenit se non habere minus ius quam alter, non exercere opus de quo debeat dubitare an sit peccatū mortale: quia etsi adhuc maneat speculatiuè dubius, verè tamen cum isto dubio speculatiuo habet simul hoc iudicium practicum, tuta conscientia licèt mihi hanc rem detinere, ac possidere, quia non habeo minus ius in illam quam alter, præterea possideo ego illam, ac in dubijs melior multò est conditio possidentis.

Ad Argumenta Mag. Soto. Ad primum respondeo, dubiam fidem solam, & per se sumptam, & sine possessione nō sufficere, vt res de qua dubitatur retineatur, ipsam verò, vnà cum possessione, quæ incæpit bona fide sufficere facta diligenti inquisitione, quia ea facta & manente re ita dubia, habet locum regula ista toties adducta, In dubijs melior est ratio possidentis. Vnde dico similiter ad secundum iudicem in eo casu, nō posse in conscientia adiudicare aliquam partem rei de qua dubitatur non possidenti, neque obligare possidentem ad aliquid illi restituendum, quia in huiusmodi dubijs æquum ius habet possidens, cum non possidente, & præterea possessionem, ratione cuius habet maius, qui autem habet maius ius non tenetur aliquid restituere habenti minus ius.

QVÆSTIO LXII. DE RESTITVTIONE.

Agunt de hac materia Doctores Theologi in 4. dist. 15. Summistæ in verbo, Restitutio. Canonistæ maximè Couarru. in Reg. Peccatum, Medina, Complu. (de rebus restituen. Soto lib. 4. de iustitia. q. 6. D. Thom. & Caie. sunt in his locis attentè legendi.

ARTICVLVS I.

An restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ?



Obseruemus initio hanc vocem restituere Latinam esse, & à grauissimis authoribus sumi pro eo quod est reficere, vel reddere aliquid alicui, siue ex gratia, & liberalitate id fiat, siue ex iustitia, & debito: quomodo dicitur aliquis restitutus in pristinam amicitiam, vel dignitatem. Apud Theologos autem & Iurisconsultos ex vsus accommodatione sumitur pro eo quod est reddere debitum. Vnde l. Plus est. De verbo: & rerum significatione, dicitur: [Plus habetur in restitutione quàm in exhibitione:] Quia restituitur debitum: Exhibetur autem, & quod non debetur, tū etiam quod exhibetur potest accipi sine dominio, vel libera facultate ad omnem vsum. Quod autem restituitur recipitur cum plena facultate, & dominio: quia restitutio fit vero domino. Vnde restitutio nec est simplex donatio, nec ea quæ fit ex gratitudine animi pro beneficio accepto, cum istæ fiant gratis, & non ex debito, restitutio autem & satisfactio fiant ex debito. Quod est obseruandum propter eos, qui gratis donationibus putant se satisfacere debitis, & laboribus suorum.

Obseruemus secundò, restitutionem ita definiri ab aliquibus. [Actus iustitiæ commutatiuæ, quo redditur proximo quod suum est, siue illud ad vitam, siue ad salutem pertineat, siue ad honorem & famam, siue ad alia bona.] Peccat autē hæc definitio: primò quia prolixa. Secundò, quia non cōuertitur cum definito, nam qui soluit precium rei emptæ exercet actum iustitiæ commutatiuæ, quo reddit vendenti quod suum est, qui tamen non dicitur restituere. A D. Thom. definitur hoc art. per quid nominis, & communi quadam ratione cum ait: [Restituere esse iterato aliquem in possessionem vel dominium suæ rei statuere. [In possessionem ait vel dominium, quia aliquando restitutio fit in solam possessionem, aliquādo verò ita fit in vtrumque, vt si fieret in solam possessionem, non esset restitutio. verbi gratia. Furatus sum equum ab eo qui conduxerat, teneor eum illi restituere, tunc restituo illum in possessionem, & vsum quem habebat non in dominium, cum ipse non esset dominus, quando verò latro restituit rem, quam furatus est domino, si diceret ignorante domino rem illam suam esse, accipe hanc rem vtere illa, sed non vendas, nec distrahas, constitueret quidem illum in possessione non in dominio, cum dominium sit ad omnem vsum, & ideo, non benè restitueret, cum debeat verus dominus, & dominium, & possessionem suæ rei recipere. Dices latro, non potest restituere in dominium, cum verus dominus nunquam illud amiserit. Respondeo verum dominum non amisisse dominium, habuisse tamen illud impeditum, cum haberet illud iure, & non actu, quod dicunt Hispanè, de derecho y no de hecho. Ideo latro liberè, & plenè restituens, restituit illi dominium non impeditum, & actuale, quod etiam maximè differt à possessione. Vnde meritò D. Tho. loquutus est sub ista distinctione.

Est autem definitio ista sumpta ab Ethimologia vocis, & maximè communis, ac vniuersalis, complectitur enim quancunque redditionem rei, siue ea voluntate domini esset accepta, vt qui restituit mutuum vel depositum, siue illo inuito, vt qui restituit acceptum furto vel rapina. Qua de causa artic. seq. illam definit exactius, & magis propriè, dicens. [Restitutio est redditio rei iniustæ ablatæ.

Sed offert se statim obiectio ex definitione huius articuli contra hanc secundam, Qui suo tempore reddit, quod mutuo, ac deposito acceperat, hic dicitur restituere, res tamen, illa non erat iniustè ablata. Caie. vi huius argumenti putat illam definitionem secūdi art. non esse optimam, sed literam D. Tho. esse corruptam, exponendamque

exponendamq; esse illam vocem iniustè, reuera tamē, & propriè loquendo, restitutio non versatur nisi circa iniustè ablata. Ad arg. vero respondeo, si mutuum vel depositum reddatur ante tempus statutum esse actum liberalitatis, si verò tempore statuto, esse quidem actū iustitiæ commutatiuæ, cum ille dederit, vt tali tempore reciperet, non tamen esse restitutionem, quia per restitutionem intelligitur ab omnibus DD. propriè loquendo, actus quo reficitur inæqualitas vel damnum, quo sit vt reddere mutuum propriè non sit restituere, & definitionem illam D. Tho. esse optimam, & exactā, eam verò quam hoc artic. proponit communi tantum quadam ratione esse traditam.

Obseruemus tertiò, licèt restituere iuxta vim vocis videatur significare, dominium in eiusdem rei possessione vel dominio statuere, non tamen oportere iure gentium, & omnium nationum, vt eadem omnino res specie vel numero restituatur, sed æquiualens, sicut cō mutatio propriè in rebus est quibus vtimur ad victū, vt accipiam vinum pro oleo, frumentum pro lana, iure autem omnium gentium, & nationum sit iam commutatio per æquiualens alterius rationis, vt in venditione per æquiualentem pecuniam, in labore etiam, & mercede fit commutatio inter actiones, & industrias, & operas, & pecunias similiter, passiones quoq; iniuriæ, & alia damna quæ nō sunt in rebus, possunt rebus vel pecunia resarciri, & compensari.

Obseruemus vltimò (q ex superioribus cōstat) sicut in Rep. est ordo totius ad partes, & partium inter se, ita quoq; esse duplicem iustitiam, aliam, quę constituit æqualitatem inter totum, & partes, idest inter bona cō munia totius Reip. & ciues illius, aliam verò quę constituit æqualitatem inter partes ipsius Reip. inter se, nempe inter ipsos ciues, & eorum bona. Prior illa est distributiua, ad quam pertinet constituere æqualitatē non secundum rem, sed secundum proportionem meritorum, & præmiorum: v. g. meretur hic dignitatem vt centum, non pertinet ad iustitiam distributiuam dare illi dignitatem vt centum, sed pertinet ad illam si duo vel tres eandem dignitatem postulant, dare illam digniori, vel si sint plura præmia danda, & plures qui illa exigant, præstantiora dignioribus conferre, & pro ratione meritorum, & dignitate personarum præmia illa distribuere. Posterior verò quæ respicit bona, priuata ciuium dicitur commutatiua, ad quam pertinet constituere æqualitatem secundum rem, vt si debentur 10. reddantur 10. si res valet 100. reddantur 100.

CONCLVSIO PRIMA.

Restitutio non modò propriè sumpta, vt est redditio rei alienæ iniustè ablatæ, verum etiam largè sumpta, vt est redditio rei alienæ, etiam si non iniustè, sed mutuo vel deposito habeatur, est actus iustitiæ commutatiuæ.

Probatur primò. Contraria versantur circa idem obiectum, & genus, auferre rem alienam inuito domino est vitium, & peccatum pertinēs ad iniustitiam, quæ versatur circa commutationes, & contractus particulares ciuium, restitutio autem est recompensatio, & actus iustitiæ oppositus isti iniustitiæ, vnde versatur etiam circa commutationes, & contractus particulares, iustitia autem quæ versatur circa commutationes, & contractus particulares ciuium, est commutatiua, ergo.

Secundò iustitia quæ constituit æqualitatem rei ad rem, est commutatiua, restitutio autem vt legitima fit ablata domino inuito, siue illo volente accepta, vt qui furatus est. 10. debet restituere 10. qui accepit mutuo 30. debet reddere 30. Ergo.

Contra hanc conclusionem obijcio. Restitutio, non solum versatur circa commutationes particulares ciuium, verum etiam in distributionibus bonorum communium. Ergo est quoque actus iustitiæ distributiuę, & non solius commutatiuæ. Consequentia patet ex vltima obseruatione. Antecedens probo, quia qui non rectè distribuit, tenetur restituere ei, qui minus habet, vt qui neglecto digniori confert beneficium in digno, tenetur restituere digno damnum illatum.

Secundò, iustitia distributiua pertinet ad bona communia, commutatiua ad propria, & particularia, at non solum tenetur restituere ille qui accipit bona particularia alterius, verum etiam Princeps, qui non distribuit communia temporibus, & personis, quibus distribuenda sunt, vt qui non distribuit sua stipendia militibus tenetur illa ipsis restituere, &c. Ergo. Propter hæc argumenta iudicarunt quidam, restitutionem esse actum vtriusque iustitiæ commut. & distrib. à D. autem Tho. vocari actum commutatiuæ, quia ad hanc potius, & frequentius pertinet, sed reuera mens D. Thom. est restitutionem esse actum iustitiæ tantum commutatiuæ.

Ad argumenta autem ista diluenda obseruamus, bona communia licèt simpliciter communia sint, & totius, quando tamen distribuenda sunt, deberi illis qui tali tempore, & loco habent merita, quæ ad illa habenda requiruntur, & ea illis non conferre, esse verè expoliare ipsos præmijs, & bonis sibi debitis, tantumque damnum illis in eo casu inferri, quantum est bonum, & præmium illis debitum quo expoliantur.

Obseruemus secundò, bonum proprium alicuius duplex esse, aliud proprium, quia ab illo actu possessum, aliud verò, quia illi ex iustitia debitum, & ab eo possidendum.

Ex his ad primum arg. respondeo, illum qui non rectè distribuit, teneri ad restitutionem, & licèt obligatio eius nascatur ex violatione iustitiæ distributiuę, nō tamen pertinere ad iustitiam distributiuam, nec esse actum eius, sed commutatiuæ, quia actus distributiuæ est distribuere bona communia pro meritis, in hac autem restitutione non agit tunc iste vt distribuens bona communia, sed vt reficiens, & reddens, quantum intulit damni, seruatq; æqualitatem rei ad rem, quod est commutatiuæ.

Similiter ad secundum: Princeps qui suo tempore non distribuit quæ, & quibus debebat, deinde verò cō ponctus vult satisfacere, & restituere, tunc non dat illa tanquam distribuens, sed tāquam debita, & propria illis quibus tempore distributionis conferenda erant, Et ita reddit priuatis quæ cuique priuatim debeantur, propter quod ista restitutio actus etiam est iustitiæ cō mutatiuæ, cum pertineat ad hanc reddere cuique illi debita. Ex quo infert optimè Caiet. Principem, vel Ducem qui tenentur hoc anno ciuibus vel militibus aliqua distribuere, si id omittat, velitq; huic omissioni satisfacere deinde post tertium vel quartum annum, teneri ad distribuenda illa bona communia omissa, non ciuibus qui existunt deinde, illo tertio vel quarto anno. sed illis quibus eo anno, quo omisit dare, erāt danda, quia illis erant debita, vel hæredibus eorum si ipsi fuerunt vita functi. Fur autem vel pirata, qui bona Reip. rapuit, si illa deinde velit restituere, fat est Reip. & communitati restituat.

Circa hunc articulum est quæstio: Cum restitutio, & satisfactio tam in sacris litteris quàm apud Doctores promiscuè, & pro eodem sumantur.

DIFFERANT NE REVERA SATISfactio, & restitutio propriè sumpta vel sint potius idem.

Sotus in 4. d. 14. q. 2. cui videtur fauere D. Tho. in 4. d. 15. q. 1. docuit differre, quia restitutio pertinet ad iustitiam commutatiuam. Satisfactio verò ad vindicatiuam. Probat, quia satisfactio est pars pœnitentiæ, pœnitentia autē est quædam vindicta, quā sumit peccator de se ipso vt minister Dei affligens se ieiu-

se ieiunijs &c. iuxta illud D. Aug. [Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.

Oppositum docet. D. Tho. 3. p. q. 85. art. 3. asserens vtramque, & restitutionem, & satisfactionem pertinere ad iustitiam cōmutatiuam: De restitutione patet ex hoc articulo de satisfactione, vero probatur, Satisfacere pro iniuria illata, perinde est ac honorem ablatum reficere, hoc autem pertinet ad iustitiam commutatiuam, ergo, & illud, sed peccator satisfaciens. Deo pro peccatis & offensis, nil aliud agit quàm satisfacere, & placare Deū pro iniuria ipsi illata, ergo satisfactio quę est pars pęnitentię pertinet ad iustitiā commutatiuam.

Ad intelligentiam huius quęstionis, Obseruemus iustitiam commutatiuam, constituere æqualitatem secundum rem cum altero, æqualitas autem hæc potest bifariam accidere aut in rebus ipsis & bonis, aut in passionibus: voco passiones iniurias, & damna quæ saluti vel honori aduersantur; restitutio propriè constituit æqualitatem in rebus, in diuitijs, in bonis, in mercibus &c. vt quantum quis damni in rebus passus est, tantum illi reficiatur, satisfactio autem constituit æqualitatem in passionibus, & damnis illatis saluti, vel honori, vt quantum quis damni per iniuriam passus est, tantum illi vel simili damno, vel alia via reficiatur vnde si is qui accepit alapam alium fuste percusserit dicitur accepisse iam satisfactionem.

CONCLVSIO PRIMA.

Restitutio, & satisfactio quæ est pars pœnitentiæ conueniunt, genere, pertinentque ambæ ad iustitiam commutatiuam.

PRobatur ratione modò adducta ex D. Tho. Et confirmatur, Ad iustitiam commutatiuam pertinet constituere æqualitatem rei ad rem, sed tàm restitutio in rebus, quam satisfactio in iniurijs vel damnis illatis proximo fit secundum æqualitatem rei, nempè secundum æqualitatem damni vel iniuriæ illatæ, Ergo.

CONCLVSIO II.

Satisfactio & restitutio licèt ambæ pertineant ad iustitiam commutatiuam inter se tamen differunt.

MAgister Soto. & alij DD. innumeras adducunt differentias, sed hæ sunt potissimæ, Prima quę modo adducta est, vt restitutio fit in rebus acceptis, satisfactio iniurijs illatis. Ex quo sequitur, aliquādo vtrā que simul exerceri aliquando verò vnam sine alia, Verbi gratia furatur quis rem cuius expoliatione alter maxima iniuria afficitur & molestia, tenetur fur ad restitutionem illius rei, tum etiam ad satisfaciēdum illi iniurię, vt placandum illū, postulando veniā vel alia via. Similiter potest quis nulla re sublata, aut ita exigua, vt ex tenuitate materiæ non sit furtum, aliquem maxima iniuria, & molestia affecisse, nil tenetur restituere: tenetur tamen satis facere illi iniuriæ, & animum illius iusta molestia affectum placare. Restitutio autem sine satisfactione fieri debet, quando res aliqua sine vlla iniuria domini ablata est. Differunt secundę, quia Deo non potest aliquid restitui, cum omnia ipsius sint, sed fit restitutio solis hominibus. Satisfactio autē, & Deo, & hominibus, cum vtrumque peccator sed peccato iniuria afficiat. Tertiò per restitutionem non remittitur peccatum, sed tantum cessatur ab eo quod quis committebat, detinendo alienum inuito domino, cum possit quis restituere, & non pœnitere, satisfactione autem remittitur pœna debita peccatis, passione Christi vim nostris operibus exhibente. Quartò, satisfactio est opus amici, debet enim fieri ad reparandam amicitiam, quantum ex parte satisfacientis est, restitutio autem non intendit amicitiam, sed solam æqualitatem. Vnde restitutio non exigit illum à quo fit existere in statu gratiæ, & amicitiæ Dei, quia tantum est redditio debiti, satisfactio autem exigit, vt fiat ab homine existente in gratia, & amicitia Dei, quia meritum, & virtus passionis Christi est fundamentum nostræ satisfactionis, opus autem extra gratiam factum nec meritorium est, nec illi accommodatur vis passionis Christi: imò & quando satisfactio fit homini pro iniuria illata, satisfaciens facit quod in se est, vt redeat in illius amicitiam. Quintò, restitutio non est pænitentiæ pars, sed præambulum necessarium: satisfactio autem, quæ fit Deo, est veræ pęnitentiæ pars, & actus, vt est definitum in Conci. Florentino sub Euge. 4. Pręambulum dixi esse restitutionem, idem dico de satisfactione quę facienda est domini, non enim digne ad confessionem acceditur: neque est contritus qui, cum habeat vnde restituat, differt illud in aliud tempus, nec esset hic absoluendus, imò nec audiendus, vt infra dicemus controuer. 13. art. sequen. concl.

Sextò, Restitutio fit ex natura rei, etiam si à sacerdote, non imponatur, satisfactio ex arbitrio confessarij virtute clauium. Denique satisfactio fit etiam in purgatorio, restitutio autem in hoc sęculo, vel ab ipsomet debitore viuente, vel ab hęredibus eius ex ipsius mandato, defunctus etiam iam non dicitur restituere, sed (vt vidimus in articulo de testamentis quæstione vltima, de Dominio) mandans hæredibus ea, ad quæ ipse tenetur, & pœnitens de negligētia sua, discedit liber, & fecit quod in se est, nec tenetur ad amplius, nec detinebitur amplius in purgatorio, quam exigunt pœnæ illi negligentiæ, quam viuens habuit ex diuina iustitia; debite siue hæredes eius diligentes sint in soluendis ijs quæ, ipse mandauit, siue non:

ARTICVLVS II.

Vtrum restitutio rei ablatæ sit de necessitate salutis.

DIuus Tho. statuit in corpore huius articuli duobus modis aliquid alteri esse ablatum, vel iustè, vt cum iusta lege aut iusta sententia aliquis re sua expoliatur, & alteri traditur, aut iniustè, vt cum expoliatur furto vel rapina. Quo posito est.

CONCLVSIO III.

Iustè ablatū nemo tenetur restituere, iniustè verò ablatum necessariò restituendum est.

PRobatur. Iustitia commutatiua est de necessitate salutis & similiter æqualitas quàm ipsa constituit. Psal. 14. [Domine quis habitabit in tabernaculo, &c. qui operatur iustitiam.] Et loquitur de commutatiua. Sequitur enim [Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam nō dedit ad vsuram, &c.] Quæ apertè pertinent ad iustitiam commutatiuam. Restitutio autem est actus iustitiæ commutatiuæ, reficiens inęqualitatem, quę inter ius potest accidere, vbi iustè res ablata est, nulla est inæqualitas, vel iniuria, sed vbi res iniustè ablata est, ergo in ablatis iustè non est necessaria restitutio, sed in ablatis iniustè: vnde volunt aliqui verba illa D. Tho. in corpore artic. [Si verò iustè ablatum sit inęqualitas erit, vt ei restituatur; quia iustitia in æqualitate consistit. Sic legenda esse: Si verò iustè ablatum sit inæqualitas non erit, nec pertinet ad iustitiam, vt id restituatur, quia iustitia in æqualitate consistit.

Circa hunc artic. variæ se offerunt controuersię, quas suo ordine proponemus.

Controuersia Prima.

AN RESTITVTIO SIT in præcepto.

SAcerdotes Græci (vt referunt Guido Carmelita de erroribus Græcorum. Et Alphonsus de Castro, libro de hæresibus, verbo, Restitutio) aliena rapientes non obligabant ad restitutionem, sed simplici oleo illos vngentes absoluebant, ea tantum imposita pœnitentia, vt partem eorum, quæ iniustè acceperant, sibi & Ecclesiæ in eleemosynam darēt, adducti his rationibus.

Primò, Qui habet alienum domino consentiente, vel debente consentire, non tenetur ad restitutionem, sed si quis mea iniustè accepit, postquam etiam illa habet, teneor ego consentire, vt habeat, ergo non tenetur restituere. Maior certa est. Probatur minor: lege charitatis teneor præferre salutem spiritualē proximi meis opibus, exigit autē salus spiritualis eius, qui mea accepit, vt consentiam ipsum illa habere, vt sic desinat esse in peccato, ergo lege charitatis teneor ī id cōsētire.

Secundò, Christus Luc. 11. postquā dixit Pharisæos plenos esse rapina, subiungit: [Veruntamen quod superest date eleemosynam, & omnia munda erunt vobis:] vbi nullam præcipit restitutionem, sed solam eleemosynam, vt Pharisæi mundarentur à rapina, & dolis, quam sententiam amplexus est Erasmus in notationibus istius loci, vsq; ad quartam editionem, ait enim: [Illud annotandum cum prius fecerit mentionem rapinæ, in remedio non fieri mentionem restitutionis, sed tantum pollicetur eleemosyna data omnia fieri munda.] Videns autem se his verbis suspitionem offerre, quod Græcorum errori adhæreret, in quinta editione addit post ista verba: [Sed qui iubetur dare, quibus nil debetur, multò magis iubetur reddere, si quid cui debet.

Tertiò, inter Christianos omnia sunt communia, vt docet D. Clemens, & habetur 12. q. 1. can. dilectissimis, vbi ait: [Communis est Christiani vsus omnium rerū:] Obseruarunt que id Christiani primitiuæ Ecclesiæ, vbi autem omnia sunt communia, nil est restituendum, sicut monachus, qui è rebus communibus monasterij aliquid accipit, non tenetur restituere, tùm quia omnia illa omnium sunt, tum quia restitutio facienda est ex proprijs, & priuatis; monachus autem quicquid acquirit eo ipso iam est monasterij.

Vltimò, ex Christo: Ad salutem duo tantum exiguntur fides, & obseruatio mandatorum, restitutio ad nullum mandatum pertinet, nam si pertineret, maximè ad illud: Non furtum facies; ad hoc tamē non potest pertinere, quia hoc negatiuum est, restitutio autem si sit in præcepto, esset affirmatiuum. Hunc eundem errorē refert D. Aug. in Enchiridion c. 75. habuisse multos suo tempore, existimantes, nec pœnitentiam, nec restitutionem sibi necessariam, etiam si turpissimè, & iniustè agerent, modò aliquas largirentur eleemosynas, quia dixit Christus Pharisæis raptoribus; Date eleemosynam, &c.

CONCLVSIO VNICA.

De fide est, restitutionem rei iniustè ablatæ esse necessariam omnino ad salutem. & oppositum est hæresis contra doctrinam Sacra Scriptura, Ecclesiæ Catholicæ, & Sanctorum Patrum.

PAret, Roman. 8. [Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum, &c.] & nemini quisquam debeatis, Tob. 2. Sanctus ille Tobias cum vocem hædi balantis, quem vxor domum intulerat, audisset, dixit: [Videte ne furtiuus sit, reddite illum dominis suis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere. Ezech. 33. Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerit q; iudiciū, & iustitiam, & pignus restituerit, rapinam q; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, ne fecerit quicquam iniustum, viuet, & nō morietur Leui. 6. Qui vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, aut quippiam simile commiserit, omnia integra primum restituat, mox pro peccato offerat arietem immaculatum.] In quibus locis & similibus non consulitur, sed præcipitur restitutio, & exprimitur apertè, quam necessaria sit ad salutem. Quibus accedit illud Christi, Math. 22. [Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Ratio qua vsus est D. Thom. est efficacissima. Et confirmatur: Præceptum est naturale & diuinum, Non furtum facies, qui autem alienum retinet inuito domino, perinde se habet, ac si furtum faceret, ergo præcepto naturali, & diuino res aliena retinēda non est, sed restituenda. Maior certa est. Minor probatur, illo præcepto iubetur ne fratrem re sua expolies, sed non minus expoliatus manet frater re sua, quando illi non restituitur, quam vbi accipitur, nec minus damnum recipit in bonis, quando retinentur, quàm quando accipiuntur: vnde loco citato Ezech. simul iunguntur ista, rapinam restituere, & nil iniustum facere, quasi dicat non restituentem rapinam, non minus iniustum agere, quam quando rapuit.

Secundò, Prouer. 26. [Qui cum fure participat occidit animam suam] idest, vt exponit Hiero. & habetur extra de fur. c. qui cum fure. [Qui furti conscius est, & quærente possessore non indicat.] Sic argumentor, maior iniquitas est retinere rem iniustè ablatam, quam illam non indicare, hoc autem posterius est graue crimen, & peccatum mortale; ergo & prius.

Tertiò: Præceptum est naturale, & diuinum, Quod tibi non vis, &c. & Quod tibi vis, &c. Sed nullus est, qui velit bona sua sibi iniustè ablata non restitui, ergo qui iniustè abstulit, tenetur restituere. Denique hæc est doctrina communis Ecclesiæ, & omnium Sanctorum Patrum, ac vt talem docet illam D. Aug. Epist. 54. quæ est ad Macedonium, & habetur 14. q. 6. can. si res; [Si res (inquit) aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: quod si verè agitur, non dimittitur peccatū, nisi restituatur ablatum.] Quæ verba D. Aug. vt doctrinam Ecclesiæ amplexum est Concil. generale Turon. citatq; vtrumq; & Concil. & verba Alex. III. cap. cum tu, de vsuris.

Ad solutionem argumentorum, & ad totam hanc materiam de restitutione obseruemus: Cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ constituens æqualitatem inter illum, qui damnum recepit, & eum qui intulit, sicut duobus modis potest pati aliquis damnum in rebus suis, vel quia iniustè ab eo accipiuntur, vel quia eo inuito retinentur, ita quoque posse oriri obligationem restituendi ex duplici radice, vel titulo. Primus est iniusta acceptio, & expoliatio rei alienæ, siue res maneat apud accipientem, vt in furto, vel rapina, siue non maneat, nec in ipsum transeat, vt cū quis comburit alterius domum, vel segetem: Per iniustam enim acceptionem intelligitur omnis actio iniuriosa, per quā infertur damnū proximo, cū peccato mortali: & per quā habet frater, minus quā debet habere, siue alter habeat, plusquam debet habere, siue non, ideo abscissio brachij, combustio domus dicentur in hac disputatione acceptio alieni, quia per tales actus habet frater minus quàm debet habere, etiam si is qui alteri brachium scidit, vel domum eius combussit, non habeat propterea in bonis suis plusquam debet habere. Secundus titulus est res accepta, etiam si non sit à me iniustè accepta, quando iniustè detinetur: vt cum emi aliquid à latrone, quem ignorabam latronem, cum primum noui illud alienum esse, & raptū, & me à latrone illud emisse, teneor restituere non

ratione acceptionis, fuit.n. à me bene acceptum, & iusto titulo nempè emptionis, sed ratione rei acceptæ, quia aliena est, & quæ cum primum noui alienam esse, & raptã à vero domino iustè à me detinetur. Et vtrumque horum prohibetur. 7. mandato, Non furtum facies: quia in eo præcipitur vt nullo modo expoliemus fratrem suis bonis, nec damnum illis inferamus, vt videbimus in materia de furto. Contingere autem aliquando potest, vt vtroque nomine rem aliquam teneatur quis restituere, aliquando verò altero tantum, vt in exemplo adducto, rem furtiuam, quàm latro apud se habet tenetur restituere, & ratione inique acceptionis, & ratione rei acceptæ, quod si illam alteri vendidit, & is bona fide emit. tunc latro tenetur illam restituere, non ratione rei acceptæ, quam iam non habet, sed ratione iniquæ acceptionis: eo verò non restituente ille, qui emit non ratione iniquæ acceptionis, cum bona fide emerit, sed ratione rei acceptæ, cum habeat apud se alienum inuito domino.

Obseruemus secundò acceptionem iustam rei alienę propriè non instituere obligationem restituendi, si nulla culpa & mora interueniat in soluendo, vt cum depositarius adueniente tempore constituto reddit statim depositum, non est propriè dicendus restituere, sed reddere, quia hoc nomen restituere propriè sumptum est idem quod collapsum reficere, deprauatam corrigere, & perditũ reparare. Vndè restitutio propriè sumpta non est quiuis actus iustitiæ commutatiuæ, sed ille solum, quo iustitia quæ de lapsa fuerat reficitur, quæ deprauata corrigitur, quæ perdita reparatur, quando autem res iustè accepta, vt in mutuo, suo tempore, & sine vlla mora domino suo redditur, non fuit collapsa, nec deprauata aliqua æqualitas, & iustitia, dominus illius est propriè restitutus in statum aliquem à quo deiectus esset, cum mutuatarius ipso consentiente toto illo tempore illud apud se habuerit: Et ita vbi non interuenit iniqua acceptio, propriè non habet locum restitutio. Quod rectè expendens. D. Tho. definit illam in hoc articulo, redditionem rei, quæ iniustè ablata est; quod si rem iustè quidem acceptam vltra tempus sibi a domino concessum eo dissentiente quis detineat, & sit in mora, talis detentio (vt docet idem D. Tho. infra q. 66. art. 3. est velut quædam acceptio rei alienæ, & peccatum, cum similiter noceant qui alienum retinet domino dissentiente, & qui alienum accipit, Vnde colligere licèt, quam formaliter, & propriè loquutus sit D. Tho. in conclusione, asserens restitutionẽ rei iniustè ablatę esse de necessitate salutis, cum ad salutem necesse sit, & iniustè accepta, & iniustè retenta, restituere: quod verò iustè detinetur non restituere, nulla est iniquitas aut peccatum.

Nunc ad argumenta in oppositum.

Ad primum respondeo, argumentum illud peccare in multis, Primò asserens dominum rei debere consentire ne fur maneat in peccato, quia præferenda sit salus spiritualis proximi proprijs bonis. Nam propositio ista, salus spiritualis proximi præferenda est proprijs opibus, intelligitur, quando opes meæ sunt necessariæ simpliciter, ne ille peccet. non tamen quando sunt necessarię ex malitia alterius nulli enim debet sua malitia suffragari. Dicat quis, suspendam me, nisi dederis mihi centum, non teneor dare cum liberè possit ab illo malo se eximere, sicut iudex potest suspendere latronem, qui non vult sacramentaliter confiteri, cum illum admonuerit, quia damnum illud spirituale latronis malitiæ ipsius non iudici tribuendum est. Peccat secundò, quia, etiam si dominus deberet consentire, non ex eo sequitur, latronem posse retinere, non enim habet eandem vim, neque semper est æque efficax voluntas debita, sicut voluntas elicita, & expressa: diues enim habens superflua statui debet velle dare grauiter indigenti, nõ tamen põt grauiter indigens a tali diuite accipere, nec retinere, sed tenebitur illi restituere, sic in casu proposito, vt optimè docet, probatque multis exemplis Medina Cod. de rebus rest. quæst. 2. circa finem.

Ad secundum, in quo est maxima difficultas propter verba Christi, Obseruemus verbum date, quo vtitur Lucas, in suo fonte propter homonomiam vocis didote Græce, esse anceps, & ita significare posse vtrumque, datis, vel date. Erasmus, quem sequuntur Caie. & multi legunt, datis. Etenim cũ Pharisæi inter alia vitia hoc habuerint, vt putarent, sicut Græci, rapinas, & furta data aliqua eleemosyna mundari, hoc reprehendens Christus ait. Væ vobis Pharisæi, qui cũ raptores, & qui inquisitis, datis aliquas eleemosynas existimantes ea ratione vos saluos manere.

Si verò legatur, date, vt habet verbo vulgata, cui stãdum est, hunc locum D. Basil. interrogatione: 271. D. Augu. in Enchirid. c. 73. Chysost. hom. de diuite epulone: Greg. ibidẽ & omnes Veteres ita exponũt, vt quemadmodum Dan. 4. quando dixit Daniel [Peccata tua eleemosynis redime. Nõ docuit solam eleemosynam sufficere, sed valere illam plurimum adhibitis alijs operibus pœnitentię, iustitię, & virtutum, quæ sunt in pręcepto, & quando Christus dixit. Dimittite & dimittetur vobis, non significauit sola dimissione iniuriæ acceptæ peccatorem iustificari sine pœnitentia, & alijs virtutibus, cum ipse peculiariter de pęnitentia dixerit. [Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: sed significauit plurimum valere dimissionem iniuriæ ad obtinendam veniam suorum delictorum, ita hoc loco Christus, cum duo mala exercerent Pharisei, primo, namque nocebãt proximis, secundo propriam maculabant conscientiam, ad quam mundandam vtebantur tot lotionibus manuum & valorum, Christus prius illud dimittit tanquam certissimum, vt damnum proximis illatum restituerent, agitque de secundo, de quo ibi propriè sermonem instituerat, vt ex pręcedentibus patet, nempe de vera munditia ac vt doceat illam non haberi per externas illas cæremonias & lotiones, sed per opera pietatis, & misericordiæ, ait, [Date eleemosynam, & omnia munda erunt vobis, quasi dicat, his operibus mundanda conscientia est, non istis lotionibus manuum.

Recentiores aliqui putant hunc sensum optimum quidem, sed non multum conuenire textui, quia, cum instituat Christus eo loco acriter obiurgare Pharisęos, & docere quam plena vitiorum esse illorum vita, videtur alienum ab hoc instituto, vt in medio orationis cursu sisteret, & admoneret, vt eleemosynę sua peccata mũdarent. Primo quia id minueret reprehensionis dignitatem, & vim, cũ ipsemet, qui tàm acriter illos arguebat ostenderet statim, quàm facili medio possent illa deleri. Secundò, quia finis repræhensionis illius erat, vt Pharisæi, si velint oculos aperire, suæ perditionis pondus, & grauitatem, agnoscerent, cui fini certè repugnasset nocere tunc eleemosyna omnia purgari, dicerent enim non sunt adeò nociua nostra crimina, si tam prompto remedio illis mederi possumus. Tertiò, & si consilium vel præceptum de eleemosyna adeò sanctum sit, in medio tamen illius obiurgationis illud proponere esset occasionem offerre. Pharisæis, vt confirmarentur in sua falsa opinione, simili errori Græcorum, quem retulimus, Vnde isti vocem, date, non intelligunt affirmatiuè, vt sancti Patres, sed ironice. quasi dicat Christus. Væ vobis Pharisæi raptores, iniqui, verũtamen date eleemosynam, & erunt omnia vobis munda, vt existimatis: quasi dicat, date nunc, & agite quæ soletis vestro errore deceptio aliquando videbitis quam iniquum hoc sit, Quemadmodum Ecclesiastes pęnult. co. vbi Salomon iuueni opibus & ætate lasciuo ait ironice, & per tropum, [Lætare iuuenis in adolescentia tua, & ambula in vijs cordis tui & in intuitu oculorum tuorum, nõ præcipit ibi iuueni, vt id voluptatibus, & delitijs se

exer-

[illegible] in quæ ætas illa (si a Floriè fertur) de pœna est ... ironicè loquens ab illis iuuenem isto modo; & figurata loquutione dehortatur; q.d. puerilis ætas, tibi lætandum, & carni indulgendum, nec vlla vertenda ratione tuæ ætatis, bene quidem, tu... tare, age, quod vis, &c. Aliquando experieris quantæ deciperis. Vnde subiungit: [Et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.] quasi dicat; scies aliquando, quanta mœror, & quot mala volu... ptates istæ sequantur. In quo etiam sensu dixit Christus Iudæ: [Quod facis, fac citius:] q.d. si dicere, nolui quid facere instituas, feci quod in me est, vt a te compro... desisteres, sed tenuis, & facere vis, fac citius, fac ex po... tiore eo facto quod tibi decernes.

Est quidem optimus etiam hic sensus, & quemcunque sequamur, manet dilutum argumentum Græcorum. Interim expositionem SS. Patrum potissimè amplectorum, nam eo loco (vt dixi) præcipuum institutum Christi fuit docere quantum errarent Pharisæi putantes munditiam internam animi haberi illis lotionibus externis, & quia hoc erat præcipuum institutum; siluit de restitutione eorum, quæ iniquè accipiebant, verum certissimum, tantumque docuit munditiam animi per opera misericordiæ parari; in quibus illi erant valentes, ideo toti illis proposuit parabolas de misericordia in pauperes; ideo recensens vltimum iudicium non meminit nisi operum misericordiæ, cum tamen ibi omnia merita iustorum, & omnia peccata iniquorum sint propalanda. Docuit ergo ibi Christus, quod faciebat ad suum institutum alijs omissis, quamuis necessarijs; aliter enim hoc argumento probaretur, nullum præceptum Decalogi esse necessarium præter eleemosynam. Meritoque omisit, tunc quæ ad restitutionem pertinebant, tam quia aliud erat eo loco ipsius institutum, tum quia restitutionis necessitas, cum ex præmissis principijs apertissimè sequatur in bona, & eminenti conscientia omnibus erat perspicua. Vnde Zachæus Luc. 9. [Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquid defraudaui, reddo quadruplum, &c.]

Argumenta istorum recentiorum contra communem SS. Patrum expositionem nullam habent vim: est enim Sacræ scripturæ consuetudo, cum oporteat bonis ... vnà cum timore habere spem, quia timor solus ... ad desperationem, spes sola in audaciam, vt simul timeant & sperent, reprehensionibus & cum comminationibus, quasi propositis, miscere, vel aliquod bonum nuncium, vel aliquod remedium contra peccatum. In Genes. 3. inter verba quibus Deus sententiam contra primum parentem protulit, miscuit illud felicissimum nuncium de incarnatione Verbi: [Inimicitias ponam inter te, & mulierem,] Mich. 9. post multas comminationes miscet propheta illud lætissimum vaticinium de ortu Christi: [Et tu Bethlaem terra Iuda, &c.] Oseæ 13. cum incepisset ab aspera illa comminatione, [Pereat Samaria, &c.] statim subiungit verba Dei remedium offerentis, [Conuertere Israel ad Dominum tuum, &c. Ioel 2. cum multa mala minetur illa dominus populo suo per exercitum Assyriorum, in medio orationis remedium illis offert, [Conuertimini ad me (inquit) in toto corde vestro, in ieiunio, &c.] simile habetur in alijs innumeris locis Sacræ Scripturæ.

Ad tertium constat ex ijs, quæ diximus quæst. 12. de dominio necessarium fuisse crescente numero hominum in mundo, & crescente numero fidelium in Ecclesia distinctionem dominij, licèt in primitiua Ecclesia, quando pauci erãt fideles, fuerit commodum, vt, qui conuertebantur omnia deferrent ad pedes Apostolorum, de quibus loquitur D. Clemens ... illo Dilectissimis. De religiosis dico eos, qui nil omnino habent cum superiorum licentia ad suos priuatos vsus, si quid ex communitate incipiant, non tenentur restituendi, quia non habent vnde restituant: illos verò, quibus à suis superioribus aliqua conceduntur ad eorum vsus, quia circa illa habent se, sicut domini, non quo ad possessionem, quia nil potest religiosus possidere, sed quo ad vsum, ex illis sibi quo ad vsum concessis teneri ad restituendum communitati, quæ ab illa iniquè acceperint.

Ad vltimum. Hoc argumentum exigit videamus, sitne aliquod præceptum de restitutione, & quale illud sit, nam licet constet, restitutionem esse necessariam ad salutem; non statim sequitur esse aliquod præceptum de illa: gratia enim necessaria est ad salutē, non tamen est aliquod speciale præceptum de ipsa. Dico igitur primo esse aliquod speciale præceptum de restitutione, patet; Actus specialis virtutis necessariæ ad salutem cadit sub aliquo speciali præcepto, restituere est actus specialis alicuius virtutis, nempe iustitiæ, commutatiuæ, & necessarius ad salutem, ergo cadit sub speciali præcepto. Minor constat ex præcedenti art. & præsenti. Maior est D. Tho. in hac 2. 2. q. 2. art. 5. hac enim ratione probat esse aliquod speciale præceptum de fide, quia credere est actus specialis virtutis necessarius ad salutem, Estque commune axioma Theologorum: Præcepta dari de actibus virtutum, & specialiter.

Secundò omne peccatum mortale est cõtra aliquod præceptum ex definitione ipsius peccati, dictum, factũ, vel concupitum, &c. sed non restituere est peccatum mortale: existens enim in gratia, (vt videbimus art. 8.) si tempore quo debet restituere, non restituat, cadit a gratia: ergo restitutio cadit sub aliquo præcepto.

Dico secundò, præceptum restituendi esse affirmatiuum implicans, & includens in se negationem, qua prohibemur rem alterius detinere. Prior pars, quod sit affirmatiuum, patet: Præceptis affirmatiuis præcipiuntur actiones bonæ, & virtutum, sicut negatiuis prohibentur actiones malæ, & vitiorum, sed præcepto restituendi præcipitur actio bona nempe reddere iniustè acceptum domino suo, quæ redditio est actus virtutis, nempe iustitiæ commutatiuæ, ergo. Et confirmatur aperte in primis ex forma, & verbis, quibus hoc præceptum proponitur: [Reddite (inquit Apost.) omnibus debitum.] Quæ verba affirmationem continent. Secundò, quia soluitur hoc præceptum per omissionē, quod est proprium præcepti affirmatiui. Secunda pars, quod contineat, & includat in se illam negationem, etiam patet, nam eo ipso, quo præcipimur restituere, prohibemur retinere alienum: Et ita qui præcipit hanc affirmationem, restitue, simul præcipit hanc negationem, ne detineas alienum. Vnde Pau. vtrumq; simul docuit, coniunxit enim: [Reddite omnibus debitum, & nemini quidquam debeatis:] Et Ezech. c. illo 33. [Si rapinã reddiderit, si nil iniustum fecerit.] Ex his dico hoc præceptum restituendi pertinere ad septimum: Non furtum facies, quia in illo, vt benè docet D. Thom. art. 8. huius quæst. prohibetur omne nocumentum in bonis proximi: Et detinere alienum eandem rationem nocumenti habet, quam accipere; vnde cum præcepto restituendi prohibeatur hæc detentio alieni, agit contra istud septimum præceptum, qui non restituit.

Ad arg. autem ibi positum dico, præcepta purè affirmatiua non reduci ad negatiua, præceptum autem affirmatiuum includens in se negationem pertinere ad illud Decalogi, ad quod pertinet talis negatio: Vnde cũ in præcepto septimo dicatur: non detineas alienũ, quæ negatio includitur in restitutione, consequenter præceptum restituendi reducitur ad septimum.

Sed obijcies, præceptum negatiuum obligat semper, & pro semper, præceptum restituendi non obligat pro semper, sed quando fuerit occasio, & opportunitas; vt videbimus, ergo. Respondeo, purè negatiuum obligare pro semper, hoc autem præceptum restituendi, cum sit affirmatiuum includens negationem, qua affirmatiuum est, & dicit actionem, non obligare nisi vbi fuerit opportunitas, qua verò includit negationē obligare pro semper, idest, vt bona aliena, nunquã detineamus,

neamus, sed secundum animi præparationem habeamus hunc actum, alienum quod detineo, quamprimũ potero, iuxta obligationem conscientię restituam, quę animi præparatio, vt videbimus habenda est semper, & exequutioni mandanda, cum primum opportunitas fuerit, sub mortali.

Explicata necessitate restitutionis à D. Tho. in corpore huius articuli, docet in solutionibus argumentorum, qua ratione sit faciẽda restitutio in singulis damnis, tàm corporis, quàm honoris, & famæ, tàm in priuatis opibus, & diuitijs, quàm in communibus, quando malè distribuuntur quibus, ne quid in tactum prętermittamus, adijcienda etiam sunt damna spiritualia animæ.

De singulis suo ordine videamus, & primo de spiritualibus. Vnde sit.

Controuersia Secunda.

AN QVI NOCET PROXIMO IN SPIritualibus inducens illum in aliquem errorem, vel peccatum, teneatur ad aliquam restitutionem illi faciendam.

SCotus in 4. dist. 15. q. 3. art. 1. Richar. eadem distinct. art. 4. q. 2. Palud. ibidem, Syluest. verbo Restitutio 3. §. 5. Adria. in suo. 4. tit. de Restitutione volunt inducentem aliquem ad peccatum rogatu, ad hortatione, instigatione, vel exemplo teneri non solum ex charitate, verum etiam ex iustitia propter damnum illatum ad retrahendum illum à peccato, nec solum sua correctione, verum etiam adhibendo quæcunque poterit media, idest curando vt alij quoque pro ipso orent, ipsumque corripiant.

Probant, Qui lædit fratrem in temporalibus bonis tenetur ad restitutionem propter nocumentum quod intulit, sed bona animæ sunt præstantiora temporalibus, maiusque nocumentum infert qui in illis nocet, quàm qui in temporalibus, vt docent apertè D. Greg. 6. q. 1. cãn. Ex merito. Et D. Anacletus eodem loco can. Deteriores. vbi habet vterque. ¶ Deteriores sunt qui vitam, moresque corrumpũt, vijs qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. quibus subscribit D. Aug. primo Retract. ergo.

Secundò, qui propinat alicui venenum, quo læditur bona eius valetudo, tenetur ex iustitia curare quantũ potest, vt ab illo liberetur, & damnum illatum resarcire, qui inducit ad peccatum non minus nocet. quàm propinans venenum, ergo tenetur ex iustitia curare quantum poterit, vt liberetur ab illo malo statu.

Tertiò, Pręlati tenentur ex officio, & iustitia bonum spirituale suorum subditorum curare, ergo hi saltem si inducant suos subditos ad peccandum, agunt contra iustitiam, tenebunturque non solum ex charitate, verum etiam ex iustitia reficere damnum illud, curando omnibus vijs suorum conuersionem & emendam.

Vltimò, qui suadet aliquam hæresim, vel docet aliquem errorem, omnium consensu tenetur illos, quos ita docuit dissuadere omni via qua poterit, ergo similiter qui induxit ad peccatum tenebitur ad hanc satisfactionem, vt curet omni via illius emendam. Addit Adria. nec posse homines remittere satisfactionẽ damni spiritualia, quia nullus præter Deum est dominus suæ gratiæ, charitatis, & virtutum.

D. Tho. in hoc art. aut in tota hac materia de restitutione non meminit huius restitutionis faciendæ pro damno spirituali, in disputatione autem de correctione fraterna nullam aliam obligationem assignant ad curandam salutem fratris, præter eam, quæ ex charitate, nec distinguit inter fratrem peccantem sua tãtum voluntate, & eum qui peccauit alterius suasione, sed de omnibus loquitur similiter, & indifferenter. Vnde omnes ferè discipuli. D. Thom. inducentem alium ad nullam obligant satisfactionem ex iustitia, sed ad solam correctionẽ, ad quam tenemur ex charitate, quãuis fateantur in hoc casu illum, qui induxit alium, teneri aliquo vinculo maiori charitatis, quam teneretur, si non induxisset.

Sequitur eandem sententiam Soto, vt communem inter Thomistas, habet tamen multa correctione digna. Dicit enim primo, illum qui inducit alium ad peccandum ex odio vel Dei, idest vt Deus offendatur, vel proximi, vt cadat à gratia grauius peccare eo, qui alium occidit, quia maius est tale nocumentum in anima quouis homicidio. Eum verò qui inducit alium ad peccandum non ex odio, sed ob suum commodum vel voluntatem, leuius peccare eo, qui furatur bona aliena: quia hic cum accipiat inuito domino, infert illi damnum, & iniuriam, qui verò inducit ad peccandũ ob voluptatem, non infert iniuriam, cum alter volens peccet. Dicit secundo eum, qui fraude vel vi compulit alium ad peccandum, teneri ad aliquam restitutionem, hoc modò, vt qui induxit fraude proximum suadens illi, illud non esse peccatum, teneatur se ipsum retractare, & admonere fratrem, quem decipit fraude, illud esse peccatum: Qui autem induxit vi, minis, vel metu, teneri ad dimittendum illum liberum & extra omnem vim, & metum, vt possit resipiscere, non tamen teneri ex iustitia, sed ex sola charitate ad curandum illius emendam, cum iam sit in facultate ipsius relicti in sua libertate resipiscere, quod si nolit, sibi imputatur: vt qui rapuit bona, si illa libera dimittat coram domino, non tenetur ad amplius; nec debet illi suadere, vt accipiat. Et confirmatur, quia si quis vi, & metu mortis virginem induxerit ad stuprum, non tenetur. ex ipsa lege Dei, Exod. 22. nisi aut illam dotare, aut vxorẽ ducere, nec precipitur, vt curet eã emẽdare.

Hæc, pace quod tanti Doctoris, & de scholis tam bene meriti dicamus, indigent aliqua correctione. Nam primum illud inducere aliquem ad peccatum quocunque fine fiat esse grauius peccatum homicidio voluntario, est contra communem Theologorum sententiã, asserentium omnium inter peccata, quæ sunt contra proximum omnium maximum & grauissimum esse homicidium voluntarium. Secundò, inducentem alium ad peccandum mortaliter leuius peccare fure rapiente bona temporalia, ita dictum, & nullo alio addito, est apertè, contra doctrinam sanctorum Patrum, vt patet ex adductis in primo argumento prioris opinionis. Tertiò, peccat Soto non distinguens inter illum qui inducit multis suasionibus ad peccandum eum qui nõ erat paratus, nec tale habebat in animo, vt qui inducit mulierem honestam ad fornicandum, & eum qui inducit illum qui iam paratus erat, & expositus, vt qui inducit meretricẽ: inter hos enim necessario distinguendum est, nam hic secundus vnicum tantum peccatum committit contra Deum, nempè fornicationem, ille vero prior peccauit contra Deum sua fornicatione, & contra proximum inducendo ad peccatum eum, qui tale, non instituebat, quemadmodum qui accipit ab vsurario, qui paratam habet & expositam pecuniam ad vsuram, non peccat, qui verò inducit alium qui tale officium non exercet, vt det sibi ad vsuram, peccat grauiter, vt videbitur.

Quartò peccat asserens eum, qui vi vel metu induxit alium ad peccandum, ad hoc solum teneri, vt illum dimittat liberum, vt liberè, si velit, possit resipiscere, ex iustitia autem non teneri ad curandum illius emendam: hoc est apertè falsum, nam vbi vis, ibi iniuria, vbi iniuria, & iustitia, ibi & vinculum restitutionis, vnde à primo ad vltimum, qui vi alium induxit, tenebitur ad aliquam satisfactionem, Exemplum autẽ quod adducit de eo qui dormierit cum virgine, ipsi repugnat: Primò, quia ibi non est sermo de stuprante virginem vi, & metu illato, sed simpliciter, & ea consentiente, quoniam

illata

illata vi virginem corrumpebat, præcipiebatur in lege occidi. Secundò, quia ibi apertè præcipitur satisfactio ad bonum illius, nempè vt illam ducat, vel docet vt nu bat alteri, & via illa sic corrupta honestè viuat. Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus primò, Bifariam posse aliquem induci ab alio ad peccandum, vno modo præcibus, vel suasionibus sine vlla fraude, vel violentia. Secundo modo, per fraudem, vel violentiam, per fraudem, decipiendo illum, & docendo falsum, ita vt ille credat non esse peccatum vel errorem, quod reuera peccatum est, & error: per violentiam, si aliquam inferat vim vel metum vt alter peccet, vel maneat in peccato.

Obseruemus secundò, plurimum differre grauitatē peccati, & vinculum restitutionis, grauitas enim peccati sumitur ex multis radicibus, ex obiecto, ex malitia peccantis, ex damno quod infert, quo fit vt in peccatis quæ respiciunt proximum, illa sint grauiora, quæ maius damnum inferunt imò sæpè peccatum aliquod, etsi subiectum sit dignius, est leuius ratione minoris damni, quo nomine affirmant Theologi maius peccatum, & grauius esse homicidium blasphemia, quia licèt obiectum blasphemiæ sit dignius, damnum tamen quod infert homicida est adeò graue, vt homicidium sit grauius peccatum blasphemia, vinculum autem restitutionis sumitur etiam ex damno, non quouis, sed in tali illato: Est enim restitutio rei iniustè ablatæ, & actus iustitiæ oppositus semper alicui iniustitiæ: Vnde vbi non est iniuria neque iniustitia, neque vinculum, & obligatio restituendi.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui inducit alium ad peccandum ex odio, & malitia in Deum, vt Deus offendatur, grauius peccat, quàm si com mitteret homicidium, qui autem inducit ex odio, & malitia in proximum, vt frater cadat à gratia, minus peccat quàm qui committeret homicidium.

QVod est contra Sotum. Probatur prior pars. Talis inductio est actus elicitus procedens ab odio Dei, odium Dei est grauissimum peccatum inter omnia, & grauius homicidio, ergo talis inductio erit grauior homicidio: præmissæ sunt certissimæ: consequentia patet, quia actus imitantur naturam, & rationem formę, & principij, à quo eliciuntur. Probatur secunda pars, qui occidit alterum est efficax, & totalis causa mortis illius, qui verò inducit ad culpam, non est totalis nec efficax causa peccati illius, in bonis enim animæ nullus læditur nisi à se ipso, & nisi volens, ergo peccat grauius prior ille.

Secundò, in peccatis quę respiciunt proximum illa sunt grauiora in quibus reperitur maius damnum, occidens aliquem corporaliter infert illi damnum irreparabile in corpore, & exponit illum miserum damno etiam irreparabili in anima, cum possit occidere eum in peccato quod est valde contingens, qui verò inducit ad peccandum, etsi inferat damnum graue in animo, est tamen reparabile, potest enim reparari libere per pœnitentiam, & eo ipso censendum minus damnum eo quod omnino irreparabile est.

Tertiò, si inducere aliquem ad peccatum mortale esset grauior culpa, quam homicidium, quia ille nocet in anima, hic in corpore & maius est nocumentum animæ quàm corporis, sequeretur ex ista opinione inducere vnicum hominem ad peccatum esse grauius, quàm committere mille homicidia, quia maius nocumentum est quod infertur in vna anima, quàm in mille corporibus, præstat enim vnica anima mille corporibus, multoque preciosior est vita spiritualis vnius animæ, quàm millæ vitæ naturales: Imò, & grauius esset inducere ad vnum peccatum veniale, & quàm committere homicidium quia maius damnum est, & maior iactura vel vnicum peccatum veniale quam mors corporis, qua de causa dicitur non esse peccandum venialiter, nec pro vita totius mundi.

CONCLVSIO II.

Qui inducit ad peccandum meretricem aut alium iam paratum, & expositum ad malum leuius peccat, quàm qui rapit alienum qui verò inducit mulierem honestam, & virginem aut illum qui nil tale habebat in animo, imò studebat virtuti, grauius multò peccat, quàm rapiens bona illius.

PRior pars patet: quia in illo casu talem inducens, cum iam esset paratus, exiguum, & ferè nullum damnum illi infert, rapiendo autem bona alterius damnum illi infert.

Secunda pars quæ est contra Magistrum Soto: Probatur, Qui grauius nocet proximo grauius peccat, sed virum studiosum, mulierem honestam maximè virginem à virtute retrahere est grauissimum nocumentum, & cui nullo modo æquantur bona temporalia, ergo grauius iste peccat: Et hoc apertè docent testimonia sanctorum, & argumenta adducta pro opinione Scoti. Et confirmatur: Scandalum grauius peccatum est quam furtum, nullibi enim legitur de fure, quod dixit Christus de scandala feminante, & inducente viros probos ad peccandum. [Væ mundo à scandalis: & melius erat homini illi, si natus non fuisset,] vbi, vt obseruant Chrysost. & alij DD. eodem modo loquutus est Christus de scandalizante, quo de Iuda proditore. Et 2. Reg. 12. peccata quæ commisit Dauid contra Vriam, quam primum pœnituit condonauit dominus: occasione aũt, quam en facto obtulit inimicis blasphemandi nomen domini, puniuit morte filij recenter nati.] Veruntamen inquit, quia fecisti inimicos blasphemare nomen domini, filius qui natus est tibi morietur.

Nec habet aliquam vim ratio Magistri Soto, fur nocet domino inuito, inducens ad peccandum domino consentiente, consentienti autem non fit iniuria, ergo. Respondeo enim, etsi in modo actus maior fit iniuria in furto, quam in inducendo ad peccatum, in actu tamen ipso quoad effectum damnum spirituale esse adeò graue, vt grauius quoque peccet qui inducit, quā qui furatur. Tum etiam quia & voluntati illius qui virtutem diligebat, iniuria illata est, dum improbis persuasionibus adductus est ad peccandum, quamuis enim postquam persuasus est, liberè consentit, at cum nil tale in animo haberet, dum adducebatur improbis persuasionibus, grauis iniuria illius voluntati fiebat.

CONCLVSIO III.

Qui inducit alterum ad peccandum fraude, vel vi, & metu, tenetur ad hanc restitutionem, vt quem induxit fraude decipiendo illum, admoneat, & doceat de veritate, ab eo autem, quem vi vel metu, auferat illam vim, & metum, relinquatque liberum, vt possit liberos resipiscere.

PAtet, Qui ita inducit alium ad peccatum inducit cum iniuria, & iniustitia, quia fraus, & vis sunt contra iustitiam, & commutatiuam, huic iniuriæ, & iniustitiæ opponuntur hi actus, deceptioni, & fraudi explicatio veritatis, vi, & metui plena libertas, ergo tenetur quem decepit docere, quem vi, & metu compulit relinque liberum.

Vnde hæresiarcha, & qui disseminauit aliquos errores, tenetur illos retractare, lector qui aliquid falsum docuit, tenetur ex iustitia docere verum, & palinodiam recantare, medicus qui aliquod medicamentum nocium consuluit, si maliciosè, statim, si ignoranter, quam primum id intellexerit tenetur oppositum suadere, & date operam, ne sumatur illud medicamētum, quod

quod si hoc teneat, & habeatur ignarus, & periclitetur eius fama, & opinio, peccat grauissimè contra iustitiam,& tenebitur reficere omnia damna illata.

Contra hanc conclusionem est argumentum.Si quis sine fraude, & dolo ex ignorantia inuincibili decipiat alium in rebus grauissimis fidei non tenetur ad aliquã restitutionem,ergo neque qui deceptum fraude. Consequentia patet, quia obligatio restitutionis nascitur ex damno illato, vterque horum infert idem damnũ, si ergo prior non tenetur neque posterior. Antecedens verò ita probo, si teneretur, aut ratione iniustæ acceptionis,aut ratione rei acceptæ, at nullo istorum modorum, non primò, quia vbi agitur ex ignorantia inuincibili, illa excusat ab omni iniustitia, & iniuria formali, vt supra vidimus. Nec secundò, quia nil manet apud decipientem. Et confirmatur, si quis inculpabiliter omnino,& sine vllo peccato domum alterius comburat,ad nullam tenetur restitutionem; quia sine vlla culpa sua id fecit,& nil manet apud ipsum.Ad hoc respondetur, istum quamdiu inuincibiliter, & inculpabiliter ignorat,se errorem persuasisse,non teneri ad aliquid ratione ignorantiæ inuincibilis,quæ illum excusat, quam primum autem id nouerit, teneri, quia, quam primum id nouit,iam lædit, & cõsentit in damnum illius,cum enim actio,& passio fiat simul, quamdiu durat in illo decepto error, actio huius qui decepit manet in suo effectu,nã non erat iniuriosa ob ignorantiam inuincibilem,ea verò cessante,iam fit iniuriosa,& ita tenebitur illam reficere admonendo illum,sicut qui comburit domum, quamuis inculpabiliter id à principio fecerit,si tamen durat ignis, quam primũ id nouit,tenetur quantum poterit dare operam extinctioni illius.

CONCLVSIO IIII.

Qui sine fraude,aut vi inducit alium ad peccatum,quo nulli alteri nocetur contra iustitiam, non tenetur ad aliquam restitutionem illi faciendam, nec ad procurandam illius emendam ex iustitia,sed tantum ex charitate, sicut tenetur in cæteris peccatoribus.

Probatur primò: Vbi nullus est dolus,aut vis, scienti & volenti nõ fit iniuria, qui ita inducitur ad peccandum est sciens extra omnem dolum, quia non decipitur ab inducente,& volente liberè, & sine vlla vi, vt supponimus,ergo nulla ipsi fit iniuria, vbi autẽ non est iniuria, nec iniustitia, non habet locum obligatio restitutionis, Ergo.

Secundò, si quis meis persuasionibus extra omnem fraudem & vim dissiparet bona sua, aut mihi prodigè daret illa, nil teneter illi ex iustitia restituere,quia dedit illa,quorum erat dominus sua sponte, & nullã ego ipsi intuli iniuriam,aut iniustitiam, sed homo est dominus suorum bonorum spiritualium, quia sua dispositione,& industria ea acquirit etiam si à Deo, vt efficiente & auctore accipiat (vt vidimus in disputatione de dominio)prodigit autem ea sua sponte,& volens,quia peccatum,ideo peccatum, quia voluntarium, & sine vlla iniuria a me ipsi illata, quando illum sine vi & dolo induco ad peccandum, ergo ex iustitia non teneor aliquam in his facere ipsi restitutionem.

Tertiò, si cui iniustè aliquid abstuli, & ipse deinde consentit,& condonat,non teneor aliquid restituere: sed inductus à me ad peccandum,quem non compello vi,aut dolo in suo peccato permanere,sed manet liber in illo sciens & volens, eo ipso consentit, & condonat,cum sit liber & velit permanere in peccato,à quo liberè potest exire, ergo non teneor ad aliquid erga istum ex iustitia.

Denique de regulis iuris in sexto,cap.Nullus.docetur apertè,Neminem ex consilio quod fraudulentum non sit alicui restitutioni faciendæ illi, cui consilium dedit obligari.

Dixi in hac conclusione inducentem ad peccatum, quo alteri non nocetur contra iustitiam, nam si quis inducat alium ad furtum,vel homicidium perpetrandum,vel comitetur ipsum in illo actu, perinde tenetur ad restitutionem damni illati,sicut qui intulit,qoia cõtra illum coi damnum illatum est omnes isti agentes, consentientes,consulentes,iuuantes,& concomitantes agunt contra iustitiam, & sic omnes isti tenentur ad reficiendum damnum illatum.

CONCLVSIO VLTIMA.

Qui paratum ad peccandum inducit ad actum peccati non tenetur ad curandam illius emendam maiori vinculo charitatis, quàm aliorum, qui verò non paratum ad peccandum induxit,vt virginem,aut mulierem honestam, tenetur maiori vinculo charitatis curare, vt emendetur, hic, quàm alij.

Patet: quia illi parato ego nullum ferè damnum intuli,ei verò qui non erat paratus,etsi non fecerim iniuriam formaliter,quia peccauit sciens & volens, feci tamen reuera & moraliter iniuriam maximam,quia damnum intuli,etsi non vt totalis causa, tamẽ vt concausa,quæ culpa certè ad aliquid me obligat erga hũc, ad quod non teneor in cæteris, non ex iustitia, sed ex maiori vinculo charitatis. Vnde est argumentum. Ad aliquod teneor erga illum,cui damnum intuli,vel affeci iniuria saltem materialiter, ad quod non teneor erga illum, cui nullum ferè damnum intuli neque vllo modo affeci iniuria, sed ad illum quem non induxi teneor communi lege charitatis,ergo & ad illum,quem, cum non esset paratus, induxi, & cui verè nocui cum in iniuria saltem materialiter,tenebor cum maiori vinculo charitatis.

Ad argumenta in oppositum.

Ad primum respondeo,illa ratione probari,grauius peccare inducentem alium ad peccandum, quàm furem,quod nos etiam dicimus in secunda conclusione, obligatio autem restitutionis non nascitur ex grauitate peccati,sed ex iniuria & iniustitia qua nocetur proximo,fur enim etsi leuius peccet,nocet tamen cum iniustitia,& ita tenetur restituere,inducens verò ad peccatum nocet grauius,non tamen cum iniuria, vbi non est dolus aut vis,& ita non tenetur.

Ad secundum respondeo, propinantem venenum teneri ad restituendum, quia facit iniuriam, etiam si accipiens venenum consentiat,quia homo non est dominus vitæ suæ corporalis,inducentem autem ad peccandum non teneri, quia homo est dominus suæ gratiæ & charitatis,& potest illa prodigere sine iniustitia, est quo fit vt suadens illum ad peccandum sine vi & dolo,non peccet contra iustitiam.

Ad tertium dico ita esse, prælatos ex officio teneri ad illam correptionem: vnde prælatus inducens subditum ad peccandum agit contra charitatem & iustitiam,teneturq; ex charitate & iustitia illius emendam curare,quia hoc illi incumbit ex officio. Dices, si Rex consulat suo ciui,vt dissipet bona sua non tenetur restituere,ergo nec prælatus. Respondeo differre ista, nã Rex non tenetur ad custodienda bona ciuium,sed pur gandam tantum Rempub.à latronibus, vnde si in hoc esset negligens, & eius culpa abundarent latrones bona ciuium rapientes,teneretur Rex,vel Princeps illius Reip.ad bona illa restituenda suis ciuibus, ad aliud verò non tenetur: at prælatus tenetur ex iustitia ratione sui muneris & officij ad curandam salutem suarum ouium ne peccent,vel alicui subiaceant scandalo, & si quis illorum cecidit,vt resurgat.

Con-

Controuersia Tertia.

AD QVID TENEATVR QVI RETRAHIT *aliquem à religione, ne illam ingrediatur, vel profiteatur: tum etiam qui monachum professum extrahit à suo conuentu.*

SCotus, Richardus, & Palud. locis præcedenti quæstione citatis Ioan. Maioris in 4. dist. 15. q. 17. quos sequitur etiam D. Anton. parte 2. tit. 2. ca. 2. volunt, illum qui retrahit volentem animo deliberato ingredi religionem, aut si ingressus est, habentem firmum animum permanendi, & profitendi debere ex iustitia conari omnibus vijs, vt redeat ad illã religionem, quod si non valeat hoc illi persuadere, debere inducere alium similem ad ingressum illius religionis, quod si id nequiuerit, debere ipsum religionem illam suscipere, vt sic satisfaciat in integrum damno, quod illi religioni intulit, priuando eam illo monacho: sicut referunt Raymundum Generalem Ordinis D. Dominici ingressum fuisse Religionem, quia quendam ab illa retraxerat. Adrianus sequitur hos, sed paulò mitius, ait enim teneri ad hoc, si illum dissuasit animo iniquo, & deprauato, & ex odio religionis, quod si ex amicitia, & amore tantum quo illum prosequitur, aut vt parentibus illo indigentibus deseruiat, non teneri. Dicunt secundò, eum qui monachum iam professum suadet apostatare, & à sua religione recedere, teneri ad restituendum in integrum arbitrio boni & prudentis viri omnes illas vtilitates, & emolumenta, quæ ex tali religioso conuentua ille recipiebat, aut recipere poterat.

Prius dictum ita probant, Qui dissuadet diuiti eleemosynam quam volebat dare pauperi, aut testatori legatum quod volebat alicui firmo animo mandare, tenetur ex iustitia restituere illam eleemosynam illi pauperi, & legatum illud cui testator mandare volebat, etiam si illa pendeant ex libera voluntate eorum, quia impedit illum à bono, ad quod erat in proxima potentia, sicut qui comburit segetem in herba ante messem, tenetur restituere ad arbitrium boni viri, non solum herbæ illius valorem, sed multò plus, quia erat in proxima potentia ad messem: sed quando adolescens animo firmo statuerat hanc religionem ingredi, vel nouitius profiteri, religio erat in proxima potentia; ad omnia lucra, & vtilitates, quas ex illo poterat habere, etiam si id sit in libera voluntate volentis ingredi religionem, aut profiteri, ergo qui tali dissuadet religionem, tenetur damna ista in integrum restituere per alium similem, aut per se ipsum.

Secundum verò dictum ita probant, Qui priuat, & quẽ expoliat aliquẽ bonis, & emolumẽtis in quibus iã habet ius acquisitum, tenetur ex iustitia omnia illa restituere, quia talis expoliatio est velut furtum, sed religio habet ius acquisitum in omnes operas, & lucra, ac vtilitates monachi, quia quicquid monachus acquirit, sui conuentus est, ergo qui suadet professo apostatare, cum reuera expoliet conuentũ vtilitatibus quas ex illo habuisset, tenetur illas restituere.

Secundò, qui suadet seruo, vt fugiat à domino, vel expoliet dominum vtilitatibus, quas ex seruo reciperet, tenetur ad illas restituendas domino. Vnde can. Si seruus. dist. 54. præcipitur vt Episcopus qui seruum ordinauerit sine licentia domini sui, reddat ei duplum, quia expoliauit dominum seruitio, & emolumẽtis serui, sed monachus est addictus, & emancipatus quoad operas, & lucra suæ religioni, vt seruus, ergo tenetur similiter qui suadet illum recedere.

Oppositum docent Sylu. Restit. 3. §. 1. dicto. 2. Soto libr. 4. quæst. 6. art. 3. vbi tria dicit: Primò, quod spectat ad volentem intrare vel profiteri aliquam religionem suadentem illi oppositum grauiter peccare, tenerique ad suadendam illi religionem ex charitate, non tamen ex iustitia, si id faciat sine dolo, & vi, quod si cum dolo, sat esse, vt doceat deinde religionem esse bonam, si cum vi, vt relinquat illum liberum. Quod verò spectat ad professum ait secundo, suadentem professum vt à sua religione discedat, si id suadeat sine fraude, & vi, non teneri ad aliquam restitutionem lucri cessantis illi religioni, quod si cum fraude, & vi, id suaserit probabile esse illum teneri ad aliquam restitutionem arbitrio prudentis. Ait tertiò nunquam propterea quod quis alicui religionem dissuaserit aut apostatare fecerit quocunque modò id præstiterit, teneri ad suscipiendum religionem loco illius.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus duo: quæ sunt tanquam regulæ in omni materia de restitutione. Prius est neminem in conscientia teneri ad maiorem ampliorem ve restitutionem, aut satisfactionem pro damno aliquo illato, quam obligaretur in foro exteriori per leges ciuiles iustas, vel sententiam iudicis omni ex parte iustam, in qua, & veritas facti habetur, & iudex iudicauerit iuxta leges iustas, quia lex iusta, & sententia omnino iusta, cum seruent æquitatẽ, id ipsum pronunciant in foro exteriori, quod ius naturæ, & recta ratio postulabunt in interiori: Imò, & quod ius diuinum præciperet, quia ius diuinum non destruit naturale, nec dictamen rectæ rationis, maximè in his, quæ pertinent ad æquitatem, & iustitiã cum proximis. Alterum est ad reficiendum damnũ aliquod illatum proximo, ea virtute nos teneri contra quàm cum illi nocuimus peccauimus, vt si peccaui cõtra charitatem tantum, teneor reficere damnum ex charitate sola, si verò peccaui non solum contra charitatem verum etiam contra iustitiam, teneor tunc ex charitate, & ex iustitia, cum contrariorum eadem sit ratio. Et vt primò articulo docuimus, actus quo reficitur damnum, pertinet necessariò ad virtutem, contra quam illo damno peccatum est.

CONCLVSIO I.

Qui aliquem à suscipienda vel profitenda religione retraxit nudis persuasionibus, sine vlla fraude vel vi, non tenetur ad aliquam satisfactionem ex iustitia, neque ipsi religioso, neque illi religioni.

PRobatur prior pars, Vbi non est iniuria neque iniustitia, ibi neque vinculum restitutionis, quia restitutio vel satisfactio est actus iustitiæ commutatiuæ, quo reficitur damnum illatum cum iniustitia, sed qui dissuasit aliquem à religione sine vi, & dolo solis cohortationibus, nulla huic intulit iniuriam vel iniustitiam, Ex regula scienti vel consentienti sine fraude, & dolo non fit iniuria, Ergo.

Secundò ad reficiendum damnum ea virtute nos tenemur, contra quàm peccauimus illud inferẽdo, qui dissuadet alicui religionem hoc modo non peccat contra iustitiam, quia nemo patitur iniustum sciens, & volens sine dolo, & vi, sed tantum peccat contra charitatem, ergo iste tenebitur ex charitate suadere illi religionem, non autem ex iustitia.

Vltimò. Ei qui remittit, & condonat damnum nulla debetur restitutio ex iustitia, hic qui dissuasus est cum à me non compellatur vi, aut dolo, sed sit sui iuris, potest liberè redire ad prius institutum, & cum nolit, consentit aperte, & condonat si quod damnum mea suasione ipsi intuli, ergo ipsi nulla iam debebitur restitutio. Quod autem neque religioni à qua illum demoui ita probo: Restitutio tunc debetur quando est illata iniuria, sed in hoc casu non est illata iniuria illi religioni, ergo nec debetur restitutio: probatur minor: iniuria est expoliatio iuris quod aliquis hẽt, religio in volentem ingredi vel nouitium adhuc non habet ius acquisitum, quamuis sit in proximo, ergo non est ibi iniuria,

Secundò

Secundò qui sine fraude, & dolo solis persuasionibus suadet alteri ne mandet aliquod legatum Petro, vel ne det hanc eleemosynam, peccauit quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec tenetur ad aliquam restitutionem, quia Petrus, & ille pauper non habent adhuc ius acquisitum, nec sunt expoliati sua re, animus enim vel voluntas quæ mutari potest non cōfert ius: sed religio in hunc nouitium non habet ius, qua illud pendet à professione, & voluntate ipsius, quæ potest adhuc mutari, Ergo qui sic dissuasit non tenetur ad aliquam restitutionem, peccabit autem grauiter si sine iusta causa id dissuaferit, estque excommunicatus per Conc. Trid. sess. 25. cap. 18. tenetur què maiori vinculo charitatis suadere illi religionē, Quod si iusta aliqua causa id enixus est non peccauit nec tenetur ad aliquid.

CONCLVSIO II.

Qui monachum professum sine vi, & dolo suasit apostatare, non tenetur aliquid religioni illius restituere.

PRobatur. Si tenetur, aut ratione personæ extractæ, aut ratione lucri, & vtilitatis cessantis illi monasterio, sed neutro modo, ergo. In primis non ratione personæ extractæ, nam monachus etiā si sit addictus, & mancipatus religioni, non tamē vt seruus aut mancipium domino, vt volunt Scotus, & alij, sed vt filius patri. Vnde D. Basilius in sua regula ait de prælatis. [Patres se agnoscant non dominos. D. Aug. in sua ait: Ille autem qui vobis præest non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente, fœlice. Et paulo post: Superiori tanquam patri obediatur.] Et Christus Luc. 22. Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] Est ergo monachus addictus religioni vt filius patri, at si filio qui patri vtilissimus est suadeam, vt deserat domum patris, & vagetur per mundum, nihil teneor ratione illius filij patri ipsius restituere, quia contra charitatem tantum peccaui nō contra iustitiam, ergo similiter hic nec tenetur ratione lucri cessantis. Patet: restitutio facienda est quando quis priuatur re iam possessa vel sibi debita ex iustitia, lucra, & emolumenta monachi iam acquisita, & habita sunt quidem religionis ex iustitia, vnde qui illa prælato non offert, ex D. Aug. [Est furti iudicio cōdemnandus.] Quæ autem non sunt adhuc acquisita, sed potest lucrari non sunt debita religioni ex iustitia, sed tantum ex obedientia, ergo ad hæc restituenda nemo tenetur. Maior certa est. Probatur minor. Primò si monachus apostatauerit, tenetur ex obedientia redire ad religionē, à nemine autem obligatur vt quæ illo tempore poterat acquirere restituat, etiam si haberet vnde posset, similiter si in apostasia permanserit aliquot annis, & deinde per sedem apostolicam cum ipso dispensetur vt habeat beneficium, à nemine obligatur vt ex redditibus sui beneficij aut aliūde restituat quæ tempore suæ apostasiæ poterat suæ lucrari religioni, ergo quæ non dum acquisiuit actu, sed potest lucrari non sunt debita religioni ex iustitia.

Secundò, si monachus præfectus cathedræ prætermitteret ex sua malitia legere lectiones debitas, propter quod prouentus qui proueniunt monasterio minuerentur, non teneretur illud lucrum cessans restituere, etiam si haberet vnde id posset, ergo lucra monachi non sunt debita ex iustitia.

CONCLVSIO III.

Qui retrahit aliquem ab ingressu religionis, vel à professione facienda, vel professum extrahit non tenetur loco illius alium substituere, aut ipsemet religionem illam intrare.

PAter, ingressus religionis cum sit via ad perfectionem est status iure diuino, & ex natura sua voluntariè, & liberè suscipiendus. Vnde Christus Matth. 19. [Si vis perfectus esse &c.] & Luc. 10. [Maria optimam partem elegit &c.] Nulla autem culpa, aut peccatum valet mutare ius diuinum, naturam statuum qui sunt in Ecclesia, ergo quamuis iste extrahens monachum à sua religione grauiter peccet, non tenebitur aliquo vinculo intrandi religionem.

Secundò, consuetudo Ecclesiæ vniuersalis est optima legum interpres, sed Ecclesia licèt pro aliquibus delictis recludat aliquos in monasterijs, pro nullo tamen delicto compellit aliquem intrare religionem, neque tale legitur vnquam in Ecclesia factum esse.

Tertiò, susceptio fidei magis necessaria est, quàm ingressus religionis, cum illa sit simpliciter necessaria ad salutem, hæc verò non, sed ad suscipiendam fidem nullus vnquam compellitur, nec vlla de causa, ergo neque ad suscipiendam religionem.

Quartò, si teneretur iste intrare religionem teneretur quoque & profiteri illam, hoc autem est contra canones, & decreta Ecclesiæ, quæ volunt nulla de causa, aut titulo aliquem ad professionem compelli, sed eam esse adeò liberam, vt per annum integrum liceat nouitio deliberare an illam velit profiteri, & aliter illa non sit valida.

Vltimò ad id quis tenetur in conscientia, ad quod iusta sententia explicata rei veritate obligaretur, sed nullus iudex nec Papa extrahentem aliquē à monasterio obligaret vt illud intraret, nisi liberè vellet, ergo.

CONCLVSIO QVARTA.

Qui extrahit professum à suo monasterio fraude aliqua, aut vi, tenetur restituere omne damnum illatum religioso, & religioni.

HAnc iudicat Soto probabilem, sed recentiores volunt eam certissimam esse. Probatur: Quicunque nocet alteri cum iniuria tenetur ad reficiendum nocumentum illatum, sed qui fraude vel vi extrahit professum à suo conuentu, cum iniuria nocet & religioso & religioni, ergo tenetur ad reficiendum illum damnum. Maior certa est. Probatur minor: religioso in primis nocet cum iniuria, quia vbi fraus & vis ibi iniuria, religioni, quia religio habet ius vt nemo expolier illam suo religioso vt re sua, est enim religiosus, per professionem res quædam suæ religionis.

Secundò, si ille religiosus esset sui iuris, & persona libera, teneretur qui illi noceret omnia nocumenta & damna illata reficere, ad arbitriū boni viri, ergo cum omnia iura religiosi sint translata in religionem per professionem, tenebitur qui illum extrahit reficere damna illata religioni.

Tertiò, qui Ecclesiam aliquam expoliaret per dolum, vel vim aliqua vtilitate illi accessura teneretur omnium consensu ad arbitrium boni viri restituere damnum illatum Ecclesiæ, ergo similiter qui expoliat vi vel dolo religionem suo professo, cum eius lucra sint religionis.

CONCLVSIO VLTIMA.

Qui vel dolo retrahit deliberatè volentem ingredi, aut profiteri religionem tenetur etiam ad arbitrium boni viri restituere illi religioni vtilitatem, quā ex illo habuisset.

MAgister Soto in hoc casu vult ita retrahentē per vim solum teneri ad dimittendum quem retraxit liberum, vt liberè possit intrare, vel profiteri, eum verò, qui dolo, ad explicandam veritatem vel dignitatem religionis, & suadendum illum: nihilominus hæc quinta conclusio verissima est, & probatur sicut præcedens. Qui nocet alteri cum iniuria tenetur ad reficiendum illi damnum illatum, & omne lucrum cessans ratione

tione damni illati, sed cum religio eo ipso quo approbata est à Sede Apostolica habeat ius, ne quis vi, vel dolo impediat volentem illam intrare, vel profitari, qui vi val dolo retrahit ab ipsa volentem illam intrare, vel profiteri, expoliat illam isto iure, & nocet illi cum iniuria, ergo tenetur ad arbitrium boni viri istud damnum reficere, aut cum ipsa conuenire.

Secundò, non minus ius haber religio in illum, qui firmiter statuerat illam intrare, aut profiteri, quam legatarius in legatū, quod volens testare, statuit ei mandare, nam ius vtriusque est in spe, & ab eo cui potest mutare voluntatem, sed qui vi vel dolo impedit, ne testator ille mandat legatario quod statuerat, tenetur restituere illi suum legatū, vt vidimus, ergo qui retrahit vi, vel dolo à religione illum, qui statuerat firmiter illam intrare, & profiteri, tenetur ad restituendum damnum.

Dices primò, religio non habet adhuc in hunc ius acquisitum, cum non sit professus, sed in spe tantum. Secundò, potest hic voluntatē mutare. Tertiò, etiamsi habeat ius acquisitum in professum, illud non est ius iustitiæ, sed tantum obedientiæ. Dico ad secundum & tertium, religionem in volentem intrare non habere ius acquisitum, sed tantum in spe, vel proximum: similiter in lucra professi non habere ius iustitiæ, sed obedientiæ, ad hoc, tamen ne quis vi, vel dolo impediat volentem intrare, aut profiteri, & ne quis vi vel dolo expoliet ipsam suo professo, habet ius acquisitum, & actu sibi exhibitum, eo ipso quo talis religio est approbata ab Ecclesia Romana. Et ideo qui impedit volentem intrare, val profiteri, aut extrahit professum, expoliat illam commodis, quæ potest habere cum iniuria & iniustitia, & consequenter tenetur ad restitutionem, quemadmodum legatarius cui vult testator aliquid mandare, non habet ius acquisitum in illud legatum, sed tantum in spe, habet tamen ius à natura, ne quis vi vel dolo impediat voluntatem testatoris volentis aliquid ipsi mandare, propter quod vi vel dolo impediens illam voluntatem, expoliat illum re, quam potest habere, & probabiliter habebit, cum iniuria, & tenetur restituere. Ad secundum dico, quia poterat iste mutare voluntatem, non erit tanta restitutio facienda, ab eo qui vi vel dolo retraxit volentem intrare, quanta est facienda ab eo qui vi vel dolo retraxit iam ingressum & nouitium, at multò maior erit facienda ab eo qui extraxit professum, in his standum est prudentiæ & arbitrio boni viri: cæterum quia vi vel dolo nocuit, tenetur, sicut qui operarium impedit vi vel dolo à sua operatione, licèt ipse potuisset liberè operari, & non operari, quia tamen impediuit cum iniuria nempe vi uel dolo operas eius, tenetur restituere damnum illatum, & lucrum cessans.

Nunc ad argumenta Scoti, & aliorum initio posita. Ad primum patet solutio ex dictis, distinguendo maiorem, qui impedit pauperi eleemosynam, vel alicui legatum sine dolo, vel vi peccat tantum cōtra charitatem, non tamen contra iustitiam, quia nec pauper ista, vel legatarius habebat adhuc ius acquisitum, nec aliter infert ipsi iniuriam, cum non vtatur fraude vel vi: quod si fraude vel vi id impediat, tenetur restituere, quia vbi interuenit dolus vel vis est iniuria, & iniustitia, ita in proposita quæstione, vt constat ex conclusionibus positis.

Ad secundum respondeo, religionem vt constat ex secunda conclusione habere in ea, quæ monachus professus actu lucratus est ius acquisitum, & ex iustitia, & ita qui suaderet illi, vt ea iam habita, & acquisita auferret à religione, teneretur restituere: in ea autē quæ nondum actu lucratus est, sed poterat lucrari, habet tantum religio ius obedientiæ, & hæc non sunt subiecta religioni.

Ad vltimum constat etiam ex dictis, quod benè obseruat & docet Soto, religiosum non esse addictum reli-gioni, vt seruum vel mancipium, sed vt filium patri obedientia, & seruitute quadā spirituali: dominus habet in lucro sui mancipij ius ex iustitia, siue parta iam, siue quæ potest lucrari, religio autem non habet tale ius, sed in parta ius iustitiæ, in ea verò quæ pōt acquirere ius obedientiæ, & seruitutis cuiusdam spiritualis.

Explicatis his, quæ pertinent ad damna spiritualia, agamus iam oportet de damnis quæ in corpore inferuntur, quæ quinque sunt, occisio, mutilatio, vulnus, verbera, & iniqua detentio in carcere, vel in aliquo loco: in quibus omnibus duplex damnum infertur proximo, aliud temporale in bonis externis, vel propter expensas, quas cogitur facere ratione illius læsionis, vel quia desinit lucrari, quod fuisset lucratus non accepta illa læsione, vt contingit in artificibus, & alijs qui suis operibus lucra acquirunt, aliud verò damnum est naturale, nempe priuatio boni naturalis, vt vitæ, membrorum, libertatis, aut similis boni, quo expoliatur, ad quod etiam pertinet deformitas quæ manet ex cicatrice, aut dedecus, quod ex verbere vel infami percussione subsequitur, vt alapa uel fuste. De his omnibus dicendum est.

Controuersia Quarta.

AD QVID TENEATVR QVI ALIVM occidit pro damno naturali quod illi infert.

Duplex damnum inferre potest homicida, & naturale, & temporale: illud semper infert cum hominem priuet vita, quæ est maximum bonum naturale, temporale verò quando occisus utilis erat suis, & sua industria lucra acquirebat: de vtroque damno dicamus.

Circa prius Scotus in 4. dist. 15. q. 3. increpat confessarios facilè absoluētes homicidas, habetque tria. Primò, vbi est lex talionis, vt occisus occidatur, teneri homicidam si comprehendatur à iudice (sic enim intelligendus est Scotus, cum seipsum offerre sit cōtra omne ius naturæ) illam pœnam subire patienter, quia sic commodè satisfacit damno illato, & seruat legem iustam & maximè consonam iuri naturæ, & legi veteri. Exod. 21. Et Euangelicæ Matth. 26. [Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.] Ait secundò, vbi talis lex non est, aut homicida à iudice non capitur, teneri homicidam exponere vitam suam pro bono communi, vt in bello iusto pro patria, val iu bello fidelium cōtra Turcas. Ait tertiò, si uil horum præstet, teneri ex iustitia orare pro illo defuncto, missas offerre, indulgētias illi comparare, & omnia beneficia spiritualia quæ poterit in eum conferre.

Probat Scotus, Exod. 21. habetur, [Si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortum fecerit, subiacebit damno quantum maritus postulauerit, & arbitri iudicabunt.] Vbi licèt paruulo occiso non reddatur vita, nec æquiualens, præcipitur nihilominus pro abortu, & homicidio aliqua restitutio, ergo similiter qui occidit proximū tenetur ad aliquam satisfactionem, non potest autem fieri pro homicidio satisfactio nisi aliquo ex his modis propositis, Ergo.

Secundò, quicunq; alium occidit, eo ipso conscientia propria vrgente, & dictante recta ratione sentit, & iudicat se ratione homicidij aliquam satisfactionem debere, ergo teuetur.

Tertiò, ad id tenetur homo in foro interiori pro damno illato, ad quod obligaretur iusta sententia, sed condemnantur homicidæ iusta sententia à iudicibus non solum ad soluendas expensas, & lucra cessantia, verum etiam ad satis factionem faciendam pro damno naturali, & iniuria homicidij, ergo.

Quartò, qui occidit proximum facit inæqualitatem contra iustitiam commutatiuam, & maiorē quam fur, cum priuet illum maximo bono contra iustitiam, ergo

ergo illa inæqualitas reducenda est ab ipso ad aliquam æqualitatem per restitutionem, non potest autem restitui nisi his vijs propositis, ergo.

Quintò, confessarij etiam si occisus nihil lucraretur, obligant confitentes ad dandum aliquid hæredibus pro iniuria illata occiso, & ad conferendum in occisum varia beneficia spiritualia, & ita obtinuit vsus fideliũ, ergo. Quin & illud, vt si quis in bonis corporis læsus sit, consanguinei vel hæredes ipsius si læsus defunctus sit, paciscãtur cum læsore de aliqua pecunia pro damno illato, nec est qui cõdãnet tales conuentiones; iam igitur damna corporalia licet restituere in alijs bonis.

Eandem sententiam sequuntur Palud. in 4. dist. 15. q. 2. & Adria. in suo 4. in materia de restitutione circa finem, Magister sententiarum in 4. dist. 15. c. vlt. agens de nocumento naturali ait, huiusmodi sola pecunia compensari, nec ad aliud obligari homicidam ratione huius damni, idem docuerunt grauissimi. DD. Vict. & Penna in lectura huius articuli.

Mag. Soto lib. 5. de iust. q. 6. art. 3. negat omnino duo priora dicta Scoti, Tertium autem ait esse quidem saluberrimum consilium, sed non teneri homicidam ad id vel aliquam satisfactionem pro damno naturali ex iustitia, Probatur hæc sententia quam multi ex recentioribus amplectuntur.

Primò, restitutio facienda est verò domino, vitæ autem non est dominus homo occisus, sed solus Deus, ergo pro homicidio ipso tanquam dãno naturali non est aliquid satisfaciẽdum occiso, sed Deo; Deo autem satisfit per pœnitentiam, ergo.

Secundò, si homicida pro damno naturali illato teneretur aliquid restituere, sequeretur, vt si captus à iudice occideretur non plenè satisfaceret, sed teneretur adhuc restituere occiso, vel hæredibus quod deberet pro illo damno naturali, sicut fur etiam si suspẽdatur, tenetur nihilominus restituere quod rapuit, nec liberatur ab hoc debito suspensione, at homicidã si captus à iudice puniatur, ad nullam aliam satisfactionem pro damno naturali obligat aliquis Doctorũ, sed tali supplicio indicatur ab omnibus in integrum satisfecisse; Ergo. Et confirmatur maior illa, quia si pro damno naturali teneretur homicida satisfacere, quando suspenderetur, satisfaceret quidem iustitiæ punitiuæ in ordine ad Remp. non autem iustitiæ commutatiuæ in ordine ad proximũ, cui debitor esset illius damni: Cum tamen illo supplicio satisfaciat etiam omnium DD. consensu commutatiuæ, quantum ad damnum naturale quod intulit.

Tertiò, qui committit adulterium, nocet maximè & mulieri in bono naturali, qualis est honestas naturalis, & viro illius maximam infert iniuriam in honore, pro tali autem damno, & iniuria nemo obligatur ad aliquam satisfactionem, neque est in vsu, Ergo neque pro damno vitæ: Patet consequentia, quia honor ille vicinior est pecunijs, & melius potest compẽsari pecunijs quam vita.

Quartò, si Rex parcat occisori, quod multis de caussis potest facere, etiam si pars læsa non remittat, non tenetur occisor illi parti aliquid persoluere, aut compensare pro illa occisione. Ergo simpliciter, & absolutè pro isto damno naturali nil debetur. Probo consequentiam: quia si reuera deberetur, remissio Regis liberaret quidem occisorem à pœna legis, non tamen à debito compensandi illud damnum sicut non liberat à debito expensarum, & lucri cessantis, per mortem illius occisi.

Quintò, si pro damno naturali teneretur homicida aliquid satisfacere, eo deficiente tenerentur similiter illius hæredes, quia hæreditas transit cum debitis, & oneribus defuncti: at nullus Theologus ad tale obligauit vnquam hæredes occisoris, sed ad solam satisfactionem damni temporalis, Ergo.

Sextò, si homicida, quando ipse non patitur simile damnum tenetur orare, offerre sacrificium &c. pro occiso, teneretur similiter latro, quãdo non potest restituere, quæ rapuit, orare pro domino eorum quæ accepit, quod nullus vnquam docuit. Patet consequentia, quia cum vterq; nocuerit, si oratio esset compensatio nocumenti, vterque teneratur orare.

Septimò, qui occidit monachum inutilem communi conserisu ad nullam tenetur restitutionem monasterio, at si damnum naturale compensandum esset, teneretur ad aliquam. Similiter qui occidit seruum alterius ad nil obligatur pro damno naturali homicidij, sed tantum restituere valorem, & damnum temporale, at si pro naturali satisfaciendũ esset, teneretur quoque illud restituere vero domino. Et confirmatur, qui occidit infidelem, non tenetur pro illo orare, ergo ratione homicidij non tenetur ad talem satisfactionem, etiam si occidat fidelem. Probo consequentiam: quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ ex æquo obligat, siue is quem lædimus fidelis sit, siue infidelis.

Vltimò, qui corrumpit virginem, tenetur quidem illam dotare, quia intulit illi damnum temporale, erat enim illi virginitas pro dote, pro damno autem naturali, idest, pro integritate corporis, quam illi abstulit, ad nihil tenetur, Ergo.

D. Tho. in hoc articulo in solutione ad primum assignat hanc regulam, Vt pro damno naturali, pro quo æquiualens restitui nequit, fiat satisfactio, & compensatio possibilis ad arbitrium boni & prudentis viri, sicut Deo & parentibus non valemus reddere æquiualẽs, nec parem gratiam, dicimur autem satisfacere debito, quod illis habemus, cũ reddimus, & præstamus quod possumus. Quę regula optima est, & sic in vniuersum sumpta præstantissima omnium, quæ à Theologis assignari potest, non tamen explicat in particulari, ad quid homicida teneatur, quod inquirimus. Doctores autem quorum sententiæ adductæ sunt, declinant maximè in extrema, nam obligare homicidam ad exponendã vitã in bello, est nimis rigidum, ad nil omnino illum obligare præterquam ad pęnitendum, pro damno naturali illato occiso, videtur liberũ, quo circa sentio cum recentioribus mediam viam esse tenendam.

CONCLVSIO I.

Si læsor & homicida puniatur à iudice iusta sententia, & pœna debita iuxta leges suæ prouinciæ, ratione huius primi damni naturalis, de quo agimus, ad nullam aliam satisfactionem tenetur.

PAtet, quia sicut iusta sententia dat ius actori contra reum, ad exigendam pœnam, cui adiudicatus est pro delicto, ita quoque iusta sententia absoluit reum, cum primum patitur pœnam, cui adiudicatus est, ab omni debito ratione illius delicti.

Secundò, quia omnes leges pro homicidio cõdemnãt reum, aut ad pœnam talionis, aut ad simile, & æquiualens in alio genere rerum, facta autem solutione in æquiualenti, vel simili, aut in eodem genere rerum, aut in alio, satisfecit abundè homicida pro suo delicto, & damno naturali illato nempe occisione.

CONCLVSIO II.

contra Scotum.

Non tenetur homicida exponere vitam pro bono communi, ad satisfaciendum damno naturali alteri illato.

PAtet, Primò, quia satisfactio ideo fit vt reficiatur damnum ei, cui illatũ est, vel hæredibus: exponendo autem vitam pro bono communi in bello nil reficitur, neq; aliqua vtilitas aduenit occiso vel hæredib.

Secundò, si occisus viueret, non teneretur aliquis suam vitam exponere pro illo, cum sit persona particularis,

cularis, ergo multò minus postquam occisus est; nec vita illi potest restitui. Nec valet primum argumētum Scoti sumptum ex loco Exod. qui videbatur ei fauere, primò, quia ibi non præcipitur, vt percutiens mulierem grauidam suam vitam exponat pro puero. Secundò, quia illud præceptum erat iudiciale, pertinens ad tempus legis Moysi, quæ iam est sublata.

CONCLVSIO III.
contra Magistrum Soto.

Homicida necessariò, & ex iustitia pro damno naturali illato occiso tenetur ad aliquam satisfactionem ad arbitrium prudentis.

HAnc probant argumenta primæ opinionis, non probant teneri illum ad exponendam vitam, vt volunt Scotus & Adrianus, sed teneri ad aliquam satisfactionem, aut per suffragia, & beneficia spiritualia ipsi defuncto, aut per petitionem veniæ ipsis hæredibus, aut per pecuniam prout consuluerit prudens, & eruditus confessor. Et confirmatur. Ad iustitiam commutatiuam pertinet non solum reddere iustum, quod consistit in indiuisibili, idest, æquiualens, verumetiam reddere possibile, quando non valemus equiualens, & hoc aut in eodem genere rerum, aut in alio, quæ est aperta sententia D.Tho. in solutione primi: sed homicida licèt nō possit reddere occiso æquiualens, nec in eodem genere, quia non potest illi restituere vitam, nec in alio, quia nulla re tēporali potest vita compensari ad æqualitatem, potest tamen aliqua ratione satisfacere in alio genere rerum, aut pecunia, aut beneficijs spiritualibus. Ergo.

Respondent huic argumento, quod efficacissimum est Soto, & alij, D.Tho. loqui de damno tēporali nempe de expensis & lucro cessante. Sed hæc solutio non est accommodata, nec tollit vim argumenti. Primò, quia D. Tho. in communi loquitur ibi de omni damno, nec distinguit inter naturale, vel temporale. Secundò, quia cum in vniuersum dicat, vbi non potest reddi æquiualens, reddendum esse possibile, in damno autem temporali frequenter posset reddi æquiualens, quod non potest in damno naturali, regula D.Tho. re uera magis pertinet ad damnum naturale quàm ad temporale. Et confirmatur, subijcit enim exemplū de mutilatione membri, in qua dicit non solum soluendas esse expensas, & lucra cessantia, verum etiam quia non potest membrum abscissum restitui nec reddi æquiualens, reddendum esse possibile. Loquitur ergo apertè de damno naturali.

Respondent alij, non omne peccatum contra iustitiam commutatiuam obligare ad restitutionem, imò multa esse quæ non obligant. v.g. Parrochus si non ministret Sacramenta suis subditis iustitiam commutatiuam violat, similiter interficiēns suum mancipium, at neuter istorum etsi iustitiam commutatiuam in his casibus violauerit, obligatur ad aliquam restitutionē, quia præceptum restituendi cum affirmans sit, obligat quidem semper, non tamen pro semper, sed tunc tantum, quando restitutio est possibilis: ita vt possit læsus iterū statui in iure, & possessione rei sibi ablatę, quod in hoc casu locum non haber: Sed neque hæc solutio tollit vim argum. propositi, cum iuxta regulam D.Th. quando damnum illatum est cum iniuria, & restitutio non potest fieri in eodem genere rei, debet fieri in alio, ita vt fiat ea satisfactio, quæ possibilis est ad arbitrium prudentū: quæ regula vt ex modò dictis constat, intelligenda potissimè est in damnis naturalibus.

Probatur secundò conclusio. Medium rei quod habet iustitia non est necesse, vt sit in eodem genere boni, sufficit vt sit in alio per quod etiam fit compensatio, propter quod vt docet Aristot. 5. Ethic. capit. 5. & D.Thom. supra adinuentæ sunt pecuniæ ad commutationes rerum faciendas, & ad compensanda damna quæ in eodem genere boni non possunt compensari: si homicida posset compensare damnum naturale illatum occiso in eodem genere, idest restituere illi vitam teneretur: cum autem hoc non possit potest in alio nempè suffragijs, aut pecunia collata hæredibus, tenebitur ergo ad hoc ad arbitrium prudentis. Nec valet quod dicunt aliqui pecunias tantum inuentas esse ad commutationes in rebus venalibus, cum ad omne genus negotij quod pretio æstimari potest inuentæ sint, omnia autem damna cum iniuria illata pretio ęstimari possunt.

Tertio in abscissione brachij tenetur lęsor vt videbimus & docet hic D. Thom. nō solum ad satisfaciendum damnum temporale, verum etiam, & naturale, id est læsionem illam, & defectum brachij, ergo multo magis homicida qui maius damnum naturale intulit, Nec valet dicere nullum esse prætiū quo vita æstimari possit, nam nec libertas pro toto venditur auro, potest tamen homo liberè seipsum vendere in aliquo casu, & libertatem suam pretio æstimare, Tum etiam quia vt dictum est ex D.Th. quando non potest reddi æquiualens, satis fit reddendo possibile.

Tria autem hic obseruanda sunt circa hanc satisfactionem damni naturalis ad probe consulendum homicida. In primis quatuor esse attendenda Primò, personam homicidæ, sit ne diues nec ne, diuiti enim maior satisfactio est imponenda quam pauperi, Secundo personam occisi, esset ne vtilis suę familiæ, honorem, & dignitatem suis filijs afferens dum viueret, quorum nihil habebunt illo mortuo, nam pro inutili minus est soluendum: tum etiam esset ne iuuenis an senex, sanus ne, & vegetus an infirmus, & morbosus, doctus, & peritus in aliqua arte an ignarus, pro iuuene enim & sano ac perito maior satisfactio exhibenda est, quam pro seneaut morboso aut imperito, Tertiò attendendus est modus occisionis, sit ne facta per insidias, & quas, an aperto marte, quia vbi insidię ibi maior iniuria, & vbi maior iniuria maior satisfactio debet, Quartò considerandum & attendendum est qua ratione suæ saluti, & animæ consuluerit, nam si occisus suo testamento sufficienter sibi consuluit de suffragijs, & sacrificijs, tunc satisfactio potius est facienda hæredibus, maximè si indigeant per pecuniam, quàm occiso per suffragia, quod si nō benè consuluit, aut quia nequiuit testamentum condere, aut quia erat inops, tunc satisfactio ipsi occiso faciēda est potius per suffragia, quàm hæredibus maximè cum hæredibus vt proximè dicemus sit reddendum lucrum cessans defuncti.

Obseruandum secundò hic est, hanc satisfactionem faciendam pro damno naturali hæredibus per pecuniam arbitrio, prudentis habere tantum locum inter personas communes, & vulgares, nam inter nobiles, & diuites nō est in vsu, imò illud tribuerent dedecori, si quis talem satisfactionem intentaret ipsis pro cognato occiso facere, vnde ex communi vsu, & eorum existimatione nobile, & diuites huic iuri, & satisfactioni vidētur renūtiasse, & pepercisse. Inter vulgares etiam potest peti huius satisfactionis pro damno naturali venia, & grata remissio, qua obtenta ab hæredibus nō est facienda, quod semper intelligo, vbi occisus sufficienter animæ suæ consului de suffragijs, quia aliàs non est conueniendum cum hæredibus, nec satisfaciēdum ipsis.

Obseruandum tertiò est, confessarium debere homicidam ad satisfactionem quam hic docemus pro damno naturali, inducere omnib. suasionibus, & vijs quibus poterit, quod si post multam persuasionē non vult illam facere, quia nouit, & iudicat probabiliorem opinionem Soti; & vult illam sequi est absoluendus, quia licet hęc nostra opinio sit verior, & tutior, opinio nihilominus Soti est satis probabilis, & non apertè falsa. Nec est remittendus vt aliqui volunt ad suum parro-

parrochum, quia com nostra opinio ersi verior sit, non tamen ita certa vt opposita sit falsa, & quam nō liceat amplecti qui potest absolui à parrocho, potest absolui à quocunque alio confessore. Quod si nolit homicida hanc satisfactionem facere, non quia nouit opinionē Soti, & iudicat illam probabilem, sed ex auaritia (vt plebeius qui nil aliud nouit quàm quod à confessore audit, cui teneretur credere, & obedire, ex auaritia autem nec vult credere, nec obedire) non est absoluendus quia agit contra conscientiam non credendo confessori, quem elegit, sed remittendus est vt quærat alios, præterquam si periclitetur de vita, tunc enim debet confessor, cui non potest opinionem tutiorem suadere, aperire oppositam esse quoque probabilem, & grauium doctorum, & se absoluet è illū non tanquam inobedientem suo consilio ex auaritia, sed tanquam sequentem aliam opinionem etiam probabilem ita vt nisi graues Doctores eam haberent, præstaret quod suus confessarius illi suadebat.

Nunc ad argumenta quæ nostræ sententiæ repugnant.

Ad primum respondeo, hominem licèt non sit dominus suæ vitæ, esse tamen custodem illius, vitamque esse maximum bonum ipsius quod sufficit vt pro tanta iniuria, & damno quale est priuare illum tanto bono debeat homicida aliquid ipsi, vel hæredibus satisfacere, quemadmodum si virgo quæ est sub custodia parentum vel tutoris corrūpatur, pro iniuria illata parentibus vel tutoribus tenetur corruptor ad aliquam satisfactionem: nam cum obligatio satisfactionis oriatur ex damno illato cum iniuria, vbicunque reperitur tale damnum debet fieri, satisfactio, quale certum est maximè reperiri in occisione.

Ad secundum, respondeo, homicidam si captus à iudice occidatur, iam satisfacere in eodem genere boni, cum reddat vitam pro vita, & ita pro damno naturali quod intulit non teneri ad aliam restitutionem, furem verò etiam si suspendatur, non satisfacere in eodem genere boni, & ideo si possit, debere restituere quod rapuit. Respondeo etiam, homicidam non retinere apud se bonum, quo priuauit occisum, & ideo sat esse vt patiatur in eodem genere damni, lattonem verò quamdiu non restituit acceptum si habeat vnde restituat, retinere alienum, & ideo etiam si suspendatur teneri ad restituendum, quia perinde peccatur retinendo alienum quod potest restitui, sicut accipiendo.

Ad tertium dico, Primo per adulterium cui nullum damnum temporale admixtum est, non teneri, adulterum, qui sine vi, & dolo peccauit, ad aliquam satisfactionem, qui licèt viro maximam iniuriam intulerit, mulieri tamen nullum nocumentum naturale intulit, honestas enim coniugalis non est bonum naturale, sed bonum tantum morale virtutis: Vnde qui induxit sine vi, & dolo mulierem in adulterium, perinde se habet ac si induxit fratrem ad peccandum, Quod si vi, & dolo illam induxit, tenebitur tunc propter vim, & dolum ad eam satisfactionem, ad quam diximus supra teneri illum qui vi vel dolo inducit fratrem ad peccandum, Secundò non tenetur adulter ad aliquam satisfactionem ratione adulterij, quia nō est in vsu, imò haberetur dedecori.

Ad quartum respondeo, teneri homicidam etiam si Rex remittat illi pœnam legis ad aliquam satisfactionem, pro damno naturali quod intulit, quia hoc debetur a parte rei, quotiescunque infertur alicui damnum cum iniuria, nec potest Rex tale debitum alicui remittere.

Ad quintum respondeo, quotiescunque homicida tenetur ad aliquam satisfactionem pro damno naturali, hæredes qui illius bona acceperunt, cum primum nouerint illum dum viueret non satisfecisse, teneri in foro conscientiæ ad satisfaciendum:

Ad sextum neganda est similitudo, fur enim aut habet vnde restituat aut non, si habet tenetur in eodem genere rei temporalis, & secundum æquiualens, homicida autem cum non possit æquiualens nec in eodem genere boni, debet id quod potest in alio genere, sicut explicatum est.

Ad septimum respondeo, homicidam monachi omnino inutilis ad nullam satisfactionē teneri monasterio, cum nullo bono temporali illud priuauerit, teneri tamen ad aliquam animæ defuncti: homicidam verò serui tantum ad satisfaciendum domino valorem illius, quia dominus nullum aliud ius habebat, quàm in valorem quo similes sibi vilem inueniat, ipsi autem occiso, si fidelis, sit, tenetur satisfacere per suffragia pro damno naturali ipsi illato, quia vtrique nocuit, & domino in valore, & seruo in bono naturali, & cum iniuria: Quod si infidelis esset non tenebitur aliquid illi satisfacere, quia occiso per sola suffragia satisfieri potest, infidelis autem sua infidelitate reddit se incapacem suffragiorum, & consequenter satisfactionis quæ illi facienda erat.

Vltimum argumentum postulat videamus.

Controuersia Quinta.

AD QVAM SATISFACTIONEM *teneatur qui puellam virginem violauerit.*

Varia in proposita quæstione tam Iurisperiti quàm Theologi sentiunt. Palud. in 4. dist. 15. quæst. 2. & ali) quos refert Sylu. Luxu. q. 5. Et Caier. infra. q. 154. art. 6. volunt corruptorem virginis, etiam si puella, & parentes ipsius in illud stuprum consenserint, teneri ad restitutionē, Primo quia illius boni naturalis quo priuatur virgo, nempè integritatis sui corporis, neque parentes eius habent dominium & ita non possunt restitutionem illius damni remittere, cum restitutionem alicuius rei ablatæ is tantum remittere possit, qui illius dominus est.

Secundo ex illa regula toties adducta. Si tua causa, qui est in causa alicuius damni tenetur illud satisfacere, sed culpa eius qui vitiauit virginem damnum illatum est patri, & virgini, tam in honore quàm in bonis: in honore, cum virgo illa esset sub cura illorum, in bonis quia virginitas erat puellæ illi pro dote aut saltem pro bona parte manensque virgo erat nobilis, & apta matrimonio, quibus bonis priuatur cum primum corrumpitur.

Tertiò, si ea quæ vitiata est nubat cum vero ignorante illud stuprum exponit se multis damnis, incommodis, & periculis, quorum omnium causa est ille stuprator, qua ergo ratione censendus qui tot damnis puellam affecit, liber à satisfactione?

Summa confess. lib. 2. tit. 5. q. 6. Et Raymundus cum quibusdam glosis in 1. capit. de Adulterijs vt refert Sylu. loco cit. quam sententiam videtur etiam amplecti Soto. lib. 4. de iusti. q. 7. art. 1. ad secundum volunt solum raptorem teneri ad constituendam dotem virgini raptæ, & vitiatæ: cui sententiæ videtur fauere quod in conc. Trid. sess. 24. in decreto de reformatio. matrimonij cap. 6. dicitur. [Vt raptor virginis vltra pœnas excommunicationis, & infamiæ quas incurrit, debeat siue illam duxerit siue non, decenter arbitrio iudicis dotare:] Vbi solius raptoris sit mentio, non alio rum stupratorum.

Panor. in cap. 1. de adulterijs habet, stuprantem virginem seductam, & deceptam debere illam dotare, nec id solum, verum etiam si pater consenserit ducere in vxorem, cui aperte fauet illud Exod. 21. si seduxerit quis virginem &c. quæ verba referuntur cap. 1. & 2. de Adulteris: Secundo ait, si non violauerit eam seductam, & deceptam, sed propria sponte consentientem,

tenentibus nihilominus prælatum posse in hoc etiam casu tantare illi aliquam satisfactionem, quam tenebitur præstare, Quia si non essent hominum insidiæ, & promissiones, nulla puella tantum facinus admitteret. Vt dicitur. l. vnica. ff. de rapto. virg.

Archid. in cap. 1. & secund. de adulter. Angelus in verbo stuprum num. 1. & secundo quos sequitur Sylu. loco cit. quibus. subscribunt recentiores interpretes D. Thom. sic distinguunt, vt si puella per vim corrumpatur, aut per dolum aliquem vel fraudem consentiat in stuprum, teneatur stuprator (nisi inter ipsos maxima sit inæqualitas vel pater omnino renuerit) ducere, & dotare: quod si inæqualis omnino conditionis sint, & status, vel pater omnino renuerit vel ipsamet puella, non teneatur quidem ducere, sed dotare tantum ad arbitrium prudentis, quod aperte locus ille Exodi docet, quod præceptum non tam erat iudiciale, quam morale, & naturale. pertinens ad satisfationem, quam iure naturæ tenetur quicunque cum iniuria intulit damnum virgini exhibere, estque innouatum cap. 1. & secundo de Adulterijs. Quod si puella non fuit seducta nec decepta falsis aliquibus promissionibus, sed propria sponte consensit solis amatoris precibus, & blanditijs inducta, & si iudex in foro exteriori damnabit talem stupratorem ad constituendam illi dotem, quia iudicabit illam deceptam falsis promissionibus, vt habetur in l. illa vnica. ff. de Rap. in foro tamen conscientiæ volunt hi Doctores talem stupratorem non teneri neque ad ducendam neque ad constituendam dotem, neque ad aliam satisfactionem, præter eã quæ ex charitate est, vt nitatur quantum in ipso erit, puellam illam vitiatam in bonum statum reducere, nisi iam aliquid illi pollicitus sit, tunc enim tenetur illud quod que conferre. Probant hãc partem, quia restitutio tantum debetur, quando damnum illatum est vt vidimus cum iniuria, puellæ autem ita consentienti citra omnem vim, & dolum non est facta iniuria ex illa regula, Scienti, & consentienti &c. & ita nullam illi deberi restitutionem.

Nobis hæc postrema opinio magis probatur quam subiectis conclusionibus magis explicabimus.

CONCLVSIO PRIMA.

Si virgo omnino voluntarie. & propria sponte amatoris blanditijs capta consentiat in stuprum violator ipsius ad nullam tenetur omnino restitutionem faciendam nec virgini, nec parentibus ipsius.

CONstat hæc conclu. quo ad ipsam virginem argumento adductio in probatione vltimæ opinionis earum quas modò retulimus. Et confirmatur, quia cum puella sit domina sui corporis, & si malè agat tradens se sine consensu parentum, potest tamen cui voluerit se ipsam tradere: quamuis assererem teneri corruptorem virginis in hoc casu ex quadam benignitate, & æquitate aliquid illi largiri, maximè si ex tali stupro reddita sit minus idonea ad inueniendum viro.

Secunda pars quo ad parentes probatur etiã. Quando causa præcipua alicuius damni vel iniuriæ non tenetur ad restitutionem neque causa minus præcipua quæ dicitur concausa: virgo ipsa quæ est causa præcipua damni vel iniuriæ quæ per stuprum ipsius infertur patri: & multo potior quam violator ille cum ipsa sit quæ præbet præcipuè consensum in illud stuprũ, non tenetur ad aliquid restituendum suo parenti ratione illius stupri, ergo neque ipse stuprator.

Secundò, virgo est domina sui corporis habetque facultatem tradendi illud cui voluerit, & nubendi cui maluerit vel patre reclamante, in quo licèt peccabit contra pietatem & obedientiam debitam parentibus, non tamen contra iustitiam, nec tenebitur propterea ad aliquam restitutionem, ergo neque qui illam ipsa consentiente violauerit.

Hæc conclusio intelligenda est quantum ad læsionem in claustro virgineo, & ad alia damna quæ inde consequuntur, & quantum ad dotem, at quantum ad honorem aliqua restitutio facienda est patri in eodem genere, nempe honorum do illum, quia negari non potest, etiam si puella cõsentiat, parentibus, sub quorum custodia adhuc existit, aliquam iniuriam in honore esse illatam, & aliquod damnum: Tum, quia integritas filiæ est quoddam bonum temporale parentum, valens pro parte dotis, quo bono priuauit eos qui illam violauit; Tum etiam quia ipsis incumbit iure naturæ tradere filiam suam nuptui, quod non ita valent postquam corrupta est. Vide D. Thom. in Additionibus ad 3. p. q. 46. art. 5. ad 4.

CONCLVSIO II.

Qui per vim, & dolum violat virginem, tenetur restituere tam virgini, quàm parentibus illius omnia damna quæ ex illo stupro subsequuntur, siue in honore, siue in pecunijs.

HAnc probant omnia argumenta adducta in probanda prima illa opinione Palud. & Caie. constatque apertissima ratione, Quicunque nocet alteri cum iniuria, tenetur omnia illa nocumenta compensare, huiusmodi stuprator, qui per vim vel dolum violat virginem, nocet grauiter tam ipsi virgini, quàm parentibus illius, & cum iniuria, vbi enim vis vel dolus, ibi & iniuria, Ergo. Vnde quamuis Concil. Trid. solum loquatur de raptore, quia sermo eo loco institutus id tantum postulabat: de quocũque nihilominus de violatore, qui vtitur fraude, vel dolo, intelligenda est hęc concl. secunda.

Confirmaturque ex dictamine propriæ conscientiæ, & rectæ rationis: omnes enim homines, qui virgines aliquas corruperunt vi vel dolo, eo ipso sentiunt se obnoxios huic satisfactioni, aut ducendi illas, aut conferendæ dotis, vel augendæ, prout poterũt. Et confirmatur adhuc illo testimonio sumpto ex Exodo cap. 22. dum referemus opinionem Panor. Angeli, & aliorum, quam sequimur.

CONCLVSIO III.

Si quis vsus nimia importunitate, & molestia in solicitanda, & in sequenda virgine, ea via tandem illa potitus sit, etiam si non adhibuerit aliam vim vel dolum, tenetur ad restituendum tàm virgini quàm parentibus ipsius damna, quæ sequuntur illos ex tali stupro.

PAtet, quia importunæ preces, amatoris carmina, crebra suspiria, & singultus, munere oblata, & frequentes deambulationes iuxta domum illius, maximè nocturnæ possunt, & solent trahere virginem etiam honestam, vel renuentem ad consentiendum illi amasio in eius amorem, & libidinem, non secus atque vis, & dolus solent trahere viros, etsi in voluntarios in rem aliquam, at qui virum per vim, & dolum traheret in suam voluntatem cum damno illius, teneretur ad restituendum, ergo qui puellam adeò molestis importunisque medijs in suam trahit libidinem.

Et confirmatur, ad inferendam vim puero, vel seni non est necessarium tantum robur, quantum ad inferendam viro forti, nec ad decipiẽdum virum stultum, & insipientem tanta astutia, & dexteritate opus est, quanta ad decipiendum virum astutum, & callidum, mulier autem maximè puella est expers consilij, [Ignarum animal, ac vt dicebat Poeta, varium, & mutabile semper,] ac vt rectè apud Hispanos dicitur: la mas cuerda es de lana, Vnde istæ importunæ, ac molestæ preces,

preces, & media quaſi vim, & deceptionem eis inferunt, maximè, quia vt prudentes viri docent, quamuis concupiſcentia omnium hominum vrgeat voluntatem, libertatem tollat, & licet iudicium rationis, ſpotiſſimè tamen in fœminis, & præſertim in puellis virginibus, quæ ex propria infirmitate, & conditione ſui ſexus ſunt maximè propenſæ ad libidinem, vnde qui illarum igniculos ſuis moleſtis, importuniſque amatorijs medijs accendunt, cenſendi ſunt moraliter prudentum iudicio, quaſi vim illis inferre.

Secundò, qui improbis precibus ducitur ad ludum, ita vt niſi ludat habeatur parum comes, & vrbanus, dicitur, vt videbimus ſtatim, quaſi inuitus trahi ad ludum, & qui à tali aliquid lucratur tenetur illi reſtituere, quaſi vt illum ad ludum coegerit, ergo, qui ita ſolicitat puellam, vt aliàs habeatur ruſtica, ſcæua, & crudelis, quaſi inuitam trahit in ſuam libidinem, & tenetur ad reſtituendum, non minus, quam ſi per vim, & dolum illam violauerit. Neque hæc tertia conclu. cum prima pugnat: aliud enim eſt communibus blãdimentis & precibus vti, aliud verò importunis & moleſtis.

CONCLVSIO QVARTA.

Quando ſtuprator eſt diues, & potens, puella verò quã vitiauit pauperrima, tenetur ſtuprator ille ditiſſimus, etiam ſi nulla vſus fuerit vi, dolo aut importunitate, aliquam nihilominus illi facere reſtitutionem in aliqua parte dotis.

Ratio eſt, quia in tali caſu videtur interceſſiſſe quoddam pactum ſaltem implicitum, & tacitum de reddenda illi aliqua dotis parte, & ſub hac ſpe illa conſenſiſſe, pactum autem etiam implicitum tenetur quiſque ſeruare. Et confirmatur; quando enim virgo eſt nimium pauper, virginitas quæ prima dos illi eſt, non erat ſufficiens ad tradendam illam religioni, vel nuptui, aut conſtituendam in aliquo ſtatu: vnde videtur rationabiliter eo animo conſenſiſſe illi diuiti, vt pecunia pro ſtupro ipſi demandata eſſet ei pro dote, vel ſaltem in partem dotis. Hæc conclu. veriſſima eſt maximè ſecundum pietatem Chriſtianam, docueruntq; illam grauiſſimi viri: quocirca confeſſarios oportet in abſoluendis huiuſmodi hominibus non eſſe faciles, ſed præcipiant eis hanc reſtitutionem.

CONCLVSIO QVINTA.

Quando ſtuprator tenetur ad faciendam reſtitutionem, non tenetur ante iudicis ſententiam integram dotem illi perſoluere, ſed ſolum tenetur ad ſatisfaciẽda, tam patri, quàm virgini damna ex tali ſtupro ſubſequuta; adueniente verò iudicis ſententia, tenetur illi obedire ſi commodè poſſit.

Verbi gratia, habebat virgo in dotem mille aureos, cum quibus poterat honeſtè, & pro dignitate collocari in matrimonio, poſt ſtuprum non inuenit virum ſibi æqualem, niſi cum dupla dote, non tenetur ſtuprator exhibere illi illa duo millia, ſed faciet ſatis ſi reddat illi mille aureos, quibus antea non indigebat præter eos quos habet, vt ſic habeat vnà cum ſuis duo millia. Probatur. Virgo & pater illius in hoc caſu per ſtuprum tantum læduntur in illa ſumma, qua oportet augeri dotem, quàm antea habebat, vt inueniat virum ſibi æqualem, at nemo tenetur ante iudicis ſententiam, niſi ad reſtituendum damnum, quod intulit, ergo non tenetur illi exhibere, niſi ſolam illam ſummam mille aureorum: Quamuis præter eam pro integritate virginali, in qua etiam læditur cum iniuria, non dubito aliquid etiam reddendum eſſe, ad arbitrium viri prudentis.

Nunc ad argumenta in oppoſitum.

Ad primum primæ opinionis dico, licèt puella, & parentes non ſint domini illius boni naturalis, & integritatis corporis, ſunt tamen domini illius pecuniæ, qua tale bonum æſtimari poteſt, poteſtque puella remittere reſtitutionem illius pecuniæ, qua integritas illa æſtimaretur, quod facit quando liberè, & propria ſpontè conſentit in ſtuprum, ſicut nemo eſt dominus ſui brachij, quia tamen eſt dominus pecuniæ, qua damnum abſciſſionis brachij æſtimari poteſt, poteſt remittere reſtitutionem pecuniæ, qua damnum illud à peritis, & prudentibus æſtimaretur.

Secundum dilutum eſt ex dictis: regula enim illa, Si qua cauſa, intelligenda eſt, quando infertur damnum cum iniuria, puellæ autem liberè conſentienti citra omnem vim, dolum, & moleſtiam non fit iniuria, ex illa alia regula, Scienti, & conſentienti, &c.

Ad tertiũ dico ſimiliter, pati quidẽ puellam omnia illa damna & incommoda, non tamen teneri ſtupratorem ad reſtitutionem ex rigore iuſtitiæ, cum illa patiatur lubens & volens, & ſine iniuria, tenebitur tamen ex æquo, & bono aliquam illi reſtitutionem facere, iuxta ea quæ diximus. Addo puellã, quę propria ſponte conſentit in ſtuprum, mereri ſua culpa omnia iſta incommoda, & pericula in pęnam ſuę libidinis, & inuerecundiæ, nec eſſe dignam, quæ collocetur in matrimonio ſibi æquali: quod ſi pater velit illam pro dignitate collocare, efficiat illud ex ſuis bonis, non ex bonis ſtupratoris, quia non intulit iniuriam.

Ad vltimum Mag. Cano. dico, quamuis parentes habeant ius in dotem filiæ, maius ius habere ipſammet filiam in illam, ac propterea eo ipſo quo filia tradens ſe liberè per illam ſpontaneam traditionem ſui corporis cedit iuri proprio dotis, conſequenter ceſſat ius paternum in dotem, quamuis pro iniuria ipſi illata in honore aliqua ſatisfactio (vt explicamus) ſit facienda.

Tandem obſeruandum eſt, ſtupratorem ſi promiſit virgini ducere illam, vel conferre integram dotem, vel partem dotis, & ipſa ſub illa promiſſione conſentit, teneri ad ſeruandum promiſſum, & opere exequendum, etiam ſi fictè promiſerit, quia tunc interuenit dolus, cum violauit illam per fraudem, violatam verò per fraudem ſtuprator ducere, niſi ſit inter eos inęqualitas notabilis, aut ſaltẽ dotare iuxta promiſſa tenetur.

Controuerſia Sexta.

AD QVID TENEATVR HOMICIDA pro damno.

Temporale damnum quod præter naturale infert aliquando homicida vel læſor, vocant Theologi expenſas illas quæ fiunt in ſanando vulnere & percuſſione, ac lucra ceſſantia quæ ſuo labore, & induſtria compararet læſus. Verbi gratia occiditur vel læditur artifex, perdit ſua ſtipendia, & lucra, expenditque bona ſua in ſanando illo vulnere, tenebitur ne homicida vel læſor omnia iſta damna reficere?

Concors eſt omnium Theologorum ſententia teneri, quia iſta damna infert homicida vel læſor, & cũ iniuria, vbi verò damnum cum iniuria ibi, & reſtitutio, & habetur expreſſè Exod. 21. [Si rixati fuerint viri, percuſſeritque vir proximum ſuum, & ille mortuus non fuerit; Qui percuſſerit operas eius, & impenſas in medicos reſtituat.] Et refertur c. 1. Extra de iniurijs, & damno dato, & eſt cautum l. fi. ff. de his qui diſceſſerunt. Ita D. Tho. hic, Syl. verbo, Reſtitutio. 3. §. 2. Caſtro verbo, Reſtitutio, c. 2. Soto lib. 4. de Iuſt. q. 6. art. 3. & omnes DD.

Difficultas aũt conſiſtit in modis ſatisfaciendi hæc damna. Nam Maioris in 4. d. 15. q. 19. Vltimo dubio ait duo: Primò, ſi hæredes occiſi habeãt ſufficienter vnde viuant, læſorem non teneri ad aliquid reſtituendum

pro

pro damno temporali, sed ad suffragandum tantum defuncto, Secundò; si sint pauperes, & non habeant, teneri homicidam ad soluendum hæredibus omnia, quę lucratus fuisset occisus viuens, deductus laboribus, id est deducto valore, & pretio quo æstimaretur labor, non enim inquit tantum debetur, nec tantum lucraretur quiescens sicut laborans. Sed hęc sententia vtraque ex parte est reijcienda: Primũ dictum falsum est, quia vinculum restitutionis non nascitur ex indigentia hęredum, sed ex damno dato cum iniuria, quoties cũque igitur homicida vel læsor damnum temporale intulit, & cũ iniuria, tenetur restituere, siue hæredes habeant siue non, id enim est per accidens. Secundum dictum ridiculũ est: quia si ab opifice qui suo labore quotidiano quærit victum, & lucra, auferas laborem, nil remanet, nec esset aliquid restituendum, cũ isti non habeant aliud lucrum pręter illud, quod respõdeat labori diurno ipsorum. Secundò, qui fraude vel vi, & cum iniuria absconderet vel priuaret artificem instrumentis suæ artis, quibus sublatis nil omnino posset lucrari, teneretur ad restitutionem lucri cessantis, etiam si nil ageret, quia hic paratus erat agere, & culpa illius, nil agit, ergo, multò magis qui priuat artificem vita, manu, vel brachio, quæ adeo sunt necessaria ad agendum: nec valet ratio Maioris, quia si artifex ille cessat à labore, non propria voluntate cessat, sed impeditus per vim, & iniuriam.

Scotus in 4. d. 15. q. 3. ait: Teneri homicidam pro damno temporali ad alendam vxorem filios, & familiam vniuersam, quam occisus alebat. Probat, quia his omnibus nocuit cum iniuria. Secundò, quia restitutio debet respondere damno illato priuauit autem alimonia omnes illos quos occisus alebat, ergo tenebitur homicida illos alere.

Hanc sententiam sequitur Adria. de restitut. q. vltima, & citat ibi pro se Speculatorem, & Pano. in illud. c. Si tua causa.

Sed hæc sententia nimis rigida est & intolerabilis. Primò, quia si homicida, quod frequenter continget) nil aliud habeat, vel lucretur, nisi quod necessariũ est ad alendam familiam occisi, sequerentur autem omnem iudicis condemnationem miserum homicidam conijciendum esse in extremam paupertem & necessitatem, ad quod nemo tenetur, nisi a iudice ad id condemnetur, sicut posset condemnari ad aliam pœnam.

Secundò, si homicida nil aliud habeat nisi quo alenda est familia occisi, & ipse quoque sit pater familias, cum iuxta Scotum teneatur illam familiam occisi alere, teneretur suis nullo modò prouidere, quod est contra omne ius naturæ.

Tertiò, si teneretur alere omnes, quos occisus alebat, quia priuauit eos bono, si occisus esset diues, qui alebat multos famulos, & multos pauperes, teneretur quoque homicida omnes illos alere cum ipsos priuauerit simili bono, quod nullus vnquam Theolo. docuit, nec ipse Scot.

Quartò, si occisus abundè, & splendidè aleret suam familiam, essetque diues, teneretur homicida si esset etiam diues ac potens, abundè, & splendidè illam alere, quia illo bono priuauit illam.

Vnde in hac quæstione seruanda est regula D. Tho. vt pro expensis, & lucro cessante ad arbitrium prudentis reddat homicida (si commodè possit) æquiualens, si verò commodè non possit, vel quia est pauper, vel quia ipsius familia indiget, quod iudicio prudentis poterit. In qua restitutione attendenda etiam diligenter sunt, quæ diximus in satisfactione pro damno naturali esse consideranda. Præter quæ obseruandum etiam est, primò: lucra cessantis nõ esse taxanda, secundum id quod occisus posset lucrari, sed secundum quod ipse solebat iuxta suam industriam, & diligentiam, & dies, in quibus solebat laborare, quia dies festi subtrahendi sunt: in illis quoque in quibus solebat laborare considerandum est potuisse ipsum variè impediri, infirmitate, vulnere, incarceratione, aut propria voluntate, quod enim in potentia est, variè potest impediri, consideranda quoque eius ętas, & salus, & iuxta eas quantum poterat probabiliter, viuere, & laborare: Secundò, maximè esse attendendum, quid possit homicida, quam familiam teneatur alere, & quam egestatem patiatur familia defuncti illo amisso: his omnibus pensatis prudens confessor taxabit satisfactionem faciendam ab homicida pro damno temporali: quam regulam optimam esse ita patet: homicida non tenetur satisfacere ratione alimoniæ, sed ratione damni illati cum iniuria, damnum autem illatum sufficienter compensatur reddendo æquiualens vel sibi possibile ad arbitrium prudentis, ergo hæc regula seruanda est, non illa Scoti, nec aliud probant argumenta illius, quæ omnia pertinent ad lucra cessantia, nam damna recepta, vt expensę factæ, certa sunt, nec in eis æstimandis aliquo arbitrio opus est, sed vero, & iusto computo.

Controuersia Septima.

QVIBVS HAEREDIBVS OCCISI SIT facienda restitutio damnorum, & à quibus?

ADrianus, & Scotus (vt constat ex dictis) volunt omnibus hæredibus quos occisus alebat esse faciendam restitutionem, quia omnibus homicida dicendus est nocuisse. Soto loco citato distinguit, hæredes (inquit alij sunt necessarij iure naturæ, vt filij, & parentes, alij verò non necessarij, sed ab intestato, nempe propinqui, quia isti per leges deficientibus hæredibus necessarijs succedunt in hæreditate. Si defunctus discedat intestatus debet, inquit, homicida satisfacere damnum temporale hæredibus necessarijs ex iustitia: alijs verò qui necessarij non sunt, sed ab intestato tantum, non tenetur ex iustitia nisi aduenerit iudicis sententia, quia habent hi per leges ius ad agendum contra homicidam. Ratio Soti est, quia illos hæredes licèt necessarios tenebatur occisus alere, alios nequaquam vnde necessarijs illatum est damnum cum iniuria, & per consequens facienda restitutio, alijs verò non.

Ex recentioribus nonnulli, & grauissimi viri volunt restitutionem damni temporalis, vt expensarum, & lucri cessantis per mortem occisi, faciéndam esse non modò hæredibus necessarijs, verum etiam illis, qui deficientib. necessarijs loco eorum succedunt ab intestato, quia hi succedunt defuncto in omnibus suis actionibus, & iuribus. Vnde sicut si occisus viueret, haberet ius ad repetendas expensas, & lucra sibi cessantia, ita & hi.

Obseruemus, hæredes, vt optimè distinguit Soto, alios esse necessarios, qui non possunt repelli à testatore, quales sunt filij, & parentes, inter quos collocanda etiam est vxor, quia licèt non sit hæres necessaria per leges, pertinet tamen ad familiam viri, tenetur vir illam alere, sicut & filios, estque vir maximum bonum illius, & vna caro cum ea, nec minus nocet homicida vxori occisi, quàm filijs: Alios esse non necessarios, qui in duplici sunt differentia, quidam qui succedunt in bonis defuncti ab intestato, vt consanguinei, alij verò quos testator liberè instituit in suo testamento, quamuis sint extranei.

CONCLVSIO PRIMA.

Hæredibus occisi legitimis, & necessarijs restituenda sunt omnino damna temporalia ipsis illata per tale homicidium, vt expensæ, & lucra cessantia: Vnde tenetur homicida alere vxorem filios, & parentes, quos occisus alebat, ad arbitrium prudentis.

PRobatur: Restitutio reficit damna accepta in bonis proprijs, sed hæredes occisi per illud homicidium læsi sunt in illis expensis, & alimentis, tanquam in bonis proprijs, ergo tenetur homicida ad satisfacienda huiusmodi hæredibus ista damna. Confirmatur minor, Quia pater erga filios est quoddam totum ipsorum, filius erga patrem quædam pars ipsius, vir erga vxorem vna caro cum illa, teneturque pater iure naturæ alere filium, filius patrem indigentem, vir vxorem, adeò vt ad ista præstanda iustè compellantur à iudicibus. Hinc sequitur teneri illum, qui patrem infamauit iniustè ad restituendam famam filijs, cum eadem censeatur fama parentis, & filiorum.

Quod si quis aduersus hanc conclusionem objiciat: alimenta quæ pater filijs, vel vir vxoris præbebat non esse eis restituenda ex iustitia ab homicida, quia nec pater filios, nec vir vxorē ex iustitia teneatur alere, quod ex eo constat, quia si ex iustitia illos alere teneretur, quotiescunq; id non præstaret, teneretur aliquid ipsis restituere, ad quod tamen non tenetur. Et confirmatur consequentia, quia vt docuimus, ideo extrahens monachum à monasterio sine vi, & fraude, non tenetur aliquid monasterio restituere, quia monachus non tenetur laborare, & parare lucra suo conuentui ex iustitia, sed ex religione tantum, & obedientia. Respondeo verum quidem, esse patrem non teneri ad alendos filios, nec virum ad alendam vxorem ex iustitia, tenetur nihilominus pater vinculo pietatis naturalis, & vir ex vinculo matrimonij, quod maius est vinculo iustitiæ, cui rei argumento est filium posse agere coram iudice, contra patrem de alimentis, & vxorem contra virum, & per iustam sententiam præcipi à iudice, vt illa exhibeant. Tùm etiam constat apertissimè ista vincula pietatis, & matrimonij, quibus tenetur pater ad alendos filios, & vir ad alendam vxorem, strictiora esse vinculo iustitię, quia præferuntur debitis ex iustitia: ita vt non teneatur pater soluere debita ex bonis, quibus omnino indiget ad alendos filios, nec vir ex bonis, quibus omnino indiget ad alendam vxorem. Quod autem non teneantur aliquid eis restituere, qñ in ipsis alēdis negligentes fuēt, ex eo nascitur, quod violatio pietatis, vel alterius cuiuscunque virtutis, etiā si maius, aut excellētius vinculum inducat, quàm iustitia, non obligat ad restitutionem, quotiescunque non miscetur illi violatio iustitię. Nec est simile de monacho extracto à monasterio, quia bona, quæ ille suo monasterio parare poterat, non sunt propria monasterij, donec actu, & reuera essent acquisita, filij autem qui à patre suo alebantur, & vxor quam suus vir alebat, illis occisis læsi sunt ab homicida in bonis proprijs.

CONCLVSIO II.

Hæredibus non necessarijs non debetur aliqua restitutio ratione alimentorum.

VErbi gratia, occidit Petrus artificem, qui operibus suæ artis alebat Ioannem, quem constituit hæredem voluntarium, non tenetur occisor Petri restituere aliquid isti hæredi titulo alimentorum, quæ recipiebat à Petro. Patet ex conclusione præcedenti. Hæredibus necessarijs, vt filijs, & vxori sunt restituenda alimenta, quia filij, & vxor cum sint partes ipsius testatoris, & quos iure naturæ tenebatur alere, priuādo eos alimentis nocet ipsis in bonis proprijs, & cum iniuria, at hæredes voluntarij, siue consanguinei, sine extranei non sunt partes ipsius testatoris, nec tenebatur iure naturæ testator illos alere, ergo hi eo, quod priuentur alimentis, quæ testator viuens voluntariè ipsis præbebat, non læduntur in bonis proprijs, nec est ei consequenti titulo alimentorum aliqua ipsis facienda restitutio.

Alijs tamē titulis potest deberi eis restitutio. Primò, si expensæ factæ à testatore in curando vulnere, vel damna illi emergentia non sint illi viuenti restituta ab occisore: Secundò, si conueniat occisus cum læsore de aliqua pecunia, vt remittat illi iniuriam, nec illi viuenti est reddita. Tertiò, si occisus vixit post acceptū vulnus per annum, vel aliquod tempus, quo potuit labore suo lucrum facere, nec tale lucrum ei cessans est à læsore ad arbitrium prudentis restitutum. Hæc & similia sunt restituenda à læsore, hæredibus etiam non necessarijs, quia hæc omnia sunt actu debita occiso, & consequenter quibuscis hæredibus ab ipso institutis, quia iura testatoris transferuntur actu, & reuera in hæredes ab ipso institutis, quicunque illi sint, siue necessarij, siue voluntarij. Ex his diluta manent, quæ Scotus & magister Soto in confirmatione suarum opinionum afferunt.

CONCLVSIO III.

Filij occisoris, & hæredes ad satisfactionem, quæ facienda est per petitionem veniæ, vel restitutionem famæ, aut simili modo non tenentur; ad eam verò, quæ facienda est per pecuniam, pro quocunque damno sit, iuxta ea quæ diximus, tenentur si ab homicida facta non sit.

PAtet prior pars, Quia illa satisfactio est debitū personale, & pars pœnitentiæ pro delicto commisso, ad debita autem personalia defuncti, & ad pœnitentiam pro peccatis illorum non tenentur filij, aut hæredes: [Filius enim non portabit iniquitatem patris, &c.] Ezech. 18. Nisi fortè ante quam occisor, vel infamator ille obijsset, conuenisset cum hæredibus occisi, vel infamato, de aliqua pecunia in recompensa, & satisfactione illius damni; tunc enim tenerentur etiam hæredes illius occisoris, vel infamatoris pecuniam illam restituere, quia tunc pecunia ista iam non esset velut debitum personale, sed reuera temporale, & pecuniarium.

Patet secunda pars, quia debita temporalia, & pecuniaria, quæ contraxit testator, si ipse non soluerit, tenentur soluere filij succedentes in bonis paternis, vel illi omnes ad quos transit hæreditas, quia vnà cum illa transeunt onera, & debita illius, cuius bona hæreditate accipiuntur.

Hinc sequitur patrem, & si sit hæres quoque necessarius filij non teneri, vt in plurimum ad persoluenda debita filij, vel damna ab eo alteri illata, quia vt in plurimum non habet pater bona, quæ de nouo sibi compararet ex filio, & in quibus illi succedat, sed recuperat, quę sua erant, & ipse filio dederat, ea lege, vt ipso moriente in dominium illius, qui dederat, redirent.

Controuersia Octaua.

TENEATVR NE HOMICIDA soluere creditoribus debita quæ occisus viuens exsoluisset, illo autem occiso non habent creditores vnde sua debita recipiant.

SVnt qui teneant partem affirmatiuam adducti his rationibus: Primò, filijs tenetur homicida restituere, quia priuauit, eos alimonia in quam habebant ius, sed creditores habebant ius, & multò potius quam filij ad recuperandum debitum ab illo occiso, quia filij tantū habent ius ex pietate paternali, creditores autem simpliciter

pliciter ex iustitia, ergo tenebitur restituere creditoribus debita.

Secundò ex illo cap. Si tua causa de iniuria, & damno dato idem patet, habetur enim ibi. [Si tua culpa damnum datum est iure te super his satisfacere oportet: sed creditoribus quibus occisus satisfecisset, infert reuera homicida hoc damnum, ne sua debita recipiant, ergo.

Oppositum est probabilius, & magis in vsu apud omnes peritos confessarios, sub hac distinctione: Vt si occisor hac malitia, & intentione occiderit debitorem, ne creditor suum debitum recipiat, teneatur reuera ad illud exsoluendum, quod si ex odio occisi aut concepta ita id faciat, nil cogitans de creditoribus, vt frequenter fit, non teneatur soluere aliquid creditoribus. Probatur prior pars. Qui vi vel dolo impediret creditorem ne suum debitum recuperaret teneretur illud restituere, quia noceret illi cum iniuria, sicut qui vel fraude impedit eleemosynam, vel legatum, at qui hoc fine occideret Petrum ne Ioannes reciperet quæ illi debet Petrus, apertissimè vteretur maxima vi, & dolo ne Ioannes debitum recuperaret, noceretque illi cum iniuria, ergo.

Et confirmatur primò, quia condemnarentur talis homicida per iustam sententiam ad illa debita persoluenda, si probaretur in iudicio eo fine homicidium illud exercuisse. Confirmatur secundo, confessarij qui sunt iudices in interiori foro animę, nunquā soliti sunt interrogare, homicidis, an occisus ab ipsis haberet aliqua debita, nec, ēt si id intelligant obligant eos ad aliquam restitutionem faciēdam creditoribus occisi, nisi quando ea intentione intelligunt homicidium illud effectum esse, ne creditor suum debitum recuperaret.

Probatur secunda pars, Quia restitutio tantum nascitur ex damno illato cum iniuria eius cui infertur quando Petrus occidit Ioannem ex solo odio Ioannis nil cogitans de creditoribus; nocet quidem eis indirectè, non tamen cum iniuria, quia nec illis instituit nocere in bonis vel honore nec aliquo iure aut iustitia tenebatur hic curare debita illorum.

Secundò, nemo tenetur ad aliam satisfactionem in foro conscientię, nisi ad eam ad quam per iustam sententiam explicata rei veritate condemnaretur, at homicidam, qui nil curauit de creditoribus in suo homicidio, nulla lex aut iudex prudens condemnatur vnquam ad soluenda creditoribus debita occisi, nec daretur ei actio in iudicio cōtra talem homicidam, ergo;

Ad argumenta. Primum haberet vim contra Scotum, & magistrum Soto, contra nos nullam, filijs enim aut hęredibus, non fit satisfactio ratione alimoniæ; sed quia illa debetur primo, & per se læso cuius iura transeunt in creditores.

Ad secundum dico, regulam illam iuris intelligendam esse de damno illato cum iniuria, nam vt constat, ex sola illatione damni nisi interueniat iniuria, & iniustitia, non oritur vinculum restitutionis, homicida autem creditoribus quibus debeat occisus nullam vt vidimus infert iniuriam, aut iniustitiam, etsi per accidens noceat.

Controuersia Nona.

AN SI OCCISVS PROXIMVS MORTI remittat homicidę omne debitum, & omnem satisfactionem debitam illi pro damno sibi illato, maneat homicida libere, & absolutus ab omni vinculo restituendi aliquid temporale filijs, vel hęredibus.

SVnt qui tenent partem negantem non manere liberum sed teneri ad satisfaciendum hæredibus, etiam si occisus remittat. Probant. Ius quod habent filij ad recipienda damna illata patri computatur inter bona paterna: sed pater non potest priuare filios bonis paternis, vt inde alantur, ergo nec potest priuare filios isto iure recipiendi damna illata, & ex consequenti etiam si ipse remittat, tenebitur homicida illis restituere.

Secundò, etsi possit renuntiari proprio non tamen iuri filiorum, sed recuperare damna illata occiso est ius filiorum omni leges ipsis tribuunt, ergo pater non potest ita renuntiare, quin homicidę maneat debitum satisfaciendi filijs.

Tertiò; Pater non potest exhæredare filios suis bonis sine culpa, hæc satisfactio sumpta etiam vt debetur patri computatur inter bona paterna, ergo non potest priuare illos (etiam si ipse remittat) quin recipiant illam ab homicida.

Opposita sententia est probabilior, & magis recepta, & in vsu, cuius fundamentum est, quia filijs eo nomine debetur ista satisfactio, quia erat debita patri, cui illatum fuit damnum cum iniuria, transieruntque iura patris in filios: sed patre renuntiante cessat iam illud ius in patre, ergo, & in filijs.

Secundò, Non minus debet latro quod rapuit vero domino, quàm homicida damna illata patri, sed si pater remittat latroni, non tenetur latro aliquid restituere hæredibus, etiam si ipsi ea re inderent ad suam alimoniam, ergo nec homicida tenebitur aliquid hæredibus restituere, si pater remittat.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus, bifariam de illa nos posse agere, aut simpliciter, & stando iuri naturæ, aut stando iuri humano ciuili moderanti, & regulanti ius naturæ propter bonum commune.

Obseruemus secundò in multis prouincijs, vt in Regno Castellæ, sicut pater non potest exhæredare filios, nec disponere de bonis suis in præiudicium filiorum, præter quintam partem, ita quoque in talibus prouincijs non posse patrem remittere debita aut iura vtilia quæ transitura sunt in filios, præter quintam partem, quia talia debita, & iura computantur inter bona paterna: in alijs verò prouincijs, vt in nostro Regno Valentinæ possent parentes liberè exhæredare suos fillos, quamuis si sine iusta causa id faciant peccabunt vt vidimus. Et in talibus prouincijs possent similiter parentes remittere debita, & iura vtilia quæ transirent in filios, ac si remittant, sunt verè remissa, nec transeunt in eos; quia pater erat verus, & liber dominus eorū, verus aūt, & liber dominus, & nulla lege impeditus; potest liberè de suis bonis disponere tali dispositio est valida, tenetque in vtroque foro, aget tamen pater malè, & peccabit mortaliter, si filios egentes habens remittat homicidæ debita, quia priuat eos bonis, quibus indigent, & quæ iustè recepissent.

Obseruemus tertiò, in omnibus prouincijs iure naturali, & humano habere fillos ius & actionem ad exigenda vindictam de homicida patris apud iudicem quod ius cum sit temporale, non spirituale potest æstimari pecunia, & pro pecunia remitti, ac in remissione maior, vel minor pecunia exigi, iuxta damna illata, quia aduersus eum, qui magis nocuit, habent filij vel hæredes, quib. per leges datur talis actio maiorem actionem.

Obseruemus vltimò, vt remissio, quam facit vulneratus suo læsori si se extendant ad damna naturalia vel temporalia, quæ pecunia compensanda erant, habeat aliquam vim apertè & explicite esse exprimentem, nā si tantū dicatur in vniuersum se remittere illi, hic modus remittendi, sicut fit à vulnerato ex charitate, & propter salutē animæ suæ, ita quoque tantum significat illam remissionem, ad quam tenetur ex charitate, nempè se remittere illi iniuriam, & vindictam, quàm apud iudicem exigere poterat, non autem significat remissionem satisfactionis pecuniariæ pro damnis illatis, cum ad talem remissionem non teneretur ex charitate, imò sæpe esset contra charitatem.

CONCLVSIO PRIMA.

Stando in simplici iure naturæ, vbi lex aliter non disponit, si pater remittat omnia damna temporalia expressè & apertè homicidæ, quamuis peccaret ita remittens, si filii indigeant, essetq; impia talis charitas, nihilominus nil teneretur homicida restituere filijs.

HANC probant argumenta secundo loco posita.

CONCLVSIO II.

Stando in iure positiuo, in prouincijs, in quibus pater non potest filios exhæredare, aut bonis paternis priuare, præter quam in quinto, nec potest satisfactionem pecuniariam pro damnis remittere, præter quam in quinto.

HANC probant argumenta primo loco posita.

CONCLVSIO III.

In prouincijs in quibus lex ciuilis non prohibet istam remissionem patri, potest nihilominus filius pro damnis illatis accipere compensationem ab homicida, non tãquam satisfactionem damnorum cui renunciauit pater, & in quam iam non habet vllum ius, sed tanquam pretiũ actionis quam habet ad agendum contra ipsum apud iudicem, quia hæc actio est ius temporale, potestque pecunia æstimari, & in illam commutari.

Controuersia Decima.

AN HOMICIDA CAPTVS A IVDICE & suspensus maneat liber à debito satisfaciendi pro damno temporali, vel teneatur etiam illud compensare, & restituere si possit.

POtest bifariam homicida condemnari ad suppliciũ, aut solo iudice ita id agente, & curante ex officio, ob bonum Reip. in exemplum aliorum, vt custos iustitiæ punitiuæ, parte læsa nil instante vel exigente, aut ipsa parte læsa postulante, ita vt nisi illa institisset, iudex forsan remisisset, condemnat verò, quia pars læsa, nec homicida petente veniam, nec precibus amicorũ, nec oblatione satisfactionis pecuniariæ voluit cessare ab instantia, vt sæpe fit.

Obseruemus secundò, partem læsam bifariam posse remittere actionem, ad quam habet ius apud iudicem, aut statim explicando iudici se nullo modo contra illum velle procedere ad quem modum pertinet, quando cępit agere, sed antequam iudex virtute illius actionis procedat, promittit: Aut remittit, vt aliqui faciunt, quando iam iudex virtute suę postulationis processit, & res eo delata est, vt iudex difficillimè possit non ferre in illum sententiam capitis.

CONCLVSIO PRIMA.

Si homicida suspendatur, iudice ita exigente ex officio, vt custodiæ iustitiæ & parte læsa non instante, tenetur homicida quàmuis suspendatur, satisfactionem debitam damnis illatis filijs, vel hæredibus facere. Quod si suspendatur, quia pars læsa institit, nec voluit remittere vllo modo non tenetur aliquid restituere, nec ipsi, nec hæredes eius.

PRobatur prior pars. Homicida tenetur satisfacere omni iustitiæ quàm læsit, quando suspenditur iudice ita agente ex officio sine instantia partis, satisfacit quidem iustitiæ punitiuæ, & vindicatiuæ pro peccato suo, & iniuria illata, & occiso, & Reip. cuius ille erat membrum, non autem satisfacit iustitiæ commutatiuæ, secundum quam tenetur de damno illato, nisi reddens compẽsationem pecuniariam debitam illi damno, ergo in hoc casu tenetur illam reddere, & mandare illam in testamento suis hæredibus. Probatur secunda pars. Si pars læsa, vel eius hæredes remittant homicidæ damna illata non tenetur ille restituere, sed quando pars læsa instat, nec vult remittere vindictam apud iudicem, etiamsi ipsi satisfactio offeratur, aut venia postuletur, eo ipso ostendit se contemnere, & reijcere omne genus satisfactionis, nec aliud velle, quàm necem homicidæ, ergo in hoc casu homicida suo supplicio manet liber ab omni alia satisfactione.

CONCLVSIO II.

Homicida quando pars læsa institit, sed remittit antequam iudex incipiat procedere, tenetur etiam si suspendatur ad satisfaciendum de damnis, quod si remittat quando iudex iam processit, & virtute instantiæ partis res delata est ad sententiam, vel imminet sententia, nil tenetur illi homicida restituere.

PAtet prior pars, Quia quando pars læsa ita remittit, iudex non agit ex instantia partis, sed merè ex officio, solumq; exercetur in tali casu iustitia vindicatiua. Patet secunda, quia talis remissio iam est inutilis, nec tollit quin homicida patiatur ob instantiam partis, & quod pars omnem aliam satisfactionem cõtempserit, & condonauerit præter necem homicidæ.

Controuersia Vndecima.

DE HIS, QVI DESCENDVNT IN singulare certamen, & duellum, ad quam restitutionem teneantur.

DVo circa duellum inquiri possunt. Primum est, An hoc genus belli licitum sit? Posterius verò, ad quam restitutionem teneantur, qui in illud descendunt? Prior controuersia explicabitur infra quæstione, vbi disputat D. Thom. de homicid. Posterior propria est huius loci. In qua obseruemus primò: bifariã aliquos intrare duellum, aut vtroque se inuicem prouocante, aut altero inducente alterum. Rursum prouocatum, aut simplicibus verbis prouocari, aut adeò importunis & iniuriosis, vt nisi descendat in illud certamen iudicetur ab omnibus vilis, & abiecti animi.

Obseruemus secundò, descendentes in arenam, aut sibi inuicem remisisse omnia damna, quę ibi contingere possunt, & eo pacto constituto inire certamen, aut nil tale inter se constituisse, & cogitasse.

Recentiores his positis statuunt hæc quatuor: Primum, si vterque ita cõuenerint, vt sibi inuicem remittant omnia damna contingentia, neutrum teneri ad aliquid restituendum alteri, nec læso, nec hæredibus, cũ vterque renunciauerit iuri suo, quod liberè potuit. Secundum, si de hoc non conuenerint expressè, si se inuicem prouocarunt, aut alter alterum verbis simplicibus, tunc læsorem teneri ad satisfaciendum læso, vel hæredibus omnia damna, sicut diximus de homicida, quia in hoc casu quicunque istorum alterum occidat, verè homicida est. Dicunt tertiò: si alter alterũ prouocauerit importunis, & contumeliosis verbis, ita vt nisi certamen illud admisisset, iudicaretur vilis, & abiectus, tunc prouocantem si læserit prouocatum debere illi, vel hæredibus restituere damna illata, non minus quàm homicidam, quia verè illi nocet, & cum iniuria, cum alius descendat in certamen illud voluntate

mixta

mixta ex voluntario,& inuoluntario, metu amittendi honoris, sicut qui projicit merces in mari metu mortis,qui metus verè est cadens in constantem virum. Si verò, inquiunt quartò, prouocatus lædat prouocantem non tenetur illi compensare damna,primò,quia in hoc casu prouocans cum ira induxerit alium, videtur renuntiasse voluntariè suo iuri. Secundò,quia sic prouocatus descendit in certamen illud ad defensionem sui honoris,& ad propulsandam iniuriam,quam alter ipsi infert, vnde non occidit alterum cum iniuria,sed potius propriam expellens.

At, quod pace istorum dixerim,licèt primũ dictum eorum verum sit,secundum tamẽ falsum est,quia scienti,& volenti non fit iniuria, cum ea Arist. nemo patiatur iniustum volens: in hoc autem casu quando vterque se inuicem prouocat, vel vnus alterum simplicibus verbis,& prouocatus lubens descendit in illud certamen,vterque consentit in illa omnia damna, ceditque iuri suo saltem implicitè,quod sufficit vt verè dicatur recepisse illa spontaneè,& sine iniuria. Quod vsque adeò verum est,vt si pars læsa apud iudicem peteret,& reciperet restitutionem, ageret contra iustitiam commutatiuam, & deberet restituere quæ acciperet, nec valet ratio illa, in hoc casu occidentem alterum esse verè homicidam,quia qui occidit aliquem consentientem non tenetur illi aliquid restituere,vt vidimus. q. 59. ar. 3. Tum etiam quando iuata primum dictum expressè sibi remittunt qui alterum occidit verè etiam homicida est,nec tamen tenetur ad aliquid restituendum.

Quartum quoque dictum non est admittendum, sed tenetur etiam isto modo prouocatus restituere si lædat reuocantem. Primò,quia cum nullo iure liceat priuata auctoritate aliquem occidere, omnis occisio proximi etiam facta à prouocato est iniusta,& per consequens est illatio damni cum iniuria & iniustitia,vbi autem tale damnum ibi & vinculum restitutionis. Secundò,quia etiam si prouocatus ita agat in defensione sui honoris, nõ licet ipsi hoc nomine proximum suum occidere, ius enim naturale quod concedit vim vi repellere,intelligitur de inuasore quẽ aliter euadere nequimus,nisi occidendo illum,prouocatus autem etiam si verbis iniuriosis prouocetur non patitur talem vim, contemnat illa verba vt Christianus. Tertiò falsum est in hoc casu prouocatum agere in defensionem sui honoris: Primò,quia cum honor sit præmium virtutis, nõ amittitur per vanam filiorũ huius sæculi opinionẽ, sed per sola peccata. Secundò, quia non descendere in certamen,& duellũ etiã prouocatũ est prudentia commendata sacris litteris, nisi bonum commune ita exigeret,vt fecit Dauid cum Gigante, vnde non est dedecus illud respuere nisi his, qui legem Dei & Euangelium Christi obseruare, putant sibi esse dedecus, de quibus Christus:[Qui me erubuerit & sermones meos coram hominibus,erubescam & ego corã patre meo.] Denique iam non est dedecus immò summe necessarium ista certamina non admittere,quacunque ratione quis prouocetur, cum in Conc. Trid. sess. 25. de Reformatio. cap. 16. qui talia suscipiunt quacunque ratione id præstent excommunicentur,& pœnæ infamiæ ac præscriptionis bonorum subijciantur,ac vt iniqui homicidæ iudicentur. Hæc de homicidio. Agamus iam de alijs damnis quæ inferuntur in corpore.

Controuersia Duodecima.

DE MVTILATIONE, VVLNERE, VERbere, & iniusta detentione in carcere.

EX his quæ dicta sunt de homicida facilè est iudicare de alijs damnis,obseruandum tamen est in his duo quoque quæ damna reperiri posse,aliud temporale,vt expensæ quæ fiunt in sanando vulnere, & lucra cessantia ratione mutilationis, aut infirmitatis, aliud verò naturale, vt in mutilatione,defectus membri, in vulnere deformitas cicatricis,quæ maneat,vel saltem iniuria accepta etiam si nulla cicatrix, vel deformitas remaneat,cum percutere, & verberare fratrem sit illi maximum dedecus: similiter afficitur iniuria, qui iniquè in carcere detinetur, patitur enim maximam molestiam iniquè, & priuatur tunc tanto bono naturali quale est libertas.

De damno temporali omnes conueniunt eum qui alium mutilauerit,vulnere,aut verbere læserit,tenetur ad soluendum expensas, quas in sanando illo vulnere fecerit, & lucra cessantia ratione illius mutilationis ad arbitrium prudentis,cum in his intulerit damnum cum iniuria. Et confirmatur, qui rapuit pecuniam tenetur illam restituere, sed valor ea pensatum & lucri cessantis à percutienti fratrem iniustè ablatus est illi ergo tenetur illum restituere. Secundò, qui iniustè lædit equum,vel seruum tenetur domino restituere expensas factas in curando equo,vel seruo,& quæ seruus ille vel equus ob talem læsionem non est lucratus domino suo, ergo similiter qui abscindit brachium artifici,aut verbere sine alio vulnere nocet,ita D. Thom. hic ad 1. & omnes discipuli ipsius: Scotus in 4. d. 15. q. 3. art. 2. Angelica suma in verbo, Restitutio. 5. §. 12. Syluest. eodem verbo, cap. 1. Palud. in 4. dist. 15. q. 2. Gabriel eadem dist. q. 3. art. 2. Maioris in 4. dist. 15. quæst. 11. Adrianus q. vlt. de restitutione. Quę doctrina intelligenda est, siue læsus habeat aliunde vnde viuat siue non,quia vinculum restitutionis(vt sæpe diximus)nascitur ex damno cum iniuria, siue egeat qui illud recepit siue abundet, latro enim tenetur restituere etiam si acceperit à ditissimo,quia nocuit cum iniuria, quod verò alter sit ditissimus est per accidens. Similiter docent omnes de iniqua detentione,si quis iniquè in carcere,exilio vel domi aliquem detineat,tenetur ad restituendum omnia damna illi illata,cum apertè eo ipso quo illum iniquè detinet,inferat illa cum iniuria.

De damno autem naturali vt defectu, membri, vel deformitate cicatricis, aut iniuria quam patitur proximus per vulnus,percussionem,alapam,iniquam detentionem,quæ iniuriæ reducuntur ad damnum naturale,volunt aliqui nil esse restituendum,quia tales defectus, deformitates,vel iniuriæ non sunt propriè æstimabiles pecunia: dicitur enim ff. de his qui deiecerũt. l. Finali. [Cicatricum autem & deformitatis nulla est facienda æstimatio, quia bonum corporis nullam habet æstimationem]simile habetur ff. Si quadrupes pauperiem fecerit. l. 3.

Secundò,sequeretur vt si is,qui mutilauit, vel læsit fratrem ex bonis corporis puniatur pœna legis nẽpe talionis,teneatur adhuc satisfacere pro illo damno naturali ex mutilatione corporis, vel læsione sequuto, sicut fur quamuis suspendatur, tenetur nihilominus damnum illarum in bonis alterius restituere si possit, at si is qui nocuit in corpore fratris pœnam talionis subeat,ad nullam aliam satisfactionem tenetur pro damno illo corporeo,& naturali omnium consensu.

Tertiò,cum hæredes teneantur ad omnia debita defuncti cuius hæreditatem accipiunt si læsor iste,vel mutilator teneretur pro damno naturali aliquid restituere moriente ipso facta tali restitutione tenerentur hæredes ad illam,quod nullus est Doctorum qui doceat.

Deniq; homo,nõ est dominus sui corporis,nec membrorum,ergo nil ipsi pro abscissione,vel læsione corporea restituendum est, patet consequentia,quia restitutio facienda est vero domino.

Oppositum tamen iudico multò probabilius,& consonum placitis D. Thom. qui apertè habet in hoc ar. ad primum. [Quando id quod ablatum est restitui nõ potest per aliquid æquale,debet fieri compensatio qua-

qualis possibilis est.] Affertque hoc exemplum: [Puta cum quis alicui abstulit membrum debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione vtriusq; personæ secundum arbitrium boni viri:] Quæ verba necessariò accipienda sunt de dāno naturali, nam temporale, vt expensæ, & lucra cessantia non rectè compensantur in honore, sed sola pecunia, nec compensanda sunt ad arbitrium boni viri; sed in integrum, vtriusque à parte rei computatis. Secundò Exod. 25. præcipit Deus, vt si dominus seruum oculo priuauerit pro illo defectu, & deformitate, dimittat liberum, ex quo loco, & si præceptum illud iudiciale fuerit, pertinens tantum ad illud tempus, colligitur tamen necessariò damnum naturale deformitatis cicatricis, &c. compensabile esse, & æstimari posse, quo sit compensandum esse aliquo temporali. Denique probatur hæc sententia omnibus illis argumentis quibus ostendimus homicidam teneri ad restituendum etiam damnum naturale quod infert occiso.

Ad argumenta in oppositum respondeo. Ad 1. leges illas hoc tantum innuere, cicatrices, & deformitatem corporis, similesque iniurias non esse æstimabiles secundum æquiualens, & in eodem genere, non tamen negare esse compensabiles in alio, nam & libertas nullo pretio æstimabilis est simpliciter, & nihilominus quando oportet pretio æstimatur.

Ad secundum facilè respondetur, sufficienter satisfacere pro damno naturali, qui pœnam talionis vel constitutam à lege pro illo patitur.

Ad tertium dico, teneri quoque hæredes ad illam satisfactionem, quamuis enim filius non debeat portare iniquitatem patris, debet tamen debita omnia temporalia quæ pecunia exoluenda sunt, si pater cuius hæreditatem ipse accepit non persoluerit, ipse persoluere, quia obligatio temporalis parentum transit cum bonis, & hæreditate ad filios, & hæredes communi Doctorum consensu.

Obseruandum autem hic est in huiusmodi damnis æstimationem non esse faciendam à læso, tum quia in causa propria nemo est optimus iudex, tum quia propria membra, & formam vnusquisque plurimi facit, & frequenter pluris quam oportet, sed facienda est à prudenti, & qui nulla passione ducatur.

DE RESTITVTIONE FAMAE.

HActenus de nocumentis quæ inferuntur in corpore, offert se nunc disputatio de damnis quæ inferuntur in honore, & fama, quo modo reficienda sint: Vbi obseruemus initio Famam, vt definit Glossa in ca. Vitam, de cohabitatione mulierum, esse, [Illæsæ dignitatis statum moribus, & legibus approbatum, & in nullo diminutum.] A Theologis autem, & Philosophis definitur: [Opinio, & æstimatio inculpatæ, & bonæ vitæ quam de aliquo habent homines. Honor verò est, Cultus, & reuerentia, quæ exterius exhibetur alicui ratione virtutis, dignitatis vel excellentiæ alicuius.]

Vnde differunt honor, & fama, quia ille consistit in cultu, & reuerentia exteriori, fama verò in bona opinione interiori, quæ in aliorum mentibus residet: Et ita fama læditur per verba, & detractionem, in qua aliorum vita verè, vel falsò traducitur, & denigratur, honor verò propriè non læditur per detractionem, sed per contemptum, contumeliam, vel irreuerentiam, quæ potest fieri conuicijs aut factis.

Obseruemus secundò, nō esse hic dubitationem aut difficultatem, An fama iniquè sublata sit restituenda: sed qua ratione, prius enim illud certissimum est ex dictis, nam si fama præstat omnibus diuitijs iuxta illud Prouerb. 22. [Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ.] Et restitutio pecuniæ iniustè ablatæ est necessaria ad salutem, quanto magis restitutio famæ? Secundò, si omnis inæqualitas est reducenda ad æqualitatem per restitutionem, & omne damnum illatum cum iniuria reficiendum, quāto potiori iure resarcienda erit inæqualitas, & damnum temporale, quod iniustè aliquem honore, & fama expolians infert? Oportebit ergo ista necessariò reficere. Denique non minus habet loci in restitutione famæ regula illa, Si tua culpa, &c. quàm in restitutione bonorum temporaliū: Tota ergo quæstio est, & difficillima, qua ratione debeat fieri famæ restitutio.

Obseruemus tertiò, tres conditiones omnium Doctorum consensu requiri, vt fama sit restituenda. Prima, vt verè, & realiter ac in effectu sit læsa, & denigrata bona opinio proximi, nam si non est læsa, non est ibi damnum vel inæqualitas, & consequenter nec vinculum restitutionis, sicut fur qui conatus est alienum rapere, si frustratus suo conatu nil accepit, peccauit quidem mortaliter, nil tamen tenetur restituere, quia nullum intulit damnum, nec fecit aliquam inæqualitatē. Famam autem proximi definit aliquis lædere per detractionem quatuor modis. 1. si vir qui infamatur eiuscemodi est, vt licèt quæ de ipso dicuntur secundum se turpia sint, & mala, in illo tamen non iudicentur turpia, nec ipse iudicat per illā famā suam minui: vt si de aulico vel iuuene lasciuo dicas ipsum ardenter amare aliquam puellam, de milite vel nobili descendisse in duellum, hæc enim in istis non iudicantur communiter turpia, nec ipsi putant talia sibi esse infamiæ, sed honori potius: in hoc casu qui talia diceret, etsi falsò, nō tenetur restituere famam, quia non infamauit istos. Secundò, quando is, cui detrahit erat iam persona infamis in illo genere vitij, vt si dicam etsi falsò de publica meretrice concubuisse cum suo lenone. Tertiò, si id quod dictum est leue, per leuia enim delicta non læditur fama. Voco autem leuia (vt in materia de correctione) non venialia, sed quæ in tali personæ habentur pro leuibus, nec propterea minuunt optima ipsius opinio, aliquod enim veniale, quod in laicis nullo modo lædet ipsorum opinionem, in religioso, & honesto viro plurimum potest nocere, vt si dixeris de religioso noctu comitatum esse mulierem. Quartò, cum detrahenti non adhibetur fides, vel quia certò iudicatur ab audientibus mendax, vel iocosè loqui.

Secunda conditio est, vt fama lædatur iniustè, nam vt sæpe diximus cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, qua reficitur iniustitia, & inæqualitas, vbi nocemus quidem proximo, iustè tamen, & sine vlla iniuria ibi non est debitum restitutionis, sicut qui in extrema necessitate constitutus accipit panem quo indiget, non tenetur ad illum restituendum, quia non accepit iniustè. Vnde non tenetur ad restituendam famā iudex, qui per allegata, & probata condemnauit innocentem, quia licèt nocuerit, non tamen iniustè, nisi iam alia via iusta, & iuridica constaret de illius innocentia: Nec tenebitur ad restituendam famam, qui iustè aliquem in iudicio accusauit, aut qui vt frater corripiatur seruato ordine Euangelico crimen illius aperuit testibus, vel detulit ad prælatum, quia hic non infamauit fratrem iniustè. Similiter nec qui verum delinquentē dignum supplicio, & cuius crimina iuridicè probari possunt, accusat apud iudicem, etiam si id faciat non ex desiderio iustitiæ, sed ex odio & liuore, peccat quidem grauiter contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Dixi verum delinquentem, e enim qui existimans se accusare verum delinquentem fallitur, accusans innocentem tanquam nocentem, debet (vt suo loco copiosè dicemus) cum primum nouerit se deceptum fuisse seipsum retractare.

Tertia conditio est, vt ille infamatus non recuperauerit alia via suam famam, etenim si iam illam recuperauit est; per seutè separata, cessauit omne damnum, & inæqualitas, simulque obligatio restituendi illi famam, veluti si Petrus recuperasset per seipsum rem furto ablatam nō teneretur fur ad restitutionem. Vnde si

infa-

infamaui aliquem de concubinatu, videamque illis, quibus id dixi, constare iam certò falsum esse quod dixi, non teneor iam famam illi restituere. Dixi de aliquo capto ab inquisitoribus esse hæreticum, vel suspectum in fide, constat deinde illum perfectè esse purgatum, & publica sententia ostensum verè Catholicum, & liberum ab omni suspicione hæresis, non teneor famam illi restituere, quia iam cessat omne damnum à me illatum. Infamasset, verbi gratia, aliquis Susannam quando agebatur eius causa de adulterio, quando deinde tam certo, & euidenti miraculo, ac testimonio cōstitit eius innocentia, & castitas, non tenebatur aliquid illi in fama restituere. Quod si dicas, qui nocet in bonis, etiamsi alter habeat aliunde, tenetur nihilominus illi restituere, ergo qui infamauit tenebitur etiam si fama fratris alia via reparata sit, seipsum retractare. Respondeo non esse idem iudicium, quia quando quis nocet in bonis Petro, etiam si Petrus aliunde habeat, manet tamen semper damnum illatum Petro cum iniuria, manetque Petrus expoliatus re sibi accepta, donec ei restituatur, at si quis nocuit in fama, ea quacunque via recuperata, cessat omne damnum &c. Oppositum videtur sentire D. Nauar. in suo Manual. cap. 18. num. 43. sed doctrina hic posita est communis & ab omnibus recepta.

Obseruemus quartò, quatuor modis posse aliquem infamari. Primò, quando falsò imponitur fratri crimen, quod non commisit, & hoc dupliciter, aut priuatim, & extra iudicium, aut in iudicio. Secundò, quando reuelatur, & detegitur, verum crimen fratris, occultum tamen, detegitur qua aut priuatim contra ordinē charitatis, & correctionis fraternæ, aut publicè in iudicio contra ordinem iuris, vt cum quis reuelat coram iudice occultum crimen quod testibus probari non potest. Tertiò, quando ad tuendum se, & suum honorem infamatur, & hoc dupliciter, aut iure, aut contra ius, iure, vt cum quis negat suum crimen, quod alter iniquè detegit, tunc sic negans delatorem illum infamat de mendacio, sed iure, cum delator ille iniustè reuelauerit, contra ius verò, quando delator iustè & iuridicè detegit in iudicio. Vltimò, quando quæ ab alijs audiuimus de proximis nostris alijs referimus, qui modus vsitatissimus est, & maximè noxius. De singulis suo ordine disseramus & primò.

Controuersia Decimatertia.

AD QVAM SATISFACTIONEM TEneatur qui fratrem falsò infamauit de aliquo crimine.

NEminem latet, eum qui falsò fratri suo crimē imposuit, teneri ad cantandam palinodiam, imperitum tamen vulgus iudicās hoc sibi graue, vtitur hac duplici ratione. Primò, ordine charitatis bona propria præferenda sunt alienis eiusdem ordinis, vt vita propria famæ alienæ, at seipsum retractare, & affirmare se esse mentitum esset præferre famam alienam famæ propriæ, & contra ordinem charitatis, ergo.

Secundò, restitutio fit ad constituendam hanc æqualitatem, vt sicut expoliando fratrem aliquo bono illud mihi creuit, & fratri decreuit, ita per restitutionem recipiat frater quod illi deest, & detrahatur mihi quod in me iniquè abundat, at quando infamaui fratrem nil mihi accreuit honoris & famæ, ergo non tenebor famam meam minuere, vel potius exponere asserendo me mentitum, vt illi fama restituatur. Nihilominus sit,

CONCLVSIO PRIMA.

Qui falsò infamauit fratrem siue in iudicio, siue extra iuditium, tenetur se ipsum retractare, & affirmare se mentitum, nisi huiusmodi infamator tantæ esset dignitatis, vt inter opinionē, & famam ipsius, & famā alterius quem infamauit, esset maxima distantia, & inæqualitas.

PRobatur prior pars, Qui nocuit cum iniuria, potestque reddere æquiualens, & in eodem genere, tenetur illud reddere, æquiualens in hoc casu nullum aliud est nisi seipsum retractare, quod facilè potest sermo oris sui. Ergo tenetur.

Secundò, nemini licet consulere proprijs bonis cum iactura & damno proximi, at si iste infamator in hoc casu vellet cessare ab hac restitutione famæ illi quem læsit, ne ipsius fama periclitaretur, esset velle consulere sibi cum damno proximi, ergo.

Tertiò, in hoc casu necesse est alterum manere infamatum, aut detractorem ipsum, aut illum cui detraxit, sed omni iure potior est ratio, & conditio innocentis, & patientis iniuriam quàm inferentis iniustè, ergo qui ita detraxit tenebitur restituere, & cum damno propriæ famæ.

Secunda pars, Quando est maxima inæqualitas inter famam vtriusque vt si prælatus vel vir nobilissimus plebeium falsò infamauerit, non teneri ad retractandum, & seipsum bona opinione priuare, sed vel pecunia, vel alia compensatione ad arbitrium prudentis illi satisfacere. Probatur, Sicut ad restituendam pecuniam alienam debeo quidem pati damnū in propria, non tamen cum maximo excessu, vt si rapui 100. Petro nec valeo illa restituere, nisi expendam 1000. nō teneor, sed conferam illa 10. pauperibus, ita quoque licet ad restituendam famam proximo, quem falsò, & iniustè infamaui, tenear pati damnum in propria fama, quia potior est conditio patientis iniuriam quàm inferentis, at quando damnum istud est excessiuum, non tenebor, sed satisfaciam alia via, inter famam verò hominis plebeij, & famam Episcopi, vel viri illustris est maxima distantia, & excessus, non ergo tenebitur Episcopus, vel vir illustris restituere famā plebeio, asserendo se esse mentitū, cum tanta iactura suæ bonæ opinionis, sed satisfaciet illi vel pecuniaria via, vel alia simili.

Et confirmatur. Restitutio fit ad constituendam æqualitatem, at Episcopum, vel virum illustrem cadere à sua bona opinione, vt restituat famam plebeio non esset æqualitas, sed inæqualitas, ergo.

Secundò, sicut infamator tenetur ad restituendam famam, ita qui opprobrio, vel contumelia alium affecit tenetur ad placandum illum petita venia ab eo, at vir illustris non tenetur veniam petere à plebeio, nec prælatus à suo inferiori, etiam si in verbis modum excesserit, vt ait D. Aug. in sua regula, ergo neque vir grauis quando ex restitutione famæ plebeij incurret maximum detrimentum suæ opinionis, & famæ, tenebitur ad illam restituēdam cum tali damno, sed alia via: cōueniunt in hac parte multi graues Doctores quamuis alij nonnulli contra sentiant, vt proximè sequenti controuersia explicabitur.

CONCLVSIO II.

Qui falsò alium infamauit, si intelligit sua simplici retractione ei cui nocuit non esse plenè restitutum, sed illos qui audierunt non habere fidē simplici verbo ipsius, (quod frequenter accidit, cum simus homines proniores ad credenda mala quam bona de fratribus) tenetur iureiurando, aut adhibitis testibus, aut alia via vtili, & accommodata qua ipsi fides habeatur, efficere, vt credant illi ipsum fuisse mentitum, & fratrem non commisisse crimen illud: Quod si facta hac diligentia alij nihilominus sinistrè iudicent de fratre, hic qui infamauit non tenetur ad amplius.

PRior pars patet. Qui nocuit fratri cum iniuria tenetur omnibus vijs sibi licitis,& facilibus resarcire illud,sed quando non creditur simplici verbo,adhibere iuramentum est via licita tunc enim non assumitur nomen Dei in vanum, imò seruantur omnes conditiones requisitæ ad iuramentum, in veritate enim iurat se esse mentitum: & in iustitia,quia exercet actum iustitiæ commutatiuæ, & cum necessitate ad bonum adeo necessarium fratri, Adhibere quoque testes est via licita,nec multum difficilis,ergo tenebitur tunc ad hibere iuramentum,vel testes:adeò, vt, si oportuerit facere expensas in adhibendis illis testibus, mittendis nuntijs teneatur illas facere.Etenim sicut is,qui nocuit in bonis tenetur cum damno suorum bonorum illa restituere, & qui nocuit illato vulnere ex bonis suis compensare expensas factas ad illud curandum, quia res inferioris ordinis, vt pecunia debent deseruire rebus superioris ordinis,vt famæ,saluti, &c.ita qui falsò,& inique alium infamauit,tenetur famam illi restituere, non solum cum damno suæ famæ, verum etiam cum damno suarum pecuniarum,si illas expendere oportuerit ad restituendam famam, quam læsit. Confirmantur hæc omnia. Qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media ad illum obtinendum necessaria, qui fratrem infamauit tenetur restituere illi famam, ergo quando ad restituendam famam oportebit adhibere ius iurandum,vel testes, & facere expensas ad illos afferendos,tenebitur hæc omnia præstare, Intelligenda autem hæc sunt nisi illæ expensæ adeò excederent, vt iudicarentur à prudente maius bonum quam fama alterius.

Secunda pars constat, quia his adhibitis iam fecit hic quod in se est, vt tollatur sinistra opinio fratris, quod si alij sua malitia volunt ad huc sinistre iudicare, imputetur ipsis,non huic,Sed dices,adhuc fama illius manet læsa, & mea culpa, ergo teneor ad hæc aliquid vltra facere, Respondeo in hoc casu me iam fecisse quod in me est,& culpa illorum manere ad huc læsam non mea. Videntur quæ hic docemus de testibus adhibendis D.Naua.dura, & aspera in suo Manua.c.18. n.45.sed ab alijs DD.receptissima hęc sunt,& certa.

CONCLVSIO III.

Nisi maxima certitudine morali intelligat confessarius eum qui falsò alium infamauit, statim esse id præstitutum non absoluat quin prius id præstet.

RAtio est apertissima.Facilius homines reddent pecuniam alienam quam dicant se mentitos,sed habens alienum quod potest statim reddere non est absoluendus, quia prius reddat, nisi habeatur maxima certitudo moralis quod inde recedens statim redder, ergo multò potius qui alium falsò infamauit est compellendus ad famæ restitutionem antequam absoluatur.Secundò experientia teste,quando volunt confiteri, & differtur absolutio obediunt pœnitentes confessarijs, obtenta absolutione obliuiscuntur,& differunt amplere promissa, confessarius ergo cum non solum sit iudex verum etiam medicus debet differre donec restituat,vt sic præstet pęnitens quod tenetur,& saluti illius consulat. Denique est præceptum Christi de eo qui aliū affecit conuicijs vt non absoluatur quin prius ab eo petat veniam illique reconcilietur Matth.8. [Si offers munus tuum, & ibi recordatus fueris quia habet frater tuus aliquid aduersus te,relinque ibi munus tuum,& vade prius reconciliari fratri tuo,& tunc veniens offeres munus tuum.]Ergo qui alium infamauit prius reficiat damnum illatum fratri, quam absoluatur :nō enim minus tenetur infamator ad restituendā famam,quamqui conuitiauit fratri ad illū placandum.

Vnde obseruant aliqui in illud Christi Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo : præcepisse Christum vt prius fratri quæ debemus reddamus,quam offeramus Deo aliquod obsequium, Et apertissimè Leui.6. habetur. [Qui vi aliquid extorsit, aut fecit calumniam,vel iniuriam fratri, omnia integra primum restituat, deinde pro peccato offerat Deo arietem immaculatum.

Nunc ad argumenta initio proposita. Ad primum respondeo cum Scoto in 4.dist.15.quæst.4.ordine charitatis bona propria esse præferenda alienis eiusdem generis, quando propria mihi iustè competunt,nec proximo sunt debita,quod si contra accidat, debeo ad restituendum debitum & propria exponere, vt si iniustè accepi.10.aureos Petri, teneor ex meis illos restituere, quia iniustè mihi competunt, Petro verò iustè debentur,ita in proposito infamato debetur fama iustè, detractori verò competit iniuste quia eo ipso quo detractor est,amisit ius in bonum nomen, & consequenter debet infamato, & cum damno propriæ famæ famam restituere. Sit ergo regula:Simpliciter mea bona præferenda sunt alienis,at quando nocui alienis, præferenda est satisfactio alienorum,quia potior est conditio innocentis, & patientis iniuriam, quam inferentis.

Ad secundum respondeo inæqualitatem non solum fieri quando quod vni detrahitur,& decrescit, alteri additur,& decrescit, verum etiam quando iniustè detrahitur fratri quod suum est. Et enim expoliare verum dominum re sua,etiam si illa nulli alteri conferatur,est iniustitia,& eo ipso inæqualitas necessariò reficienda, vt cum comburo domum vel segetes alicuius, nil mihi crescit, feci tamen inæqualitatem priuando illum iniustè re sua, teneorque ad restituendum:sic in proposito,& si ex infamia alterius nil mihi famę aut lucri accrescat,quia tamen illum sua fama iniquè expoliaui,feci inæqualitatem in fama, quā teneor restituere. In conclusionibus huius controu. conueniunt omnes DD.præter quam in secunda parte primæ ad cuius maiorem intelligentiam videamus oportet.

Controuersia Decimaquarta.

AN FAMA SEMPER SIT RESTItuenda in eodem genere, vel liceat aliquando restituere illam in alio genere, vel ut pecunia?

SVnt qui sentiant in nullo casu posse aliquem deobligari à restitutione famæ in eodem genere , sed virum etiam illustrissimū qui plebeium infamauerit, teneri ad restituendam illi famam, nec pecunia vel alia via posse compensari, sed sola restitutione famæ tetractando se ipsum si falsò infamauit, vel eo modo quo dicemus satisfaciendum esse quando verum fratris delictum iniquè detectum est.In probanda autem sua sententia non tam impugnant quam nos præce.controu. amplectimur quam exemplum illud quo vsi sumus in primò argum.ad restituenda. 10.non esse expendenda. 500. sic enim argumentantur.

Restitutio famæ, & pecuniæ non sunt similes,quia pecunia aliena potest restitui sine detrimento proprio: Etenim qui accepit.10. aliena,quamdiu illa retinet,habet semper apud se illa aliena,& quando illa restituit, non restituit sua sed aliena quæ habebat,quo sit vt non patiatur detrimentum in suis,at fama non potest restitui sine infamia restituentis ex suo genere, vnde, & si infamator alterius vir grauissimus sit,& infamatus vir plebeius, tenebitur nihilominus vir ille grauissima cum detrimenta suę opinionis famam alteri restituere, quia huiusmodi restitutio sic exigit ex suo genere.

Secundò,si quis non potest restituere pecuniam sine graui damno suæ pecuniæ, non deobligatur propterea à restitutione, sed tantum differtur illi, concedi-

turque

turque vt restituat cum primum commode poterit, ergo similiter si vir illustris infammauit plebeum, non est propterea de obligandus à restitutione famæ, sed concedendum tantum illi, vt id faciat cum commodius poterit. Denique est regula certissima, & generalis 14. quæst. 6. can. Si res. & Reg. 4. de regu. iuris non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum, sed hic vir illustris iniustè expoliauit plebeũ sua fama, ergo non dimittitur ei peccatum, nisi restituat illi famam, quam inique abstulit: dare autem illi aliquam pecuniam non est restituere illi famam, Ergo. Hæc prima opinio tribuitur Nauar. in Manua. cap. 18. num. 48. vbi refert opinionem M. Soto, quam infra referemus: cæterum Nauar. licèt opinionem Soti iudicet nouã, & duram: non tamen illam negat, si vir illustris alia via compenset aut obtineat, vt sibi condonetur.

Sylu. verb. Detractio. quæst. 4. ferũtq; idem docuisse Salmanticæ Mag. Victoriam vult vt sicut is qui tenetur pecuniam restituere, nec potest, non obligatur, vt quod non valet in pecunia restituat in fama, ita nec qui tenebatur restituere famam, nec debet ex aliqua iusta causa (vt in exemplo quo vtimur de viro illustri infamante plebeum) teneatur restituere in pecunia. Vnde hi DD. non obligant Episcopum aut virum illustrem ad restituendam famam plebeo retractando se ipsos, & cum iactura suæ bonæ opinionis (hac enim in parte conueniunt nobiscum (volunt tamen non teneri ad satisfaciendum in pecunia aut alia via, quando non potest vel non debet fieri restitutio famæ in eodem genere. Subscribunt huic sententiæ nonnulli recentiores adducti his rationibus.

Primò, Qui non potest restituere pecuniam iniquè acceptam alia pecunia, non tenetur illam restituere in orationibus, aut in alio genere, Ergo similiter qui non potest aut non tenetur restituere famam in eodem genere, non tenebitur in alio veluti pecunia. Probatur consequentia, Quia si restitutio quando nõ potest fieri in eodem genere boni, posset in alio, certè qui nõ posset restituere pecuniam in pecunia, teneretur restituere illam in honore, vel obsequijs, aut orationibus &c. quod nullus vnquam docuit.

Secundò, iuxta oppositam sententiam, qui mulierem nuptam ducit in suam cupiditatem cum noceat viro illius per tale adulterium in honore, & fama, teneretur satisfacere honori illius in pecunijs, at nil tale est in vsu, nec periti confessarij præceperunt vnquã alicui tale genus satisfactionis.

Tertiò, infamator qui post illam infamiam recessit in prouinciam longissimè distantem, vel ipse, vel is apud quem fratrem suum infamauit, cum non possit fratri suo famam restituere, teneretur satisfacere illi aut in pecunijs si posset, aut orationibus, quod nullus quoque DD. vnquam docuit.

Denique, multorum iudicio qui læsit in bonis naturalibus corporis quæ restitui non possunt in eodem genere, vt qui abscindit brachium, non tenetur ad restituendum bona illa in alio genere, Ergo neque fama, quando illa ex iusta causa in eodem genere restituenda non est, erit compensanda in alio genere.

Scotus in 4. dist. 15. q. 4. Adria. in suo 4. de restit. fol. 95. Soto lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. glo. in ca. Ecclesiæ S. Mariæ, vt lite. pend. nil. innou. & multi quoque ex recentioribus interpretibus D. Tho. docent famam in hoc casu de quo loquimur, quando iusta de causa non debet restitui in eodem genere, esse restituendam in alio, veluti pecunia, aut alia via, damnũque illud compensandum ad arbitrium prudentis. Colligunt hanc sententiam ex D Tho. qui hic ad secũdum habet apertè vt si infamator non possit famam restituere infamato debeat ei aliter compensare. t. in alio genere bonorum, nec sunt audiendi qui sequuti D. Nauar. in suo Manua. c. 16. nu. 90. Hunc locum D. Tho. ita interpretantur, vt sit restitutio facienda aliter, & in alio genere bonorum, non pro infamia, sed pro damno subsequuto in aliquibus bonis pecuniarijs ex tali infamia, hæc inquam explicatio nullo modo est admittenda, nec illam patiuntur verba D. Tho. cum apertè loquatur de infamatore qui non valet famam restituere. Et confirmatur hæc tertia opinio: Quando opus est ad restituendam famam in proprio genere facere expensas, veluti in mittendis nuntijs, in afferendis testibus, faciendæ sunt vt vidimus, ergo multò magis quando fama in proprio genere restitui non potest, vel non debet, poterunt tunc deseruire pecuniæ, & fieri compensatio in pecunijs.

Secundò, licèt fama sit multò preciosior pecunijs, nihilominus cum sit bonum temporale potest æstimari pecunijs, & tanta esset quantitas pecuniarum vt æquetur famæ, sicut aurum preciosius multò est quam argentum, at magna quantitas argenti potest æquare, & excedere aliquam quantitatem auri. Poterit ergo aliquando infamia compensari pecunijs, at id nunquam commodius fieri potest, quàm cum fama non potest aut non debet restitui in eodem genere, ergo.

Denique, quando damnum illatum in corpore vel membris non potest refici in eodem genere, reficiendum est, vt vidimus, in pecunijs, ergo multò potius damnum illatum in fama, quando in eodem genere famæ non potest aut non debet restitui: patet consequentia, quia fama cum non numeretur in bonis naturalibus, sed in temporalibus, maiorem affinitatem habet cum diuitijs quam habeãt cum ipsis vita, vel salus aut integritas membrorum.

Nos hanc sententiam sequimur, ad cuius maiorem explicationem.

CONCLVSIO I.

Si per sententiam iudicis damnetur infamator ad conferendam aliquam pecuniam infamato, vel ipsi inter se veniant de aliqua pecunia conferenda pro infamia, tenetur infamator ex iustitia illam exhibere infamato.

PRobatur, iusta sententia obligat in foro interiori, pacta quoque, & conuentiones iustæ obligant ex iustitia, sed talis sententia iudicis potest esse iusta, pactum quoque illud potest esse honestum, & iustum, ergo, & obligare. Maior certa est. Probatur minor: In primis iudex nec peccatum illius infamatoris (cum noceat proximo) maneat impunitum, potest condemnare illum ad pęnam pecuniariam, sicut ad aliam quamcunque. Similiter cum infamatus (vt videbimus) possit remittere restitutionem suæ famæ, possit etiam cedere iuri, & actioni quam habet ad exigendam apud iudicem punitionem sui infamatoris, potest accipere ab illo pecuniam, & conuenire cum illo tam vt remittat ei restitutionem suæ famæ, quàm vt cedat iuri, & actioni quam habet exigendi punitionem illius.

CONCLVSIO II.

Seclusa tali sententia, vel conuentione partium inter se, probabilis est opinio illa Syluest. & Victoriæ, sed probabilior multò opposita Scoti, Adriani, & Soti quam sequimur.

PRior pars ex eo constat, quod habeat Auctores adeo graues, & satis probabiles ratione, quibus nitatur. Posterior verò constat ex argumentis, quibus tertia opinio confirmata est, quæ sunt multò efficaciora, maximè ex auctoritate D. Tho. adeo apertè loquentis in fauorem huius opinionis. Et confir. adhuc fatentur auctores alterius opinionis, in hoc casu si infamator sit diues, & potens, infamatus verò pauper debere confessarium admonere talem infamatorem, & niti, vt infamiam illam compenset pecunijs, vel ali-

quo

quo alio beneficio, sed communiter in hoc casu infamator est diues, & potens, quia supponimus esse virum illustrē, infamatus verò est pauper, & egens, quia constituimus, esse plebeium, ergo tenebitur huiusmodi infamator (de quo hic agimus) famā, quam illi plebeo nun debet ob suam dignitatem restituere in eodem genere, compensare in pecunijs vel re simili.

Nunc ad Argumenta in oppositum. In primis ad illa primæ opinionis.

Ad primum respondeo nos non vti illo exemplo, quasi restitutio famæ, & pecuniæ debeant esse per omnia similes sed vt explicemus minus bonum non esse ex iustitia restituendum cum iactura maioris, & multum excedentis, sicut non tenetur aliquis expendere 100. vt restituat 10. quo posito, & explicato isto exemplo, inferimus in bona cōsequentia, famā plebeij non esse restituendam cum iactura famæ, & opinionis grauissimi viri, quia esset reficere minus bonum cum detrimento multo maioris, quod esset inæqualitas.

Quod verò infert secundo argumento, virum grauem debere restituere famam plebeo, quādo commodè potest sine detrimento suæ famæ, quæ tantò alteri præstat, non negamus, at quandiu id non potest sine tali detrimento dicimus eum non teneri, sed sufficere, vt quod in eodem genere restituere non potest, compenset in alio ad arbitrium prudentis.

Ad vltimum dico regulā illam esse intelligendam, quando restitutio rei ablatæ commodè ac sine inæqualitate fieri potest, quod in hoc casu non habet locum, cum esset inæqualitas exponere pro fama plebei bonam opinionem viri illustris, vt constat.

Ad Arg. Sylu. & aliorum. Ad primū dico, pecuniam non compensari fama aut orationibus, quia damnum illatum in pecunia non reficitur aliqua ex parte honore vel orationibus, restitutio autem fit ad compensandum damnum, at damnum illatum in fama cum sit temporale, & precio æstimabile, quando in eodem genere refici non potest, potest refici in pecunijs.

Ad secundum dico per adulterium non infamari virum adulteræ criminis illius omnino ignarum, sed adulterum potius ipsum & adulteram manere infames, quia infamia est sinistra opinio quæ de aliquo habetur ob sua crimina, quod si opinione mundi vir adulteræ contemnatur, huius opinionis mundi nulla habetur ratio in his quæ pertinent ad conscientiam.

Ad tertium dico in illo euentu infamatorem non teneri ad aliquam restitutionem perinde ac si is qui audiuit esset vita functus, quia idem est iudicium in hac parte longissimè distantis, & defuncti.

Ad vltimum constat ex superioribus, quo etiam argumento vsi sumus in confirmatione sententiæ quam sequimur, damna corporalia, quæ in eodem genere refici non possunt, compensanda esse pecunijs, aut aliqua commoda via.

Nunc de illo qui fratrem suū infamat defecto vero illius crimine.

Controuersia Decimaquinta.

QVA RATIONE RESTITVENDA sit fama proximo quando verum ipsius crimen occultum tamen, inique reuelatur.

LÆditur etiam fama proximi, cum verum illius crimen detegimus sed contra ius idque bifariam aut in iudicio de quo inferius differemus. q. 70. ante a tra in iudiciū, vt quando in priuatis colloquijs occultū fratris delict um pandimus: expoliatur enim tunc proximus sua fama inique, cum ad illam habeat ius, quamdiu delictum ipsius occultum, & secretum est de quo genere infamiæ nūc dicemus qua ratione reficiēda sit.

In hac parte quot capita tot sententiæ, nec mirum: est enim difficillima hæc restitutio, & quæ tarò fortitur suum effectum, quo nomine vidi aliquando viros grauissimos iudicasse grauius peccatum, detegere verum fratris delictū, sed occultum quàm falsum imponere, quia damnum quod infert qui falsum refert facile reficitur, quod verò infert qui verum occultum prodit, difficilime, & ferè nunquā, quamuis Nauar. in Manua. capit. 18. num. 46. existimet vtrumque æquale damnū inferre grauiusque peccare, illum qui falsum imponit, eo qui verum, sed occultum manifestat. Quicquid autē sit de grauitate huius culpæ, illud tamen certum est, hoc genus restitutionis adeò difficile esse, vt sua difficultate Doctores in varias traxerit sententias, sicut difficillimis infirmitatibus varia excogitantur medicamenta.

D. Tho. hic ad secundum & in 4. d. 15. q. 2. art. 5. ad secundum, Scotus eadem dist. q. 4. & omnes ferè antiqui iudicarunt, debere huiusmodi infamatorem adire eos apud quos occultum fratris sui delictum propalauit, & affirmare se perperam illud dixisse, maleque, & inique fuisse loquutum de fratre, nullamque sibi in his quæ de illo retulit esse adhibendam fidem, imo fratrem illum esse virum honestum, studiosum, neque aliter de eo sentiēdum. Maior in 4. dist. 15. q. 16. col. 4. eundem modum restituendi amplectitur, cum dicat oportere, & satis esse ita dicere: Quando tale delictum de tali dixi, illud verum existimabam, sed adhibita postea diligentia inueni me prauè loquutum:] Hic modus si quidem sufficeret ad delendam omnino ex animis aliorum sinistram opinionem quam de fratre illo infamato conceperant optimus quidem esset, cum nullum mendacium contineat, ac licèt apud rusticos, & simplices vtilis sit, & quo audito credent fratrem illum nil tale commisisse, apud sapientes tamen, & ingeniosos potius est confirmatio præcedentis dicti. & commemoratio iniuriæ illatæ, quam retractatio seu restitutio, homines enim vel mediocriter instituti cum intelligant eum, qui falsum crimen fratri imposuit teneri ad se ipsum apertè retractādum, & affirmandum se esse mentitum, videntes illum infamatorem nec se ipsum apertè retractare, nec affirmare se esse mentitum, sed illud tantum se iniquè & iniustè fuisse loquutum, firmius credent verum esse delictum illud quod antea de fratre illo retulerat: qua de causa hic modus restituendi adeò probatus antiquis non probatur recentioribus.

Ex quibus nonnulli volunt infamatorem istum debere vti verbis æquiuocis, & ambiguis, quibus reuera non retractet se ipsum nec mentiatur, cum mēdacium nec pro honore aut fama totius mundi afferendū sit, audientes verò illum existiment se ipsum retractare, & mentitum fuisse, Sed neque hic secundus modus restituendi famam, est satis accommodatus. primò, quia non explicat in particulari quod maximè in hac parte exigitur, quibus verbis aut qua ratione infamia, de qua loquimur reficienda sit, secundò incidit in idem incommodum, quia, & si apud viros simplices, & idiotas verba ambigua, & æquiuoca forsan sufficiant, vt credant illum infamatorem se ipsum retractare, sapientes tamen, & acuti videntes illum nec asserere apertis verbis se esse mentitum, quod debet qui falsò crimen fratri imposuit, intelligent infamatum verè illud commisisse.

Caie. hic, Soto lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. Doctor Nauar. in Man. c. 18. num. 45. & multi recentiores assignant hunc modum, vt infamator iste tàm apud eos apud quos fratrem suum infamauit, quàm apud alios nullam amplius mentionem faciat delicti quod retulit, sed apud eos apud quos illum infamauit occasione quæsita ab ipso, apud alios verò ablata, & quoties opportunitas inciderit, adeò honorificè, & decenter de illo fratre loquatur, virtutes illius referat, & cum ipso amicè familiariterque agat vt omnes sinistram quam de illo conceperant opinionem omnino mutent, Admonentque

monentque hi Doctores oportere in hoc casu infamatorem curare diligenter ne quæ in honorem illius fratris ab ipso infamari loquitur, & familiaritas qua cum illo agit videantur de industria fieri gratia restituendæ illi famæ, quis aliter esset reuocare in memoriam aliorum iniuriam illatam, & forsan obliuioni traditam. Quod si viderit neque hac via, & diligentia famam fratri suo restitui, vt communiter accidit, defectum inquiunt huius restitutionis alia via pecunijs, vel pote vel beneficijs compenset ad arbitrium prudentis. Denique iuxta hos, primus ille modus quē docuerunt antiqui Theologi est vtilis quando apud simplices, & rusticos restituenda est fama, quando verò apud prudentes, & instructos, hic tertius. Confirmant illum quia in eo primis nullum existit mendaciū, nec qui audiunt ita loquentem confirmantur in mala opinione, propterea, quod infamator non retractet se ipsum, cum nulla omnino fiat mentio delicti antea reuelati imò diligenter curet, ne aliqua suspicio habeatur illud fieri ad restituendam famam, & agit quantum potest vt bona opinio de fratre, habeatur, & si quæ mala existit tollatur. Certè si humana ingenia ea essent, vt per honorificam mentionem fratris omnis sinistra opinio quam de illo conceperant ex eorum animis recederet, optimus esset hic tertius modus, at experientia teste hac via nunquam recedit, imò quamdiu non vident infamatorem apertè se ipsum retractare, licèt fratrem illum inter diuos collocet, quacunque occasione oblata sinistre de illo iudicant, Propter quod nonnulli ex recentioribus quos, tum honoris, causa, tum ne in re adeo graui ex mea animi sententia loqui videar nominabo, aliter sentiunt.

1. Melchior Cano in lectura huius art. Et Mag. Mansius dum eundem me Compluti audiente explicaret, & alij doctissimi viri hos sequuti, volunt hunc infamatorem de quo agimus debere his quibus occultum fratris delictum inique reuelauit, affirmare se falsum, & mendacium dixisse, Distinguunt hi inter hoc quod est asserere fratrem nil tale fecisse, & id quod asserere se falsum, & mendacium protulisse: prima illud nullo modo, inquiunt, licèt, quia cum infamatus verè delictum illud commiserit asserere ipsum nil tale fecisse est mentiri, quod nullo modo neque ob vllum finem licèt affirmare autē se falsum, & mendacium dixisse, hoc inquiunt vt ostendimus non est mentiri sed licèt. Vnde argumentantur, hic infamator tenetur fratri suo famam restituere commodiori via qua poterit absque mendacio: sed nulla est commodior via ad restituendam famam in hoc casu, quàm asserere se protulisse falsum, & mendacium, quæ proferens in hoc casu non mentitur, ergo licet illi vti hac via, & modo restituendi famam, imò & debet, Maior est. D. Tho. hic ad secundum. Et confirmatur, quia sicut infamatus, habet ius ad petendum a suo infamatore restitui, sibi famam cōmodiori via qua poterit, ita infamator tenetur omni iure restituere illi famam commodiori via qua poterit, modò non mentiatur. Minor habet duas partes, Prior est, hac via commodius multò, quam vlla alia restitui famam proximo, posterior verò in hoc casu asserentem se protulisse falsum, & mendacium non mentiri. Priorem probant, quia audientes infamatorem ita lita preterentem, & asserentem, credent certissimè ipsum mentitum fuisse, & imposuisse crimen illud fratri, fratremque illum nil tale commisisse, in quo sensu vel ba illa infamatoris si accipiantur ab audientibus, decipiuntur quidem, sed hoc ipsum inquiunt debet optare, & enim, qui infamauit alium, vt in tali sensu accipiantur, quia hac ratione sinistra opinio, quam de fratre conceperant tolletur restituet urque ei fama quod omnea alij modi assignati vt constat non efficiunt. Alteram verò partem, infamatorem de quo agimus affirmantem se protulisse, falsum, & mendacium non mentiri, sed verum asserere, licèt vtatur verbis æquiuocis & ambiguis, vt ostendant, statuunt hæc duo, tanquam certissima fundamenta. Prius est, quotiescunque aliquis iure potest, vel debet occultare aliquam veritatem, eodem iure licere illi vti verbis ambiguis, & æquiuocis, quibus in medium prolatis propter varios illorum sensus veritas illa occultetur absque mendacio, occultetur quidem, acceptis illis verbis ab audientibus in alio sensu, quàm à dicente proferunt, absque mendacio verò, quia sensus ille in quo à dicente proferuntur, est etiam verus, cum verba illa sint ambigua, & habentia plures sensus, ac omnes veros. Nec hoc genus deceptionis vitio vertendum est, aut culpandū, quia cum talia verba, proferens non teneatur aperire veritatem audientibus, quin potius occultare, non tenetur loqui in sensu, quo verba illa communiter sumuntur, vel sumentur ab audientibus, sed sufficit, vt sensus, in quo ab ipso proferuntur, etsi diuersus à communi, & ab eo, in quo ab audientibus accipiuntur, sit etiam verus, ne mentiatur. Illustrant hanc regula multis exemplis. Testis, qui contra ordinem iuris compellitur testimonium dicere, in vero delicto fratris potest vti verbis ambiguis, quibus ab ipso in vno sensu, sed verò prolaris decipiat iudicem in alio sensu illa accipientem. Reo quoque contra ordinem iuris interrogato idem licet; Id ipsum confessario, qui à tyranno cogeretur reuelare confessionem aliquā. Et clerico, qui à iudice cogeretur testimonium fere in causa sanguinis. In huiusmodi enim deceptionibus nō mentitur, qui ita loquitur, cum verba ipsius in aliquo sensu sint vera, nec ipse decipit audientem, cum non teneatur illi aperire veritatem, sed occultare potius, sed audiens se ipsum decipit, accipiens illa in alio sensu, cui non tenetur verba illa proferens se conformare.

Alterum fundamentum, cui hæc doctrina nititur, est, vt quemadmodum duplex est verum, aliud speculatiuum, & aliud practicum, speculatiuum, quod consistit in adæquatione rei ad intellectum: ab eo enim quod res est, vel non est, conceptio intellectus nostri, sicut & oratio, dicitur vera vel falsa: practicum verò, quod consistit in adæquatione iudicij, vel operis ad voluntatem rectā ratione gubernatam, circa quod versatur prudentia, vt docet Arist. 6. Ethic. c. 2. ita quoque duplex sit falsum, aliud speculatiuum, quod consistit in dissonantia rei ad intellectum, vnde illud proloquium, intellectus intelligens, vel iudicans aliter quam res est, fallitur: practicum verò, quod consistit in dissonantia rei, vel actus ad voluntatem rectā ratione gubernatam, consonaque cum appetitu prauo, in quod falsum inclinat ex eodem Arist. imprudentia: Vnde colligunt opus, vel dictum iniquum, & contra rectam voluntatem, rectamque rationem dici, & verè falsum practicum. Hæc est doctrina D. Thom. supra q. 58. art. 4. ad primum, vbi voluntatem rectam dicit vocari veritatem practicam, quia est regula opera recti, quod opus est verum practicum. Simile habet 1. p. q. 17. art. 1. Viuitur etiam ratione, sicut se habet regula artis ad actus, & opera artificis, ita & voluntas benè ordinata à recta ratione ad actus, & opera humana, & moralia, sed opus artis, quando non est consonum regulæ artis, dicitur falsum, & hoc nomine donamus illud in communi sermone, ergo dictum vel factum, quod non est consonū voluntati benè ordinatæ & rectæ rationi, vocandū est etiam falsum practicum.

Cōfirmantur hæc omnia ex Sacra Scriptura, in qua recta & iusta dicuntur vera, & opus studiosum verū, & veritas, peccata autem & opera in qua dicuntur falsa, & falsitas, & mendacium. Ps. 118. [Omnia mandatā tua veritas, id est iusta, & bona. Ioan. 3. [Qui facit veritatem, id est, bona opera, venit ad lucem, & ca. 8. Veritas liberabit vos, id est, vita iusta, & bona. Math. 22. [Veram es, & viam Dei in veritate doces, id est, sanctè & iustè viuens. Voluerunt enim Christum condemnare de vtraque parte optimi Doctoris. Primò, ex doctrina

ctrina verax es. Secundò, ex vita viam Dei in veritate doces, id est, sanctè viuens, quod non solum doces verbo, verum etiam vita & exemplo, Rom. 2. [Qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, vbi veritas opponitur iniquitati, vocatque ibi Paulus falsam doctrinam, cui illi credebant iniquitatem. Ephe. 4. [Veritatem facientes crescamus apud Deum, &c. id est, iustè viuentes. Psal. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendacium, id est, peccatum. Psal. 115. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax, id est, peccator. Errant omnes, qui operantur mendaciū. [Et peculiari] quadam ratione in Sacra Scriptura, iustitia dicitur veritas, & iniquitas, siue iniustitia falsitas. Psal. 24. [Vniuersæ viæ domini misericordia, & veritas.] vbi veritas accipitur pro iustitia. Hier. 8. [Apprehenderunt mendacium, id est, peccatum, & noluerant reuerti. Et infra: A Propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium,] id est, peccatum & iniquitatem, sunt alia innumera loca in Prophetis, & Sacra Scriptura, in quibus veritas pro bono opere, & falsitas ac mendacium pro peccato sumuntur: Et inter Ethnicos Auctores idē legitur, vt in Orat. pro Mur. circa fin. vbi ait. [Negat verum esse beneuolantiam allici cibo,] id est, non esse æquum, nam aliter verum est, & in hominum vsu positum, illam allici, & conseruari mutuis conuiuijs, & epulis. Similiter in Oratione contra Salustium, circa finem. [Ita igitur erit, vt nihil non æquum, ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset. [Vbi accipiuntur pro eodem æquum, & verum Horatius lib. 1. Episto. 2. ad Męcenatem, quæ est 7. in ordine, [Metiri se quemquam suo modo, ac pede æquum est, verum est. [Vbi quoque ista duo pro eodem accipit. Et è conuerso iustum accipit pro vero idem Cicero in Tuscu. vbi iustam vxorem vocat veram vxorem, & iustum dominū vocat verum dominum.

Ex his probatur iā apertissimè illa minor: qui committit peccatū, & iniquitatem, committit falsum practicum, qui contra ius infamat proximum, committit peccatum & iniquitatem, ergo & falsum practicum: Nunc sic, qui reuelauit crimen occultum fratris iniustè, quamuis verum, commisit falsum practicum, licèt speculatiuè dixerit verum, ergo quando ad restituendam famam affirmat se falsum, & mendacium protulisse, vel dictum suum fuisse falsum, non mentitur, sed asserit verum, & quod ipsi reuera licèt affirmare, & asserere. Probo consequentiam, quando ego non teneor aperire veritatem, quin potius occultare, licèt mihi vti verbis æquiuocis, & ambiguis ad illam occultandam accommodatis, modò sensus, in quo illa profero, sit verus, sed in hoc casu, cum teneat restituere famam proximo, quem iniquè infamaui, debeo occultare delictum eius quantum potero absque mendacio, licèt ergo mihi ad illud occultandum vti istis verbis ambiguis, & æquiuocis, cum sensus, in quo à me proferantur, sit verus. Maior constat ex primo fundamento, & exemplis ibi adductis, confirmáturque exemplo Christi, qui dixit se ignorare diem iudicij cum illud certissimè multiplicique scientię genere sciat, nec propterea mentitus fuit, cum in sensu, in quo loquebatur, nempe se ignorare illum diē, ad reuelandū, verissima fuerint verba illius. Minor patet, hæc verba, dixi falsum, protuli mendacium, dictum meum fuit falsum sunt ęquiuoca, & ambigua habentia istos sensus, falsū est fratrem tale commisisse, vel dictum meum, & sermo ille, quo retuli fratrem tale commisisse, fuit iniquum, & falsum practicū, è quibus sensibus licèt prior sit falsus, secundus tamen, vt constat ex secundo fundamento, est verus, quia omne peccatu, & consequenter omne dictum, vel factum iniquum est falsum practicum, ergo qui sic restituat famam proximo in hoc casu, de quo loquimur, non mentitur, sed verissimum affirmat, & asserit.

Ex his modis restituendi famam, quando verum crimen fratris iniquè propalatum est, licèt ille tertio loco propositus à Caie. & Soto sit magis receptus à DD. hunc quartum iudico satis probabilem: quia reuera iuxta fundamenta huius opinionis, qui in hoc casu affirmat dictum ipsius fuisse falsum, cum fuerit iniquum, & omnis iniquitas sit falsum practicum, verum affirmat, & hac vita ita loquētem audientes sinistram opinionem, quam de fratre conceperant amittunt, quod alia via vix, ac ne vix quidem obtineri potest.

Sed contra hanc doctrinam qui illam non recipiūt, ita solent obijcere. Primò D. Tho. hic ad secundum, istum modum restituendi affirmādo se dixisse falsum, illi tantum infamatori tribuit, qui fratri crimen aliquod falso imposuit, non illi qui verum iniquè reuelauit, at si iste modus restituendi in hoc etiam, qui verum inique reuelauit, esset accommodatus, docuisset illud D. Tho. cūm ergo nil tale, doceat, non est censendus optimus nec licitus.

Secundò, sequeretur nullum esse discrimen inter restitutionem famæ falsò ablatæ & restitutionem famæ verè, sed inique læsæ. sed confundi inter se istos modos patet, quia qui falsum crimē imposuit, hoc etiam modo restituit, dicendo se dixisse falsum.

Tertiò, hoc modo læditur de nouo fama proximi, quod non fit illo modo restituendi, quem docēt Caie. & Soto Probo cōseq. Primò, quia iuxta hunc modum Caie. nulla mentio fit peccati quod fuerat detectum, isto autem modo reuocatur in memoriam, cuius alij forsan iam erant omnino obliti. Secundò, quia si is, apud quem hoc modo fratri antea à me infamato famam deinde restituo, sit Theologus peritus, callens hanc doctrinam, factum vel dictum iniquum vocari posse falsum, practicū, poterit facilè credere me loqui in hoc sensu, & fratrem crimen illud verè commisisse. Tertiò, videtur durum, & rigidū obligare hominem, qui verum dixit, ad proferendum verba, quibus iudicetur mendax, præsertim inter Hispanos, apud quos est notabilissima infamia, haberi pro mendace, & eliget vir illustris quod quis aliud crimen de ipso potius dici quam quod sit mendax. Denique qui infamat fratrem imponendo illi falsum crimen ex communi sententia Doctorum grauius multò peccat, quàm qui infamat reuelando occultum. Vnde non est hic obligandus ad tantam satisfactionem sicut alter, iuxta istum verò modum æqualiter obligantur: cum vterque teneatur affirmare se dixisse falsum.

Sed hæc non est difficile diluere.

Ad primum respondeo D. Th. id tātum docuisse, ne quis in restitutione famæ dicat mendacium, asserendo autē protulisse falsum eo modo, quo exposuimus, nullum vt constat dicit mendacium, imò verè loquitur. Fauetq; nobis D. Th. cum asserat, posse nos vti verbis, quibus sine mendacio consulatur famæ læsæ. Nec quia docet infamatorem, qui falsum imposuit debere affirmare se falsum dixisse, sequitur, id non licere infamatori, quia verum inique detegit, proposuit enim tantum D. Thu. doctrinam suo tempore receptam.

Ad secundum respondeo, aliquod esse discrimen, nam quando falsò infamatus est frater, debet infamator dicere apertè se esse mentitum, & fratrem nil tale commisisse, in hoc autem casu tantum debet dicere se falsum protulisse. Dico etiam nullum esse incommodum, vt vterque eodem modo famam læsam restituat, & qui falsò infamauit, & qui verè sed inique, nam maior vel minor obligatio ad restituendū non est sumenda ex eo quod magis vel minus quis peccauerit cōtra iustitiam, sed ex eo quod maius vel minus damnum intulerit contra iustitiam, satisfactio enim fit damnos cum autem æque noceat, qui verum occultum inique reuelat, sicut qui falsum dicit, ideo tantam tenetur facere restitutionem ille quantam iste, & eisdem verbis, quantum licebit sine mendacio,

Ad tertium, in quo duplex affertur incommodum.

Ad

Ad prius dico, reuocare in memoriā delictum fratris simpliciter malum esse, reuocare verò illud in memoriam vna cum restitutione famæ, & prolatis verbis, quibus, qui audierant amittant sinistram opinionem, quam de illo habebant, quod fit in hoc casu esse optimum, & vtile honori fratris. Nam, & qui falsò infamauit, quando se ipsum retractat, reuocat etiam in memoriam delictum fratris. Quod si dicas, decipientur qui auditis huiusmodi verbis credēt fratrem nil tale commisisse, in nullo autem casu licèt aliquem decipere: Dico in hoc casu talia audientes non decipi ab eo, qui ita famam restituit, cū in vero sensu verba illa proferat, sed à seipsis, qui illa in alio sensu accipiunt, cum infamator iste, cum nō teneatur veritatem eis aperire, sed potius occultare, nec teneatur se conformare. Talis autem deceptio, qua aliquis seipsum decipit sine culpa, & mendacio dicentis, quando alicui fratri illa vtilis est, ipsi verò deceptio nullum infert incommodum, etsi speculatiuè habeat aliquid mali, moraliter tamen est bona, & quæ desiderari potest, sicut omnis ignorantia speculatiuè habet aliquid mali, multæ verò sunt ignorātiæ, quæ moraliter sunt bonæ, & honestæ: in quo sensu dicebat D. Pau. de quibusdam: [Gaudeo quia decepi vos. Ad aliud verò Incommodum respondeo, hunc modum restituendi in primis omnibus ignorantibus hanc Theologiam, ad quod maxima hominum pars pertinet, esse vtilissimum, quia facilè credent quod infamator debet optare, ipsum esse mentitū, & fratrem nil tale commisisse: apud Theologos etiam esse vtilissimum, quia cum istis verbis possint vti tam is qui falsò infamauit, quàm qui verè, tenebitur saltem Theologus in conscientia ipsis auditis suspendere actum, & iudicium, an infamatus commiserit, tale crimē, quod si voluerit iudicare potius illud commisisset, restituentem famam ita loqui, quia protulit falsum practicum, sed verum speculatiuè, hoc malitiæ ipsius imputetur: infamator enim iam fecit quod in ipso est.

Ad quartum respondeo: Nos in præsentia id tantum docere, non esse in isto modo restituendi mendacium, & consequenter esse modum licitum, & quando fuerit necessarium, obligatorium, An verò teneatur vti huiusmodi verbis quando periclitatur ipse restituens de maiori infamia est alia quæstio, tunc enim standum erit arbitrio prudentum, & compensata æqualitate famæ vtriusque sicut supra diximus iudicandum.

Ad vltimū respondeo, ex his quæ modò dicebamus in solutione secundi, maiorē vel minorem obligationē restituendi famam non sumi ex maiori vel minori peccato quo illa læditur, sed ex maiori vel minori nocumēto quod illi infertur, Et cū vterq; æqualiter noceat, & qui falsum imponit, & qui verum iniquè reuelat, nil mirum si vterque eodem modo restituere debeat.

Controuersia Decimasexta.

SIT NE ALIQVANDO RESTITVENDA *fama fratri falsò infamato cum periculo vitæ.*

CAie. hic ar. 6. & in opusculo. 17. quæstionum. q. 14. distribuit bona. Primò, in temporalib. & spiritualib. Secundò, distribuit temporalia siue externa in diuitias, famam, & vitam, statuitque hanc vniuersalem regulam: res inferioris ordinis nunquam est restituenda cum detrimēto vel iactura rei superioris ordinis, v.g. res externa non est restituenda cum damno alicuius boni mei spiritualis, similiter pecunia nō est restituenda cum damno famæ, nec fama cum detrimento vitæ. Regulam istam probat Cai. multis.

Primò, nullum temporale est restituendum cū damno alicuius boni spiritualis, & hoc non alio nomine, nisi quia spiritualia sunt altioris ordinis, imò, & inter ipsa spiritualia quæ sunt superioris ordinis non sunt exponenda pro inferioribus, vt si charitas exigat ne ieiunem, cessandum est à ieiunio.

Secundò, nullus docuit ad restituendam vitam, vel famam esse fundendas preces, quia oratio est res superioris ordinis.

Tertiò nemo ad soluendū æs alienum tenetur amittere propriam libertatem, & se ipsum tradere in seruum: quamuis enim in lege veteri Leuit. 25. præcipiebatur, vt qui furatus esset, maneret seruus, nihilominus in lege Euangelica nullus debet se ipsum vendere, ad restituendum æs alienum, vt habetur l. ob æs alienum, & Auth. seq. C. de actio. & oblig. Cuius rei nulla alia rō est, nisi quia libertas est res superioris ordinis.

Quartò, quælibet mulier prudens, & honesta eliget potius dari in seruam, & ancillā seruato honore suo, quàm esse liberam perdita fama, quod tamē non eligeret pro pecunia restituenda, ergo non est exponēda fama pro pecunia, cum tanti habeatur fama, vt pro ipsa daretur libertas, quæ non daretur pro pecunia.

Vltimò, in c. Officij de pœniten. & remissio. definit Innoc. III. mulierem adulteram, quæ timet infamiam, non teneri ad reuelandum viro suo filium susceptum ex adulterio, quē forsan vult vir relicto legitimo constituere hæredem, quia non debet exponere famam, & honorem suum pro illa hæreditate: Ita colligit Calet. Vitam non esse exponendam ad restituendam famam, nec famam ad restituendam pecuniam, sed vitā pro vita, famam pro fama, pecuniam pro pecunia, faciendamque esse restitutionem in re, vel eiusdem ordinis, vel inferioris, vt cum expono famam, pro vita illius, qui mea culpa de illa periclitatur, aut pecuniam pro fama. Subscribit huic sententiæ copiosè D. Nauar. in suo Man. c. 17. nu. 89. & seq. & c. 18. nu. 47.

Oppositum tamen docent Maio. in 4. dist. 15. q. 17. Adria. in suo 4. de restitu. Soto lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. & recentiores, quorum iudicio regula ista Caie. quamuis prima fronte, & in cortice inspecta videatur vera, & multoties seruanda, Nihilominus in multis peccat.

Primò, quia licèt vt plurimum non sit restituenda fama cum periculo vitæ, huius tamen rei causa nō est, quod vita sit res superioris ordinis, sed quia communiter vita est bonum, cui non æquatur fama alterius; & sicut non teneor restituere decem, cum iactura centum, ita neque minus bonum cum iactura maioris, & longè superantis: esset enim inæqualitas.

Secundò, fama vnius in quocūque subiecto existat, est eiusdem ordinis cum fama alterius, at si ratione subiecti fama vnius sit maius bonum, & cum excessu; quam fama alterius, non est restituenda, (vt diximus) illa minor fama cum iactura multò maioris, quia esset inæqualitas, ergo restitutionis obligatio, & quod hæc res illa sit compensanda, vel secus, non est sumendum ex eo, quod sint eiusdem; vel alterius ordinis, sed ex æqualitate, vel inæqualitate ipsarum inter se.

Tertiò, licèt restituens pecuniā raptam debeat suam famam, & honorem tueri, quātum potest, at si accepit multam pecuniam, graueq; intulit damnum, quod reficere non potest, nisi cum detrimento propriæ famæ, tenebitur vt videbimus, cum tali detrimento restituere, quia maius est ius patientis iniuriam, & damnum, quàm inferentis, nec debet læsus in sua substantia iniustè illa priuari propter honorem lædentis, vt docebimus cum D. Tho. & ipsomet Caie. agentes de fure occulto: Iam res inferioris ordinis restituenda aliquando est, cum damnu, & iactura superioris ordinis.

Quartò, res inferioris ordinis licet secundum se minus bona sit, quàm res superioris, potest tamen illa inferior in ea quantitate sumi, vt sit maius bonum plurisque æstimetur, quàm res superior, sicut multum argenti pluris æstimatur, quàm parum auri, licèt aurum secundum se præstet argento, vnde poterit pecunia accepta esse, vt æstimetur iudicio prudentū pluris, quàm fama latronis. Et similiter fama viri, vel familiæ infamatæ esset adeò præstans, vt pluris etiam debeat æsti-

mari

mari iudicio prudentum, quàm vita infamatoris: In his autem euentibus, quis negabit rem superioris ordinis exponendam esse pro re inferioris? cum hæc ex circunstantijs sit maius bonum, & maioris precij iudicio prudentum. His positis sit.

CONCLVSIO I.

Simpliciter ac vt in plurimum, & vniuersaliter loquendo, non est restituenda fama cum periculo vitæ.

PAret ex dictis in primo argumento proposito contra regulam Caie.

CONCLVSIO II.

Exponere propriam vitam ad restituendam famam alteri, vel tuendam, etiam si non debeatur ex iustitia, licet.

PRobatur. Potest quis exponere vitam ad restituendam maximam pecuniam alteri debitam, quando aliter restituere non potest (vt videbimus) ergo poterit quoque ad restituendam famam, cum fama præstet omnib. diuitijs. Secundò, potest quis exponere vitam pro amico falsò infamato, vt honorem illius iniquè læsum tueatur, imò & pro re familiari illius, vt si domus eius comburatur, potest quis cum periculo vitæ eniti, vt extinguatur ignis, sed multò æquius est restituere famam læsam, quàm tueri non læsam, aut liberare domum amici ab incendio, ergo cum hæc liceant cum periculo propriæ vitę, licebit quoque cum periculo eiusdem famam læsam reficere.

CONCLVSIO VLTIMA.

In aliquo euentu est restituenda fama cum periculo vitæ.

PAtet, cum tota ratio, propter quam vita non exponenda pro fama, sit, quia illa est maius bonum: vbi fama alicuius aut simpliciter, aut ex circunstantia erit maius bonum, quàm vita infamatoris, tenebitur infamator restituere illam, & cũ periculo propriæ vitę, hic autẽ potest aliquando contingere, ergo quando euenerit tenebitur. Maior certa est. Minor patet exemplis.

Primò, si infamatus non restituta sibi fama periclitetur de vita, certum est infamatorem teneri tunc ad restituendam famam, & cum periculo proprię vitę, quia in hoc casu infert cum iniuria nocumentum à quo potest per simile, & æquale damnũ liberare læsum, quod quãdo potest, qui nocuit tenetur, cum iure naturę potior sit conditio innocentis, & patientis iniuriã, quàm iniustè inferentis. Infamatorem dico, quia si accusetur Andræas falsò à Ioanne de homicidio, quod perpetrauit Petrus, Petro in ea accusatione, & infamia nil omnino agente, Ioannes qui falsò infamauit Andræam cum iniuria in tanto periculo vitæ constituens illum, tenetur, & cum discrimine propriæ vitæ ab illa infamia, & periculo vitæ liberare: Petrus autem etsi ipse occiderit, non tenetur seipsum prodere, vt liberet Andræam falsò infamatum cum periculo suæ vitæ, quia Petrus non est causa illius infamiæ, & periculi in quo Andræas existit, sed solus Ioannes, qui falsò illum infamauit: quod si possit Petrus sine periculo præsenti, vel futuro, aut vitæ, aut exilij, aut alicuius damni grauis, sed cum eo tantum, quod habebitur pro homicida, & eo manifestato intelligat illũ falsò infamatum euasurum periculum, tunc tenetur (cum ipse sit verus homicida) seipsum prodere, vt illius innocentis vitam tueatur, saltem ex pręcepto charitatis. Dicimus etiam, si infamatus non restituta sibi fama ab infamatore periclitetur de vita teneri infamatorem illam restituere, & cum periculo propriæ vitæ. Nam si infamatus à Petro, etiam si Petrus famam illi restituat per alium processum, vel per alios testes, aut media, nihilominus maneat in eodem periculo capitis, tunc non tenetur Petrus cum periculo vitæ famam illi restituere: quia Petrus ideo tenebatur, vt liberaret illum à periculo vitæ vnde si per restitutionem Petri non liberatur, cessante fine cessat etiam, & obligatio medij tam ardui, & periculosi.

Secundò, si quis virum nobilissimum falsò infamauit, vt Ducem, vel Principem de crimine hæresis vel læsæ maiestatis, ob quod ille, & tota illius posteritas manet infamata, & expoliata multis honoribus, officijs, & dignitatibus & obnoxia multis damnis, tenetur iste in conscientia restituere illis famam: si quidem possit se in tuto collocare, bene quidem, sin minus tenetur, & cũm periculo propriæ vitæ. Patet, in restitutione non attenditur an bonum quod exponitur ad satisfaciendum pro bono quo expoliatus est frater iniustè, sit superioris ordinis vel non, sed an excedat plurimum iudicio prudentũ, vel sit æquale, vel minus, nam hoc exigitur ad ęqualitatem quam intendit restitutio, sed fama & dignitas illustria familiæ, & prosapiæ iudicio prudentum præstat, estque maius bonum vita huius vel illius priuati hominis, ergo tenetur hic qui falso talem prosapiam infamauit, & denigrauit, etiã cum periculo suæ vitæ famam illi restituere. Dixi, quando tota familia, & prosapia denigratur, & transit à maioribus in posteros, & semper propagatur, quia si infamia patris non transit in posteros, & ille infamatus vel mortuus est, vel nullum aliud patitur detrimentum quàm in opinione, tunc infamans non tenetur restituere, cum discrimine propriæ vitæ, quia talis infamia nõ est maius damnum, quàm sit mors alterius hominis, vita enim cuiusque hominis nõ minus valet imò plusquam fama sola cuiusque alterius.

Tertiò, quod benè obseruant recẽtiores, si quis per magnam iniquitatem supposuit filium alienum Regi, qua suppositione, & falsitate non manifestata verus princeps, & primogenitus regnorum priuatur tanta dignitate iniustè, tenetur hic nisi aliter possit, & cum periculo vitæ vt hæreditas, & successio regnorum verò principi, & eius successoribus restituatur falsitatem illam, & suppositionem detegere: iudicio namq; prudentum maius bonum est successio regnorum iusta, & legitima, quàm vita cuiusque priuati hominis: Quæ intelligenda sunt, quando is qui illam familiam infamauit, vel alienum filium regi supposuit, probabiliter superat detecta illa falsitate, & suppositione profuturum aliter enim non tenetur, nec debet tanto periculo frustra se exponere, cum cessante fine cesset, & obligatio mediorum.

Nunc ad argumenta Caiet. Ad primum respondeo, spiritualia duplicia esse quędam de necessitate salutis, quæ exponi non possunt sine peccato, alia de consilio quæ dimitti possunt sine peccato, hæc posteriora possunt exponi pro restituenda fama, & pecunijs vt si ad hæc restituenda oporteat me laborare manibus & lucrari, teneor dimittere contemplationem, & alia spiritualia, quibus ex deuotione intendebam, spiritualia autem quæ sunt de necessitate salutis non possum exponere ad restituendam famam, vel diuitias, non quia illa sint superioris ordinis, hæc verò inferioris, sed quia talia non possunt exponi aut dimitti sine peccato, peccatum autem nec pro vita, aut fama aut vtilitate totius mundi committendum est.

Ad secundum, Respondeo, Famam, & vitam non restitui precibus, non ob rationem, & regulam Caietani, sed quia restitutio intendit damnum illatum resarcire, vita autem, & fama non resarciuntur precibus aut suffragijs, sed fama sermone, & verbis, vita vt supra expositum est.

Ad tertium respondeo, sublato decreto Ecclesiæ & principium Christianorum licere vnicuique sicut olim ad restituenda furta vel debita propriam libertatem amittere, quia licèt libertas non æstimetur auro, existente tamen necessitate, & consentiente homine qui sui ipsius liberè dominus est, potest illa pretio æstimari, & per eam furtum, vel debitum restitui, Quo euertitur apertè regula Caietani, cum constet ex lege ve-

teri

ferri rem superioris ordinis id est libertatem dari pro furto, & pecunia quæ est res inferioris ordinis: At quia visum est Ecclesiæ, & principibus fidelibus inde eorum, vt quos Christus suo sanguine liberauit iuxta illud Pau. ad Gala. 4. [Iam non sumus ancillæ filij sed liberæ qua libertate Christus nos donauit: tradant in seruos, illud prohibuit, sicut iure gentium, qui vincun tur in bellis manent serui vincentium nolunt tamen Ecclesia, vt si Christiani cum Christianis prælientur, etiam in bello iusto, victi maneant serui, & captiui victorum, quamuis iusta de causa possint detinere aliquos in obsides.

Ad quartum Respondeo, Mulierem honestam verè commutaturam libertatem pro bono nomine, & non pro pecunijs, non tamen ex eo sequitur famam non posse aut non debere aliquando exponi ad restituendas pecunias, aliquando enim ita oportet vt diximus.

Ad vltimum respondeo, Adulteram non teneri ad reuelandum suum crimen vt benè ibi docet Innocentius; non tamen ob regulam Caie. sed quia vt videbimus suo loco exponit simul famam, & vitam si vitro id aperiat. Tum etiam quia non tenentur illi credere nec vir nec filius quibus id aperiet, sed licet eis suspicari ex odio aliquo vel passione illud asserere, cum sine autem adeo dubio non debet tantis damnis se ipsam exponere, Quod si ipsa certo sciret se credendam, nec imminere sibi periculum vitæ, tunc si hæreditas esset tam honorifica, & copiosa, vt iudicio prudentum esset maius bonum, quàm fama ipsius, deberet crimen suũ reuelare, & famam suam exponere, quia finis est certus, & bonum quo priuatur iniustè filius legitimus ina ius quàm fama matris: Quod si hæreditas tanta non est, nt iudicetur maius bonum non tenetur crimen suum aperire, non ob regulam Caiet. sed quia non est restituendum minus bonum cum iactura maioris, & præstantioris: offerunt sese nunc aliæ breuiores controuersiæ explicandæ sed scitu quoque dignæ.

Controuersia Decimaseptima.

AN QVI FRATREM INFAMAVIT teneatur ad famam illi restituendam, quando ex diuturnitate temporis creditur iam omnino infamia illa tradita esse obliuioni.

D. Antonin. 2. p. ti. 2. c. 2. §. 3. Syl. ver. Detractio, n. 4. habent partem negantem, quibus aliqui subscribunt his adductis rationibus. Primò si qui audierunt sunt iam omnino obliti, cessauit iam omne damnum, & infamia proximi apud illos, cessante autem damno cessat, & vinculum restitutionis, ergo.

Secundò, vna ex conditionibus requisitis vt initio huius disputationis vidimus quis teneatur ad restituendam famam est, vt illa sit læsa, in hoc autem casu per obliuionem illorum, qui audierunt desinit iam esse læsa, ergo. Tertiò in hoc casu retractare se ipsum est reducere in memoriam aliorum crimen fratris, cuius iam erant omnino obliti, & consequenter dum intendit ur restitutio famę, fit potius renouatio infamię, non ergo facienda talis restitutio nec consulenda.

Caiet. hic ad secundum & D. Nauar. capit. 18. num. 47. & recentiores docent oppositum. Primò, quia moraliter loquendo difficile est certo scire, illos apud quos fratrem infamauimus crimen illud quod audierunt omnino tradidisse obliuioni, cum rei cuius vno die quis non meminit altero die recordetur.

Secundò, quia interdum tantò firmius credimus, quantò quis post detractionem fratris cum multis annis confiteatur, & ad sacram accedat communionem, nunquam tamen curat illi qui detraxit famam restituere, vnde damnum quod intulit non cessat omnino, & cum inique illatum fuerit, tenetur illi succurrere ac mederi, quod præstare non valet nisi retractando seipsum.

Tertiò, poterit frater infamatus aliquid facere, vt ingredi domum, vel quid simile, rectè, & honestè, quod tamen ijs qui crimen eius aliquando audierunt, occasio sit reuocandi in memoriam, & suspicandi aliud simile quibus damnis tenetur detractor ille occurrere, occurrit autem retractando se ipsum.

Hæc sententia Cai. & mihi semper visa est probabilior ac securior, nisi certissimo intelligeret infamator ex nimia diuturnitate tẽporis, vel alia via, eos qui audierunt omnino oblitos esse, nec vnquam recordaturos.

Ad primum in oppositum respon. Famam proximi, etsi illi, qui audierunt, non recordentur actu, nec sit po sita tali hypothesi læsa actu, esse tamen læsam in habi tu, & virtute, cum facilè possint recordari. Eodem modo soluitur secundum.

Ad tertium dico, Non lædi de nouo famam proximi, eo quod reuocetur in memoriam aliorum crimen, quod forsan iam exciderat, quia non reuocatur in memoriam, vt infametur, imò vt si quæ mala opinio de illo habetur, aut interim in mentem illorum veniret, cesset omnino.

Quod si quæras modum, quo optimè & commodè hæc restitutio fiat post multum tempus. Respondet, & optimè D. Nauar. loc. cit. debere ita fieri, vt infamator iste quærat ab eo, cui crimen fratris aliquando retule rat, ao recordetur alicuius delicti, quod ipsi de frarre illo dixerit, quod si responderit negatiuè, addat hæc verba, Nihilominus si quãdo aliquod delictũ à me de illo audisti obsecro existimes me falsum dixisse, hac enim via non reuocatur in memoriam delictũm fratris, quod iam erat obliuioni traditum, & consulitur ipsius honori, & famæ.

Controuersia Decimaoctaua.

AD QVID TENEATVR QVI DELICTVM in vno loco publicum refert in alio loco, in quo erat occultum, & ignorabatur.

Adria. suo lib. 11. docet reuelantem delictum fratris in loco in quo omnino ignorabatur, etiam si in alio esset publicum, & notoriũ peccare mortaliter, & teneri ad restituendam famam, nisi id fecerit ob vtilitatem aliorum publicam, vel priuatã. Ratio eius est, quia sic reuelans crimen proximi, perinde infamat illum in loco vbi crimen eius erat omnino ignotum, sicut qui reuelat verum crimen fratris, sed occultum.

Maior. in 4. dist. 21. q. 2. Caiet. in opusc. 18. nu. 26. Soto, lib. 5. de iust. q. 19. art. 2. docent oppositum, asserentes nõ esse peccatum crimen illius, qui in vno loco publica auctoritate punitus est in alio referre, quia per illam punitionem iam est priuatus auctoritate publica iure famæ, imò inquiunt vna pars pœnæ, qua punitur est, vt cuilibet liceat crimen illud alijs referre.

In hac quæstione obseruemus infamatum publicè in vno loco, veluti furem, qui publico præcone, & merdie plagis cæsus est in loco, in quem recessit, vel ita honestè viuere, vt apud omnes benè audiat, nullusq; sit rumor de illo crimine, vel non mutasse mores, sed aliquem rumorem de crimine illius existere.

CONCLVSIO I.

Crimen in vno loco publicum in alio reuelare quacunque ratione peccator ille sese habeat, non est contra iustitiam, nec obligat se ad restitutionem famæ.

Hanc probant argum. Caier. Etenim cum publica auctoritate punitus fit, iam non habet ius ad suam

suam famam, quo fit, vt iufamans illum, etsi noceat, non tamen contra ius, nec cum iniuria, vinculum autem restitutionis, & violatio iustitiæ non habent locum, nisi quando infertur nocumentum cum iniuria.

CONCLVSIO II.

Si infamatus in vno loco, in alio honestè viuat, nullusque sit rumor criminis illius, tunc reuelare delictum eius in eo loco, in quo benè audit, & apud eos qui illud omnino ignorabant, est pec. mor. contra charitatem. Quod si non mutauit mores, sed existat iam aliquis rumor, & suspicio de illo habeatur, reuelare crimen eius non est contra charitatem, nec pec. mort. nisi fiat ex aliquo odio.

PRobatur prior pars huius conclusionis. Ad charitatem pertinet velle proximo bona illi vtilia, quæ potest habere citra aliorum iniuriam, etiam si ipse in illa nullum habeat ius, quomodo pertinet ad charitatem optare & velle, vt à diuite pauperi subueniatur: Fratri honestè iam viuenti est vtilis, imò & necessaria bona opinio, potestque illam iam habere, cum mutauerit mores, citra aliorum iniuriam, ergo non velle huic hanc bonam opinionem, sed reuelare crimē eius iam honestè viuentis contra charitatem est, & cum sit in re graui qualis est fama, erit mort.

Secundò, ex D. Th. id per quod inter viros prudentes iustè dissolueretur amicitia, est pec. mor. contra caritatem, sed si amicus peccatum meum publicum Valentiæ reuelaret Romæ, vbi omnino ignoratur, & ego benè audio, excluderem illum iustè, & prudenter à mea amicitia, ergo.

Denique in hoc etiam sensu dixit B. Petrus, [Charitatem operire multitudinem peccatorum.]

Probatur altera pars: Sicut in occultis delictis, sed quæ iuridicè probari possunt potior est ratio patiētis iniuriam, quàm inferentis, ita in publicis potior est ratio aliorum, quibus peccator cuius delicta iam alicubi publica sunt, potest nocere, quàm famæ talis peccatoris. Sed quando peccator non mutauit suos depraùatos mores, potest adhuc alijs nocere, imò reuera nocebit, ergo tunc potius est consulendum periculo eorum, quibus potest nocere, quam famę ipsius, maximè si iam sit aliquis rumor, & suspitio.

Sed dices contra priorem partem huius concl. Fur ideo publicè cæditur, & voce præconis, vt crimen eius sit omnibus notum & publicum, ergo quamuis mutet mores, in loco in quem recessit, licebit delictum eius alijs referre. Respon. hoc arg. probari tantum primam concl. propositam, nempe, non habere iam illum furem ius ad suam famam, nec reuelantem delictum ipsius peccare contra iustitiam, cæterum non inde sequitur non peccare contra charitatem, quando fur ille in alio loco omnino emendatus est. Publica enim sententia, vel punitio efficit quidem crimen illud publicum, & manifestum in loco in quo fertur, & exercetur, non autem in omnibus locis, & vniuerso orbe, experientia namque teste, quando Principes, & Iudices volunt vbique publica esse, ipsi curant vbique publicari.

CONCLVSIO VLTIMA.

Publica in vno loco licet referre in alio, in quo probabiliter citò, vel ob loci vicinium, vel alia causa dignoscuntur esse manifestanda.

ITa D. Tho. in 4. dist. 19. q. 5. art. 3. ad primum, & secundum, & D. Nauar. loco citato. Et probatur, quia in moralibus quod parum distat nil distare videtur, & quod est in proxima potentia iam ferè iudicatur in actu, vnde peccatum in vno loco publicū, quod prudenter, & probabiliter iudicatur cito diuulgandum in alio, non est peccatum ibi referre.

Argumen. Adria. confirmat primam conclu. hic positam, contra secundam verò non habet vim, quia qui reuelat delictum fratris verum, sed omnino occultum, peccat non modò contra charitatē, verumetiam contra iustitiam, at qui publicum in vno loco reuelat in alio, in quo ignoratur, peccabit quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam, sicut constat ex his dictis.

Controuersia Decimanona.

AN INFAMEM IN VNO GENERE vitij liceat infamare de alijs occultis, circa quæ benè audit.

PAlud. in 4. dist. 19. q. 4. videtur affirmare, licere reuelare peccatum illius, qui ratione alterius delicti iam est infamis, ex quo infert, conuictum à indice de furto teneri ad manifestanda iudici cætera delicta, de quibus fuerit ab ipso interrogatus, quamuis sint omnino occulta. Similiter si interrogetur de complicibus, teneri ad reuelandum non solum peccatum illud, in quo fuerunt ei complices, & de quo sunt vna cum ipso accusati, verum etiam alia omnia, quæ nouerit ipsos commisisse, etiam si fuerint secreta.

Probat sic: Fama est illæsæ dignitatis status moribus, & legibus approbatus, sed qui de aliquo crimine est, semel conuictus, vel infamis, iam habet suam opinionem, & dignitatem læsam, & maculatam, quo fit, vt talis iam non habeat famam, Ergo licet huiusmodi, sic infamanti alia crimina etsi occulta reuelare. Probatur consequentia, quia si id non liceret, eo certè nomine, quia fieret illi iniuria infama, ei autem, qui iam non habet bonum nomen nulla fit iniuria infama.

Secundò, præceptum quo prohibemur reuelare occulta fratrum crimina, non ideo datur, vt crimina maneant occulta, sed ne lædatur fama fratris peccato ipsius in publicum ducto, huius autem de quo nunc loquimur iam satis fama læsa est cum laboret infamia, Ergo.

Adria. quolib. 11. reprehendit hanc opinionem, vt falsam, & à Christiana imò, & humana pietate omnino alienam, cui subscribemus cum communi Theologorum schola. Ad quod melius intelligendum obseruemus. Famam, & bonam opinionem cum sit bonum quoddam temporale habet & latitudinem, eodem modo quo pecuniæ, salus, & integritas corporis, & similia bona habent, quoque latitudinem. Potest aliquis esse læsus in corpore, & integras habere manus: potest aliquis ex parte suis facultatibus expoliari alia manente illæsa: eodem modo potest frater incidere in fornicationem, qui tamen furtum, vel periurium nullo modo committet, qua etiam de causa potest aliquis haberi fornicator, qui tamen nullo modo habebitur fur, aut periurus. Ex quo sequitur, vt sicut læsus in oculis non propterea amittit ius in integritate suarum manuum, & qui est expoliatus, vna parte suorum bonorum non propterea amittit ius in aliam, imo esset illi iniurius, qui vellet attingere, vel lædere partem, quæ illi manet, ita quoque frater etsi habeatur pro adultero, habet nihilominus ius, ne habeatur pro fure, vel periuro, quamdiu crimen ipsius occultum est, infertque illi iniuriam, qui delicta occulta ipsius reuelauerit. Nec vllus hominum est, qui vel solo dictamine rectæ rationis adductus, non sentiat reuelantem furtum secretum Petri, cuius nihilominus adulterium innotescit, maximam illi intulisse iniuriam, & nouum damnum, Hoc posito sit,

CON-

CONCLVSIO I.

Nullo modo licet homini infamis in vno genere vitij, crimina occulta alterius generis prodere, & qui prodiderit tenetur ad restituendam illi famam, iuxta superius explicata.

PRobatur, Quicunque fratrem suum iniquè infamat peccat, & tenetur ad restituendam illi famam, sed qui reuelat peccatum occultum vnius generis, etiam si frater laboret infamia alicuius peccati alterius generis infamat illum iniquè, ergo. Maior certissima est. Probatur minor. In primis etiam si Petrus habeatur fornicator, quamdiu tamen ignoratur ab omnibus esse fur, habet bonum nomen, bonamq; famam circa delictum furti, cum primum verò detegitur esse quoque fur, quod erat omnino occultum, incipit laborare noua infamia, & distincta ab ea qua antea laborabat, cum antea iudicaretur solum fornicator, deinde vero, & fornicator, & fur, habetque se in Petro delictum illud quod erat omnino occultum, quo ad hanc nouam infamiam, sicut quodcunque occultum in homine integerrimo, qui nulla adhuc laboraret infamia, ergo verè Petrus etiam si iam alia ratione infamis detecto crimine ipsius occulto, quod omnino ignorabatur, infamatur de nouo. Quod verò infametur contra ius patet, quia vnusquisque habet hoc ius nec peccata ipsius omnino occulta reuelentur, nec fama ipsius propter occulta lædatur.

Secundò, experientia teste aliqui cauent à fure, qui non ita cauebunt à fornicatore, aliqui repellent à se periurum, qui non ita repellent adulterum, ergo istæ infamiæ distinctæ sunt, distinctæque opiniones, quod si distinctæ, etiam si frater laboret infamia vnius vitij ex istis, alijs manentibus occultis, retinet bonam famam circa illa, quę manent occulta, & illa reuelare est afficere ipsum noua infamia, & iniuria. Et consequenter, qui ita facit peccat, ac manet obnoxius restitutioni famæ. Probo consequentiam: Quoniam, qui ita facit, cum hæ famæ sint distinctę, non minus est proditor occulti criminis nati infamare fratrem, quàm ille, qui prodit crimen occultum illius, qui nulla adhuc laborabat infamia.

Tertiò, qui publicè ebrius est, sed habetur ab omnibus pudicus, habet ius in illam bonam opinionem, quā omnes habent conceptam de ipsius pudicitia, sicut qui amisit aliquām partem suarum facultatum, manet tamen illi adhuc altera pars, habet ius in illam, ergo qui reuelaret aliquam impudicitiam huius hominis omnino occultam, expoliaret ipsum illa bona opinione, quam homines habent de ipsius pudicitia, & contra ius, quod in illam habet. Et confirmatur. Quia si hic non haberet ius in illam bonam opinionem, quæ habetur de ipsius pudicitia, id certè esset, quia amisit iam bonam opinionem circa sobrietatem, at hæ famæ (vt constat) sunt distinctæ, quarum vna potest amitti alia manente illæsa, cum sit fama sicut integritas corporis, cuius vna pars lædi potest alia manente sana, quod ergo amiserit bonum nomen circa sobrietatem non tollit, quin possit illud retinere circa pudicitiam.

Quartò, si oppositum esset verum, vix reperiretur in toto orbe homo cuius non liceret vitia occulta prodere, quis enim est, de quo non constet notoriè aliquod genus peccati mort. veluti, quod frangat Ecclesiæ ieiunia; quod alicuius mulieris amore aliquando captus fuerit, vel quid simile eorum in quæ homines plerumque labuntur. Vnde illa opinio à peritis iudicatur dura, & impia: maxime qua parte asserit, conuictum vel infamatum de aliquo crimine, debere si à iudice interrogetur, reuelare alia occulta sua, vel aliena; Quæ ad hanc partem pertinent copiosè explicantur inf. q. 69. vbi egemus de iudicibus.

CONCLVSIO II.

Quædam sunt vitia in hominibus infamibus, & perditis adeo sibi affinia, vt in eis non sit pec. mort. reuelare aliquod occultum affine alteri grauiori, cuius infamia iam laborant.

COnstat publicè Petrum violasse puellam, non est pec. mort. referre illum per literas, dona vel internuntios solicitasse: constat Ioannem esse nimis addictum ludo, & illi vitio plurimum incumbere, non est mort. pec. referre illum occasione ludi frequenter iurare, vxorem & familiam minimè curare, etiam si hæc sint occulta. Ratio est, quia cognito peccato graui reuelare, quæ illi affinia sunt, & minus grauia, non est noua infamia illum afficere. In his standum maximè est iudicio prudentum ad intelligendum, an ita sint affinia, vt reuelatio occulti non augeat infamiam.

Argumenta Palud. nullam habent vim, sumit enim in vtroque argumento quod falsum est, nempe reuelato crimine occulto vnius generis, non affici noua infamia illum, qui iam est infamis ratione alterius vitij: constat enim ex dictis oppositum, nempe vitia, sicut habent inter se distinctas deformitates, & turpitudines, ita quoque generare distinctas infamias, constat etiam experientia multos esse, qui nullo modo attingent bona aliena, aut periurabunt, quia tamen ex fragilitate naturæ, oblata occasione erunt impudici. Vnde dico ad primum in illa diffinitione famæ non definiri simpliciter quamcunque famam, sed integram, & omni ex parte perfectam, qualem habent viri iustissimi, nihilominus habet etiam bonum nomē, & bonam famam, quamuis imperfectam, qui licèt in vno vitio malè audiat, circa alia tamen benè audit, & circa hæc, qui aliquid occultum reuelat nocet illi iniquè, qua etiam ratione manet dilutum secundum.

Controuersia Vigesima.

AN QVI INIQVE FRATREM SVVM *infamauit, teneatur ad compensanda omnia damna ex tali infamia illi subsequuta.*

POtest duobus modis aliquis fratrem suum infamare, aut imponendo illi falsum crimen, aut reuelando verum, sed omnino occultum: De priori nulla est controuersia inter DD. teneri illum non solum ad restituendam famam fratri quem falsò infamauit, asserendo fratrem nil tale commisisse, & se esse mentitū, verum etiam ad reficienda in integrum quantum poterit omnia damna ex illa falsa infamia fratri suo subsequuta, vt si ea de causa amisit Episcopatum, vel cathedram, aut vtile sibi matrimonium, vel quid simile. Ratio est aperta, quia qui sic infamauit fratrem, est directè, & per se causa illorum damnorum, & cum iniuria, vnde habet maximè locum in hoc casu regula illa, Tua causa damnum datum est. &c. De iniurijs, & damno dato.

Res paulo difficilior est in eo, qui verum crimen fratris, sed occultum iniquè reuelauit: Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. quem multi sequuntur, sentit teneri quidem istum infamatorem ad restituendum (in hoc enim omnes conueniunt) non tamen in integrum, sed ad aliquam partem ad arbitriū prudentis, pro ratione damni illati ac malitiæ, qua crimen illud occultum reuelatum fuit. Ratio horum est, quia causa præcipua istorum damnorum nō est reuelatio criminis illius, sed crimen illud reuelatum, reuelatio autem tantū fuit causa sine qua non; cū ergo causa pręcipua non sit reuelatio illius criminis, sed ipsum crimen, non debet ille infamator in integrum restituere, quia verò nisi ipse reue-

lasset non fuissent damna illa sequuta sed fuit causa sine qua non tenetur restituere partem aliquam.

D. Nauar. in suo Manua. c. 18. num. 45. & nonnulli ex recentioribus volunt, hunc etiam infamatorem teneri ad restituendum in integrum. Probant hac rõne. Quãuis diuerso modo infament, qui falsum crimen imponit fratri, & qui verum occultum reuelat, grauiusq; multa peccet ille, quam hic posterior, æqualiter tñ vterque nocet, vterque enim tollit bonam opinionem, quæ de fratre illo deinde habebatur, restitutio autem non sumitur ex modo nocendi, aut ex grauitate peccati, sed ex nocumento ipso quod infertur, ergo vterque tenebitur ad reficienda damna illa in integrũ. Probatur consequentia. Damna quæ consequuntur infamiam, si res rectè expendatur, non sequuntur formaliter, & directè ex crimine, quia etiam si frater illud commisisset, quandiu ignoratur, & habetur optima de ipso opinio, non nocet, vnde sequitur ex illa sinistra opinione, quam infamator in animis audientium generauit, hanc sinistram opinionem vterque efficit, tam qui falsum imponit quàm qui omnino occultum prodit, vnde vterque est causa efficiens illorum damnorum, & ex consequenti vterque tenebitur ad illa in integrum, quantum poterit, compensanda. Aliquando placuit nobis illa opinio M. Soto, nunc verò re maturius considerata & si vtraque probabilis sit probabilior tamen videtur opinio D. Nauarro ob rationem adductam. Et ad argumen. primæ opinionis respondeo, reuelantem occultum fratris crimen, non solum esse causam sine qua non, sed causam etiam directè, & per se, ac efficienter concurrentem ad illa damna, cum illa non sequantur propriè ex crimine, quod infamatus commisit, vel non commisit, sed ex mala opinione, quã concepit is apud quem infamatus est, quam sinistram opinionem non minus generat efficienter, & directè, qui verum occultum manifestat, quam qui falsum imponit.

Controuersia Vigesimaprima.

AN HAEREDES INFAMATORIS TENEantur ad aliquam restitutionem faciendam, vel hæredibus ipsius, quando infamator, cuius hæredes sunt, non restituit.

OBseruemus infamatorem) vt ex modò dictis constat) teneri ad restituendum infamato non modò famam, quam sua detractatione obscurauit, verum etiam omnia damna illam infamiam subsequuta.

CONCLVSIO I.

Si ipse infamator non restituit damna illata, tenetur hæredes illius iuxta vires, & facultates hæreditatis illa restituere, vel ipsi infamato si ad huc viuat, vel hæredibus, cuius si vita functus sit.

ITa Adria. illo Quolib. 11. D. Nauar. cap. 18. nu. 46. & omnes ferè DD. Prior pars, hæredem infamatores teneri ad restituenda damna illa perspicuum est, quia huiusmodi restitutio est debitum, & onus temporale ac pecuniarum, huiusmodi autem onera, & debita transeunt cum hæreditate. Altera pars, faciendam esse hæredibus infamati, si ipse defunctus sit, probatur, primò, quia debita temporalia sunt pars hæreditatis, & ius in illa transit vna cum hæreditate. Secundò, quia in læsione corporali, quãdo damna eius compensanda sunt, & restituẽda, talis restitutio si non sit facta ipsi læso est facienda hæredibus ipsius, cum tamen læsio illa non transeat in corpora hæredum, multò magis damna sequuta infamiam si ipsi infamato satisfacta non sint, debent satisfieri hæredibus ipsius, quorum fama læsa etiam est infamato defuncto, cuius hæredes sunt, cum honor parentum redundet in filios, & successores.

CONCLVSIO I.

Restitutio famæ facienda verbo retractando se ipsum, vel affirmando se protulisse falsum facienda est ab ipsomet infamatore, non autem ab hæredibus.

Ratio est aperta, quia hæc obligatio est personalis, debita autem personalia non transeunt ad hæredes.

CONCLVSIO III.

Tenetur infamator etiam si frater cui detraxit defunctus sit, famam illi restituere.

PAtet, Qui nocuit cum iniuria tenetur ad satisfaciendum quandiu durat nocumentum, Fama est bonum nomen quod durat etiam post mortem, tam ratione defuncti, quam ratione filiorum, & similiter infamia est damnum, quod durat post mortem, nocetque defuncto, & posteris ipsius, ergo qui iniquè fratrẽ infamauit tenetur illi famam restituere, etiam si mortuus sit. Denique videamus.

Controuersia Vigesimasecunda.

AD QVAM RESTITVTIONEM Teneatur qui audita ab alijs refert?

SCotus in 4. dist. 19. q. 4. Et Caiet. infra q. 73. art. 3. docent referentem dicta aliorum non esse detractorem, nec teneri ad aliquam restitut. quia eo ipso quo affirmat se nil tale vidisse, sed audisse tantum, non læditur fama proximi dicto illius, sed leuitate audientium, qui adeo leuiter credunt, quæ idem qui illa refert affirmat se non vidisse. Reuera tamen experientia oppositum docet. Videmus enim eos, qui benè sentiebant de Petro, vel eo solo quod crimen de ipso referatur, etiam si referens affirmet se audisse illud tantum, non tamen vidisse, malè deinde de illo sentire, & lædi illius opinionem. Vnde sit.

CONCLVSIO I.

Qui refert audita delicta alicuius, quacunque ratione illa referat, si id faciat animo lædendi proximum, peccat mort.

PAtet, Actus exterior sumit bonitatem, vel malitiam ab interiori, sed talis animus, & intentio est peccatum mort. contra charitatem, ergo.

CONCLVSIO II.

Qui refert audita his, qui iam illa nouerant non animo nocendi, sed ex quadam loquacitate, venialiter tantum peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem.

PAtet: Si peccaret mor. contra fratrem, aut ratione odij, aut ratione damni quod illi infert, sed in hoc casu nullum est odium, vel intentio nocendi, nec actu illi nocet, cum referat his qui iam nouerant, & apud quos frater ille iam malè audit, ergo.

CONCLVSIO III.

Qui refert audita iam publica & notoria, etsi ab his, quibus illa refert ignorentur, nec peccat mort. nec tenetur ad aliquam restitutionem.

CON-

CONCLVSIO IIII.

CONSTAT hæc sicut præcedens.

Qui refert occulta quæ audiuit ignorantibus illa, etiam si illa referat sine animo lædendi peccat mort. & tenetur ad restituendam famam.

PRobatur prior pars: Qui nocet fratri in re graui operam rei illicitæ, quamuis non habeat animum nocendi, peccat mort. vt qui dans operam rei illicitæ comburit segetes alterius, etiam si nil tale intenderet, sed qui refert delicta fratris quæ audiuit, etsi non habeat animum nocendi & infamandi illum, reuera tamen nocet illi in re adeò graui, qualis est fama, ergo. Probatur altera pars, vnusquisque habet ius à natura, vt habeatur vir bonus, & honestus quamdiu crimina eius occulta sunt, qui verò occulta delicta eius, etsi audita refert alijs, quæ illa omnino ignorabant, expoliat eum isto iure, nocetq; illi cum iniuria, ergo tenetur ad restituendum.

Modus autem restituendi est, vt vel dicat se mentitum, sicut diximus de illo, qui occulta iniquè reuelat, quia omnis iniqua detractio est mendacium practicũ vel saltem affirmet, se id leuiter retulisse, nec tale vidisse, imò habere illud pro falsò, & obsecrare alios, vt similiter iudicent in quo non mentitur, crimina enim occulta quæ non vidimus, possumus iudicare falsò, aut cum deceptione imposita, quando proximus de quo dicta sunt benè audit, à quocunque referantur: quia qui non timuit Deum reuelando occulta quæ debebat occultare, potuit etiam contra legem Dei quem non timet mentiri, & ita sicut possumus credere illa falsò imposita esse, sic etiam tacito nomine eorum, qui illa nobis retulerunt, possumus affirmare leuiter esse nobis dicta, iudicarique à nobis mendacia, & similiter esse ab ipsis habenda.

Controuersia Vigesimatertia.

LICEAT NE INFAMATO REMITTERE restitutionem suæ famæ ipsi debitam ab infamatore.

OBseruemus primò plurimum hæc differre, remittere restitutionẽ famæ, prodigere suam famam, non curare bonum nomen occultando sua vitia, & infamare seipsum falsum crimen, aut verum occultum de se referendo. Quod peccatum, & quale committatur prodigendo suam famam, vel infamando seipsum vidimus supra q. 3. de dominio art. 3. hic tantum agimus de remissione restitutionis. Vbi duo videnda sunt. Prius est, An infamato remittente maneat infamator liber à debito restituendi famam, & tutus in conscientia? Secundum, An id liceat infamatori facere, multa enim non benè fiunt, quæ tamen facta tenent: vt qui emisit votum castitatis, & sine dispensatione contrahit, peccat mortaliter, matrimonium autem tenet, qui prodigè dat pecuniam necessariam suæ familiæ peccat mortaliter, donatio tamen tenet.

Obseruemus secundò. Personam quæ infamatur vel publicam esse, cuius fama est ita alijs necessaria, vt nõ possit rectè suum munus exercere, & magistratum gubernare, si sit de vitijs notatus, aliam verò esse priuatam, quæ nulli officio necessaria est. Rursus infamiam personæ publicæ duplicem esse posse, aliam quæ afficiat tantum personam illam prælati, aut superioris, nõ tamen redundet in subditos, vt cũ infamatur de superbia, vel ira, aut fornicatione: aliam verò quæ redundat & in subditos, & ratione cuius subditi habentur suspecti de simili vitio, vt cum infamatur prælatus de simonia, alij clerici redduntur etiam suspecti de simonia. Si prælatus vel Doctores alicuius vniuersitatis, vel Princeps infamentur de hæresi, reddentur subditi suspecti etiam de hęresi, cum communiter amplectantur subditi doctrinam, & opinionem suorum prælatorum, discipuli suorum magistrorum, & populus sui Principis. Similiter infamia personæ priuatæ, aut ipsi tantum nocet & nulli alteri aut nocet non solum ipsi verum etiam filijs, & familiæ, vel alijs, qui facilè illius mores imitabuntur, vt vidua, quæ si habeatur pudica facit animos alijs vicinis vt castè viuant, contra verò si habeatur impudica.

Obseruemus vltimò, non modò bonam opinionem quæ de me habeatur esse famam meam, verum etiam opinionem bonam, quæ de alio habetur & hoc dupliciter primò quando mea fama includitur in fama alterius, & ex illa pendet, ita vt illo malè audiente necesse etiam sit me malè audire, quomodo fama parẽtum est fama filiorum, maximè in bis, quæ attingunt genus & sanguinem, alio modo non quia necesse sit illo male audiente me quoque malè audire, sed quia fama illius mihi necessaria est, & oportet alium benè audire, vt officium quod mihi præstare tenetur ex iustitia, commodè præstet, nec valet illud commodè præstare si malè audiat. Primo fama prælatorum non semper pertinet ad subditos non enim semper redduntur subditi infames vel suspecti propter vitia prælatorum, quamuis in aliquibus fama subditorum sit coniuncta cum fama superioris, nempe in quæ communiter non possunt incidere prælati quin simul illos imitentur subditi, vt simonia & hæresis. Secundò autem modo semper fama prælatorum, & superiorum est subditorum, & inferiorum, quia sine bono nomine non potest prælatus commodè docere gubernare, & corrigere suas oues, imò si aliquo vitio notetur, redditur inutilis ad ista munia exequenda, [Cuius enim vita despicitur (ait D. Greg.) Quid restat nisi vt prædicatio eius contemnatur?] Et Christus Dominus. [Quod si sal euanuerit ad nihilum valet vltra, &c.

His positis tres sunt de proposita quæstione sententiæ Caiet. infra quæst. 73. art. 2. & in sum. verb. Detractio. Ioan. Maioris in 4. distin. 15. q. 16. cum existiment hominem non esse dominum suæ famæ, sicut nec vitę, volunt quoque nemini nec priuatæ, nec publicæ personæ licere remittere restitutionem suæ famę. Sed cum hæc opinio falsò nitatur fundamento, ruit simul cum illo, constat enim ex q. 3. de dominio ar. 3. vnumquemque esse dominũ suæ famæ, sicut & aliorum bonorum temporalium, quamuis maiori cura fama, quàm alia bona custodienda sint.

Secunda opinio est M. Soto lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. & lib. 5. q. 10. art. 2. Et in relect. de ratione tegendi secretum, membro 1. q. 3. vbi ita distinguit inter personam priuatam, & publicam, vt priuata non peccet remittendo restitutionem suæ famæ, imò aliquando id landabiliter præstet talisque remissio sit ita efficax, vt maneat per eam infamator liberà debito restituendi, ratio est quia cum vnusquisque sit dominus suæ famæ, vt suarum diuitiarum, sicut potest verus dominus cuius bona necessaria alteri non sunt, sine vllo peccato remittere furi, quæ furto accepit, per quam remissionem fur manet liber à debito restituendi, ita potest infamatus remittere restitutionem suæ famę remanebitq; infamator liber à debito restituendi. Persona autem publica (ait) vt prælatus, si remittat restitutionem suæ famę, peccabit quidem mortaliter, quia fama eius necessaria est subditis, & suo muneri benè exequendo, tenebit tamen illa remissio, & infamator manebit liber à debito restituendi, quia ipse quoq; est verus dominus suæ famę sicut si diues cuius bona erant necessaria pauperibus, vel paterfamilias cuius bona sunt necessaria familiæ, si remittant furi pecuniã, raptã, peccant qui-

quidem mortaliter, quia nocent pauperbus, & familiæ suæ cui tenentur prouidere, fur tamen manet liber à debito restituendi, cum remiserit illi debitum verus dominus.

Et confirmatur primò, si pater artifex qui arte sua alebat filios vulneretur, ita vt eo vulnere reddatur impotens ad lucra suæ artis, ipso remittente damna illa, & lucra cessantia, etiam si in eo impiè agat, remissio tamen est efficax, & qui illum vulnerauerat manet liber ab omni restitutione, ergo similiter prælatus remittens suæ famæ restitutionem, et malè agat quando fama ipsius subditis necessaria est, remissio tamen illa erit efficax, & infamator ille manebit liber à debito restituẽdi.

Secundò, si hæc remissio non teneret, id certè esset, quia fama prælati est subditorum, at hoc non est. Probo, si fama prælati esset subditorum, qui detrahit prælato, teneretur satisfacere non solum prælato, verum etiam subditis, & loqui honorificè non solum de prælato, verumetiam de subditis, at nullus Doctorum hoc docet, ergo fama prælati quamuis vtilis, & necessaria subditis, non tamen est ipsorum, sed prælatus est verus, & absolutus dominus illius.

Tertia opinio est Adriani in 4. de restit. famę, & quo lib. 10. art. 2. ad 1. Diui Antonini 2. p. tit. 2. cap. 1. §. 3. Nauar. in suo manu. cap. 18. num. 46. & recentiorum Thomistarum, qui conueniunt quidem cum Soto, prærterquam in eo quod asserit prælato remittente restitutionem suæ famæ remissionem illam esse efficacem, & tenere, manereque infamatorem liberum à debito restituendi, Volunt enim hi non tenere talem remissionem, quia prælatus non est absolutus dominus suæ famæ, sicut pater familias suarum diuitiarum, diuitiæ enim parentum sunt debitæ filijs ex pietate, non tamen ex iustitia, vnde non sunt filiorum, committetque filius verè furtum si illas accipiat inuito patre, at fama prælati est ex iustitia subditorum, & illis suoque officio obnoxia, & emancipata, sicut constat ex secunda, & tertia obseruatione.

Nos hanc sententiam sequemur, ad cuius maiorem intelligentiam reuocanda est hic in memoriam distinctio illa peccatorum. q. 3. de dominio art. 3. adducta, Ex peccatis, quæ generant infamiam quædam esse communia, quæ licèt aliqua infamia afficiant, non tamen nimis graui, vt dicere de viro plebeio, quod fornicatus sit, vel multum iurans, aut fur dicere de mercatore esse auarum, & cupidum, parumque solicitum suę conscientię in suis contractibus; alia verò sunt, quę grauissimè infamãt, aut ratione delicti, vt hæresis, blasphemia, vitium indicibile, aut ratione personæ, vt qui mulierem honestissimã diceret fornicatam, virum nobilem, & studiosum commisisse periurum.

CONCLVSIO PRIMA.

Si priuata persona cuius fama nulli necessaria est remittat illius restitutionem, talis remissio est efficax in quocunque genere peccati, redditque infamatorem liberum à debito restituendi. & tutum in conscientia.

PAtet ex dictis, quia vnusquisque est dominus suæ famæ sicut, & pecuniæ, & sicut remissio pecuniæ facta à verò domino reddit debitorem liberum à solutione, vel restitutione, ita & remissio infamia reddit liberum infamatorem.

CONCLVSIO II.

Si persona priuata, de qua præcedens conclusio, sit infamata de crimine quod grauissimè infamat, vt de heresi, vel simonia, aut si sit persona nobilis, de periurio, si remittat infamiam remissio tenet, vt constat ex præcedenti conclusione, peccat tamẽ mortaliter contra charitatem. Quod si sit infamata de crimine, quod non infamat grauissimè remittendo restitutionem famæ peccat tãtum venialiter.

PRobatur vtraque pars: Prodigalitas ex suo genere non est peccatum mortale, sed veniale tantum, redditur autem mortale quando tali prodigalitate infert homo sibi maximum nocumentum, sed famam (cum sit bonum quoddam temporale) contemnere est quædam prodigalitas, ergo in criminibus, quæ non grauiter infamant, illius restitutionem remittere sine iusta causa, erit tantum veniale, in his autem, quæ grauiter infamant, cum tali infamia graue nocumentum inferatur, facere talem remissionem erit mortale, iusta autem causa arbitrio prudentis ex circunstãtijs personarum, loci, & temporis, &c. pensanda est. Est enim iusta causa si tali remissione consulatur quieti, Resp. vel loci in quo illi agunt, vel si infamator offerat infamato habenti filiam nubilem ducere illam, vel constituere illi dotem cuius indigentia periclitatur maximè honestas filiæ, vel habeat multa debita aut pauperiem, offerat pecuniã qua iuuetur plurimum, aut postulet talem remissionem princeps, vel vir illustris, cui placere infamato confert multum, vel similiter.

CONCLVSIO TERTIA.
contra Caiet. & Maior.

Persona priuata si iusta causa, & ratione adducta remittat restitutionem famæ sibi debitam in alijs criminibus ab hæresi, & indicibili non solum illa remissio est efficax, & tenet, vt constat ex prima conclusione, verum etiã agit laudabiliter, tantum abest, vt peccet.

PRobatur. Cum is, qui famam restituit, id non possit sine propriæ famæ, aut alicuius alterius rei detrimento remittere talem restitutionem, est parcere damno proximi, consulere, autem aliorum commodis, & nostra negligere iusta causa intercedente est actus charitatis, & dignus homine christiano, ergo.

Secundò, negligere propriam famam tunc est peccatum, quando prodigere, & temerè negligitur, est enim tunc vitiũ prodigalitatis, at quando iusta de causa negligitur, & contemnitur, non est prodigalitas, imò actus ad quem Christus maximè suos in Euangelio hortatur ergo remittere illius restitutionem iusta causa non est peccatum, sed actus laudabilis, talis enim remissio nil aliud est, quàm suam famam negligere.

Tertiò, licèt ex amicitia vitam exponere pro amico, ergo multò potius cum fama, non sit tantum bonum quantum vita, licebit contemnere, & exponere propriam famam, remittendo illius restitutionem, ne infamatoris fama deperdatur, quando iusta causa, & rationabilis id hortetur.

Quartò, puella infamata de honestate potest remittere illam infamiam spe dotis, vel fauoris viri illustris, ergo potest quiuis eadem, vel alia iusta causa intercedente similiter remittere.

Quintò, remittere restitutionem nil aliud est quàm remittere iniuriam illatam, & velle illam pati, at nisi causa fidei & religionis, aut atrocitas criminis aliter exigat, vt in hæresi & vitio indicibili, remittere iniuriam, & illam pati consiliũ est Euanglicum. Vnde Grego. hom. 9. in Ezech. [Lingua detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus tollerare, vt nobis meritum crescat.] Et confirmatur exemplo Christi.

Denique, cum fama consistat in bona opinione, & iudicio hominum, illam cõtemnere remittendo ipsius restitutionem, nil aliud est quàm contemnere iudicia, & opiniones hominum, quod cum iusta causa intercedit, laudabile profecto est, & à sanctis obseruatum, ita Paulus. [Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autẽ me iudicat dominus est.] Et D. Aug. 11. q. 3. can. Senti. [Senti inquit de Augustino quidquid liber, sola me in oculis Dei conscientia

non

non accuset.] Hæc est doctrina aperta D. Tho. infra q. 64. art. 5. vbi asserit (quicquid Caiet. ibi dicat) [hominem esse dominum, & pro libito posse disponere de seipso, quantum ad ea quæ pertinent ad hanc vitam,] Inter quæ certum est collocari famam, & apertius q. 73. art. 4. vbi ait. [In arbitrio hominis positum esse, pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in periculum aliorum, vtpotè si quis sit persona publica, vel vita illius sit alijs in exemplum.

CONCLVSIO QVARTA.

Si bona opinio personæ priuatæ sit necessaria, ne alij suo exemplo facilè labantur in peccata ipse remittens restitutionem suæ famæ licèt non peccet contra iustitiam, quia est dominus illius, peccat tamen contra charitatem, & infamator tenetur illi similiter famam restituere, non ex iustitia, sed ex charitate debita proximis, ne suo scandalo alij pereant.

VErbi gratia, si virum, aut mulierem maximæ auctoritatis notaui de adulterio, & pusilli ae vicini eo exemplo prouocantur ad peccandum, iste remittēs peccat, quia idem est in hoc casu remittere, quod scandalum actiuè offerre proximis, quod est peccatū mortale, & ego, quamuis ipse remittat, teneor restituere illi famam, quia non restituendo permanet scandalū mea causa, quod est peccatum mortale contra charitatem, in quo sensu ait D. August. 11. q. 3. can. Non sunt audiendi, contemnentes propriam famam esse crudeles, loquitur enim de quibusdam mulieribus honestis, quę contemnentes propriam famam ex imprudenti humilitate, puellis vicinis causam præbebant non curandi suam honestatem, nec custodiendi suam pudicitiam, eratque talis contemptus scandalum pusillorum. Ex qua conclus. sequitur infamatum qui viderit famam sibi quoque necessariam vel maximè vtilem, vt detineatur & abstineat à peccatis in quæ ea amissa facilè labetur, peccare mortaliter, si illam contemnat, & restitutionem illi debitam remittat: & infamatorem qui id nouerit, etiam si ipse remittat, teneri nihilominus ex charitate ad illam restituendam. Ratio est apertissima, quia non minus teneor ego ad curādam salutem propriam, quam proximorum, sed quando saluti eorū mea fama necessaria est, ne scandalizentur, teneor illam custodire & peccat mortaliter contra charitatem illam contemnendo, ergo similiter & grauius peccat, neque curando famam, quando meæ propriæ saluti necessaria est, vel maximè vtilis.

CONCLVSIO QVINTA.

Paterfamilias, cuius fama filijs familiæq; suæ necessaria est, non potest remittere illius restitutionem, imò peccat contra iustitiam, & infamator quamuis illam remittat, manet semper ex iustitia deuinctus ad illam restituendam.

PRobatur, fama patrisfamilias (vt constat ex tertia obseruatione) non solum esse ipsius, verumetiam filiorum & familiæ, ergo non potest remittere illius restitutionem sibi debitam, imò si remittat præterquā quod peccat volens filios suos iniuria afficere, remissio non tenet, sed semper manet integrum, & validum ius, quod habent filij in illam famam. Probo consequentiam, quia pater iste licèt possit cedere iuri suo, non tamen iuri filiorum.

CONCLVSIO VI.

Persona publica siue velit in officio, & munere suo permanere, siue non, sed illud dimittere, si fama subditorum sit coniuncta famæ ipsius, & ab illa pendeat, vt secunda obseruatione expositum est, non potest remittere restitutionem suæ famæ sed agit contra iustitiam, si illam remittat, nec talis remissio est valida, sed manet semper infamator deuinctus ad illam restituendam.

PRobatur eodem argumento quo præcedens conclusio. Prælatus & persona publica, sicut paterfamilias licèt possit cedere iuri suo, non tamen iuri subditorum, sed cum in casu de quo hæc sexta conclusio, ipso infamato de aliquo crimine, subditi & inferiores habeantur similiter suspecti de eodem crimine, & infamia prælati sit infamia inferiorum, quod ius habet ipse ad exigendam illius famæ restitutionem, habent quoque isti inferiores, ergo ipse non potest remittere, neque expoliare suos inferiores illo iure, manetque ex consequenti infamator deuinctus ad famam illam restituendam.

CONCLVSIO VII.

Si prælatus, vel persona publica nolit permanere in suo officio, sed illi omnino renuntiare, & infamia ipsius non redundet in subditos, potest remittere restitutionem suæ famæ, eo modo quo potest persona priuata.

PAtet, quia eo ipso quo renuntiat officio, & illud desinit exercere, est persona priuata, & vt talis iudicanda.

CONCLVSIO VLTIMA.

Prælatus vel persona publica perseuerans, & volens permanere in suo officio, non potest ex iustitia remittere restitutionem famæ, quod si remittat, peccabit ipse contra iustitiam, & infamator tenetur nihilominus ex iustitia illi famam restituere, etiam si peccator non reddant subditos, & inferiores suspectos, & infames, sed solum superiorem.

PRobatur prior pars. Prælatus tenetur ex iustitia, & sub pœna mortalis ad omnia quæ ad debitam gubernationem sui muneris necessaria sunt, sicut tenetur eo ipso, quo habet officium ad debitam gubernationem illius, est autem fama maximè necessaria ad debitam gubernationem, vt constat, ergo tenetur ad illam tuendam, quamdiu manet in officio ex iustitia, nec potest remittere illius restitutionem. Hinc patet contra Magist. Soto secunda pars conclus. Quod enim ius habent subditi in superiorem, vt ab eo benè gubernentur, & rectè exerceat suum munus, idem habent in omnia necessaria, vel maximè vtilia debitæ gubernationi, & exercitio sui muneris, sed fama est maximè vtilis & necessaria, vt prælatus bene gubernet, & persona publica optimè suo munere fungatur, ergo habent subditi ius in illa, iuri autem subditorum superior non potest cedere, ita vt si tentet illi cedere, nil agat, sed maneat illud firmum, & validum, ergo quamuis prælatus remitteret, tenetur infamator nihilominus restituere, vt satisfaciat iuri subditorum. Secundò ex eodē Soto, prælatus nolens permanere in suo officio, ex iustitia tenetur conseruare suam famam, sed iustitia est ad alterum, ergo fama eius non est ipsius tantum, sed subditorum quoque, & eis deuincta, ac vt ait ipse Soto, emancipata, quando autem aliquid plurium est, remissio facta ab vno alijs non consentientibus inualida est, & inefficax, ergo sola remissio prælati non reddit infamatorem immunem, & liberum à debito restituendi, sed tenetur adhuc restituere.

Ad argumenta verò magistri Soto, quæ huic doctrinæ repugnant, respondeo. Ad plurimum, plurimum illa differe, primò quia diues non debet pecunias pauperi ex iustitia, sed ex charitate tātum, & eleemosyna, at fama prælati, de qua hic loquimur, est debita subditis ex iustitia rōne sui officij, bona verò parentum sunt quidē debita filijs ex pietate naturali, quę maius vin-

culum est, quàm iustitia, at pater est absolutus, & totalis dominus suorum bonorum, ita vt si filij illi ipso inuito accipiant, præterquam in extrema necessitate constituti, furtum committant, quo fit, vt parente remittente, etsi impiè, quando illa alimoniæ filiorum necessaria sunt, remissio tamen sit efficax, reddens illum furem, vel debitorem liberum, & tutum in conscientia, at prælatus, non est absolutus, & totalis dominus suæ famæ, cum illa suo muneri rectè exequendo necessaria sit, sed partialis tantum, propter quod non potest illi ins restitutionem remittere, nec manebit infamator liber à debito restituẽdi, etiam si ipse remittat. Eodem modo soluitur prima confirmatio.

Ad secundum respondeo, non sequi illud incommodum, quia fama prælati non est subditorum, vt res quædam priuata illorum, sed vt res necessaria debitæ gubernationi, quo fit, vt qui infamauit prælatũ, verbi gratia de fornicatione, non teneatur restituere subditis famam, quia ipsi non sunt ex eo infamati, sed solum tenetur restituere eis rem, qua indigent, vt benè gubernentur, quod præstat restituendo famam ipsi prælato.

Ex hac quest. patet solutio illius dubij. (An sufficienter sibi satisfaciant qui se se vicissim infamarunt, mutuo, sibi remittendo suæ famæ restitutionem.

CONCLVSIO I.

Inter personas publicas, vel patres familias quorum fama alus necessaria est, & in illam alij habent ius, nõ potest fieri ista mutua compensatio, nec erit valida aut efficax, sed semper manebit vtrique debitum restituendi inter personas autem priuatas, quarum fama non est aliis necessaria, potest fieri ista mutua compensatio, & erit efficax.

PAtet prior pars, quia licèt isti possint vicissim cedere vnusquisque iuri suo, non tamen iuri aliorum, quorum est etiam ipsorum fama. Eodem argumento probatur secunda pars, quia isti possunt liberè cedere iuri suo, cum fama ipsorum nullius alterius sit.

CONCLVSIO II.

Inter personas priuatas de quibus agimus, si duo se mutuo infamarunt potest vnus eorum, nolle famam alteri restituere, quandiu alter non vult ipsi restituere, sicut fit in debitis pecuniarijs.

PAtet, quia fama est bonum temporale, & iura istorum paria, in temporalibus autem vbi iura sunt paria, si Petrus non vult seruare mihi meum ius, nec ego teneor seruare illi suum.

CONCLVSIO III.

Non licet infamare proximum, qui me infamauit, nisi id sit necessarium ad me iustè defendendum.

VErbi gratia, accusor de homicidio apud iudicem, aut falsò, aut contra ordinem iuris, accusator, vel testis qui meam vitam, vel bona iniquè in tanto discrimine constituit, est ebrius, aut periurus, aut commisit aliquod crimen, quod iuridicè probare possum, quo probato dictum, & testimonium eius nullam habet vim, si id sileam ego periclitor, si obijciam illi tale crimen, liberabor, in hoc casu cum id fiat ad iustam, & necessariam mei defensionem, licet ipsum de illo crimine infamare. Probatur prior pars, quia non licet reddere malum pro malo, nec iniuriam pro iniuria, maximè quando illa iniuria non repello propriam. Secunda verò patet, quia sicut se habet mea vita ad vitam proximi, ita mea fama ad famam illius, sed volentẽ me occidere possum ego vim vi repellere, & occidere illum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo infamantem me in iudicio, possum ego similiter infamare in iudicio de crimine quod de illo iuridicè probari potest, & quo probato me tueor, est enim hoc vim vi repellere, maximè quia, vt vidimus qui crimen commisit, quod in iudicio probari potest, iam non habet ius in suam famam in iudicio ex iustitia.

Ex hoc patet, crimen occultum infamantis me in iudicio, quod iuridicè probari non potest, non licere obijcere accusatori, vel testi, quantumuis iniquo, quia talis obiectio, cum probari nequeat, erit inutilis, & frater habet ius, vt quod iuridicè probari non potest, non reueletur in iudicio:

Nunc de honore, & reuerentia, quæ proximis debetur.

Controuersia Vigesimaquarta.

AD QVID TENEATVR QVI PROXImum lædit in honore.

CVm honor sit reuerentia alteri debita propter aliquam excellentiam, quæ in ipso est, non ratione alicuius corporis dotis, nam in his bruta excedũt homines, sed ratione alicuius dotis animæ, nempè ingenij, eruditionis, vel virtutis, aut ratione alicuius dignitatis, & officij, vel generis, & nobilitatis, qui proximum lædit in honore, videtur velle expoliare ipsum excellentia illa, & dignitate, quę in ipso, est, & reuerentia illi iure debita propter talem excellentiam, vnde peccat contra iustitiam, cum autem peccans contra iustitiam, expoliando fratrem ea re, in quam habet ius, satisfaciat, & seruet æqualitatem ac iustitiam restituendo rem qua illum expoliauit, colligit hac ratione. Diuus Thom. in solutione tertij, eum qui fratrem læsit in honore, teneri ad exhibendam illi reuerentiam, & honorem, iuxta illud Rom. 13. [Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem,] Et hac via illi satisfacere, non autem explicat, quæ reuerentia sit illi exhibenda.

Caie. infra q. 72. art. 3. ait esse exhibendam, vel salutando quem antea non salutauimus, vel vocando illustrem quem antea non sic vocauimus, cum esset tali titulo dignus, & similiter in alijs, negat autem petendã esse veniam sicut in alijs iniurijs, in quibus satisfacimus iniurię illatę sine petitione venię, nisi quando nulla alia via suppetit ad satisfaciendum honori læso, quia talis petitio veniæ est nimia humiliatio, & deiectio, ad quę nullus est compellendus, in opusculo autẽ 17. quæstionum. q. 13. dub. 5. docet in his standum esse arbitrio prudentis, ita, vt si ad satisfaciendum iniuriæ illatæ proximo per priuationem honoris, prudenti videatur petenda esse venia, petatur, si verò alia via videatur commodior habita ratione personarum, loci, &c. non petatur, sed ea una satisfiat, quæ prudenti videbitur commodior.

Soto loco supra citato probat hunc modum Caiet. addit nihilominus petitionem venię, præterquam in prælatis superioribus erga subditos, & illustribus erga inferiores, esse modum accommodatissimum ad satisfaciendum læso in honore, & reuerentia.

Vt in hac parte quod tutius est eligamus, Obseruemus primò, cum illata contumelia duo faciat, primo exacerbet fratrem, quod est contra charitatem, secundò expoliet illum reuerentia ipsi debita, quod est contra iustitiam, speculatiuè, & simpliciter loquendo satisfieri in hoc casu charitati, si reconcilietur illi per amicitiam, iuxta illud Christi. (Si habet frater tuus aliquid aduersum te, &c.) Iustitiæ verò exhibendo illi reuerentiam ipsi debitam, & constituendo ipsum in suo loco, quo-

quocunq; modo. id fiat siue per veniæ petitionem, siue alia via: moraliter autem, & practicè loquendo, quando in facie, & coram inhonorauimus, si id fecimus ex ignorantia, satisfacimus confitendo nostram ignorantiam, & exhibendo illi honorem debitum, sicut Paul. qui cum inhonorasset iustè iniquum sacerdotem, admonitus dixit, [Ignorabam fratres, quod princeps sacerdotum esset.] Si autem id fecimus ex malitia, ira, vel odio, & inhonoratus non est subditus, aut inferior, nullus est modus conuenientior, quàm petendo veniam de iniuria illata, quia inhonorando fratrē duo mala commissa sunt: peccatum est enim contra charitatem, & deiectus est frater à suo honore, & statu contra iustitiam, petendo autem veniam: Primò dolemus de iniuria illata, & pœnitemus de illo peccato, quo satisfacimus charitati, secundò humiliamus nos proximo, quem à suo statu deiecimus, & ea humiliatione restituimus illum, quantum possumus in suum statum, & dignitatem, & satisfit iustitiæ, resarciturq; honor ablatus. Vnde Christus in Euangel. insinuans hūc modum, quasi omnium accōmodatissimum fidelib. Christianis, quos ipse instituebat, præcepit, vt simus faciles in remittendis iniurijs petentibus veniam, in illa parabola insigni debentis tot millia talentorum. Et ita hic modus est tam frequens in vsu fidelium & confessorum, & tantò dignior quantò charitati, & humilitati vicinior.

Excipimus prælatos & superiores, quos oportet alia via quam petitione veniæ suis inferioribus, quos inhonorarunt, satisfacere, ne illorum officium, cuius auctoritas bono communi adeò necessaria est, cōtemptui habeatur, vt docet D. Aug. in regula: [Ne (inquit) dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.] Similiter excipiendi sunt viri illustres erga plebeios, & magistri erga discipulos, & parentes ac domini familias, erga filios & seruos.

Ex his colligo primò, illi quem inhonorauimus restituendum esse suum honorem ex iustitia, quia vnusquisque habet ius, vt exhibeatur ipsi honor ab alijs, iuxta locum & statum, quem habet in sua Rep. quem honorem si quis ei non exhibeat, expoliat illum suo iure: quantus autem honor cuique debeatur ex consuetudine loci, & status, prudentum arbitrio pensandum est, est autem vnicuique honor quo expoliatus fuit, restituendus etiam cum detrimento proprij honoris, non autem cum periculo vitæ, sicut diximus de fama, maximè quia damnum in honore, cum non sit quid positiuum, sed sola priuatio debitæ reuerentiæ, nunquam tantum nocet, quantum infamia, quo fit vt nunquā tale damnum sit præferendum vitæ alicuius.

Colligo secundò, ad restituendum honorem non dari certam regulam, sed standum esse arbitrio prudentis, iuxta circumstantias loci, temporis, personarum, & iniuriæ illatæ, ita vt ea via sumatur, qua inhonoratus melius in suum statum & locū, à quo fuerat deiectus restituatur, quamuis omnium accommodatissimus sit petitio veniæ. Nec solum honor restituendus est, verum etiam omnia illa damna temporalia, quæ consequuta sunt ignominiam illam iniustè proximo illatam, vt si propterea aliquo officio, vel beneficio priuatus est, vel ad recuperandum suum honorem aliquas debuit expensas facere, sicut diximus de fama.

Colligo tertiò, cum honor detrahatur, vt in plurimum duplici via, aut priuatione, non exhibendo honorem & reuerentiam fratri debitam, aut positiuè, afficiendo illum aliqua contumelia, vel conuitio, & hoc aut in absentia, aut coram in facie, si priuatiuè inhonoratus sit, commoda restitutio est exhibere illi honorē, & reuerentiam, quam non exhibuimus, & sic forsan loquitur Caiet. q. 72. art. 3. Si positiuè per contumeliā, nullus est commodior modus, quàm petitio veniæ, nisi inæqualitas status oppositum exigat, vt prælati ad subditum: Si in absentia, restituendo illi honorem apud eos, apud quos proximo conuitium illatum est, sicut diximus de fama asserendo illi talem reuerentiam & honorem deberi, & iniquè ac malè fratrem illum tali conuitio, vel contumelia affectum esse.

Huic disputationi de restitutione famæ, & honoris proxima videbatur disputatio de restitutione pecuniarum. Cæterum cum in bonis, & diuitijs, proximo varijs modis nocumentum inferatur, veluti furto, rapina, litibus iniquis, contractibus emptionis, venditionis, vsuræ, cambij, census, & similibus, qui vt distincti sunt, ita quoque distinctos secum afferunt modos restituendi damna, quæ per ipsos inferūtur, propterea non solet nec potest de restitutione pecuniarum, & bonorum temporalium priuata aliqua disputatio institui, sed sparsim, dum singuli modi quibus in temporalibus fratribus nostris nocere possumus, proponuntur, quam restitutionem vnumquodq; nocumentum istorum postulet, simul explicatur.

In solutione 4. arg. agit D. Thom. de eo, qui impedit alium à consequutione alicuius officij, siue officium illud sacrum sit, siue prophanum, vbi constituit impedientem bonum alterius, bifariam posse illud impedire, aut ob bonum finem, vtilitatem vtpote Ecclesiæ, vel Reip. aut ex odio, & liuore, ne fratri bonum illud conferatur. Rursum instituentem conferre bonum aliquod proximo duobus etiam modis potuisse illud instituere, aut voluntate iam firma, & omnino deliberata, aut voluntate nondum ita fixa, & deliberata, quibus constitutis statuit has tres conclusiones.

CONCLVSIO PRIMA.

Impedientem alium à consequutione alicuius boni, veluti alicuius officij, aut beneficij, ob bonum finem vtpote vtilitatem Ecclesiæ, vel Reip. vt illud digniori conferatur, non peccare, nec teneri ad aliquam restitutionem, quin potius iustè agere.

CONCLVSIO II.

Impedientem alium à consequutione alicuius boni ex odio & liuore, si collaturus illud, animo iam fixo, & deliberato statuerat illud conferre, peccare grauiter, & teneri ad restituendum in integrum bonum illud fratri, cui fuit impedimento, ne illud assequeretur.

QVIA stante tali animo fixo, & deliberato reuera expoliat fratrem illum re iam ferè sua, & cum iniuria.

CONCLVSIO III.

Si collaturus illud bonum instituebat, quidem illud conferre, non tamen animo adhuc omnino firmo, & deliberato, teneri tunc impedientem tale bonum ad aliquam restitutionem, ad arbitrium prudentum.

QVIA in hoc quoque casu nocet illi fratri, & cum iniuria.

Occasione huius doctrinæ disputatur hic ab interpretibus D. Tho. ad quam restitutionem teneatur tam impediens fratrem à consequutione alicuius boni, quod illi euenire poterat, quàm distributor, & collator bonorum communium, quando omisso digniori confert illa digno, vel hoc dimisso confert illa indigno; nos agemus hic tantum de restitutione ad quam tenetur, qui iniquè aliquem impedit, de restitutione verò, ad quam tenetur iniquus distributor bonorum communium quæstione proximè sequenti, art. 2. vbi qua ratione distribuenda sint bona communia explicandum est.

Controuersia Vigesimaquinta.

AN QVI IMPEDIT ALIVM A CONSEquutione alicuius boni, vel beneficij teneatur ad compensandum bonum illud fratri, quem impediuit.

QVatuor sunt de hac quæstione opiniones, Prima cuiusdam Geraldi Odonis,& D. Bernard, vt refert Adr.in 4.de rest.q.de collatione beneficiorum,qui constituebant hanc regulam, qui efficit ne frater recipiat rem quæ nondum erat sub dominio, & iure ipsius, sed pendebat adhuc ex alterius voluntate, non manet restitutioni obnoxius. Ratio erat, quia cum restituere sit iterato fratrem constituere in possessione, & dominio rei suæ, vt quis teneatur restituere, debuit prius eijcere fratrem à re,quam possidebat, qui verò impedit, non eiecit illum à tali statu cum nondum esset res illa ipsi collata.

Secunda opinio est Scoti,& Ricardi in 4.loc.citatis, asserentium impedientem alterum non ob odium ipsius,sed ob propriam vtilitatem,vel amici, non teneri ad restituendum,quia sic agens vtitur iure quod habet à natura, procurandi sibi vel amicis bonum quod potest, qui verò vtitur iure suo nulli facit iniuriam, nec tenetur aliquid restituere: quod si id faciat in odium fratris, tunc teneri, quia iam non vtitur iure suo imò, expoliat fratrem iure quod habet à natura, ne ab aliquo impediatur à bono quod licitè potest obtinere:Et confirmatur lege 2.ff.de aqua pluuiali arcenda §.Idem Labeo,vbi dicitur.[Rumpentem aquæductum qui per suum fundum deriuatur in fundum vicini, si id faciat non animo,nocendi, sed in suam vtilitatem, non esse iniurium alteri, quia vtitur iure suo, si verò id faciat nō vt sibi prosit,sed vt alteri noceat, esse illi iniurium, & expoliare illum iure suo,vnde animus malus, & intentio nocendi sufficit vt inferatur fratri iniuria, & sic inferens teneatur ad restitutendum.

Tertia opinio est M.Soto loco citato, & Nauar. in suo Manu,cap.17.num.69. vt qui communibus precibus impedit alium non teneatur restituere, qui verò fraude vel vi,teneatur, quia restitutio non habet locū vbi non est iniuria, iniuria autem non afficit fratrem qui communibus precibus vtitur, sed ille solum qui fraude,vel dolo.

Quarta opinio est D.Tho.hic in solutione quarti,& discipulorum ipsius, quotiescunque aliquis impedit alium,vt detur digniori,& vtiliori,non teneri ad restituendum, quod si id faciat non ob communem vtilitatem,sed ne frater bonum illud obtineat,teneri, quæ opinio videtur conuenire cum illa Scoti quo ad animum,nam ex D.Tho.si fiat bono animo,& fine, nullū est debitum restituēdi,si verò malo animo,& ex odio, est debitum restituendi,vnde iuxta D.Tho,negari non potest plurimum quoque facere animum, vt quis tenestur in hoc casu ad restituendum vel secus.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus.Primò bona à quorum consequutione aliquis impeditur duplicia esse alia debita ipsi ex iustitia,vt beneficia,munera,& bona publica,debentur enim hæc dignioribus ex iustitia, alia verò quæ ex misericordia tantum vel liberalitate,vt eleemosyna,donatio, legatio. Rursum priora illa ex iustitia debita, quædam præcipuè ordinata,& instituta sunt in bonum particularium, vt bona publici ærarij ciuibus distribuenda, alia verò quæ præcipuè ordinantur in bonum commune, vt beneficia,magistratuum munera.

Obseruemus secundò dupliciter posse aliquem impediri a consequutione boni,vno modo iustè,alio verò modo iniustè. Et illud prius bifariam,aut iustè formaliter, vt cum impeditur per actum iustitiæ cum omnibus circunstantijs,requisitis ad iustitiam formaliter, vt qui sine fraude,vel dolo,& sine odio vllo intendens tantum bonum diuinum, vel vtilitatem communem, & merita dignioris nititur, vt detur beneficiū digniori relicto minus digno, aut habet se iustè materialiter tantum,vt qui sine fraude,& dolo, ex odio tamen, & non ob bonum commune satagit vt detur digniori, vel æquè digno. Iniustè autem potest vnus alium impedire tribus modis. Primò iniustè contra commut. iustitiam tantum,sine violatione distributiuæ, vt qui fraude vel dolo satagit vt detur beneficium æquè digno. Secundò contra iustitiam distributiuam tantum, vt qui sine fraude,& dolo,sed alia via communibus scilicet precibus nititur vt detur minus digno.Tertio modo contra vtramque iustitiam simul,& commutatiuā, & distributiuam, vt qui fraude vel dolo nititur beneficium dari minus digno excluso digniori. His positis sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui sine fraude, & dolo impedit aliquem à consequutione boni communis, quod præcipuè est institutum in iuuamen,& vtilitatem particularium,vt detur magis indigenti, quando voluntas distributoris nō erat adhuc firmata,nihil tenetur restituere: quod si iam firmata erat, quomodocunque id impediat, siue fraude, siue communibus precibus,tenetur restituere in integrum.

PRobatur prior pars, quia tunc violatur commutatiua cum nulla sit fraus:nec distributiua, cum curauerit vt daretur magis indigenti,nec vlla alteri illata est iniuria, quia quamdiu voluntas deliberata non est plus iuris habet in talibus bonis magis indigens. Probatur secunda pars,quia quando voluntas distributoris erat iam firmata, iste pauper iam habebat ius, & erat in proxima potentia ad illa bona, & consequenter nocetur illi cum iniuria.

CONCLVSIO II.

Qui impedit, ne distributor conferat bona communia in vtilitatem particularium instituta illis quibus sunt distribuenda,etiam si id faciat sine fraude,& dolo,sed communibus tantum precibus, tenetur illis restituere in integrum.

PRobatur, tenetur distributor in hoc casu illis restituere tanquam is,qui expoliauit ipsos re sua,ergo, & ille qui ita fieri curauit, quia concausa ad eandem restitutionem tenetur ad quam præcipua causa: vt qui consilium dat latroni vt furetur,& qui auctor est œconomo ne det pauperibus quod illis commissum est, vt in pauperes distribuatur, Et confirmatur ex illa reg. Si tua causa damnum,&c. quæ hic rectè locum habet.

CONCLVSIO III.

Qui impedit alium a consequutione beneficij iustè, & formaliter, nec peccat, nec tenetur restituere, imò exercet actum virtutis egregiæ, hic enim ex charitate consulit bono communi, & meritis dignioris. Quod si impedia materialiter tantum, peccat quidem contra charitatem quia ex odio illum minus dignum impedit,non autem contra iustitiam.

QVia cum sine fraude,& vi curet digniori dari beneficium,nec violat distributiuam,nec commutatiuam, nec facit illi excluso iniuriam, quia minus dignus coram digniori non habet ius,vbi autem nulla iustitia violatur,nullum est debitum restituendi.

CONCLVSIO QVARTA.

Qui impedit alium a conſequutione beneficij contra iuſtitiam commutatiuam tantum, ſeruata distributiua, vt qui impedit ne detur minus digno ſed digniori, hoc tamen per fraudem, & dolum, vel vim, aut falſum teſtimonium tenetur quidem compenſare illam iniuriam illatam in modo impediendi, non tamen ipſum beneficium: Ita vt ſi illa iniuria illata arbitrio prudentis debeat æſtimari 100. aureis, illos teneatur reſtituere, etiamſi forſan ille minus dignus beneficium illud obtinuiſſet.

PRima pars probatur, quia damnum illatum contra iuſtitiam commutatiuam, quod pecunia æſtimari poteſt, reſtituendum eſt. Secunda vero, quia minus nō habet ius ad beneficiū, vnde in ordine ad beneficium non eſt illata illi iniuria, nec factum eſt cōtra aliquos ius ipſius, vbi autem iniuria non eſt, nec debitum reſtituendi. Secundò, minus dignus collatus digniori, perinde ſe habet, ac indignus collatus digno, ſed qui fraude, vel vi nititur beneficium dari digno excluſo indigno, licèt teneatur aliquid illi reſtituere ratione illius fraudis, non tamen beneficium, ergo ſimiliter, ſi impediatur dignus, vt detur digniori. Tertiò diſtributor ipſe, qui per fraudem, & vim confert digniori excluſo digno, non tenetur reſtituere beneficium, ſed tantum compenſare illam fraudem, vel vim, ergo nec impediens. Patet conſequentia, quia vbi cauſa præcipua non tenetur, neque concauſa.

Sed obijcies, iſte dignus poteſt acceptare beneficium, ſicut pauper eleemoſynam, ſed ſi quis per iniuriam impediat hunc pauperem à conſequutione eleemoſynæ, vt detur alteri, tenetur illi reſtituere, ergo ſimiliter ſi impediat per iniuriam illum dignum. Reſpondeo non eſſe ſimile, quia pauperi cui data eſt eleemoſyna, non debebatur ex iuſtitia, digniori autem debebatur beneficium ex iuſtitia, & ita illi digno quo ad beneficium non eſt facta iniuſtitia, nec eſt reſtituendum, ſed reficietur iniuria illata per fraudem vel vim, & fama, ſi falſum illi ſit impoſitum teſtimonium.

CONCLVSIO QVINTA.

Qui impedit alium à conſequutione beneficij contra iuſtitiam commutatiuam non curans diſtributiuā quamuis ipſam iuſtitiam non lædat, vt qui fraude, vel dolo impedit à beneficio dignum, vt detur æquè digno, tenetur ad reſtituendum illi in integrum.

PAtet, ex illa regula: Si tua culpa damnum datum eſt cum iniuria, teneris illud reſtituere, ſed qui impedit in hoc caſu dignum per vim aut fraudem, nocet cū iniuria, ergo. Maior certa eſt. Probatur minor, in primis nocet, cum ſit in cauſa ne iſti digno detur illud beneficium, & cum iniuria, quia dignus collatus alteri digno habet ius ad beneficium, habet etiam ius ne ab aliquo impediatur, maximè cum fraude, vel dolo, vnde impediens illum in hoc caſu nocet ipſi cum iniuria, ergo tenetur reſtituere.

Sed contra, ex ſecunda parte præcedentis concluſionis, qui impedit dignum, vt detur digniori, ideo non tenetur reſtituere beneficium, quia ſeruatur iuſtitia diſtributiua, ſed in caſu huius quintæ concl. etiam ſeruatur, quia æquè dignus eſt iuſtitia diſtrib. poteſt accipere ſicut alter, ergo. Reſpondeo plurimum differre iſta, nam in caſu præced. concl. non ſolum ita ſeruatur iuſtitia diſtrib. vt non violetur, verum etiā attenditur eius obſeruatio, vt fiat quod ipſa exigit, ſ. vt dignior præferatur digno, at in caſu huius quintæ cōclu. ſeruatur iuſtitia diſtrib. id eſt non violatur, non tamen intenditur eius obſeruatio & infertur, vt conſtat, digno iniuria. Vel dico, in caſu præcedentis conclu. impeditum non habere ius ad beneficium, cum minus dignus collatus digniori non habeat ius, & ita licèt quo ad modum impediendi ſit paſſus iniuriam, quia fraude, vel dolo fuit impeditus, quo ad beneficium tamen nullam paſſus eſt, cum ad illud non haberet ius, in caſu autem huius quintæ conclu. cum impeditus habeat etiam ius, quia impediuit, intulit ipſi iniuriam, & ita tenetur reſtituere.

CONCLVSIO VI.

Qui precibus aut perſuaſione vrbana ſuadet alicui ne petat beneficium, aut cathedram, licèt eam mereatur, non tenetur aliquid ipſi reſtituere, qui autem dolo aut vi, aut timore aliquo id nititur ab ipſo obtinere, peccat grauiſſimè, & tenetur reſtituere in integrum.

PAtet, quia qui deſiſtit ob præces vrbanas ſciens, & volens deſiſtit, ſcienti autem & volenti non fit iniuria: qui autem dolo, vi, vel minis, non deſiſtit liberè ſciens, & volens, ſed coactus, vbi autem coactio iniqua, ibi & iniuria.

CONCLVSIO SEPTIMA.

Qui ſine fraude & dolo, ſed communibus precibus impedit dignum, vt beneficium detur æquè digno, etiam ſi id faciat ex odio, peccabit quidem contra charitatem ratione odij, non tamen tenetur reſtituere, qui verò conſulit, aut communibus precibus impedit contra iuſtitiam diſtributiuam, vt beneficium detur digno excluſo digniori, etiam ſi id non faciat ex odio digniori, ſed ex amicitia digni, peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, cum nitatur excludere digniorem, & tenetur ad reſtituendum.

PRior pars eſt contra Scot. & Richar. Et probatur. Iniquus animus, vbi iuſtitia nō violatur, non obligat ad reſtitutionem: vt cum iudex condemnat aliquē ex odio, non tenetur reſtituere, ſi condemnatio ſit iuſta, quamuis ratione odij peccet cōtra charitatem, ſed in hoc caſu, cum non vtatur talis impediens aliqua fraude, vel dolo, non violat commutatiuam, cum curet dari illud bonum æquè merenti, non violat diſtributiuam, ergo. Et confirmatur: facere malum ex odio ſeruata iuſtitia eſt peccatum tantum, contra charitatē, ex ſola autem violatione charitatis non naſcitur obligatio reſtituendi, ergo. Ad probationem primam Scoti reſpondeo, illum impeditum nō expoliari iure ſuo, cum alter habeat ſimile ius, & ſit æquè dignus, vbi autē iura ſunt æqualia, nec vlla interuenit fraus vel vis, nulla fit iniuria. Et cōfirmatur, diſtributor, qui eſt cauſa præcipua, dans æquè digno alio excluſo, non tenetur reſtituere, ergo neque impediens, quia quando cauſa præcipua non tenetur reſtituere, neque ille, qui eſt concauſa.

Ad ſecundū reſpondent Nauar. & Couar. locis citatis illam legē eſſe pœnalem punientem odiū, & inimicitias, quas ſolent inter ſe gerere vicini agricolæ, & ne ſibi, quando rixantur, hac via noceant rumpendo aquæductus, legem illam pœnam imponere, quando fit ex odio, ſed non teneri ſtatim hominem ad reſtituendum, niſi adueniente iudicis ſententia, vt in alijs legibus pœnalibus. Alij reſpondent, & melius illas leges concedere vſum, & dominium illius aquæductus vicino ſuperiori, per cuius prædium tranſit hac lege, vt vtatur aqua illa, cum ſibi fuerit neceſſaria, & valeant illum rumpere, cum ſibi fuerit neceſſarium ad aliquod ædificium, ceſſante autē neceſſitate, nec rumpat, nec aqua prohibeat inferiorem. Et ita quando ad ſuam vtilitatem rumpit non eſt iniurius, nec tenetur reſtituere, quia vtitur iure ſuo, quando autem ſine neceſſitate rumpit, aut prohibet aquam, non vtitur iure ſuo, imò expoliat vicinum inferiorem aqua, ad quam habet ius, & ita eſt illi iniurius, & tenetur reſtituere.

Et

Et quoniam, qui id non facit ad suam vtilitatem & necessitatem communiter illud facit ex odio & inimicitia, lex meminit odij, & inimicitiæ, debitum autem restituendi non nascitur ex odio & inimicitia, sed ex iniustitia, quam infert vicino priuando illum aqua, ad quam habebat ius.

Secunda pars huius conclusio. conuenit maximè cũ opinione asserentium conferentem officium, vel beneficium minus digno relicto digniori teneri ad restituendum, quæ sententia verior est, & communior inter antiquos Doctores, vt q. seq. art. a. videbitur. Sed probatur iam hæc pars ex D. Tho. qui in solutione 4. arg. de qua nunc agimus, nullam aliam iniustitiam assignat in eo, qui iustè aliquem impedit à beneficio, nisi quia curat, vt illud detur digniori, nullam quoque aliam iniustitiam in eo, qui iniustè impedit, nisi quod curat, vt illud detur minus digno, sed hæc iustitia, vt detur digniori, & hęc iniustitia, vt detur minus digno pertinet apertè ad iustitiam distributiuam, ergo iuxta hanc doctrinam D. Tho. vel ex eo solum, quod quis impediat alium iniustè, peccat contra iustitiam distribut. Secundò D. Tho. in hac solutione quarta absolutè nulla facta mentione fraudis, vel violentiæ docet impedientem alium iniustè teneri ad restitutionem: vtitur enim hac voce, procuret quod vel solis precibus sine fraude & vi, sed qui contra iustitiã distributiuam impedit aliquem à consecutione beneficij, reuera iniustè impedit, & magis, quàm impedit illum contra commuta. tum quia distribut. est præstantior commut. tùm quia conferre beneficia, & bona communia pertinet ad distrib. & non ad commut. ergo. Et confirmatur, Illud beneficium ex iustitia erat debitum digniori, & quando erat firmata voluntas, ferè iã proprium, quando nondum firmata, probabiliter proprium, ergo qui conatus est precibus vel consilio suadere electorem, vt minus digno conferret, expoliauit illum digniorem re sibi debita, & quasi propria, vel probabiliter propria, & tenetur consequenter restituere eo modo quo hic D. Tho. docet.

Tertiò, ex D. Tho. in hoc articulo vt teneatur aliquis restituere, illa tantum iniustitia exigitur, vt benemeritus habeat minus quàm debuit habere, sed quacunque ratione impediatur benemeritus propter minus merẽtem, habet minus quàm debuit habere, ergo, D. Tho. ex eo solum quod quis consulat dari beneficium minus digno, vult teneri ad restitutionem, consilium autem non reducitur ad fraudem, vel dolum, sed ad preces communibus. Vnde qui verba D. Tho. asserentis teneri ad restituendum eum qui per indebitam causam procurat. vt animus distributoris mutetur, interpretantur per fraudem, & vim, reuera torquent maximè verba D. Tho. cum indebita causa non solũ sint fraus, & vis, sed quæcunque etiam preces & consilia, quæ volentem iustè distribuere bona communia, mouentur vt iniustè agat, & relicto digniori conferantur illi minus digno.

Ex hac conclus. patet, eũ qui impedit contra vtramque iustitiam, qui scilicet fraude, & dolo curat beneficium dari minus digno excluso digniori, teneri omnino ad restitutionem. Et probatur. Maiori iure est debitum istud bonum commune digniori quàm pauperi eleemosyna, sed qui impedit per iniuriam fraudẽ vel vim, ne pauperi detur eleemosina, tenetur ad restitutionem, ergo. Denique qui per iniuriam impedit artificem, ne possit lucrari in sua arte, tenetur ad restitutionem, ergo similiter in proposito.

In his omnibus conclusionibus, in quibus dicimus restitutionem beneficij esse faciendam impedito, est maximè perpendendus animus collatoris, sicut docet D. Tho. si enim distributor habebat omnino in animo non conferre beneficium illi impedito, non tenetur impediens ad aliquam restitutionem, etiam si impediret contra vtramque iustitiam, quamuis peccet, quia non expoliat in eo casu impeditum, sicut qui infert vulnus occiso peccat contra charitatem, ad nullam vero tenetur restitutionem damni naturalis, si verò collocator habebat animum fixum dandi, tenetur in integrum, quod si non habebat fixum, sed dubium, erat tamen aliqua spes, tenetur secundum aliquam partem arbitrio prudentis. Et ratio est, quia vinculũ restituendi consurgit ex damno dato contra iustitiam, quando elector habebat omnino in animo non dare, impediens reuera nullum intulit damnum, etsi iste impediens curauerit illud inferre, sicut qui nixus est rapere, non tamen potuit: quãdo elector omnino habebat in animo conferre, intulit impediens integrum damnum, quando erat dubius aliquod tantum. Et in hoc sensu habet vim illa regula, quod parum distat nil distare videtur, quæ, vt bene hic docet Soto contra Caietanum, non significat, vt quod parum distat ab actu, nil distet, fur enim qui ferè alienũ obtinuisset, parum distitit ab actu furti, at reuera nec furtum fecit nec tenetur restituere: sed significat, vt quod parum distat à consequutione nil dare videatur, & ita qui impedit benemeritum, cum animas collatoris sint de liberatus, impedit eum qui parum destitit à consequutione, & perinde se habet, ac si nihil destitisset & fuisset impeditus à re iam habita. Hæc dicta sint de restitutione, quam debet facere impediens ipsi impedito nam de ea quæ facienda est Ecclesiæ, seq. q. art. 2.

Est dubium, An minus dignus qui opposuit se digniori cum videatur illum impedire saltem contra iustitiam distribut. teneatur ad restituendum Caiet. habet hic tria. Primum est, si minus dignus se opponat intendens impedire digniorem, teneri ad restituendum, quia violat distrib. cuius violatio obligat, vt vidimus, ad restituendum. Secundò, si non intendat impedire digniorem explicatque illud in sua oppositione, non teneri etiam si præbendam illam obtineat, quia nullam violat iustitiam. Tertiò, si non id explicet, quia non est solitum id explicari, modò id faciat vt sibi consolat, non vt alteri noceat, non teneri, quia tunc nulli iustitiæ aduersatur, sed proponit tantum sua merita electoribus, vt illi videant, quid facto opus sit. Soto loco citato sequens suam opinionem ait, minus dignum opponentem se digniori sine vlla fraude, & vi, quocunque animo se opponat, siue vt sibi consulat, siue vt digniorem impediat, non teneri ad restituendum: si vero fraude vel dolo vsus sit, teneri. Ratio eius est, quia vbi non est fraus vel dolus, non violatur commutat. sed solum distribu. ex ipso verò sola violatio distributiuæ non obligat ad restitutionem.

Obseruemus hic primò, communiter neminem iudicare se minus dignum, amore enim proprio fit, vt quisque de se mirificè sentiat, & ita nullus est æquus iudex in propria causa. Secundò, posse vnũ secundum vnam rationem esse alio digniorem, qui tamen secundum aliam erit illo minus dignus, verbi gratia potest Petrus esse eruditior Ioanne, sua verò diligentia Ioannes esse vtilior Ecclesiæ, vnde vt quis dicatur dignior, omnia merita consideranda sunt, & secundum plura, & magis vtilia facienda est comparatio. Obseruemus Tertiò, omnes esse, certum minus dignum opponentem se digniori cũ fraude vel dolo teneri ad restituendum, quia tunc apertè violat vtramq; iustitiam, Quæstio ergo est, quando nulla est fraus vel dolus,

CONCLVSIO I.

Qui simpliciter, & absolutè est indignus, id intelligens aut admonitus ab amicis fidelibus, quibus debet credere, opponens se digno vel digniori, tenetur restituere damnum, quod illis infert.

Patet, quia in hoc casu illi habent ius, ipse verò nullum, & consequenter nocet illis cum iniuria. Et confirmatur,

confirmatur, etiam si nulla esset oppositio, tenetur ob suam insufficientiam resignare, ergo restituere vbi digni oppositi sunt.

CONCLVSIO II.

Si minus dignus in vno sit dignior in alio, etiam si malo animo se opponat, peccat quidem contra charitatem, non tamen tenetur restituere.

PAtet, quia tunc habet ipse ius, sicut & alius, qui autem vtitur iure suo nulli facit iniuriam.

CONCLVSIO III.

Si dignus opponat se digniori, non vt illi noceat, sed vt sibi consulat proponens electoribus sine fraude, & dolo sua merita, non tenetur ad restitutionem, si verò vt alteri noceat, & illum quantum vis bene meritum impediat, tenetur.

PRobatur prior pars, quia in eo casu ipse nullam violat iustitiam, vbi autem iniustitia non est, nec debitum restituendi. Eodem modo patet 2. pars, quia tunc est impediens, & contra iustitiam distri. vnde impedit illi cum iniuria: ita Caie. Scot. Palud. Ricard. in quattro locis supra citatis. Arg. Soti nullam habet vim, ostendemus enim ex sola violatione distrib. oriri etiā debitum restituendi, quando nocetur proximo, cum tale nocumentum eo ipso quo est contra quamcunq; iustitiam, sit damnum cum iniuria.

ARTICVLVS III.

An sufficiat restituere simplum, quod iniustè ablatum est?



OBseruemus cum D. Th. in acceptione rei alienæ duo considerari posse: primò inæqualitatem, quæ ex illa acceptione oritur, si quis enim accipiat rem Petri, habet plus quàm debet habere, & Petrus minus quā debet habere. Secundò iniustitiam, & iniuriam, quæ ex illa acceptione aliquando, infertur: dico aliquando, quia datur acceptio alieni sine iniuria, vt in mutuo & deposito, datur etiam cum iniuria, vt in furto, rapina, vsura. Rursum hæc iniuria aliquando tantum est iniustitia sine vlla læsione famæ, honoris, vel personæ, vt in simplici furto, aliquando verò cum iniuria, & læsione istorum, vt in multis rapinis, & violentijs.

Obseruemus secundò, iniquam acceptionem, aut detentionem rei alienæ, aliquando puniri à lege aliqua pœna pecuniaria, & temporali, vt cum præcipit lex cędentem ligna ex nemore prohibito, non soluentem vectigalia præter valorem rei, quam abstulit, teneri ad soluendum hanc, vel illam pecuniam, vel amissionem bonorum.

CONCLVSIO I.

Quantum ad naturam, & substantiam restitutionis, sufficit simpliciter restituere, quod ablatum est.

PAtet. Restitutio exigitur, vt inæqualitas reducatur ad æqualitatem, restituendo id, quod ablatum est, ducitur inæqualitas omnis ad æqualitatem, ergo.

CONCLVSIO II.

Si ad puniendam iniquam acceptionem lex pœnam imposuit, non est pęna illa exoluenda, nisi adueniente iudicis condemnatione.

PRobatur, soluere pœnam est legem exequutioni mandare, & infligere supplicium statutum culpæ, sed hęc sunt propria munera iudicis, ad illum spectantia, non ad reum, ergo donec iudex condemnet, non tenetur soluere.

CONCLVSIO III.

Quando iniqua acceptione læsa est fama, honor, aut persona proximi, non est restituendum, quod ablatum est, verum etiam compensando illa læsio.

COnstat hæc ex superioribus. Et confirmatur; quando sine iniqua acceptione, sed intentata tantum, quamuis non subsequuta, læsio aliqua fratri illata est, compensanda est, ergo multò potius si vna cum iniqua acceptione illata sit.

CONCLVSIO IIII.

Si ad puniendam iniquam acceptionem, vel actum lex statuat pœnam non solum actione illa subsequuta, verum etiam solummodo intentata, vt cum quis secretò deprehenditur conari extrahere equos, vel merces è regno, adueniente iudicis sententia pœna illa soluenda est.

PAtet, lex iniusta obligat in conscientia, huiusmodi leges cum respiciant bonum commune, & illi necessariæ sint, sunt iustæ, ergo.

Sed contra hanc doctrinam nonnulla sese offerunt. Primò videtur D. Tho. ita distinguere inter restitutionem, & pœnā, vt inæqualitas, quæ accidit in acceptione iniqua reficiatur per restitutionem, culpa verò, quæ in eadem iniqua acceptione committitur reficiatur per pœnam. Contra, illa culpa, quæ in iniqua acceptione committitur est iniuria quædam, & contra proximum cuius res iniquè accipitur, & contra legem, quæ id prohibet, sed tam iniuria, quàm inæqualitas reficitur per restitutionem, ergo non rectè distinguit D. Tho. inter restitutionem, & pœnam.

Secundò, qui alium aggreditur, & conatur lædere, etiam si conatu illo frustretur, afficit nihilominus fratrem suum iniuria, quæ compensanda est aliqua satisfactione, & ante iudicis sententiā, falsū ergo est, quod hic habet D. Tho. iniuriam illatam puniri pœna, quæ subeunda non est, nisi adueniente iudicis sententia.

Tertiò, tam lex, quā iudex, qui legis executor est, & minister, non puniunt nisi actus perfectos, vt in simonia, si quis attentet vendere beneficium, nec illud vendat non punitur ab Ecclesia, vt simoniacus, si quis instituat occidere fratrem, nec illum occidat, non punitur vt homicida, quia lex ciuilis non punit actus internos, & voluntatem solam, sed opera tantum externa, & consumata. Est ergo falsa 3. conclu. quam hic posuimus ex D. Tho.

Ad hæc diluenda obseruemus in acceptione iniusta lædi, & proximum cui fit iniuria, & legem ipsam, ac Legislatorem, contra quem peccatur, & Remp. cuius pars est proximus ille iniuria affectus, vt patet in fure, qui his omnibus nocet, iniuriam, & damnum, quod fit proximo, in quibuscunque bonis illud fiat, vocat hic D. Tho. inæqualitatem, iniuriam verò, quæ fit legi, & Reipu. vocat culpam, & peccatum. Et merito ita loquitur, quia inæqualitas omnis habet rationem culpæ, & peccati, quatenus est contra legem, iuxta definitionem peccati traditam ab August. & receptam in scholis, & hac ratione, atque in hoc sensu D. Tho. dixit inæqualitatem compensari per restitutionem, qua satisfit proximo læso, culpam verò compensari per pœnam, qua satisfit legi, & Reipubli. ita patet solutio ad primum.

Ad secundum dico conatum illum esse iniuriam, & contra proximum, & contra legem, quæ sicut prohibet inferri damnū proximo, ita & illud conari quatenus est contra proximum, estque illi compēsandum

per

per aliquam restitutionem, quæ non exercetur vt pęna, sed vt satisfactio debita, quatenus verò est contra legem, est etiam puniendus aliqua pęna, vt puniretur si deferretur in iudicium, sed hæc pœna non est subeunda, nisi iudice ad illam condemnante.

Ad tertium respondeo, in grauioribus criminibus, in quibus oportet ob bonum commune timorem incutere ciuibus, iustissimè legem humanam, non solum punire actus consumatos, verũ etiam externos inchoatos, vt in crimine læse maiestatis, in vitio indicibili, in homicidio, quod intentat famulus erga propriũ dominũ, in propinatione veneni, aut quando violatur proprij hospitij, vel publici itineris securitas: Vbi admonendi sunt iudices, quando crimen consumatum est, iustè rigorem legis seruari, quando autem inchoatum tantum fuit, nec consumatum, vtendum esse epicheia, & prudenter temperandum rigorem legis pro ratione delicti, vt habetur l. solicitatores. ff. de extraordinarijs delictis.

His explicatis nonnullæ se offerunt hic graues & difficiles controuersiæ, sit prima.

AN LEX POENALIS OBLIGET IN CONscientia ad luendam pœnam ante iudicis sententiam.

IN hac quæstione non est nobis agendum de hæretico, nec de crimine læsæ maiestatis, aut proditore Reip. quorum bona à die commissi criminis sunt applicata fisco, amittuntque isti ab eo die dominium in illa, retinent tamen eorum vsum, & possessionem vsq; ad iudicis sententiam, vt habetur in c. cum secundum leges, de hæreticis, lib. 6. & copiosè supra quæstione 11. ar. 3. vbi agitur de pœnis hæreticorum. Nec disputamus hic de pœna corporali, homicidio, mutilatione, verbere, aut triremibus, quia nemo tenetur offerre se ipsum iudici, aut his pœnis: esset enim actor, & minister iustitiæ vindicatiuæ in se ipsum, quod omnia iura negant, sed quæstio est de pœnis pecuniarijs, quas leges imponunt pro aliquibus culpis.

Alphonsus de Castro, lib. 2. de lege pœnali, cap. 8. & lib. 2. de iusta hæreticorum punitione, cap. 6. sequutus Abbatem, & Felinum in c. t. de constitutionibus. & in ca. Cum non ab homine, de iudicijs, nolunt lege decernente pœnam ipso facto, vel ipso iure hoc, aut illud facienti, committentem illud statim teneri in conscientia ad pęnam illam exoluendam per seipsum, aut interpositam personam, si crimen occultum sit. Ratio eorum est. Cum lex pœnalis sit iusta, obligat in conscientia, ad faciendum quidquid præcipit: præcipit autem duo, primò, hoc non fieri, secundò, facientem ipso facto teneri ad soluendam hanc, vel illam pœnam, ergo quemadmodum subditi tenentur in conscientia abstinere ab eo, quod lex illa prohibet, tenentur similiter in conscientia legem illam transgressi ipso facto pęnam ab illo impositam luere, etiam si iudex nil præcipiat.

Secundò, lex obligans ipso facto transgressorem ad soluendum 100. fisco transfert eo ipso dominium illorum 100. in fiscum, suntque ex tunc bona illa fisci, bona autem fisci ipso non consentiente, nemo potest retinere in consciencia, ergo.

Tertiò, si sola lex non obligaret ad soluendã statim pœnam, sed expectanda esset iudicis cõdemnatio, maiorem vim & auctoritatem haberet iudex quam lex: oppositum autem docent omnes Doctores, nam lex non est subiecta iudici, imò contra, ergo. Dehiq;, quando vna lex aliquid præcipit, nisi alia lex eiusdem, aut superioris auctoritatis aliud statuat, vel in illa dispenset, parendum est illi, lex pœnalis absolutè, & simpliciter præcipit solui pœnam, nil exprimens de condemnatione iudicis, nec vlla est lex, quæ aliud statuat, aut in ea dispenset, ergo.

Oppositam sententiam docent D. Tho. hic, Caiet. in commento huius art. & in summ. verbo, Pœna. Conradus tract. 1. de contractibus. q. 7. Adrian. quolib. 6. art. 1. Syluest. in verbo, Heresis. t. §. 8. & latius in verbo, Assassinus, Medina C. de rebus restitu. q. 1. ex Canonistis Archidiaconus in dicto capite, Cũ secundum leges & ibidem Ancharanus, & Philippus Ioan. Andræas in capite, Pro humani, de homicidio, lib. 6. Et plerique Iurisperiti adeò, vt Sylue. in verbo, Assassinus, asserit Abbatem hac in parte communiter nõ teneri. Volunt verissimam esse sententiam, quam hic habet secunda concl. D. Tho. Ratio & fundamentũ horum est argumentum D. Tho. quia cum pœnam soluere sit, pati supplicium à lege taxatum, si ante iudicis sententiam teneretur delinquens pœnam luere, ipse sibi ipsi inferret supplicium, & in se ipsum ageret, iure antem naturæ in omni actione, & passione oportet distincta esse agens, & patiens.

Tertia opinio est, quam tribuunt aliqui Henrico Gandensi, quolib. 3. q. 22. legem pœnalem ante iudicis sententiam, ad nil obligare in conscientia, neque ad id quod præcipit, neque ad solutionem pœnæ, sed tantum adueniente sententia obligare ad pœnam. Quæ opinio nullum habet Auctorem certum præter vulgum, & imperitos confessarios, qui existimant transgredientes talem legem non peccare. Primò, quia iam se exponunt pœnæ. Secundò, quia vident multos ex peritis Theologis in ea esse sententia, vt dicant vectigalia, & tributa, quæ imponuntur mercibus non esse in conscientia soluenda, leges autem huiusmodi vectigalium constat esse pœnales.

Vltima opinio est Henrici Ganden. loco modò citato, qui statuit duplices leges pœnales, alias quæ continent, & præceptum, & pęnam contra illud transgredientes, alias verò, quæ continent solam pęnam, nil autem præcipiunt, vt cum dicitur. Exod. 22. [Qui furatus fuerit bouem, vel ouem, quinque boues pro vno, & quatuor oues pro vna restituat.] Vbi nil pręcipitur, sed tantum imponitur pęna furanti ouẽ, vel bouem. Priores illas vocat Ganden. pęnales myxtas, aitque obligare in conscientia ad id quod præcipiunt, quia præceptum superioris obligat in conscientia: posteriores vocat meras pœnales, & has non obligare in conscientia ad aliquid, cum nil præcipiant, sed ad solam pęnam, quando iudex ita iudicauerit.

Ad intelligentiam huius quæstionis, obseruemus primò, cum pęna pro peccatis interdum præscribatur à lege, interdum imponatur pro arbitrio iudicis, non esse hic quæstionem, an pœna, quæ nondum est à lege constituta, sed est à iudice constituenda, sit subeunda ante iudicis condemnationem: certum enim est subeundam, cum ab illo assignabitur sic, sed quæstio est (vt patet) de pęna iam definita, & statuta à lege.

Obseruemus secũdò, leges pœnales varias esse, nam aliæ sunt comminatoriæ, quæ non tam pœnam infligunt, quam minantur infligendam, vt lex illa; Omnis vtriusque sexus, de pęniten. & remissio. non infligit pęnam excommunicationis non communicantibus in Paschate, sed minatur; ait enim, [Viuens ab Ecclesia arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.] Aliæ sunt, quæ non minantur pęnam, sed simpliciter explicato crimine decernunt pœnam in delinquentem, vel simplici verbo dicendo, incurrat, vel addito illo verbo, quod habet maiorem emphasim, nempe, ipso facto, aut ipso iure: priores leges cum sint comminatoriæ tantum, non obligare ad subeundam pęnam ante condemnationem iudicis, certum etiam est apud omnes. Vnde quæstio est de posterioribus. Rursum ex his, quæ actu infligunt pœnam, quædam sunt, quarum pœna est purè priuatiua aliquorum bonorũ, quæ non erant propria delinquentis, sed illi à Legislatore conferebantur, ad quam exequendam non requiritur actio, sed est mera passio, & cessatio actionis, vt pœna excommunicationis, interdicti, & irregularitatis, quibus

bus priuatur homo delinquens suffragijs, & beneficijs, quæ non sunt propria ipsius hominis, sed Ecclesiæ, & ab ipsa illi conferebantur. Alia verò est pœna, quæ propriè est actio, & per quam expoliatur homo aliquo bono suo, & sibi proprio, vt cum dicit lex, qui hoc fecerit soluat 500. vel exulet, &c.

Inter hæc duo genera pœnarum hoc interest, vt benè hic Caie. & Soto lib. 1. de Iust. q. 6. art. 6. vt ad incurrendam pęnam prioris generis non requiratur iudicis condemnatio, sed eo ipso, quo crimen committitur, reus ille pęnam illam actu subit, vel committens crimen, contra quod à lege ipso facto illata est excommunicatio, ante sententiam iudicis est excommunicatus, quia cum excommunicatio sit priuatio bonorum Ecclesię, in facultate Ecclesiæ est priuare quãdo vult, & eo ipso, quo vult est priuatus delinquens, priuare autẽ vult, & priuat ipso facto, quo crimen illud committitur: sicut quando maritus legat vxori 100. ita vt seruet viduitatem, vel castitatem, vel fundator collegij mandat illud ingredientibus alimenta sub hac, vel illa conditione, vel Rex confert alicui officium, cum stipendio 100. aureorum, ita vt nulla munera sumat, si isti contra statutum illud pactum, vel conditionem faciant, tenentur statim ad restituendum ante omnem condemnationem iudicis, quia illa fuit quædam donatio conditionata, quæ seruata conditione transfert dominium, ea verò deficiente nequaquam, sed est restituendum.

Ita vidua, cui sub ea conditione legauit maritus centum, violata conditione tenetur restituere legatum, collega qui violat statutum fundatoris, tenetur restituere valorem alimentorum, cum primum illud violauit, habens officium à Rege, tenetur restituere valorem munerum pauperibus; nam quo ad huiusmodi officiales regios consuetudo docet hoc genus restitutionis. Similiter clerici non residentes in suis curis, tenentur restituere fructus sine alia condemnatione, vt habetur in Conc. Trid. sess. 23. c. 1. quia Ecclesia confert illis tales fructus, sub ea conditione. Idem iudicium est de legibus, quæ in religionibus, aut vniuersitatib., vel aliquibus Rebuspub. priuant aliquos voce actiua, vel passiua, propter aliquam culpam, incidẽs in illam eo ipso, sine alia condemnatione est priuatus voce illa tàm actiua, quã passiua (quidquid dicat Soto) quia hac lege datur illi ius ferendæ vocis, vt illa crimina non committat, quorum aliquo commisso non datur illi tale ius. Vnde de his pęnis, quæ sunt merè priuatiuæ bonorum, quorũ delinquens non erat dominus, non est hic quæstio, sed de alijs, quibus homo expoliatur bonis suis, & communiter per aliquam actionem.

Obseruemus tertiò, in omni lege pœnali contra Gandensem, explicitè vel implicitè contineri aliquod præceptũ: Explicitè, quando apertè continentur in ipsa, & præceptum & pœna: Implicitè verò, quando sola pœna: quando explicitè habetur, contineri certum est, quando verò nõ exprimitur, implicitè etiam contineri, patet. Primò, quia communiter si vna lex imponit pœnam, alia est lex, quæ præcipit, vel prohibet illud, propter quod pœna illa imponitur, vt in exemplo adducto, Exo. 22. de furante ouem, vel bouem: ista enim imponit pœnam: alia verò omnino prohibet furta, & sic in cæteris. Quod si aliqua lex reperiatur imponẽs pœnam, cui non possimus aliam assignare, quæ præcipiat, vel prohibeat illud, propter quod pęna illa imponitur, eo ipso quo talis pœna imponitur, præcipitur, vel prohibetur id propter quod illa imponitur, quia pęna, & culpa ita sunt relata, vt sic contra omne ius infligere alicui pœnam sine culpa, omnis autem culpa & peccatum est contra aliquod præceptum ex definitione peccati. Secundò, repugnat omni iudicio, & conceptioni hominum, vt etiam si nullum extaret præceptum non furandi, non occidendi, si lex diceret, qui furatus fuerit, suspendatur, non prohiberi eo ipso, & hac sola lege furtum, quo nomine docet D. Thom. q. 33. eleemosynam etiam nullum extaret præceptum expressum de ipsa, esse in præcepto, cum Christus, Matth. 24. [Non facientibus eleemosynam] minetur ignem æternum.] Vnde cum in omni lege pœnali sit aliquod præceptũ, obseruandum maximè est in ipsa, quid sit quod præcipit, vel prohibet, & quid sit quod statuit tanquam pęnam: nam quod contra eius pręceptum, vel prohibitionem accipitur vel detinetur illud non est pœna, sed iniquè acceptum vel detentum, & restituendum, vt furtum ante omnem iudicis condemnationem: quia fit eo modo inæqualitas, quam per restitutionem reducere ad æqualitatem, simpliciter & omnino sine vlla iudicis sententia tenemur ex natura rei: neque de hoc est quæstio, sed de eo quod propriè est pœna pro iniqua acceptione, vel detentione contra legem, V.g. Est lex ne triticum vendatur nisi 60. argenteis, aliter vendens incurrat pœnam 50. aureorum, qui carius vendit, statim tenetur emptori restituere excessum illum iusti precij, quia fuit iniqua acceptio illius, & velut furtum, & inæqualitas, qua venditor habet plus quam debet habere, & emptor minus, pœnam autem 50. aureorum non tenetur ex D. Thom. soluere, quousque condemnetur. Est lex quę iubet tributa dari Regibus, solui vectialia, ita vt non soluens incurrat pœnam 50. aureorum: qui non soluit tributum vel vectigalia detinet illa iniquè, & est furtum, ac inæqualitas, qua Rex & Resp. habent minus quam debent habere, detentor verò plusquam debet, ad hanc inæqualitatem reducendam per restitutionem ad æqualitatem non est expectanda iudicis sententia, sed ex natura rei tenetur restituere, ad pœnam verò expectanda est, quod si aliqua lege pœnali aliquid ita præcipiatur, vt transgressor licèt legem violet nil tamen iniquè accipiat, vel detineat, peccat quidem ipso facto per inobedientiam legis, nil tamen tenetur restituere, sed pœnam solam luere, quando condemnabitur vt extrahens equos vel merces à regno, per hunc actum nil iniustè accipit, aut detinet, quia supponimus extrahere sua, & iusto precio illa vendere, peccat tamen contra obedientiam legis, & tenebitur ad pęnam, vt dicemus. Hæc sunt maximè Theologo obseruanda, quid in lege sit præceptum, & quid sit pœna; rursum per violationem illius præcepti, an iniquè aliquid accipiatur, vel detineatur, an verò sit sola & nuda violatio præcepti sine vlla iniqua acceptione, vel detentione.

Obseruemus vltimò, maximè differre publicationẽ seu cõfiscationem bonorum, vel pęnam pecuniariam incurrere, nam confiscare est transferre dominium bonorum a delinquente in fiscum, quod lex iuste in grauioribus criminibus potest: imponere autem pœnam pecuniariam est date actionem iudici, vt ea pęna reum puniat: quæ duo sunt maximè diuersa, nam confiscatio, cum sit translatio dominij, eo ipso priuat delinquentem dominio bonorum, pęna autem pecuniaria, quando incurritur, non est translatio dominij, sed obligatio exoluendæ illius pœnæ, quando & eo modo quo debet talis pœna exequutioni mandari. His positis sit.

CONCLVSIO I.

Lex pœnalis quæ verè pęnalis est, nisi legislator explicet in ipsa non esse sui animi obligare ad culpam, verè & actu obligat in conscientia ad culpam, tenenturque subditi in re graui sub mortali illam obseruare.

Dixi, quæ verè pęnalis est, quia leges imponentes aliquas irregularitates aliquibus personis, vt spurijs, seruis, iudicibus, bigamis &c. non sunt verè pęnales, cum irregularitas propriè non sit pęna, sed inhabilitas quædam ad ordines sacros, quam sufficit iusta causa sine culpa, vt patet can. Aliquantos. d. 51. & can. Si

Si cuius d. 34. vnde collectum est & sumptum illud commune dictum & axioma. Et si sine causa non potest infligi pena, potest tamen sine culpa. Dixi etiam, nisi legislator explicet in ipsa lege non esse mentem suam obligare ad culpam, propter constitutiones & leges aliquarum religionum, vt D. Augustini, D. Dominici, & aliquorum collegiorum, in quibus apertè explicatur illas non obligare ad culpam, sed ad solam pęnam. Vbi ergo lex simpliciter sine tali explicatione præcipit, vel prohibet aliquid, pœnamque transgressori præscribit, quod præcipit, vel prohibet, in re graui sub mortali obseruandum est. Ita D. Tho. infra q. 108. art. 4. & 1.2. q. 69. art. 4.

Et probatur, Pęna quæ verè pœna est, & suppliciũ, habet intrinsecam & necessariam relationem, & habitudinem ad culpam & delictũ, ita vt repugnet omni iure inferre supplicium nisi pro delicto, sed pęna, quam imponit lex pęnalis, de qua loquimur est verè pęna & supplicium, ergo transgressio huiusmodi legis culpa necessariò est & delictum.

Secundò, ex huiusmodi legibus aliæ maiorem pœnam imponunt, aliæ minorem, ratio autem huius discriminis nulla alia assignari potest, nisi quia maius peccatum ac delictum sit & magis nociuum transgressio vnius quàm alterius, iuxta illud Deuteronom. 25. iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus, ergo. Et confirmatur, si vertatur in dubium de aliqua lege pœnali, an sit iusta, regula ad id discernendum omnium consensu nulla alia assignatur, quam perspicere, an pœna, quæ lege illa imponitur, sit proportionata delicto, quod illa violata committitur, ergo transgressio legis pœnali peccatum est.

Tertiò, lex humana iusta obligat in conscientia, etiamsi nullam assignet pęnam, in re leui sub veniali, in re autem graui sub mortali, appositio autem pęnę non minuit vim legis, imò auget, ergo lex pęnalis obligat in conscientia. Maior est de fide: [Qui enim potestati, idest, legi superioris resistit, Dei ordinationi resistit.] Rom. 13. & Prouer. 8. [Per me Reges regnãt, &c.] nec Deus Reipub. rebus humanis benè prouidisset, si superiores non possent cõdere leges iustas, quibus subditi tenerentur in conscientia parere. Minor patet, quia pœna non eo fine imponitur à legislatore, vt legis substantia & præceptum non obliget, aut legis vis minuatur, vel vt sit lex mucipula, & laqueus ad extrahendas pęnas, sed vt subditi intelligant, quantum referat, quod lege illa præcipitur, & arctius lex illa custodiatur. Vnde Deus ipse hoc fine legi, quam imposuit primo parenti, apposuit pœnam mortis: Et promulgata lege Deuteronom. 27. Moysi præcepit, vt duces tribuum præmia, & pœnas illis præceptis appositas eleuata voce pronuntiarent, vt populus ille, quantum præcepta illius legis referrent, sic intelligeret, ac illa diligentius custodiret.

CONCLVSIO II.

Transgressor legis pęnalis, cuius pena est priuatio aliquorum bonorum quæ non erant propriè delinquentis, sed illi à legislatore conferebantur, ipso facto, quo tale crimen committit, & legem illam transgreditur, sine vlla iudicis condemnatione incurrit illam pęnam, & est actu bonis illi priuatus.

PAret, cum communicatio horum bonorum sit à libera voluntate illius legislatoris, tandiu quis illis gaudet, quandiu legislator vult illa ipsi communicari, & quamprimum non vult, illis priuatur, sed in lege, cuius pęna est mera priuatio, eo ipso quo delinquens incidit in crimen illud, vult legislator delinquentẽ non gaudere illis bonis, sed priuari, ergo eo ipso est priuatus. Et confirmatur, omnis donatio conditionata habet effectum posita conditione, ea verò deficiente, nil conceditur aut confert, sed in lege pœnali, de qua hęc secunda conclusio, legislator bona, quæ conferebat subditis, eo ipso quo condit legem pęnalem confert sub hac conditione, ne legem illam transgrediantur, ergo eo ipso quo transgrediuntur, non sunt participes illorum bonorum, sed illis actu expoliantur.

CONCLVSIO III.

Lex pęnalis etiam si dicat ipso facto, vel ipso iure, non obligat in conscientia ad exoluendam pęnam, nisi adueniente iudicis condemnatione.

PRobatur, lex est regula inanimata, & quidam iudex ac magistratus mutus ac mortuus, exequutor autem legis est iudex, propter quod vocatur ab Arist. 5. Ethico. iustum animatum, & minister ac custos iustitiæ: Vnde ad ipsum pertinet pęnam impositam à lege exequutioni mandare, & transgressores ad id cogere, hoc autem non efficitur nisi per ipsius sententiam, & condemnationem, ergo.

Vbi obseruandum est, in lege duo esse, vim præceptiuam, & vim coerciuam, priorem habet lex se sola, nam eo ipso quo est lex, præcipit: posterius verò, nempè coercere subditos, & compellere eos ad legis obseruantiam per exequutionem pœnarum est iudicis, & ita lex quo ad præceptum alloquitur subditos, vt ita faciant, quo ad pęnam verò iudices, vt illa transgressores puniant: Vnde argumentor secundò, Pęnam exequutioni mandare est actus iustitiæ punitiuæ, & vindicatiuæ, iustitiæ autem punitiuæ nemo est minister in seipsum, sed solus iudex per sententiam, & condemnationem, ergo.

Tertiò, nulla pęna est ita exactè constituta à lege, quin ex circũstantijs, aut personæ, aut criminis debeat augeri, vel minui, & seruari in ipsa virtus epicheiæ, cũ omnes euentus, & casus in indiuiduo non possint vna lege concludi, propter quod, quamuis constet de crimine, datur actori locus, vt cõtra reũ dicat, & reo vt se defendat, vt per processum constet iudici grauitas criminis, & sic pęnã legis delicto accommodet, sed reus in proprio crimine non põt hoc iudicium ferre, nemo enim in propria causa est æquus iudex, ergo expectanda est necessariò iudicis sententia, & condemnatio.

Quartò, leges debent esse tolerabiles, & consonæ rectæ rationi, cogere autem reum, vt sine condemnatione iudicis soluat pęnam, est grauissimum, & alienum ab omni ratione. Primò, quia nemo est condemnandus, nec compellendus ad aliquod suppliciũ, quin audiatur. Vnde illud Gregorij cap. Susceptis. De causa poss. & propriet. [Nos contra inauditã partem nil possumus definire.] & 1. q. 7. can. Nos in quemquam. Et causa. Iudex, pręcipitur, vt nemo condemnetur, vel puniatur nisi confessus, vel conuictus, at si ante processum, & condemnationem teneretur delinquens pęnam luere, esset punitus inauditus, & nec confessus nec conuictus.

Quintò, si pęna pecuniaria esset statim exoluenda, quia lex pęnalis dicat ipso facto, similiter, & pęna corporalis esset exoluenda statim sine sententia iudicis, quando lex diceret ipso facto furem, vel homicidam incurrere hanc, vel illam pęnam corporalem, hoc autem nullus docuit, imò, & natura abhorret, essetq; se ipsum prodere cõtra illud Chrysostomi d. 1. de præsentia, can. Quis aliquando: [Non dico vt te ipsum prodas.] Vltimò, Inter omnes leges pęnales rigidior est illa, qua crimen hæresis, & læsæ maiestatis punitur publicatione bonorum, cum in ea à die commissi criminis priuetur reus dominio suorum bonorum: sed hæc lex adeò rigida, non obligat delinquentem, vt exoluat pęnam, nec bona sua tradat statim fisco, sed retinet delinquens illorum possessionem, & vsum vsque ad iudicis condemnationem, vt est definitum in illo cap. cum

secundum

secundum leges, De hæreticis, lib. 6. ergo neque aliæ leges pœnales imponentes aliquas pœnas temporales, & pecuniarias obligabunt in conscientia ad exoluendam pęnam ante condemnationem iudicis,

Nunc ad argumenta in oppositum, & primò ad argumenta Alphonsi à Castro.

Ad primum respondeo, verum esse legem pęnalem esse iustam, & obligare ad illud omne, quod præcipit; sed cum discrimine, nam quo ad substantiam præcepti, quod continet, statim obligat, quo ad pęnam verò non statim, sed iudice condemnante, quia pęna temperanda est iuxta circunstantias, & exequutioni mandanda, ad quæ non tenetur reus, quia neque ipse potest temperare pęnam, cum nequeat esse iudex in propria causa, neque illam debet ipse exequutioni mandare, tum quia ipse non est exequutor legis, sed iudex, tum quia non debet ipse de se ipso supplicitũ sumere.

Ad secundum respondeo, in legibus, quæ taxant aliquam pęnam temporalem, & pecuniariam non transferri statim dominium in fiscum, quo fit, vt nõ rescindantur contractus, quos talis delinquens fecit, etiam si solum habeat ea bona, ex quibus soluenda esset illa pena, in legibus autem, quæ statuunt confiscationem bonorũ à die commissi criminis, transferri dominium in fiscum, & ideo rescindi omnes contractus ab illo delinquente factos a die commissi criminis. Cæterum quamuis transferatur dominium in fiscum, & delinquens ipso facto illud amiserit, nõ tamẽ amisit vsum, & possessionem legitimam illorum bonorum, nec tenetur illa tradere fisco, donec adueniat iudicis cõdemnatio, vt constat ex illo c. Cum secundum leges.

Ad tertium respondeo, duplicem esse vim legis, pręceptiuam, & compulsiuam, lex maiorem habet vim præceptiuam, & ad taxandas pęnas, quam iudex, compulsiuam ad mandandam exequutioni pęnã à lege taxatam maiorẽ vim habet iudex, quia lex est inanimata, iudex aũt est iustum animatum, & exequutor legis.

Ad vltimum respondeo superiorem legem, nempe legem naturæ, & dictamen rectæ rationis, cum omnes leges subiectæ sunt, explicare leges pęnales sic esse accipiendas, vt pęnam nemo teneatur soluere, nisi iudice condemnãte, propter rationes, & incommoda adducta, quæ omnia lex naturæ dictat. Nec repugnat huic doctrinæ aliquas ex huiusmodi legibus vti illis vocibus, ipso facto, ipso iure, quia hæ voces addũtur, vt apertius intelligatur legem illam non esse comminatoriam, sed assertoriam, & definitiuam, hoc enim interest inter legem comminatoriam, & assertiuam, quod illam transgrediens non solum declarandus est reus, verum etiam condemnandus ad pęnam, transgrediens verò assertoriam sufficit, vt declaretur reus, & legis illius transgressor, huiusmodi enim declaratio est condemnatio, & ideo dicit lex, ipso facto.

Ad argumenta tertiæ opinionis, quæ est vulgi, Respondeo, primum ridiculum esse, & imperitorum, legislator enim, ut diximus, non adhibet pęnam, vt minuat vim legis sed vt illa arctius custodiatur, alioquin fur non peccaret, cum non exponat se grauissimæ pęnæ suspensionis, nec quia violat legem Dei peccaret, cum exponat se morti æternæ. Secundum quoq; nullam habet vim, nam Theologi, qui sentiunt aliqua vectigalia non esse soluenda, non ideo hoc sentiũt, quia lex pœnalis non obliget in conscientia, sed quia putãt talia vectigalia non esse iusta, & ideo non soluẽda, hic autem supponimus legem pęnalem esse iustam. De vectigalibus autem an sint iusta, suo loco videbitur.

Ad versus hanc tertiam cõcl. duo sese offerunt. Prius est, ca. Pet humani, de homicidio, lib. 6. decernit Sum. Pont. cum qui assassinum aliquem interficit, siue Episcopus sit, siue dux, ipso facto esse priuatum sua dignitate. Et postquam constiterit probabilibus argumentis aliquem commisisse tàm execrabile scelus, nullatenus alia aduersus eum depositionis sententia requiratur. Posterius est, nam definit Paul. 2. in extraua Ambitiosæ, De rebus Eccles. non alienan. prælatos, qui res ecclesiæ alienauerint, ipso facto absque alia declaratione esse priuatos propria dignitate, & beneficijs, ita, vt illa mox absque aliqua declaratione vacare censeantur.

Ad primum respondeo, textum illum nobis fauere, nam cum dicat Pont. postquam crimen illud cõstiterit probabilibus argumentis, docet apertè se agere de iudicis processu & sententia, quia in iure illa dicuntur probabilia, quę iudici fidem faciunt: vult ergo docere crimine iuridice constante, & sententia iudicis declarante à tali reo tale delictum commissum esse, non esse necessariam aliam sententiam, qua declaretur illum eam pœnam incurrisse, quod nos diximus modò assignãtes discrimen inter leges comminatorias, & assertiuas ac definitiuas.

Ad secundum dico, quemadmodum Rex cum eligit iudices, potest ipsis ea munera demandare sub certis conditionibus, ad quas obligantur in conscientia, quia eo ipso quo volunt eligi iudices, illis tacitè cõsentiunt, eodem modo Sum. Pontif. qui est summus dispensator & distributor munerum Ecclesiasticorum, posse illa lege & conditione ea conferre, vt qui tale crimen commiserit, illa statim amittat, cui cõditioni obnoxij sunt, qui eligi volunt eo ipso quo eliguntur, sicut diximus de donatione conditionata.

Controuersia Tertia.

AN REVS QVI NEGAVIT IN IVDICIO *veritatem quam tenebatur fateri, propter quod est absolutus à pęna ad quam reuera fuisset condemnatus, teneatur illam soluere.*

Dixi, quam tenebatur fateri, quia quando interrogatur contra ordinem iuris, & negat quod iustè potest negare, tunc optime & iuste egit, & ad nil tenetur: sed quæstio est, quando iudice rectè procedente negat ipse, quod debet cofiteri.

Sot. lib. 1. de iust. q. 6. art. 9. ante quintã conclusionem obiter habet partem affirmantem, quæ opinio sic probari potest. Primò, qui iustè impedit ius vel iustum lucrũ alterius, tenetur illi restituere, fiscus habebat ius in pęnam ab hoc reo luendam virtute legis, impedit autem reus hoc ius fisci per iniustam & iniquam negatiuam, quia impedit per ipsam iustum iudicium, & iustam condemnationem, ergo.

Secundò, si quis possideat rem per testamentũ minus solemne, & vocatus in iudicium neget veritatem, quã tenetur fateri, tenetur eo ipso sine alia noua condemnatione restituere rem illam hæredibus defuncti, ergo idem dicendum est in hac quęstione. Probo cõsequentiam, quia sicut hæredes defuncti habent ius ad illam rem, ita & fiscus, vel hospitale, vel is cui à lege pęna reddenda est, in illam pęnam.

Tertiò, si iudex per iniquitatem non condemnet reum ad pęnam quàm incurrit, si Tabellio in scriptis falsum apponat, aut relinquat verum, propter quod reus non condemnatur ad pęnam iustam, similiter testes, qui iniustè negant veritatem, de qua iuridicè interrogantur, tenentur omnes isti pęnam, ad quam reus fuisset condemnatus explicata veritate, soluere, ergo tenetur etiam reus, cuius culpa & iniqua negatione impeditur iudex, ne ferat in ipsum iustam condemnationem.

Quartò, quando per iniustitiam non soluit quis quod soluendum erat, tenetur ad illud restituendum, reus negans veritatem per iniustitiam definit soluere, quod ab ipso soluendum erat, ergo.

Quintò, iuxta oppositam sententiam daretur bellum iustum ex vtraque parte, nam fiscus cognoscens illum negasse veritatem contra iustitiam posset bona illius

illius iustè vsurpare, reus quoque cum non debeat soluere pęnam, nisi condemnatus iustè, bona sua defenderet contra fiscum.

Denique ex regula iuris, de iniuria & damno dato si tua culpa damnum datum est, vel iniuria irrogatur iure super his satisfacere te oportet, sed in hoc casu reua sua culpa & iniusta negatione impedit sententiam, qua fuisset instè condemnates, in quo nocet fisco, vel illi cui pęna esset exoluenda, ergo.

In oppositum est consuetudo omnium fidelium, nullus enim vnquam Theologorum, nec ex veteribus, nec ex recentioribus neganti veritatem in iudicio, quam tenetur fateri, iniunxit, vt restitueret pœnam, ad quam ea cognita fuisset cōdemnatus, sed tantum vt pœniteret de mendacio in iudicio prolato, aut de periurio, si fuit sub iuramento interrogatus. Vnde recentiores Thomistæ, qui hanc quæstionem hoc loco tractant (nam ex antiquis nullus eius meminit) sentiunt sic mentientem non teneri ad restitutionem.

Probant primò, Ex D.Tho. in hoc art. non tenetur reus pœnam luere, nisi adueniente iudicia sententia, qua actu ad illam condemnatur, sed de hoc de quo loquimur non est actu condemnatua, quamuis esset condemnandus, ergo.

Secundò, tota ratio huius sententiæ D.Tho. est, ne idem in seipsum sit agens, & patiens, iudex & reus, quod repugnat omni iuri, sed si teneretur soluere pœnam, quia negauit veritatem sine actuali iudicis condemnatione, esset agens & patiens, iudex & reus in seipsum, ergo.

Tertiò, ideo non tenetur quis (vt vidimus) ante condemnationem iudicis pęnam soluere, quia repugnat rationi, vt puniatur aliquis non conuictus, nec confessus, sed si, cum negauit veritatem sine condemnatione iudicis, teneretur ad soluendam pęnam, deberet pati supplicium non conuictus nec confessus, ergo.

Quartò, Ante condemnationem non tenetur quis soluere pęnam, quia nescit, quanta pars pęnæ impositæ à lege suæ culpæ respondeat, sed est à iudice id diffiniendum, similiter autem se habet quando negat veritatem, nescit enim tunc reus quæ pęna sibi luēda sit, nec id debet ipse iudicare, sed iudex, ergo etiam si neget veritatem, debet accedere iudicis condemnatio, vt teneatur pęnam soluere.

Denique ex contraria sententia sequuntur magna incommoda. Primò, si lex dicat ludentes aleis incurrere pęnam amissionis pecuniarum quæ erant expositæ ludo, ludentes negarent veritatem, propter quod prætor non condemnaret eos ad illam quantitatem expositam, tenerentur isti ad restituendum omnem illam pecuniam quam habebāt expositam, quod nullus pręstat, nec vllus vnquam, Theologus consulit, Similiter quando quis defraudat vectigalia iusta, aut venatur, vel piscatur, vel scindit ligna in locis prohibitis lege iusta sub pęna, & interrogatus negaret veritatem, teneretur non solum ad soluenda vectigalia, quæ iniquè detinuit, & damna quæ in locis illis prohibitis fecit, verum etiam pęnam sine condemnatione, ad quod nullus hactenus peritorum confessariorum aliquem obligauit, sed ad soluendum tantum, quæ iniustè detinuit, vel damna, quæ intulit.

Sequitur tertiò, sacerdotem, qui negauit crimen, ratione cuius erat priuandus beneficio, teneri ad resignandum illud ante iudicis condemnationem, quod nunquam fit, neque quis ad id obligatur. Quartò, reū, qui, si confiteretur crimen, esset dānandus in exilium vel carcerem, negata autem veritate non condemnatur, teneri sine sententia & condemnatione iudicis ad seipsum in exilium mittendum, vel mancipandum carceri, quod repugnat omnino rationi, essent enim hac ratione leges humanæ crudeles, & intollerabiles. Sequuntur autem necessariò hæc incommoda, quia iuxta oppositam sententiam tenetur reus, qui veritatem negat, iudice non condemnante ad eas pœnas; ad quas iudex illum condemnasset veritate perspecta. Ex his opinionibus, quamuis illa Mag. Soto sit probabilis, probabilior tamen multò est, & magis consona rectæ rationi, & doctrinæ D.Tho. posterior, quæ communiter obseruatur.

Obseruemus tamen hic ad maiorē intelligentiam. Primò, reum negantem in iudicio veritatem, quam tenetur fateri, præter iniuriam, quam facit iudici, non obediendo illi posse quoque illum aliqua infamia, vel alio damno sua negatione afficere, similiter & fiscum præter iniuriam, quam illi facit impediendo illi bonum, quod ex solutione pęnæ acquisisset: pro iniuria quam facit iudici non obediendo illi, vel fisco impediendo illum à receptione pęnæ, peccat mortaliter, & tenetur ad pœnitendum; non tamen ad soluendam pęnam legis, nisi actu condemnetur, propter rationes adductas: quod si prætetea aliqua infamia, vel damno illos affecerit, ad illa satisfacienda tenetur statim ex natura rei, quia hoc non est pena legis, sed obligatio nata ex damno iniquè illato.

Obseruemus secūdò, quod ex dictis sequitur, quando reus iure esset condemnandus, sed non condemnatur, aut ex iniquitate iudicis, vel testium, aut ex ignorantia, aut aliàs sine culpa ipsius, non teneri ad restitutionem pœnæ, quia si non tenetur ante condemnationem, quando culpa ipsius non peruenitur ad sententiam, multò minus quando sine culpa ipsius.

Nunc ad argumenta initio posita. Ad primum respondeo, inter iustitiam publicam siue legalem, & particularem cuiusque hoc interesse, quod peccans cōtra particularem tenetur simpliciter restituere, peccans autem contra iustitiam publicam, & legalem tenetur restituere, si ex officio tenebatur ad illius custodiam, quod si non tenebatur, nequaquam. V.g. existunt latrones, quos potest prohibere iudex, potest etiam persona priuata, neuter tamen illos prohibent, peccant ambo contra iustitiam publicam, sed ita, vt iudex teneatur soluere damna, quæ illi latrones inferunt, quæ poterat prohibere, quia tenebatur ex officio, persona verò priuata non tenetur, quia non tenebatur ex officio illa prohibere, sed ex sola charitate. Vnde regula illa iuris, Qui patitur damnum, quòd potest prohibere tenetur illud compensare, intelligenda est, quod potest, & tenetur prohibere. Hoc posito dico ad primum argumentum, impedientem bonum alteri debitum teneri ad restituendum, quia violat iustitiam particularem, qui verò negat veritatem, non impedit iustitiam particularem, sed communem, ad cuius custodiam nō tenetur ex officio, vnde hoc peccatum pertinet potius ad obedientiam non exhibitam iudici, quàm ad iustitiam, & propterea non tenetur ad restituendum. Respondeo secundò, impedientem bonū alteri debitum in proxima potentia, teneri ad restituendum, fiscus autem ante iudicis condemnationem non est in proxima potentia ad receptionem pœnæ, sed in remota, quod si accedente condemnatione tunc reus abscondere bona, ne solueret pœnam, aut partem pœnæ, teneretur soluere, quia impedit tunc fiscum à bono, ad quod iam est in proxima potentia. Dico tertiò, cū lex primò, & per se impediat crimen, & secundariò imponat pœnam, negantem veritatem primò, & per se impedire condemnationem delicti, & secundariò condemnationem ad pęnam, quæ autem secundario impediuntur non sunt restituenda, sicut diximus occidentem debitorem non teneri ad soluendum creditoribus debita occisi, quia secundariò, & indirectè sequitur illud impedimentum.

Ad secundum dico, possidentem aliquid per testamentum inualidum, siue vocetur in iudicium, siue non, siue neget veritatem, siue fateatur, teneri ad illud restituendum, quia nunquam fuit verus dominus illius rei, sed veri domini sunt hæredes, vnde illa est

restitutio

restitutio rei alienæ, quæ simpliciter debetur ex natura rei, hic autem agimus de solutione pœnæ, ad quam nemo tenetur, vt ex dictis constat, nisi iudice actu condemnante.

Ad tertium dico, illos teneri ad restituendum, quia violant iustitiam legalem, ad quam tenentur ex officio, & quia iniquè, ac contra iustitiam, ad quam tenentur, inferunt damnum, debent restituere, non quasi luentes pœnam, sed quasi compensantes damnum illatum, quæ compensatio, cum debeatur ex natura rei non indiget condemnatione, sicut solutio pœnæ, quæ exigitur à reo, quæ cum sit verè pœna, & supplicium indiget necessariò ista condemnatione propter causas dictas.

Ad quartum respondeo, consequentiam illam non valere, per iustitiam negauit veritatem, ergo per iniustitiam non soluit pœnā, sicut nō valet, iste reus per iniustitiam fecit vim custodi carceris, & aufugit, ergo per iniustitiam aufugit, non valet consequentia, quia licèt contra iustitiam intulerit vim custodi carceris, & ea præcedente habuerit libertatem ad fugiendum, po sitns tamen iam in libertate, quamuis per illud malum medium, non fecit contra iustitiam fugiendo, quia iure naturæ cuiuis in libertate posito concessa est facultas fugiendi, sic in proposito non valet illa consequentia, quia licèt contra iustitiam negauit veritatem, & impedierit condemnationem, non tamen est contra iustitiam, vt non condemnatus non soluat, quia cum iure nullus debeat sibi ipsi supplicium inferre, etiam si iniquo medio obtineat, vt non condemnetur, postquam verò id obtinet, non tenetur ex iustitia soluere.

Ad quintum dico, non dari in hoc casu bellum iustum ex vtraque parte, quia fiscus ante condemnationem iudicis non potest bona rei vllo modo vsurpare.

Ad vltimum respondeo, inferentem damnum sua culpa in re quam frater actu possidet aut ad quam habetus in proxima potentia, teneri ad satisfaciendum illud, fiscus autem in hoc casu neque actu possidet pœnam taxatam à lege, neque est in proxima potentia ad illam, nisi adueniente condemnatione.

Controuersia Secunda.

AN LEGES PROHIBENTES IN QVIbusdam locis scindere ligna, pascere greges sub certa pœna obligent ad culpam simul, & pœnam impositam.

IN hac quæstione Medina C. de reb. restituen. habet partem affirmantem, nisi (inquit) talia agentes excusentur aliquo statuto, vel voluntate interpretatiua domini loci, qui sola pœna eorum, quæ in his capiuntur contentus sit. Castro lib. I. de lege pœnali. c. 10. corol. I. maiori verborum apparatu, quarationum pondere inuehitur in eos, qui scindentes ligna in aliena sylua, & in confessarios illos absoluentes. Probatur autem hæc sententia. Primò, cum leges istæ iustæ sint, & conditæ ab habente auctoritatem qui illas transgreditur peccat, & non contra charitatem, ergo tenetur restituere, quæ accipit in illis locis, & soluere pœnam quando condemnabitur.

Secundò, iste accipit aliena inuitis dominis, nempe prohibente principe, vel domini loci, qui legem condidit, vnde est furtum, & restituendum. Et ita habetur, l. 2. ff. & toto ti. arborum furtò cæsarum. Tertiò, ligna & pascua sunt bona communia loci, sicut pecuniæ existentes in ærario publico, qui autem furaretur pecunias ex ærario publico, teneretur ad restituendum, ergo qui scinderet ligna in locis prohibitis. Quartò sylua lignorum, & pascua herbarum in locis prohibitis, sunt velut arbores, plantæ, & vinæ in hæreditatibus agricolarum, sed qui furatur arbores aut vineas tene-

tur ad restituendum, ergo, & qui illa accipiunt in locis prohibitis. Denique solent Episcopi contra huiusmodi ferre sententiam excommunicationis, ergo leges illæ obligant in conscientia, alioquin iniusta esset talis excommunicatio.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus, ex syluis quasdam esse eiusdem loci, alias vicinas alias verò remotas, & distantes. Rursus ex syluis eiusdem loci quasdam esse cōmunes omnibus vicinis oppidi, alias verò applicatas alicui priuato, idque duplici titulo, vel titulo constructionis, quia ipsi, vel maiores earum montem illum, vel nemus arboribus repleuerunt, vel concessione regis: Ea quibus titulis habent priuati cōmuniter huiusmodi syluas, hoc secundo, id est, concessione Regis: nam quando primo illo titulo illas habēt, quia ab ipsis, vel maioribus suis syluæ plantatæ sunt & coasitæ, solent illud ostentare.

Obseruemus secundò, cum optima & præstantissima legum interpres sit consuetudo, qua ratione huiusmodi leges, & prohibitiones sint accipiendæ ab ipsa petendum esse: Etenim si vbi consuetudo loci habeat, vt qui contra legem quid accipiat, & conuictus à iudice condemnetur ad restitutionem valoris rei acceptæ & solutionem pœnæ, ibi illa acceptio est iniusta, & furtum mortale: si verò non condemnetur ad aliquam restitutionem rei acceptæ, sed ad solius pœnæ solutionem, eo ipso quo ita obseruatur à iudicibus declarat hæc consuetudo animum & mentem illius legis non esse obligare accipientem rem illam ad furtum, sed ad solam pœnam, nec tali lege res illas fieri alienas accipienti, sed imponi modum pœna illa, ne res illæ destruantur & pereant. Vnde huiusmodi leges & prohibitiones non tam sunt leges quā conuentiones, & concordiæ superiorum cum vicinis oppidi, & vicinorum inter se, vt ad cōmunem vtilitatem hac ratione ligna & pascua custodiantur, imposito hoc modo, & cautione, vt qui illa sine licentia attigerit, pœnam luat.

CONCLVSIO I.

Scindentes ligna sine licentia in sylua proprij oppidi, nisi magnam faciant stragem, sed cum moderamine ad suam vtilitatem, non peccant mortaliter, nec tenentur ad restitutionem precij & valoris lignorum, sed ad solutionem pœna tantum, quando capti condemnabuntur ad illam.

DIxi nisi fecerint magnam stragem, nam cum vis & animus legis sit sumendus ex fine ipsius: finis autem huiusmodi legum sit bonum commune, ne ligna deficiant, qui nocet huic fini & iusto contra legem faciens magnam stragem, peccat mortaliter, & tenetur ad restituendum. Confirmat illud cōsuetudo, nam sic agens condemnatur, & ad restitutionem damni, & ad pœnam. De illo verò qui non facit stragem, sed sumit moderatè sibi necessaria, probatur conclu. Consuetudo est, optima legum interpres, sed communiter ita obseruatur, vt qui moderatè accipit deprehensus à iudice, non damnetur ad restitutionem rei acceptæ, quasi furtiuæ, sed tantum ad solutionem pœnæ, ergo animus legis huiusmodi non est obligare ad culpam, neque ad restitutionem rei acceptæ, sed ad solam pœnam.

Secundò: isti non accipiunt de alieno, sed de eo, quod sibi cum suis ciuibus commune est, nec nocent Reipub. cum moderatè accipiant, ergo nec peccant, nec tenentur restituere. Quando in hac prima concl. dicitur ad suam vtilitatem intellige, vel ad suos vsus domesticos, vel ad vendendum, vt sibi succurrant, serua uato moderamine, non enim audiendi sunt, qui dicunt licere sumere ad proprios vsus, non tamen ad vendendum: quia hæc licet cōnertere in vsus vicinorum oppidi, qui verò ista vendit, & recipit precium laboris sui,

& deseruit cum illis vicinis suis. Idem iudicium est, si scindantur ligna oppidi vicini, est enim in vsu positū, vt oppida vicina quæ propinqua habent nemora, mutuo in illis ligna scindant, & vicissim illa sibi condonēt, eademque consuetudine hæc explicante, non intendunt populi vicinos, à quibus sui similia possunt & solent accipere, ad aliud obligare, quàm vt pœnā luant, ligna verò quæ moderatè accipiunt, velut omnibus communia accipiant.

CONCLVSIO II.

Qui ex syluis & nemoribus remotis ligna sciderit, si iudicio cæteros in eo loco conuictos de tali acceptione soleant ad solam pœnam condemnare, soluet illam, quando condemnatus fuerit, si verò non solum ad pœnam, verum etiam ad restitutionem valoris rei acceptæ, tunc peccant accipiendo, & tenentur simpliciter ante condemnationem ad restitutionem rei acceptæ, ad solutionem verò pœnæ, quando condemnabuntur.

HÆc conclus. patet, quia in his consuetudo est præstantissima statuum legum interpres.

Obseruandum tamen hic est, communiter neq; ista accipientes in locis distantibus peccare, neque teneri ad restituendum, quia isti lignatores etiam in locis remotis non iudicantur fures, imò siue tales prohibitiones sint introductæ iure gentium, siue legibus, siue consuetudine, insitum est in animis omnium populorum, scindentes ligna in locis patentibus, & omnibus expositis, nec furtum committere, nec ad aliud teneri, quàm ad solutionem pœnæ.

CONCLVSIO III.

Si sylua lignorum sit alicuius priuati domini, quia ab ipso, vel suis, quorum hæres est propria industria, & expensis est plantata, & præceptum, ne quis illam attingat, sumere inde ligna, siue locus ille sit vallatus muris, siue non nisi excusentur ex leuitate materiæ, in qua discernenda standum erit iudicio prudentum, est peccatum mortale cum debito non solum soluendi pœnam excedente cōdemnationem, verum etiam restituendi valorem rei acceptæ ante omnem condemnationem.

PAtet, quia talis acceptio est rei alienæ, inuito domino, & verè furtum, cum in hoc casu ligna est, quæ industria, & expensis illius priuati, vel suorum ibi extitunt, sint bona propria illorum, sicut arbores, vineæ, & alia quæ agricola in sua hæreditate plantauit. Et cōfirmatur, quia sicut agri, cū à natura sint omnibus communes, iure gentium ex iusta causa sunt diuisi, & appropriati, & qui inde sumerent, tenentur restituere, ita nemora, syluæ, piscinæ, licèt sint res cōes, ex iusta causa à Rege, vel Repub. possunt huic homini appropriari.

Est tamen hic obseruandum, plurimum referre, an loca illa sint cincta muris, nam si sunt, non potest, qui illa accipit excusari ignorantia inuincibili, nam ille murus indicat esse alicuius domini, quod si non sint muris cincta, tunc si sciat esse alicuius domini, tenetur restituere, vt diximus, si verò ignoret, non tenebitur.

CONCLVSIO IIII.

Si syluam lignorum priuatus homo habeat dono regis vel Reip. nec in illam cingendam muris, vel plantandam expensas fecerit, qui in illis ligna sciderit, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem, sed ad solam pœnam accedente condemnatione: Quod si illam propriis expensis vallauit mure, auxit, & lignis repleri curauit, qui ibi scindit ligna, peccat, & tenetur non solum ad pœnam, quando fuerit condemnatus, verum etiam ad restitutionem damni illati, id est, valoris rei acceptæ, sine vlla condemnatione.

PRior pars probatur, quia si illa loca habeat dono Regis, vel Reipub. nec expensas ibi fecerit, non habet aliud ius in illa quàm habebāt Rex & Resp. Quando autem erant Reip. vel communitatis, aliquid inde accipiens, non tenebatur nisi ad solam pœnam, iuxta primam conclusionem, ergo similiter quando sunt priuati domini ex dono Reip.

Secundò, si quando Princeps, vel Resp. loca ista alicui donauit, apposuisset hanc conditionem, vt vicini scindentes ibi ligna pœnam tantum luerent capti, qui inde ligna acciperet, ad nil aliud teneretur, quàm ad pœnam, sed syluæ, & nemora data sunt à Regibus, vel Respub. aliquibus priuatis ciuibus sub ista cōditione, quamuis non formaliter, & expresè, virtualiter tamē & interpretatiuè, ergo scindentes ligna in huiusmodi locis ad nil aliud tenentur, quàm ad pœnam. Maior certa est, Minor probatur, quia arbores syluestres, quas humus ipsa propria sponte fert nulla adhibita humana diligentia, & industria, & vsibus humanis adeò necessarias, non decuit effici proprias alicui priuato eodem modo quo propriæ illi sunt, quæ labore ac opera ipsius fiunt, & indigent. Et cōfirmatur, cum videamus in prima rerum diuisione hæc mansisse communia, tū quia necessaria vsibus humanis, tum quia alia cum cura ac industria hominum indigeant, debuerunt diuidi, & appropriari, ne circa illa, si cōmunia permansissent, homines essent negligentes, hæc verò cum tali industria, & labore non egeant, manserunt indiuisa, quod si deinde alicui appropriata sunt, certè sub illa conditione, quàm dictat recta ratio.

Tertiò, bona communia appropriata sunt priuatis modo magis accommodato ad pacandas eorum conscientias, modus verò magis accommodatus conscientijs tam dominorum nemorum, quàm scindentium ligna in eis, est is quem dicemus, vt possit quis necessaria sibi ligna scindere, sine vllo peccato, cum solo periculo luendi pœnam, quando deprehensus fuerit, & condemnatus. Confirmatur hæc pars ex communi vsu, & sententia, nullus enim fidelium in huiusmodi locis scindens ligna, iudicat se peccare mortaliter, nec teneri ad aliud quàm ad pœnam, nec vllus confessarius peritus ad aliud illum obligat. Hæc pars intelligenda est iuxta primam conclusionē ita vt lignator isto non deuastet syluam, quia deuastando syluam, expoliat dominum illius, & alios oppidanos iure, quod habent ad accipienda ligna ex ea, cum illo deuastante non maneant ligna, quæ alij accipere possint.

Probatur secunda pars, quia licèt illa loca habeat iste priuatus dono Regis, vel Reip. ratione industriarum, & expensarum, quas in eis fecit reddita sunt, vt propria ipsius, & illa attingere est attingere alienum inuito domino, sicut cum terram sterilem, & desertā, & omnino incultam Resp. alicui tribuit, licèt nonale illud dono habeat, postquam vero illud excoluit, & ibi vineam vel arbores plantauit, qui inde aliquid ipso inuito sumeret, esset fur, & acciperet de bono illi proprio, & teneretur ad restituendum. Hinc sequitur, syluas, & nemora quæ Reges, & magnates sibi vsurpant, eo modo quo initio diximus, & suis expensis arboribus, planis floribus, & herbis replent ac muniunt, esse velut priuata bona ipsorum, licereque ipsis imponere leges pœnales prohibentes ne quis illa attingat, & contra faciens peccabit, & tenebitur ad restitutionem.

CONCLVSIO V.

Eodem modo iudicandum est de fructibus arborum syluestrium, sicut dictum est de lignis, ita vt in syluis, in quibus licet scindere ligna, liceat etiam colligere fructus illorum, & contra, &c.

RAtio est, quia accessorium sequitur naturam sui principalis: tum etiam quia huiusmodi fructus, vt

vt pineæ, castaneæ, & similes sunt necessarij humanis vsibus hominum vel pecudum, sicut & ipsæ arbores syluestres.

CONCLVSIO VLTIMA.

Qui pascit sua pecora in alicuius pratis circunseptis, tenetur & sine vlla iudicis sententia ad restitutionem damni illati, qui verò pascit illa in pratis patentibus, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus fuerit à iudice condemnatus.

Colligitur hæc conclu. ex præcedentibus: Quod enim est in syluis esse consitas, & muris cinctas, id ipsum est in pratis, & agris esse vallatos. Et probatur, arbores syluestres & fructus earum maioris precij sunt, quam humilis herba, quæ singulis mensibus nascitur, & arescit in pratis, ergo sufficit, vt quando pecora nocuerunt in prato circunsepto, restituatur damnum simpliciter, & sine iudicis sententia, quãdo verò patẽs erat, nec vllo vallo cinctum, soluatur quod iudex statuerit. Loquimur hic de pratis, nã de agris, & vineis, quæ industria humana seminantur, plantantur, & coluntur, certum est damnum illatum à pecoribus compensandũ esse in integrum, simpliciter, & ex natura rei sine vlla sententia iudicis, à dominis, vel pastoribus illorum peccorum, quæ nocuerunt.

Nunc ad argumenta initio posita, qua parte possunt pugnare nostris conclusionibus. Ad primum respondeo, leges prohibentes scindere ligna, accipiendas esse iuxta conclusiones hic positas.

Ad secundum dico, ligna in sylua, quæ non est plantata, vel vallata à domino, vel maioribus ipsius, non esse illi ita propria, vt ea accipere sit furtum, sed tantum esse ita illi appropriata, vt si alius præter ipsum accipiat, teneatur captus, & condemnatus luere pœnam, quod si aliquando in iure ista accipiens, dicitur fur, tũ propriè vocatur hoc nomine.

Ad tertium neganda est similitudo, quia ærarium publicum ita est destinatum solummodo ad publicos, & communes vsus Reip. vt nulli priuato liceat illud attingere sine furto ligna autem syluæ, quæ erat communis oppidanis, etsi deinde Regis, vel Reip. concessione de alieni appropientur, appropriantur cũ hoc onere, & cõditione, vt qui inde acceperint, sufficiat, exoluant pœnam, quando capti fuerint.

Eodem modo soluitur quartum, arboribus enim fructiferis, & vineis plantatis illæ tantum syluæ similes sunt, quæ à priuato earum domino plantatæ sunt, & consitæ, vel vallatæ, & ita scindens ligna in huiusmodi syluis, petinde tenetur restituere, ac si ex agris vel vineis fructus alienos rapuisset, syluas, veròquæ communes erant, & Reip. concessione aliquis habet, habet sub ea conditione, quàm diximus.

Ad vltimum dico, superiores ferentes tales excommunicationes impiè, & imprudenter agere, quia si iudices sęculares sola pœna temporali contenti sunt, quæ leuissima est, impium profectò est pastores animarum tanto rigore, & tam atroci pœna, qualis est excommunicatio, in istos lignatores, & pastores vti, ac in rebus à quibus abstinere non est ita facile, propter quod in Conc. Trid. sess. 25. ca. 3. de reforma. præcipitur, ne excommunicationes facilè ferantur, nec pro rebus vulgaribus. Huic controuersię proxima est alia maximè similis.

Controuersia Tertia.

AN QVI VENANTVR VEL AVCVPANtur in alienis nemoribus, vel piscantur in alienis fluuijs, vel stagnis, teneantur ad restitutionem damni illati.

De huiusmodi controuers. agũt DD. in 4. d. 15. Caie. in summa, verb. Restitut. opus. 17. Respond. responsio. 12. Dubio. 4. Syl. Restit. secundo. §. 2. & septimo. q. 2. Et octauo. q. 2. Medina Cod. de Rest. q. 2. Gabrie. in 4. d. 15. quæst. 5. Speculum conscien. lib. 1. c. 68. Cord. in suo quæstionario. q. 159. Soto art. 4. citato. D. Naua. in suo Manu. c. 17. n. 120. Couar. in reg. Peccatum. p. 2. §. 8.

In hac. q. nonnulli iurisperiti volunt Principes non posse prohibere, quin vbicunque liceat cuius liberè venari & piscari: volunt enim hi hæc iure naturæ ita esse omnibus communia, vt nulla humana lege, vel authoritate possint interdici. Alij ex opposito volunt capta à piscatoribus, & venatoribus in locis prohibitis restituenda esse, etiam si non condemnentur à iudice. Primò, quia intelit. de rerum diuis. §. Feræ. cui similis est lex. 16. tit. 28. part. 3. habetur: [Feras captas in alieno fundo non effici capientis.] Secundò, qui piscatur, aut venatur in saltibus, fluuijs, litoribus, vel columbarijs alienis accipit inuito domino aues, vel pisces alienos ergo furatur, & tenetur simpliciter, & absolutè restituere, quidquid sit de sententia iudicis.

Medina de restit. q. 2. & Soto loco cit. docent eum, qui venatur, vel piscatur in locis alienis, non teneri ad restitutionem piscium vel auium quę ceperit, teneri tamen ad restitutionem damni illati domino illius loci hac ratione, vt si dominus loci hac erat piscaturos, paucas vero aues vel pisces accipere potest q alij priue in eo loco piscati vel venati sunt, teneri istos ad restituendum ei damnum istud i. non valorem precium, & autum, quos acceperint, sed quantum arbitrio prudentis dominus ille, si ipsi non fuissent piscati aut venati, accepisset in eo loco.

Vt in hac parte quod verius est deprehendamus. Obseruemus primò, venationem, aucupium, & piscationem iuste à principe vel Rep. interdici posse multis de causis. Primò, propter bonum cõmune, ne pisces, aues, & feræ funditus tollantur, quod facile accideret, si liceret cuique pro suo arbitrio, & sine delectu piscari, & venari vbique, per huiusmodi autem prohibitiones ista conseruantur. Secundo, ratione temporis, maximè illis temporibus quibus animalia ista educunt suos partus, & fœtus nutriunt, vel quia propter frigus, & imbres facilè huiusmodi animalia capiuntur, & destruerentur. Tertiò, propter oblectamentum Regum, Principum, & Magnatum: omnem quidem syluam omnia flumina, & prata à Regibus, & Magnatibus prohiberi non esset consonum rationi, & ita lex quæ omnia prohiberet esset iniusta, aliqua vero sibi reseruare est maximè consonum, dictat enim recta ratio, vt qui bono communi student, & illius curis frequenter defatigãtur, habeant aliqua priuata loca, syluas, nemora & flumina, vbi eorum animus recreetur, sed ita vt Rex plura possit sibi reseruare, quàm alij inferiores duces vel comites, tum ob maiorem dignitatem, tum ob grauiores curas, omnibus autem tam regibus quam alijs moderamine vtendum est, cum ista iure naturæ, & iure gentium fiut communia omnibus: vt aer, aqua, & alia quæ sunt in omnium vsu instituta, vt docent Aristote. 1. Polit. capit. 5. Cicero. 3. de finibus. & 1. officiorum, & habetur instituta de rerum diuisione, & tit. eodem titulo. Quartò, potest prohiberi venatio vel piscatio ratione instrumentorum, vel modi, quibus ista fiunt, de quibus cautum est in Castella, lib. 8. ordinationũ regaliũ, tit. vlt. l. 9. & in report. pragmag. lib. 8. tit. de vena-

venationibus,& potissime in duabus pragmaticis editis Madritij à Carol. V. anno 1552. quarum altera est de venatione,& aucupio, altera verò de piscatione.

Quintò,ratione loci,quando sylua,nemus, litus, vel flumen,vbi sunt aues, bestiæ, aut pisces, sunt propria alicuius quæ appropriatio loci potest fieri tribus modis: Primò,quando locus erat communis toti populo, à Rege vero vel Rep. alicui priuato est appropriatus, Secundò, quando iam locus, in quo sunt feræ vel pisces,erat proprius alicuius priuati domini,feras autem illas vel pisces poterant omnes accipere, sed à Rege, vel Rep,interdicitur,ne vllus alius præterquam dominus illius loci possit amplius illa accipere. Tertio modo,quando quis fundum proprium,in quo erant feræ, & armenta,ita vallauit,vt inde egredi non possint, vel in loco vbi nullæ erant aues vel pisces, in suam vtilitatem construxit venationem vel piscinam, ex quibus qui Regis vel Reip, donatione sunt domini alicuius syluæ,nemoris,vel piscationis, non possunt alia ratione,nec arctius illa custodire,aut prohibere,quàm ipse Rex,vel Resp.quæ hoc illis dedit.donatarius enim nō habet maius ius in rem dono acceptam, quàm haberet ipse donans.

Obseruemus secundò,syluam,in qua ligna scinduntur,nemus vbi est venatio,& flumen,in quo piscari non licet,aut esse propria illius oppidi,in quo existit transgressor legis ista prohibentis,aut vicini oppidi, aut remoti,& longè distantis, aut priuatæ personæ, quia in fundo vel hereditate ipsius sunt: similiter sylua, nemus,piscina vbi venari,aut piscari potest;aut sunt muris cincta,& inclusa,aut sunt exposita,& patent omnibus; Animalia quoque, quorum captio interdicta est, aut sunt quadrupedia,& feræ,vt cerui,capræ, & similes,aut sunt aues,& ex his quædam sunt syluestres, & agrestes, aliæ domesticæ, aliæ vero partim syluestres, partim domesticæ,vt columbæ.

Obseruemus tertiò, pœnam, quæ in huiusmodi legibus imponitur,iustam esse posse,& iniustam quoq; imponere aliquam pœnam pecuniariam, vt eo timore arceantur homines à transgressione harum prohibitionum,quando iustæ sunt ex causis dictis,rationi consonum est,grauiorem autem infligere, vt pœnam corporalem,carcerem,vel exilium, est iniquum, & iniustum. Primò, quia cum hæc iure naturæ, & gentium sint omnibus communia in omnium vsus condita,licet possint in aliquibus locis propter rationes dictas prohiberi,cum tanto tamen rigore non patitur recta ratio, Secundò,quia consensu omnium nationum, & gentiū piscantes,& venantes in locis prohibitis non iudicantur fures,aut latrones rei alienæ, sed accipientes tantum rem prohibitam,aliorqui omnibus communē, pro acceptione autem rei communis,licèt prohibitæ, quā nullus iudicat furtum, pœnam corporalē vel grauem inferre horret recta ratio. Ex quo sequitur malè agere Episcopos,qui huiusmodi legibus,in transgressores earum pœnam excommunicationis imponunt,quia si infligere pœnam corporalem non patitur recta ratio, quanto magis spiritualem omnium grauissimam, qualis est excommunicatio?

Obseruemus vltimò,appropriationem, & dominiū ferarum,quæ fit alicui priuilegio Regis, si locus ille iā antea habebat feras illas,etiam si claudantur vallo, esse imperfectum,solumque tribuere illi priuato domino, vt liceat ei venari in eo loco sine vlla pœna, & arcere alios à venatione in tali loco apposita aliqua pœna soluenda,si in eo capti fuerint:quando verò ille priuatus inclusit feras in loco, in quo nullæ erant, & eas ibi continet,talis appropriatio,& dominium illius loci,& ferarum est perfectum, sicut diximus controu. præcedenti, dominium illius qui non plantauit syluā, sed habet illam solo dono Regis est imperfectum, dominium vero illius, qui syluam plantauit, & construxit suo labore,& expensis,esse perfectum.

CONCLVSIO I.

Qui venantur feras, vel volucres,aut piscantur in locis communibus nulli appropriatis, etiam si vtantur circumstantia prohibita modi vel temporis, non tenetur restituere.

PAtet,ferę,& animalia in locis nulli appropriatis,sed vagantes nullius priuati domini sunt, iure autem gentium sunt res indiuisæ, & omnibus communes, quod non tollitur per circumstantiam temporis, personæ, vel instrumenti, ergo qui illa venatur nulli nocet, & ex consequenti, nec tenetur ad restitutionem. Ex hac conclus. sequitur primò, clericos venatores licèt aliquando peccent venando, quia illis est interdictum per multa capita in Decretalibus.tit.de clericis venatoribus,non tamen teneri ad restituenda quæ capiunt. Secundò,nec eos qui venantur laqueis, & instrumentis prohibitis. Tertiò, neque qui venantur temporibus prohibitis vt lepores tempore hyemis, aut perdices tempore fœtus. Quartò, nec eos qui insequuntur prædam per fundū alienum, quia licèt fundus sit alienus,fera autem quam insequutur, iure naturæ nullius est,sed primo capientis,tenebuntur tamen ad reficiendum damnum,quod fundo intulerunt,vt feram caperent. Nisi iam in ea prouincia sit,lex, qualis, est Castellæ part.3.tit.28.l.10. vt si venator admonitus a domino fundi,ne illum ingrediatur ad venandum, nihilominus illum ingrediatur præda sit domini fundi. In tali enim prouincia, quando ingreditur venator non admonitus,nil tenetur restituere, sed præda est ipsius, admonitus vero, si nihilominus ingressus est, tenebitur illam domino fundi restituere, quando condemnabitur à iudice quia talis lex est pœnalis.

CONCLVSIO II.

Qui venatur,vel piscatur in alienis saltibus vel piscinis nulla sæpe munitis,ad nullam tenetur restitutionem, modò non faciat magnam stragem ferarum vel piscium.

PRobatur prior pars, Feræ non sunt domini fundi, neque pisces sunt domini piscinæ ita vt illa accipere sit furtum,& restituendum,nisi quando opera,& expensis ipsius sunt hæc animalia ibi inclusa, & valla.ta, ergo quando saltus, vel piscina nulla sæpe munita sunt, accipiens inde feras, vel pisces,non tenebitur ad restitutionem,sed ad solam pœnam luendam, si fuerit captus. Et confirmatur,scindens ligna in sylua aliena, quam dominus ipsius non plantauit, nec maiores ipsius,non tenetur ad restitutionem, sed ad solam pœnā, ergo multò potius neque qui venatur in saltu alieno, vel piscatur in piscina aliena, quæ loca dominus eorū non vallauit,neque ibi inclusit feras,vel pisces,tenebitur ad aliquid restituēdum,sed ad solam pœnam. Probo consequentiam, quia feræ cum possint hac, & illac vagati, res magis communes censendæ sunt quàm ligna,& cum dominium sit res permanens,magis habet locum in lignis,quæ fixa quoque,& permanentia sunt, quàm in feris quæ quando inclusæ non sunt,per varia loca discurrant.

Quod si dixeris, esse quædam animalia,quæ parum vagantur,vt cuniculi,qui ibi viuunt,& pascuntur vbi nascūtur,nec egrediuntur terminos, maximè si in amplo, & spacioso sint loco. Dico per accidens esse hæc animalia parum vagati,sat est ea esse, quæ quando septa non sunt,possunt huc, & illuc discurrere, quo fit, vt dominium quod in talibus habetur, sit imperfectū, & plurimum distans à dominio,quod habetur in ligna syluæ, nam hæc quando terra in qua existunt est mea, ipsa quoque sunt mea,quia terra illa gignit, at etsi terra in qua hodie feræ vel cuniculi pascuntur sit mea, hæc

hæc vero animalia non ita sunt perfectè mea, quia non gignit illa humus, sed ipsa sese gignunt, & quæ hodie pascuntur in fundo meo, cras recedent in fundum vicini.

Altera pars, facientem magnam stragem teneri ad restituendum aperta est, quia qui saltum vel piscinam, etsi non vallatã deuastaret, expoliat dominũ illius loci iure, quod habet in pisces, & feras, ac vtilitate, quam ex illo loco capere potest contra iustitiam commutatiuam.

CONCLVSIO TERTIA.

Qui venatur in saltu, vel piscatur in piscinis erectis a priuato ipsorum domino, vel valle septis, tenetur ad restitutionem damni illati, & ante iudicis sententias.

PRobatur, quia feræ inclusæ in saltu, & pisces inclusi in piscina sunt domini illius loci perfectè, & simpliciter, qui verò nocet alteri in re, cuius simpliciter, & perfectè dominus est, tenetur ad restituendum damnum, etiam si non condemnetur à iudice, quemadmodum, qui scindit ligna nemoris circumsepti.

CONCLVSIO IIII.

Qui venatur feras egressas è loco in quo erant inclusæ, & in quo habent illæ vsum eundi, & redeundi, tenetur ad restitutionem.

ITa Medina, & Couar. locis citatis. Et probatur ex l. Naturali. §. Ceruos. ff. de acquirendo rerum dominio. Et instit. de rerum diui. §. In his autem animalibus, quæ leges receptæ sunt Castellæ par. 3. tit. 28. l. 22. vbi dicitur: In animalib quæ abire, & redire consueuerant non amittitur dominium, si verò hanc consuetudinem amiserint, definunt esse domini, & fiunt capientis.] Apponuntque leges istæ exemplum de coruis, & accipitribus. Et confirmatur communi omnium consensu, & opinione, etenim si passerem è custodia egressum quis accipiat, restituit illum priori domino, si columbam egressam, & volantem, similiter.

Scio hanc quartam conclu. aliquibus recentioribus non placere, iudicantibus ferã egressam locum in quo inclusa erat reddi communem. Primò, quia potest iam liberè illa uagari, nec tenetur inclusa à domino. fundi. Secundò quia si quis manu capiat auem, & egressa è manu illius ab alio capiatur, censetur esse huius secundi capientis, ergo similiter in feris egressis sepem. Tertiò, quia columba quæ per spatium vnius leucæ recedit à columbario, fit capientis.

Sed hæc argumenta non confutant nostram conclusionem: Non primum, quia eodem modo equus indomitus egressus domum domini sui potest liberè vagari, nec propterea definit esse prioris domini. Nec secundum, quia ex sola manucaptione auis, non redditur iã illi auis propria capientis, & ita si aufugiens capiatur ab alio est secundi, at si capta ab aliquo custodiatur ab illo per aliquod tempus, si deinde recedit, inueniens illam, & capiens tenetur illam priori domino restituere: similiter qui columbam cuius aliquis priuatus dominus est, & eam in suo columbario, nutriuit, & custodiuit, etsi longè recedat.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando in huiusmodi locis sunt custodes, si transgressor legis deprehensus à custode in transgressione postuletur reddere pignus, tenetur in conscientia illud exhibere.

RAtio est, quia iste custos cum sit constitutus ibi ab habente authoritatem, est minister legis, & executor illius, postulans verò pignus in crimine fragauti incipit exequi legem, & condemnare reum, & hic illud exhibens incipit illam luere: sicut autem accedente plena condemnatione iudicis pœna soluenda est, ita incipiente illius exequutione incipienda quoque est, illius solutio. Dixi, in crimine fragauti, quia vbi crimen dubium est, & adhuc probãdum, tunc nõ tenetur ad reddendum pignus nisi iudice ita iudicante.

Sed quæres ad quid teneatur qui inueniens piscationem aut venationem captam laqueo, rete, vel hamo alterius illam accipit, Videtur enim esse iam alterius qui parauerat laqueum vel rete, loquimur extra loca quæ alicui propria sunt, nam de his quæ alicuius priuati sunt iam constat. Couar. loco supra citato asserit illius esse, qui inuenit, & capit nõ eius qui parauerit laqueos, quia ille qui primo inuenit est primo occupans, hæc autem quæ communia sunt, sunt primi occupantis. At Cordubensis loco citato existimat, multo probabilius in his, standum esse consuetudini loci, & iuxta illam iudicandum, cum in his consuetudo sit præstantissima legum interpres.

Nunc ad argumenta initio proposita, Primum illud quorundam Iurisțarum asserentium principes non posse ista prohibere, ridiculum est, cum natura omnes res fecerit communes, ius autem gẽtium, & auctoritas publica multa fecerit huic vel illi priuatim propria.

Argumenta vero secundæ opinionis ita diluentur. Ad primum respondeo, leges illas Iuris Cæsarei loqui de feris inclusis, & vallatis in proprio saltu, quæ perfectè sunt domini illius loci: Lex vero Castellæ loquitur de insequente feram per alienum fundum, quem dominus illius fundi admonuit, ne illud transiret, vt iam exposuimus.

Secundum argumentum eodem modo diluitur, piscantem vel venantem in saltu, vel piscina inclusa accipere alienum, & furari, tenerique consequenter ad restitutionem, quia in feras, & pisces quæ sunt in istis loci inclusi dominus talis loci perfectum dominium, quando vero loca ista vallata non sunt, habet dominium imperfectum, ita vt possit ipse sumere liberè, & alios arcere pœna, ad quam capti tenebuntur, nõ autem ad restituenda accepta. Vnde partit. 3. tit. de venatoribus. l. 1. t6. habetur, [Venatorem, qui non comprehenditur a domino saltus, sed manus illius euadit, facere suam venationem, nec teneri ad aliquod restituendum.

Sed manet difficultas, quia. l. 7. ff. de acquiren. possess. dicitur: Animalia inclusa in saltibus circumseptis, & pisces inclusos in stagno non possideri a domino loci illius. Quæ lex euertit omnino quæ hic docemus, sic tamen est explicanda: saltus sepiri posse vel natura loci, vt saxorum mole, vel arborum densitate, aut arte, & industria humana, similiter, stagna & paludes ita contineri, vt inde pisces egredi non possint, vel ob impedimentum à natura posito, vel industria humana: lex illa loquitur de saltibus & stagnis à natura circumseptis, & vallatis industria, & expensis domini illius loci. Vltimo loco, ne quid intactum prætereamus, videamus in.

Controuersia Vltima.

AN AVCVPARI COLVMBAS SIT iniquum, & cum debito restituendi.

AGunt de hac re Caie. verb. Columbarium, Sylu. verb. restitutio. 3. q. 4. §. 3. Soto in illo 4. ar. citato in fine.

CONCLVSIO I.

Aedificare & erigere columbaria, ita vt columbis apponantur grana, & alimenta necessaria, licitum est.

PRobatur primò, ex consuetudine, cui nulla lex aduersatur. Secundò, quia columbæ sunt vtiles Reip. pro pullis, quos generãt, & stercore quod relinquunt, & seruata conditione posita parum, aut nil ferè nocẽt. Tertiò, quia ædificare nemus ad quod accedunt corui, & picę non est illicitum, ergo neque ædificare columbarium, cum columbæ minus noceant.

Nec valet quod aliqui dicunt columbas istas, quæ liberè volitant tempore seminandi nocere agris: primò, quia posita conditione huius primæ conclusionis, non quærent semina: secundò, quia experientia teste non comedunt grana operta terra, sed quæ supra terrã manent, quæ nullius quoque vtilitatis erant futura. Adde quod etiam si columbæ in aliquo noceant priuatis, præstat isti nocumento communis vtilitas, quàm Reip. afferunt, cum sint cibus opportunus, & ciuibus, & peregrinis itinerantibus, comedantque columbę restibus agricolis multa semina, & herbas, quæ nocent tritico. Fateor tamen si in aliqua prouincia sint leges prohibentes ædificari noua columbaria, vel vicini domini agrorum grauiter conquærantur de damnis, quæ à columbis ipsis inferuntur, peccare illa de nouo construentes. De nouo, inquam, quia de antiquis, in quæ potest habere locum præscriptio, secus est iudicandum, tales autem leges, vel querelas non nouimus in Hispania existere.

CONCLVSIO II.

Columbas domesticas capere peccatum mortale est, & cum debito restituendi.

PAtet, quia huiusmodi columbæ sunt propria bona habentis illas, vt gallinæ, & aliæ aues domesticę, & dominus columbarij habet actionem contra accipientem illas columbas, vt habetur l. vsufructuarium. ff. de vsufr. Et instit. de rerum diuis. §. gallinarum.

CONCLVSIO III.

Quando lege præscriptus est terminus, intra quem nemo capiat columbas syluestres, sumere intra illum est peccatum mortale, & cum debito restituendi, extra illum autem nequaquam.

PAtet, quia lex præscribens talem terminum facit illas columbas intra illum terminum bona propria domini illius columbarij, extra illum verò terminum vult esse communes. Vnde in Castella accipientes sibi tales columbas tenentur soluere duo regalia Domino columbarij, accipientes verò vt vendãt alijs, tanquam fures flagellantur. Ex pragmatica Caroli V. de piscatoribus, & venatoribus edita anno 1552.

CONCLVSIO IIII.

Qui fraude, & dolo trahit, & allicit columbas alterius columbarij in suum peccat mortaliter, & tenetur restituere.

COnstat hæc, quia est lege probibitum, & est expoliare fratrem re sua, quod non est, quando columba à nullo allecta propria sponte mutat columbarium, sicut aues solent mutare nidum, & domicilium.

ARTICVLVS IIII.

Teneatur ne quis aliquando restituere, id quod non abstulit?



PRæsupposito teneri ad restituendum illũ, qui fratri damnum intulit cum iniuria, etiam si nihil inde vtilitatis ipsi aduenerit, tum etiam bona in quibus fratri nocere possumus duplicia esse, alia quę actu possidet, alia autem ad quæ erat in potentia, statuit D. Thom. duas conclusiones.

CONCLVSIO I.

Qui intulit fratri damnum in re, quam actu possidebat, tenetur illi restituere in integrum, & ad æqualitatem, simpliciter & absolutè.

CONCLVSIO II.

Qui intulit fratri in re, ad quam erat in potentia, tenetur illi restituere ad æqualitatem damni illati, non simpliciter, sed arbitrio prudentis considerando gradum potentiæ, in qua frater erit, & modum nocendi.

HÆ conclusiones patent ex dictis maximè art. 2. huius quæstionis.

Circa hunc articulum hæc tantum se offert dubitatio.

AD QVAM RESTITVTIONEM TENEAtur, qui nocet fratri in re, ad quam tantum erat in potentia.

VT qui conculcat segetes teneatur ne ad restituendum valorem illarum, sicut si peruenissent ad messem, vel sufficiat restituere, quod valent eo tempore quo conculcantur? Videtur enim hoc posterius sufficere: Primò, quia restitutio ex D.Thom. facienda est ad æqualitatem rei ablatæ, restituens autem quod valent segetes tempore quo conculcatæ sunt, iam reddit æquale rei ablatę, cum iustum pretium rei sit illud, quo res æstimatur in præsenti.

Secundò, si quis occidat seruum alterius in pueritia, vel equum Ioannis adhuc pullum, non tenetur soluere valorem istorum iuxta ætatem perfectã ad quam peruenissent viuens, sed satis facit soluens, quod in ea ætate in qua occisi sunt, arbitrio prudentis iudicabuntur valere.

Tertiò, si damnum restituendum æstimandum esset iuxta futurum tempus, sequeretur furantem triticum tempore, quo carius venditur, seruandum in futurum, quo tempore fortè fortuna vilius valuit, non teneri ad restituendum triticum illud, nisi iuxta illud precium vilius, quod deinde valuit, quod est falsum, consequentia verò necessaria est, quia in hoc casu dominus istius tritici tantum est læsus in illo viliori pretio.

In oppositum est: primò, quod agricolæ recta ratione dictante hoc obseruant, vt qui segetes alterius conculcauit, satis faciat reddens, quod valebunt tempore messis deductis expensis, quæ faciendæ erant; expectantq; ad taxandum illum valorem segetes vicinas vsq; ad messem, vt iuxta ea quæ vident in vicinis agris, iudicent de valore segetis conculcatæ.

Secundo, qui seruat merces in tempus futurum, si cõpellatur aut prouocetur eas vẽdere ante illud tempus quod statuerat, potest eas carius vendere quàm in præsenti valeant & petere precium quod valebunt tempore quo instituerat eas vendere, vt definitum est cap. Nauiganti de vsuris, sed qui habet segetem in herba non vult illam vendere in herba, sed statuit expectare

messem

messem cum hoc fine ac non alio seminauerit, ergo qui ipso iniusto dissipat, & destruit illa semina, & segetes, tenetur soluere prout valebunt tempore messis.

Tertiò, si tyrannus dissiparet omnes segetes vnius prouinciæ, non satisfaceret restituendo illi quod tunc valebant quando illas destruxit, sed quod valuissent tempore messis, ergo similiter iudicandum est de particulari conculcante, & dissipante illas.

Huic quæstioni respondet Soto. q. 6. ar. 5. si damnum datum sit casu, id est sine intentione nocendi, non esse satisfaciendum in integrum, sed aliqua ex parte arbitrio prudentis, si verò datum sit consulto & animo nocendi, restituendum esse secundum æqualitatem. Sed maiori distinctione opus est.

Obseruemus igitur nocentem alteri in re, quæ adhuc est in potentia, vt alienas segetes conculcantem, &c. aut id facere ex malitia, & animo nocendi alteri, quod est nocere directè formaliter, & per se, aut casu intendendo suæ vtilitati fine animo nocendi. Rursum qui ita casu agit, vel damnum illud intulit sine vlla culpa sua, vt cum dabat operam rei licitæ, adhibuitq; omnem diligentiam quam debuit adhibere ne in aliquo noceret, qui dicitur omnino inuoluntariè nocere, aut intulit illud cum aliqua culpa sua, quia vel dabat operam rei illicitæ, vel non adhibuit omnem diligentiam quam debuit adhibere, qui dicitur nocuisse voluntariè, non per se, & formaliter, sed indirectè & reductiuè.

CONCLVSIO I.

Qui omnino inuoluntariè, & sine vlla culpa sua nocet non tenetur ad aliquid restituendum.

PRobatur, omne debitum restituendi nascitur ex duplici radice, aut ratione iniquæ acceptionis, aut ratione rei acceptæ, in hoc casu qui ita nocuit non est versus iniqua acceptione, cum sine vlla culpa sua nocuerit, neq; habet aliquid apud se rei alienæ, ergo. Et confirmatur ex illo capite, Si tua culpa, &c. vbi summus Pont. in eo qui tenetur ad restituendum damnum illatum exigit aliquam culpam.

CONCLVSIO II.

Qui damnum intulit voluntariè quidem, non tamen directè, & per se, sed indirectè, & reductiuè, tenetur ad aliquid restituendum non quantum res illa in qua nocuit valeret, si ad maturitatem & perfectionem peruenisset, sed quantum iudicaretur valere tempore damni illati.

VT qui occidit seruum alterius paruulum non intendens illum occidere, occidit autem vel dans operam rei illicitæ, vel quia non adhibuit omnem diligentiam, quam debuisset adhibere, non tenetur ad restituendum valorem illius serui, quantum valuisset effectus vir, sed quantum valuisse iudicabitur in ea ætate in qua occisus est. Probatur, in hoc casu debitum restituendi nascitur ratione iniquæ acceptionis, sed inter iniquas acceptiones ea, quæ fit per ignorantiã crassam, vel voluntarium indirectum habet infimum gradum culpæ, qui ergo ita accepit, & nocuit non est obligandus ad restituendum nocumẽtum in summo rigore, sed in hoc inferiori, & mitiori, quem assignamus.

CONCLVSIO III.

Qui intulit damnum directè formaliter, & per se tenetur ad restituendum in integrum quantum res illa in qua nocuit valuisset perueniens ad maturitatem, & perfectionem deductis expensis faciendis in illa, quamdiu ad talem perfectionem peruenisset.

PAtet, talis acceptio est iniqua, & iniusta omnino: & per se, ergo obligans ad restitutionem precij omnino, & per se iusti, precium autem simpliciter, & omnino iustum in rebus quæ sunt in via ad perfectionem est illud, quod res valebit ad suam perfectionem perueniens deductis expensis, ergo. Hanc probant argum. secundo loco facta, modus autem restituendi in casu huius tertię conclusionis est vel expectare euentum rei similis in sua maturitate, & perfectione, quomodo vtuntur communiter agricolæ, vt dictum est in primo argum. in oppositum, vel partes inter se conuenire de precio damni ad arbitrium prudentis.

Ad argumenta initio proposita. Ad primum dico, conculcantem segetem cum animo nocendi non satisfacere ad æqualitatem, nisi modo exposito, quia æqualitas sumenda est ex damno illato, iste verò non solum nocuit, in herba, verum etiam in fructu, qui expectabatur, & iuxta hanc spectandum est in eo casu iustum precium. Ad secundum dico, in animalibus viuentibus rem non æstimari, nisi iuxta tempus præsens communi omnium gentium consuetudine, & iure, in plantis verò, & seminibus terræ mandatis æstimari semina, quando sunt in proxima, & probabili potentia ex fructu deductis expensis, & valor enim rerum ex communi hominum æstimatione, & consuetudine, magis quam ex rebus ipsis, vt infra videbimus, sumitur. Ad vltimum respondeo, in casu si conuertit triticum illud in suum commodum tempore quo carius valebat, teneri ad restituendum iuxta illud precium carius, quia in eo factus est ditior, si verò combussit illud, vel seruauit illud in tempus, in quod à vero domino seruabatur, & tunc vtilius valuit, teneri ad restituendum tantũ in illo precio viliori, quia ipse in eo factus est ditior, nec domino tritici nocuit, nisi in illo viliori precio.

ARTICVLVS V.

An semper facienda sit restitutio illi à quo res ablata est.



AGit hactenus D. Tho. de substantia restitutionis, hoc articulo, & sequenti agit de circumstantijs illius, ac primum præsenti articulo de circumstantia personæ, cui facienda est, de qua Caiet. verbo, Restitutio, cap. 4. Syluest. eodem verbo. Soto libro 4. de iust. artic. 1.

CONCLVSIO PRIMA.

Simpliciter ac communiter loquendo res ablata restituenda est illi à quo ablata fuerat, habetur hæc 3. q. 1. ca. Redintegranda. Et de restit. spoliat. ferè per totum.

PRobatur, restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ constituens æqualitatem inter illos, quorum vnus habet minus, quàm debet habere, sed hæc æqualitas obtineri non potest, nisi res ablata restituatur illi à quo ablata est, quia habet minus de suo, & de eo quod debet habere, ergo illi restituenda est.

CONCLVSIO II.

Deficiente illo à quo res ipsius ablata est restitutio facienda est pauperibus, vel in opera pia.

PAtet, Nemo potest retinere alienũ, sed debet illud restituere aut vero domino aut habenti vicem veri domini, quando non existit verus dñs, nec in se ipso nec in hæredibus, ex recepta vbiq; terrarum consuetudine à superioribus approbata pauperes, & opera pia supplent vicem veri domini, ergo. Dico, pauperes supplere vicem veri domini ex consuetudine approbata,

quia simplicirer, & absolutè paoperes non sunt domini bonorum, quæ nullum habent dominum, sed Resp. quia bona sunt huius mediatè, vel immediatè ex diuisione, & appropriatiarione facta iure gentium à Principe, vel Rep. deficiente omnino illo domino cessat simul illorum bonorum appropriatio, redeuntque ad primum statum, quando erant in diuisa, & ita non sunt simpliciter sumpta pauperum, sed Reip. consuetudo autem communis omnium gentium Principib. & superioribus cōsentientibus introduxit, vt verò domioo nō inuento habeant pauperes vicem domini, & illis fiat restitutio, quod diligentet obseruaodum est ad sequētia.

Ex hac doctrina sequitur regula, quàm omnes Thomistę ex verbis D. Tho. hic colliguot, nempe quotiescunque is à quo res ablata est, non est verus dominus, non esse illi restituendam, sed vero domino: verus enim dominus est, qui habet minus de suo, & de eo, quā debet habere: vnde si quid ablatum sit à latrone oon est ipsi restituendum, sed verò domino, à quo latro rapuerat, si quid à seruo, famulo, vel filio familias, quod erat patris vel domini, non ipsis, sed dominis, aut patri familiàs debet restitui, si quid ab vxore, quod erat sub dominio viri, non ipsi, sed viro, si quid à monacho, non ipsi, sed prælato sui conuentus si quid à clerico, quod erat Ecclesiæ, non illi, sed prælato illius Ecclesiæ, tùm quia restitutio semper est facienda vero domino, tùm verò, quia restitutio non solum fit ratione ioiustæ acceptionis, verum etiam ratione rei acceptæ, cuius defectu verus dominus patitur inæqualitatem, quæ ad æqualitatem reducitur, quando vero domino, qui re sua priuatus erat, illa restituitur.

Hæc regula est certissima, sed in ea nonnulla obseruanda sunt. Primum debere certissimum esse, illum à quo res ablata est, non esse verum dominum, sed alium nam, si sit dubium & incertum, tunc illi met à quo res ablata est, est restituenda. Primò, quia in dubijs potior est ratio possidentis. Secundò, quia iudex ita iudicaret per iustam sententiam, vnde res ablata à latrone, etiam si sit magna suspitio, illum esse latronem, nisi omoino certum sit, ipsi latroni restituenda est, vt habetur c. ex litteris, extra de restit. spolia. & in lege bona fide. ff. de restit. depositi, vide Sylu. in verb. Restit. quarto.

Secundò obseruandum est, licèt restitutio facienda sit com damno aliquo temporali, oon tamen teneri illum, cui competit restituere, eniti cum damno, & periculo propriæ vitæ, famæ, vel graui iactura bonorum, vt res perueniat ad manus veri domini. Accepi 100. aureos à filiofamiliàs, si restituendo illos patri, qui est verus dominus, tale periculum mihi immineat, non teneor, quia etiam si illos abstulissem à vero domino, non tenerer cum tanto periculo, quia esset inæqualitas ad tantum damnum me obligare, vt compensarem fratri multò minus damnum.

Tertiò, si certò intelligatur, latronē, filium, seruum, vel vxorem ita pœnitere sui criminis, & quamprimum rem ab eis ablatam receperint, non dilaturos illam veris dominis restituere, tunc licet, imò est optimum eisdem à quo res ablata est illam restituere, quia sic & honori ipsorum consulitur, & restituit vero domino per ipsos, quasi per interpositam personam, quod eius est.

Quartò, quando res ablata nō redditur ei à quo ablata est, sed vero domino, admonendus est ille à quo ablata fuerat, iam esse restitutum vero domino, ne eidem bis restituatur. Quintò, quando bona sunt communitatis, & Ecclesiæ, vel religionis, esse restituenda non illi à quo ablata sunt, quia non est verus dominus sed prælato & superiori, qui illorum est administrator, & gerens vicem domini, si autem talis superiores sit prodigus, & dilapidator, licet, imò est optimum non restituere illi, sed ex bonis restituendis aliquid efficere permanens, quod non ita facilè prodigi possit, vt calicem vel simile, & Ecclesiæ, vel monasterio illud exhibere, ac ea via restituere.

Hæc omnia intelligenda sunt, quando restitutio secretò facienda est io foro coosscientiæ, nam si fit exterius, & in foro iudiciali, tunc restitutio facienda est, coi iudex præceperit sua sententia, quia licèt iudex erraret in facto materialiter, & ex ignorantia veritatis facti, non tamē errat in iure iudicans secundum leges, habendaque est illios sententia tanquam iusta, & iuxta illam restituens manet tutus in conscientia. D. Thom. in solu. argumentorum attingit aliquas difficultates, quæ propositis quibusdam grauib. quæstionibus elucidandæ sunt. Circa solutiooem primi offert se grauis quæstio.

Controuersia Prima.

SIT NE RESTITVENDVM QVOD *prudenter iudicatur esse nociturum ipsimet domino, vel alijs.*

IN hac quæstione, vt prius certa ab incertis separemus, oonnulla obseruanda sunt.

In primis nocumentum, & damnum, quod ex redditiooe depositi, vel rei alienæ euenire potest, vel ipsimet domino petenti, vel alteri, duplex esse spirituale, vel temporale, spirituale, vt cum postulat pecunias ad scorium, vel solicitandam puellam pudicam, & honestam, corporale vel temporale, vt si gladium, quem apud me Petrus deposuerat, exigat ad inferendam mortem, vel læsionem aliquam, aut iniuriam, sibi vel alteri. Rursum quando re illi restituta alteri nociturus est, aut volt illi nocere, violando tantum charitatem, vt qui accepta pecuniā, quā illi restituo, nitetur sine fraude, & vi, sed donis solis, & muneribus puellā corrūpere, aut violando simul iustitiā, & charitatē, vt cū scio gladium quem apud me haber, petere, vt exerceat homicidium.

Obseruemus secundò, rem quam apud me quis habet bifariam posse exigere, aut cōmuni, & vrbana postulatione, aut interpellando & conquerendo, quod rem illius ipso inuito apud me detineam, idque vel in iudicio, vel extra iudicium.

His positis hæc omnia certissima sunt apud omnes Doctores. Primò, quodcunque damnum alteri immineat ex restitutiooe rei, si me illam non restituente simile, vel grauius mihi etiam immioeat, non teneri me, vt vitetur damoum alienū ad rem illam detinendam, Pater, quia in tali casu damnum, quod sequitur ex redditiooe debiti, vel depositi, nullo modo est voluntariū huic, qui depositum illud reddit, nec per se directè, quod perspicuum est, oec reductiuè: ille enim dicitur reductiuè velle malum, quod potest, & debet prohibere, oec prohibet, in hoc autem casu non tenetur iste depositarius vitare damnum alterius: nemo enim tenetur cum proprio damno vitare alienum, quo oomine dicunt Doctores neminē teneri ad subueniendum hosti extremè indigenti, si prudenter timeat ex salute hostis imminere sibi mortem. Et confirmatur ex his quæ paulò ante dicebamus, non esse restituendam vero domino rem à latrone acceptam, si ex tali restitutione graue damnum restituenti immineat. Loquimur hic de priuata persona, quia si malū quod imminet re illa restituta, sit totius Reipub. tunc restituenda est cum quouis damoo, & periculo, cum bonum commune cuique priuato præferendū sit, quod si absque meo damno rem illam retinere valeo, teneor ex charitate illius restitutionem differre, aut apud alium deponere, nec dare vero domioo, vt damnum illud quantum in me est vitem. Cōstat hoc ex his, quæ omoes docent in disputatione de charitate: & confirmatur. Primò, ex illo Prouer. 24. [Erue eos, qui ducuntur ad mortem.] Id est prohibe mortem & damnum fratris, & Eccles. 16. [Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.]

Quod

Quod maximè habet locum, quando proximus vult alij nocere. Secundò, ex fine restitutionis, fit enim restitutio in vtilitate veri domini, in hoc autem casu potius esset in damnum eius, vel alterius. Tertiò, ex lege charitatis, & amicitiæ teneor vitare quantum commodè possum peccata proximi, & damna quæ ipse alijs nititur inferre.

Secundò certum etiam est, si damnum imminens soli domino immineat, & non alijs, & ipse vel iuridicè vel quasi iuridice interpellat, siue damnum illud sit spirituale per peccatum, siue temporale prodigendo sua, non licere mihi rem illius detinere, imò teneor restituere. Patet, quia ipse vtitur iure suo, cum rem suam petat, vtenti autem iure suo ex iustitia res sua restituenda est. Nec obstat quod aliqui, dicunt, non habet ius prodigendi aut fornicandi, ergo cum hoc fine petat non habet ius petendi: nam licèt non habebat peccandi, habet tamen ius in rem suam, quo iure ex malo fine, & malitia, quam animo concepit, non expoliatur: quemadmodum curatus occulto peccatori petenti ab ipso Eucharistiam, licèt non habeat ius ad peccádum, quia tamen habet ius ad illam petendam, quo iure ipsum sine scandalo priuare non potest, tenetur dare, & vxor quamuis sciat virum emisisse votum simplex castitatis, & peccare petendo debitum, tenetur nihilominus illi reddere, quia petẽs vtitur iure suo. Dixi si damnum soli domino immineat temporale vel spirituale, quia in his est ipse dominus, at si immineat in naturalibus, vt qui accepto gladio se occidet, nõ licet, quamuis multum interpellet, quia ipse non est dominus, vt vidimus vitæ suæ, aut membrorum, & sicut non habet ius in ista, ita neque ad petendum gladium, quo sibi inferre vult damnum in illis.

Tertiò certum est, si ex restitutione rei damnum spirituale alteri immineat, vt qui accepta pecunia solicitaturus est puellam pudicam, licere, & debere differri restitutionem, quia quando duo iura concurrunt, quæ simul non possunt obseruari, habenda est potius ratio patientis iniuriam quam inferentis, in hoc casu habet dominus ius petendi rem suam habet quoque puella, vel frater cui iste vult nocere, ius, vt à me damnum illius (cum id sine meo damno possim) vitetur, teneor potius vitare damnum illius qui pati potest, & seruare illi ius non restituendo, quàm seruare ius illius qui vult nocere, restituendo.

Sed obijcies contra hæc duo dicta, primò, præstat anima corpori, cur ergo volenti nocere sibi ipsi in corpore tenemur depositum quo sibi nocebit, non restituere, volenti autem sibi nocere in spiritualibus tenemur restituere. Secundò, spiritualia aliena non minus valent quam propria, cum igitur non sit restituendum depositum, quando aliquis vult nocere puellæ pudicæ vel fratri in spiritualibus, eodem modò neque licebit illi restituere quando sibi ipsi.

Ad primum dico, detentionem debiti, vel depositi esse medium per se, & natura sua ordinatum ad liberandum hominem à damno spirituali proprio, quia verbi gratia gladio non reddito non occidet, at etsi pecuniam non reddam, nihilominus iã animus eius per solum consensum, & desiderium internum fornicandi læsus est, ac propterea, cũ vult sibi nocere in corpore: teneor detinere apud me gladium, imò, & illum qui vult se suspendere, possum per vim cohibere, & conijcere in vincula, si opus fuerit, vt liberẽ eum, pecunias autem, quibus vult fornicari. nõ possum detinere, nec inferre vim, ne fornicetur, ad damna enim spiritualia cohibenda correctio fraterna solum est medium per se ordinatum.

Ad secundum dico, plurimum differre nocere sibi in spiritualibus, vel nocere alteri, primò, quia qui sibi in his nocet, liberè, & voluntariè vult nocere, & in re sua cuius est dominus, in malis autem quæ frater sibi liberè vult inferre, cum secus possit, satis est vti consilio, & correctione, in malis verò quæ vult alteri inferre. non est satis corrigere volentem nocere, sed tenemur, quantum commodè possumus, patientem liberare. Secundo, quia quando quis vult inferre damnum spirituale alteri restitura re quam apud me habeo, non restituendo caueo peccatum alterius, quando autem est in damnum spirituale ipsiusmet domini non caueo peccatum eius, quia iam volũtas ipsius est malè affecta ad peccatũ. Vnde omnia ista, quæ tãquam certa apud omnes constituimus certissima sunt, maiorem verò difficultatem habent quæ sequũtur vnde sit.

Controuersia Secunda.

AN CVM QVIS PETIT REM SVAM *in damnum temporale vel corporale aliorum, sit illi deneganda, & differenda restitutio ex charitate, aut ex iustitia.*

HOc nosse rectè oportet, quia si ex charitate sola, peccabit quidem qui tali damno imminẽte rem illam nocituram reddit domino, non tamen tenebitur ad restituendum, quod si ex charitate simul, & iustitia, non solum peccabit, verum etiam tenebitur ad restitutionem damnorum, quæ subsequentur.

Iudicarunt quidam ex veteribus Theologis eum qui cum hoc periculo redderet gladium, non peccare contra iustitiam, sed contra charitatem sola hac ratione, quia reddit gladium proprio domino non consentiens in necem fratris, sed potius dolẽs nihil aliud agit, quàm nõ defendere fratrem, cum possit, ad defendendum autem fratrem à nece soli magistratus tenentur ex iustitia, cæteri verò ex sola charitate, ergo priuatus reddens domino rem nocituram non peccat contra iustitiam, sed contra solam charitatem. Et confirmatur, si inuasor aggrediatur fratrem, quem ego possum commodè defendere, nec defendo, tantũ pecco contra charitatem, sed reddens gladium domino illius in hoc casu perinde se habet, velut non defendens fratrem ab inuasore, ergo.

Secundò, si iudex præcipiat mihi reddere Petro suum gladium, & ego reddam sciens illum eo fine petere, vt occidat Ioannem, non teneor, si occidat, ad aliquam restitutionem, nec pecco contra iustitiam obediens iudici, nec iudicor homicida, ergo si petat extra iudicium, non ago contra iustitiam, nec sum iudicandus concurrere ad illud homicidium. Patet conseq. quia reddens tale gladium non est magis causa iniuriæ, quæ infertur proximo accidente iudicis sententia, quam sine illa, cum idem præstet siue à iudice compellatur, siue non, quod est reddere gladium.

Tertiò, si depositarius in hoc casu reddẽs gladium domino illius esset causa homicidij, profectò, etiam si redderet illum, ac graue damnum sibi accideret, esset censendus causa homicidij, & cum esse causam homicidij sit intrinsecè malum, non posset illum reddere, neque vt liberaret se ipsum ab aliquo graui damno sibi imminenti, hoc consequens est falsum, & contra omnes Doctores, ergo, & antecedens, consequentiam verò probo sicut, & in præcedenti argum. quia idem omnino præstat à parte rei, siue sibi damnum graue ex detentione gladij immineat, siue nõ, quod est reddere illum domino ipsius.

Denique, si reddere gladium in hoc casu esset contra iustitiam, eodem modo restituere pecunias debitas, quando scirem emendum esse ex eis gladium, esset contra iustitiam, & cum debito restituendi damna subsequuta, & similiter qui redderet verò domino pecunias debitas, quas certò sciret dandas ab ipso ad vsuram, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restituendum lucrum illud vsuratium.

D. Tho. hoc loco non explicat hanc quæstionẽ, in 4. autem

autem dist. 32. q. 1. art. 2. quæstione, 3. ad 3. ait. [Si reddam gladium furioso, quia aliter eueniet mihi maius malum, tunc non pecco reddens gladium, nec est mihi imputandum damnum subsequutum. Vbi quãuis à contrario sensu videatur docere D. Thom. quando reddo gladium, quem possum sine periculo meo detinere, me peccare, & contra iustitiam, tenerique ad damnum, & subsequutum, apertè tamen id non dicit.

Caiet. hic docet depositum, vel gladium in hoc casu de quo loquimur non esse reddendum, non tamen explicat, teneamur ne ad id ex charitate sola, an etiam ex iustitia, in summa verò in verbo, Restitutio, c. primo explicans verbum illud. Non manifestans ait. Qui sine damno suo potest liberare fratrem ab homicidio, vel furto, id non faciat, tenetur ad restitutionem. Ex quo dicto, si verum sit, colligunt aliqui à fortiori reddentem gladium domino suo, quando scit velle illum ad homicidium, peccare necessario contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, quia magis concurrit qui concurrit positiuè, quam qui negatiuè tantum, at non defendens fratrem, habet se tantum priuatiuè, dans verò gladium, positiuè. Sed cum dictum illud Caie. in sum. non sit verum, vt videbimus cum D. Tho. artic. 7. huius quæstionis, neque quod ex ipso sequitur, censendum est verum, vnde ex Caiet. nihil in hac q. habemus certum.

Recentiores, vt Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad 1. Victo. & alij in lectura huius articuli volunt eum qui sine proprio damno potest retinere gladium, vel scalam, nec retinet, sed dat domino, quem certò nouit illis abusurum in damnum tertij, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem damni subsequuti, quæ opinio etsi videatur rigida, est tamen vera, & probatur. Qui sine damno suo potest in hoc casu retinere gladium, & non retinet, reuera consentit & concurrit, quamuis non vt causa præcipua, saltem vt secundaria & cooperans damno fratris, qui autem ita consentit & concurrit peccat contra iustitiam, & tenetur ad restituendũ ex regula illa. Si culpa tua, vbi additur, Seu alijs irrogãtibus damnum opem fortè tulisti, ergo.

Secundò, si quis in hoc casu de quo quærimus, redderet gladium homini stulto, vel furioso, quem probabiliter timeretur alicui nociturum, omnium Doctorũ consensu teneretur ad damnum subsequutum, ergo similiter tenebitur, si dat homini prudenti, sed irato & volenti illo gladio aliquem occidere. Patet consequentia, quia vinculum restitutionis nõ nascitur ex eo quod dederis gladium prudenti, vel stulto, hoc enim est per accidens, sed ex eo quod dederis ei, qui gladio erat abusurus.

Tertiò, quod decernitur in foro exteriori per instam sententiam explicata rei veritate, idem habet in foro interiori, at si probetur in foro exteriori Petrum qui sine damno suo poterat retinere gladium, non retinuisse, sed dedisse Ioanni, quem nouerat eo abusurum, condemnabitur Petrus vt consentiens & complex homicidij subsequuti, & ita habet vsus omnium iudicum, ergo.

Quartò, in similibus euentibus huic nostro casui de quo quærimus, qui exhibet fratri instrumenta, quibus nocebit, condemnatur de damno subsequuto, vt cum quis commodat, aut vendit alicui gladium, malleum, vel scalam, quibus scit illum abusurum, vt habetur l. si pignore. §. si fert améta. ff. de furtis. Idem est, si pharmacopola, vel pigmentarius vẽdat venenum ei quem scit malè vsurum, similiter qui vendiderit militibus arma ad iniustum bellum, tenetur restituere, quãtum valebunt damna subsequuta, vt docet hic Caiet. imò si illud bellum iniustum sit contra clericos vendẽs eo tempore arma est etiam excommunicatus, & irregularis, vt docet idem Caie. supra q. 10. art. 4. Et infra q. 169. art. 2. ad 4.

Denique si quis mihi commendaret clauem, quam tempore quo repetit, intelligo esse adulterinam, & velle illam ad furandum, si sine damno meo possum retinere & abscondere & conterere, teneor ex iustitia, alioquin illam restituendo pecco contra iustitiam, & teneor ad damna subsequuta & in hoc omnes Doctores conueniunt, sed similiter res omnino se habet in casu nostræ quæstionis, ergo.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo, aliud esse habere me negatiuè non defendendo proximum, cum possim, & aliud concurrere positiuè dando instrumenta, quæ poteram sine meo damno retinere, nam prius illud est tantum contra charitatem, non contra iustitiam, nisi quis ad id teneatur ex officio, posterius autem, cũ sit positiuè aliquid facere, vnde mors vel damnum sequatur, est contra iustitiam.

Ad secundum respondeo, in illo casu debere me iudici aperire quo fine ille gladium suum repetat, quia cum primum illud iudex nouerit, præcipiet non dari, niteturque vt optimus iudex, damnum illud aduertere, quod si iniquus iudex sit & præcipiat illi restitui, si licet appellare, aut aliqua via iudicium illius declinare, parendum illi non est, quod id non liceat, tunc ad vitandum proprium damnum, quod sequeretur ex punitione iudicis, dandus est gladius, funditurque tota culpa, & debitum in iudice, non in restituentem gladium, sic enim restituens perinde se habet, ac restituẽs ad vitandum proprium damnum. Vnde licèt in genere naturæ eodem modo se habeat reddens gladium compulsus à iudice, aut sine tali compulsione, in genere tamen moris maximè differunt, quia quando non compellitur à iudice, potest illud vitare, quando verò compellitur, iam nõ potest, & damnum quod tunc sequitur, nullo modo est ipsi voluntarium.

Ad tertium, antecedenti cõcesso negandum est consequens eodem modo quo in præcedenti argumento, non enim est eadem ratio, quamuis enim eodem modo sequatur homicidium in genere entis & naturæ, non tamen eodem modo in genere moris, quia quando sine damno meo possum detinere gladium, & non retineo, sed do, est consentire reuera & cooperari illi homicidio, quando aũt ad vitandum damnum meum, tunc non est consentire homicidio, sed tantum consulere proprio bono, sicut qui occidit inuasorem, & qui voluntariè occidit fratrem, eodem modo occidunt in genere entis, & diuerso in genere moris, qui enim occidit inuasorem non est homicida, non enim intendit mortem fratris, sed tantum propriam tutelam qui verò voluntariè occidit, est verè homicida, cum verè intendat mortem fratris.

Ad vltimum respondeo, quo ad primum incommodum non esse dandas pecunias ei qui hoc fine illas repetit, nisi iudice præcipiente explicata ipsi iudici veritate eo modo quo dictum est in solutione secundi. Dico secundo, posse illi dari, incommodũ autem istud non esse contra nos, quia cum gladius sit ex se aptus in proxima potẽtia ad homicidium, dare illum, quando possum detinere, est proximè cooperante illi malo, dare autem pecuniam, distat multum, cũ pecunia non sit ex se ad occidendum, nec in proxima potentia. Ad secundum incommodum, dico similiter dare pecunias volenti illas fœnerari, est causa multum remota ad acquirendas vsuras, cum requiratur præterea voluntas mercatoris & voluntas eius, qui vult dare, vel accipere, at qui dat gladium in hoc casu, etsi non sit causa præcipua, est tamen secundaria, propinqua occisionis, & ideo tenetur restituere.

In solutione secundi argumenti quęrit D. Thom. sit ne restituendum, & quod illicitè & per peccatum acquisitum est, statuitque, bifariam, posse aliquid alteri dari aut, ita vt datio sit omnino illicita, & prohibita lege, vt in simonia, aut ita vt causa sit quidem illicita, & turpis, datio verò non sit prohibita, vt cum datur aliquid meretrici ob fornicationem, causa turpis est &

illita,

illicita, meretrici autem aliquid dare nulla lex prohibet. Hoc constituto respondet D. Tho. si datio sit primi generis, accipientem teneri ad restituendum, quia lex prohibens ita dare prohibet simul ita accipere, debere autem restituere, non ei qui dedit, sed Ecclesiæ, vel pauperibus, tum quia qui ita dedit meretur dominium illud perdere, tum quia iam illud à se abdicauit, quod si datio sit secundi generis, non teneri ad restituendum, vnde meretrix non tenebitur restituere accepta, quia licet causa sit, illicita, nulla tamen lex prohibet fornicatori aliquid dare, vel meretrici illud accipere, nisi iam per fraudem & dolum aliquid extorqueret, illud enim teneretur restituere, quia sic extortum non est datum, sed raptum.

Circa hanc doctrinam videre oportet, quæ pertinēt ad donationes turpes in communi, & priuatim quę pertinent ad meretrices & simoniam. Primò igitur videamus.

Controuersia Tertia.

AN QVAE OB TVRPEM CAVSAM acquiruntur sint restituenda, & cur.

IN hac quæstione, in qua hæc duo videnda sunt, An accepta ex turpi causa restituenda sint. Et cui maximè discrepant inter se Doctores. Nam Innoc. in cap. Quia plerique de immunit. Eccle. q. 10. conclu. 3. Hostien. in cap Cum sit de iudæis. Palud. in 4. dist. 15. q. 7. Adria. in 4. in materia de restit. q. peculiari de his, quæ ob turpem causam accipiuntur, Sylu. verb. Restitutio, cap. 2. & §. 1. cap. 4. §. 1.

Medina C. de restitu. q. 10. dub. 2. volunt in vniuersum, quæ propter peccatum aliquod, vel ex turpi causa acquiruntur, simpliciter, & ante omnem iudicis sententiam restituenda esse. Ratio eorum est, precium acceptum pro re non habente precium restituēdum est, quo nomine vsurarius accipiens precium pro mutuo, & vendens carius propter expectatam solutionem, tenetur ad restituendum, quia nec mutuum, nec tempus illud per quod differtur solutio, sunt res precio æstimabiles, sed hæc duo rerum genera non habent precium, spiritualia, ob suam dignitatem, & peccata ob suam vilitatem, ergo accipiens precium, vel pro re spirituali, vel pro actu peccati, & turpi tenetur illud restituere.

Secundò, accipiens aliquid per contractum ipso iure omnino nullum tenetur ad illud restituēdum, quia per talem contractum non transfertur dominium, sed quando datur aliquid ex turpi causa, est contractus ipso iure nullus l. iurisgentium §. si ob maleficium ff. de pactis, vbi habetur titulum quo aliquid ob maleficium datur, esse ipso iure nullum, & l. generaliter. ff. de verb. signifi. dicitur, generaliter nouimus stipolationes turpes nullius esse momenti, ergo.

Tertiò cap. Cum sit de Iudæis, & Sarracenis, statuitur, vt quæ Iudæi, vel Sarraceni exercentes aliquod officium inter Christianos acquisierint, curent Episcopi in pauperes conuerti, ratio autem est, quia sicut illa officia inter Christianos exercere non poterant, ita quæ illis officij acquisierunt fuerunt illicitè ab eis acquisita.

Quartò, cap. Ad liberandam, eodem titulo habetur: vendentes arma Sarracenis esse excommunicatos, & lucrum itidem acquisitum esse restituendum, in subsidium terræ sanctę, vt illicitè, & turpiter acquisitum. Quintò, argumentatur Adrianus. Accipiens vt faciat bonum, quod alias tenebatur facere, tenetur ad restituendum, vt iudex, qui accipit aliquid, vt iustè iudicet, fur accipiēs aliquid, ne furetur l. 2. 3. 4. & vlt. ff. de condit. ob turpem causam, ergo a fortiori tenebitur etiam restituere, qui accipit aliquid, vt malū aliquod exerceat.

Denique, si turpiter acquisita non essent restituenda, sed tuta conscientia retinerentur, qui promitteret aliquid ob turpem causam, teneretur etiā illud adimplere, oppositum autem habetur 22. q. 4. can. In malis promissis rescinde fidem, in turpi autem voto muta decretum.

Quod si quæras ab his, cui sit facienda restitutio? Hostien. in illud caput, Cum sit, & est communis inter iuristas, docet restituendum esse pauperibus, videtur enim ita docere D. Aug. in can. Non sanè. 14. q. 5. Sylu. & Adria. locis citatis dicunt indifferenter posse restitui, vel pauperibus, vel ei, qui dedit. Hanc partem, vt possit fieri ei, qui dedit, nisi iudex oppositū præcipiat, amplectuntur nonnulli recentiores hac adducti ratione. Qui dedit aliquid pro actu turpi, & peccato, per talem donationem non transtulit, nec abdicauit à se dominium, vt constat ex l. illa Iurisgentium, & l. illa Generaliter, quæ magis explicantur l. Si quis, & l. Si flagitij ff. eodem titulo, vbi dicitur, si flagitij faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet, quæ desumpta sunt ex D. Aug. Epist. 54. ad Macedonium, quando autem, qui dat non transfert, nec abdicat a se dominium rei datæ, certum est manere illam semper sub ipsius dominio, & ipsi esse restituendam. Medina loco citato docet, si maleficium, ratione cuius datum est precium, iam factum sit, restituendum esse illud pauperibus, si verò nondum sit perpetratum, ei, qui dedit.

Secunda opinio est Caiet. in sum. Restit. cap. 4. vbi non obligat ad restituendum, quia detur aliquid ob turpem causam, vel finem, sed quando datio ipsa prohibita est. Quo posito distinguit de donatione prohibita nam aut hæc inquit, est iniqua, & prohibita tàm ex parte dantis, quàm accipiētis, vt in simonia, & cum datur aliquid pro corrumpendo iudice, & tunc restitutio facienda est illi, in cuius iniuriam aliquid datum est, vt in simonia, Ecclesiæ, in corruptione iudicis, illi in cuius iniuriam corruptus est, vel pauperibus, quòd si datio illa iniqua tantum sit, & prohibita ex parte accipientis, restituēdum esse illi, cui damnum aliquod sequutum est, id est danti, cui nocet, qui accipit, quod non potest accipere.

Tertia opinio est Angeli, qui verbo. Restit. primo, in versi. Turpe lucrum, distinguit inter accipiētem aliquid, vt exerceat aliquod peccatum, & accipientem aliquid, vt cesset, & abstineat à vexatione proximi, priorem illum vult nō teneri ad restituendum acceptum, in quam sententiam affert Card. in illud caput, Quia plerique, & eiusdem vult quoque esse Innocen. licèt alij aliter sentiant de Innocentio: Recipientem verò aliquid, vt abstineat à malo quod volebat proximo inferre, teneri ad restituendum iuxta Panor. c. Dilectus de simonia, huius discriminis causam assignat, quia qui dat. verbi gratia, Petro. 10. aureos, vt aliquod peccatum gratia ipsius exerceat, optat illud fieri, & liberè dat, & voluntariè, vt optata consequatur, & ita transfert dominium in accipientem saltem donec à iudice illa re expolietur, qui verò dat Ioanni. 10. aureos, vt cesset à damno, quod vult inferre, non dat illos voluntariè, sed quia ex iniquitate Ioannis non potest aliter ab eo obtinere, vt ab illo nocumento abstineat, redimitque illa via suam vexationem, vel proximi, deinde eodem verb. Restit. c. 2. nu. 4. docet debentem restituere rem acceptam ex turpi causa, si ita accepit, vt neque qui donauit, potuerit donare, debere restituere nō illi cui dedit, sed pauperibus, quia cum vterque in hoc casu turpiter se gesserit, vnus in dando, alter in accipiendo, neuter potest illud habere, immò si aliquis eorum posset, deberet potius habere, qui illud accepit, & accepit, & penes se babet, quàm qui dedit, cum in pari causa turpitudinis potior sit conditio possidentis, ac propterea dandum esse pauperibus, nisi datum sit in damnum tertij, quia tunc restituendum est illi, cuius iniu-

tia datum fuit, vel lex tribuit illud fisco, quod si solus accipiens turpiter se gessit in accipiendo, dans verò potuit donare, vt qui dat iudici, vt iustè iudicet, tunc restituendum esse danti, præterquam in casu cap. Cum si de Iudæis, vbi quæ infidelis lucratus est à Christianis occasione officij publici inter ipsos, præcipitur restituere pauperibus.

Quarta sententia est D. Tho. Soto lib. 4. de Iust. q. 7. art. 1. ad 2. vbi distinguit inter donationem quæ illicita est ex parte tantum accipientis & eam, quæ illicita est tam ex parte dantis, quam accipientis. In donatione prioris generis vult accipientem pecuniam, vt faciat, vel omittat, quod iam ex iustitia tenebatur aliàs facere, vel omittere, peccare mortal. tenerique ad restituendum, si non contemnetur à iudice, quamdiu autem non condemnatur posse illud retinere. Probat ex l. vt puta. ff. de cond. ob turp. causam, vbi danti aliquid Petro, vt faciat quod iam tenetur, vel nō inferat damnum quod volebat, datur actio ad repetendum quicquid hac de causa dedit Petro. Vnde arguit Soto. Si Petrus ipso facto teneretur restituere, lex non solum daret repetitionem contra Petrum, verum obligaret Petrum tanquam inhabilem ad recipiendum, ad statim restituendum, at solum dat actionem ad repetendum accepta ab illo, ergo ante condemnationem potest Petrus quæ accepit retinere.

Secundò, si ego in gratiam Petri abstineam ab homicidio, aliter illud omnino commissurus, quamuis lege Dei, & naturæ deberem ab illo abstinere, in hoc tamen casu nō abstineo nisi in gratiam Petri, sed hęc gratia, & obsequium, quod ipsi præsto, est precio æstimabile, cum sit actio illi vtilis & grata, ergo licèt pro tali gratia precium accipere, & retinere, donec iudex aliter præcipiat. Denique qui hac de causa aliquid alteri dat, liberè illi dat, neque aliqua est lex, quæ prohibeat talem donationem, nam si quæ, maximè illa, l. Vt puta, hæc autem solum dat repetitionem in iudicio, ne hac via iniurias quas mali alijs meditantur, vel fingūt precio vendat, est ergo illius quod accipit, donec iudex præcipiat restitui. In donatione verò secundi generis, quæ iniqua est ex parte vtriusq; & in damnum tertij, vt cum datur assassino, vt aliquem interficiat, aut corrumpitur iudex, testis, vel scriba, vult Soto accipientem teneri ad restituendum, quia per huiusmodi donationes non transfert dominium, vt habetur illa l. Generaliter, restituendum autem esse iudice condemnante fisco l. Multa. C. de modo mulc. ante iudicis verò sententiam ei qui dedit, quia cum lex, quæ præcipit illud dari fisco, & non ei qui dedit, sit pœnalis, non obligat, nisi adueniente iudicis sententia, qua deficiente restituendum est ei qui dedit. Quod si detur aliquid ita, vt vterque delinquat, sed non in damnum tertij, vt in stupro, tunc transferri dominium in accipientem, nec teneri ad restituendum, vt habetur l. Idem, de condic. ob turp. causam.

Vltima opinio est Didaci Couar. qui in Regul. Peccatū. p. 2. §. 2. nu. 7. ita distinguit, an res pro qua aliquid accipitur, est precio venalis, aut non, si venalis non sit, vt in simonia, in qua accipitur precium pro re spirituali, quæ nullum precium habet, & in pactione cum iudice, vt inique sententiam ferat, vel contra, cum sentētia precio ęstimabilis non sit, sic, inquit, accipiens tenetur ad restituendum pauperibus, quod si res, pro qua aliquid acceptū est, precio æstimabilis sit, quia in ea vsus corporis vel labor impenditur in ipso delicto, quāuis talis vsus sit turpis, & lege prohibitus, accipientē tamen aliquid pro tali vsu & labore, cū precio æstimari possit, non teneri ad aliquid restituendum acceptum.

Vt in tanta varietate opinionum quod verius est inquiramus, obseruemus primò, debitum restituendi in his quæ retinere non licet, non oriri ex eo quod res, pro qua precium accipitur, non habeat precium, multa enim sunt quæ precium non habent, sunt tamen ita precio æstimabilia, vt illud in quo a præsenti æstimabuntur, accipere liceat: cuiusmodi sunt vita, salus, libertas, scientiæ, sed sumitur debitū restituendi ex his radicibus. Primò, si habeas rem alterius, cuius dominium in te translatum non est, nec voluntate veri domini, nec auctoritate legis, qua nemini licèt alienum retinere. Secundò, si dedisti sub precio, quæ nec habēt precium, nec vllo precio æstimari possunt, vt tempus, vsum pecuniæ, hæc enim omnium gentium iure, & consensu nec habent precium, nec sunt precio æstimabilia, vnde illud commune omnium axioma, Pecunia non potest parere pecuniā. Tertiò, si accipias precium pro re quæ quamuis precio æstimabilis sit, iure tamen aliquo diuino naturali, vel humano gratis & sine vllo precio præstanda est, vt in collatione sacramentorum, de qua Christus [Gratis accèpistis gratis date.

Obseruemus secundò, donationem illicitam tribus modis illicitam esse posse, primò ex parte solius recipientis, vt quando datur alicui pecunia, vt exerceat id ad quod tenetur, vel abstineat à malo à quo tenetur abstinere, vt si dem iudici, vt seruet mihi iustitiam testi, vt verum dicat, & Petro, ne homicidium vel sacrilegium committat, hæc donatio est illicita, non ex parte dantis, quia ille dat bono fine, & nititur bonum, sed ex parte recipientis, quia accipit pro re ad quam iam aliàs, & sine vlla pecunia tenetur: Secundò modo potest esse illicita ex parte vtriusque tàm dantis quam recipientis, quia, vnus dat ob malum finem, vt cum tàm dans, quàm accipiens malum & turpem finem intendunt, quod potest adhuc bifariam contingere, vel ita vt res pro qua precium accipitur, quamuis sit precio æstimabilis, sit tamen in iniuriam & damnum proximi, vt cum dantur iudici, vel testi, aut scribæ munera, vt corrumpantur, vel assassino, vt occidat aliquem, vel ita vt res pro qua fit donatio, non sit quidem in iniuriam, vel damnum alterius, sit tamen res nullo precio æstimabilis, vt in simonia, sum dignus beneficio, do Episcopo pecuniam, hæc datio nulli est nociua, nec contra alicuius iustitiam, est tamen iniqua, quia do pro re quæ nullo precio est æstimabilis, sed gratis iure diuino conferenda.

Obseruemus tertiò, ad exercendum bonum, vel dimittendum malum, ratione cuius aliquid datur, recipientem illud bifariam teneri posse, vel ex iustitia, quo modo tenetur iudex reddere vnicuique suum ius, testis vocatus in iudicium verum dicere, & quiuis abstinere à furtis, homicidijs &c. vel ex charitate, quo modo tenetur diues succurrere indigēti, & quiuis homo non fornicari, non iurare, &c. Rursum in seruādis huiusmodi præceptis, aut parum vel nihil laboris & operæ impendi, vt in negatiuis, non occides, non furaberis, &c. aut vt seruentur, laborem, operas, vel expensas esse exhibendas, vt cum iudex multum debet laborare & consulere libros, vt rectè iudicat in causa proposita, cum testis è loco distanti cum labore, & expensis cogitur accedere, cum sacerdos cum labore, & expensis ducitur ad prædicandum, ad audiendas confessiones, vel ministranda alienis ouibus sacramenta.

Obseruemus vltimò, in hac quęstione apud omnes hęc certissima esse, primò stipendia tam publica, & regia, quàm particularia, quæ vel præcepta, & approbata consuetudine, vel statutis Reip. aut Ecclesiæ iudicibus, scribis, cōfessarijs, sacerdotibus, concionatoribus, & similibus sunt conferenda etiam in casu quo ex præcepto charitatis tenerentur sua munera exercere, iustè posse exigere, accipere, & retinere, quia sunt stipendia, & mercedes sui laboris, & operæ, [Et dignus est operarius mercede sua.

Secundò, certum est peccare mortaliter aliquid exigentem, vel accipientem pro re facienda, vel dimittenda, ad quam simpliciter tenetur ex iustitia, vel charitate sub pręcepto, vt qui acciperet pecuniam, vt audiat missam in festo, vt non iuret, non occidat, quia vendit virtutem,

tutem, cultum Dei, quæ nec venalia sunt nec, precio æstimantur.

Tertiò, certum est, posse exigi precium pro re quantumuis ex iustitia, vel charitate debita proximo, quando ad eam præstandam labore, opera & expensis opus est, nec pro his sunt à Rep. statuta stipendia, quo nomine medicus, & aduocatus possunt vendere suas operas, etiã si ex charitate tenerentur eis præstare, quia illę sunt precio æstimabiles, nec alia via remunerantur, vt habetur Cap. Non sanè. 14. q. 5. quod ita est accipiendum, vt isti proximo indigenti sub mortali succurrant, non tamen gratis, sed accepta solutione, si indigens habeat vnde soluat, vel expectata, si iudicatur deinde habiturus quod si tam inops sit, vt neque in præsenti habeat, nec postea sit habiturus, tunc simpliciter debet illis gratis succurrere, vt patienti extremã necessitatem, sicut habẽt DD. in disputatione de eleemosyna. Similiter iudex, & scriba si operas extraordinarias, & labores, ac expensas facturi sunt, possunt accipere, & exigere pecuniam seruata æquitate præter sua stipendia ratione laboris, & operæ, quæ in solitis stipendijs non includuntur: Testis quoque, qui vt verum dicere accedat, laborem, & expensas passurus est, potest iustè exigere, & accipere solutionem sui laboris, & expensarum, vt habetur c. Statim §. Pro testimonio, Extra de rescriptis. Etiam si præcepto charitatis, aut iustitiæ teneretur illud testimonium ferre, vt habetur l. Si pater. ff. de donationibus, & l. Nemenius, Et l. Alimenta. ff. de rebus gestis.

CONCLVSIO I.

Non omnis stipulatio mala est irrita, nec omnis donatio, aut pactum, quod celebratur cum peccato est inualidũ.

PRobatur in inductione, donatio prodiga, & in damnum sancti hæc iure naturæ est mala, & peccatum, & nihilominus est valida, transferturque per ipsam dominium: collatio beneficij in vtilitatem cõmunem instituti facta digno relicto digniori est mala, & iniqua, vt videbimus, est tamen valida ob periculũ animarum, similiter si quis post sponsalia de futuro cum vna, ducat aliam, vel post emissum simplex votũ castitatis nubat, peccat, est tamen matrimonium validum.

CONCLVSIO II.

Stipulatio seu pactum de re turpi siue sit contra iustitiam, siue contra charitatem, siue contra quamcunque aliam virtutem, ante rem completam nullius est valoris, nec obligat, imò est rescindenda.

PAter, quia si votum, & iuramentum de re illicita non obligat coram Deo, imò est rescindendum, à fortiori mulier quæ pro re aliqua promisit fornicari, tenetur nullo modo stare promissis, sed rem illam restituere, & ab illa fornicatione omnino abstinere, & in vniuersum sicut anathema est qui dixerit, Deum præcipere impossibile, ita quoq; anathema est qui dixerit hominem vi alicuius stipulationis, promissionis, vel pacti obligari ad rem turpem faciendam. De his loquitur canon ille, In malis promissis, &c.

CONCLVSIO III.

Qui accipit precium, vt agat, vel dimittat rẽ ad quam sic agendam vel dimittendam tenebatur ex iustitia quia aliter cederet in damnum proximi, tenetur illud statim ex natura rei, & ratione iniquæ acceptionis restituere.

VT si quis accipiat pecuniam, ne occidat fratrem, vel vt persoluat debitũ, aut vt iustè iudicet. Hęc est contra D. Soto, habent tamen illam Glossa in illa l. vi puta, & omnes ferè Summistæ, vt concedit ipsemet Soto & plerique ex recentioribus. Et probatur efficacissimè. Precium acceptum pro re gratis debita, & facienda restituendum est necessariò ipso facto ex natura rei, sed in casu huius conclu. id quod faciẽdum est, vel dimittendum, debet omnino ita fieri, vel dimitti ex iustitia, ac propterea gratis & sine vllo precio faciendum, ergo si quid pro tali re accipiatur restituendum est necessariò ipso facto: Minor sumitur in ista conclusione. Maior probatur. Quia res quæ necessariò gratis facienda est, eo ipso quo gratis fieri debet, nec habet precium, nec est precio æstimabilis quo ad contractus humanos, etiam si secũdum se sumpta posset precio æstimari, vnde sumere aliquid pro illa, est sumere precium pro nihilo, & maxima inæqualitas, quæ necessariò & ex natura rei reducenda est per restitutionem ad æqualitatem. Secundò, in casu huius conclu. cum teneatur iste qui accepit pretiũ, aliàs iam rem illam facere, vel omittere ex iustitia commutatiua, accipere pecuniam pro tali re faciẽda vel omittenda est agere contra iustitiam commut. Sic autem agẽs tenetur simpliciter & absolutè ad restituendum, ergo. Et confirmatur, quia sic accipiens facit vt alter habeat minus quam debet habere. Patet, quia cum sic accipiens deberet iam gratis ex iustitia illa præstare, qui aliquid propterea ei dat, dat quod reuera non debebat illi dare, vnde in eo quod sic illi dat, habet hic minus quàm deberet habere.

Tertiò, si iudex aliquid accipiat, vt iustè iudicet, tenetur illud restituere, vt docet D. August. Epist. ad Macedonium & habetur c. illo Non sanè. Similiter ex eodem D. Aug. eodem loco, si testis aliquid accipiat pro dicenda veritate, quam debet dicere. Et qui sufficientia habent stipendia suorum munerum, si vt illa exequantur, aliquid aliud accipiant, tenentur illud restituere, vt docet ibidem D. Aug. in illud Luc. 3. Contenti estote stipendijs vestris. Vt habetur x 3. q. 1. can. Militare. Et 1. q. 1. can. Iubemus, additque D. Aug. teneri hos ad ista restituenda; non minus quàm latrones quæ furto acceperunt. Et confirmatur. Recipiens precium duplicatum pro re aliqua, tenetur illum excessum restituere, sed iudex qui iam habet stipendia à Repub. vt iustè iudicet, si aliquid accipiat à litigante, perinde se habet ac si acciperet precium duplicatum, ergo. Similiter omnium DD. consensu si habens mutuum vel depositum Ioannis aliquid accipiat, vt illud reddat domino suo, tenetur acceptum restituere, non solum in foro interiori, verum etiam in exteriori. Et eodẽ modo vxor quæ nollet viro suo debitum reddere nisi aliquid ab eo acciperet, aut subditus qui nollet debitam obedientiam superiori suo seruare, nisi aliquo precio accepto. Nec alia redditur à DD. causa, cur omnes isti sic accepta restituere teneantur, nisi quia acceperunt pro re ad quam præstandum iam tenebantur gratis, & ex debito iustitiæ. Idem iudicium est, si quis aliquid accipiat, vt adimpleat votum quod emisit, vel diues, vt eleemosynam largiatur extremè indigenti, vel Episcopus, vt conferat beneficia quę debet conferre.

Quartò, Tota ratio, ob quam simoniacus obligatur ad restituendum, est hæc, quia accepit precium pro re spirituali ad quam tenebatur gratis. Et quod fortius est, eadem quoque ratione tenetur vsurarius restituere lucrum vsurarium quia accepit illud vt precium mutui, quod debebat gratis præstare, dicente Christo: mutuum date nihil inde sperantes, cum tamen non teneretur ex iustitia mutuare. Et confirm. concedunt ipsemet Soto & qui illum sequũtur, si dem aggressori mihi in itinere occurrenti pecuniam ne me occidat, vt redimam meam vexationem, aut alicui vt debitum, vel depositum meum mihi restituat, teneri illum ad restituendam pecuniam quam à me accepit, quia ad ista iam ille tenebatur gratis iure naturæ, nec sunt venalia, nam similiter si pecuniam à me accipiat, ne alteri noceat, tenebitur ad illam restituendam, cum cuiuis debeat gratis non nocere, sitque in omnibus par ratio.

Denique

Denique, si paterfamilias largiatur procuratori 100. aureos, vt eos in pauperes distribuat, & procurator aliquid acciperet, vt illos distribueret in pauperes, tenetur acceptū restituere, nec alia causa dari potest, nisi quia debet illos distribuere gratis, ita quod lege 2. & vlt. ff. de conditionibus ob turpem causam, dicitur, si dedi tibi pecunias, ne sacrilegium facias, ne furtum, vel homicidium committas, pecunia illa repeti potest, intelligendum est in foro exteriori hac lege.

Vnde falsum est quod sumit Soto in suo primo argumento ex illa lege, Vt puta, tantum dari repetitionem, non autem prohiberi translationem dominij, nec leges istas reddere huiusmodi homines inhabiles ad ista accipienda, Primò, quia lex ciuilis cum tantum cōsideret actus externos & forum iudiciale, in quo facienda est repetitio, non autem forum interius, ad quod pertinet obligatio restituendi, meritò solius meminit repetitionis, Secundò, quia etiam si aliquando leges in iniustè acquisitis vtantur voce sola repetitionis, vt in ista lege vltima de cōditionibus ob turpem causam, & lege prima eiusdem tituli, vbi habetur: vt si quis per vim vel fraudem, stipulationem extorsit, detur repetitio, nihilominus iniustè acquisita restituēda sunt, etiam si non repetantur. Tertiò, quia nos non probamus nostram conclusionem ex vi legum, sed ex natura rei, & stando in iure naturali, ut ex argumentis & doctrina D. Augu. constat, quia sic accipientes accipiunt cum magna inæqualitate, cum accipiant pro re, cui ex iustitia nullum precium debet assignari.

Similiter soluitur secunda ratio eius, nam etsi daremus istam voluntatem & actiones secundum se & in esse naturæ posse æstimari precio, vt vtiles, at cum ex iustitia gratis debeantur, in genere moris & quod ad contractus humanos nec habet precium, nec possunt, nisi contra iustitiam, precio aliquo æstimari, sicut spiritualia.

Ad vltimum dico, ita dantem non dare voluntariè, nec liberè simpliciter & omnino, sed cum quadā coactione, & veloti ad redimendam suam vexationem, quia alter non vult gratis illa præstare, sicut deberet.

Sed quo hic explicanda sunt, antequam ad alia progrediamur. Prius, qui ita accepit pro re quam gratis, & ex iustitia debebat facere, vel omittere, cum teneatur restituere, cui restituet, fisco ne, an pauperibus, an illi qui dedit? Præterea, an peccent qui ita dant, maximè qui dant iudici, vt iustè iudicet, vel testi, vt verum dicat.

Priori quæsito dico, adueniente iudicis sententia illi restituendum esse, cui iudex præceperit, quia iudicabit secundum leges, quæ habent auctoritatem disponendi in his ad obuiandum ne talia precia accipiantur, ante iudicis verò sententiam, illi qui dedit. Primò, quia iudices illi solent præcipere fieri restitutionē, cum leges illæ de condicionibus ob turpem, ei qui dedit, concedant repetitionem, Secundò, quia ille non transtulit à se dominium, sed manet apud ipsum, cum ille cui dedit, non potuerit recipere, nec lex aliqua per talem donationem expoliet dantem domi nio suæ rei.

Ad posterius dubium dico, dare pecuniam, ne alter committat malum, aliter commissurus, aut vt exerceat bonum reuera bonum, aliter illud non executurus, non esse peccatum, imò meritum, quia finis est bonus, & medium licèt ex parte accipiens sit illicitum, ex parte verò danus licitum, tum quia licet vti malitia alterius, quam non mea inductione, sed sua iniquitate habet ad bonum finem, sicut licet accipere ad vsuram ab eo qui paratus est ita dare. An autem iudici, vt iustè iudicet, liceat dare, Quæstio est.

Nam Soto loco citato, quem sequuntur nonnulli, vult id non licere, quia si id liceret, certè non alio nomine, quam ad redimendam propriam vexationem, nempe, vt iudex meum ius mihi tribuat, redimere propriam vexationem non licèt, nisi quando iam habemus ius apertè acquisitum, quod nemo potest apertè scire, cum in propria causa nullus sit æquus iudex.

Secundò, quia daretur maxima occasio ad corrumpendos iudices titulo redimēdæ propriæ vexationis.

Volunt alij id licere, quando litigans certissimo nouit se habere ius, & prudenter timet iudicis iniquitatem, primò quia leges humanæ, & diuinæ grauius prohibent dari aliquid prælato pro beneficio, quàm iudici, vt dicat ius, at quando apertum est, me habere ius in beneficium, licet dare prælato, cuius iniquitas timetur, ad redimendam propriam vexationem, & ergo & iudici in hoc casu.

Secundo, petere à iudice non vt sententiam pro me ferat, sed iustè iudicet, & reddat mihi meum ius, est iustum, & optimum, dare illi est vti malitia eius in bonum finem, quod maximè licet, vt hoc præstet, cum timeo, aliter non redditurum mihi meum ius.

Tertiò, sic est prohibitum munus à lingua, sicut munus à manu, sed licet quærere amicos iudicis, qui illum deprecentur, vt reddat mihi meum ius, ergo, & licebit idem muneribus, & donis ab illo emi. Hæc sententia in hoc sensu, non vt pro me iudicet, sed vt conferat mihi ius, quod habuero, quando illius iniquitatem prudenter timeo, probabilior est.

Ad argumenta Soti. Ad primum respondeo, cum ego non dem, vt in fauorem meum iudicet, sed vt non expoliet me iure quod habeo, quod prudēter timeo, nisi dona illa conferam, tunc reuera me redimere meam vexationem.

Ad secundum dico, non corrumpi iudicem hac via, cum nō dem vt pro me iudicet, sed vt iustè agat, quem timeo sua iniquitate corrumpendum.

CONCLVSIO QVARTA.

Accipiens pecuniam pro re, quam tenebatur facere, vel dimittere ex præcepto charitatis, tenetur quoque pecuniam illam restituere ei a quo accepit.

Patet ex dictis, quia licèt maior obligatio consurgat ex debito iustitiæ, quàm ex debito charitatis, at nihilominus, quæ ex præcepto charitatis debemus, gratis etiam tenemur facere, quo nomine probant Doctores contra Adrianum in disputatione de eleemosyna extremè indigenti ditem gratis debere date, & non sub conditione recipiendi, si quando ille indigens ad pinguiorem venerit fortunam: pro his autem ad quæ gratis tenemur nihil omnino accipi potest, vt precium, ergo qui ita accepit, ipso facto tenetur restituere illi qui dedit, cum per donationem, & contractum, qui ipso facto est nullus, non transferatur dominium, sed maneat apud priorem dominum, nisi lex, aut consuetudo recepta, & approbata, quæ habeat vim legis, dominum quoque ipsum in pœnam illius iniquæ donationis sua re expoliet, & in pauperes, vel fiscum conuertat, quod hic non contingit.

Secundò, qui dat inuoluntariè saltem, inuoluntariè mysto non transfert dominium, sed in hoc casu, qui dat inuoluntariè, dat vt alter præstet, cum reuera optaret illum ita esse benè affectum, vt sine precio id præstaret. Dixi in precium, quia dono gratuito, & liberali potest quis ex beneuolētia, & grato animo dare alicui pro re aliqua, etiamsi ad illam ex charitate teneretur, nisi his quibus lex, vel princeps, neque via gratuitæ donationis vult aliquam conferri, vt iudicibus, testibus, & similibus, de quibus copiosè suo loco.

Hæc quarta conclusio, est non modo cōtra Sotum, verum etiam contra nonnullos recentiores, qui in præcedenti conclusione discrepant à M. Soto, in hac tamen conueniunt cum illo adducti hac ratione, quia diues, inquiunt, potest accipere pecuniam, vt det panem extremè indigenti, cui tenetur dare ex charitate,

te, quæ ratio fallax est, imò includit cõtradictionem, nam si teneatur dare ex præcepto, cum datio dicat gratuitam, & liberam exhibitionem, non potest vendere, nec accipere pecuniam, si potest accipere, non teneatur dare, est enim axioma certissimum in hac materia, Quæ aliquo iure gratis tenemur præstare, non possumus vendere, nec pro eis pecuniam accipere, quia esset aperta contradictio.

Hæc etiam conclus. intelligenda est absolutè, stando in iure naturali, nam stando in positiuo in foro exteriori & iudiciali non datur repetitio, quando pecunia data est, vt alter præstet quod tenetur ex charitate, sed tantum datur quando quis dedit pecuniam alicui pro eo ad quod tenebatur ex iustitia. Dedi tibi 100. ne occidas, possum illa repetere, dedi illi 100. ne fornicetur, non datur repetitio in iudicio de priori enim est lex illa Vt puta, vbi expressè dicitur huiusmodi precia accepta pro opere malo, cum alterius iniuria est coniuncta, posse repeti, de illis quæ non sunt cum iniuria proximi, neque illa lex, neque alia ciuilis loquitur, & cum lex ista pœnalis sit, ad eam tãtom extendenda est, quæ exprimit, nõ ad alia. Et ratio est apertissima, quia cum lex præcipuè intendat pacem publicam, id maximè obtitur, vt cines contineat ab iniuria inferenda, ad quod vt homines sua sponte assuescant, & non precio, quia qui precio abstinent, parati sunt iniuriam alijs inferre, & ex consequenti facilè inferret, noluit, vt qui pro huiusmodi operibus malis quibus alijs noceretur, dimittendis pecuniam acciperent, vocati in iudicium teneantur illam restituere, de alijs verò quæ non sunt in aliorum iniuriam, nihil tale statuit, cum ea non ita noceant Reip. paci, & tranquillitati.

CONCLVSIO V.

An pecunia accepta pro opere peccati, & merces prauí operis, cuiusuis generis sit peccatum illud, siue contra iustitiam, vt si iudex accipiat vt iniquè iudicet, assassinus, vt alium occidat, siue contra charitatem, vt mulier accipiens, vt fornicetur, stando in iure naturæ solo non est restituenda, sed accipiens illam ab eo qui potuit & voluit date potest retineri.

AD intelligentiam huius conclusionis & aliarum rerum. Obseruemus hic primò precium rei dupliciter considerari posse, vno modo absolutè sine vlla comparatione ad aliud, vt dicit perfectionem naturalem ipsius rei, quomodo consideratur precium rei viuentis, quæ in se continet maiorem perfectionem naturalem quouis non viuente, nempe vitam, alio modo sumitur precium rerum, non ex perfectione ipsarum, sed ex ordine, & habitudine ad vsus humanos, quo modo quæ vtilior est nostris vsibus, iudicatur preciosior, & maioris valoris qua ratione agit de precijs rerum philosophus moralis, & nos hoc loco.

Obseruemus secundò, res esse vendibiles & æstimabiles precio quatenus ad hoc secundum, caput nempe quatenus deseruiunt humanis vsibus, habere ortum ex hominum indigentia. Etenim si vnusquisque ita sibi esset sufficiens vt nulla re egeret, nulla esset commutatio, nulla emptio, aut venditio, & ex consequenti nullæ res vendibiles, nullaque ipsarum precia, cum vllia hominum vsibus haberi precium, & quo vtiliora, maioris precij, & carius vendibilia, quamuis secundariò augeatur etiam precium ex circunstantijs, vt labore, difficultate, periculo, sumptibus & alijs quæ rem illam vtilem comitantur, primariò autem & præcipuè sumitur ex vtilitate.

Ex quo sequitur primò, vt quæ res nullo modo est vtilis, quantumuis sit coniuncta cum labore, periculo, industria, &c. nullius sit pretij in commutationibus, & contractibus humanis, quæ verò vtilis est, licèt sit factu facillima, sit aliquo precio digna, vnde quodcũq; opus siue bonum, siue, malum, siue naturale, siue supernaturale, siue spirituale, siue corporale, si vtile sit, & proficuum vsibus humanis, natura sua est precio æstimabile, & vendibile.

Sequitur secundò, opus peccati licèt ea parte qua peccatum est, & offensa Dei, inutile sit ad vitam æternam, & nullius precij, qua tamen est actio quædam mihi vtilis, & ad meos vsus, vel in ordine ad bona temporalia, vel ad honorem meum, & vindictam, vel ad aliquam delectationem, & voluptatem, natura sua esse alicuius pretij, & vendibile, maximè, si aliquem laborem, difficultatem, periculum, vel expensas habeat coniunctas, cum nullum sit præceptum, vt tale opus gratis fiat, imò, vt non fiat.

Obseruemus vltimò, quamuis omne opus vsibus humanis vtile sit alicuius precij, & vendibile secundum se, & à parte rei, iure tamen positiuo, quia lex respicit pacem Reip. & tranquillitatem ciuium, hoc discrimen esse inter actus malos, quibus alijs infertur iniuria, & nocumentum, & eos qui non habent coniunctam iniuriam, vt priores (quod potest lex ob bonum commune) reddiderit in vendibiles, vel quia eos voluit esse nullius precij, vt homicidium, vel quia contrahentes reddiderit inhabiles, vt iudicem ad aliquid recipiendum pro iniusta sententia, posteriores verò, vt fornicationẽ, ludum, cum per hos nulli iniuria inferatur, reliquerit in sua natura, ita vt si venales sint, venales maneant.

His positis probatur iam apertè ista quinta conclusio. Quamuis actus prauus formaliter sumptus, qua offensa Dei est, & deuiatio à lege æterna, nullius sit valoris, & precij, imò actus maximè vilis, materialiter tamen consideratus, quomodo attenditur ab illis, qui tales actus malos, & illicitos exercent accepta pecunia, est actio humana facienti illam voluntaria, cum labore, & periculo coniuncta, & ad quam nulla lege gratis tenetur, illi autem pro quo fit vtilis, ergo talis actus, hoc modo materialiter consideratus, quomodo attenditur ab hominibus, est precio æstimabilis, & vendibilis secundum se, & à parte rei, & consequenter stãdo in iure naturæ accipiens pro illo pecuniam, non tenetur restituere.

Et confirmatur, occisio hominis facta à ministro iustitiæ est opus vendibile, ad quod faciendum conducitur precio minister, ergo, & facta à priuato homine est opus secundum se vendibile. Patet. conseq. quia quantum ad vsus humanos, vnde sumitur precium, & valor rerum, opus est eiusdem rationis, & speciei.

Secundò, homicidium, falsum testimonium, & periurium, quæ in aliorum obsequium fiunt, non sunt minoris æstimationis apud homines, nec minoris vtilitatis ad suas vindictas, & cupiditates, quam fornicationes, & stupra ad suas voluptates, nec minus adhibent illi suas operas, & labores, ac cum maximo periculo, vt seruiant honoribus, vindictis, & cupiditatibus illorum à quibus accipiunt pecuniam quam meretrix, vt seruiat voluptati fornicationis, sed ex cõmuni Theologorum sententia, vt statim videbimus, meretrix, & quæuis mulier soluta potest accipere propter fornicationem, & stuprum, suntque ista peccata vendibilia ex se, ergo, & illa prima.

Sed contra hanc conclusionem obijci primo potest illud D. Aug. ex epistola ad Macedonium, quod habetur c. Non sanè, vbi ait: iustius dicitur aduocato, redde quod accepisti, quando in iudicio contra veritatem stetisti, iudicem fefellisti, iniustã causam vicisti, iustius, inquam, dicitur quam cuique in quolibet officio mili tanti, redde quod accepisti, quando iubente iudice homine vinxisti, & in iudicium adduxisti, & ne fugeret, tenuisti. Ex quibus verbis. D. Aug. sic argumentantur, si iustum est, vt minister iudicis restituat quod accepit pro capiendo nefario homine, & carceri tradẽdo, qui actus non fuit malus, & iniquus, sed iustus, & similiter iudex

iudex si accepit pro condemnando delinquente: ergo multò fortius tenebitur aduocatus restituere, quæ accepit pro iniusto patrocinio, & similiter si tenetur iudex restituere, quæ accepit pro sententia iusta, multò potius accepit pro iniusta, & iniqua.

Respondeo ex contextu illius epistolæ colligi apertè D. Aug. ibi non loqui secundum ius naturæ, sed iuxta leges ciuiles, quas ibi tacitè reprehendit, quia secundum ipsas potest reperi, quod dantur iudici pro iusta sententia, non autem quod aduocato pro iniusto patrocinio, cum de vtroque idem esset statuendum, vnde cum dicit iustius esse, intellige iustius esse, vt id leges ciuiles præciperent.

Quod si quæras, cui iudex tenetur restituere, quod accepit pro iusta sententia, non aũt quod pro iniusta stando simpliciter in iure naturæ? Respondeo, quia sententia iusta, cum sit ex iustitia, & officio gratis ferenda, nec vendibilis est, nec pretio æstimabilis, iniusta verò, etsi nullo modo ferenda sit, si tamen feratur, est actio precio æstimabilis, & vendibilis secundum se, vt ex dictis constat.

Obijci secundò potest; Iudas proditor Christi ante omnem legem ciuilem stando in solo iure naturæ, & dictamine propriæ conscientiæ, non est ausus retinere precium sanguinis, sed illud reddidit ijs à quibus acceperat, ergo etiam stando in iure naturæ est restituendum acceptum pro peccato, maximè si sit illud cum iniuria fratris.

Respondeo primò, non esse sumendum exemplum ex Iuda homine adeò iniquo. Secundò dico: naturale esse hominibus aliquo graui affectu, & mærore correptis plura ipsos facere, quàm teneantur, illo mœrore perturbatos, & incitatos, & ita Iudam vehementi mærore de suo facinore affectum non solum id præstitisse ad quod non tenebatur, verum etiam quod non debuisset facere, nam laqueo se suspendit. Dico tertiò, Iudam illud precium reddidisse non tam suo iudicio, quã diuina ordinatione, vt inde emeretur ager ille in sepulturam peregrinorũ iuxta Prophetæ vaticinium, quia sanguis Christi peregrinis huius seculi, & ciuibus cęli quorum conuersatio in cœlis est, erat profuturus.

CONCLVSIO VI.

Quamuis accepta pro opere iniquo iure natura liceret retinere, lege tamen ciuili & merito, quæ pro illo accipiuntur, quando est in damnum alterius, & contra iustitiam, sunt restituenda.

PAtet ex illa l. multa, C. de modo mulctandi, vbi sic acquisita adiudicantur fisco, vt quę iudex pro iniqua sententia accipit, quæ testis pro falso dicto, quæ assassinus pro homicidio, & similes, & de his intelligenda est lex illa, Generaliter, de verborum obligationibus, cum dicit, turpes stipulationes esse nullius momenti, agit de illis quæ sunt in aliorum iniuriã. Idem habetur apertè in illo c. Non sanè, cuius decreti ratio est, quia licèt istæ actiones prauæ secundum se, vt constat, vendi possint, hac tamen lege arcentur magis homines ab illis committendis, cum pretium pro eis accipere, vel retinere non possint, quod si possent, facile ad illa perpetranda ducerentur.

Sed est hic quæstio, teneantur ne qui huiusmodi res acceperunt, statim illas restituere, an post iudicis sententiam? Videtur enim hoc posterius dicendum, quia isti non tenentur restituere iure naturæ, sed per leges humanas, quæ cum pęnales sint, non obligant nisi adueniente iudicis sententia.

1. Dico nihilominus sic acquisita statim, & ante iudicis condemnationem esse restituenda ei qui dedit, adueniente autem condemnatione fisco, vel cui iudex iusserit statim esse restituenda. Patet, quia communis peritorum consensus, & approbatã consuetudo est optima legum interpres, leges autẽ quibus nititur hæc sexta conclusio, sic ab omnibus intelliguntur, & recepta consuetudine obseruantur, vt reddant talia exercentes inhabiles ad aliquid accipiendum, vt pretium, quando autem lex reddit aliquem sic inhabilem, non transfertur in ipsum dominium rei, quam accipit, sed tenetur eam statim restituere, vt alienam.

Quod autem teneatur restituere illi, qui dedit ante condemnationem, patet, quia dedit, cum non potuerit transferre dominium illius precij in accipientem, vt redditum lege inhabilem, nec lex aliqua ante condemnationem iudicis expoliat ipsum re sua, sed manet dominus illius rei, sicut antea, restitutio autem facienda est vero domino. Vnde D. Aug. in illa Epistola ad Macedonium ait: si clientulus dedit aliquid aduocato, vt illi malè patrocinetur restituendum illud est ipsi clientulo, non pauperibus.

Ad arg. aũt in oppositum respondeo, legis illas pęnales eẽ, sed diuersimodè collatas ad diuersas personas, nam respectu accipientis non tàm sunt pęnales, quàm reddentes illũ inhabilẽ ad accipiendum, quæ pœna & inhabilitas, cum consistat in priuatione, statim ipso facto & ante condemnationem incurritur. Quo fit, vt nec recipere possint, nec retinere, respectu autem dantis sunt propriæ pœnales expoliantes illum re illa, pœnam autem, quæ consistit in expoliatione rei, vt supra vidimus, nemo tenetur luere, neq; exequi in seipsum, nisi adueniente condẽnatione, & ex consequenti, vt talia dentur fisco, expectãda est iudicis sentẽtia.

Nunc ad argumenta initio huius q̃nis proposita.

Ad primum, in primis ad illa primæ opinionis patet ex dictis, peccata, pro quibus dicimus precium sumi posse, & retineri, licèt non habeant precium aut valorem, vt sunt peccata & turpitudines, sunt actiones humanæ, liberæ & volũtariæ, gratis factæ, & cum labore ac periculo, ac vtiles & in vsus eorum qui pecuniam pro illis exhibent.

Ad Secundum, ex l. Iurisgentium & l. Generaliter, &cæt. dico verum sensum istarum legum explicatum iam esse in sexta conclu.

Ad Tertium & quartum respondeo, leges illas pontificia esse particulares erga Iudæos & Sarracenos, & obseruandas iuridicè, factoque processu, ex illis tamẽ particularibus non benè infertur omnem pecuniam pro actu prauo aut turpiter acquisitam esse restituendum. Nam iudicem accipientem pro iusta sententia dicimus teneri ad restitutionem simpliciter & ex natura rei. Eundem verò accipientem pro iniusta sententia dicimus, & stando in eodem iure non teneri cum ex vno particulari non benè sequatur multò minus regula vniuersalis.

Dico secundò, illos teneri ad restituendum, quia erant inhabiles ad illa acquirenda, Iudæus enim, vel Sarracenus est inhabilis ad exercendum officium publicum inter Christianos, & consequenter ad acquirendum aliquid eo nomine, similiter cum Christianus non possit vendere arma Sarracenis, si vendat, est contractus lege iustissima nullus & inualidus, & quæ per illum acquiruntur restituenda. Idem quoque censendum est quotiescunque lex reddit inhabilem ad accipiendum aliquid pro opere prauo.

Ad quintum, constat iam qua ratione pro bono ad quod iam aliquis tenebatur, nihil omnino accipi possit, simpliciter & absolutè, pro opere verò iniquo stando in iure naturę accipere aliquid liceat, quamuis merito iure humano sit prohibitum.

Ad vltimum constat solutio ex secunda conclusione, vt ex supradictis de promissione, ante completam conditionem pacti vel stipulationis turpis nihil licere dare, aut accipere, sed rescindendam talem stipulationem esse, illa verò cõpleta & posita in actu adimplendã esse non intuitu peccati, sed fidei datæ, vt diximus. Aliarum opinionum argumenta in singulis conclu-

sionibus

sionibus hic positis diluta sunt, videbatur nunc postulare hic locus, explicaremus acquisita per simoniam cui sint restituenda explicabimus tamen illud copiosè secundo volumine horum commentariorum quæst. 100. D. Tho. vbi abundè differemus de simonia. Nunc priuatim videamus.

Controuersia Quarta.

AN QVAE MERETRICES ACQVIRVNT per fornicationem, possint tuta conscientia accipere, & retinere.

CAiet. supra. q. 32. art. 7. constituit donationē, vt legitima sit debere fieri ex re propria, & similiter venditionem, vt legitima sit, debere fieri de re, quæ natura sua emi possit, vnde infert, quando id quod datur, vel accipitur, est alienum, aut id quod venditur, non est venale, sic acquisita esse necessariò restituenda, quia talis acquisitio est de materia indebita & illicita, qua ratione inquit, acquisita per simoniam sunt obnoxia restitutioni, talisque acquisitio illa est illicita, quia emitur ac venditur in ea quod venale non est, quandò autem quod datur eius est qui dat, & quod venditur, & precio æstimabile quamuis aliàs sit malum & peccatum, sic acquisita non esse restituenda, quia talis acquisitio non est de se mala cum fiat de materia debita & detur in ea quod proprium est, vel vendatur quod est venale, & in hoc genere, inquit, est quæstus meretricis, est enim res quæ emi potest, & vendi, ac precio æstimati.

Sed hæc doctrina Caiet. non satis rem explicat, non enim sufficit id quod dat esse proprium esse, & id quod venditur esse precio æstimabile, vt acquisita non sint obnoxia restitutioni, sed exigitur præterea, ne res illa debeatur gratis, tum etiam ne acceptio, vel datio sit lege prohibita, acquisita enim per simoniam non ideo restituenda, quia res spirituales non sunt precio æstimabiles, & venales secundum se, sed quia natura sua gratis conferendæ sunt, aliàs enim precio æstimabiles sunt, vt vidimus, cum sint vtiles vsibus humanis, similiter quæ dantur falsis testibus, aut iniquo iudici, aut assassino ex proprijs dantur & pro re venali, vt vidimus, & restituenda sunt nihilominus, quia lege prohibitum est aliquid pro huiusmodi dare aut accipere. Vnde non sufficit donationem fieri ex proprijs & pro re venali, vt acquisitum non restituatur, vt vult Caiet.

Ioannes Medina. C. de rebus restit. q. illa 20. statuit dupliciter actum aliquem esse malum, & turpem, aut secundum se & ab intrinseco, vt furtum, blasphemia, aut ab extrinseco aliqua circunstantia loci, temporis vel personæ, vt emere & vendere in die festo, vel loco sacro, aut inter clericos, emptio, inquit, & venditio rei, quæ secundum se non est intrinsecè mala & facta iusto rei precio inter eos, qui sunt domini suarum rerum, intrinsecè & secundum se mala non est, nec iniqua, sed extrinsecè tantum, quia non sit loco, vel tempore decenti, emptio verò & venditio rei intrinsecæ & secundum se malæ, mala & iniqua similiter est.

Hoc supposito habet tria. Primò, acquisita per actū malum ab extrinseco non esse restituenda, quia talis contractus iustus est, & iniquitas in sola est circunstantia, quomodo mercenarius, qui locauit suas operas in die festo, non tenetur mercedem pro illis acceptam restituere, quia quod ibi precio æstimatur, non est violatio diei festi, quæ est mala, sed labor ille vtilis locanti, & ideo precio dignus, ac venalis.

Dicit secundò, acquisita per actum intrinsecè malum esse restituenda, quia talis actus nullius est precij, sed sicut habet intrinsecam malitiam, & iniquitatem, ita quoque intrinsecam iniustitiam, si quid per illum accipiatur.

Addit tertiò, acquisita per hos actus non vi precij, sed vt libera & gratuita donatione non esse restituenda, vt si quis post pactatum flagitium det alicui 100. non vt precium flagitij, sed liberè, & voluntariè, non est illud restituendum. E quibus infert acquisita per meretriciū sāquā actū precium illius turpitudinis esse omnino restituenda, si verò liberè & voluntariè data sint, nequaquam. Et quia verisimile est accedentes ad meretrices volūtariè & liberè illis dare ideo vt in plurimum non esse ipsas obligandas ad restitutionem.

Secundum dictum cōfirmat multis. Primò, precium pro iniusta sentētia, pro periurio testis, pro homicidio restituendum est, quia pro re intrinsecè mala, ergo & pro meretricio. Et confirmatur ex l. Mercalem. C. de cond. ob turp. caus. & l. Iuris gentium, ff. de pactis, vbi habetur nil accipi posse pro maleficio. Secundo, non licet vxori accipere precium, vt soluat debitum viro, quod est licitum, ergo nec meretrici, vt det corpus suū fornicario, quod est adeò illicitum. Sic enim arguit D. Aug. can. illo. Non sanè, non licet iudici accipere, vt iustè iudicet, ergo neque vt iniustè. Tertiò, non licet accipere pro spirituali, quia ob suam dignitatem non est venalis, ergo neque ob fornicationem, quę ob suam vtilitatem venalis quoque non est, iuxta illud, precium scorti vix est vnius panis.

Quartò quando inter precium & rē quæ venditur, non seruatur æqualitas, restituendum est illud, vel saltem excessus, sed inter precium datum meretrici, quod cum sit pecunia, est alicuius valoris, & actum fornicationis, qui nullius valoris est, non seruatur æqualitas, ergo.

Quintò, nullus potest accipere pecuniam pro re, cuius non est dominus, meretrix non habet dominium sui corporis, ergo. Sextò, in pari causa turpitudinis melior est conditio possidentis, fornicarius, & meretrix in sua turpitudine pares sunt, ergo saltem antequam soluat, non tenebitur fornicarius aliqui illi exhibere. Denique, si meretrix posset tuta conscientia accipere, essent pecuniæ illius, posset que ex eis eleemosynas facere, in missas & sacrificia offerre, at hoc prohibetur lege diuina, Deut. 23. [Non offeres mercedem postribuli in domo domini.] Eccl. 24. [Oblatio ex iniquo, oblatio est maculata, & dona ini quorum non probat altissimus.]

Amplectuntur eandem sententiam Glossa in l. 4. ff. de condi. ob turpem causam. §. Sed quod meretrici. & in l. 2. eodem titulo. Et in l. Affectionis. ff. de donat. & ibi multi Iurisperiti, quos refert Couarru. in Regul. Peccatum. par. 2. §. 2. nume. t.

Sed ex istis dictis Medinæ, licèt primum verum sit, secundum tamen tertium iudicantur ab omnibus falsa. Secundum, quia licèt actus sit intrinsecè malus, si tamen sit vtilis, precio æstimari potest, & venale esse, non qua parte malus est, sed qua parte vtilis est, vt vidimus. Ex quo sequitur apertè falsitas tertij dicti, pro huiusmodi actibus, qua parte vtiles sunt & venales, potest aliquid accipi, non solum ratione gratuitæ onationis, verum etiam ratione precij.

Alijs, vt Cinus & Ange. l. 2. C. de cond. ob turp. cau. Abbas in ca. illud, Quia plerique, & nonnulli, quos refert Couar. loco cita. volunt publicam meretricem posse precium accipere, quod à Rep. taxatum est, aliàs verò, quæ secretò fornicantur, non posse cum his non sit constitutum precium à Rep. sicut alijs.

Denique, sunt, qui distinguunt inter mulieres coniugatas, & solutas, ita vt hæ possint precium suæ fornicationis accipere, coniugatę verò nequaquam: quod colligunt, primò ex l. illa, Lucius Titius. ff. de iure fisci, vbi præcipitur, vt quæ adultera accepit, restituat fisco. Et l. sincera. C. de donatio. inter vir. & vxo. prohibetur milles donare meretrici, ergo illæ non possunt accipere.

Secundò, nemo potest accipere precium rei, cuius non

non est dominus, at mulier, maximè nupta, non est domina sui corporis, iuxta illud B. Pauli: [Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir.] Et l. liber homo. ff. ad leg. Aquiliam, ergo. Tertio, pro actu iniquo & turpi, quia cedit in alterius iniuriam, non potest accipi precium, vt vidimus, sed adulterium est huiusmodi actus turpis, & iniquus, & cedit in iniuriam viri, ergo.

Communis verò Theologorum sententia est D. Tho. hic ad secundum, & omniũ discipulorũ ipsius, & plurium canonistarum, quos abundè refert Couarruuias loco cita. quamcunque mulierem, modo absint fraus & dolus, posse accipere, ac retinere quæ moderatè sibi à fornicario dantur.

CONCLVSIO I.

Meretrix iustè pro actu meretricij potest aliquid accipere, & retinere, modò non sit excessus in eo, quod accipit, vel vi, vel fraude vtatur.

PRobatur primò, qui locat suas operas in die festo, ex eodem Medina, licèt id sit prohibitum in lege Dei, non tamen tenetur ad restituendum stipendium, & mercedem sui laboris, quia non vendit illud opus & laborem, ea parte qua est violatio festi, sed quatenus laboriosum est, & vtile locanti, sed meretrix, cum facit copiam sui pro precio, non accipit illud, qua parte opus illud est peccatum, sed qua vtile, & voluptuosum fornicanti cum ea, ergo non tenetur illud restituere.

Secundò, Gen. 38. iure naturæ, & dictante recta ratione, Iudas sensit se deuinctum ad soluendum, quod promiserat Thamar, quam existimauit meretricem, & omnes homines eadem dictante ratione naturali sentiunt se ad id obligatos.

Tertiò, Mulier est domina sui corporis, quo ad illius vsus, vnde potest illos vendere, meretrix autem accipiens precium sui meretricij, nil aliud facit quàm vendere vsus sui corporis, ergo.

Quartò stipendia taxata à Rep. iustè accipi possunt, Res. autem meretricibus taxat stipendia. l. 4. ff. de conditio, ob turp. caus. §. Sed quod meretrici, vbi dat actionem meretrici ad repetendum in iudicio, vbi dicitur meretricem turpiter agere, non tamen turpiter data, & promissa accipere, id est, non iniustè illa accipere. Similiter habetur in l. Affectionis. ff. de donat. ideo iuxta aliquos dicitur meretrix, quia meretur mercedem sui corporis.

Quintò, promissio, siue donatio iure naturali, valida, & nulla lege humana, & ciuili prohibita efficax est, transfertque dominium, & confert ius in conscientia, etsi ab extrinseco sit illicita, sed promissio, seu donatio, quæ fit fœminæ impudicæ pro turpi actu, & si vitietur ab extrinseco, nempè à causa ob quam fit, iure tamen naturæ valida est, cum fiat pro re quæ precio æstimari potest, nec aliqua lege humana reddatur nulla ergo.

Vltimò, si consentiat fœmina in turpem actum ea conditione, vt fornicarius illam ducat, potest exigere apud iudicem, vt ducat illam, tenetur que illam ducere, ergo si consentiat in actum turpem sub spe alicuius precij, tenetur fornicarius illud persoluere.

CONCLVSIO II.

Non solum publicæ meretrices, verum etiam quæ in priuatis domibus secretò fornicantur, iustè recipiunt precium sui peccati.

PAtet, quia licèt his Resp. non taxauerit stipendium, nec dederit eis actionem in iudicio, quia illas tantum curat, quas habet in publico lupanari, tanquam loco sibi ad maiora mala vitanda necessario, nihilominus istæ sunt quoque dominæ suorum corporum, & actio illarum, qua vtilis est, precio æstimabilis est, & tanto magis, quanto secretius & honestius delinquunt.

Secundò, ex D. Tho. hic ad secundum. licèt actus sit prohibitus, quādo tamē datio non est lege prohibita, quod accipitur, non est restituendum, in huiusmodi autem etsi lex non concedat eis precium, non tamen prohibet ipsis dari, & ita possunt accipere.

Res difficilior est in virginibus, quæ ignorantibus, & inuitis parentibus accipiunt ob iniuriam, quam illis inferunt, & in nuptijs, quę peccant contra iustitiam viri. Nihilominus de his sit.

CONCLVSIO III.

Virgines etiam puellæ sub cura parentum, nec non coniugatæ, quod accipiunt pro stupro, fornicatione, vel adulterio non tenentur restituere.

PAtet, ex vna parte exercent istę actus vtiles suis fornicarijs, & quos non debent illis gratis, ex alia quamuis lege humano puniuntur talia peccata, vt nocüa Reipu. nulla tamen est lex quæ reddat ipsas inhabiles ad sic accipiendum, ergo possunt accipere.

Secundò, licet parentes sint custodes corporum suarum filiarum, ipsæ tamen sunt dominæ illorum, vnde vendunt fornicarijs vsum, rei, cuius sunt dominæ, similiter licèt vir habeat potestatem in corpus mulieris, vt possit ab illa exigere debitum, quoties voluerit, neque illa possit negare, nihilominus quando ipsa tradit corpus suum adultero, vendit illi vsum, rei, cuius ipsa est domina, potest ergo vtraque precium accipere illius.

Diximus in prima conclu. quod etiam in alijs intelligendum est: vt non sit excessus, neque fraus, vel vis. Prius illud, ne sit excessus, dictum est, quia si fornicarius dederit meretrici cum excessu consideratis facultatibus, & familia, quam ipse tenetur alere, & qualitate, ac conditione meretricis, tenetur ipsa ad arbitrium prudentis confessarij excessum illum restituere. Ratio est aperta, quia donatio quæ fit meretrici est precium actus ipsius, in omni autem donatione, quę fit titulo, & ratione precij, excessus saltem nimius restituendus est, sicut in omni emptione, & vēditione excessus iusti precij.

Ex quo sequitur, fornicarium qui promisit meretrici excessiuam donationem, & quæ verè esset prodigalitas mortalis, non teneri ad implendum illud promissum, quia nemo tenetur adimplere id quod sine peccato fieri non potest imo in his habet locum regula illa, In male promissis rescinde, fidem, quod si promiserit sub iuramento, teneretur quidem adimplerę ratione iuramenti, sed cum sit de re mala postulet illius iuramenti remissionem, & relaxationem ab Episcopo, tenetur nihilominus, si promisit, & peccatum iam perpetratum est, dare illi conuenientem mercedem ad arbitrium prudentis, consideratis, vt diximus, meretricis qualitate, & facultatibus, ac familia fornicarij.

Quod vero pertinet ad fraudem vel vim dictum est, quia istæ mulieres multa blanditijs, & verbis amorosis acquirunt, quæ cum accipiant à sciente, & volente, & liberè donante, etsi blanditijs allecto, non tenentur restituere, quæ verò fraude vel vi, & ipsis ignorantibus, vel inuitis ab eis extorquent, tenentur restituere, quia talis receptio est reuera furtum, vt si quæ virgo non est, tanquam virginem se tradat, quia vbi fraus, & dolus, ibi non reperitur voluntarium.

Nunc ad Argumenta Medinæ. Ad primum illud fundamentum, quo statuit acquisita per actum intrinsecè turpem esse restituenda, vtactum ex se iniquum, & iniustum, iam constat ex dictis, & ex doctrina. D. Tho. hic ad secundum posse actum esse intrinsecè

secè malum, donationem autem esse licitam, quia nec sit lege prohibita, ne ob rem gratis debitam.

Ad argumenta verò, Ad primum dico, pro illis actibus malis nō licere accipere, quia lex prohibet talem acceptionē, quod non prohibet in meretricibus, nam aliter stando in lege naturæ liceret etiam pro illis actibus accipere, non qua peccata sunt, sed qua vtiles.

Ad secundum constat, illud non licere vxori, quia debet ipsa ex iustitia gratis corpus suum tradere viro, quod tamen non debet meretrix.

Ad tertium similiter, quia res spiritualis, licet sit precio æstimabilis, est tamen gratis cōferenda, quod non debet meretrix.

Ad quartum dico, actum fornicationis nullius esse precij, vt peccatum est, at quatenus est actio vtilis voluptati fornicantis, precio æstimabilis est, quo exhibito sine excessu, & eo modo quo diximus, non est inæqualitas inter precium, & rem, pro qua illud datur, nec debitum restituendi.

Ad quintum constat, mulierem esse dominam vsus sui corporis, ac ita pro illo posse accipere precium, cum nec lege prohibeatur, nec talem vsum fornicario gratis debeat.

Ad sextum respondeo cum Couar. loco cit. regulam illam habere locum, quando tàm acceptio, quàm datio est iniqua, hoc autem in casu meretrix, licitè accipit, quæ ipsi dantur, etsi ex turpi causa.

Ad vltimum dico, non prohiberi meretricibus, ne faciant eleemosynas ex turpi lucro, sed solum ne illud conuertant in sacrificia, & missas, quod ipsis interdicitur, non quia preciū illud iniustum sit, sed quia maximè indecens, & indecorum videatur lucrum adeo turpe in rem adeo sacram, quale est sacrificium conuertere.

Ad argumenta, vltimæ opinionis. Ad primum dico, in illa. l. Lucius Titius, cum adultera accepisset pecuniam à suo amasio, non solum vt fornicaretur, verum etiam vt viro suo venenum propinaret, in pęnam tanti sceleris præcipi, vt puniatur morte, & pecuniam illam restituat fisco, erat enim & adultera, & assassina, in l. autem illa, Sincera, non præcipitur simpliciter militi, ne det, sed ne det cum excessu, solent enim isti omnia in meretrices, & ludos prodigere, & deinde in paupertatem redacti multa mala perpetrare.

Secundum eodem modo soluitur, quo solutum est quintum argumētum Medinæ, affirmamus enim adulteram suo peccato iniuriam inferre viro contra fidem illi debitam, non tamen agere contra iustitiam, accipiendo precium adulterij, quia est ipsa quoque, & si nupta, domina corporis sui quo ad illius vsum, & ita potest precium pro illo accipere. Addo etiam leges illas prohibentes aliquid accipere pro peccatis, quibus violatur iustitia, vt l. Mulcta. l. Generaliter, cum sint pænales, & odiosæ, non esse extendendas nisi ad eos, quos ipsæ exprimunt, nō ad meretrices, vel adulteras, quarum nullam mentionem faciunt, cum iuxta regulas iuris odiosa restringenda sint. Quod si dicas, puniuntur istæ à Rep. daturque fornicario actio ad repetendum quæ dedit adulteræ, dico id merito legem statuisse in odium adulterij, quod Reipu. adeo nociuum est, & ita adueniente condemnatione illa non potest pecuniam illam retinere, ante iudicis verò sententiam iustè accepit, & retinet propter rationes adductas. Eodem modo soluitur vltimum argumentum. Sed quæres.

TENEATVR NE ADVLTERA, *quæ accepit a fornicario, tradere viro.*

Videtur enim vendidisse corpus suum quod est viri. Dico in hac parte, iudicandum esse iuxta priuatas consuetudines prouinciarum.

Io Castella, & multis prouincijs vir, & vxor cōtrahunt sub quadam conuentione fraternitatis, & societatis in bonis, ita vt quicquid vterque durante matrimonio lucrabitur, constituatur in communi, diuidaturque altero decedente: in his ergo prouincijs tenetur adultera, etiam acquisita per adulterium secreto ac sine scandalo, & sui infamia inter communia bona constituere, quia per conuentionem illam initam matrimonij obligauit se vterque, quæ quacunque via lucrabitur, in communi esse constituenda, In regno autem nostro, & prouincijs, in quibus non contrahuntur matrimonia sub hac conditione, sed omnia sunt viri, vxori verò solum adiudicabitur sua dos, si adultera ad fornicandum defuit obsequijs, & ministerijs, quæ debebat suæ familiæ ratione sui status præstare, tenetur ex bonis ex adulterio acquisitis, tantum restituere, & in bonis viri cōstituere sine scandalo, & infamia sui, quantum arbitrio prudentis lucrata fuisset, vel adduxisset vtilitatis, si exercuisset operas illas, & ministeria quæ dimisit, vt fornicaretur, inquam, quia tenetur restituere, non solum in ministerijs, quæ dimisit tempore fornicationis, sed in omnibus iam rebus, quæ habent ad illud peccatum habitudinem, quod si illa ob adulterium nil prætermisit eorum, in quibus suæ familiæ pro ratione sui status ministrare, & pręstare debet, potest acquisita per adulterium sibi retinere, nec tenetur quicquam ex illis viro exhibere, sicut neque ex his quæ ipsa propria industria lucratur tempore, quo licebat illi esse ociosam, sicut diximus de his quæ lucrantur serui, postquam præstiterunt ea, in quibus tenentur dominis suis seruire.

QVA RATIONE FACIENDA SIT RE- *stitutio, quando deest dominus rei restituendæ.*

Quærit hic D. Tho. in solutione tertij argumenti, cui sit facienda restitutio, quando deest verus rei dominus. Respondetque tribus modis posse illum deesse, vel quia mortuus sit, vel quia est absens, & distans, vel quia ignoretur: Si mortuus sit, restitutio (loquit) facienda est hæredibus cum hi in defuncti iuribus succedant, siue sint hæredes per testamentum, siue ab intestato, siue per legem, & sententiam vt fiscus, Si verò absens, & distans, transmittendam esse ad illum restitutionem, modo commodè fieri possit, vel in loco securo constituendam, vnde domino suo conferatur. Si verò facta diligenti inquisitione non appareat, conuertenda esse illa bona in opera pia: vocantur autem opera pia, quæ conferuntur, vel in obsequium diuini cultus, vel in subsidium proximorum.

Hæc tria dicta D. Tho. expendenda nunc sunt, circa primum enim sic obijcio. Restitutio potius est facienda vero domino, quàm hæredibus, sed conuertendo quæ restituenda sunt in missas, & eleemosynas pro animo defuncti, fit restitutio ipsimet defuncto, qui erat verus dominus, cum liberetur hac via anima illius à purgatorio, ergo.

Secundò, si occidissem Petrum, damna illi illata iuxta multos Theologos ipsius animæ satisfacienda sunt suffragando illi, & non hæredibus, ergo similiter, si pecunia defuncti sit restituenda.

Sed his non obstantibus verissima est doctrina D. Tho. & ratio eius, quia hæredes repræsentant personā defuncti. Tum secundò, quia iudex per iustam sententiam sic diffiniret, restitui hæredibus, & non in suffragia, etiam ipsi hæredes essent negligentes in suffragando animæ illius. Tertiò, si appareret pecunia abscondita à defuncto, inuentor illius teneretur necessariò tradere illam hæredibus, & non conuertere in suffragia, ergo similiter in hoc casu, nam hæredes idem ius habent circa quæcunque bona defuncti.

Ad primum in oppositum respondeo, per mortem amittere defunctum omne ius ciuile in sua bona, & transire illud in hæredes, nisi iam resurgeret. Hoc enim interest inter ius, quod habent homines in sua

bona, & ius matrimonij, vt hoc omnino dissoluatur per mortem, ita vt si vir moriatur, & resurgit, possit aliam ducere, vt ait D.Pau. Mulier, quā primū vir eius moritur, soluta est à lege viri, ius autem ciuile in bona transit quidem moriente domino in hæredes, recuperaret autem illud, si resurgeret. Ratio huius discriminis est, quia matrimonium est vinculum vitale ex sua institutione, ius autem bonorum est ius hæredum per mortem, qua cessante desinit esse ipsorum.

Ad secundum superius art. secundo est explicatum, quomodo sint restituenda damna temporalia hæredibus.

Sed est dubitatio, quam affert Soto: si quis ex defectu omnium hæredum conuertat pecuniam, quam debebat defuncto in suffragia ipsius, vel pauperes, deinde verò appareant hæredes, tenebiturne rursum illis restituere?

Videtur enim teneri, quia hæres sine culpa sua non est expoliandus suis bonis. Respondeo, aut enim id quod restituendū est alicuius est ponderis, aut exigui, si prius coram iudice Ecclesiastico vel ciuili iuxta prouinciæ mores, & consuetudinem facienda est debita diligentia ad inquirendos hæredes, & illis non apparentibus ex decreto eiusdem iudicis conuertenda sunt illa in opera pia pro anima defuncti, quo facto manet tutus in vtroque foro, nec tenebitur aliquid restituere, etiam si deinde appareant hæredes, quod si sua priuata auctoritate id præstet, tenebitur, quia non potest ipse sua auctoritate vllo tempore suis bonis aliquem expoliare, iudex autem auctoritate publica potest, cum sic expediat bono communi, ne ob ignorantiam hæredum bona defuncti maneant perpetuo ociosa, & inutilia, quod posset multoties euenire. Quod si res restituenda sit parui momenti, nec hæredes appareant, potest qui illam habet sua priuata auctoritate conuertere in opera pia.

Obserua hic nomine hæredis intelligi quemcunque succedentem in ius defuncti, quacunque ratione tale ius illi competat, siue per sententiam, siue alia via v.g. adiudicantur fisco bona hæretici à iudice, quicunque aliquid hæretico illi debebat, tenetur restituere fisco.

Circa secundum dictum D.Tho. de absenti, & distanti communis doctrina est, si pro certo habeatur illum nunquam venturum, vel pecuniam ei debitam nullo modo posse ad ipsum peruenire, tunc restituendam esse hæredib. illius, vel pauperib., si hæredes non existant, quia de tali homine in simili euentu iudicandum est, velut de mortuo, vt optimè docuit Scotus in 4.d.15.q.2.art.4. & Medina C.de reb.restit.q.3. Difficultas verò est, quam ibidem proponit Scotus, quando pecunia transmitti quidem potest ad dominum ipsius, non tamen sine expēsis, an qui illam restituere tenetur, teneatur simul tales expensas facere.

Palud. & ipse Scotus volunt, quando ad restituendum magnæ expensæ exiguntur, non teneri debitorem ad restituendum eam illis, sed posse tunc restituere, vel hæredibus qui remanserunt in loco, à quo longè recessit præcipuus dominus, vel pauperibus.

D.Tho. huius difficultatis quando expensæ ad restituendum exiguntur, non meminit, Medina C.de reb. restit.q.2.ait communiter rem restituendam esse, vbi accepta est, vt habet can. Episcopis, & can. Reintegrantibus. 3.q.1.

Caiet. verò assignat optimam regulam, quæ his conclusionibus continetur. Sit prima debitor tenetur ad restituendum ratione iniustæ acceptionis, vt qui alienum habet per furtum, vel rapinam, vel dominus rei illius longè distat culpa debitoris, quia cum potuisset restituere, antequam ipse, vel dominus rei longe recederet, noluit, tunc tenetur proprijs expensis rem illam vero domino transmittere, quod si non teneatur restituere ratione iniustę acceptionis, quia via licita illud habet, vt mutuo, vel deposito, nec culpa ipsius dominus rei longe distet, quia forsan antequam teneretur, vel posset restituere, longius recessit, vt tunc non tenetur ad illum transmittere proprijs expensis sed expensis veri domini.

Prior pars probatur, quia dominus rei in illo casu habet ius ad recipiendam rem suam integram, & illæsam, ac sine vllo damno suo, ita vt si quod damnum patiendum, sit debeat illud pati, qui in culpa est, ne res illa apud dominum suum maneat. Fateor tamen, si dominus rei ad eam asportandam à loco in quo est ad locum, in quo ipse agit deberet facere aliquas expēsas, ad illa nō teneri debitorē, sed ad alias, quia sicut dominus rei non debet recipere damnum ex furto, vel rapina alterius, ita neque lucrum.

Patet altera pars, quia debitor qui sine vlla culpa sua habet alienum solum tenetur ad illud restituendum, non autem ad patiendum damnum in bonis suis, quia pati damnum est pœna, quam nemo tenetur subire, quando nullam commisit culpam. Secundò, quia in isto casu debitor tantum tenetur soluere quantum accepit, at si teneretur ad expensas, teneretur soluere plusquam accepit. Excipitur, & meritò in hac parte mutuatarius, quia cum hic ad vtilitatem suam mutuo acceperit, sicut dominus rei non potest portare lucrum ex mutuo, ita nec debet recipere damnum: vnde si res illi transmittenda est, deductis expensis quas ipsemet fecisset in ea secum asportanda, ad alias tenetur mutuatarius: Ita Madina C.de reb.restit.q.2.fol.7.col.4. Sed quæres hic duo primo.

Controuersia Quinta.

AN SI EXPENSAE FACIENDAE sint nimiæ, & excessiuæ, teneamur nihilominus illas facere?

CAiet. videtur docere partem affirmantem, cum dicat teneri illum, etiam si in quadruplum debeat expensas facere idem Medina loco cit. Palu. verò in 4.d.15.q.2.Sylu.

Restitutio ibidem. §.vult. Soto. lib.4.de.iust.q.7.art.1.ad tertium docent, si tantundem, aut aliquid plus debeat expendere, teneri, quod si excessiue, & nimij, sint nequaquam sed tunc debere restituere aut hæredibus, aut pauperibus, perinde ac si talis dominus non extaret, quia licèt iste debeat suo damno alteri restituere, non tamen cum tanto vt sit inæqualitas, cum in restitutione maximè sit attendenda æqualitas, esset autem apertè inæqualitas, si restituendum.100.teneret ergo exponere.100.nam ita oporteret nobilem, si ad restituendum mille exigerentur.duo millia, vel plura, cadere à suo statu, quod nullus Theologorum docet. Hæc opinio posterior videtur mihi probabilior, tùm quia magis consona rationi & æquitati, tùm quia lex Dei, & naturalis sunt conseruandæ modo tolerabili, expendere autem in quadruplum ad restituendum simplum, videtur intollerabile.

Quæres secundò, si me mittente rem restituendam domino suo, illa in via pereat, cui pereat, domino illius, an mihi? Respondeo, dimissis aliorum opinionibus, sub distinctione, nam aut mitto illam per eum, quem ipse dominus mihi assignauit, aut per eum quem ipse eligo: si per eum, quem ipsemet dominus assignauit, si pereat, illi perit, quia tradere illam viro ab ipso domino assignato, idem est, quod ipsimet domino tradere: habet enim vim in his regula illa: [Quæ per alios facimus, per nos ipsos facere dicimus.] Si verò per eum quem egomet eligo, adhuc distinguendum est, nam aut commisit mihi dominus rei, vt ego eligerem delatorem, quem iudicarem securiorem, & tunc ele-

cto à me illo, qui indicatur ab omnibus securior, si res pereat, domino perit, non solum in foro interiori, verum in exteriori, si iuridicè probetur illud mihi dominum commisisse, vel ego pro meo arbitratu, & mea authoritate, sine commissione domini eligo, & tunc si pereat in foro exteriori, mihi perit, quia quamdiu est apud talem delatorem à me ipso sine commissione domini rei electum, perinde est, ac si apud me maneret, in foro autem interiori, si ego tantum tenebar restituere ratione rei acceptæ, non teneor amplius restituere, quod si tenebar vel ratione acceptionis, vel ratione vtriusque, tam rei acceptæ, quàm acceptionis, siue iustæ, siue iniustæ, si perit, mihi perit, & teneor adhuc ad illam restituendam.

Prior pars huius dicti probatur, talis debitor, vt qui habet depositum, vel qui rem inuenit, non accipit, nec habet illam in suum commodum, sed in vtilitatem domini, nec ad aliud tenetur, quàm ad fideliter agẽdum circa illam domino ipsius, at quando mittit illam domino per fidelem nuntium, fideliter agit cum domino illius, ergo non tenetur ad amplius. Dixi fidelem nuntium, quia si commisit infideli, vel dubio, tenetur restituere, cum culpa sua tunc pereat: Et in hoc sensu loquuntur: Panormit. c. significante de pigno. & Medina. C. de reb. rest. q. 2. fol. 8.

Probatur altera pars, talis debitor accepit rem illã, siue iniustè, vt furto, siue iustè, vt mutuo in vtilitatem suam, ergo tenetur illam integram, & illæsam domino restituere, & ex consequenti si pereat, debet ipsi perire, tenebiturque illam restituere, vt illius principij. [Qui sentit commodum, debet sentire & damnum.] Et confirmatur, si huiusmodi debitore habente iam rem illam paratam, vt domino restitueretur, accederet fur, & eam tolleret, teneretur nihilominus vero domino eam restituere, etiam si sublata sit sine vlla negligentia, aut culpa debitoris, ergo similiter in hoc casu si pereat in via. Denique, dominus rei, quando sine vlla culpa ipsius res eius perit, quam alter illi tenebatur illæsam restituere, semper habet ius ad illam recuperandam. Dices, sed quid si res iniquè ablata est, nec qui rapuit illam vult domino significare, vt committat cui detur? Dico in hoc casu, vt quemadmodum domino præsente solet fur illi restituere per interpositam personam fidelem, ita quando est absens & distans, committendum esse confessario, vel amico fideli, vt illum certiorem faciat de re sua, ac committat cui detur.

Circa tertium dictum D. Thom. de domino ignoto tria hic explicanda sunt.

Primò, quando verè sit dominus ignotus.

Secundò, cui in hoc casu sit facienda restitutio?

Tertiò, an in hoc casu maneat debitor tutus in conscientia per bullam, quam vocant, compositionis.

Quo ad primum dico, non esse verum dominum incertum, & ignotum quauis ratione, sed illum qui facta diligenti inquisitione pro qualitate rei, nec ipse, nec aliquis illius hæres inuenitur. Dixi, pro qualitate rei, habenti enim 100. aureos incerti domini non sufficit in loco vbi reperti sunt semel, vel bis voce præconis illũ inquirere, sed id ipsum in alijs locis, & ciuitatibus, & propinquis, & remotioribus in quib. prudenter suspicari potest forsan dominum, aut hæredem posse reperiri, faciendum est, expectandusq; est annus, vel plus temporis arbitrio prudentis, vt dicatur non repetiri dominus: in re autem exigui precij, vt pallio, sufficit in loco, vbi repertum est curare, vt in Ecclesijs, & locis publicis inquiratur, qua inquisitione facta, & non apparente vero domino, conuertenda sunt in opera pia, pro anima illius, cuius bona illa erant, aliter non licet conuertere debita illa in opera pia, nec accipere bullam, quam vocant compositionis; quicquid enim horum fieret, comparente deinde vero domino esset illi restituendum in vtroque foro, quia culpa sua ignorauit ille verum dominum, & illi nocuit, nemo autem est expo-

standus re sua ob culpam alienam. Ita habetur c. sicut dignum. §. eos. De homicidio voluntario, vbi non censetur aliquis ignotus, nisi præcedente legitima indagatione veri domini, pro qualitate personarum, temporum, & negotiorum, & grauitate rei restituendæ ad arbitrium prudentis. Hæc autem diligens inquisitio in his, quæ bona fide, & non per iniquam acceptionem acquisita sunt, facienda est expensis ipsius rei restituendæ, quando verò habetur per iniquam acceptionem, expensis eius qui tenetur restituere, sicut diximus de re absenti transmittenda.

Circa secundum, cui sit facienda restitutio, quando verus dominus est ignotus, dico, facta diligenti inquisitione, variè nos posse dubitare de vero domino; vno modo in particulari tantum, & in indiuiduo, non autem in communi, aut tàm in particulari, quàm in communi, vt cum in bello iniusto inuaserunt Duces, & milites ciuitatem illam, quam deprædati sunt, sciunt in communi dominum illorum bonorum, nempe ciues illius ciuitatis, ignorant autem in particulari, quid vnusquisque à singulis domibus acceperit: similiter qui minutim vendunt carnes, vinum, & similia, quando pauci, & certi ab ipsis emunt, nesciunt in particulari, à quo rapuerint, sciunt tamen in communi ab his tribus, vel quattuor se rapuisse: aliquando verò illud omnino ignorant, tàm in communi, quàm in particulari, vt qui innumeris, & incertis promiscuè vendunt. Quando ignoratur dominus in particulari, cognoscitur autem in communi, in communi quoque restituenda res est suo domino, vt in præda ciuitatis per iniustum bellum, restituenda sunt accepta magistratibus, vt ab illis pro sua conscientia, vel inter eos, qui iudicabuntur plus passi, vel inter omnes distribuantur: Similiter Comes vel Dux, qui inuenit aliquem prædecessorem suum iniustè accepisse aliqua à subditis, tenetur populo communiter distribuere, nisi tota Resp. illi dimittat, aut iam dimiserit prædecessori: Itidem, qui dissipauerit bona alicuius communitatis: similiter qui paucos habuit emptores, quibus nocuit, inter eos tantum restituenda distribuet, considerando quis plus, vel minus ab eo emere solitus sit. Quod si ignoretur dominus, & in communi, & in particulari, sciatur verus locus, vbi facta est iniqua acceptio, vt miles, qui solum deprædatus est boues, aut oues priuati domini huius oppidi, nec alijs nocuit, ignorat autem omnino quis ille, sit iuxta Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad tertium Syluest. Restitutio. 8. & alios non tenetur restituere pauperibus eiusdem oppidi, quia, cum det pauperibus, vt prosit animæ domini per illam eleemosynam, hæc vtilitas, vbicunque faciat illam eleemosynam, ipsi prouenit. Nihilominus si res restituenda sit valoris, & precij, est optimum cõsilium, vt restituat pauperibus eiusdem oppidi.

Primò, quia est maximè cõtingens, vt inter illos existant aliqui hæredes, & consanguinei ipsius domini.

Secundò, quia quæ habent dominum omnino incertum, dantur vt superflua, superflua autem cuiusque loci iure quodam videntur pertinere ad pauperes eiusdem loci, cui doctrinæ fauent c. Episcopis, & c. reintegrantibus. 3. q. 1.

Tertiò, quia præsumendum est verum dominũ velle restitutionem illam fieri pauperibus sui loci, cum vnusquisque suam patriam diligat præ cæteris. Quod si omnino ignoretur, & dominus & locus, supposito non esse hic quæstionem de inuentis, de quibus infra q. 66. sed de his tantum, quæ alicui debentur, siue cum iniuria alicuius accepta sint, siue secus pertinet enim hæc quæstio ad milites deprædantes aliena, ad tabernarios, alitores, carnifices, & omnes vendentes publicè varijs, & incertis emptoribus, vult D. Tho. rem restituendam, cuius dominus ignoratur omnino, dandã esse pauperibus, vel conuertendam in opera pia, in bonum, & vtilitatem spiritualem veri domini.

Hæc est vetus fidelium, & Ecclesiæ in his consuetudo, & habetur in c. cum tu. extra de vsuris cap. quanquã, de vsuris lib. 6. vbi acquisita per vsuram, quorum dominus omnino ignoratur, definitur, conferenda esse pauperibus, neque est hoc nouum in Ecclesia, vel incepit ab Alexandro. III. in illo cap. cum tu, anno Dom. 1170. cum iam fuerit obseruatum temporibus D. Aug. vt patet can. non sanè. & can. Qui habetis. 14. q. 5. sed habuit ortum ex illo verbo Euangelij, [Quod superest, date pauperibus.] Sunt enim quę nullius certi domini agnoscuntur, quasi superflua communitatis, vnde & l. c. 4. & vltima. C. de rebus vacantibus, habetur ista bona, tanquam ad communitatem redacta dispositioni Reipub. subiacere, posseque Remp. in hũc, vel illum vsum conuertere, & ita conuertisse in subsidium pauperum, Vide Sylu. Restitutio. 8. §. 3. quod vt apertius intelligatur, videamus.

Controuersia Sexta.

BONA INCERTA, QVORVM OMNIVM *dominus ignoratur, ad cuius dominium verè, & propriè pertineant?*

SOto loco citato. Medina Compln. C. de reb. rest. q. 3. & communis Theologorum schola volunt huiusmodi bona iure naturę, & gentium deuolui ad communitatem Reip. conferrique pauperibus consensu principum Reipub. qui bonorum communium sunt dispensatores, Regum, scilicet & Papę. Vnde colligunt duo: primum, ista bona danti pauperibus iure humano positiuo, vt patet ex illis iuribus, & legibus adductis. Secundum est, posse summum Pontificem, Reges. & Remp. vt veros, & legitimos administratores horũ bonorum conuertere illa in quoscunque vsus bono communi vtiles & necessarios, non secus, ac alia bona communia suæ Reip.

Fundamentum istud, bona ista deuolui ad communitatem Reip. ostendunt.

Primò, quia cum bona temporalia à sua prima institutione sint cõmunia, appropriata vero iure gentium priuatis dominis, quamdiu illi vel eorũ legitimi successores existunt, eis deficientibus perinde se habent, ac si non fuissent diuisa appropriata, sed manerẽt in communi.

Secundò, si legitimus dominus ita esset absens, vt nec esset vnquam reuersurus, nec ad ipsum vllo modo pecunia transmitti posset, esset illa danda hęredi ipsius, vt legitimo successori & domino, sed quando omnino ignoratur verus dominus, perinde res se habet, ac si ille omnino abesset, est autem Resp. velut legitimus hæres, & successor omnium suorum ciuium, ergo.

Tertiò, quotiescunque agri, hæreditates, & alia bona ciuium peste, bello, vel alio infortunio manent omnino deserta, rediguntur, & redeunt ad communitatem Reip. possuntque Magistratus stabilire illa, quibus voluerint, iuxta leges, & statuta suæ Reip. sed bona, quorum dominus facta diligenti inquisitione, omnino ignoratur, sunt velut deserta, & omnino derelicta, & vacantia, ergo redeunt ad communitatem Reip.

Denique (quæ ratio est efficacissima) hæc bona, aut redeunt in dominium Reip. aut manent sub dominio ipsorummet dominorum, licèt ignorentur, aut transeunt in dominium pauperum, non hoc vltimum: sequeretur enim, vt quando illis dantur, non fieret eis eleemosyna, nec esset opus pium, sed opus debitũ, & ex iustitia, sicut quæ dantur fisco, quando ille succedit, nec secundum, quia si manerent sub dominio ipsorummet dominorum, cum illos nemo debeat expoliare suo dominio, inuitos, si pecunia incerti domini esset data pauperi, domino illius deinde comparente, esset repetenda ab illo paupere, & restituenda domino comparenti, quod nullus dicet: imò omnium consensu ritè data est, & in dominium pauperum translata.

Quo fit simpliciter, & iure naturali bona ista esse Reip. iure autem canonico dari pauperibus.

Primò, quia cum Papæ sit temporalia dirigere ad spiritualia, dirigit bona ista per eleemosynam in salutem spiritualem sui domini.

Secundò, quia cum sit pater pauperum, & bona hæc eo ipso quo incerta sunt, sint velut superflua, & vacantia optimè statuit, vt dentur pauperibus, ad quos pertinent superflua. Cæterum cum ius canonicum naturali derogare non possit, quotiescunque Papa, & princeps voluerint illa non tribui pauperibus, sed in alium vsum boni communis conuerti, id possent, sicut possunt iure naturæ, quæcunque alia bona communia.

Alij verò Doctores sentiunt bona, de quibus hic agimus manere sub dominio, & proprietate ipsorummet dominorum, qui ignorantur, nec transire dominium, & proprietatem illorum in Remp. vel gubernatores ipsius, nisi elapso tempore à lege statuto ad præscribendum. Vnde volunt vsum, & possessionem eorum esse pęnes Remp. proprietatem verò, & dominium pęnes ipsosmet dominos, Probant ex D. Thom. dicente: [Quando dominus rei est omnino ignotus, faciendam esse ipsi restitutionem, meliori modo quo fieri potest, nempe pro salute spirituali ipsius.] Vnde argumentantur: Restitutio facienda est vero domino, sed quando dominus ignoratur, adhuc bona restituenda sunt in eos vsus, qui illi iudicantur vtiliores, quod perinde est, ac illi ipsi restituere, ergo manet adhuc pænes eum illorum dominium.

Secundò, nullus amittet dominium suorum bonorum, nisi aut sua libera voluntate illud in alium transferat, aut iusta lege, vel sententia, sed nulla lex, vel sententia expoliat aliquem proprietate, vel dominio suorum bonorum, quæ sine vlla sua culpa ab alio detinentur, quia esset talis lex, vel sententia omnino iniqua, & nullius momenti, neque ipse dominus sua voluntate, & consensu applicauit alicui dominium illorum bonorum, ergo.

Tertiò, sequuntur ex opposita sententia maxima incommoda.

Primò, vt expolietur quis dominio suæ rei ex iniquitate alterius.

Secundò, vt transferatur dominium ab vno in alterum, vt à vero, & priuato domino in Republi. sine vllo contractu.

Ex his colligunt ista bona dari pauperibus non ex consensu Papa & Magistratuum, sed ex consensu domini, qui ignoratur, non quidem explicito, & expresso, sed rationabiliter præsumpto, quia debet rationabiliter ille consentire, ne bona illa maneant omnino deserta, & inutilia, vt dentur pauperibus pro salute spirituali ipsius: sic enim & ipsimet, & alijs prosunt. Colligunt secundò, non dari illa pauperib. aut conuerti in vsus pios iure humano positiuo, sed iure naturæ, qua restituta hac via, cum commodior non appareat, cedunt in vtilitatem domini, & fit ipsi, quantum potest, restitutio, restituere autem quod potest, & commodiori via rem domino suo, hoc iuris naturæ est.

Ex his opinionibus, quamuis hæc non sit omnino improbabilis, prior tamen verior est, & probabilior, & argumenta, quibus firmatur efficaciora, maximè vltimum. Nam quod hi dicunt tranferri dominium in pauperes per consensum domini non expressum, sed rationabiliter præsumptum, falsum est.

Primò, quia vt superius docuimus, ad recipiendum aliquid mihi vtile suffici consensus rationabiliter præsumptus, ad expoliandum verò me aliquo bono meo mihi vtili non sufficit consensus tacitus, & præsumptus, sed exigitur omnino expressus, & explicitus.

Secundò, quia euenire passim potest, vt dominus nul-

nullo modo consentiat rem, qua videt se priuatum, alteri dari, vt solent dicere, qui aliquid amittunt, (No se la perdono à quien la hallare de aqui al dia del juyzio.

Ad argumenta alterius opinionis dico. Ad primum D. Thom. supposita consuetudine Ecclesiæ, docere restituendam esse rem domini ignoti pauperibus, quia omnis restitutio facienda est aut vero domino, aut hæredibus, aut designatis à lege, vel Repub. quando verus dominus omnino ignoratur, ignorantur quoque eo ipso hæredes, & ita, vt restitutio fiat quo ad potest, restituendum esse designatis à lege & Repub. cuiusmodi sunt pauperes, hoc est quod docet D. Thom. Cæterum quod adiungit pro salute ipsius, hoc nō est de necessitate, quasi restituendo pauperibus restituat illi, vt volunt auctores istius opinionis, sed ex quadam congruentia & æquitate, videtur enim equissimum, vt qui erat verus dominus, & sine culpa sua illis expoliatus est, saltem commodum spirituale ex eis reportet.

Ad secundum dico, ius naturale & gentium expoliare istum, & sine culpa sua. Primò, quia ius gentium non appropriauit priuatis dominis, quæ ex se communia erant, nisi quando ipsi apparent, vel eorum successores, quod licet coniectare ex simili, quia ita vult in bonis omnino desertis: hæc autem de quibus agimus sunt velut omnino deserta, vnde vocantur vacantia. Secundò, quia conuenit ita Reip. vt quæ manent sine certo domino, distribuantur ab ipsa, sicut & alia communia, hac enim via in commodiores vsus conuertentur.

CVM HAEC BONA PAVPERIBVS exhibenda sint, si habens illa pauper sit, poterit ne tuta conscientia illa sibi retinere?

Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 3. quem sequitur hic Caiet. absolutè affirmat id sibi pauperi licere, quia cum debitor non sit peioris conditionis quam alij, sic potest alijs sicut potest sibi retinere vel totum debitū, vel partem iuxta indigentiam, quam patitur, imò potiori iure posse illam sibi retinere cum melior sit; & potior conditio possidentis. Magister Soto loco citato vlt. hoc dictum temperandum esse, quia cum nemo sit æquus iudex in propria causa, si hoc ita debitoribus concedatur, rarò huiusmodi debita restituerent, vnoquoque sibi in propria domo varias indigentias effingente, & suam conscientiam decipiēte, vnde consulit, & benè, hæc esse obseruanda. Primò, vt necessitas ac indigentia ipsius sit euidens, & manifesta. Secundò, vt non sint alij indigentiores & pauperiores, nam isti sunt in eleemosynis semper præferendi. Tertiò, vt sumat id quod sibi tantum omnino necessarium est, alia alijs pauperibus exhibendo. Quartò, vt hoc non faciat, nilque sibi accipiat, nisi consulto prius vel Episcopo, vel Parrocho, vel saltem perito & prudenti confessario, & de ipsius consilio, quæ ex huiusmodi bonis seruatis his conditionibus accipiat, erunt verè ipsius & ea, etiam si deinde ad pinguiorem fortunam venerit, non tenebitur restituere, sicut ne alij paupeteres suas eleemosynas, sed difficilior quæst. est.

Controuersia Septima.

CVIVS AVCTORITATE HAEC BONA incerti domini sint conuertenda in opera pia.

Diuus Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. docet per manus Episcopi, vel superioris, & ipsius consilio, ac auctoritate esse pauperibus, & in pios vsus conuertenda, sed cum illam doctrinam non repetat hoc loco, nec huius quæstionis hic meminerit, discipuli ipsius, alijque Doctores variè indicant. Hostiensis. in cap. Cum tu. Extrà, de vsuris. Ioan. Andreas in cap. Episcopis, de pœnitentijs, & remiss. in 6. Et in cap. Cum sit de Iudæis, quos sequuntur plerique Canonistæ, volunt necessariò consulendum esse Episcopum, & quibus ipse dixerit, restituenda esse. Probant primo, quia in illo cap. Cum sit, Iudæus præcipitur Episcopo interueniente restituere, quæ acceperat iniquè exercens officium inter Christianos, quod non poterat. Et in cap. Quamquam, de vsuris. in 6. dicitur, vt bona vsurarij dentur his, à quibus illa acceperunt, vel hæredibus, si autem ordinario, vt per manus eius pauperibus conferantur. Simile habetur in alijs capitibus.

Secundò, huiusmodi bona cum restituantur pro salute spirituali domini ignoti induunt rationem spiritualium, bonorum autem spiritualium distributor est Episcopus, ergo eius consilio, & nutu distribuenda sunt. Tertiò, quia Episcopus est pater pauperum.

Sed oppositum docent Scotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. Richar. ibidem. q. 4. art. 5. Syluest. Restitutio. 8. §. 5. Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad 3. & communiter omnes Theologi; volunt enim vnumquemque debitorē inconsulto Episcopo superiori, cum iam constet ex cōsuetudine Ecclesiæ, & iure Canonico hæc pauperibus esse restituenda, sua priuata auctoritate posse, quibus ipsi libuerit pauperibus, seruato ordine charitatis illa exhibere, sicut quando ex proprijs haberet superflua, quæ teneretur dare in eleemosynam. Primò, quia in illis cap. Sanè, & cap. Qui habetis. q. 5. in illo cap. Cum tu, Extra de vsuris, præcipitur quidem, vt ista bona restituantur pauperibus, nulla tamen mentio fit Episcopi, vel superioris: de alijs capitibus deinde dicemus.

Secūdò, quia iste debitor ad nil aliud tenetur, quàm ad restituenda ista bona in integrum ijs, quibus vel iure, vel consuetudine sunt conferenda, quod præstat conferendo illa pauperibus, etiam si per seipsum id præstet sine vllo consilio, aut interuentione ordinarij, vel alterius superioris, ergo.

Hæc sententia est probabilior & in vsu, & ita D. Th. quamuis in 4. illam Canonistarum videatur habere, hic illam prætermisit, quasi non necessariam, Quamuis quod etiam admonent auctores huius opinionis, quam sequimur, hoc moderamine opus sit, vt in re leui debitor non indigeat alterius cōsilio, in re vero graui optimum sit, etsi non necessarium, vti consilio prudentis confessarij, & in re multi ponderis, consilio Episcopi, quia nouit ipse vrgentiores necessitates, & Deo acceptiores eleemosynas.

Tertiò, probat idem Medina loco citato, quia in ca. Sicut dignum §. Eos autem, de homicidio voluntario, vbi de quodam habente bona cuiusdam defuncti, ex quibus quędam pauperibus erogauerat, dicitur, vt quę aliena erant, si poterant illis quorum fuerant restitui, non debebant pauperib. exhiberi, vbi propterea quod erant aliena, definitur non esse pauperibus conferenda, nullaque fit ibi mentio Episcopi, vnde a contrario sensu, si non erant aliena, poterant sine episcopo pauperibus dari.

Quartò, in cap. Cum tu, de vsuris, dicitur vsurarios ab ordinario cogendos esse, vt vsuras restituant, vel his, à quibus eis acceperint, vel hæredibus, vel pauperibus, vbi Episcopo datur ius cogendi vsurarium, qui non vult, ad restituendum, non autem, vt per manus eius dentur pauperibus.

Quintò, in cap. Religiosus, de testamentis in sexto, dicitur vt exequutor testamenti liberè exequatur mādata testatoris, qua voce, liberè, omnium consensu, & consuetudine ita explicante, intelligitur sine vlla alia auctoritate Episcopi, vel superioris, inter mandata autem testatorum illud communiter existit, vt quæ malè acquisiuit, vel legitimis dominis restituantur, vel pauperibus conferantur.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad caput illud,

Cum sit, de Iudæis, respondeo cum Sylu. & Medina, illum esse casum particularem, ex quo non licet vniuersalem regulam colligare. Agit enim ibi de Iudæo, qui exercens officium publicum inter Christianos multa ab eis iniquè extorserat, cui præcipitur, vt qui ob suam cupiditatem, & auaritiam reddidit se indignum, cuius fidei restitutio concredatur, illam faciat interueniente ordinario, in casu enim quo probabiliter timeretur debitorem non esse fideliter restiturum, posset ordinarius illum compellere, vt eius interuentu restitueret; imò & confessarius similem non debet absoluere, nisi ipso interueniente, aut certam cautionem habente.

Similiter respondetur ad caput illud, Quamquam, vsurarium illum de quo ibi agitur, tantam ostendisse cupiditatem, & auaritiam, vt prudenter timeretur, ipsum non esse fideliter restiturum.

Ad secundam rationem, cõcesso antecedenti neganda est consequentia, quia ea ratione diues, qui superflua sua vellet in eleemosynas dare pro salute animæ suæ, cum talia bona ratione huius finis induant quoq; rationem spiritualium, teneretur illa consilio, & nutu Episcopi distribuere, quod nullus vnquam docuit.

Ad vltimum dico, Episcopum vocari patrem pauperum, non vt ex alienis bonis illos alat, sed quia debet de suis redditibus illos alere sunt enim bona Episcoporum bona pauperum.

Ex his sequitur primò, multas constitutiones synodales, in quibus reseruatur restitutio horum bonorum Episcopis, esse ita intelligendas, vt reseruetur absolutio à peccato, quod commiserunt, non reddentes pauperibus debita incerta. Sequitur secundò, cum Papa tanquàm pater pauperum, & qui curam habet spiritualem eorum, applicauerit hæc bona incerta pauperibus, nullum posse priuata auctoritate cõuertere illa in alios vsus, quod dico propter aliquos confessarios, qui illa cõuertunt in celebrationem missarum. Leges enim ecclesiasticæ possunt disponere de bonis huiusmodi, & sic disposuerunt in capit. illo, Cum tu, & locis adductis.

Offerebat se hæc controuersia, An hæc bona incerta, quorũ Dominus omninò ignoratur, auctoritate Sum. Pontif. possint applicari ipsismet debitoribus per Bullam, quam vocant compositionis. De qua D. Anto. 2. p. tit. 2. c. 6. Sylu. Rest. c. 8. q. 8. Caiet. infra q. 100. art. 1. Soto lib. 4. de iust. q. 5. art. 1. Et in suo. 4. dist. 25. q. 2. art. 4. Cordub. in suo opusc. de indulg. art. 5. q. vlt. eo remittimus lectorem.

Controuersia Octaua.

AN QVANDO CREDITOR ET DEBItor simul sunt in extrema necessitate; teneatur debitor restituere, vel possit debitum, quo indigeant, sibi retinere.

NOn defuerunt, qui iudicauerunt ita distinguendũ esse, vt quæ aliquis debet, vel debet, quia iniquè accepit, vt fur, vsurarius, vel accepit sine vlla iniuria alterius, vt qui mutuo, vel deposito rem habet. Primè, inquiunt, debitor posita æquali necessitate ipsius, & creditoris, tenetur restituere, non enim debet ex sua iniquitate reportare bonum, & subuentionem propriam cum damno veri Domini, quod si absque iniustitia illud accepit, & habet, sibi subuenire, & non creditori, quia in pari necessitate potior est ratio possidentis.

Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. Palud. ibidem, Gabriel eadem distinct. quæst. 2. ad tertium casum post secundam conclusionem docent ita esse distinguendum, vt si debitor prius inciderit in illam extremam necessitatem, non teneatur ad illa restituendũ, quia extrema necessitas reddit res communes, quibus inops eget, & in res communes, qui prius indiget, & possidet, habet potius ius. Quod si, prius incidit creditor, tenetur restituere illi, quia sunt illius, & iure dominij, & iure necessitatis, cui debitor etiam si non deberet, teneretur subuenire ex præcepto charitatis. Quod si ambo simul in extremam necessitatem inciderunt, tenetur, inquiunt, debitor, non obstante, periculo propriæ vitæ, creditori in eodem periculo existenti restituere.

Probant primò, in hoc casu, quantum est ad ius necessitatis ambo sunt pares; & præter hoc habet etiam creditor ius dominij; quod est ius gentium, & ciuile, ergo cum habeat creditori plura iura, illi est potius restituendum.

Secundò, si Petrus, & Ioannes sint ambo in extrema necessitate, à qua non possunt liberari nisi vno pane, quem habet Petrus, non potest Ioannes tunc panem illum rapere, esset enim iniqua acceptio, & furtum, imò, & homicidium, cũ iniquè accipiatur panis, à quo pendet vita Petri, ergo nec licebit retinere & non restituere. Probatur consequentia, quia quod non licet accipere, non retinere. Quod si dicas, teneor potius propriæ vitæ consulere, quàm alienæ; verum quidem est simpliciter, & actione iusta, at per actionem iniustam, non teneor, nec licet, retinere autem alienum domino non minus quam me indigente, iniustum est.

Tertiò, restitutio & si non obliget pro semper, obligat tamen in aliquo casu, non potest autem dari casus, nec tempus in quo magis obliget, quàm quando creditor extremè indiget.

Quartò, creditor habet ius in illud debitum, debitor verò nullum, ergo tenetur restituere, conseq. aperta est, Antecedens patet, in primis creditorem habere ius, cum sit dominus rei, debitorẽ verò nullum, ostendo, quia huiusmodi debitor per iniuriam detinet alienum, iniqua verò detentio, vel possessio nulli confert aliquod ius.

Oppositum docet Caiet. hic ad 4. Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad 4. & communiter discipuli D. Tho. nempe debitorem in extrema necessitate cõstitutum, ea, quibus ad illam leuandam indiget, nõ teneri ad restituendum creditori, etiam si similiter indigeat, siue debitum illud iustè contractum sit, siue cum iniuria, siue creditor prius in extremam necessitatem inciderit, siue non peccauit quidem dicunt hi grauissimè, non restituendo, quando poterat, & creditor indigebat, at si deinde, antequam reddat, incidat ipse in extremam necessitatem, non tenetur tunc restituere, sed potest sibi prius subuenire ex illis.

Et hæc videtur esse sententia D. Tho. nam si ad subueniendum patri extremè indigenti, non teneor restituere creditori, quamuis similiter indigeat; quia potius est ius paternum, à fortiori, si ipsemet debitor extremè indigeat, cum nulli sit aliquis propinquior, vel magis debeat prospicere, quàm sibi ipsi.

Et probatur efficacissima ratione, in extrema necessitate omnia sunt communia, cessatque tunc ius gentium, & redeunt res ad primum illum statum, antequã diuiderentur in quo potior erat conditio possidentis, & primo occupantis, quàm alterius, sed in hoc casu ob extremam necessitatem res debita æqualiter est communis creditori & debitori, possidet illam actu debitor, potior ergo est ratio ipsius, & ita potest ex ea sibi potius subuenire, quàm creditori. Ita soluuntur facilè argumenta Scoti.

Ad primum respondeo, adueniente extrema necessitate cessare ius gentium, quia tunc seruandum est ius naturale, cui nullum aliud derogare, & ita cessat omne meum & tuum, & omne dominium, suntque illa communia, in quibus potior est conditio possidentis.

Fateor

Fateor tamen, si ille creditor esset persona publica, & necessaria bono communi, tunc teneri debitorem ad restituendum non ex debito restituendi, sed ratione boni communis, quod cum damno proprio omni iuri priuato & particulari preferendũ est, quãuis non liceat mihi ad subueniendum isti homini publico & necessariò rapere ab alio priuato, vt benè docet Cayet. quicquid alij dicant, quia licèt priuatus homo teneatur ex ordine charitatis ex re quãtumuis sibi necessaria subuenire potius homini publico, quam sibi ipsi: ego tamen non sum iudex, habens auctoritatem ad id exequendum, vnde peccarem illud vsurpando, quemadmodum si quis teneatur exponere vitam pro bono publico, ego nõ teneor, nec possum illi vitam eo nomine auferre, sed solus iudex & gubernator Reip.

Ad secundum dico, illo casu non posse Ioannem rapere panem, quem habet actu Petrus, quia tunc panis ille communis quidem est, sed melior conditio Petri; vt primo occupantis, vel possidentis. Vel dico cum Soto, vtroque in extrema necessitate existente plurimum differre, quis panẽ illum habeat, quia si aliter habeat, ego non possum surripere, esset enim illum occidere, si vero ego habeam, cum panis ille tunc sit communis, & melior mea conditio, qui sum possidens, tunc nec teneor reddere, nec occido, quia illud dictum Ambrosij, quem non pauisti, occidisti, intelligendum est, quando teneor.

Ad tertium constat in eo casu, etsi creditor extremè indigeat, non obligare præceptum restituendi debitorem similiter indigentem.

Ad vltimum dico, debitorem istum, licet ante articulum extremæ necessitatis iniustè rẽ illam possideat, adueniente autem extrema necessitate iustè illam possidere, ac retinere velut communem, quam primo occupauit. Maior difficultas est.

Controuersia Nona.

AN LICEAT NON SOLVM MEIPSVM, *verum etiam patres, filios, & vxorem extremè indigentes præferre creditori similiter indigenti.*

D. Soto putat quæstionem hanc esse problematicam, & ex æquo probabilẽ, quia quando omnes isti in extrema sunt necessitate, bona ista sunt omnibus communia, quocirca si dem illa parentibus, vel filijs, fauet eis ius naturale pietatis, si verò dem creditori, fauet ei ius restitutionis & ita posse me tenere viam, quàm voluero.

CONCLVSIO I.

Probabilius est in tali casu patri potius dandum esse, quàm creditori.

PRimò, ita docet hic apertissimè D. Tho. Secundò, possum in tali necessitate illa mihi retinere, sed ex Philosopho honestius est parentibus subuenire, quàm nobis ipsis, ergo licebit etiam patrem creditori præferre.

Tertiò, in extrema necessitate cessat omne ius gentium & dominium, manetque solum naturale, sed pietas in patrem, quæ ipsi potius, quàm cuique alteri succurrere debemus, est à iure naturali, ergo ipsis est subueniendum.

Et confirmatur, quia debitum ex pietate maius est, quàm debitum ex iustitia particulari, quod & Arist. docuit. Quartò, creditori nullus tenetur restituere cum graui & maxima iactura sui, sed pati necem patris est maxima & grauissima iactura, ergo.

Ex his sequitur, non solum posse me patri potius, quam creditori subuenire, verum etiam teneri, cum tamen non tenear mihi potius quàm creditori, quia iuri meo possum cedere, iuri autẽ patris nequaquam, imò omnium nationum consensu, qui est quædam naturæ vxor, esset maxima impietas, si patrem non eriperem à morte, cum possem.

CONCLVSIO II.

Non solum patrem, verum etiam vxorem, filios & fratrem possum, & debeo in extrema necessitate præferre creditori.

PRobatur hæc eisdem argumentis, quibus, & præceden. concl. Primò, quia isti sunt alter ego, vnà caro nobiscum, & quod possum mihi præstare possum, & illis, ita vt etiam si ego non perirem fame, si tamen isti adeo mihi coniuncti illa perirent, possem rapere è domo diuitis necessaria ipsis, sicut possem, & mihi. Secundò, quia cum in extrema necessitate omnia sint communia, teneor ad istos iure pietatis naturalis, quo non teneor creditori. Alios autem consanguineos non licet præferre creditori in ista necessitate, quia licet in ea cesset ius gentium, non tamen cessat ius naturale, prius tenemur subuenire ex re aliqua habenti ius in illam quo quàm non habenti, nisi pietas naturalis aliter exigat, quæ alios consanguineos ab vxore, filijs, & fratribus non respicit. Vnde quamdiu ait Caie. in extrema necessitate cessare ius gentium, intelligendus est, cessare quoad nos ipsos, & eos, ad quos tenemur pietate naturali, & eodem modo intelligendus est D. Thom. quando dicit, de rebus alienis potius esse subueniendum Dominis eorum, quàm consanguineis.

CONCLVSIO VLTIMA.

Amicus, a quo in summo periculo vita liberati sumus, qui dicitur redemptor vitæ, præferendus est etiam, si extremè indigeat, creditori similiter indigenti.

PRobatur, in primis quiuis prudens ita iudicabit. Secundo, communi consensu peritorum, huiusmodi amicus præferendus est fratri, & M. Victo. censebat præferendum esse, vel saltem æquandum patri, sed pater, & frater præferendi sunt in extrema necessitate creditori, ergo, & huiusmodi amicus, cuius ope viuimus.

Controuersia Vltima.

AN DEBITOR, QVI RATIONE EXtremæ necessitatis retinuit sibi debitum, liberatus ab illa, & veniens ad pinguiorem fortunam, teneatur restituere.

ADria. in 4. q. de restitut. Ioan. Medina C. de rebus rest. q. 3. causa prima, tenent partem affirmantem, quia iudicant pauperi extremè indigenti sufficienter subueniri per mutuum, sed cum hoc fundamentum iudicetur falsum ab omnib. ferè Doctoribus, sup. q. 33. de Eleemosyna; Dico breuiter cum Scoto, Palud. Soto, & cõmuni Theologorum schola, hæc duo: Primò, aut debitorem accepisse tempore extremæ necessitatis, vt ab ea se eriperet aut contraxisse iam debitum, antequam in illam incideret, & illa adueniente, propter eam non soluisse. Rursum, si priori modo se habuit, aut indigebat simpliciter, & omnino, aut non quidem simpliciter, sed in eo tantum loco, & tempore. Si accepit ipso tempore necessitatis, simpliciterque indigebat, non tenetur restituere, quia extrema necessitas reddit res ne-

cessarias

cessarias communes, & tunc accepit illas vt suas: quod si non indigebat simpliciter, sed in eo tantum loco, & tempore, cum primum facultas ei suppetet, tenebitur restituere: Similiter si debitum iam erat contractum vt alicuius præcedentis obligationis, transacta illa necessitate, & veniens ad pinguiorem fortunam tenetur restituere, quia extrema necessitas tantum concessit est, vt rebus illis vteretur, quamdiu indiguit, non tamen liberauit eum, quin quando poterit, soluat debitum, quod aliquando contraxit.

ARTICVLVS VI.

An semper teneatur restituere, ille qui accepit.



Cognitio huius articul. est maximè necessaria Theologo, cum in eo explicentur, quæ passim solent accidere. Pro cuius intelligentia obseruemus primò, obligationem restituendi ex duplici capite oriri, aut ratione rei acceptæ, aut ratione acceptionis, aut ratione vtriusque, ratione rei alienæ, quia alienum quicunque apud se habet, siue iniustè, siue sine iniuria, ad manus eius peruenerit, debet vero Domino restituere, nisi iam bona fide apud se illud habuerit toto tempore, quod exigitur ad præscribendum. Et ratio est, quia duobus modis, vt vidimus, potest aliquis rem alienam apud se habere, vel volente Domino, qui illam contulit, vel virtute legis, quę si deficiant, nullo modo licet alienum retinere, quia esset habere illud inuito Domino. Ratione verò acceptionis tenetur restituere, non solum, qui iniustè accepit verum etiam, qui iustè, & benè, sed non fuit in ipsum translatum dominium, vt mutuatarius. Est enim triplex acceptio, quædam iniqua, vt furtum, rapina, vsura, alia bona sed in vtilitate accipiẽtis, vt mutuum, alia verò bona in vtilitate, & custodia rei ipsius, vt depositum. Nomine verò rei alienæ intelligenda est, hic non solum res ipsa accepta in substantia, sed & fructus, quos res illa suaptè natura solita est parere, dico fructus quos suaptè natura, nam illi quos industria accipientis protulit, non computantur in re, nec cadunt in restitutionem.

Obseruemus secundò, rem alienam tribus modis posse ab aliquo haberi, & possideri, aut bona fide, vt qui sana mẽte, bonoque animo possidet rem alienam, credens esse suam, aut mala fide, vt qui nouit se alienum habere, vel per iniquam acceptionem, vt fur, vel qnia accepit ab eo, qui non poterat transferre dominium, vt qui emit à fure; aut dubia fide, vt qui prudenter dubitat, an res quã habet sit sua, vel empta à fure.

Circa possessorem bonæ fidei cõstant iam ex dictis quæstio. vltima de domino, hæc tria: Primò, durante bona fide, non teneri illum ad restituendum, quia bona fides excusat illum in conscientia.

Secundò, quàm primum cognouerit rem esse alienam, teneri ad restituendum vero domino, vt constat ex præcedenti obseruatione, & l. in ciuilem. C. de furtis, etiam si amittat (eo modo quo exponemus, quod pro illa dedit: hoc enim est per accidens, & sibi imputetur, qui non fecit securam emptionem, quod est intelligendum, vt ex dictis constat, quando cognoscit rem esse alienam, antequam compleatur tempus ad præscribendum, nam si illo transacto id deprehendit, iam habet verum dominium virtute legis, nec tenetur restituere.

Tertiò, possessorem bonæ fidei, qui ita rem cõsumpsit, vt nullus fructus illius rei permaneat, nil debere restituere, etiam si deinde comperiat rem illam fuisse alienam, quia vel teneretur ratione acceptionis, vel ratione rei acceptę, non primum, cum bona fide illam apud se haberet, & consumpserit, nec secundum, cum nil illius rei maneat, & ita nullo modo tenetur.

CONCLVSIO I.

Quicunque habet apud se rem alienam, quocunque modo illam habeat, nec illam possedit bona fide toto tempore præscriptionis, tenetur illam restituere.

Patet, qui habet plus quam debet habere tenetur ex iustitia (cuius est constituere æqualitatem) restituere illi, qui habet minus, quam debet habere de suo, sed qui habet rem alienam, quocunque modo illam habeat, habet plus quam debet habere, ergo tenetur illam restituere.

CONCLVSIO II.

Qui iniustè accepit alienum, etiam si non habeat illud apud se, nec illi vtile fuerit, tenetur illud, vel eius valorem vero domino restituere.

Patet, qui expoliauit fratrem re sua, & intulit ei damnum cum iniuria, habetque frater ille minus, quam debet habere.

CONCLVSIO TERTIA.

Qui accepit alienum in suam ipsius vtilitatem, etiam si per bonam & licitam acceptionem, vt mutuatarius, & emptor, tenetur rem acceptam, vel eius valorem restituere.

Patet, nemo debet sibi prodesse cum damno alterius, at si mutuatarius, vel emptor, rem quam ita suam vtilitatem accepit, & qua vsus est, vel voluit vti, & periret, non teneretur restituere, curasset sibi profuisse cum damno alterius, ergo. Secũdò, nemo debet pati damnum, eo quod gratiam alteri faciat, at si mutuatarius, vel emptor non teneretur restitnere, qui mutuauit vel vendidit, deberet pati damnum, quia alteri gratiam fecerit, ergo.

CONCLVSIO QVARTA.

Qui accepit alienum non in suam vtilitatem, sed in vtilitatem rei, vel domini ipsius, vt depositarius, si sine culpa ipsius res illa pereat, non tenetur restituere.

Patet, quia aut teneretur ratione rei acceptæ, aut ratione acceptionis, nõ primum, quia res illa nulla culpa ipsius perijt, nec secundum, quia depositarius iste, nec illam iniustè accepit, nec ad suum cõmodum, nec custodit illam ex iustitia, vel debitò, sed ex gratia & beneuolentia, nullo ergo titulo tenetur restituere. Et confirmatur, quia nullus ex bono opere, quod gratis præstat, & in vtilitatem aliorum, vt depositarius, debet reportare damnum. Dixi gratis, quia si depositarius aliquam mercedem, vel stipendium acciperat, tunc coipso (vt magis inferius explicabitur obligauit se ad omnimodam custodiam rei, teneturque illam ex iustitia, si pereat, restituere, etiam sine culpa, quia si culpa depositarij pereat, tenetur etiam si nullam mercedem accipiat, quia tunc ipse est velut consentiens, & concausa illius damni. Circa hunc articulum variæ se offerunt quæstiones, & in hac materia de restitutione maximè necessariæ.

Con-

Controuersia Prima.

AN QVI BONA FIDE REM EMIT A latrone, cum primum intellexit, rem illam esse furtiuam, possit tuta conscientia rescindere contractum illius venditionis, & rem illam latroni reddere, vt recuperet precium pro illa datum, quando alia uia recuperare non potest.

DIco alia via, quia si potest latronem conuenire apud iudicem, aut alio modo accommodato precium suum recuperare, re illa vero domino restituta, tenetur ad id: Quæstio ergo est, quando precium datum recuperare non potest, nisi rem illam ipsi latroni restituat. Alexander Alensis 4. par. q. 86. memb. 3. art. 5. Gabriel in 4. dist. 15. q. 3. dub. 5. Syluest. Restitutio. 3. §. 7. partic. 1. Victoria in lectura huius articuli tenent partem affirmantem, quam sic probant.

Primò, ex præcedenti articulo, nemo tenetur rem alienam, quam ipse non accepit, cum proprio detrimento suo domino restituere, sed potest si damnum ipsi immineat restituere latroni, quia non est custos boni alieni, sed in hoc casu, si res bona fide empta esset restituenda vero domino, & non latroni, emptor iste bonæ fidei pateretur damnũ, & iacturam in re, quam non accepit, cum perderet precium, quod dedit, ergò.

Secundò, si latro deposuerit apud me vas aureum, quod ego deinde cognoscam esse furtiuum, si a me illud postmodum petat, possum illi restituere, si probabiliter timeam aliàs immineret mihi periculũ rerum mearum; sed in hoc casu, si rem à me emptã restituam vero domino, & non latroni, imminet mihi euidens periculum perdendi preciũ, quod dederam, ergo possum reddere latroni. Patet cõsequentia, quia in vtroque casu reddo latroni ad vitandũ propriũ damnum.

Tertiò, illa venditio & contractus, quem mecum celebrauit latro, est iniquus, & consequenter iure naturæ inualidus, propter quod, si ad me accederet latro postulans, vt accipiam precium quod dedi, & rem illam ipsi restituam, vt possit eam suo domino restituere, possum & licitè precium à me datum recipere, & rem illam ipsi restituere: vult enim quod iustum est, vt rescindatur contractus iniquus & inualidus, sed quando ego ab illo exigo, vt rem illam recipiat, & precium mihi restituat, hoc ipsum instituo, vt rescindatur contractus ille venditionis iniquus, & inualidus, ergo. Nec valet dicere ementem à fure huic periculo se exponere, vt amittat precium rei furtiuæ, quia id intelligendum est, nisi res in integrum restituatur, quia si illa res illæsa, & in integrum restitui potest, tunc non debet, qui bona fide emit, istud damnũ pati.

Oppositam sententiam docent Medina C. de reb. rest. q. 10. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. Couar. in Reg. peccatũ, initio. 3. par. num. 3. teneri huiusmodi emptorem rem illam vero Domino restituere, etiam si precium pro illa datum perdat, quando illud apud iudicem, aut alia via à fure recuperare non potest. Probatur, res ista est aliena, & alienum ex D. Tho. hic, quando cognoscitur alienum, quocunque modo ad nostras manus venerit, est vero Domino restituendum ex iustitia, ergo res ista suo Domino restituenda est, quidquid sit de precio, ita vt esset directè contra iustitiam illam latroni restituere.

Secundò, iste emptor, quam primum nouit rem illam alienam esse, non potest eam alteri vendere, nec simpliciter, nec sine recuperãdi sui precij, quia nemo potest vendere, quod nouit esse alienum, sine consensu veri Domini, ergo neque potest reddere latroni, vt recuperet suum precium. Probo consequentiam, quia latro non habet maius in illam, quàm quiuis alius, imò multò minus, & verus Dominus illius rei idem damnum patitur, siue res illa reddatur latroni contractus rescindatur, siue vendatur alteri.

Tertiò reddere rem alienam latroni est concurrere reuera cum latrone ad iniquam detentionem illius rei, quia probabiliter iudicandum est, illam non esse restituendam à latrone vero Domino.

Quartò, si latro ille absens esset, vel mortuus, teneor omnium consensu rem illam, quam primum noui alienam, suo Domino restituere, etiam si nullo modo precium illius valeam recuperare ergo etiam si præsens sit, teneor similiter. Patet cõsequentia, quia quod latro sit præsens, vel absens, est per accidens, vinculum autem restitutionis sumitur per se ex dominio, ideo namque res restituenda est vero Domino, quia vbicunque illa sit, habet ipse ius in illam, & detinere illam ipso inuito est furtum, sicut & accipere, quòd ius non minuitur vero Domino ex eo, quòd latro sit præsens.

Quintò, si Dominus intelligat cui fur rem illam vendiderit, conueniatque emptorem coram iudice, explicata rei veritate decernet iudex per iustã sententiam, vt res illa vero Domino restituatur, accipiatque secundus ille emptor precium à latrone, si valeat, sin minus, amittat, at quod iudex ex iusta sententia definiter, obligat in conscientia, vt dictum est, ergo iste emptor tenetur in conscientia rem illam quam primum nouit esse furtiuam, & alienam, suo Domino restituere, iusta enim sententia nõ facit hominem teneri ad quod non tenebatur, sed tantum facit exequi id ad quod iam tenebatur, Et forum exterius, vt diximus, quando non fundatur in falsa præsumptione, est consonũ interiori, & obligans ad quod homo tenetur in foro animæ.

In hac quæstione distinctione opus est, potest enim, qui à latrone emit bifariam se habere, nam vel emit sciens, vel saltem dubitans rem illam furtiuam, vel ignorans illud, sed bona fide eam emens, iudicans vendentem illam verum Dominum esse illius. De eo, qui emit sciens, vel saltem dubitans rem esse furto acceptam, inferius agemus, de eo verò, qui bona fide emit, quo præsens controuer. Sit.

CONCLVSIO I.

Si emptor bonæ fidei, quando deinde nouit rem illam esse furtiuam, rescindat contractum cum latrone existimans id sibi licere tuta conscientia, non tenetur ad aliquid restituendum vero domino.

PRobatur, non tenetur ratione rei acceptæ, quã iam non habet apud se, nec ratione iniquæ acceptionis, quia quando emit, bona fide emit, quando rescindit contractum bona etiam fide rescindit, existimans id sibi licere, quod prudẽter potuit existimare, etiam si id sibi non liceret, quia hic casus est controuersus, & difficilis inter ipsosmet Doctores tam Theologos, quam Iurisperitos, nec tenentur fideles huiusmodi iuris subtilitates habere perspectas, quia qui bona fide rescindit istam venditionem latronis, perinde se habet, ac si in ipso actu venditionis, & ante quam fuisset consumatus, illum rescidisset, at qui contractum venditionis ipso tempore contractus, antequam fuisset consomatus rescinderet, potest rem illam vendenti restituere, & precium, quod pro illa dabat, sibi retinere.

CONCLVSIO II.

Ex his duabus opinionibus propositis vtraque est probabilis, sed probabilior, & magis recepta illa prior communis, quàm habuerant Alensis, Gabriel, & Sylu.

PRior pars huius conclusionis patet, quia vtraque habet graues actores, & nititur probabilissimis argu-

argumentis. Vnde potest fidelis, quam voluerit, tuta conscientia amplecti, nec potest in hoc casu cōfessarius pœnitenti, qui cū Alensi sentiret, negare absolutionem, etiam si ipse contra iudicet, vel è conuerso.

Alteram partem ostendo. In primis præter antiquos illam habuit magister Victoria, & multi ex recentioribus Salmanticensibus doctissimi viri. Et confirmatur, latro habet ius ad rem furtiuam non quidem ad illam apud se retinendam, sed ad illam suo Domino restituēdam, ergo potest emptor illam ipsi latroni restituere, & consequenter contractum rescindere. Antecedens est D. Tho. infra q. 66. art. 3. ad tertiū, ex qua doctrina ortum est, quod habetur in cap. In litteris, de restitutione expoliatorum, vbi definitur prędonem expoliatum secundum rigorem iuris restituendum esse. Consequentia verò patet, quia si non liceret rescindere cōtractum, & rem illam latroni restituere, latro nullum haberet ius ad illam recipiendam.

Secundò, contractus ille venditionis est inualidus, & nullus, & in iniuriam emptoris, ergo potest emptor eniti, vt rescindatur, & liberetur ab illa iniuria. Probo consequentiam, quia vnicuique licet è propria iniuria se ipsum liberare, maximè quando contractus, per quem illam patitur, nullus est, vt inductione omnium contractuū, qui ab hominibus exercentur, apertissimum est constare. Quod si dixeris, fuit ista venditio in iniuriam Domini, ergo non est rescindēda cum latrone, sed res ista suo Domino erit restituenda. Dico, fuisse quidem in Iniuriam Domini, sed sine culpa emptoris. qui bona fide emit, & ideo cum ipse iniuriam quoque patiatur, non debere eniti, vt Dominus rei ab iniuria, quam patitur à latrone, vindicetur, sed curare potius, vt à propria iniuria, quam ipse quoque patitur, liberetur.

Tertiò, quo argumento vtebamur in prima conclusione huius quæstionis, nemo tenetur, nisi sit custos, vel tutor alterius, bonum illius curare cum proprio damno, at sic non liceret emptori rescindere contractum illum venditionis, sed deberet rem illam suo Domino restituere, certè compelleretur prospicere alieno commodo cum proprio detrimento, nempe amisso precio, quod pro re illa dedit. Et cōfirmatur, ex his, quæ docuimus artic. præcedenti, vbi diximus non esse restituendum vero Domino, sed latroni, si latro mortem, vel aliquod graue incommodum minetur.

Denique, emptor bonæ fidei, quando deinde nouit illam furtiuam, & curat rescindi contractum, perinde se habet, ac qui bona fide emit à pupillo, quem deinde nouit pupillū, vel ab habente bona vinculata, & impedita, quæ deinde talia esse nouit, curatque vt contractus ille, cum fuerit celebratus ab eo, qui rem illam non poterat vendere, rescindatur, at hoc maximè licet ementibus à pupillis, vel ab habente bona vinculata, & impedita, quæ deinde talia esse nouit, curatque vt contractus ille, cū fuerit celebratus ab eo, qui rem illam non curat vendere, rescindatur, at hoc maximè licet ementibus à pupillis, vel ab habētibus bona vinculata, & impedita, ergo, & ementi bona fide à latrone. Minor cum consequentia perspicua est. Maior patet, quia latro non propterea prohibetur vēdere, quia rem illam furatus sit, sed quia vendit alienum, quod non potest vendere. Nam si res illa, quamuis furto accepta, deinde vel donatione domini, vel alia honesta via esset ipsi propria, illam tanquam propriam posset vendere. Hæc doctrina non est ita accipienda, vt affirmemus rem furtiuam non esse domino restituendam, sed tantum docemus, emptorem bonæ fidei, si possit adire latronem, & rescindere contractum, vt res illa à latrone sine damno eius, qui bona fide emit, suo domino restituatur, id posse, quia licet cuique sibi prospicere. Quod si latro non appareat, nec possit ab illo obtinere, vt contractus ille rescindatur, tunc vel durante illa bona fide res illa apud illum emptorem consumpta est, vel combusta, vel furto sublata, & tunc nihil tenetur restituere, cum nec eam iniquè acceperit, nec illam, aut aliquid illius apud se habeat, si verò maneat ipsa apud illū, aut aliquid ipsius, veluti precium, vel fructus aliqui, tenetur, vel illam, vel precium eius, vel fructus illos, vel quicquid illius apud ipsum manet domino restituere.

Ex quo sequitur, quod rectè admonet Caiet. ementem rem furtiuam, etiam si bona fide illam emat, esse in periculo amittendi illam, & precium eius, vt constat, nec obest quod dicitur, ergo patietur damnum sine culpa sua, nam sicut legitimus dominus patietur damnum sine culpa sua vitio latronis, si res illa nunquam deprehenderetur esse furtiua, ita quoque hic primus emptor, si res intelligatur esse furtiua, patietur damnum sine culpa sua vitio latronis, tenebiturque ad recompensandum ei hoc damnum. Quo circa debet vnusquisque sibi cauere, & diligenter curare, ne quid furtiuum emat, ne se huic periculo exponat. Ad argumenta in oppositum.

Ad primum respondeo, alienum restituendum esse, quando sine damno proprio illud restitui potest, sic enim est intelligendus D. Tho. vt constat ex his, quæ ipsemet docuit articulo præcedenti, in hoc autem casu si emptor bonæ fidei non posset rescindere contractum cum latrone, teneretur restituere cum damno proprio.

Ad secundum dico, non esse parem rationem, quia latro habet ius ad recuperandum rem, quam vendidit, vt eam suo damno restituat, emptor quoque bonæ fidei habet ius postulandi, vt venditio illa rescindatur, tanquam nulla, & vt restituatur in suum pristinum statum, alius verò secundus emptor neque habet ius in re illa, neque in aliqua venditione.

Ad tertium dico, emptorem tunc concurrere ad iniquam detentionem, quando iuuat consilio, opera, vel aliquo modo latronem, ne rem furto acceptam restituat, vel non compellit ipsum ad eam restituendam, cum possit, & debeat compellere, vel reddit illam latroni, vt eam apud se retineat, quorum nihil in hoc casu emptor iste bonæ fidei præstat, sed hoc tantum rescindendo contractum, liberando se ipsum à damno, quod ei imminet precio, quod bona fide contulit amisso.

Ad quartum dico, plurimū referre sit ne latro pręsens, vel omnino absens, aut mortuus, quia quando præsens est, habet, vt constat, ipse ius ad illam recuperandam, & emptor similiter ad postulandum venditionem illam rescindi, vt nullam, quando verò omnino absens est, vel mortuus, cessant hæc iura, & ita tunc teneretur illam domino suo restituere.

Ad vltimum dico, primò illam sententiam iudicis niti huic pręsumptione iuris, cōuentionem illam cum latrone esse dolum, & fraudem, maximè cum rescindatur contractus, quando cognoscitur rem illam esse furtiuam. Dico secundò, iudicem rectè ita iudicare, quia ad ipsum non pertinet vitare damna, sed id tantum, vt suum cuique reddatur, emptori verò licet potius vitare damnum proprium, cum bona fide emerit, quàm vt res illa suo domino restituatur. Vnde in hac parte non est idem iudicium de iudice, & emptore bonæ fidei, nec tenetur emptor simpliciter nulla existente sententia iudicis ad id, quod iudex sua sententia, quamuis iusta diffiniret. Huic controuersiæ illa proxima est.

Con-

Controuersia Secunda.

AN EMPTOR BONAE FIDEI QVI IN eadem bona fide perseuerans vendit rem illam furtiuam alteri, teneatur restituere verò domino precium illius rei, vel possit illud sibi retinere.

Communis sententia Doctorum constituit quod necessariò in hac quæstione cõstituendum est, secundum emptorem bifariam posse se habere, postquam emit rem illam furtiuam à primo emptore, aut ita vt maneat illi periculum amittendi rem illam, & precium simul ipsius apparente vero domino, & rem suam postulante, aut ita vt nullo modo tale periculum illi maneat, nec moraliter sit timendum, quo posito docent, primum illum emptorem bonæ fidei teneri ad rescindendam venditionem, quam fecit secundo emptori, ad restituendumque illi precium acceptum, si probabiliter manet illi periculũ amittendi rem illam, & precium simul ipsius, quod si tale periculum non existat, non teneri ad rescindendũ illum secundum contractum, nec restituendum preciũ, sed posse illud sibi retinere nisi in illo factus sit ditior, id est quando tanti vendidit secundo emptori, quanti ipse emit ab illo latrone: quod si in re illa factus sit ditior, ita vt pluris vendiderit, quam emerit, teneri ad restituendum illum excessum, vero domino.

Prius illud, teneri ad rescindendum contractum, quando secundo emptori imminet periculum amittendi rem, & vna cum illa precium ipsius. Probant primò quia iure naturæ tenetur venditor seruare indemnem emptorem. Hispanè dicimus, hazerle bueno lo que le vendio. Secundò, si Petrus emisset à Ioanne vitrum pro margarito, & eadem bona fide illud similiter venderet Andreæ pro margarito, teneretur Petrus cum primum nosset illius margariti falsitatem, rescindere illum contractum cum Andrea propter periculum, quod illi manet dignoscendi facilè illud vitrum esse, & margaritum, ergo similiter in hoc casu.

In hoc primo dicto omnes conueniunt, in secundo verò discrepant, docent enim illud Caie. hic, Sylu. Restiturio cap. 3. q. 7. Maior. in 4. distin. 15. q. 26. Med. de reb. rest. q. 10. Couar. Reg. Peccatum, initio 3. p. nu. 3. Soto lib. 4. q. 7. art. 2. probatque illud, qui emit à latrone bona fide, et si deinde sciat rẽ illam esse furtiuam, non tenetur, vt præced. controuer. vidimus, restituere illam, vel precium eius vero domino, quia cum bona fide emerit, non tenetur pati damnum ob vtilitatem alterius, ergo multò magis quando eadem bona fide durante, alteri vendidit, nec tenebitur rescindere contractum, nec precium acceptum verò domino restituere, sed poterit illud sibi retinere. Probo conseq. quia quidquid horum præstaret, pateretur damnum ob vtilitatem domini rei, ad quod non tenetur, cum tam primum, quam secundum contractum bona fide exercuerit.

Secundò, in hoc casu tàm emptor, quàm venditor non tenetur neque ratione iniquæ acceptionis neque ratione rei venditæ non ratione iniquæ acceptionis, quia vterque contractus bona fide celebratus est, tàm prima, quàm secunda venditio, vt constituimus, ratione autem rei acceptæ in primis non tenetur venditor, quia iam nõ habet illam apud se nec in ea factus est ditior, vt supponimus, neque emptor quia non emit illam à latrone, sed ab eo, qui bona fide illam vendidit, vt suam.

Tertiò, si ille primus emptor durante illa bona fide rem illam alicui donasset, vel in suos vsus consumpsisset, vel fuisset illi sublata, non teneretur ad aliquid restituendum, cum in illa sit factus locupletior, ergo similiter si illam vendat durante bona fide non tenetur, neque ad contractum rescindendum, cum secundo emptori nullum immineat periculum neque ad restituendum precium vero domino, cum in illo non sit factus ditior.

Alij verò ex recentioribus sequuti grauissimum doctorem Ioannem à Penna, volunt emptorem bonæ fidei, si rem furtiuam, durante illa bona fide alteri deinde vendat, cum primum nouerit illã esse furtiuam, teneri vel ad rescindendum contractum, vt illam domino suo restituat, vel saltem, si id non possit, ad restituendum precium illius vero domino, siue maneat secundo illi emptori periculum rei illius perdendæ, & pretij simul cum illa, siue nullum periculum illi immineat.

Probatur hæc sententia, in omni emptione, & venditione contractus debet esse æqualis ex vtraque parte, ita vt tunc venditor faciat precium suum, quando in emptorem verè transfert dominium rei venditæ, sed in hoc casu huiusmodi venditor non transfert dominium illius rei, quam primum emit à latrone, in secundum emptorem, cum sit illi aliena, ergo neque facit precium illius suũ, ergo, aut debet rescindere contractum iustum secundum, & restituere precium acceptum illi secundo emptori, & rem vero domino, aut saltem, si id nõ possit, tenebitur restituere loco rei precium illius vero domino.

Secundò, quam rem alienam possideo bona fide, & eadem durante consumo, etsi non teneat ad illam restituendã, quia bona fide à me consũmpta est, vt mea, teneor nihilominus ad restituendos fructus illius, qui apud me manent, quando deprehendo illam fuisse alienam, sed precium rei in hoc casu est, velut fructus illius, ergo teneor illud restituere vero domino, imò magis teneor ad restituendum precium quàm fructus, quia precium rei magis est vnum, & idem cum re, quàm fructus ipsius.

Tertiò, si emam vitrum pro margarito, illudque deinde alteri vendam, cum primum depræhendero esse vitrum, siue periclitetur emptor aliquod propterea damnum pati, siue non, ex natura rei est rescindendus ille contractus, quia fuit deceptio in substantia rei, & ita iudicaretur per iustam sententiam, ergo similiter in hoc casu, in quo res aliena, & furtiua venditur, tan quàm propria, cum in eo similis accidat deceptio.

Quartò, statuamus mulam à me bona fide emptam à latrone commutasse cum amico pro equo, in huiusmodi commutatione omnium DD. consensu cum primum intellexero, mulam illam esse furtiuam, teneor rescindere illam commutationem, & amico illi suum equum restituere, mulam vero domino ipsius, sed venditio est commutatio quædam, ergo quando res à latrone empta alteri, deinde durante illa bona fide venditur, cum primum intelligitur esse furtiua, rescindenda est illa venditio.

Nobis hæc sententia recentiorum placet: vnde dico, aliter esse iudicandum de emptore bonæ fidei erga latronem, à quo emit, & erga secũdum emptorem, cui deinde vendit durante illa bona fide, quod est dictum, aliter esse iudicandum de prima venditione, & aliter de secunda: in prima enim emptione, quando bona fide quis emit à latrone, etsi ille contractus sit nullus, & per quem non transfertur dominium in emptorem, sed manet semper dominium illius rei pœnes verum dominum, nihilominus nõ tenetur iste emptor bonæ fidei rem illam vero domino restituere, sed potest rescindere contractum cum latrone, & precium, quod pro re illa dedit, recuperare, quia ipse non est custos, nec tutor domini illius rei, nec tenetur cum proprio damno illius vtilitati consulere, imò licet cuique suo commodo prospicere, etiam si alter iniuriam patiatur, quia illius iniuriæ ipse causa non est, in secunda verò emptione, quia talis contractus inualidus est, & nullus, nec per ipsum transfertur in ementem dominium rei venditæ, aut in vendẽtem dominium pre-

tij,

tij, efficitur ex eo, vt necessariò ista secunda venditio sit rescindenda, & precium acceptum restituendum illi secundo emptori, res autem, si latro à quo prius fuit empta, appareat, reddenda ei, vt precium illius restituat, rescindaturque contractus, vt dictum est, sin minus restituenda vero domino, quia non apparente latrone, cui tradatur, vt illam suo domino restituat, tunc necessariò debet eam restituere, vero domino, qui illam habet, nouitque esse alienam. Quo etiam fit, vt quando in secunda emptione non potest rescindi contractus, tunc debeat venditor iste pretium illius rei vero domino restituere, quia tunc perinde se habet, ac si iam non appareat latro, per cuius manus res illa suo domino restitueretur.

Ducimur in hanc sententiam, emptorem bonæ fidei, qui deinde rem alteri vendidit, teneri ad rescindendum contractum, cum primum illa nouerit furtiuã, præter argumenta adducta, quæ efficacissima sunt, quia Petrus, v.g. secundus emptor, qui bona fide emit à Ioanne primo emptore bonæ etiam fidei, si ignoret latronem, à quo emit Ioannes, qui sibi vendidit, vel non possit illum conuenire, vt rescindatur prima illa venditio, tenetur vel rem, vel illius valorem restituere vero domino, quemadmodum teneretur & Ioannes à quo ipse emit, si rẽ illam apud se retinuisset, nec vendidisset latrone omnino absente, & quem nõ posse conuenire ad rescindendum contractum, sed Ioannes primus emptor, qui deinde vendidit Petro, tenetur Petrum seruare indemnem ab omnino nocumento, & periculo, ergo tenetur quoque rescindere illam secundam venditionem quam fecit Petro, restituere illi suum precium, cum aliter non possit Petrus manere liber & indemnis.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum dico, plurimum differre inter primum emptorem & secundum: primus enim non tenetur consulere vtilitati domini suo damno, & ita potest eniti, vt rescindatur contractus, & res illa reddatur latroni ad eam restituendam domino suo, quod si id non præstiterit, culpa latronis ita fieri, non culpa emptoris, secundus verò emptor est seruandus indemnis à primo, quod cum haberi non possit, nisi rescindatur illa secunda venditio, ideo tenetur primus emptor illam rescindere, & secundo emptori suum precium restituere. Eodem ferè modo diluitur secundum: dico enim secundũ emptorem teneri ad rem illam restituendam suo domino, non ratione iniquæ acceptionis, sed ratione rei acceptæ, & cum debeat primus ipsum seruare indemnem, efficitur ex eo, vt teneatur rescindere, sicut explicatum est, illam secundam venditionem. Ad tertium respondeo, non esse idem iudicium, quia quando res est omnino cõsumpta, vel data, aut rapta, nihil ipsius manet apud primum illum emptorem, & ita nihil tenetur restituere, at quando illam vendidit, manet apud ipsum precium illius rei, quod est idem cum ipsa re, & ita tenetur rescindere illam secundam venditionem, vt rem ipsam domino restituat, vel per se ipsum, vel per latronem, quod si nequeat secuudam illam venditionem rescindere, tenetur precium illius loco ipsius rei vero domino restituere.

Controuersia Tertia.

AN POSSESOR BONAE FIDEI FACIAT fructus suos, vel teneatur potius illos restituere, vna cum re, quam deprehendit esse furtiuam.

Verbi gratia, emerat quis à latrone bona fide vineam, vel boues, depræhendit deinde ista furtiua esse, tenebitur ne vnà cum vinea restituere fructus illius? & vnà cum bobus vitulos, lac, & caseos, quos ex illis percepit? Similiter bona fide emit à latrone rem non fructiferam pretio, vt 100. vendidit illam deinde precio, vt 150. quando intelligit illam fuisse furtiuam, sufficiet ne restituat vero domino illa 100. an præter ea illa 50. in quibus factus est ditior?

In hac quæstione, distant plurimum Iuristæ à Theologis: Iuristæ enim distinguunt inter fructum rei, & effectum, fructum, vocant id quod res ex se producit, effectum verò valorem, vel pecuniam, qua venditur: vt habeo ouem, cepi ex ea lanã, hanc vocant fructum, vendidi illam, precium vocant effectum. Similiter distinguunt inter fructum, & partum, nam apud eos partus tantum est mulieris, vt si ancilla pariat filium, non vocant illum fructum, sed partum. Vnde inter eos quodcunque commodum rei est fructus, fœtus autem mulieris non dicitur fructus, sed partus. Ita habetur Inst. de rer. diuis. §. in pecudum, vbi dicitur. [In pecudum fructu est fœtus, partus verò ancillæ non est fructus.] Rationem reddunt, quia videtur absurdum hominem propter quem omnes fructus natura produxit, vocare fructum. Quo posito, docent fructus statim atque producuntur, esse possessoris bonæ fidei, partus verò nequaquam, sed si fuerit editus apud possessorẽ bonæ fidei, posse vsucapi ab eo per triennium, quod si ancilla fuit effecta prægnans, vel apud verum dominum, vel apud latronem, partus, inquiunt, iste est res furtiua, quæ vsu capi nõ potest, sed restituenda vna cum ancilla, vt habetur in l. qui vas. §. ancilla. ff. de fur. Vnde inter Iuristas ita distinguentes inter partum & fructum, fructus rei furtiuæ, etiam si deinde appareat verus illius dominus, possessor bonæ fidei tuta conscientia potest retinere, & similiter partum ancillæ furtiuæ apud se conceptum, & editum, elapso triennio, solamque ancillam restituet: quod si accessit ad illum prægnans, vel ante triennium cesset illa bona fides, tenebitur restituere, & ancillam, & partum.

Probant isti suam sententiam, quo ad fructus.

Primò ex l. bonæ fidei. ff. de acqui. rer. dom. vbi habetur, emptorem bonæ fidei, & non dubiæ, fructus rei alienæ suos facere, non tantum eos quos sua diligentia, & opera acquisiuit, sed omnes, & clarius in fine eiusdem legis dicitur. [Ouium fœtus ad bonæ fidei emptorem pertinent, etiam si prægnamtes venerint, quæ surreptæ sunt. Et hoc sanè, quod lac suum faciat, etiam si plenis vberibus venerint, dubitari non potest, idemque in lana iuris est.] Vbi apertè habetur hæc sententia Iuristarum. & in l. sequitur. §. lana. ff. de vsucap. vbi dicitur. [Lana ouium furtiuarum, si quidem apud furem detonsa est, vsucapi non possit, si verò apud bonæ fidei emptorem, contra, quoniam in fructu est, neque vsu capi debet, sed statim emptoris est. Vbi additur. Partus ancillæ fructus non est, sed est domini, & proprietarij, non possessoris bonæ fidei. [Leges autẽ iustè reddunt habeorem tutum in conscientia, sicut lex præscriptionis, cum ergo hæ leges sint iustæ, conditæ in bonum commune, ad tollendas lites inter veros dominos, quando comparent, & emptores bonæ fidei, erunt profectò obseruandę, & reddent tutum in conscientia emptorem illum.

Secundò, isti emptori bonæ fidei cessat actu, & reuera lucrum, quod ex precio dato latroni reportasset, est ergo consonum rationi, vt in recompensam illius precij detenti apud latronem, & illius lucri cessantis, concedantur ei fructus rei, quam bona fide emit, hoc faciunt istæ leges, sunt ergo iustæ, & reddunt illum tutũ.

Oppositum habent Caiet. hic, Syl. verb. fructus. Soto li. 4. q. 7. ar. 2. Victo. & omnes D. Tho. discipuli, docentes emptorem deductis laboribus, & expensis debere restituere vero domino vnà cum re furtiua omnes fructus illius. Ratio eorum est, quia res aliena est in integrum restituenda, fructus autẽ quos ipsa nata est producere, computantur in ipsa re, & ita vnà cum ea sunt necessariò restituendi, alioquin esset diminuta restitutio, & non integra.

Ad intelligentiam huius quæstio. obseruemus, esse duo principia, & regulas celebres in iure ciuili, à iure naturæ, & recta ratione deriuatas.

PRIMA REGVLA.

Vt quicunque ratione rei alienæ tenetur illam restituere, teneatur simul ad restituendum quicquid habet illius rei, & omne illud in quo per illam factus est ditior.

Ratio est, quia eo ipso quo res aliqua restituenda est, exigit natura restitutionis, vt restituatur, quantum fieri potest integrum, ad integritatem autem rei pertinet, quicquid illius rei est, & omnis vtilitas, quã ipsa ex se, & natura sua fert, vt qui tenetur restituere, verbi gratia, ouem, vt in integrum restituat, debet simul restituere, quicquid habet ouis, & omnem vtilitatem, quam ouis illa naturâ sua tulit, & in quo ille non sua industria, sed per ouem factus est ditior.

SECVNDA REGVLA.

Vt qui rem aliquam bona fide habet, etsi cum primum nouit alienam, teneatur illam restituere, quod tamen consumpsit ex ea durante illa bona fide, & in quo non est factus ditior, non teneatur restituere.

Quia quod ita consumpsit, perinde se habet, ac si apud eũ omnino periisset, nec vllo modo apud ipsum maneret, neque res, neque aliquid illius. Hæ regulæ iuris naturalis recipiuntur in ciuili. Prima ff. de peti. hære. l. item veniunt. §. præter hæc: qua regula ait Glossa nullam esse veriorem, & l. sed & in lege, eod. tit. secunda verò l. sequitur. §. lana. ff. de vsucap.

CONCLVSIO I.

Qui rem alienam habet restituendam, non solum tenetur eam restituere vero domino, verum etiam quoscunque fructus illius, qui apud ipsum adhuc existunt, & manent.

Probatur, fructus illi computantur in re, & sunt aliquid ipsius ex natura illius, ad integritatẽ autem restitutionis pertinet, vt restituatur vna cum re quicquid ipsius est, ergo. Secundò, accessorium sequitur naturam sui principalis, fructus est per se accessorium rei, ergo quotiescunque res restituenda est, & fructus eius. Habetur hæc concl. apertè in l. certum. C. de rei vindic. Vbi meritò Pau. de Cast. grauiter reprehendit alios Iurisperitos contra sentientes.

CONCLVSIO II.

Qui habet rem alienam, quæ restituenda est, non solum debet illam restituere, verum etiam id omne, in quo per illam factus est ditior.

Haec conclusio constat apertissimè ex obseruatione, & regula posita, quæ apud Iurisperitos adeò celebris est, & ex l. illa item veniunt. §. eos qui, & l. fructus, de vsuris. Et confirmatur, quia id in quo per rem alienam, quis factus est ditior computatur in ipsa re, & est aliquid ipsius: quamuis enim differant in genere naturæ in genere autem moris, & valoris in contractib. humanis pro eodem computantur, sed ad integritatem restitutionis pertinet, vt vna cum re restituenda restituatur, quicquid illius est, ergo.

Secundò, restitutio fit ad constituendam æqualitatem inter eos, quorum vnus habet minus, quam debet habere de suo, alter verò habet plus, quàm debet habere, sed qui consumpsit fructũ rei alienæ, & per eum factus sit ditior, id in quo factus est ditior, habet plus quam debet habere, & dominus rei non solum quo ad rem, sed etiam quo ad illum fructum habet minus, quàm debet habere, cum illius cuius est res, sit etiam quidquid computatur in re, cuiusmodi est omnis fructus, & vtilitas, quam res illa suaptè natura nata est parere, ergo qui tenetur restituere rem, tenetur etiam valorem & fructum illius, in quo factus est ditior.

CONCLVSIO III.

Fructus isti restituendi sunt, nisi possessi sint bona fide, toto tempore à lege præscriptio ad vsucapiendum illos.

Probatur, quemadmodum enim lex præscriptionis reddit liberum à restituendo possidentem bona fide rem alienam, toto tempore præscriptionis rem permanentem, ita quoque lex vsucapionis reddit liberum possidentem bona fide toto tempore vsucapionis rem mobilem, sunt autem fructus bona mobilia, ergo qui illos possederit per tempus in sua prouincia assignatum ad vsucapiendum res mobiles, non tenetur illos restituere. Et in hoc sensu intelligendæ sunt lex illa, Bonæ fidei, & l. illa. Sequitur, adductæ in primo argumento primæ opinionis, vt bonæ fidei possessor faciat fructus suos, quos possidet toto tempore assignato à lege, ad vsucapiendum bona mobilia.

CONCLVSIO IIII.

Partus ancillæ restituendus est, sicut ancilla suo domino.

Primò, quia partus (quicquid sit de voce) reuera est fructus ancillæ, & aliquid eius. Secundò, ex regula iuris, vt partus sequatur ventrem. Tertiò, quia filius ancillæ non alio titulo pertinet ad aliquem, nisi quia ad eundem pertinet ancilla, ergo cui restituenda est ancilla, eidem & partus, ac filius ipsius. consequentia aperta est. Antecedens verò patet, quia aut debet pertinere virtute alicuius legis, aut ratione emptionis ancillæ, non primum, quia nulla lex id habet, imò oppositum, vt partus sequatur ventrem, neque secundum, cum emptio sit nulla, & ancilla, vt aliena & furtiua restituẽda, vnde debet pertinere ratione ancillæ.

CONCLVSIO VLTIMA.

Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus rei permanentis, quos bona fide consumpsit, & in quibus non est factus locupletior: Neque fructus rei, quæ vnico vsu consumitur, quales sunt panis, vinum, etiam si in eis factus sit ditior, quando fur à quo talem rem accepit, est in potentia ad restituendum.

Probatur prior pars: Quia si possessor iste teneretur ad restituendos illos fructus, aut ratione rei acceptæ, aut ratione iniquæ acceptionis, non primum, cum illos iam omnino consumpserit, nec maneãt, nec secundum, cum consumpserit illos bona fide, & in eis non sit factus locopletior. Eadem ratione probatur altera pars, quia vel teneretur ratione rei acceptæ, vel ratione iniquæ acceptionis, non primum, cum res illa iam sit (vt constituimus) omnino consumpta, nec secundum, cum huiusmodi res, quæ vnico vsu consumuntur, panis, vinum, & similes, non sint restituendæ eædem numero, sed similes in specie, vel eiusdem valoris, & precij, quando fur est in potentia ad restituendum similes, vel eiusdem valoris, perinde se habet, ac si res illæ manerent apud ipsum, at si manerent apud ipsum, non teneretur alius illas restituere, sed ipsemet, fur, ergo.

Et confirmatur, si fur rem illam Petro gratis dedisset, aut vendidisset, maneretque furi facultas ad illam restituendam, non teneretur Petrus illam restituere, sic ut

sicut dicemus recipientem pecuniam ab vsurario non teneri ad restituendam illam mutuatario, à quo eam vsurarius accepit per vsuram, quando vsurarius habet aliunde vnde restituat, quia pecunia accepta per vsuram non est restituenda eadem numero, sed alia similis, ergo neque possessor bonæ fidei rem furtiuam, quam bona fide consumpsit, etiam si in ea factus sit ditior, tenebitur restituere, quando fur est in potentia ad restituendam illam in æquiualenti.

Ad arg. in oppositum, leges illas explicatas esse in tertia concl. Respondeo secundò, alias leges à nobis citatas in prima & secunda cōclusione illas corrigere, ac reuocare. Sed quoniam Iurisperiti grauiter ferunt legem aliquam per aliam corrigi, quasi leges humanæ verba Dei essent, cum dicamus vnum Pontificem alterius decreta (præter ea quæ pertinent ad fidem) cum mutentur tempora, aliquando reuocase. Respondeo tertiò, leges illas intelligendas esse de fructibus, quos emptor bonæ fidei durante illa bona fide consumpsit, sicut habet illa secunda regula posita.

Sed contra hanc regulam obijcies, animus & intentio parum facit ad debitum, & vinculum restituendi: hoc enim sumitur ex natura rei, sed si quis consumat fructus mala fide, tenetur restituere, ergo etiam si consumat bona fide. Probo consequentiam, quia qui consumit mala fide, ideo tenetur restituere, quia accepit, & consumpsit alienum, sed bona fides non tollit, quin fructus illi sint alieni, ergo. Secundò, si hædum ex grege meo acceptum bona fide consumas, ego quam primum id intelligo, possum accipere alium de grege tuo in recompensam, vel agere apud iudicem, vt illum mihi restituas, condemnabitque te iudex ad illum mihi restituēdum, nec liberaberis ab hoc debito per bonam fidem, ergo.

Ad singula suo ordine, ad primum respondeo, plurimum facere in his animum, & bonam fidem: nam qui mala fide accipit, aut consumit, etsi non teneatur ratione rei acceptæ, quia iam illa perijt, tenetur tamen ratione iniquę acceptionis, quia non solum accepit alienum, verum etiam mala fide, quando autem bona fide, neque tenetur ratione rei, quę iam consumpta est, neque ratione acceptionis, quia licèt acceperit alienū, non tamen iniquè, cum bona fide illud acceperit. Ad secundum dico, posita illa secunda regula vera, sicuti est, non esse licitam illam recompensam, neque deberi illum hædum, similiter constat bona fide, qua res aliena consumitur, non posse iudicem iustè obligare con sumentem ad restitutionem.

Ex doctrina huius quæst. soluuntur multi casus, & difficultates, quę circa ea, quæ bona fide consumuntur, vel à latronibus accipiuntur, possunt accidere.

Primum igitur, qui res alienas deprędatus est in bello iniusto, quod credebat iustum quam primum veritatem nouit, tenetur restituere quicquid prædæ apud ipsum manet, & id in quo per illam prædam factus est ditior, domos autem quas euertit, segetes quas combussit, animalia quæ occidit nō tenetur restituere, cū ista bona fide cōsumpserit, nec in eis factus sit ditior.

Secundò, negociator qui per vsuram acquisiuit mille, credens bona fide contractum, quo vtebatur non esse vsurarium, si cum illis mille lucretur, deinde sua industria 100. quam primum nouit contractum, quo acquisiuit illa mille, fuisse vsurarium, tenetur restituere illa centum autem quæ cum illis mille, deinde benè lucratus est, non tenetur, quia pecunia non est res fructifera ex se, sed sterilis, nec illa 100. pecuniæ illi sed ipsius industriæ imputanda sunt.

Tertiò, si rem quam bona fide à latrone dono accepi, deinde vendidi, quam primum noui, illam fuisse furtiuam, teneor precium illud suo domino restituere, quia in eo factus sum ex re aliena ditior, similiter si vestem, equum, aut quid simile bona fide à latrone accepisti, quibus vsus es ad aliquam vtilitatem tuam, teneris restituere vero domino, non quantum vestis illa, vel equus valet, sed quantum in simili re tibi necessaria expendisses, quia in eo factus es ditior, verbi gratia, dedit tibi latro vestem sericam, tu lanea contentus es, vt ea communiter vteris, occasione tamen illius doni cōsumpsisti sericam, non teneris restituere valorē sericæ, sed valorem laneæ qua vsus fuisses, quia in eo factus es ditior.

Denique, si quis sit à latrone inuitatus ad splendidā cœnam, ibique bona fide cibos sumat, postea intelligens illos esse furtiuos, nō tenetur restituere integrum valorem ciborum quos sumpsit, sed quantum ipse domui suæ in sua cęna expendisset, quia in eo factus est ditior, adeò, vt si quando fuit inuitatus, iam habebat cœnam, paratam, & factas expensas, nihil teneatur restituere, quia tunc in nullo ratione cœnæ ad quam est inuitatus, factus est ditior.

Exigit præsens locus, vt agamus.

De emptore, vel possessore malæ, vel dubiæ fidei.

DE quo sit concl. certissima, & regula infallibilis.

CONCLVSIO I.

Teneri ad restituendam rem, quàm mala fide, & recla māte propria cōscientia emitset habet, nec liberari ab hac obligatione, vt optimè admonet Sylu. Restitutio. c. 3. q. 7 per statutum disponens, vt res publicè empta in mercato sit ementis.

ESset enim huiusmodi statutum contra bonos mores. Hæc concl. est certa tenetur enim sic emens, & ratione rei alienæ, & ratione iniquæ acceptionis, cum illam emat mala fide. Et habetur in c. grauis, de rest. spolia. & in l. certum, & l. si nauis. §. Generaliter. ff. de rer. vindic.

CONCLVSIO II.

Hic possessor, vel emptor malæ fidei non potest rescinde re contractum cum latrone factum, si probabiliter timet, sicut communiter est timendum, illum non restituturum vero domino.

OPpositum docet Sylu. Rest. c. 3. q. 7. vbi affert in suam sententiam Alensem 4. p. sed nihilominus concl. posita est vera, & probatur. Fur non potest seipsum seruare indemnem, sed proprijs expensis tenetur restituere vero domino, possessor autem vel emptor malæ fidei est velut fur, cum videns & sciens contrectet rem alienam, vero domino illius rationabiliter inuito, ergo non potest seruare se indemnem retinendo rem, aut fructum illius.

CONCLVSIO III.

Hic possessor, vel emptor malæ fidei tenetur restituere vero domino non solum rem ipsam, vel precium illius si illam vendidit, verum etiam omnes fructus quos ex illa percepit, & quos diligens cultor ex illa percepisset, deductis expensis quas dominus illius rei erat facturus in ea colenda quia etiam lucrum cessans & damnum emergens, quæ dominus illius rei verè passus est propter illius defectum toto tempore, quo apud istum possessorem, vel emptorem malæ fidei illa mansit.

HÆc est contra Medinam asserentem ementem à latrone rem furtiuam, quæ vsico actu consumitur, non teneri ad restituendam illam vero domino, etiam si sciens, & videns emerit à latrone, nisi fur factus sit impotens ad restituendum. Probatur nihilominus

nus noſtra concluſio. Tenetur fur non ſolum reſtituere rem ſurtiuam ſuo domino, verum etiam reficere omnia damna, quæ ex defectu illius rei ſunt illi ſubſequuta, quorum ipſe per iniquam detentionem illius rei verè eſt cauſa, ſed hic malæ fidei poſſeſſor, vel emptor eſt, velut fur iniquè rem illam apud ſe detinens, ſicut & fur, ergo tenetur ad omnia damna, quæ verus dominus paſſus eſt ex defectu illius rei, quamdiu illam apud ſe iniquè detinuit, inter quæ continentur fructus percepti, & percipiendi, omniaque lucra verè illi ea de cauſa ceſſantia & damna emergentia. Quod intelligendum eſt de re ex ſe fructifera, quia ſi fructifera tantum ſit labore, & induſtria habentis illam, tunc non tenetur ad lucrum ceſſans, vt ſi accepit pecunias ab eo, qui non erat negotiaturus, ſufficit illi nudam pecuniam reſtituere, quia cum pecunia ex ſe res fructifera non ſit, non pecuniæ, ſed induſtriæ illius lucrum illud tribuẽdum eſt, idem iudicium eſt, ſi res fructifera tantum ſit, vt 10. latronis verò, vel ementis illam à latrone induſtria effecta ſit fructifera, vt ſecundò, tunc debet reſtituere illa 10. quæ ex ſe tuliſſet, non autem exceſſum illum, qui induſtriæ huius tribuendus quoque eſt.

Controuerſia Quarta.

AN QVI FVRATVS EST TRITICVM, quod dominus carius vendere inſtituebat alio tempore, teneatur reſtituere illud precium abundans, an ſolum triticum.

DIco varijs modis poſſe dominum tritici velle illud vendere, in primis ſi non erat illud ſeruaturus in aliud tempus, ſed anceps, vel paratus vendere ſtatim, & tempore quo fur illud rapuit, valebatq; quælibet menſura 10. tempore autem quo vendidit, valuit octo non ſufficit reſtituere illi 8. aut ſimilẽ menſuram, ſed decem, quia in decem illi reuera nocuit, cum liberum fuiſſet domino eo precio illud vendere: Si verò dominus ſtatuerat vendere, & ſeruare in aliud tempus, & latro non ſtatim vendidit, ſed ſeruauit in illud vel ſimile, in quo vilius venditur, quàm vendebatur tempore furti, tunc ſufficit, vt reſtituat illi eandem menſuram tritici, quam accepit, quia ea reſtituta in nullo manet læſus dominus iſtius tritici, cum idem triticum recipiat, idemque precium poſſit ex eo habere, quod erat habiturus tempore, quo ſtatuerat illud vendere. Quod ſi dominus erat ſeruaturus illud in aliud tempus, in quo propter abundantiam ſuperuenientẽ non valuit, dicamus, niſi 50. latro verò non expectato illo tempore vendidit ſtatim, accepitq; 100. eſt difficultas, ſufficiat ne reſtituere vero domino 50. an verò teneatur reſtituere illa 100. quæ accepit ex precio tritici furtiui.

Communis eſt Theologorũ ſententia, teneri in hoc caſu iſtum furem ad reſtituenda illa 100. Primò, quia cum precium rei, & res in contractibus humanis pro eodem computentur, precium quod reuera acceptum eſt pro re, debet vero domino reſtitui, quando res ipſa non reſtituitur, ſed in hoc caſu triticum illud reuera venditum eſt precio, vt 100. ergo illa 100. ſunt reſtituenda domino tritici.

Secundò, vtilitas rei ſecundum ſe, aut ex occaſione temporis computatur in re, eſtque tribuẽda rei, & conſequenter domino illius: latroni enim ſolum poteſt tribui vtilitas, quę labori, & induſtriæ ipſius debetur, ſed quod res ſtatim vendita valuerit centum, quæ in aliud tempus relicta non valuiſſet niſi 50. hoc temporis eſt, non induſtriæ latronis, ergo.

Tertiò, quia ſi latro tantum reſtituat 50. alia verò 5. ſibi retineat, percunctor, quo titulo poſſit illa ſibi retinere, certè nullo, nam nec ratione rei, quia erat aliena, & omnis vtilitas illius eſt domini ipſius, nec ratione venditionis, quia fuit iniqua & inualida, cum ergo nullo titulo poſſit illa retinere, tenetur neceſſariò reſtituere.

Denique, non ſolum res aliena reſtituenda eſt, verum etiam id omne in quo quis per illam factus eſt ditior, ſed latro in hoc caſu factus eſt ditior ex illo tritico, quod reuera erat alienum, in 100. ergo, &c.

De emptore dubiæ fidei.

DE emptore dubiæ fidei res eſt difficilior, vbi obſeruemus, huiuſmodi emptorem dupliciter poſſe dubitare, aut ipſo tẽpore contractus, aut poſtquam iam emit. Rurſum, qui à principio dubitauit rẽ, quam emit eſſe furtiuam, vel emit illam conſulens vtilitati veri domini, animo ſeruandi, & reſtituendi illam vero domino, quam niſi ipſe emeret, forſan verus dominus nunquam recuperaret, aut vt ſibi ipſi conſulat, & propriam tantum intendens vtilitatem.

CONCLVSIO I.

Qui emit rem, de qua eſt dubius tempore emptionis ſit ne furtiua, emit verò illam conſulens vtilitati veri domini, non peccat, tenetur tamen quærere diligenter pro qualitate rei, & dubij verum illius dominium, & eo inuento rem illam ipſi reſtituere, accepto precio, quod pro illa dedit.

HViuſmodi emptorem non peccare, patet, quia talis emptio eſt actus charitatis, cum per eam nitatur emptor conſulere vtilitati veri domini: vnde commendatur charitas huiuſmodi emptoris, probaturq; talis emptio in iure Cano. Rapina. 14. q. 5. Quod teneatur quærere verum dominum diligenter, & eam illi reſtituere, patet etiam, quia aliter retinet alienum, quod eſt furtum, in moralibus namque idem ſunt retinere, quod probabiliter dubitas eſſe alienum, & retinere alienum, ſicut idem eſt comedere carnes in die, de quo prudenter dubitas, an ſit ieiunium, & comedere illas in die, quem ſcis eſſe ieiunium. Denique, quod huic emptori liceat accipere precium quo rem illam emit, vt ſuo domino ipſam cuſtodiret, oſtendo. Nemo tenetur niſi ſit alterius cuſtos, vel tutor, curare aliena commoda, vel vitare aliena damna cum proprio detrimento, in hoc autem caſu iſte emptor curauit bonum veri domini illius rei, vitauitque illius damnum, ergo. Et confirmatur, quia huiuſmodi emptio (vt dicimus) eſt actus charitatis laudatus in iure, ex emptione verò adeo honeſta, & laudabili nemo debet recipere damnum.

Secundò, in foro exteriori datur actio huic emptori ad recuperandum à vero domino precium, quod dedit pro illa re, vt patet ex can. illo. Rapina, & eſt ſententia Hoſtien. in titulo de pœnitentia, quem ſequuntur multi Iuriſperiti, at quod iudex dicat, & ſecundum leges perſpecta rei veritate iuſtum eſt, & honeſtum, ergo. Nec valet, quod Bal. & Pau. de Caſt. l. 1. ff. de nego. geſt. negent huic emptori actionem in iudicio, niſi dominus rei ratam habuerit illam emptionem, intelligendi enim ſunt, quando emptor non poteſt in foro exteriori probare illum bonum animum, quẽ habuit.

Tertiò, huiuſmodi emptor (ſi res exactè conſideretur) non dedit precium illud pro re illa, ſed pro illius cuſtodia, & ad eam redimendam ab iniuria latronis, precium autem ſic datum tuta conſcientia recipi poteſt, ſicut qui redimit hominem ne pereat apud Turcas. Dixi accipi poſſe, quia ſi dominus non velit illud dare, non tenetur, quia pro re ſua recuperanda nemo tenetur quicquam ſoluere, niſi promiſerit, aut à iudice condemnetur.

CONCLVSIO II.

Qui emit rem à latrone, vt suo domino illam seruet, illo post debitam diligentiam non comparente, tenetur illam vel illius valorem in pios vsus conuertere.

PAter, quia habet alienum, quod ratione rei conuertē dum est in opera pia, cum sit dominus omnino incertus, poterit autem in hoc casu precium, quod pro illa dedit sibi retinere, tùm quia potuisset illud accipere à vero domino, tùm etiam quia iste non accepit rem, sed custodiam eius.

CONCLVSIO III.

Qui emit in proprium commodum, dubitans ipso tempore emptionis rem illam esse furtiuam, peccat mortaliter, nec potest illam alteri vendere, aut rescindere contractum cum latrone, sed tenetur illam vero domino restituere, perinde ac si mala fide emisset.

PRobatur prior pars, quia sciens, & volens exponit se periculo emendi, & accipiendi rem alienam inuito domino, quod est voluntariè cooperari furto. Secunda verò patet, quia in moralibus, & contractibus pro eodem reputantur dubia fides, & mala fides: perinde enim peccat, vt diximus, & agit contra conscientiam, qui rationabiliter dubitans, sit ne hodie ieiunandum, comedit hodie carnes, sicut qui sciens apertè esse ieiunium illas comederet, sed qui emit mala fide tenetur ad restituendam rem vero domino, ergo & qui dubia.

Secundò ex l. bunæ fidei, de acquirendo rerum domin. vbi dicitur. [Emptorem bonæ fidei, & non dubię facere fructus suos.] Quod si emptor fidei dubię non facit fructus suos, sed tenetur illos vero domino restituere, multò magis rem ipsam.

Hæc conclusio est maximè notanda propter emptores vestium, & aurifices, ropauejeros, pelleros, plateros, & similes, qui facilè possunt agnoscere rem esse furtiuam, vel saltem rationabiliter dubitare, paruitate autem precij, & spe lucri adducti, facilè cum dubia fide emunt: sunt enim isti obligandi ad inquirendos veros dominos.

Sed contra hanc tertiam conclusionem objicies: In dubijs melior est conditio possidentis, ergo qui emit dubia fide, poterit domino non comparente rem emptam sibi retinere. Respondeo regulam istam iuris intelligendam esse de emptore, & possessore bonæ fidei, cui postea superuenit dubium; hic enim solus dicendus est possessor, cum rem illam per aliquod tempus bona fide detinuerit, non qui ipso tempore cotractus est dubius, nec aliquo tempore cum bona fide illam detinuit, quia possessio rei est illius cum bona fide detentio.

CONCLVSIO IIII.

Qui rem bona fide emit, sed deinde incipit dubitare, si facta debita diligentia sit ex æquo dubius, vel magis declinet in suam partem, quàm in oppositam, potest illam tuta conscientia retinere.

RAtio est, quia in hoc dubio potior est conditio possidentis, quamuis si velit eam vendere, debeat explicare emptori dubium quod habet, quia illud est defectus rei pertinens maximè ad indemnitatem emptionis, tenetur autē venditor explicare emptori iure naturæ defectum rei, & seruare illum indemnem, alter namque esset vendere cum fraude. Quod si facta diligentia sit ita dubius, vt magis censeat rem illam esse furtiuam, quàm suam, quærat verum eius dominum, quem si certò inuenerit, restituat illi in integrum, si verò inuenerit quidem dominum, non tamen ita certū, sed de quo adhuc est aliquod dubium, restituat ei aliquam partem, vel cum illo conueniat iuxta ea quæ diximus agentes de possessore dubiæ fidei. q. 5. de dominio art. vlt.

Circa tertiam & quartam conclusio. quas habet hic D. Tho. obseruemus primò, iustam acceptionem tripli cem esse, aliam in commodum eius, qui accipit, vt in mutuo, de qua agit D. Tho. in tertia concl. aliam in vtilitatem eius, qui dedit, vt in deposito, de qua agit in quarta, aliam verò quæ fit in vtilitatem vtriusq; , tàm dantis, quàm accipientis, vt in locato & conducto, eu ius non meminit hic D. Tho. quia forsan ex simplicibus voluit intelligi coniuncta, & composita. Est autem acceptio hæc tertij generis, velut composita ex alijs quas proponit.

Obseruemus secundò, acceptionem illam primi generis, quæ fit in vtilitatem tantum accipientis, adhuc duplicem esse, aliam quæ dicitur mutuatio, & alteram quæ dicitur commodatio, mutuatio est earum rerum, quæ vnico vsu consumuntur, vt panis, vini, &cæt. propter quod eo ipso, quo mutuo dantur, transfertur earum dominium in mutuatarium, potestque illis vti vsque ad earum consumptionem, nec tenetur easdem numero restituere, sed sufficit restituat similes in specie, vel æquiualentes: est enim mutuatio quędam venditio, vel saltim contractus quidam illi similis, commodatio verò est earum rerum, quæ non consumuntur vnico vsu, sed permanent, vt vestis, equus, domus, quarum vsus transfertur quidem per aliquod tempus in accipientem, non tamen dominium, quo fit, vt non possit illis vti vsque ad earum consumptionem, sed teneatur necessariò accommodatarius easdem numero restituere ei qui accommodauit, essetque iniquitas & dolus, rem illam occultare, spe restituendi precij, cum is qui accommodauit solum tradiderit vsum nudum per aliquod tempus. His positis tertia conclu. D. Tho. verissima est, & extra omnem dubitationem accipientem aliquid mutuo teneri ad illud restituendum, si apud ipsum pereat, etiamsi sine vlla culpa ipsius pereat, tum quia accepit illud in suam vtilitatem, tum quia mutuans fecit, illi gratiam, essetque maximum absurdum, vt ex beneficio, & gratia, quam alteri præstitit, reportaret damnum: Difficultas est in cōmodato.

Controuersia Quinta.

AN QVI ACCEPIT REM COMMODAtam, vt vestem, vel equum, teneatur illam restituere, si apud ipsum perierit sine vlla culpa ipsius.

EAdem quæst. erit de re locata, & conducta, cum locatio, & conductio reducantur ad commodatum, quamuis differant in eo, quod in accommodato, vsus rei conceditur gratis, & amicè, in conducto verò, & lucato sub pretio, & stipendio. Quæstioni occasionem obtulit Gregorius nonus c. finali de iniurijs, & damno dato cuius verba sunt.

Si culpa tua datum est damnum, & iniuria irrogata, seu alijs irrogātibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua siue negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere, vel iacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare teipsum, quod tamen ad deliberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueuerunt nocere fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere. Sanè licet, qui occasionem damni dat damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui vt non accideret, de contingentibus nihil omisit.

Et

Et cap. vnico de commodato vbi haber.

Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur: licèt casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel interuenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.

Ad intelligentiam huius controuersiæ obseruemus primò in isto cap. vnico Pontif. tria statuere: primo casum fortuitum sine vlla culpa accommodatarij euenientem non esse ipsi imputandum. Secundò teneri commodatarium ad restituendum, si aliqua culpa vel leuissima ipsius intercesserit, aut fuerit in mora reddendi commodatum domino suo, & teneri simul ad restituenda domino omnia damna inde sequuta. Tertiò commodatum pro aliquo vsu vel tempore ante illum vsum vel tempus completum, non posse à domino repeti, & postulari.

Obseruemus, secundò tripliciter posse rem accommodatam perire. Primò fraude, & malitia commodatarij, vel quia ipse illam distrahit, aut quia videns illam perire non impedit cum possit. Secundò casu fortuito sine vlla culpa eius, vt igne vel ruina domus. Tertiò ea negligentia, & culpa ipsius, quia in ea custodienda non adhibuit eam diligentiam, quam solent homines in similibus genere rei adhibere. Rursum culpa, & negligentia duobus modis considerari potest, vt docet Adria. in 4. tract. de restitutione, dubio speciali de hac culpa, aut Theologicè, aut iuridicè, Theologicè culpa vocatur omnis deuiatio à lege eterna, quæ si grauis sit dicitur mortalis, si leuis venialis. Iuridicè autem culpa est declinatio ab æquo & bono, & ab eo quod homines communiter solent facere in tali causa, & negocio. Vnde quo ad præsentem disputationem vocatur culpa negligentia in custodienda re, constituitur autem huiusmodi culpa, sine negligêtia triplex, grauis, quam Iuristæ vocant latam, & leuis, & leuissima: grauis siue lata, & ampla est deuiatio circumspecta ab ea diligentia, quam communiter adhibent homines eiusdem professionis in tali re etiam qui parum circumspecti sunt, leuis, illa deuiatio incircumspecta à diligentia, quam communiter adhibent homines diligentes, & circumspecti in similibus rebus, leuissima verò, deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam homines plurimum diligentes, & maximè circumspecti solent in ea re adhibere. Explicat hæc Sylu. in verbo Culpa. §. 1. nu. 2. accommodatissimo exemplo accômodo librum scholastico amico obliuione reliquit illum in sedili lapideo plateæ, vel limine domus, vnde statim à transeuntibus sublatus est, illa obliuio, & negligentia, est lata, & grauis, reliquit illum intra domum, & cameram super sedile vel mensam, sed ostio aperto, est negligentia leuis, quia vir diligens circumspectus talem etiam negligentiam cauisset, reliquit illum intra cameram, ostiumque clausit, sed non inclusit illum in arca firmata claui, est negligentia leuissima, quia diligentissimus, & maximè circumspectus ab hac etiam negligentia caueret et cauere.

Obseruemus Tertiò, non esse idem culpam grauem apud Iuristas, quod est culpa mortalis apud Theologos, nec idem leuem apud illos quod venialis apud nos, potest enim esse culpa grauis iuridicè, quæ tamen apud Deum non erit peccatum, mortale, imo forsan neque veniale. Et è conuerso potest aliqua culpa, & negligentia iuridicè esse leuis, quæ erit peccatum mortale apud Deum: verbi gratia, qui vt se tueretur ab aggressore, vel vitaret aliquod damnû, traderet, obliuioni, & relinqueret in platea librum sibi accommodatum, neç venialiter peccaret, iuridicè autem grauis esset illa negligentia, & culpa. Similiter qui librum hæretici ex facultate inquisitorum haberet accommodatum, & nô includeret in arca sciens domi suæ existere aliquem, qui illum optat legere, & quo lecto periclitatur contaminari, est in conscientia, & foro animæ hæc negligentia mortalis, iuridicè autê leuis vel leuissima.

Hispositis Adrian. in 4. in materia de restitutione q. speciali, An teneatur in foro animæ restituere qui alterum damnificauit ex leui, vel leuissima culpa, dicit duo. Primum est, si damnum sequutum sit sine vlla culpa tua tam Theologicè quam iuridicè, id est sine vllo peccato tuo, nec mortali, nec veniali, & sine vlla negligentia tua, neç graui, nec leui, nec leuissima, ad nullam te restitutionem teneri, quod probat ex cap. finali de iniurijs, & damno dato, maximè ea vltimis verbis, vbi dicitur: licèt qui occasionem damni dat, damnum dedisse videatur, secus autem de illo est, qui vt ne accideret de contingêtibus, nihil omisit, vbi habetur aperte hoc primum dictum Adriani, in quo tamen videtur loqui Adrianus generaliter in quacunque re, & non solum in accommodato, in quo non transfertur dominium.

Secûdum dictum eius est, si damnum subsequutum sit aliqua culpa tua siue Theologicè, siue iuridicè sumpta, teneri te ad restitutionem illius damni, vbi quoque non solum loquitur de accommodato, sed in vniuersum de quacunque re. Probatur autem illud ea eodem cap. citato, vbi dicitur si tua culpa damnum datum est, iure super his satisfacere te oportet, & subdit, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, vbi nulla fit distinctio culpæ. Vnde arguit ex regulis iuris vbi legislator non distinguit neque nos distinguere oportet, sed in isto cap. finali non distinguitur inter hanc vel illam culpam, sed de quacunque culpa dicitur si tua culpa damnum datum est, &c. ergo siue negligentia fit culpa venialis Theologicè, siue grauis, siue leuis, aut leuissima iuridicè, tenetur qui alienum habet, si aliqua culpa ipsius perierit, domino suo illud restituere.

Sylu. in verb. Culpa. §. docet in foro animæ illum tantum teneri ad restituendum alienum, cuius culpa lata siue graui illud perit, adducitque in eam sententiam Innocentium, & alios multos Canonistas, Sed idem in verb. Commodatum. quæst. 8. & Nauar. in suo Manual. cap. 17. num. 184. volunt commodatarium, id quod accepit in suam vtilitatem, teneri ad restituendû, etiam si ea leuissima culpa ipsius illud pereat, quia in illo c. vnico apertissimè ita habetur. Eandem sententiam habet hic Caiet. quamuis non explicant neque ipse neque Sylu. quæ ista culpa leuissima.

Domi. Soto lib. 4. de iust. q. 7. artic. 2. habet quatuor. Primò in hac quæstione non esse accipiendam culpam leuem, quæ exigitur in illo cap. Vnico, vt commodatarius teneatur restituere, Theologicè, pro veniali sed iuridicè, pro ea negligentia à qua cauisset homo diligens, & circumspectus. Secundò non quamcunque leuem culpam obligare ad restitutionem, sed eam, quæ coram Deo est pec. mort. Pro veniali enim (inquit) obligare ad restituendum, videtur absurdum, primò, quia esset pœna nimis rigida, secundò quia vix homines valent se eximere à negligentijs, & culpis venialib. Tertiò, quia si culpa venialis obligaret commodatarium ad restituendum, oporteret similiter obligare Gubernatores, Iudices, Aduocatos, & similes ad innumeras restitutiones, innumeras negligentias veniales, quas ipsi in suis officijs committunt, & à quibus via caue possunt. Quod si obijcias contra Sotum, haberi in iure commodatarium teneri etiam ea leui, vel leuissima culpa, ait, vocari culpam istam in iure leuem, vel leuissimam, non quasi non sit pecc. mor. in foro animæ, sed quia negligentia, quæ exigitur in commodatario, vt teneatur ad restituendum, quamuis sit peccat. mortal. est tamen leuis comparatione negligentiæ, quæ exigitur in depositario, vt teneatur ad restituendum depositum: in commodatario enim sufficit negligentia, à qua cauisset homo circunspectus, modò sit mortalis, quæ non sufficit, vt videbimus in depositario, etiam si perueniat ad peccat. mor. vt teneatur ad restituendum, sed exigitur illa lata, & grauissima, qua cauisset, & homo parum circumspectus. Ait tertiò in

in his standum esse foro exteriori, & id restituendum, quod iudex præceperit. Ait denique commodatarium teneri, quando culpa ipsius est mortalead totum, vel partem, iuxta grauitatem suæ negligentiæ, quia potest negligentia ipsius, & intra limites mortale grauior esse, vel leuior.

Hæc opinio Domin. Soto singularis est, & recedens à communi, & recepta inter Theologos, qui volunt leuem culpam & negligentiam, etsi non sit Theologicè mort. obligare, nihilominus commodatarium ad restituendum: habent illud apertè Adria. & Syluest. loco cit. Caiet. verò etsi non explicet distinctè, qualis debeat esse culpa leuissima obligans ad restituendum, satis tamen apertè indicat, non esse necessarium, vt sit pecc. mortal. Explicans enim tertiam conclusionē D. Thom. ait, accipientem rem in vtilitatem suam, siue transferatur dominium illius in ipsum, vt in mutuo, siue non, vt in commodato, teneri ad restituendum, mutuatarium quidem simpliciter, commodatarium verò si res apud illum pereat, quia regulariter (inquit) perit, aliqua culpa ipsius, vbi apertè omne genus culpæ complectitur.

Opinio Domin. Soto excluditur ab omnibus recentioribus & meritò: primò, quia commodatarius tenetur restituere, non ratione peccati, sed ex natura contractus: est enim natura huius contractus, vt commodatarius, cum rem illam in suam vtilitatem recipiat, ea solicitudine custodiat, vt de nulla negligentia argui possit, quod si aliqua interueniat quantumuis leuissima, cum iam non adhibuerit omnem solicitudinē, sed possit alicuius negligentiæ argui, ex natura huius cōtractus tenetur restituere: quam rationem insinuat cap. illum vnicum de commodato, dicens. [Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur.]

Secundò, quia iuridicè intelligenda sunt, nisi recta ratio aliter exigat, nulla autem ratio exigit, vt ca. istud vnicum de accommodato non accipiatur iuridicè, ergo commodatarius ex leuissima etiam culpa iuridicè sumpta tenetur ad restituendum, leuissima autem culpa iuridicè sumpta non exigit, vt sit mortalis: Ergo.

Tertiò, si non teneretur cōmodatarius ad restituendum, nisi negligentia ipsius esset mort. ferè nunquam teneretur ad restituendum, quod est absurdum: patet consequentia, quia nisi ex malitia, & data opera rem accommodatam distrahat, (quod rarissimè accidit) non solet perire res apud commodatarium, nisi ex obligatione, & incuria aliqua veniali. Vnde rarissimè tenerentur homines restituere sibi accōmodata, quæ apud ipsos perirent. Quod esse maximum absurdum, & in damnum Reipubl. ex eo patet, quia si hoc ita esset, arcerentur homines ab accommodandis rebus suis, vel amicissimis.

Quartò sequeretur ex eadem opinione, iudicem vix vnquam posse condemnare commodatarium ad restitutionem damni.

Primò, quia esset difficillimum probare iuridicè negligentiam illius peruenisse ad pecc. mort.

Secundò, declinaret commodatarius facilè iudiciū, dicens non pertinere ad iudicem sæcularem, definire an omissio ipsius sit pecc. mort. nec pareret sententiæ, affirmans fundari illam in falsa præsumptione iudicis, existimantis negligentiam ipsius fuisse mort. cum reuera non fuerit.

Denique ex ipsomet Soto in his standum est foro iudiciali, sed in isto foro condemnatur commodatarius ad restituendum, si constet de culpa leuissima, nec quærit iudex fuerit ne illa peccatum mor. an non ergo.

Quod si dixerit Soto sententiam iudicis punire etiā negligentiam venialem, hoc nullus Theologorum admittet, quia sententia iudicis non potest tanta pœna punire culpam venialem, nisi absolutè, & iure naturæ ratione illius culpæ debeatur ei illa pœna.

Sententia Adria. quo ad accommodatum vera est, generaliter autem sumpta, quatenus ab ipso proponitur, in omni genere rei non est vera: Principes enim, Gubernatores, & Duces, ac similes non obligantur ad restituendum ob negligentias venial. sui muneris, cum illas vitare vix possint, nec ista munera suscipiant, nisi cum debito vitādi eas negligentias, quas humana imbecillitas valet cum Dei adiutorio effugere, veniales autem de fide est posse nos vitare singulas, non autem omnes. Tum etiam, quia ista munera non in propriā vtilitatem, sed in communem, & publicam accipiuntur, commodatum verò in propriam, & priuatam commodatarij.

Cæterum vt in quæst. adeò difficili, & ancipiti omnia in vnum colligamus.

CONCLVSIO PRIMA.

Si res accommodata culpa commodatarij, vel leuissima, & quæ non perueniat ad pecc. mort. pereat, tenetur commodatarius illam restituere.

Habetur hæc expressè in illo cap. vnico: nec est admittenda explicatio Dom. Soto, cum sit contra communem sensum omnium DD. colligitur eadem conclusio ex l. in rebus, & l. sint certi. §. accommodatū. ff. de commodato. Quæ iura non sunt pœnalia, quasi punienna negligentiam commodatarij, sed explicant, ac decernunt, quod exigit ius naturæ. Ex natura enim rei, qui tibi in tuam vtilitatem aliquid accommodat, ea lege & fide accommodat, vt tenearis rem illam omni solicitudine custodire, cui custodiæ quæuis negligentia etiam venialis, & leuissima repugnat.

Vnde est argumen. Iure naturæ commodatarius cū in suam vtilitatem rem accipiat debet esse gratus accommodanti, & rependere illi beneficium acceptum, seruando illum indemnem, quantum humana industria valet, at si ex negligentia ipsius, vel leuissima res accommodata pereat, non seruat illi hoc ius, nec vtitur hac gratitudine, adeò debita, nec seruat illum indemnem, ergo iure naturæ tenetur illi restituere.

Secundò, si quando Petrus aliquid accōmodat Ioanni, interueniret hoc pactum inter eos, vt teneretur Ioannes rem illi sibi accommodatam tanta diligentia custodire, vt nec minima negligentia ipsius periret, procul dubio interueniente hoc pacto, si res illa periret ex quacunque negligentia Ioannis, vel leuissima, teneretur Ioannes rem illam Petro restituere, habeturq; ita in illo cap. vnico de commodato, vt teneatur, si interuenerit pactum. Sed cum de quouis homine præsumi debeat, velle se seruare indemnem, quando iustè potest, existimandum semper est inter commodantem, & commodatarium interuenire huiusmodi pactum, saltem implicitum, neque animi illius esse aliter accommodare, ergo. Et confirmatur, quia iure naturæ exigente, accommodans cum sit alteri vtilis, non debet ex beneficio culpa illius reportare damnum, reportaret autem, si res vel leuissima culpa accommodatarij perdita non esse ei restituenda.

Probant hanc conclusionem omnia argumēta, quibus impugnatur M. Soto.

CONCLVSIO II.

Commodatarius non tenetur ad aliquid restituendum, quando res perit casu simpliciter, & omnino fortuitò, cui nec circumspectus, ac diligens, & prouidus potuisset prouidere.

Et ratio est aperta, quia commodatarius non tenetur restituere, nisi quando res perit aliqua culpa ipsius, qñ autem perit casu omnino fortuito, nulla interuenit culpa ipsius, quia inter hæc casum fortuitum, & cul-

& culpam aliquam vel leuissimam non intercedit medium aliquod, etenim si casus est omnino fortuitus nulla est culpa, si verò aliqua est culpa iam non est casus omnino fortuitus. Ita definitum est in illo cap. vnico intelligenda autem hæc doctrina est cum tribus limitationibus.

Prima, si casus ille nō sit omnino fortuitus, quod accidit, quando aliqua culpa commodatarij euenit, vt si non circumspectè extinguit lucernam, aut accendit ignem, propter quod res combusta est, si qui accepit equum vt iret Cęsaraugustam, in illo agressus est duellum.

Secunda, si fuit acceptum precium constitutumque pactum de reddendo commodato, quacunque ratione periret.

Tertia, si fuit commodatarius in mora reddendi rem accommodatam, & tunc successit casus ille, quæ omnia habentur in illo cap. Vnico. Quæ verò diximus de casu fortuito, intelligenda sunt de casu certo, & indubitanter fortuito, quia res sit dubia, perierit ne casu an negligentia, vel acciderit ne ille casus culpa commodatarij, an non, tunc sic dubius tenetur restituere, primò, quia in dubijs potior est ratio possidentis, dominus autem rei cum in accommodato non transtulerit dominium illius, est, adhuc possidens, secundò quia eum dederit in vtilitatem, & gratiam alterius, in dubijs potius debet pati damnum qui accepit beneficium, quam qui dedit, vnde interest inter mutuatarium, & commodatarium quod ille tenetur, etiam si casu fortuito, & sine vlla culpa ipsius res pereat, quia per mutuum transfertur dominium, & vnaqueque res si perit, domino suo perit, commodatarius verò, cum per commodatum non transferatur dominium, non tenetur ad restituendum, si casu omnino fortuito res pereat, sed tunc tantum, quando aliqua culpa ipsius interuenit.

CONCLVSIO III.

Quotiescunque commodatarius tenetur restituere, tenetur in totum, & in integrum.

Patet hæc conclusio, in primis ex iuribus citatis, quę omnia absolutè, & simpliciter præcipiunt talem restitutionē nulla facta distinctione totius, vel partis, & est communis sententia omnium DD. tam Theologorum, quàm Iuristarum vnico tantum excepto Domin. Soto. Et probatur ratione, obligatio restituendi commodatum non oritur (vt constat) ex qualitate culpæ, quod sit venialis, vel mort. sed ex negligentia, iuridicè accepta, & ex natura talis contractus, sed negligentia, vel culpa, si aliqua est in commodatario, versatur circa totam rem accommodatam, natura quoque huius contractus accommodati exigit, vt accommodans nullum patiatur damnum ex beneficio, quod præstitit commodatario, neq; in toto, neque in parte, ergo debet illi restituere in totum.

Secundò, si pro quantitate culpæ esset restituēdum aut in totum, aut in partem, esset difficile, & perplexū definire quanta sit negligentia commodatarij, vt iuxta illam dijudicaretur quantitas restituenda ab ipso rei perditæ: neque tale est in vsu apud iudices, sed quam primum constat iuridicè de culpa commodatarij, & ex negligentia eius, & si læuissima, rem illam perisse, condemnatur ad restituendum in integrum.

Quod si aliquando iudices non condemnent commodatarium ad restituendum in integrum, quod rarissimè accidit, illud non fit, quia aliquando negligentia illius sit venialis, aliquando mort. & intra limites mort. aliquando grauior, aliquando minus grauis, vt vult Soto, sed quia aliquando de negligentia commodatarij siue leui, siue leuissima probatio iuridica ita dubia est, vt iudex sit anceps, an interuenerit culpa, & in eo casu, qui non est certus de culpa, non condemnat eum in totum, quia verò probabiliter est dubius, & in dubijs inclinandum est in fauorem commodantis, vt domini, & possessoris, pœnes quem semper mansit dominium rei commodatę, condemnat commodatarium in aliquam partem, pro ratione dubij, & suspicionis, quàm ex se obtulit, aliter, si certè constaret de culpa, etsi leuissima, condemnaret illum in totum. Dico etiam accidere aliquando, vt condemnetur commodatarius in partem, quia aliquando res illa restituenda non habet certum precium, sed varium, & multiplex, condemnatque iudex ad restituendam rem commodatam, & perditam in maiori vel minori precio pro quantitate culpæ, quod propriè non est condemnare in partem, sed in totum quoque, licèt non in summo precio.

Contra primam conclusionem hic positam posset aliquis objicere, cum ex D. Thom. in hoc art. mutuatarius teneatur restituere, si res perit, etiam si nulla culpa ipsius pereat, quia accepit illam in suam vtilitatem, videbitur similiter iudicandum de commodatario, cū in vtilitatem quoque suam accipiat, quod accipit commodato, vbi enim eadem existit ratio, par quoque, & idem debet esse iudicium. Dico nihilominus aliter esse iudicandum de ipsis: Mutuatarius namque (vt modò dicebamus) debet restituere etiam si res mutuo accepta sine vlla culpa ipsius pereat, quia per mutuum non solum accepit rem illam in suam vtilitatem, verum etiam vt suam, cum in mutuo transferatur dominium, vna quæque verò res, si perit, domino suo perit, commodatarius verò, cum solam recipiat vtilitatem, & vsum rei, non autem rem ipsam, quia in commodato non transfertur dominium, si pereat, non tenetur illam restituere, quia non ipsi, sed domino suo perit, nisi iam aliqua culpa ipsius periret.

Nunc ad argumentum Dom. Soto: Ad primum respondeo pœnam illam, si quidem à iure humano imponeretur, esse rigidam, cum tamen non imponatur ab ipso, sed tantum explicet quod exigit ius naturæ, propria ratio istius contractus, vt constat, non est iudicanda ex his.

Ad secundum dico, à culpis venialibus vix homines posse se liberare, nihilominus rem, quam habent in suam vtilitatem accommodatam possunt ea solicitudine custodire, vt nulla ipsorum negligentia pereat, & cum ex natura contractus homines res suas ita accommodent, vt quantum fieri potest custodiantur, nec vlla in eo interueniat negligentia, si aliqua interuenerit, non tam propter peccatum (sicut dictum est) quàm contractu accommodati ita exigente, tenentur restituere, experientia enim constat homines hoc animo res suas accommodare, vt easdem accipiant, nisi casu aliquo fortuito, cui humana industria prouidere non valuit, pereant.

Ad tertium dico, Principes, Duces, & alios habentes munera publica, non teneri ad vitandas omnes negligentias veniales sub pœna restitutionis, quia nec accipiunt munera in suam ipsorum vtilitatē, sed aliorum, nec illa exigunt, nisi vt adhibeant diligentiam commodam, & quam solent diligentes vni adhibere, non autem omnem, quæ adhiberi potest, at in accommodato cum rem accipiat accommodatarius in suam ipsius vtilitatem, accipit hac lege, vt rem illam omni custodia seruet, ita vt nisi casu fortuito aliter non pereat.

Controuersia Sexta.

AN DEPOSITARIVS TENEATVR *ad restituendum depositum, quod apud ipsum perit.*

OBseruemus depositum trifariam posse accipi custodiendum, aut simpliciter, & gratis aut accepto aliquo stipendio, aut cum pacto seruandi illud omnino indemne quacunq. ratione pereat, loquitur hic D. Tho. de deposito primi generis, quando ait, depositarium, cum non accipiat depositum in suã vtilitatem, sed dantis, nõ teneri ad illud restituendum, nisi magna ipsius culpa pereat, & de hoc est potissima quæstio, quæ culpa exigatur, vt depositarius teneatur restituere, nam nõ teneri ipsum ad restituendum, nisi aliqua culpa ipsius depositum perierit, omnibus est in comperto.

Adrianus in 4. in materia de restitutione fo. 48. & 49. ait teneri illum vel ex leuissima culpa iuris. Probat primò, ex varijs iuribus capit. enim finali de iniurijs, & damno dato dicitur, [Si tua culpa damnum datum est, &c. Vbi per culpam intelligitur negligentia, & cum textus non distinguat inter hanc, vel illam, omnem comprehendit etiam leuissimam. In ca. secundo de deposito habetur, [Si pactum, vel culpa, idest negligentia, vel mora intercessit, casus etiam fortuitus imputandus est depositario.] Vbi omnis etiam culpa includitur, nec distinguit textus inter hanc, vel illam. Et in can. Consuluisti. 2. q. 4. Et can. In lectum, 34. quæs. 2. obligantur in similibus rebus ex leuissima culpa ad restituendum.

Secundò, in iure tenetur aliquando depositarius restituere in casu omnino fortuito, ergo multo potius tenebitur ex leuissima culpa. Consequentia aperta est, quia si in casu fortuito, in quo omnino excusatur commodatarius, tenetur multò magis, si aliqua culpa ipsius, etsi leuissima interueniat. Antecedens verò patet cap. 5. de deposito, vbi habetur: [Depositarius, qui vt custodiat, se vel res suas, permittit in casu fortuito perire res depositas, tenetur depositũ restituere. Et confirmatur, quia in iudicio cõdemnabitur depositarius, qui in isto casu patietur depositum perire.

Soto vbi supra docet depositarium teneri ad restituendum, quãdo culpa eius est mortalis, & multo grauior quam sit illa commodatarij, quia cum hic recipiat in suam vtilitaté, sufficit in eo minor culpa, quam in depositario, qui non in suam, sed in dantis vtilitatem rem recipit. Et in hoc sensu, inquit, habet hic D. Tho. in quarta conclu. depositarium non teneri nisi, ex magna culpa.

Syluester in verbo, Depositum. q. 1. Summa Angelica num. 3. Nauar. cap. 17. nu. 181. & 182. Caiet. hic, & omnes ferè recentiores, quos sequemur, aliter sentiunt. Sit ergo.

CONCLVSIO I.

Depositarius, qui sine stipendio, vel pacto restituendi rem quocunque modo pereat, sed gratis tantum. & amicè, vt communiter fieri soluet soluat depositum, tenetur illud restituere, si malitia eius vel graui, & lata negligentia ipsius pereat, siue illa mortali, sit siue non.

HAbetur hęc conclus. ff. de deposito. l. Prim. §. Vlt. & capit. 2. de deposito. Et probatur, isti duo contractus, commodatio, & depositio sunt quasi extremè oppositi, quia commodatio tota est in vtilitatem accipientis, depositio verò in vtilitatem dantis, vnde debent similiter obligare ex negligentijs inter se quasi extremè oppositis, sed commodatio obligat ex negligentia etiã leuissima, depositio ergo obligabit ex negligentia graui, & lata, quæ quasi in altero extremo opponitur leuissimæ.

CONCLVSIO II.

Depositarius qui gratis seruat depositum, non tenetur ex culpa leui, multò minus ex leuissima.

HAec etiam habetur in iuribus citatis, & confirmatur primò, quia cum depositum accipiat in hoc casu in gratiam tantum, & vtilitatem illius qui deposuit, esset absurdum, grauare depositarium, vt teneretur ad illud restituendum, vel ex leui culpa, aut leuissima.

Secundò, si tempore contractus interuenisset hoc pactum ex parte depositarij, se ita suscipere rem illam custodiendam, non vt teneatur ad eius restitutionem, nisi graui culpa ipsius illa pereat, non teneretur ex culpa leui, vel leuissima, sed depositarius qui grauis rem accipit custodiendam, probabiliter iudicandus est depositum suscipere sub hoc pacto, saltim implicito, nec velle maiori labori vel curę se exponere, ergo.

Tertiò, quia si aliter quam ex culpa graui obligaretur depositarius ad restituendum, nullus vellet depositum ex gratia, & amicitia custodire, periretque iste contractus adeo Reip. necessarius, Et ita obseruant iudices, non enim condemnant depositarium ad restituendum, nisi ex culpa lata, Et hanc vocat hic D. Tho. magnam.

CONCLVSIO III.

Quotiescunque depositarius tenetur ad restituendum ex culpa graui, & lata, tenetur restituere totum, & in integrum.

PAtet, quia tenetur iste restituere ratione istius culpæ, sed culpa ista cadit supra totum, & integrum depositum, ergo tenetur in integrum. Vbi obseruandum est, quando animus iudicis, vel confessarij in his depositis fuerit dubius an depositarius, de quo loquimur, commiserit culpam grauem, declinandum esse in fauorem depositarij, cum rem illam accipiat non in suam vtilitatem, sed dantis, sicut quando est dubium de culpa commodatarij, declinandum est in fauorem domini, quia commodatarius accepit in suam vtilitatem, exigit enim recta ratio, vt qui percipit commodum sentiat damnum.

CONCLVSIO VLTIMA.

Qui accipit pecuniam, vt depositum custodiat, tenetur illud restituere, si aliqua culpa ipsius perierit, etiam si leuis illa sit, quod si casu omnino fortuito, & sine vlla culpa ipsius, non tenetur.

PRior pars probatur, quia eo ipso, quo accipit precium pro custodia depositi, deuinxit se ad custodiendum illud, ea solicitudine, & diligentia, quam prouidi, & soliciti custodes solent adhibere, quos certum est à graui, & leui negligentia cauere, etsi in leuissimas aliquando incidant.

Altera pars non placet D. Soto, existimat enim accipientem pecuniam pro deposito teneri ad illud restituendum, etiam si omnino fortuito pereat, quia depositum quod suscipitur, accepta pecunia, induit rationem, & naturam contractus assecurationis, is qui pecuniam accipit pro rei assecuratione, tenetur illã soluere, et si pereat omnino casu fortuito, & sine vlla culpa ipsius. Nihilominus aliter est sentiẽdũ, differunt enim plurimũ isti cõtractus, in cõtractu enim assecurationis

non

non accipitur precium pro custodia mercium nec pro diligentia adhibenda in illis conseruandis, sed est quoddam genus depositionis, vna apresta, merces illas nullo modo perituras, cum tamen illarum custodia maneat apud dominū ipsarum, & ita si pereant etiam si omnino fortuito, tenetur illarum valorem reddere: in deposito autem, quod suscipitur accepto precio, accipitur illud pro custodia rei, & pro diligentia adhibenda in eius conseruatione, & ita si pereat res illa ex negligentia depositarij, vel leui, tenetur illam restituere, si verò casu omnino fortuito, cum ipse adhibuerit omnem diligentiam, quam communiter viri prouidi solent adhibere, non tenetur. ipse enim non deuinxit se per illud precium ad casus fortuitos (nisi iam ita conuenisset ex pacto) sed ad solam diligentiam consuetam.

Ad argumenta Adriani. Ad primum respondeo, omnia illa iura cum loquantur promiscuè de commodaso, & deposito, esse intelligenda iuxta rectam rationem pro natura cuiusque contractus, ita vt sicut in commodatario, qui accipit in propriam vtilitatem, sufficit quæuis culpa, etiam leuissima, in depositario, qui non accipit in suam, sed in dantis vtilitatem, exigatur lata, & grauis, & sit hic veris sensus istarum legum, cum sic obseruentur, & intelligantur ab omnibus iuris peritis. Est autem consuetudo præstantissima legum interpres.

Ad secundū dico, in foro exteriori damnari illum, qui vt custodias res suas, exponit, & distrahit depositas apud se, quia nemo debet suæ vtilitati consulere cum damno aliquo: tum etiam quia cum suæ res, & depositę essent simul in eodem periculo constitutæ, posseteque simul custodiri, custodisse suas, non autem alienas quas habebat depositas est probabilissima coniectura, ex malitia, vel graui culpa eius illas perisse, Vnde habetur cap. illo secundo: Bona fides abesse præsumitur, si saluis tuis rebus deposita amisisti, Et propter hanc præsumptionem iuris, condemnatur depositarius in illo casu in foro exteriori, in interiori tamen, vbi cessat talis præsumptio, si depositarius adhibuit debitam diligentiam, nec valuit depositum custodire, non tenetur ad restituendum.

Vltimò, circa has concl. D. Thomæ agendum est de acceptione iusta composita ex præcedentibus, quæ fit in commodum vtriusque tam dantis, quàm accipientis, vt in locato, & conducto, de quibus videre oportet.

Controuersia Septima.

AN ACCIPIENS ALIQVID, QVOD cedit tam in vtilitatem dantis, quàm accipientis, teneatur illud restituere, si apud ipsum pereat

OBseruemus bifariam posse aliquid accipi in vtilitatem vtriusque tam dantis, quàm accipientis, aut ita vt vterque inde reportet commodum temporale, vt in locato conducto equum, ego reporto vsum equi mihi necessarij, qui verò locauit recipit stipendium, & pecuniam, aut ita vt propriè fit in vtilitatem dantis, in ornatum verò tantum accipientis, vt cum Ioannes qui optasset non interesse nuptijs Petri ex defectu vestium, accipit accommodato ab ipso Petro) quia ita ei expedit) vestes, vt illius nuptijs intersit, in hoc casu accipit quidem Ioannes vestes accommodatas à Petro ad suum ornatum, non tamen ad suam vtilitatem, sed ad vtilitatem Petri Sit,

CONCLVSIO I.

Quando res accipitur ad vtilitatem tam dantis, quam accipientis, vt in locato, si illa ex malitia, vel fraude accipientis pereat, tenetur illam in integrum restituere, similiter si pereat ex negligentia, & culpa ipsius graui vel leui, quod si pereat ex leuissima, non tenetur.

HAbet hæc conclus. tres partes. Probatur prima, Quia, vbi malitia, vel fraude res perit, apertum est illatum esse damnum domino rei cum iniuria. Probatur secunda & tertia, quia qui alienum locat, ea lege, & conditione locat, ex communi hominum vsu, & consuetudine, vt debeat custodire, & prouidere illi, nō quantum illud custodiri, & foueri potest, & custodiretur ab homine diligentissimo, qui nec in culpam, & negligentiam leuissimam incideret, sed quantū custodiri solet ab homine prouido, & sufficiēter circumspecto, qui non incideret in leuem, ergo tunc tantum tenebitur qui locauit restituere, quando res locata perit ex negligentia leui ipsius, non autem, si pereat ex leuissimā. Vnde si equus conductus perit, vel quia maiori onere oppressus fuit, vel plus itineris quàm debuit, confecit, vel pauciora quā oportebat, accepit alimenta, est in conscientia restituendus, & sic condemnabit iudex, quia non custodiuit illum, nec curauit, sicut solet homo benè circunspectus, quod si tam in onere, quam in diutno itinere, quam in exhibenda alimonia præstitit, quod solent homines circumspecti, & bene instituti, & nihilominus perijt, qui forsan non perisset, adhibita maiori custodia, minoris oneris, & breuioris itineris, non tenetur restituere, quia est natura contractus locationis, res locata non est custodienda, nec fouenda, sicut accommodata, quantum custodiri potest, sed ea diligentia, qua solent vti homines sufficienter prouidi, & circumspecti.

Ista conclu. est contra M. Soto. qui non distinguens inter commodatum, & locatum, vult in vtroque illum teneri ad restituendum, cuius negligentia res perdita est, quando negligentia illa est mortalis, sed in vtroque peccat hęc opinio.

Primo, quia locatum, & commodatum distinguuntur plurimum, cum illud sit ad vtilitatem vtriusque, commodatum vero ad vtilitatem tantum accipientis. Secundò, quia vt constat, commodatarius ex quacunque negligentia tenetur restituere, etiam si leuissima, illa sit, & nullum peccatum nec mortale nec veniale: locans verò, cum sit ad vtilitatem vtriusque, non est obligandus ex leuissima, sed ex graui tantum, & leui, etiam si non sit mortalis, Estque communis sententia Iurisperitorum, in l. Contractus ff. de regulis iuris: vt optimè Syl. locatio. q. 17. sequutus Hostiensem: colligitur etiam eadem sententia ex. l. Si quis domum. §. Celsus. & l. Si merces. §. Qui columnam. ff. Locati.

Et probatur ratione Commodatarius, quia accipit in suā tantum vtilitatem, tenetur ex culpa leuissima, depositarius qui gratis, & non ad stipendium custodit depositum, quia non accipit in vtilitatem suam, sed solius dantis, tenetur, vt constat, ex culpa tantū graui, & lata, ergo conductor qui inter hos mediū tenet, cū accipiat vtilitatē in vtriusq. tenebitur ex leui, vel maiori: Patet consequentia, quia quæ proportio est inter contractus, debet esse inter culpas, locans est velut medius inter commodatarium, & depositarium, ergo tenebitur locans ex culpa leui, quæ est velut media inter leuissimam, ex qua tenetur commodatarius, & latam, ex qua tenetur depositarius.

Intelligitur hæc conclu. quando ipse locator, vel conductor non accepit pretium, vel constituit pactum cum domino rei locatæ, de omnimoda, & diligentissimā custodia rei, tunc enim tenebitur ratione illius precij, vel pacti, etiam de culpa leuissima, vt habetur. l. qui mercedem. & l. Dominus. ff. depositi, & cap. bona

fides, eodem tit. Dicitur enim in illis legibus: [Culpa abest. si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque obseruasset,[Et illo cap. Bona fides.] De culpa teneris si te ipsum deposito obiulisti, vel si aliquid pro custodia recepisses. [Vbi cum non distinguatur inter hanc vel illam culpam, quæuis includitur, & læuissima. Est enim regula Sylu. loco cit. vt qui simpliciter tenebatur est culpa. v. g. graui accipiens precium pro custodia illius rei, teneatur iam ex læui, & qui simpliciter tenebatur ex leui, accipiens precium teneatur iam ex leuissima, ita vt precium acceptum augeat gradum culpæ. Vnde depositarius, qui non tenetur simpliciter, nisi ex lata, & graui, si accipiat precium, tenebitur etiam ex leui: locator verò, qui simpliciter tenetur, vt constat ex leui, si accipiat precium, teneatur etiam ex leuissima.

CONCLVSIO II.

Qui accipit commodatum ad ornatum tantum suum, vtilitatem vero commodantis, tenetur restituere, si illud ex malitia, vel dolo ipsius, pereat aut culpa graui, & lata, non tamen ex leui & leuissima.

ITa Sylu. Commodatum. q. 8. Prima pars probatur, quia si pereat ex malitia, sciens, & volens intulit damnum cum iniuria. Secunda verò, quia si depositum pereat ex culpa graui, & lata, tenetur depositarius restituere vt vidimus, cum tamen non acceperit in vtilitatem suam, sed dantis, quia negligentia lata est implicitè quædam voluntaria rei distractio, ergo, & qui accipit ad ornatum proprium, quamuis ad vtilitatem dantis, si pereat illud ex culpa lata ipsius, volūtate implicita distrahit illud, & tenebitur ad restituendum. Tertia pars probatur, quia commodatarius, vt patet ex cap. illo vnico, & dictis, ideo tenetur restituere ex culpa leui, vel leuissima, quia accepit in suam vtilitatem & qui sensit commodum debet sentire, & damnum sed in hoc casu hic commodatarius nō accipit in suam vtilitatem, sed in vtilitatem commodantis, ergo.

In solutione secundi argumenti. docet D. Tho. accipientem occultè alienum, non teneri ad restituendum per se ipsum, si timeat famam suam ex eo periclitari, sed debere restituere per interpositam personam, maximè per prudentem, & fidelem confessorem, non tamen explicat, quando, nec qua via restitutio fieri potest, casu quo se ipsum prodat: An teneatur se ipsum prodere? Caiet. in comment. statuit illam regulam, non esse restituendas res inferioris ordinis cum damno rerum superioris ordinis, vt famam cum damno vitæ, aut bona temporalia cum damno famæ, sed cum hæc regula Caiet. vt vidimus, art. 2. agentes de restitutione famæ, in multis non habeat locum, neque sit in vniuersum vera, offert se hic illa grauis quæst.

Controuersia Octaua.

TENEATVR NE QVIS AD REFICIENdum damnum culpa ipsius illatum, etiam cum periculo propriæ famæ, vel vitę, quando aliter illud restitui non potest?

PErtinet hæc quæstio ad mulierem adulteram, quæ supponens filium spurium marito est, in causa, vt vir eius faciat expensas in educando filio alieno, vt constituat illum hæredem cum legitimis, & quod aliquando accidit, vt habeat locum primogeniti, & expoliet hæreditate verum primogenitum. Pertinet etiam hæc quęstio ad iudicem, qui per iniquam sententiam, adiudicat bona vnius alteri, Ad tabellionem, & testes qui sua culpa efficiunt, vt iniustè expolietur aliquis bonis suis. De his omnibus, & similibus quæritur, An quando alia via damnū illatū reficere non possunt, nisi prodendo se ipsos, teneantur se prodere, & in discrimine vitam, famamque suam constituere.

Tractatur hæc quæst. maximè circa adulteram à Theologis in 4. dis. 15. à Summistis in verbo, Adulterium, & à Canonistis in cap. Officij, de pœnitentijs, & remissionibus, de qua variè sentiunt Doctores Inno. Hostien. Panorm. & plerique Canonistæ in illud caput Officij & Sylu. Adulterium. dub. 1. volunt iudicem, tabellionem, & testem, quando alia via damna grauia (nam pro leuibus oēs conueniunt, non esse exponendam famam, vel vitam) refici non possunt, debere se ipsos prodere, vt illa reficiantur ipso, mulierē verò adulteram non teneri ad se prodendam, quando imminet illi periculum infamiæ, vel mortis, Ratio istorum est illa doctrina D. Grego. lib. 7. in Ezech. [Si de veritate scandalum nascitur, vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas vitæ relinquatur.] Quam doctrinam Glossa ordinaria adducit sub nomine Bedæ, & sub eodem nomine citatur, De reg. iuris. Cap. Qui scandalizauerit. Ex qua argumentantur. Quoduis scandalum, & damnum patiendum est, ne veritas deseratur, iudex, tabellio, & testis egerunt contra veritatem, & illam occultando, aut inuertendo expoliarunt dominum verum suis bonis, tenentur ergo quoduis damnum, vel scandalum pati, & se ipsos prodere cum quouis periculo, vt veritas appareat, & vero domino bona illa restituantur. Adultera vero, etsi peccauit contra honestatem, & fidem debitam viro, nil tamen egit contra veritatem, & ita non tenetur cum tanto periculo, & scandalo se prodere.

Ioan. Maioris. in 4. d. 15. q. 17. agens de sola muliere, ait. Si solum periculum infamiæ illi immineat, nullum autem vitæ, teneri ad se prodendum, quando aliter non potest, si verò immineat quoque ipsi periculum vitæ, non teneri, Ratio eius est; quia cum vita sit maximum bonum naturale, cui nullę diuitię nullaque bona temporalia valent comparari, non est exponenda vt restituantur diuitiæ, famam vero, licet præstet diuitijs, quia tamen est eiusdem ordinis, & computatur inter bona temporalia, vbi hęreditas est magni momenti, debet mulier exponere ne verus hæres sua hæreditate expolietur.

Scotus in 4. dist. 15. q. 2. ait tria: Primò, adulteram si habeat dotem, & propria bona, ex quibus valeat reficere filijs legitimis, omne damnum quod ratione spurij, patiuntur in bonis paternis, non teneri se ipsam prodere, aut illi periculo obijcere. Quod si non habeat talia bona, aut videt certo, illum filium crediturum ipsi adulterium suum reuelanti, & comprobanti ex circunstātijs, tēporis, loci, absentiæ paternæ, & se profuturam, si prius est secundum dictum Scoti, vt illi filio secretò se prodat, & cum iuramento, ac probationibus, quibus poterit, petentis ex circunstantijs, ostendat illi, ipsum esse spurium, suadeatque illi ingressum alicuius religionis, in qua fratres nō sunt capaces hæreditatis. Quod si prudenter videat filium non habiturum, illi fidem, nec se profuturam, est tertium dictum Scoti, nō teneri ad se prodendam, si immineat illi periculum famæ vel vitæ, sed vt pœniteat de suo adulterio, habeatque se vt debitor, qui non habet vnde restituat.

Adria. in suo. 4. in materia de restitut. & ante ipsum Palud. in. 4. d. 27. q. 2. arti. 1. conueniunt cum Scoto in primo, & secundo dicto ipsius, in tertio autem dissident, volunt enim, si hæreditas sit alicuius momenti, vt inter viros nobiles, & diuites, adulteram, quæ nec potest filio spurio persuadere ipsum esse re spurium, & expedire illi in ingressum religionis, nec habet ipsa bona propria, vnde reficiat legitimis damnum, quod causa spurij patiuntur, teneri ad manifestandū suum adulterium, & filium spurium, etiam cū periculo famę

vel

vel vitę, ne legitimorum hæreditas detur spurio, quamuis addit idem Adria. Quol. 1. art. 3. ad 2. posset adulteram differre per aliquod tempus huius criminis manifestationem, non tamen posse illam perpetuò omittere.

Nituntur isti probare suam sententiam varijs argumentis. Primò, ex illa regula iuris sumpta, ex B. Gergo. Quæ pertinent ad veritatem vitæ, id est, quæ sunt de necessitate salutis, & in præcepto naturali, aut diuino, propter nullum scandalum, damnum, vel periculum sunt dimittenda, sed restitutio alieno vero domino est de necessitate salutis, & in præcepto naturali ac diuino, ex articu. 2. ergo propter nullum damnum, aut periculum potest mulier adultera dimittere, quin se prodat, vt hæreditas verò hæredi conferatur.

Secundò, non sunt facienda mala, vt inde veniant bona Rom. 8. vnde nemo debet sibi consulere aut suæ vtilitati cum damno alieno, mulier ista in hoc casu occultans se priuat verum hæredem sua hæreditate, vt consulat suæ famę honori, quod non licet, ergo.

Tertiò, adultera non potest tutą conscientia bona aliena rapere, vt propriam famam conseruet, ergo neque illa retinere propter eundem finem. Consequentia patet, quia ex D. Tho. infra. q. 66. art. 3. ad 2. tam est furtum retinére alienom inuito domino, quàm accipere, sed mulier adultera quamdiu non prodit se ipsam, ē in causa, vt spurius retineat bona vera hæredis, & in illo retinet ipsa bona aliena, ergo tenetur illud manifestare, etiam si periclitetur eius fama.

Quartò, quamuis fama præstet pecunijs, tanta autem potest esse pecunia, & hæreditas, vt æquet vel præponderet famæ, cum possit fama pecunia compensari. Similiter tanta, & tam grauis, potest esse alicuius infamia ratione personæ, & delicti, vt æquetur vitæ alterius, sed omnium consensu damnum illatum proximo reficiendum est cum æquali damno, vel aliquo maiori eius qui intulit, ergo quando magna dignitas, vel hæreditas confertur spurio, & tollitur à vero hærede, quę potest æquari vel proportionari famę adulteræ, tenebitur cum sua infamia curare, ne legitimus hæres illud damnum patiatur.

Quintò, si mulier adultera non teneretur in conscientia suum delictum prodere, vt hæreditas restituatur vero hæredi, nec teneretur tabellio, qui falsum confecit instrumentum, & testis, qui falsum protulit testimonium, aut iudex, qui falsum tulit iudicium, & effecerunt, vt aliqua bona iniustè sint sublata à vero domino, se ipsos prodere, quando alia via damna illata nequeunt reficere, vt bona illa vero domino restituantur. Consequentia patet, quia si illa liberatur ob periculum famæ vel vitę, simile periculum imminet istis: At tenentur isti, quando alia via reficere nequeunt, cantare palinodiam, & seipsos prodere, ergo, & adultera.

Sextò, vir potest in iudicio illa bona, in quæ succederet spurius exigere; manifestando adulterium vxoris, etiam si illi immineat mors, & infamia, imò, & filius legitimus potest in iudicio agere contra spurium, & multoties fit, exigendo hæreditatem tanquam verus hæręs, etiam si videat redundare illud in suæ matris infamiam, ergo ob periculum famę, quam alius facilè ipsam exponere potest non debet mater pati, vt expolietur verus hæres suas hęreditate, & detur spurio. ita colligit Adria. debere adulteram prius se filio prodere, vt dicto matris filius videat se bona illa habere non posse, saltem bona fide, & conscientia vrgente restituat, quod si illa retineat, retineat cum mala fide, & viro ipsi vel iudici se prodeat, sicut oportuerit, ne spurius succedat in hæreditate. Iudicat enim Adria. fieri non posse moraliter loquendo, quin filius credat matri, aut saltem maneat maximè dubius, ac dobitatione quæ sufficiat ad malam fidem, ac vt teneatur iste restituere legitimo.

Ex Iurisperitis Andreas Alciatus lib. 3. de pręsumptionibus, pręsumptione. 37. vt refert Couarru. in re. Peccatum. p. 1. §. 1. num. 3. docent matrem, de qua loquimur, quæ nec habet bona propria, vnde reficiat veris hæredibus, neç ei credit filius, debere illos secretè vocare, & admonere vnum eorum esse spurium, ac vt nulla lis circa eos in hæreditate existet, Portari illos, vt omne ius: quod vnusquisque eorum in alium habet, ipsi renunciet, consentiatque in eam partem hæreditatis paternæ, quæ sibi competet, quia hac via, conuentione spurius nil retinebit alienum. Alij vero censent, debere matrem istam causas offensionis, & discordiæ quærere inter illum filium, & patrem: ita vt pater exosum illum habeat, & quasi rebellem, & improbum excludat ab hæreditate, vel vt legitimis faciat viuens donationes hæreditatis alio amisso, quia hac via occultabit suum, adulterium, & occurret damno, qood legitimi poterant pati in hæreditate paterna.

Magister Soto, lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. & q. 7. ar. 2. (quam sententiam, vt refert ibidem Couarru. multi quoque Iuris periti docuerunt) probat opinionem Scoti, sed vult comparandas esse inter sese famam mulieris adulterę cum hæreditate qua expoliatur verus hæres propter spurium, ita vt si fama mulieris nobilis, & honestæ præponderet hæreditati, non teneatur ad se prodendam, quia in hoc casu, quando fama est preciosior bono temporali, cum quo comparatur, est vera, inquit, & habet locum omnium consensu illa regula Caiet. Bona altioris ordinis non esse esponenda pro bonis inferioris. Quod si hęreditas iudicio prudéntum præponderet famę illius mulieris, quia iam forsan est suspecta, vel non est ita nobilis, tunc teneatur ad se prodendam; quando alia via non potest vitari damnum veri, & legitimi hæredis, quia tunc non exponit maius bonum pro minori. sed contra. Quod si paris valoris, & æstimationis iudicétur fama ipsius, & hæreditas, debeat etiam se prodere, quia cęteris paribus melior est cõditio legitimi hęredis, quasi patientis iniuriam. Quę omnia, inquit, intelligenda sunt quando imminet adulterę, periculum famæ, nam si sit etiam periculum vitę, cum vita pręstet cuiuis bono temporali, regulariter, & simpliciter non tenetur, inquit Soto adultera se ipsam prodere, nisi vicina morti; & quando iam nullum est periculum vitæ, nisi in casu aliquo raro, & extraordinario, quando scilicet regnum aliquod vel pręclarissima domus, quę iudicio prudentum pręferenda esset vitæ particulari ipsius adulteræ, à vero hęrede ad alienum transiret, tunc si omnibus tentatis, ad id vitandum nulla alia esset uia nisi adulteram se ipsam prodere, essetque certum dictum ipsius profuturum, tenerentur, cum periculo vitæ ad sę prodendam.

Caiet. hic iuxta illam regulam, bona minoris ordinis non esse restituenda cum iactura bonorum inferioris ordinis sentit istam adulteram, quæ aliter non potest impedire, ne spurius recipiat hæreditatem legitimi, nisi se suumque delictum prodendo, non teneri ad id conscientia: Idem docet in sum. in verbo, Adulterium, & in opusc. 12. quęstionũ responsione. 14. dub. 2. Idem docet Gabriel. in 4. disti. 15. q. 2. Sylu. in verbo, Adulterium, circa principium. Ioan. Medina, C. de reb. rest. q. 3. cap. 4. Couarru. loco ci. Alfonsus de Castro libr. 2. de lege pœna. capit. 11. & Scotus, vt vidimus in 3. dicto, ad idem declinat, estq; communis inter recentiores Thomistas. Fundamentum huius opinionis est, quia nullum est bonum temporale diuitiarum, quod famæ, & vitæ dębeat comparari, certum autem est nullam adulteram posse adulterium suum prodere, quin eo ipso exponat se vrgentissima periculo famæ, & vitæ.

In hac questione adeo graui, & tot opinionum multitudine difficili oportet prius certa àb incertis separare: sunt ergo hęc in primis apud omnes certa. Primum, si adultera habeat bona propria, ex quibus va-

leat

leat sufficienter reficere filijs legitimis damnum, quod propter spurium recipiunt, non teneri ad se prodendum, sed ad reficiendum illud ex proprijs, de quibus liberè potest disponere, tum quia ea via custodit propriam famam, ad quod tenetur quamdiu, commodè potest: tum secundò, quia quando restitutio potest commodè fieri in eodem genere boni, non sunt exponenda alia, quæ superiora, vel preciosiora sunt.

Secundò, certum est apud omnes, adulteram, quando probabiliter iudicat, vel dubitat se non profuturã, nec suo dicto effecturam, vt filius spurius excludatur ab hæreditate, non teneri ad se prodendam. Patet hoc, quia ratio mediorum sumitur ex fine, & cum tota ratio, & finis, propter quem deberet se prodere est, vt suo dicto impediat, ne hæreditas legitimi detur spurio, quando videt suo dicto nil effecturam, non tenetur seipsam prodere.

Tertiò, certum est, quando magna certitudine morali, & prudenter videret se profuturam, admouendo secreto filium spurium, & illum crediturum, vsurumquè consilio, & admonitione ipsius, tunc teneri ad reuelandum secreto suum crimen illi filio, quia illi soli, & secreto se prodere posita tali certitudine, est exigua infamiam subire pro maiori bono, maius enim bonum est, vt hæreditas illa vero hæredi concedatur, quam sit malum illa infamia, adeo secreta, & apud filium apud quem tantum authoritatis, & fidei videt mater se habere.

Quartò, certum est, adulteram Regis, vel Principis, aut alicuius magni ducis vel comitis, si videret spurium regnaturum, excluso vero hærede, cedereq; id in damnum sui regni, vel Reipub. quia licèt fuerit educatus summa cura, vt filius Regis vel Principis, nihilominus nil deprehenditur illa bona educatio illi prodesse, sed ad mores spurios, & infimæ sortis esse propensum, teneri tũc illam adulteram si dictum eius profuturum sit, se ipsam prodere etiam cum periculo famæ, & vitæ, ne succedat spurius in illo regno vel maximo principatu, secluso vero, & legitimo hęrede, qui animo nobili, & regio gubernaret cũ vtilitate ciuiũ, non malè, & tyrannicè, sicut ille spurius ignobilis moribus, & malà natus. Tunc enim adultera ista non exponit vitã suam, & famam pro hæreditate, & bono priuato filij legitimi, sed pro bono communi Regni vel Prouincię, ad quod tenetur quiuis iure naturæ: quod si tale periculum non existat, non tenetur, vt statim videbimus.

CONCLVSIO I.
contra Adrianum.

Nisi adultera sit maximè certa, & tanta certitudine, quæ ferè pertingat ad euidentiam, se profuturam, & ita credendam a filio, quod stabit dictis, & consilijs ipsius, non tenetur adulterium suum prodere filio suo spurio, vt cedat hæreditati.

PRobatur, Vt modo dicebamus, ratio mediorum sumenda est ex fine, finis ob quem mulier deberet se manifestare filio spurio est, vt ille credens ipsi renuntiet aliqua honesta via hęreditati paternæ, sed filius regulariter & communiter nec credet, nec tenetur credere matri tale asserenti, ergo. Maior certissima est, nam non est alia ratio nec finis, ob quem debeat mater filio se prodere. Minor probatur. Primò, quia ex regulis iuris. [Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.] Secundò, quia potest filius prudenter suspicari & timere, matrem cum sit ingenium mulierum aliquos ardenter amare, & alios capitaliter odire, ipsum ita odire, vt vellet eum omnibus excludi ab hæreditate, & alios ità diligere, vt eos solos vellet esse hæredes, & hoc fine fingere adulterium, quod non commisit. Rebeccam enim quamuis sanctissimam legimus, ita dilexisse Iacob, & odisse Esau, vt hunc optarit à benedictione & hæreditate paterna excludi, solumque Iacob esse benedictum & hæredem. Tertiò, legibus cautum est, ne tali matri adhibeatur fides, nec à iudice, nec à viro, nec à filijs. l. Postumus. ff. de liberis & posthum. l. filium. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. l. Miles. ff. de Adulterijs, quarum legum ratio est, quia filius natus in domo paterna, matre & viro suo simul cohabitantibus, à viro & non ab adultero præsumendus est esse genitus & esse legitimus. Quartò, quia etiamsi crederet, potest vel amore pecuniæ, vel ne à suo statu cadat, nolle renuntiare hæreditati. Vnde etiamsi filius teneretur in conscientia credere, non sequitur ex eo teneri matrem illud ei reuelare, potest. n. prudenter ipsa suspicari, etiamsi animo credat, exterius tamen negaturum nec renũtiaturum hæreditati.

Nec valet ratio Adriani, prædicator tenetur dicere veritatem auditoribus, etiamsi intelligat non esse sibi credendum, ergo mater filio, etiamsi intelligat se non esse credendam: Est enim dispar ratio, quia auditores tenentur credere prædicatori, quod si nõ credant, nullum sequitur incommodum prædicatori, at in nostra quæstione filius (vt constat) non tenetur credere matri, & ipsa exponit se tanto incommodo, quale est infamia. Dixi regulariter & communiter filium non teneri ad credendũ matri, potest enim aliquis esse euentus, in quo & mente conuincatur, & compellatur credere, fateri se esse spurium, vt si mater euidenter per testes iuratos, ut famulas, ostendat illi ex tempore partus, & alijs circunstantijs virum, cuius se putat filium legitimum, toto illo tempore abfuisse.

In quo casu si filius ille spurius potest aliqua cõmoda via, vt ingrediendo religionem, vel profitendo militiam toti hæreditati renuntiare, debet, quod si neutrum horum nolit, estque in statu honorabili educatus, & constitutus, potest retinere aliquam partem hæreditatis ad moderatam sustentationem necessariam, & aliam restituere, sicut diximus de debitore, qui non habet alia bona, vnde viuat, nisi ea quę sunt debita obnoxia restitutioni: hæreditatem verò debere in hoc casu ipsum dimittere, ex eo constat, quia aliàs sciens, & prudens, ac mala fide possideret alienum inuito domino.

Nec valet argumentum quod decepit aliquos hac nostra tempestate, Si quis legasset mihi 100. aureos, putans ex sua leuitate me esse filium ipsius, non teneor illos restituere, sed tuta conscientia possum illos retinere, quia deceptio illa illi imputanda est, non mihi, ergo si vir constituat hæredem filium spurium, putãs legitimum, non tenebitur restituere hæreditatem. Nõ est similis ratio, quia ad legatum sufficit consensus legantis, modò nulla sit coactio, vel dolus ex parte legatarij, ad hæreditatem verò habet ius, filius legitimus ex voluntate patris, & ex præscripto legis, & ex hoc posteriori potius, quàm ex priori, quia etiamsi pater non constitueret illum hæredem, eo ipso quo est filius legitimus, est hæres. Vnde si mandet mihi legatũ, modò liberè & voluntariè illud mandauerit, tuta conscientia illud retinebo per solum liberum consensum legantis, hæreditatem autem, nisi sim legitimus, retinere non possum, quia erga hæreditatem voluntas patris sequitur ius naturale, & leges quæ filio illegitimo non suffragantur.

CONCLVSIO II.

Adultera illustris, quæ non laborat infamia, non tenetur se prodere, cum periculo famæ, vel vitæ, vt spurius excludatur ab hæreditate.

ET loquimur, etiamsi dictum ipsius sufficeret, vt spurius excluderetur, nam quando profutura non est, nec infamis mulier tenetur se prodere.

Probatur

Probatur conclu. Nullus tenetur restituere pecuniã (vt supra docuimus) cum grauissimo damno, & maxima iactura suorum bonorum, vt restituere 100. cum iactura 500. sed fama, & honor, & multò potius vita Reginæ nobilissimæ, & honestæ præstat ipsi regno, intelligendo nomine regni dignitatem temporalem, & diuitias regias: fama, honor & vita Ducissæ dignitati, & diuitijs ducatus, fama, vita, & honor mulieris nobilis, & honestæ præstat diuitijs & hæreditati viri nobilis in magno excessu, ergo non debet mulier illustris, & honesta, & quę semper benè audiuit, cum periculo famæ aut vitæ se prodere, hoc solo fine ne filius legitimus expolietur sua hæreditate. Dixi, hoc solo fine, nã si immineat damnum regni, (vt iam obseruauimus) tũc non agitur de dignitate, aut diuitijs, quæ sunt bona temporalia, sed de bono communi, quod cuiuis famæ & priuatæ personæ vitæ præferendum est.

Secundò; iudicio prudentum ipsimet filio legitimo prętat haberi filium honestæ matris in mediocri statu diuitiarum & dignitatis, quàm haberi filium adulteræ cum magna dignitate & diuitijs: præstat enim esse nobilem cum mille aureis, & haberi filium honestæ matris, quàm esse comitem, & haberi filium adulteræ.

Tertiò, nullus tenetur, vt restituat magnũ debitum, se ipsum vendere, aut infamare, aut morti exponere, neque vllus Doctorum ad id aliquem obligauit, vt soluat propria debita, ergo neque mater ad id tenetur, vt filius spurius restituat hæreditatem legitimo. Probo consequentiam, quia ego non teneor amplius, nec maiori vinculo, nec ad plura præstanda, vt restituantur debita aliena mea culpa contracta, quàm tenerer ad debita propria: Sed si mulier ipsa habet et apud se hæreditatem istam, quam recipit spurius, & teneretur illam restituere filio legitimo, non teneretur se vendere, aut infamare, aut exponere, morti, vt faceret talem restitutionem, ergo neque tenebitur, vt illam faciat filius spurius.

Quartò, est apertè conclu. hæc definita in illo c. Officijs. De pœnitentijs & remiss. vbi consultus Pontifex, An mulier sterilis quæ finxerat partum, ne hæreditas ad alios transiret, & filium marito supposuerat, esset absoluenda, cum fraudem illam timore infamiæ nollet deregere, respondet esse absoluendam, etiam si id non reuelet, cum tale periculum ipsi immineat, & addit. [Sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamuis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia, idest absolutio deneganda.] Vnde est efficacissima ratio. Non est absoluendus qui tenetur aliquid in consciẽtia præstare, nisi id præstet, sed mulier adultera est absoluẽda, etiamsi non prodat seipsam ergo non tenetur se prodere.

Hæc dicta sunt, quando imminet periculum famæ. Nam si de vita sola loquamur, res est apertior: Primò, quia vita pro nullo bono temporali est exponenda, hęreditas autem quæcunque sit, etiam regia, est bonum temporale. Secundò, quia si extrema necessitas, & vrgens periculum vitæ tollit rerum diuisionem, & dominia, redditque omnia communia, quantò potius ad tuendam vitam, & vitandum ipsius periculũ erit postponendum quoduis dominium temporale? Tertiò, ordo charitatis, & rectæ rationis præfert vitam famæ, famam diuitijs, non est ergo exponenda fama, aut vita alicuius pro diuitijs alterius. Quod si hoc regulariter & communiter ita habet inter extraneos, & eos quos nulla sanguinis necessitudo coniunxit, quantò magis inter matrem, & filium? Esset certè impius, & alienus à recta ratione filius, qui vt ipse maneret hæres, vellet matrem manere infamem, vel morti obnoxiam.

Quartò, lex humana cum debeat esse suauis, & tolerabils, non obligat cum discrimine vitæ, lex autem dominiorum, & successionis in hæreditatibus est humana, nam ea sublata omnes filij tàm spurii, quàm legitimi sunt hæredes, cum omnes sint ex æquo geniti, ergo cum discrimine vitæ & famę matris non debet hæreditas dari legitimo, excluso spurio.

Vnde dictum illud Domin. Soto, cui etiam subscribit Couar. loco cit. debere mulierem adulteram se prodere, & cum periculo vitæ, quando regnum, vel principatus, vel eximia domus trãsiret aliàs à legitimo hærede ad spurium, non admitto quo ad vitam, nisi bonum commune Regni, & Reipub. vel subditorum id exigat, sublata enim necessitate boni communis, solo titulo dignitatis & diuitiarum, præstat vita Reginæ, Ducissæ, aut mulieris nobilis cuiuis hæreditati. Quod verò spectat ad famam, si mulier sit ita illustris, & nobilis, ac bonæ famæ, vt prudentum iudicio præstet fama & nobilitas eius hæreditati, non tenetur se prodere, si verò præstet hæreditas famæ illius, quia non est illa ita nobilis, aut illustris, vel bonæ famæ, tenetur, cęteris autem paribus dico contra Sotum nõ teneri, quia ipsa possidet actũ famam, legitimus verò nondum possidet hæreditatem & sicut legitimus habet ius ad hæreditatem, ita mater ad suam famam in re occulta, vbi autem iura paria sunt, melior est ratio possidentis.

CONCLVSIO III.

Modus ille Andreæ Alciati, & cautela remittendi sibi inuicem ius, non est accommodatus.

PRimò, quia licèt mater non explicet priuatim quis illorum sit spurius, nibilominus seipsam infamat adulterij, ad quod non tenetur, nec debet. Secundò, quia ista renunciatio cum fiat ab vnoquoque ignorante & timente ne ipse sit ille spurius, alioquin illam non facturus, est inuoluntaria, & velut coacta, & ex consequenti inutilis, & inualida. Modus quoque secundus Iuristarum, vt mater quærat occasiones discordiarum, & odij inter patrem & illum filium, non est legitimus, & optimus, quia in prouincijs, in quibus patres non possunt exhæredare filios, nisi ex causis in lege contentis est inutilis, in prouincijs verò in quibus id liberè possunt, vt in nostro regno Valentiæ, licèt esset validus, non tamen est consulendus, quia moraliter loquendo, mater non potest istas lites & discordias seminare sine peccato mortali, nec pater potest filium, quem credit legitimum, ita exhæredare, quin habeat illum maximo odio, & mortali.

Ad argumenta Adria. & Palud. Ad primum respondeo, restitutionem esse quidem de necessitate salutis, & in præcepto, sed affirmatiuo, quod non obligat pro semper, sed cum debitis circunstantijs, & debito ordine, ita scilicet, vt maiora bona qualia sunt fama & vita, non exponantur pro diuitiis, quæ sunt bona adeò illis minora, & ita adultera cum periculo suæ famæ, vel vitæ non tenetur se prodere pro bonis hæreditandis à legitimo.

Ad secundum respondeo, istam mulierem non facere malum aliquod, vt inde veniat aliquod bonum, quia non se prodere ad tuendam famam, & vitam, vbi nullum imminet damnum commune, sed tantum hæreditatis, & bonorum temporalium, quos fama & vita præferenda est, non est malum, imò bonum & licitum. Ad illud uerò, consulit suæ vtilitati, idest, suæ famæ, vel vitæ cum damno alieno, veri hæredis, dico: Nulli quidem licere bonum, quod nondum habet & nititur acquirere, cum damno proximi, cæterum licere bonum, quod actu habet, & possidet, conseruare cum priuatione minoris boni, quod habiturus est proximus, necdum habet; quia hoc est præferre maiora bona propria iam possessa minoribus alienis non possessis, quod maximè licet, quod præstat ista mulier in hoc casu.

Ad tertium multiplex est solutio. Respondent quidam, sicut non licet accipere alienum simpliciter, ita

nec

nec retinere, at sicut licet accipere in casu necessitatis, animo restituendi transacta illa necessitate, vt qui acci pit equũ, vt liberet se à morte, ita quoque licere retine re oblata aliqua extrema necessitate, cum animo restituendi ea transacta: Et ita adulteram non posse tacere animo unquam reuelandi, sed quamdiu imminet illi periculum famę, vel vitę, cum animo reuelandi illud transacto eo periculo. Sed hæc solutio quæ in opinionem Adrian. incidit, non est multum accõmodata, nec est necesse habere istum animum. Vnde respondent alij secundò, accipere alienum prohiberi præcepto illo. Non furtum facies, quod cum sit negatiuum obligat pro semper, & ita nunquam licere accipere alienum, restituere verò esse affirmatiuum, quod obligat cum debitis circunstantijs, & debito ordine, esset autem indebitus ordo, & charitati contrarius restituere diuitias cum damno famæ, vel vitæ. Sed hæc quoque solutio patitur calumniam, quia non retinere est negatio, & hoc nomine vrget Adrian. debere mulierem istam se prodere, ne spurius eius causa retineat alienum, quod non licet inuito domino, sicut nec accipere cum præceptum, Non furaberis vtrumque includat. Imò præceptum restituendi diximus secundo art. esse negatiuum, quamuis proponatur per modum affirmationis, quia significat hæc vox, Restitue, ne retineas alienum. Vnde est tertia solutio & magis accommodata, vt sicut præcepto illo, Non furaberis, non prohibetur quæuis acceptio alieni, sed iniqua & iniusta, eodem modo non prohibeatur quæuis retentio, sed iniusta, & iniqua, qui enim iustè & rationabiliter retinet alienum non peccat, vt qui retinet gladium furiosi.

Et ita mulier adulterà non peccat efficiendo suo silentio & taciturnitate, vt spurius retineat hæreditatem legitimi, quia iustè tacet, & iustè consentit in illam retentionem alieni, cum non teneatur ob bona tempo ralia famam & vitam suam graui periculo exponere.

Ad quartum patet solutio ex dictis, quando enim hæreditas præstabit famæ mulieris, tunc debet se prodere cum periculo famę, cum periculo tamen vitę non, nisi exigat bonum commune, in quibus maximè debent iuuare consilium & prudentia optimi & sapientis confessarij.

Ad quintum respondeo, neminem teneri ad restituenda bona temporalia cum periculo vitæ, quia si extrema necessitas tollit dominia, & appropriationem rerum multò potius præferenda erit cuiuis bono temporali, itrationabiliterque vellet creditor cum tanto detrimento sibi pecunias restitui. Vnde ex Diuo Tho. articulo quarto, debitor cum periculo vitæ non debet restituere creditori in simili periculo existenti: Et qui ab alio accipit equum ad tuendam vitam, si equus moriatur, non tenetur restituere cum periculo vitæ: Nec tenetur quisquam diuitias restituere cum iactura sui honoris, & famæ, nisi vt art. secundo diximus agentes de restitutione famæ, quando diuitiæ illæ & status iudicio prudentum famæ illius detractoris sunt præferendæ.

Ex his dico, iudicem, tabellionem, & testem, quorum culpa aliquis in bonis damnum suscepit, teneri ex proprijs bonis illud reficere, quod si in fama damnum illatum sit, tenentur etiam cum damno suæ famæ illud resarcire, quia nulla est in huiusmodi restitutione inæqualitas, sed debita æqualitas: Similiter si culpa istorum innocens sit in periculo vitæ, tenentur cum periculo propriæ vitę seipsos prodere, & innocentis veritatem, ac innocentiam aperire, quod possunt facere, vt benè consulebat Magister Victoria, constituentes se in aliquo loco tuto, mittentesque inde litteras testimoniales cum omnibus circunstantijs requisitis, vt plenam fidem in iudicio faciant, quibus suam prodant iniquitatem, & testentur innocentis immunitatem & iustitiam.

Ad vltimum respondeo cum distinctione, nam aut mulier illa benè audit apud omnes, vel plerosque, ita vt paucis innotescat eius adulterium, aut apud omnes malè audit, laboratque publica infamia, si quidem benè audiat, filius vel vir adducens eius delictum in iudicium peccat grauiter contra charitatem, non tamen contra iustitiam, si crimen illius iuridicè probati possit in prouincijs, in quibus conceditur actio huiusmodi filio contra matrem, nam in quibus non conceditur peccat contra charitatē & iustitiam, estque talis filius maximè impius, & maledictus cum Canaam, qui verenda patris sui non cooperuit. Idem dicendum est, quando adulterium matris licèt fuerit aliquando publicum, iam est obliuioni traditum. Quod si adulterium illud ita publicum esset, & hominum memoria, vt nulla inde infamia matri accresceret de nouo, nec filius legitimus omnibus suauioribus medijs tentatis cum spurio, alia via posset hæreditarem vtilissimam & iustissimè competentem obtinere, quam probando illum esse spurium, tunc nec contra charitatem, nec contra iustitiam peccat, quia vtitur iure suo sine noua iniuria matris, & si quæ tunc illi fiat, spurio imputanda est, qui vult iniustè alienum detinere, nec alia via restituere, quàm adductus in iudicium, vbi de suo ortu, ac matris suæ honore cogitur vel inuitus legitimus agere. Ex quibus non sequitur matrem cum periculo suæ famæ & vitæ debere se prodere, non enim sequitur, filius potest aliquando crimen matris in iudicium adducere, ergo mater tenetur se prodere, potest enim id filius, etiam si peccet contra charitatem, (sicut modò explicatum est) vt suam hæreditatem recuperet, non tamen ad id tenetur mater cum detrimento suæ famæ, vel vitæ.

Sed quæres, quid debeat agere adultera quando est dubia, sit ne filius ille adulteri, an viri sui. Dicunt quidam debere suadere viro suo, vt benefaciat alijs, quos scit certò legitimos esse, sed crediderim, non teneri ad id ex iustitia, quia in dubijs melior est conditio possidentis, filius verò ille est velut in possessione legitimi hæredis, tùm etiam quia dubia in meliorem & fauorabiliorem partem vertenda, Maior tamen quæstio est.

AN ADVLTERA NON RESTITVENTE, teneatur ipse adulter restituere damna illata patri putatiuo, & alijs filijs legitimis ratione spurij.

HÆc tria in primis in hac quæstione apud omnes certa sunt. Primò, adulterium non debere facilè credere mulieri asserenti illum spurium esse filiũ eius, vel quia vidit illam simul agere cum viro suo nec minus potuisse concipere ex viro, quam ex seipso, vel si probabiliter & prudenter potest suspicari, illam alijs quoque fecisse sui copiam: solent enim istæ mulierculæ non nunquam filium spurium tribuere ditiori, aut sibi magis dilecto, vnde non temerè nec facilè est ipsis credendum, sed maturè & in re maximè manifesta.

Secundò, certum etiam esse debet, ipsum non teneri ad aliquid restituendum cum periculo famæ, vel vitæ, sicut nec tenetur adultera, qua his par est vtriusque ratio.

Tertiò, teneri apertissimè ad restituendum, si ipse consuluit adulteræ, vt illum spurium supponeret viro suo, vt legitimum, nam vt vidimus articulo sequenti, qui suo consilio est in causa alicuius damni, tenetur etiam ad illius restitutionem. Quæstio ergo est, An adulter qui sine periculo famæ, vel vitæ potest restituere damna illata viro adulteræ, & filijs legitimis ratione spurij, nec consuluit, vt illum adultera viro suo supponeret, teneatur restituere ex eo solum, quod genuerit.

Soto lib. 4. de Iusti. q. 7. art. 2. dicit tria. Primò, adulterum

terum non debere credere, nisi sit maxima certitudo, illum spurium esse filium suum.

Secundò, etiamsi credat, non teneri ad restituenda illa damna ex iustitia, quia ipse non ex proxima causa illorum damnorum, sed remota, cum non intenderit generare, sed solum explere suam libidinem, adulteram verò esse causam proximam, quæ viro supponit filium illum.

Tertiò, debere adulterum, qui potens est, & diues ex quadam æquitate illa damna reficere marito, qui fecit expensas cum illo spurio educando, & filijs legitimis, quorum hæreditatem vsurpat, quia licèt iste adulter non sit causa proxima, est tamen aliquo modo causa illorum damnorum.

Sed communis sententia, quæ multò probabilior est, vult adulterum, cui probabiliter constat, illum spurium suum esse, teneri ad damna illa ex suis bonis reficienda. Ita D.Antoniu.2.par.tit.2.c.17.Syluest. Adulterium. q.5. Summa Angelica ibidem num.4. Caie.in Summ.Adulterium.Nauar.cap.17.nu.48.& 49. & ferè omnes recentiores, quod probant ex illo c.finali, de iniurijs & damno dato: vbi qui in causa est, vt damnum alicui inferatur, obligatur ad illius damni restitutionem, certum autem est adulterium in causa esse illorum damnorum, cum genuerit spurium, ob quem illa damna sequuta sunt.

Et confirmatur, qui efficit id, ex quo contingens maximè est damna aliqua sequi posse, tenetur, si sequantur, ad illa restituenda, maximè si dabat operam rei illicitæ, quo nomine qui in itinere, per quod contingit multos viam facere, imprudenter mittit sagittam, si quem occidat, vel aliud damnum inferat, tenetur ad illius restitutionem, sed nullus adulter ignorat se dare operam rei illicitę, ex qua est maximè contingens mulierem reddi grauidam, & nasci spurium, & eo nato virum illius in eo educando facturum expensas, legitimisque minorandam hæreditatem, ergo tenetur ad ista damna restituenda.

Secundò, adulter realiter ista damna dedit, cum sciens, & prudens dederit operam actui, ex quo talia damna probabile erat sequutura, imò talis actus est via ad illa damna, ergo tenetur illa reficere. Nec valet ratio Soti quia damna illa sequuntur ex procreatione & generatione filij spurij, cuius non minus causa est qui genuit, quàm ipsa adultera, quæ concepit & peperit, quæ etiam non intendit generare, sed solum suam libidinem explere, sicut & adulter.

Ex quo sequitur, adulteræ quæ viro & alijs filijs restituit in integrum damna illata ratione spurij ex suis bonis proprijs & liberis, teneri adulterum partem illius satisfactionis reddere, quia vt videbimus articulo sequenti, quando plures idem damnum inferunt, vno in integrum restituere, tenentur alij suas partes illi exhibere.

In solutione vltimi argumenti docet D.Tho. debitorem liberum esse à solutione creditore illi dimittente, intelligendum hoc est, quando liberè & voluntariè remittit quia talis remissio est quædam donatio, & sicut liberè potuit donare, & donatio teneret in vtroque foro: ita & remittere, quod si remissio sit coacta & inuoluntaria, aut per timorem extorta, vel per deceptionem, tunc debitor non manet liber, quia coactum, & inuoluntarium nil efficiunt in foro animæ, vnde vsurarij qui vt retineant acquisita per vsuras, quibusdam cautelis & conuentionibus extorquent quasdam remissiones, non sunt securi, sed tenentur restituere in integrum. Vide hic Caiet.

ARTICVLVS VII.

An qui nihil acceperunt, teneantur etiam ad restituendum.



IN duplici sunt differentia, qui proximis sulsoocent, quidam enim sunt qui præcipuè & primo, dicunturque præcipua causa damni, vt fures & homicidæ, de quibus D.Tho. articulo præcedenti, alij verò qui secundario, & minus præcipuè: vt qui iuuant, & consulunt comitantur recipiunt, occultant, & fouent malè agentes: dicunturque complices, socij, participãtes, causæ minus præcipuæ, vel concausæ damni illati: de quibus præsenti articulo: Quo fit, vt materia huius articuli sit maximè necessaria & diffusa: & in qua Theologum oportet esse versatũ propter innumeros euentus, qui ex doctrina huius articuli explicandi sunt.

Agunt de his Doctores in 4.distin.15.Adrian.in suo 4.de Restitutio.fol.31. Medina C.de restitutio. quæst. 7.vsque ad 10.Syluest. restitut. tertio.q.6.Caiet.hic & Summa, restitutio.cap.1.Armilla restitut. nu.3.& seq. Soto lib.4.de Iusti.quæstio.7. art.3. Nauar.in suo Manuali, cap.17.nu.17.& sequen.

Ad intelligentiam huius articuli obseruemus initio, cũ duobus modis (vt ex superioribus constat) possit aliquis teneri ad restituendum, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, non esse hic quęstionem, an isti socij & complices teneantur restituere alienum, quod à fure latrone acceperũt, cum certum sit, alienum quocunque modo apud aliquem existat, & ad eum peruenerit, esse restituendum, etiamsi non communicauerit in delicto furis: sed quæstio est, an qui iuuant ad iniustè aliquid accipiendum, vel sola ratione iniquæ acceptionis, & iuuaminis, etiamsi nihil apud se habeant rei acceptæ, teneãtur restituere: quapropter D.Thom. optimè habet in titulo huius art. An qui nihil acceperunt teneantur restituere.

Obseruemus secundò, cum vinculum restitutionis oriatur ex damno illato cum iniuria, quotiescunque factum non sequitur, socios & iuuantes peccasse quidem mortaliter, vel sola voluntate nocendi, cum hæc sufficiat ad peccatum mortale, nullam verò illis manere obligationem restituendi, cum damnum actu & reuera illatum non sit.

His positis, duo in hoc artic. docet D.Tho. Prius est, nouem modis posse aliquem iuuare & concurrere ad iniquam actionem alterius: quos sic colligit: Nam aut concurrit directè, aut indirectè, directè quidem inducendo, vel iuuando: inducere aliquis alium tribus modis dicitur, præcipiendo, consulendo, vel laudando actum illum; iuuare verò duobus, vel recipiendo illum furem, vel comitando, & auxilium ferendo. Indirectè autem concurrit, qui non prohibet damnum, quod potest, & debet prohibere, quod adhuc potest accidere quattuor modis. Primò, si taceat, quando debet præcipere vel consulere ne illud fiat. Secundò, si suffragium ferat, & consentiat debens dissentire. Tertio, si cum possit & debeat obstare, nõ obstat. Quartò, si cum possit, & debeat manifestare, non manifestat; ita colliguntur nouem modi, quibus aliquis concurrit ad iniquam acceptionem alieni, qui continentur his versibus.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Docet secundò D.Thom. ex his nouem modis illos quinque, quos his vocibus exprimimus, iussio, consensus, recursus, participans, & non obstans, communiter & ex genere suo obligare ad restituendum, quia isti communiter & ex suo genere sunt causæ efficaces, & mouentes, vt iniqua acceptio fiat. Est autem certissima illa regula iuris, [Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.] Quam regulam

perspicuum

perspicuum est, de causa efficaci, & mouente esse intelligendam. Alios verò quattuor modos contentos istis vocibus, consilium, palpo, mutus, & non manifestans, ex suo genere & simpliciter non obligare ad restituendum, quia simpliciter & ex suo genere non sunt causæ efficaces ad mouendum. Propter quod in singulis oportet Theologum diligenter attendere, quando is qui iuuat sit causa efficax, & verè moueat iniquè agentem ad talem actum, quando verò non: Nam vbi verè mouet, est efficax, teneturque restituere, quādo secus, non tenebitur.

Circa hunc articulum variæ sese offerunt controuersiæ, quarum prima & potissima est.

Controuersia Prima.

QVIS SIT CENSENDVS EX IVVANtibus, & socijs causa efficax iniustæ acceptionis.

CONueniunt quidem omnes Doctores in hac Regula D. Tho. socium qui est causa efficax iniquæ acceptionis, teneri ad restitutionem, illum verò qui non est causa efficax, non teneri. Cæterum quis sit causa efficax, quis non, variè explicatur. Syluest. loc. cit. cui videntur subscribere Adrian. loc. cit. Palud. in 4. distin. 15. quæstio. 2. habet tria. Primum quando damnum non potuit inferri à causa præcipua sine illo adiutore, & socio, teneri vtrumque ad restituendum in integrum, quia vterque verè damnum illud intulit: Secundò ait, quando damnum fuisset illatum à causa præcipua, & sine illo socio, ratione autem socij, & complicis fuit illatum maius, teneri tunc istum socium ad restituendum tantum illum excessum & augmentum damni, quod ex suo adiutorio fuit illatum. Tertiò ait, quando verò totum damnum fuisset nihilominus illatum ab agente præcipuo, etiamsi socius ille non adiuuisset, nec concurrisset ad illud, tunc non teneri eum ad aliquid restituendum, quia in tali casu, inquit, huiusmodi socius non est causa illius damni, cum præcipuus agens etiam sine ipso illud intulisset. Ex his infert regulam, illum tantum esse causam efficacem, & teneri ad restitutionem, sine quo pręcipua causa damnum non intulisset, quod genus causæ vocant Philosophi, causa sine qua non.

Ex qua sententia Syluestri duo colliguntur consectaria. Prius est, si vsurarius per seipsum exercuisset vsuras, & sine ministerio famuli, famulum qui illi ministrauit in vsuris, & eius negotia exercuit, non teneri ad restituendum: quia iste famulus non est causa sine qua non, cum sine ipso dominus exercuisset vsuram. Alterum est, si tali famulo non ministrante, nec iuuante dominum alius illi adfuisset, quamuis dominus sine aliquo famulo non potuisset exercere vsuram, non teneri istum famulum, qui iuuit, restituere, quia ipse non est causa sine qua non, cum eo deficiente alius famulus illi domino non defuisset. Idem docet Palud. in 4. dist. 15. q. 2.

Adrianus loco citato sequitur Syluest. quamuis differat in eo, quod Syluest. vult socium istum & complicem esse causam efficacem, & teneri ad restitutionem, quando omnino & simpliciter damnum illud sine ipso non fuisset illatum, vnde colligit ista duo consectaria modò proposita, Adrianus autem vult socium esse causam efficacem, & teneri ad restitutioné, quando sine ipso saltem in specie, idest, sine ipso, vel simili non fuisset damnum illatum, vnde concedit prius illud consectarium Syluest. negat autem secundum, sed vult quando famulus. Verbi gratia, Ioannes iuuat, teneri nihilominus ipsum ad restitutionem, quia in hoc casu quo vsurarius sine ministerio socij non exercuisset vsuras, Ioannes verè est causa, cum verè adhiberet ministerium vsurario, parumque facit, quod potuerit iuuari à Petro.

Probant autem isti Doctores illum tantum socium, sine quo damnum illatum non esset, vocandum esse causam, nec teneri ad restitutionem. Primò, ex l. vulgaris. ff. de furtis. §. Vt furti, vbi dicitur, si plures deferant lignum, quod vnus non posset ferre, omnes illos teneri ad restitutionem. Ex quo sequitur à contrario sensu, quando vnus sine alijs id posset, illos non teneri, teneri autem, quia alius non potest sine ipsis, suntq; illi velut causa sine qua non.

Secundò, ex D. Tho. qui apertè docet hic in littera, consentientem non teneri ad restitutionem, nisi quando sine ipsius consensu non sequitur damnum.

Tertiò, Quando Petrus comitatur Ioannem ad furtum, quod Ioannes nihilominus sine Petro decreuerat facere, & reuera fecisset, Petrus nō est causa illius furti, aut saltem non est totalis, sed partialis tantum, ergo non tenebitur ad restituendum in integrum, sed vel ad nihil, vel ad summum ad partem aliquam.

Vltimò, fingamus casu reperiri in comitatu latronis volentis expoliare viatorem virum aliquem probum, qui potius vellet fauere viatori, quàm illi aliquod damnum euenire, viatorem verò id ignorātem, & suspicatum vtrumque sibi nociturum fugere relicto pallio, qui reuera non fugeret solum latronem, in hoc casu vir ille probus ideo non tenetur restituere, quia non est reuera causa sine qua non illius damni, sed tantum ex falsa suspicione viatoris: ergo si reuera fuisset causa sine qua ille non fugisset, nec; reliquisset pallium, teneretur ad restitutionem, similiter ergo socij, & complices tunc tenebuntur ad restituendum, quando sunt causa sine qua non.

Oppositum docent Caiet. hic in comento, Medina, Soto, Nauar. locis citatis, & omnes recentiores Thomistæ, nempe illum socium esse verè causam, & teneri ad restituendum, qui influit, & concurrit ad actum, quo infertur damnum, & aliquid reuera efficit pertinens ad illum actum, quo proximo nocetur, siue damnum illud fuisset nihilominus siue tali socio illatum, siue non, Probant primò, Quemadmodum in naturalibus est verè causa quicunque reuera influit in effectum, etiamsi sine ipso effectus ille fuisset sequutus, vt cum duo ignes comburunt vnum lignum, etiamsi alter eorum solus, & sine altero illud combusisset, vterque nihilominus est verè causa illius combustionis, quia vterque reuera illud accendit & vrit, ergo in moralibus similiter, cum regulæ morales in his ex naturalibus sumendæ sint, quicunque concurrit, & influit ad aliquam actionem, etiamsi illa sine ipso fuisset sequuta, modò ad eam reuera concurrat, est causa efficax illius.

Secundò, vinculum restitutionis non sumitur ex eo, quod à me, & non ab alio fuerit damnum illatum, sed ex eo, quòd à me fuerit verè illatum, siue fuisset etiam ab alio nihilominus illatum siue non, ergo quicunque reuera concurrit ad illationem damni, & illud verè efficit, est causa efficax illius, etiamsi non sit causa sine qua non. Antecedens patet ex dictis. Et confirmatur, quia ista conditionalis, si ego non fecissem, alius fecisset, parum pertinet ad mores, nec tollit quin ego fecerim, quando à me reuera & actu aliquid factum est. Verbi gratia, video pauperem, do illi eleemosynam, quam me non dante alius dedisset, desino propterea ego verè exercuissem actum misericordiæ? nequaquam. Similiter occido hominem, quem infirmitas propediem interemisset, desino propterea esse homicida? Comburo segetes, quas forsan turbo, vel fulgur statim sustulisset, desino propterea reuera combusisse segetes, & illud damnum intulisse? nequaquam.

Tertiò, iuxta oppositam sententiam, si Dominus pręcipiat famulo vt occidat Petrum, & alius famu-

lus,

lus, vt placeret Domino: præueniens alterum occideret illum, nullus teneretur in hoc casu ad restituendum: non prior ille, quia licet habuerit animum occidendi, non tamen occidit, vinculum autem restitutionis non habet locum, nisi effectus sequatur, nec secundus, quia si ipse non occidisset, ille prior occidisset, hoc autem nullus vnquam Doctorum asseruit. Quod si dixeris in eo casu non esse absurdum nullum illorum famulorum teneri ad restitutionem, sed sufficere, vt teneatur Dominus restituere, qui est præcipua causa per imperium, argumentor sic. Statuamus Dominum ipsum velle occidere suum inimicum, & dum se parat homicidio, alium hominem illum præuenire, & occidere eundem, quem Dominus ille decreuerat interficere, in hoc casu nullus tenetur ad restituendum illud damnum.

Probo, non dominus ille, qui non occidit actu, sed tantum habuit animum, quia vinculum, vt diximus, restituendi non nascitur ex sola animi intentione, qua volnit aliquis nocere, si actu & re ipsa non nocuit, nec alter, quia non est causa sine qua non, cum ipso non occidente prior ille reuera occidisset.

Quartò, in foro exteriori explicata veritate rei, socium qui reuera concurrit, & efficit aliquid pertinens ad iniquam actionem, condemnabit iudex ad restitutionem damni illati, etiamsi sine ipso fuisset damnum illud nihilominus illatum, ergo & in foro interiori tenetur, qui ita concurrit restituere, & est causa efficax. Patet consequentia, quia iusta sententia quæ fertur cognita rei veritate, obligat etiam in foro interiori.

Denique, huc facit illud Christi Matth. 18. necesse est, vt veniant scandala, verum tamen væ homini illi per quem scandalum venit, quasi dicat quamuis supposita hominum malitia, & prauitate non possit mundus scandalis carere, verumtamen væ homini illi per quem scandalum accidet, ipsi opus suum scandalosum imputabitur, etiamsi ipso non faciente scandalum per alios scandala essent ventura.

Nos hanc sententiam sequemur, iuxta veras enim Philosophiæ, & Theologiæ regulas causa, sine qua non est verè, & propriè alicuius actionis, & effectus causa, maximè in moralibus, sed ea quæ concurrit, & efficit aliquid. Vnde vt benè obseruat Magister Soto: Cum duo hic reperiantur, alterum quod habet se, vt affirmatio, nempe reuera concurrere, & efficere, alterum quod habet se, vt negatio, nempe sine ipso non sequi effectum, ratio causæ non est sumenda ab hac negatione, ita vt illud dicatur causa, qua non concurrente non sequetur effectus, cum in effectis, qui à varijs causis possunt procedere, non sit optima illatio, hic effectus potuit procedere ab alia causa sine hac, ergo, hæc à qua procedit, non est vera, & efficax causa, sed sumenda est ratio causæ ab illa affirmatione, quæ est concurrere.

Vnde sit regula. Quotiescunque socius, & complex in actione iniqua vere ad illam concurrit, & in ea aliquid efficit quod per se pertinet ad talem actionem, est causa efficax, & tenetur restituere damnū tali actione illatum.

Dixi, aliquid efficere quod verè pertineat ad talem actionem, quia si id quod præstitit nil pertineat ad illam, non est socius, verbi gratia, Occurrerunt tibi nocte ambulanti latrones, quibus scalam fenestræ admouentibus tu scalam custodisti, vt illi securius ascenderent, tu es verè complex, ac socius, & causa efficax illius furti, quia sic scalam tueri pertinet reuera ad illam actionem furti: non custodisti scalam, vt securius, & firmius ascenderent, sed illam casu, vel nil de furto cogitans tetigisti, nilque faciebat ad eorum ascensum, num à te tangeretur, vel non, tunc non es socius criminis, nec causa, quia talis contractus nil faciebat ad actionem illam furti, neque ex eo aliquo modo actio illa pendebat.

Ex hac doctrina sequitur primò. Consultorem, qui suo consilio effecit, vt Petrus inferat damnum, quod non decreuerat inferre, aut erat dubius, aut non ita paratus, teneri ad restituendum, etiamsi non defuissent alij, qui idem ei consuluissent, quia talis consultor influit, & concurrit, reuera suo iniquo consilio ad illud damnum. Secundò, sequitur famulum vsurarij, qui tantum seruat, vel numerat pecuniam, non autem exercet aliquod ministerium circa contractum vsurarium, non teneri ad aliquid restituendum quia seruare pecuniam, aut numerare, non est aliquid efficere per se pertinens ad vsuram.

Famulum verò illum qui conuenit inter dantem, & recipientem, qui facit chirographa, & litteras, & aliquod ministerium exercet circa contractum vsurarium, teneri ad aliquid restituendum, quia huiusmodi famulus verè præstat in illo contractu efficiendo aliquid ad illum per se pertinens.

Sequitur tertiò, si plures concurrant ad aliquam iniustam acceptionem, vt plures fures ad rapiendum in eadem domo, plures milites ad idem bellum iniustum, omnes teneri simul in solidum ad reficiendum illud damnum in integrum, quia omnes sunt causa efficax illius damni.

Quod si dixeris, fures isti, vel milites sunt quidem causa totalis simul sumpti damni, at vnusquisque illorum non est causa totalis, sed partialis, ergo sufficiet restituat partem vnusquisque eorum aliquam. Respondent Doctores, omnes istos concurrisse ad illud damnum tanquam vnam causam, propter quod non est potior ratio, cur vni quàm alteri damnum illud, vt præcipuo agenti potius tribuatur, & ideo omnes tenentur in integrum illud restituere, quasi verè ab vnoquoque illatum.

Et hic est sensus illius. l. Vulgaris. ff. de furtis, non enim ibi significatur, singulos teneri ad restituendum illud lignum, quia sunt causa sine qua non, sed quia singuli effectiuè, & verè concurrerunt ad illud damnum, & furtum ligni, ideoque omnes teneri ad illius restitutionem in integrum nec debere ordinari, quia omnes simul tulerunt, omnes debere restituere pro rata parte.

Ex his patet solutio ad primum argumentum pro opinione Syluest.

Ad secundum respondeo, D. Tho. consentientem, sine cuius consensu damnum nihilominus sequeretur, liberare à debito restituendi, non quia est causa sine qua non, sed vt ipsemet docet in corpore articuli, quia talis consensus non influit, nec concurrit iam ad illum effectum, sed est consensus inutilis, & quasi frustra adhibitus: apertè enim, ait, consiliatorem, & adulatorem non teneri ad restituendum, quando non fuit causa efficax.

Ad tertium respondeo ex dictis de militibus, illum comitem esse socium, & complicem præcipui malefactoris, & concausam in ordine ad totum damnum, & ita illo præcipuo non restituente teneri illum comitem, qui verè concurrit ad restituendum in integrum, vt causa verè efficax illius damni.

Ad vltimum respondeo, illum virum qui fortuitò fit obuius latroni, si possit viatori indicari se non esse furem, nec à se timendum, teneri ad id, quod si non valeat id viatori indicare & alter fugiat, non teneri ad restituendum non quia desinit esse causa sine qua non, sed quia tunc non influit, nec concurrit ipse ad illud damnum, nec ipse est causa illius, sed falsa opinio fugientis.

[illegible]

AD

AD QVAM RESTITVTIONEM teneantur complices, & socij.

De Præcipiente.

NVnc de singulis modis, quibus concurritur ad quam actionem dicamus. Et primo, de his qui communiter, & ex genere suo inducunt debitum restituendi.

Ex his primus est præcipiens, quem nulla est dubitatio teneri ad restitutionem, cum sit causa præcipua, & quæ potissimum mouet ad inferendum damnum. Dicimus ex genere suo, quia per accidens & ex circũstantia potest euenire, vt præcipiens non teneatur aliquid restituere. Primò, ex regula initio posita, si non sequatur effectus. Secundò, si is cui præcipitur, ita est paratus, & in procinctu ad inferendum damnum, vt talis iussio neque illum moueat, neque confirmet in suo iniquo proposito, neque inducat, vt citius faciat, quia tunc iubens nil efficit, quod pertineat per se ad illam iniquam actionem. Et ratio est aperta, quia præcipiens ideo est causa & concurrit ad damnum, quoniam vel mouet, vel confirmat, vel accelerat ad damnum, in hoc autem casu nihil horum præstat, ergo in hoc casu non est causa, nec cõcurrit, sed est veluti permissio quædam, fac quod vis, sicut dixit Christus Iudæ, quem paratissimum & firmissimum in suo iniquo proposito videbat, quod facis fac citius. Vnde si quis obijceret D.Thom. In aliquo euentu iussio non obligat ad restitutionem, ergo falsò docet illam semper obligare, intelligendus est D.Tho. ex genere suo, nam quando non obligat, idest per accidens, quia ille cui in hoc casu dicitur fac, ita erat iam paratus, vt illa iussio nil omnino efficeret.

Obseruandum tamen hic est in iussione maximè attendendum esse, an is cui præcipitur sit subditus, quia si subditus non est qui ita erat in procinctu, & paratus ad nocendum, non tenetur tunc præcipiens ad restituendum, propter rationem assignatam. At si subditus est, tenetur non ratione iussionis, quæ (vt statuimus) nil efficit, sed velut non obstans, quia superior tenetur impedire subditum, ne alijs noceat, & in hoc casu, qui diceret, fac quod vis, & permitteret, non obstaret, quando deberet obstare.

De Consentiente.

SEcundus modus est consensus, circa quem obseruemus ex Caiet. loco cit. in somma, consensum bifariam se habere posse, nam aut est tantum consensus, & complacentia quædam voluntatis, aut est simul consensus, & causa effectus, verbi gratia, agitur de bello inferendo, vocat Rex magnates, & proceres sui regni, non vt consulat, an bellum illud expediat inferre, quia firmiter decreuit iam apud se illud inferre, sed vt illum cõmittentur, & iuuent, consentiũt omnes in illud, hic consensus non est causa, sed tantum consensus, & complacentia. Fingamus Regem nondum aliquid decreuisse, vel ita decreuisse, vt paratus sit suorum audire consilia, & vota, & cum illis plenius deliberare, tunc consensus eorum, qui ad talem consultationem vocantur, est simul consensus & causa, cum voluntas Regis non sit plenè deliberata, sed eorum consensu, & suffragijs sit confirmanda, & inflammanda. Sit ergo regula, quando consensus, est tantum consensus & complacentia, non autem causa, non obligat ad restituendum, quia non influit tunc in effectum, nec aliquid efficit per se pertinens ad actionem nociuam, quando verò est causa simul & consensus tenetur, quia tunc verè concurrit, & influit in illum effectum.

Ex hac regula facilè est explicare quid sentiendum sit, quando multorum suffragijs est facienda aliqua electio, vel ferenda sententia. Sic enim est distinguendum, vel illa suffragia palam & publicè proferuntur, vel secretò. Rursum si publicè, qui vltimo suffragantur aut ita vident priorum vota determinata & fixa ad iniquam electionem & sententiam, vt nulla ratione, vel suasione sint animum mutaturi, aut habet aliquam spem suadendi illis quod æquum est, & rectum: Similiter si secretò ferantur, aut vident plures eorum ita determinatos ad suffragandum iniquè, vt suo suffragio nil fint effecturi, nec precibus aut suasionibus illos à sua sententia auersuri, aut est dubium.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando suffragia publicè feruntur, & præcedentia iam vincunt, & habent rem effectam, sequentia quæ illis consentiunt, qui a vident nil se profutura, nec posse priora inclinare vllo modo ad rectum & iustum, peccant quidem mortaliter.

QVia veritas nullo modo deserenda est in re graui. [Non tamen tenentur ad restitutionem aliquam.] Quia in isto casu talia vota non inferunt damnum, nec concurrunt ad illud, cum ferantur tanquam iam inutilia nullius que momenti, in quamcumque partem inclinent.

[Quod si ista vltima vota prioribus consentiant, non hac ratione, quia dissentiendo nil efficient, sed quia simpliciter illud eis arridet, & est idem eorum animus, tunc tenentur restituere, sicut & alij.

Quia in tali casu omnes sunt pariter consentientes, & concurrunt, vt vna causa ad illud damnum.

CONCLVSIO II.

Quando suffragia publicè feruntur, & sequentia vota possunt habere aliquam spem suadendi præcedentibus quod iustum est, tenentur tunc iuxta æquitatem suffragari, & prioribus quod rectum est suadere, sin minus, tenentur ad restitutionem.

PAtet, quia in hoc casu votum istorum potest esse vtile, qui verò non fert votum, quando vtile esse potest, iuxta æquitatem, nocet proximo cum iniuria. Secundò, quia vnusquisque vouentium tenetur, quantum commodè potest, tueri æquitatem, & resistere iniquitati, qui autem, quando votum & suasio eius prodesse potest, non rectè, & debitè suffragatur, assentitur iniquitati, & habet se vt non obstans, qui potest & tenetur obstare. Quod autem vnusquisque vouentium ad hoc teneatur, patet, quia eo nomine volunt omnia iura, vt hæc vota non à singulis manentibus domi suæ colligantur, sed ab omnibus in vnum locum publicum conuenientibus, vt mutuis consilijs, & rationibus inter se collatis, quod æque est efficiatur, faueat q; vnusquisque quantum potest suis rationibus, & suasionibus æquitati, & iniquitati obsistat.

CONCLVSIO III.

Quando suffragia secretò, feruntur, qui videt maiorem vouentium partem in deterius determinatam, si præbeat assensum, quia suo suffragio non potest benemerito prodesse, peccat contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec tenetur ad aliquid restituendum.

QVia sic vouens nullum infert damnum. [Si verò assentiatur, quia illud idem placet, & sibi erat in animo, tenetur restituere.] Quia est pariter consentiens, & vna causa cum illis.

Hæc conclusio similis est primæ, & constat ex illa.

CON-

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando vota secretò feruntur, & ignorãt quisque aut non est omnino certus quid alij facturi sint, & suffragatur contra æquitatem, tenetur ad restituendum in integrum.

PAtet, quia in isto casu vniuscuiusq; suffragium non solum est consensus, verum etiam causa illius damni quod infertur benemerito, sic autẽ consentiens, vt docet hic D. Tho. tenetur restituere.

De Receptante.

TErtius modus est recursus, vel receptator. Vbi notandum est bifariam posse aliquem recipere apud se malefactorem, aut formaliter, quia malefactor est, aut materialiter, recipiendo illum non quia malefactor est, sed quia amicus ipsius est, vel quia domui suæ solet hospitio recipere quoscunque aduenientes, vt stabularius. Rursum, qui recipit malefactorem materialiter, potest adhuc habere se tribus modis Primò, si recipit illum vt à iudice, carcere alijsque supplicijs liberatus resipiscat. Secundò, si recipit videns malefactorem illum, quia sic recipitur, securius malè agere, in suisq; delictis permanere. Vel tertio, recipit illum nõ vt securius peccet, imò ægre ferr illum prauè agere, suadetque quantum potest, vt vitæ rationem immutet, sed quia sibi vtile est malefactorem illum recipere, & extãt alij multi, qui illum parati sunt recipere, vt stabularius, qui recipit malefactorem propter solum lucrum, videns existere plura hospitia in quibus recipietur, nisi ab ipso recipiatur.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui recipit malefactorem formaliter, aut materialiter secundo modo, tenetur restituere damnum.

PAtet quia sic recipiens verè concurrit, cum præstet aliquid per se pertinens ad iniquam actionem, facit enim directè animos malefactori suo auxilio, & securitate.

CONCLVSIO SECVNDA.

Qui materialiter recipit malefactorem primo, vel tertio modo, non tenetur ad restituendum.

SIc enim recipiens non concurrit, neque adiuuat, aut præstat aliquid per se pertinens ad iniquam actionem. Vnde cum ait D. Tho. receptorem teneri semper, & ex genere suo ad restituendum, loquitur de receptatore formaliter, sicque verissima est eius doctrina, nec repugnat, quod recipiens materialiter aliquando non teneatur.

Ex hac doctrina pendet explicatio excommunicationis, & censuræ, quæ in Bullis Apostolicis fertur contra recipientes malefactores. intelligendæ enim sunt de recipientibus formaliter, & materialiter. Secundo modo, quia censuræ istæ feruntur contra receptatores, qui sunt coadiutores, & fautores malefactorum, & recipiendo illos peccat mortaliter, tales autem receptores non sunt, nisi qui recipiunt eos formaliter, vel materialiter secundo modo. Qui verò recipiunt materialiter primò, & tertio modo, nec sunt coadiutores sua receptione, nec peccant mortaliter, nisi iam Bulla exprimat nec isto modo velle eos recipi, tunc enim standum est verbis ipsius Bullæ. Aliter seruanda est doctrina hic posita, quæ est communis intelligentia Doctorum.

De Participante.

QVartus modus est, participans, potest autem aliquis tribus modis dici participans, aut ratione rei acceptę, quia accepit aliquid à fure bona, vel mala fide, aut quia illi fuit socius, vt comes, adiutor, vel explorator iniquæ acceptionis, vel quia licet nõ simul, & eodem actu nocuerit, diuisim tamẽ, & seorsum vnusquisque aliquid ex eodẽ loco furatus est, vt cum vnus ex domo aliqua accepit decem, alius deinde alia nocte ex eadem domo alia decem, quomodo solent plures esse participes in damno eiusdẽ vineæ, nõ quia simul illã ingrediantur; sed vno eorũ hodie colligente tres, aut quattuor racemos, alio crastina die totidem, & alijs deinde similiter.

De priori qui accipit aliquid, vel emit à latrone bona, vel mala, aut dubia fide iam diximus copiosè articulo quinto.

De secundo est communis doctrina D. Th. & omnium Theologorum, teneri ad restituendũ in integrũ. Primò, quia talis participans cõcurrit effectiue, & per se aliquid præstans ad illud damnum, estque causa efficax illius. Secundò, quia in foro exteriori per iustam sententiam condemnabitur ad restituendum in integrũ, vt habetur apertè in l. Vulgaris. ff. de furtis, & in l. Si vulneratus ff. ad legẽ Aquiliam. Tertiò, quia damnum in tali casu simul ab omnibus effectum est, & cum nõ sit potior ratio vnius, q̃ alterius, omnes tenẽtur ad illud in totum reficiendum.

De tertio dico, nullum illorũ teneri ad restituendum in integrum, sed solum ad eam partem, quam accepit, quia ad illam tantũ, & non ad alias concurrit efficienter. Sed dices, illud est furtum leue, & ratione leuitatis materiæ veniale, ergo non tenebitur ad restituendum. Dico vnumquemque seorsum, si nullus aliorum quid accepisset, non teneri ad restituendum, quia esset leuissimum damnum, at cũ tot accipientibus maximum damnum illatum sit, ratione magnitudinis damnum est reficiendum, & cũ id fieri nequeat nisi vnoquoq; suam partem restituente, ideo vnusquisque tunc tenetur in conscientia restituere. Hac ratione fit, vt cum in similibus furtis, & damnis feruntur à prælatis excommunicationes contra non restituentes partem suam, sint iustæ, & obligent, quia licet priuata vnusquisq; acceptio fuerit venialis, damnum tamen ab istis omnibus simul sumptis illatum, est graue, & reficiendum in cõscientia, vnoquoque suam partem restituente, & non restituere in tali casu est mortale, quia censura ista, cum sit iusta, obligat sub mortali, potest enim censura ferri nõ solum pro peccato mortali, verum etiam pro graui damno reficiendo.

De non Obstante.

QVintus modus est, non obstans, id est non præbens auxilium ad impediendam iniustã actionem. Circa quem notemus primo bifariam posse habere nõn obstantem, Nam aut est persona omnino priuata, cui ex nullo munere, aut officio competit obstare damnis quæ proximo videt inferri, aut est persona aliqua ratione publica, & cui conuenit ratione alicuius officij, vel mercedis, vt Reges, Principes, Gubernatores, Ministri iustitiæ, Custodes itinerũ, viarũ, montium, vel nemorũ. Ex quibus certum est apud oẽs Doctores hos posteriores, quib. ex officio incũbit esse custodes iustitiæ; & obuiare malis, nisi obstent, cũ possint, peccare, & contra charitatẽ, & contra iustitiã cõmutatiuã cũ ad id teneantur ex officio & ppea illis tributa, & mercedes conferantur, & consequenter teneri ad restitutionẽ, & ita est definitum in illo capitulo, Si tua culpa, de iniurijs,

& danno dato, vbi obligantur ad restituendum omnes illi, quorum negligentia, & culpa damnum alijs infertur, cum teneatur illi, quo ad fieri potest, illud prohibere.

Notemus secundò, vt ex præcedenti articulo constat, eũ no qui ad hoc ex officio tenẽtur, possint peccato, aut ex negligentia lata, & graui, aut ex leuissima, nõ teneri ad restituẽdũ quãdo nõ obstant ex negligentia leuissima, sed quando ex graui, vel leui, vt ibi iam explicatum ast. Quæstio autem est.

SECVNDA CONTROVERSIA.

AN QVI TENENTVR OBSTARE ex officio, si non obstiterint, cum sine damno suo potuerint, teneantur ad restitutionem.

CAyet. in summa, Resti. in illa particula, non manifestans, vult illum qui sine graui damno suo potest nocumentum proximo suo imminens impedire, vel prohibendo cum possit, aut manifestando illud, vt impediatur, nec illud impedit, teneri ad restitutionem, quia in hoc casu talis omissio est causa iniustæ actionis, adeo, vt verè de tali non obstante liceat affirmare, culpa ipsius tale dãnũ datum esse. Et confirmatur primo ex cap. Quantæ, de sententia excommunicationis, vbi Inocentius tertius declarat excommunicatos non solum iniicientes manus in Rectores Ecclesiæ, verum etiam consentiẽtes, & subdit. [Hos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare.] Et in c. sicut dignũ, de homicidio volũtario, ait Alexander tertius. [Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberauit, occidit, & subdit, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori deũoit obuiare.] Vbi vterque Põtifex illum, qui potest obstare, & non obstat, vocant fautorẽ, & sociũ criminis, excommunicantq; sicut ipsos homicidas, nec distinguunt inter eum, qui ad id tenetur ex officio, & eum qui tantum tenetur ex charitate, sed fautores, & socij iniustæ actionis sunt causa efficax illius, & tenentur (vt diximus) ad restituendum, ergo qui non obstat, vel non manifestat, cum commodè possit, tenebitur ad restituendum, etiam si ad id nõ teneatur ex officio.

Secundò, omnes isti, qui possunt impedire obstãdo, vel manifestando, si non impediunt, reuera assentiuntur, & damnum subsequutum est illis voluntarium saltem indirectè, consentiens autem tenetur ad restituendum, ergo.

Tertiò, ista omissio est in ordine ad alterũ, & per consequens contra iustitiã, ergo cũ sit cum damno, obligabit ad restituendum, quia omnis iniustitia in damnũ proximi obligat ad restituendã. Eandẽ sententiã tribuit M. Soto loco citato Ricardo in 4. d. 15 art. 5. q. 4. sed Ric. vt ibi est videre, quo ad non obstantẽ conuenit cũ cõmuni opinione, mutum verò, id est, non loquentem, & non manifestantem, sentit non teneri ad restituendũ, quando nõ tenetur ad id ex officio, neque id omittit ex odio proximi, sed ex meta iniuria, vel negligẽtia, quod si omittit ex odio, vlt teneri etiam si ad id nõ teneatur ex officio.

Communis autem opinio D. Tho. in hoc artic. maximè in solutione ad tertium Scoti in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. eiusdem Cayet. hic in cõmento, Victoriæ, Soto loco citato, & omniũ recentiorũ Thomistarũ est, huiusmodi nõ teneri ad restituendũ, quorũ fundamẽtum est, vt iudicetur quis causa indirecta, & per accidens alicuius dãni quod infertur, tria requiri. Primò, vt possit illud impedire. Secundò, vt teneatur, & debeat. Tertiò, vt actu non impedierit. Ex eodẽ enim D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 3. vt actio alterius, ad quã ego efficienter non concurro, fiat mihi indirectè voluntaria, exigitur necessariò, vt illam cũ potuerim, & debuerim impedire, non impedierim. Exemplũ est Arist. si pereat nauis commissa Petro nautæ, quã potuit seruare illud damnũ Petro ascribendum est, quia potuit, & debuit, cum illi cõmissa, at si pereat, quæ illi cõmissa esset, etiam si potuerit illi succurere non est illi imputandum, quia teoebatur ad id.

CONCLVSIO PRIMA. de his omnibus.

Non obstans mutus, id est non loquens, vel clamans, & non manifestans non tenetur ad restituendum ratione huiusmodi omissionis, nisi quando tenebatur ex officio damnum illud impedire.

PRobatur efficacissimè, qui non obstat, vel tacet, non manifestat cũ possit nisi tenetur ex officio, peccat tantum contra charitatẽ, non autẽ contra iustitiam, sed ad restitutionem nemo tenetur ex violata charitate, nisi simul agat contra iustitiã ergo. Minor certa est cũ cõsequentia, probatur maior: si iste violaret iustitiam, aut ratione odij, ex quo tacet, aut ratione necessitatis proximi, quia ille, cui damnum illatũ est, indiguit maximè huius auxilio, vel admonitione, non primũ, quia iste per solã omissionẽ, cũ non teneatur ex aliquo officio ad impediendum dãnum illud, nullo modo concurrit, vel præstitit aliquid per se pertinens ad illã iniustã actionem. Nec secundum, quia odium non repugnat iustitiæ sed charitati tantum. Nec tertium, quia omnium consensu in disputatione de Misericordia, & Eleemosyna, extrema, vel maxima indigentia, & necessitas proximi non inducit debitum ex iustitia, sed solum ex charitate, & misericordia.

Ad argumenta in oppositum, ad fundamentum Cayet. dico sic tacentem non obstantem, & non manifestantem non cõcurrere, nec esse causam aliquo modo influentem in illam iniustam actionem.

Ad primam confirmationem ex illis textibus respondẽt aliqui iuxta communẽ glossam Canonistarũ, in illis capitibus. Põtificẽ non excõmunicare ibi priuatã personã, sed eos, qui cum possint ex officio, siue auctoritate iniquos, & homicidas impedire, nõ impediunt, huiusmodi.n. sunt verè cõsentientes, & cooperatores. Sed hæc explicatio displicet Cayeta. in summa, verbo excommunicatio c. 10. quia iuxta regulã iuris vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, & cum ibi Pontifex non distinguat inter personã priuatam, vel publicam, cui incumbit ex officio, non est optima ista explicatio. Vnde respondemus cum alijs recentioribus meritò particulares etiam qui poterant illa damna impedire, nec impedierunt, excõmunicari, quia peccarunt grauiter contra charitatem, excommunicatio autem non solum fertur pro peccatis contra iustitiam, verum etiam pro peccato mortali contra charitatem, at in foro interiori non tenentur ad restituendum, quamuis in exteriori forsan obligarentur à iudicibus propter vehementẽ suspicionẽ, quàm exhibent fuisse fautores, quod significat Alexander in illis verbis, nec carent scrupulo societatis occultæ.

Et cũ arguitur, à Papa vocãtur isti homicidę, fautores, & cõsentiẽtes. Respõdeo, vocari homicidas, nõ quia aliquo modo effecerint homicidiũ, aut vt causa cõcurrerint ad illud, sed per omissionẽ, sicut dives nõ succurrẽs extremè indigẽti vocatur homicida illius à beato Ambrosio, cũ ait, quẽ nõ pauisti occidisti, vocãtur etiã fautores, & socij, non definitè, & simpliciter, sed per suspicionem id est, maximè

xime suspecti, suntque consentientes, non illo consensus genere, qui simul est consensus & causa, quo modo consentiens tenetur ad restituendum, sed illo consensu, qui est tantum quædam complacentia, qui sufficit, quidem ad peccatum mortale cõtra charitaté, nõ auté cõtra iustitiã, nec obligat ad restituẽdum, vt vidimus agentes de consentiente.

Eodem modo soluitur secundũ, esse consentiẽtes per solum consensum, & complacentiam, non auté per consensũ, qui sit causa, & concurrat aliquid præstãs per se pertinens ad iniquam illam actionem.

Ad tertium dico, licèt possit illud vitare, nõ tamé teneri ad id ex iustitia, sed ex charitate, & ita affectũ illum esse quidem illi voluntariũ indirectè contra charitatem, non tamen contra iustitiã, sicut qui desiderat interitum alteri inferri, ipse tamen non infert, nec concurrit ad illud. Et cũ instas, ista omissio est in ordine ad alterum, ergo contra iustitiam, neganda est illatio, quia charitas quoque, & misericordia suot in ordine ad alterum.

Obseruat hic Mag. Soto illum, qui non obstat, cũ possit, etiamsi recipiat aliquid à latrone, vt non obstet, non teneri ad restituẽdũ in foro interiori, nisi id quod accipit sit aliqua pars furti, quia tunc tenetur ratione rei acceptę. Rationẽ reddit, quia sic recipiens, & nõ obstãs, cũ nõ teneatur ex officio, non agit contra iustitiã, sed tantũ contra charitaté, quãuis in foro exteriori forsan condẽnaretur à iudice, vt vehementer suspectus socius, & adiutor latronis. Sed hæc doctrina Soti indiger expositione est. n. distinguendũ tempus, quia si latro post furtum iam factum dat preciũ alicui, vt taceat, est verum quod docet Soto, quia tunc recipiendo, vt taceat, tantum est mutus, non auté cooperans, at si recipiat, vt taceat, & nõ obstet, ante quã furtũ sequatur, quo loquẽte, & obstante furtũ illud non sequeretur, sentiunt, & benè multi recentiores Thomistæ teneri ad restituẽdum in integrũ, quia qui cũ tali pacto, & conuentio ne recipit precium, vt non obstet, non obstando cõcurrit, & cooperatur illi iniquæ actioni, & consentit consensu, qui non solũ est consensus, verũ etiã causa, vel peccat ratione talis pacti, & conuentionis cũ latrone non solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam, quia sic agens est re vera traditor illorum bonorum proximi. Ex his sequitur, qui priuato interroganti, viderit ne homicidam, vel latronem; non manifestat, etiamsi taceat ex pecunia accepta post perpetratum malum, non tenere ad restitutionem, namq; sic tacere non est cooperari iniquitati alterius, nec agere contra iustitiam, cum ad id nõ teneatur ex officio. Quid autem dicendum sit, quando interrogatur à iudice, explicabimus q. 70. art. 1. vbi agemus de testibus.

De ijs, qui tenentur ex officio obstare.

Nunc agẽdũ est de ijs, qui tenẽtur ex officio obstare, quos cũ cõstet peccare contra iustitiam, qñ non obstant, tacent, vel non manifestant, cũ possint, & debeant, videndũ est, ad quã restitutionẽ teneantur. Pertinent autem ad hoc genus varij homines. 1. Reges, & Principes in suis regnis, Magnates, vt Duces, & Comites in suis locis, Gubernatores, Iudices, ac alij ministri iustitiæ in Republica. 2. omnes custodes montium, syluarum, vinearum, & messiũ, qui vt alia custodiant accipiũt mercedem. 3. Oeconomi respectu bonorũ dominorũ suorũ 4. Tutores respectu pupillorũ suorũ, & alij administratores respectu bonorũ, quorũ administratio illis commissa est. 5. famuli, quibus est commissa custodia domus, vel aliquarum rerum ipsius domus, vt ianitores, custodes vestium, vasorum. Addidi, quibus cõmissa est talis custodia, non alij famuli quibus commissa non est, sed alia tantum communia obsequia domus, non tenentur ad id ex officio, sed ex fidelitate, & gratitudine; de his ergo omnibus videamus, ad quam restitutionem teneantur.

CONCLVSIO PRIMA.

Omnes isti tenentur, quando culpa, & negligentia eorum damnum infertur, ad restituẽdum illud in integrum.

Patet apertè, quia cũ omnes isti debeant ex officio impedire, nec impediant, cooperantur, & consentiunt eo consensu, qui obligat.

CONCLVSIO II.

Omnes isti tenentur restituere, quãdo damnum sequutum est ex leui, aut graui culpa eorum.

Hæc conclusio est media inter duas extremas opiniones, vnã Adriani, qui in 4. fol. 73. ex quacunq; culpa ét leuissima vult obligari istos ad restituendum, & aliam quorundã recentiorũ Thomistarũ, qui volunt neq; teneri ex leui, sed tũ ex illa graui, & lata, faciuntq; Sylnest. huius opinionis in Sũma, Restit. c. 3. §. 5. Cũ nihil minus ibi Syluester doceat. Sed probatur iã conclusio in primis contra Adrianum, quia nec respublica intẽdit obligare principes, & gubernatores, nec dominus œconomum suum, nec testator tutorem suorum filiorum, vt adhibeant omnem diligentiam, & solicitudinem, quæ adhiberi potest, sed quæ solet à viris probis cõtec adhiberi, at si tenentur ex leuissima culpa, deberẽt esse diligentissimi, quantum fieri potest, nec sufficeret diligentia, quam viri probi cõiter soliti sunt adhibere ergo confirmatur, quia nullus princeps, gubernator, œconomus, aut tutor qui si vir cordatus, intendit ad tantam diligentiam se obligare, nec vel let suscipere munus, quod illi committitur, cum tanto onere, & vinculo. Secundò, experientia teste nullus princeps, iudex, aut tutor, quantumuis timoratæ conscientiæ, agnoscit se obligatum ad tantam solicitudinem, vt & à leuissima quoque negligentia teneatur cauere, neque sentit, si in eã aliquando incidat, teneri se propterea ad restituendum. Tertiò, tenerentur principes, iudices, & similes, si leuissima negligentia obligaret illos ad restituendum, omnia sua patrimonia in huiusmodi restitutionibus consumere, cum in leuissimas negligentias passim, & facilè omnes incidamus, quod nullus Theologorum asseret, maximè in regibus, qui præsunt varijs regnis, & prouincijs adeo inter se distãtibus, in quibus necesse est innumeras esse leuissimas negligentias, & cum sint in materia graui, essent expoliandi omnibus suis bonis, redditibus, ac patrimoniis ad tales restitutiones faciendas. Quartò, custodia, ad quam isti tenentur, est similis custodiæ ad quam tenetur, quis ratione locationis domus. Sicut enim locatio est in vtilitatem vtriusq; partis, ita & ista officia in vtilitatem reipublicæ, ac ciuium, & in vtilitatem habentis illa, sed ratione locationis non tenetur locator ad vitanda damna tanta diligentia; vt neque in leuissimam culpam incidat, ergo neque isti quibus incumbit ex officio obstare damnis aliorum. Quo ét argumento, confutatur opinio alia extrema, quia conductor, siue locator tenentur ad restituendum etiam ex leui culpa, ergo, & isti, cum receptio huiusmodi officiorum, & munerum sit quædam locatio sui, qua pro munere, vel mercede illius officij offerunt se ad diligenter custodienda ea, quæ ratione talis officij sibi committuntur. Quod autem condu-

ctor teneatur etiam ex culpa leui, iam supra probauimus, Nec Syluest. loco citato nobis repugnat, cum ibi expressè doceat principes, iudices, medicos corporales, & spirituales animæ, vt confessarios tabelliones, aduocatos, nautas, architectos, & similes, qui se ipsos locant ad eiusmodi munia exercenda, teneri ad restituendum ex leui culpa, eosdem verò, quando nec se ipsos locauerunt, nec promiserunt operam suam sub aliqua mercede, sed alij eos eligunt, vel ipsi accedunt ex sua mera liberalitate, & pietate, dicentes se facturos, quod poterunt, non teneri, nisi ex dolo, aut culpa lata, & graui, hic autem, vt constat loquimur de huiusmodi hominibus, qui ex officio tenentur, vel recepto precio, ac mercede. Quibus positis, nonnullæ circa hos se se offerunt dubitationes. Prima est.

AN QVI TENENTVR EX OFFICIO obstare, vt Gubernatores, Iudices, & Ministri iustitiæ, teneantur ad id etiam cum periculo, & discrimine vitæ.

VT si occurrat iudex, vel prætor latronibus inuadentibus domum, aut alicui volenti alium occidere, nec possit illos impedire, vel prohibere rapinam, vel homicidium, nisi cum discrimine vitæ, tenebitur ne ad id cum tanto periculo? Dico non teneri. Ratio est, quia propriam vitam exponere nemo tenetur, nisi pro bono communi reipublicæ spirituali, vel temporali, aut pro bono spirituali fratris, quãdo ille est in extrema, vel quasi extrema necessitate spirituali, à qua aliter liberari nõ potest, sed furta, & homicidia huius, vel illius neutrum horum sunt, & ita neque personæ publicæ tenentur cũ periculo vitæ prohibere latrones, vel homicidas à priuatis rapinis, vel homicidijs cũ periculo tamẽ alicuius damni temporalis an teneantur, non potest assignari certa regula, sed vt optimè docent Soto, & Nauarus locis citatis, pensanda diligẽter hæc sunt, stipendium, quod accipit minister iustitiæ pro suo munere, quantitas periculi cui se offert, & damnum quod alteri imminet, & his inter se comparatis, videndum quid prçponderet alijs, & illius partis, quç alijs proponderabit, potior ratio habenda est, vt si periculum sit maius quàm stipendium, vel damnũ, quod cum tali periculo debet prohibere, non tenetur tale periculum subire, si verò maius sit stipendium, vel damnum alterius, quàm periculum, cui se exponet, debet cum illo obstare.

Ex his sequitur tutores pro pupillis, œconomos, & famulos pro rebus sibi commissis non teneri ad patiendum damnum temporale, sed iuxta leges prudentiæ, quod si quædam isti patiantur, vel expensas faciant pro bonis aliorum, ipsis præter sua stipẽdia compensentur.

Nunc de custodibus montium Syluarum, vinearum, de quibus grauior est disputatio, & duplex Prior.

QVARTA CONTROVERSIA.

TENEANTVR NE CVSTODES montium, syluarum, & vinearum, ad restituendum damnum, quod poterant prohibere, nec prohibuerunt.

RAtio dubitandi est, quia quando præcipua, & primaria causa non tenetur ad restituendum, nec secundaria, & concomitans, sed, vt supra vidimus art. 3. multoties, qui cædunt ligna, & venantur in locis prohibitis, aut colligunt vuas alienas, non tenentur restituere, cum sint præcipui agentes, ergo nec custodes ex eo, quod non prohibuerit, qui sunt secundariò concurrentes, vt illius regulæ, Accessorium sequitur naturam sui principalis.

Ad intelligentiam huius quæst. obseruemus primo, aliud esse loqui de peccato, & aliud de restitutione, contingere enim potest, vt teneatur quis restituere rem, quam accipiendo non peccauit, contingere etiam potest, vt peccauerit aliquis in damno quod alteri illatum est, nec teneatur ad restitutionem, quando scilicet peccauit, & non contra iustitiam, vt in hac quæstione, cæsores lignorum, qui nõ deuastant syluam alienam, sed moderatè accipiunt, peccant quidem, quia re vera est illud furtum, nec tenentur ad restitutionem, vt vidimus art. 3.

Obseruemus secũdò, istos custodes communiter præstare iuramentum, se fideliter suum munus, exequuturos.

Tertiò, istos custodes esse in duplici differentia. Quidam enim eorum agunt custodiam precio ac mercede accepta à republica, alij nullo alio precio, quam ea pœna, quæ forte illis continget ratione eorum quos indicabunt, vel accusabunt, quomodo constituuntur plerique custodes viarum, & vectigalium.

CONCLVSIO PRIMA.

Si venatio, piscatio, aut cæsio lignorum sit iniustè, & tyrannicè prohibita iuxta ea, quæ supra diximus artic. 3. aut vectigalia iniustè instituta, & postulata, custodes non prohibentes, aut non manifestantes nec peccant, nec tenentur ad aliquam restitutionem, etiam si præstiterint iuramentum.

PRimò, quia talis prohibitio, & exactio vectigalium est iniqua, illam ergo non exercere laudabile, & honestum est, Secundò, quia iuramentum præstitum, cum non debeat esse vinculum iniquitatis, non est seruandum in tali casu, iuxta illum Ambro. in male promissis rescinde fidem.

CONCLVSIO SECVNDA.

Quamuis ista prohibitio sit iusta, & licita, si tamen cædentes ligna, piscantes, aut venantes id faciant ex graui necessitate, vt suæ inopiæ succurrant, moderateq; accipiant, & quantum sua necessitas exigit, custodes in tali casu dissimulantes, maximè in locis communibus, nec peccant, nec tenentur ad restituendum.

PRimò, quia charitas id exigit, cui nulla promissio, aut iuramentum debet aduersari. Secundò, quia lex humana debet esse conformis rectæ rationi, recta autem ratio exigit, vt sic agentes non prohibeantur accipere huiusmodi res, quas natura omnibus profert, & in communem vsum. Tertiò, quia voluntas dominorum montium, syluarum, illuminum sic debet explicari, est enim iudicanda prudens, & rationi consona, quæ cum hoc exigat, interpretatiuè dicenda est consentire. Quartò, quia est consuetudo, vt cum custodes permittunt huiusmodi miseros homines, vel ligna sibi necessaria, vel aliquos cuniculos accipere, non puniatur, sed iudicentur misericorditer se habuisse.

CONCLVSIO TERTIA.

Custodes extra hos casus dissimulantes peccant mortaliter.

PAtet primò, quia violant iuramentum præstitũ ad quod tenentur in licitis, & honestis. Secũdò, quia habent se infideliter in re graui, quam tenebantur seruare ex iustitia, nullaque existit causa, ob quam aliter debeant agere.

CON-

CONCLVSIO QVARTA.

Quando cæsor lignorum, aut venator tenentur accepta restituere, iuxta ea quæ supra diximus art. 4. tunc ipsis nõ restituentibus, tenetur custos, qui potuit impedire, & non impediuit, ac restituenda damna subsequuta.

HAEc conclusio patet ex dictis, quia cum accipiãt stipendia eo fine, vt custodiant ea, quæ ipsis committunt, & iustitiam publicam, agunt cõtra iustitiam commutatiuam non custodiendo, & consequenter tenentur restituere.

CONCLVSIO QVINTA.

Etiam si venator, & cæsor lignorum non teneantur restituere, quia accipiunt in locis communibus, nec demoliantur syluam, vel montem iuxta ea, quæ diximus arti. 4. si ex dissimulatione tamen custodis, exceptis illis casibus primæ, & secundæ conclusionis, cesset lucrum domino, vel sequatur ei aliquod damnum, tenetur custos ad restituendum illud lucrum cessans, & damnum emergens.

Verbi gratia, si ex negligentia custodis sunt pauci cuniculi in nemore, vel pauca ligna in sylua, propter quod loca illa vilius venduntur, vel locantur, quod non accidisset, si custos debitam adhibuisset diligentiam, tenetur custos tunc illa damna restituere, idemque dicendum est de locis communibus de ciuitatis ad lucra ciuitatis.

Probatur conclusio, tenentur isti custodes ex officio, & iustitia commutatiua, cum eo fine accipiant stipendia, impedire ista damna, nec possunt ea permittere, vt supponimus, aut titulo iniustæ prohibitionis, aut titulo indigentiæ, & paupertatis accipientis, ergo non impediendo peccant contra iustitiam commutatiuã, & consequenter tenentur de dãno subsequuto. Et hic est casus singularis, in quo causa præcipua damni, vt qui scidit ligna, non tenetur restituere, custos verò tenetur. Et ratio est, quia prior ille non peccat contra iustitiã commutatiuam, accipiendo, nec committit furtum, quia non accipit inuito rationabiliter proprio domino. Custos verò ratione stipendij, quod eo fine accipit, peccat contra iustitiam commutatiuã. Sicut si fera aliqua occidat cuniculos nemoris, non obligatur dominus illius feræ ad restituendum, quia non tenetur ex iustitia id impedire, custos verò obligatur, quia tenetur, quare cum tota ratio, ob quam custos tenetur ad restituendum, quando huiusmodi damna eius negligentia sequuntur, sit, quia tenetur illa ex officio, & ex iustitia commutatiua impedire, parum facit ad ferendum iudicium de custode, teneatur ne principalis restituere, vel non, nam siue teneatur, siue non custos ob rationem dictam tenetur.

Vnde hæc doctrina intelligenda tãtum est de custodibus, qui mercede accepta suscipiunt custodiã huiusmodi rerum, non de ijs, qui per vices suas, & turnum, vt aiunt, in quibusdam locis nullo precio accepto, sed ex consuetudine patriæ efficiuntur custodes, quia isti non obligantur custodire, nisi sicut ipsa communitas custodiret, ab illis scilicet, qui ita accipiunt, vt tenerentur, quod accipiunt restituere. Quocirca quando præcipuus accipiens tenebitur reficere damnum, tenebitur, & talis custos, quando verò ille non tenebitur, neque hic.

Ex his patet solutio ad argumentum initio positum. Propositio enim illa, quando principalis nõ tenetur restituere damnum, neque minus principalis, intelligentia est, quando vterque in illo agit contra iustitiam, vinculum enim restitutionis (vt sæpè diximus) nascitur ex damno illato contra iustitiam) in nostro autem casu, qui moderatè scidit ligna nõ agit contra iustitiã in locis communibus, quia Respublica non intendit id prohibere tanquam rem mere alienam, sed contenta est, vt qui sic accipit, exponat se periculo soluendæ pœnæ, custos autem non custodiendo agit ratione officij, & mercedis, quã eo nomine accipit, contra iustitiam. Sed grauior hic se offert difficultas circa hanc vocem, Non obstans.

V. Controuersia.

AN QVI VEL NON RECTE iudicando, vel non manifestando reum sicut debeat, effecit ne reus ille iustè condemnaretur, teneatur non solum ad restituendum damnum, quod ille reus intulit verum etiam pœnam, ad quam fuisset per iustam sententiam condemnatus.

QVi scidit ligna in loco prohibito tenetur, vt diximus, ad restituendum damnum, si graue sit, & ad aliquam præterea pœnam. Sin aliter, qui non soluit vectigalia. Qui committit crimen læsæ maiestatis, ad confiscationem bonorũ, Qui furatur vasa sacra, ad illa restituenda, & aliquid præterea soluẽdum in pœnam iniuriæ illatæ loco sacro. Potest autẽ contingere, vt aut vitio eius, qui debet manifestare, aut culpa testium, vel iudicis isti non condemnentur ad pœnas, quas iustè debent: quærimus igitur, an hi, quorum culpa rei non soluunt pęnas iustè debitas teneantur ad eas persoluendas: nam de damno dato iam constat ex dictis teneri, quando ille qui intulit, non restituit.

In hac quæstione variæ sunt opiniones: Quidam enim nullus istorum volunt teneri ad restituendas tales pęnas. Probant primò, ex consuetudine, quę in rebus moralibus maximam habet vim, multi enim iudices, & timoratæ conscientiæ non exigunt istas pœnas à reis multi custodes syluarum cum scindentibus ligna, multi custodes vectigalium cum viatoribus illarum exactionem dissimulant, nec propterea sentiunt se teneri aretatos, aut obligantur à confessarijs ad illas restituendas.

Secundò, quia obligare istos ad pœnas quas dissimularunt reis, est velut pœna talionis, pœna talionis est verè pęna, vt habetur institutis de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascũtur, pęnã verò, vt vidimus art. 3. quæ verè pęna est, nemo tenetur soluere ipso facto, sed aduemente iudicis condemnatione, ergo.

Tertiò, reus qui negat in iudicio veritatem, quã ex iustitia tenebatur fateri, propter quod non est condemnatus ad aliquam pœnam, ad quam explicata rei veritate verè & iustè fuisset condemnatus, nõ obligatur ex eo ad restituendã illam pœnã, quia eo ipso quod est pæna, debet præcedere iudicis condẽnatio, ergo neq; iudex ipse aut quiuis alius minister iustitiæ tenebitur soluere pęnam rei, quin ab alio superiori condẽnetur prius. Patet consequentia ex æqualitate rationis, eadẽ, n. est in hoc casu vtriusq; ratio, & rei, & iudicis: sicut. n. tenetur iudex ex iustitia ad exequendã pœnam à iure impositã reo, ita tenetur reus ex iustitia fateri veritatem, & vterq, obstat iustitiæ per suam iniquitatẽ, ergo sicut reus non tenetur, quia est pœna, ad quã luẽdam est expectãda necessariò iudicis sentẽtia, ita nec tenebitur iudex, aut custos, aut minister iustitiæ, cum etiam si pœna.

Quartò, pęna quã potest incurrere reus à iure, aliquãdo est corporalis, vt capitis, carceris, vel exilij, aliqñ pecuniaria, sed nõ tenetur omniũ DD. cõsẽsu iudex, aut alius minister subire pœnã corporalẽ, à qua iniustè liberauit reũ, nisi cõdẽnatus à superiori, qa non debet esse vindex, & actor in se ipsum, ergo neque pecuniariam: nam si teneretur ad hanc, & ad illam.

& ad illam, cùm vtraque sit à iure, & a quauis earum liberauerit reum iniquè.

Ioan. Medina Cod. de rebus restituend. q. 12. vbi agit de custodibus docet, cum duo venator, piscator, vel lignarius incurrant, & debitum damni illati, & pœnam, custodem, vel iudicem, qui relaxat reo pœnam, & sua iniquitate illum dimittit innoxium, teneri ad restituendum domino vnum de duobus, vel quantitatem damni, vel quantitatem pœnæ, quę de iure erat applicanda ad arbitrium domini, ita vt sit in optione, & facultate domini eligere, quam voluerit, aut damni, aut pœnæ solutionem. Quia pœna inquit, in huiusmodi rebus non est imposita propriè, vt pœna, sed in recompensatione damni. Ratio eius est, quia ille met reus, qui tulit damnum, ad nihil aliud tenetur, nisi ad soluendum damnum, aut pęnam ad arbitrium domini.

Sed quidquid sit de custode, quod ait Medina de ipso reo teneri ad soluendum, vel damnum, vel pęnam pro arbitrio domini, intelligendum est in foro exteriori, in interiori enim sat est restituat damnum, pœnam verò non tenetur soluere, nisi adueniente condemnationem, vt supra docuimus.

Soto lib. 1. de Iustitia q. 6. ar. 6. in fine quartæ conclusionis, tenet, reum negantem veritatem, quam tenebatur fateri, teneri ad soluendam pœnam, ad quam iustè fuisset condemnatos explicata veritate. Ex quo fit consequens iuxta Sotum ministros iustitiæ, & custodes, quorum culpa rei non luunt pęnas, teneri ad illas soluendas, eo ipso quod impediũt isti rectum iudicium sua iniquitate. Cęterũ cum illa opinio de reo negante veritatem non sit omnino certa, nec erit certum, quod ex ea infertur de custodibus, & iudicibus.

Sylu. Restit. n. 3. § 5. particula 7. affert sententiam cuiusdam Bernardi Canonistę dicentis, quãtum hic locus postulat, tria. Primò, custodes, & vigiles ciuitatum non accusantes, quos reperiunt post sonitum campanæ, pecc. mor. si iurauerint eos manifestare, & non manifestant. Secundò, non teneri ad soluendam pœnam, quam soluerent illi rei, si accusarẽtur, ratio est, quia non fuerunt adhuc accusati. Tertiò, si custos aliquod munus accipiat, teneri pauperibus illud exhibere, quia custos cum acceperit contra fidelitatem sui officij, nec potuit accipere, nec retinere, qui verò dedit, in pęnã iniquæ donationis amisit illud, & à se abdicauit, & ita non potest illud recuperare, sed consequenter est pauperibus donãdum. Iudicem verò dicebat auctor iste, teneri ad restituẽdam pœnam, quam remisit contra iustitiã, quia priuauit fiscũ, vel eũ cui pœna illa reddẽda erat, re sibi iustè debita, propter qđ intulit illi damnũ cũ iniuria.

Idse autem Syluest. in verbo, Iudex, c. 1. q. 11. particula 5. & Soto lib. 5. de Iust. q. 4. ar. 4. docent remittentem pœnam, quam non consueuit lex, aut consuetudo illi reo remittere, teneri ad illam fisco, vel parti restituendam, & hanc volunt esse sententiam D. Tho. quamuis nõ dicant vbi eam doceat. D. Tho. potest tamen colligi ex duplici loco. Primò infra q. 67. art. 4. vbi cum doceat, iudicem inferiorem non posse relaxare pœnam taxatam a lege, quia accusator habet ius, vt reus illa plectatur, & ad iudicem spectet seruare vnicuique suum ius, sequitur apertè ex isto loco iudicem priuare accusatorem vtilitate, quam debebat ex illa pœna reportare contra ius, & consequenter illi nocere cum iniuria, & teneri ad restituendam illam pœnam, quam reo relaxauit. Secundò in 4. dis. 46. q. 1. ar. 2. quæstiuncula 2. cum asserat ibi, iudicem non posse sine præiudicio iustitiæ iminuere, aut remittere pœnas debitas pro peccatis, sicut nullus potest sine iniustitia accipere res vnius, & dare alteri, apertè quoque docet teneri iudicem ad restituendam pœnam, quam remisit, quia perspicuum est præiudicium quod alicui fit, esse illi reficiendum, & eum, qui acciperet ab vno, vt alteri daret, teneri ad restituendum illi, a quo accepit.

Ad intelligentiam huius quæstionis notemus primò, ad sententiam rei plures concurrere, & eorum quemlibet in suo ordine ac gradu, sunt autem hi, iudex, accusator, testis, tabellio, qui omnes actiuè concurrunt, argumento est, quia omnes isti in causa criminali manent irregulares, quod non esset, nisi omnes illi actiuè concurrerent, reus autem, & qui illi patrocinantur, habent se merè passiuè.

Notemus secundò, plurimum differre inter pœnam pecuniariam, & corporalem, hæc enim verè, & propriè est pœna quocunque modo quis illam patiatur, pecuniaria verò reo quidem est pœna, illi autem, qui inique impediuit, ne reus eam soluat, non est propriè pęna, sed solutio, & restitutio debiti, quod contraxit. Sicut diximus impedientem bonũ, ad quod alter habet actu ius, non restituere, quod impediuit quasi soluendo pęnam, sed vt soluendo debitum. Differunt secundò, quia ex pęna corporali non soluta nullum damnum aduenit fisco, vel parti, vel bonum, eo quod soluatur, at ex pœna pecuniaria multa vtilitas, si soluatur, & damnum nisi soluatur. Et ita cum nemo teneatur sibi ipsi pęnam inferre, nec illam pati ante iudicis condemnationem, conueniunt omnes ad pœnam corporalem restituẽdam non teneri nec iudicem, nec ministrum iustitiæ, nec custodem, quando illam alicui reo iniquè dimisit, Tum quia repugnat omni iuri, vt vidimus at. 3. aliquem sibi ipsi inferre supplicium, aut pati illud non condemnatum. Tum etiam, quia ex remissione talis pœnæ nullum damnum, aut priuatio boni accedit fisco, vel parti, vnde tota quæstio est de pecunia, quia impedire illam per remissionẽ iniquã, est impedire bonũ debitũ parti, vel fisco, & nocere illi cum iniuria, & consequenter soluere illam esset qdẽ reo pęna, impediẽti aũt illã iniq; nõ est nisi soluere debitum, quod per suã iniquitatẽ cõtraxit. Sit.

CONCLVSIO PRIMA.

Si post latam, & promulgatam iustam sententiam iudex non applicet fisco, vel parti pœnam pecuniariam, iam debitam à reo, sed illam remittat, tenetur ad illam restituendam illis ijsdem, quibus erat applicanda.

PAtet, fiscus, vel pars, vel cui pœna illa à lege, & iusta sententia applicatur, lata sententia habet ius acquisitum in illam, & est verus Dominus illius, ergo iudex remittẽs illam reo expoliat ipsos re sua, & in quam iam habent verum ius, & dominiũ, hoc aũt est verè furtum ergo tenetur illis restituere. Idẽ est iudicium de alijs ministris iustitiæ, vt tabellionibus, & alijs, qui pœnam lata iam sententia niterẽtur impedire, aut obuiare, ne à reo solueretur.

CONCLVSIO SECVNDA.

Si ex defectu, & iniquitate iudicis non feratur sententia, nec condemnetur reus ad eam pœnam, qua iusta sententia mulctandus erat, tenetur similiter iudex ad restitutionem illius pecuniæ.

PAtet, cum iudex ex iustitia cõmutatiua ratione sui muneris, & officij tenetur ferre sententiam & procedere vsque ad applicationem illius pęnę fisco, vel accusatori, vel parti lęsę, quando id non facit, nocet illis contra iustitiam commutatiuã, qui autem sic nocet, tenetur ad restituendum ergo.

Secundò, iudex est custos iustitię, ꝓpter ꝙ debet reddere cuiq; suũ ius, fiscus petendo pęnã petit suũ ius, ergo si non ferat sñiam, & condẽnet reũ ad pęnã, expoliat fiscũ iure suo, & nocet illi cum iniuria.

Tertio,

Tertiò, qui de alieno facit eleemosynam, tenetur restituere, sed iudex inferior, qui sine auctoritate sui superioris remittit pœnas instè debitas reo, miseretur illi, & dat de alieno, nempe de pecunijs iure debitis fisco, vel parti ergo. Ita fit fiscalem, cuius munus est defendere bonum publicum, posse, & debere tales iudices accusare corā senatu regio, vel alio superiori iudice, imo, & quemcumque ministrum iustitiæ, à quo inique impediretur huiusmodi pœnæ, vel non ferendo sententiam, nec condemnando reum ad illas, vel post latam non applicando illas ei, cui conferendæ sunt.

CONCLVSIO TERTIA.

Custodes vinearum, montium, itinerum post quam aliquem ceperunt inferentem damnum, si dimittant illum, aut pœnam, ad quam ille iustè condemnaretur, siue gratis id faciant, siue accepta aliqua pecunia, tenentur ad restituendam illam pœnam fisco, aut communitati, vel ei, cui à iudice aut consuetudine reddenda est.

PAter, illa apprehensio æquiualet condemnationi, aut processui, in quo sufficienter est probatū relictum, sed minister iustitiæ qui remittit pœnam reo condemnato, aut non condemnat sufficienter probatum reum, tenetur ad restituendam illam pœnam fisco, sicut verus expoliator pecuniæ, in quam fiscus habet iam acquisitum ius, ergo tenetur illi restituere. Posset tamē huiusmodi custos remittere illi comprehensam illam partem pœnæ, quæ à iure, vel consuetudine solet ipsi exhiberi, quia tunc remittit quod suum est.

CONCLVSIO QVARTA.

Si custos non accuset, nec manifestet illum, qui ratione sui delicti iustè cōdemnaretur ad pœnam, quando illi certo constat de delicto, & iuridicè potest illud probare, tenetur ad restituendam pœnam, ad quam reus ille condemnaretur.

PAtet, quia vbi constat de delicto, & de probatione, habet iam fiscus à iure quasi ius acquisitum, & est in proxima potentia ad illam pœnam, vnde talem reum non accusare, nec manifestare, est impedire fiscum cōtra iustitiam commutatiuam ab illo bono, ad quod erat in proxima potentia, sic autem impedientem diximus teneri ad restituendum. Dixi, quando certò constat de delicto, nam custos, qui, re existente dubia, quasi declinans in meliorē partem dimittit, vt custos vineæ, custos vectigalium, non tenetur ad restituendum, nisi esset fama, vel rumor in vineis, in vectigalibus, & similibus grauia damna inferri: tunc enim custodes non exercentes diligenter suum munus, & dimittētes transeuntes, tenerentur ad aliquam restitutionē arbitrio prudētis, quia tunc illa damna ex illorum incuria nascerentur.

Ex hac doctrina sequitur, istos custodes itinerū, quando ostenso chirographo vectigalis soluti aliquid à viatoribus gratis accipiunt, ita vt verè gratis illis detur, benè accipere, at si suis importunis precibus, vel minis scrutandi merces extorqueant, teneri ad restituendum, & multò magis, si accipiant pecuniam, quando res est dubia, nec scrutentur suppellectilem viatoris.

CONCLVSIO QVINTA.

Omnes isti, iudex, minister iustitiæ, custos, & similes, quando tenentur ad restituendam pœnam, quam reis dimittunt iuxta conclusiones hic positas, tenentur illam ipso facto sine alia iudicis condemnatione restituere.

PAtet, quia ad id non tenentur quasi soluentes pœnā, vt constat ex secunda notatione, sed vt soluētes debitum, quod sua iniquitate cōtraxerunt, sicut diximus de impediente, quia non seruarunt suū ius fisco, vel parti, sed expoliarūt eos iure suo, & re sua, ad debitum autem contractum, siue per negotium, siue per iniquitatem soluēdum in conscientia vnusquisque ipso facto tenetur, nec est ad id expectanda iudicis sententia, aut condemnatio.

Sunt autem nonnulla hic obseruanda. Primò, cōclusiones istas intelligēdas esse in rebus & damnis, vel pœnis grauibus, nam in leuibus possunt iudices, vel dissimulando delictum, vel non admittendo accusationem, condonare pœnam, quia leges prudenter, & cum epicheia intelligēdæ sunt, & iuxta rectā rationem, iuxta quam expedit bono cōmuni, ita iudices se gerere. Cum enim maior hominū pars perpetrare soleat hæc delicta, essent innumeræ rixæ, lites, ac perturbationes, si omnia crimina, & læuia pœnis essent punienda. Idem est iudicium in custodib. montium, vinearum, & itinerum, vt quæ agnoscunt læuia furta, dissimulare, & remittere possint, quia læuia sunt, imò & grauia, si sit loci consuetudo, quando autem consuetudo non est, vel pactum aliquod interpretatiuum, grauia punire tenentur, aut ipsi restituere, sicut probatum est. Idem est iudicium de prælatis religionū, læuiā dissimulare possunt, & non punire, alioquin summum ius esset summa iniustitia, læuia, inquam, quæ omnino sunt læuia, nam læuia, quæ quamuis secundum se sint læuia, sunt tamē via, & dispositio ad grauia, tenentur in conscientia punire, vt grauia ad quæ patet aditum, impediatur.

Secundò, quando isti iuxta conclusiones positas tenentur restituere, restitutio ista non est facienda pauperibus, sed illi cui pœna illa à iure, vel consuetudine erat applicāda, fisco, scilicet, vel accusatori, vel parti, quia isti habent ius in illam, suntq; certi illius pecuniæ domini, pauperib. autem (vt diximus) restitutio facienda solum est, quando nullus apparet certus dominus.

Tertiò, qn̄ pœna iniustè remittitur, siue post latam sniam, siue ante, quāuis fiscus, & accusator iam habeant ius in illā acquisitū, & sint in proxima potētia ad illam, attā quia nondū illam pecuniā receperūt, nec actu hn̄t, sed est adhuc lucrū illud in spe, & non in re, potestq; multis modis impediri, censent propterea viri periti nō teneri semper iudicē, aut ministrū iustitię ad restituēdū in integrū, sed aliqū ad aliquam solum partem maiorē, vel minorem arbitrio prudentis iuxta circunstantias actus, sicut diximus art. 4. de impediente bonum alterius in spe.

Quartò, est maximè obseruandum, posse iudices, & ministros iustitiæ habere ignorantiam inuincibilem huius debiti, & obligationis restituendi pęnā, quàm remiserunt, tum quia sunt vatiæ, & satis efficaces rōnes dubitandi, an ad id teneantur, quas initio proposuimus, tùm quia sunt, qui docēt custodes non teneri ad soluendas istas pęnas, vt Syluester: vnde si contingat in confessione accedere aliquem iudicem, vel ministrum, qui has pęnas bona fide dimisit, putans id sibi licere, & ignorans inculpabiliter hanc nostram doctrinam, non est illi neganda absolutio, nec debet illum confessarius obligare ad restituēdum, quia nec tenetur rōne iniustæ acceptionis, cum laborauerit ignorantia inculpabili, nec ratione rei acceptæ, quia illa pœna apud alium manet.

Sed dices, admonebit ne illū id, sibi nō licere, vt sibi tetur, ab ea ignorantia, & ne amplius id præstet? Rñdēt Thomistæ cōiter post factum non esse admonendum, quia propter ignorātiam est securus de facto, nec tenetur restituere ratione adducta, ante factum vero esse admonēdum, ne id faciat, cum sit in præiudicium, tertij, nempè fisci, vel accusatoris. Sed bona venia istorū, censerē quoq; modo esse admonendum hoc pacto, vt significetur ei, si bona fide:

& cum ignorantia inculpabili alicui remisit pœnam quàm non poterat, non peccasse, nec teneri ad restituendum propter talem ignorantiam, & bonam fidem, exinde verò debere cauere ne simile præstet, quia non est sibi id concessum. Quod autē sic sit admonendus: patet, quia, vt docent interpretes D. Th. supra q. 33. art. 2. in materia de correctione, quando ignorātia alicuius potest cedere in damnum tertij, est ille ignorans admonendus; in hoc autem casu talis ignorantia iudicis, vel ministri apertè cedit in præiudicium fisci, vel accusatoris.

Ex his patet solutio ad argumenta initio proposita. Ad primum dico, iudices, & ministros ita dissimulantes, vel remittentes non se accusare, nec iudicare oneratos, & deuinctos ad restituēdum ex ignorantia inuincibili & bona fide, aliàs à parte rei reuera ad id tenentur, vt probatum est.

Ad secundum dico, restitutionem istā, quam debet facere talis iudex, non esse pœnam, nec habere rationem pęnæ, vt constat, sed esse debitum contractum ex dāno dato, & bono impedito fisco, vel parti, sicut qui conculcat iniustè segetes, in quo non sit ditior, tenetur nihilominus ad restituendum non ratione alicuius pœnæ, sed ratione boni impediti, & damni dati.

Ad tertium respōdeo iuxta Mag. Soto, & aliquos Doctores, teneri reū ad restituendum pęnam, quam sua negatione, & occultatione delicti, ac veritatis, quam tenebatur cōfiteri, impediuit, sicut & iudex, vnde maior illius argumenti est falsa. Iuxta alios verò & cōem sententiam reos non tenetur, iuxta quos respondeo, reum concurrere ad illam pœnam passiuè, & ita quōcunque liberetur ab ea, non teneri ad restituendum, quia non tenetur reus agere in seipsum, iudicem verò, custodes, & alios ministros concurrere actiuè ad damnum illud, quod infertur nō soluta pœna, & ideo teneri illud resarcire, soluendo pœnam, quam remiserunt.

Quod si quæras de teste, testis non est minister iustitiæ, & ita licèt sit periturus negando veritatē, non tamen tenetur ad restituendum, quia neque ex officio, neque ex iustitia tenetur ad illam manifestandam, & ita non tenetur ad pœnam restituendam.

Ad quartū rńdeo ex secunda notatione ante conclusiones posita, pęnā corporalem duo habere. Primò, quod nō sit propriè pęna. Secūdò, quod ex eius omissione nullum damnū alteri eueniat, & ideo nec iudicē teneri illā subire, pecuniaria verò non est propriè pęna in iudice, sed solutio debiti cōtracti ex dāno illato fisco, vel parti: & ita tenetur illā soluere ēt non condēnatus, quia ad debita cōtracta soluenda nō est necessaria, nec expectāda iudicis condēnatio.

Circa hanc quæstionem videnda sunt superius dicta in hac q. 62. art. 5. & infra dicenda q. 63. art. 2. vbi agetur de iniustitia, quam cōmittunt iudices in vendendis officiis, & artic. 4. vbi explicatur ad quid teneantur, quando sunt acceptatores personarum.

CONTROVERSIA VI.

AD QVAM RESTITVTIONEM teneantur consiliarius, & adulator.

NVnc iam de consiliario, & adulatore agendum est, an isti teneantur ad restituendum in integrum. Parti neganti videtur fauere D. Tho. in hoc art. cum constituat istos inter eos, qui simpliciter, & ex genere suo non tenentur ad restitutionem. Et cōfirmatur primò, quia Insti. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. §. interdum, particula. Certè, habet, vt qui solum dat consilium ad furtum, & ad illud non adiuuat, non teneatur.

Secundò, obligatio ad restituendum tantum nascitur ex damno illato, sed aliquando consiliarius, vel adulator suo consilio nullum damnum dant, vt quando voluntas alterius iam erat parata illud efficere, ergo. Quod si dicas, augere volūtatem illam, & magis inflammare, & hoc nomine inferre damnum. Contrà, si voluntas (dicamus) latronis, iam est determinata, ex eo quod alterius consilio inflammetur, non augetur damnum, quamuis augeatur, & reddatur intensior motus, & conatus voluntatis, sed vinculum restituendi non nascitur ex maiori, vel minori conatu voluntatis, sed ex damno quod efficaci volūtate infertur, ergo quando iam latro efficaci voluntate statuerat furari 100. impertinens est quod maiori, vel minori conatu voluntatem suam redigat in actum, quantum ad vinculum restituēdi, licèt sit maius, vel minus peccatum, cum illa voluntas ipsius determinata, & efficax sufficiat, & sit propria causa illius damni, & ex consequenti non tenebitur consiliarius ad restituendum.

Tertiò, euenire potest, vt Petrus furetur 20. & ego tantum consuluerim illi, vt furaretur 10. tunc tantū tenebor ad restituendum 10. quia tātum moui ego voluntatem eius ad hæc, ergo quando non moueo ego voluntatem eius, licèt meo consilio inflammē, non tenebor ad restituendum saltem in integrum.

CONCLVSIO VNICA.

Quando consiliarius, vel assentator non mouit voluntatem alterius ad malè agendum, nec auxit, nec confirmauit, nec accelerauit, non tenetur ad aliquid restituendum, si verò aliquid horum præstitit, tenetur in conscientia.

PAtet ex supradictis vtraque pars huius conclusionis, quia ex complicibus ille tenetur ad restituendum, qui influxit in iniquam, & nociuam actionem, & aliquid præstitit per se pertinens ad illam, at qui suo consilio mouet, auget, vel accelerat voluntatem malefactoris, verè influit in illam iniquam actionem, ergo tenetur, qui verò nihil horum præstat, non influit, & ita non tenebitur. Et confirmatur, quia qui nihil horum præstat, verè non est causa moralis damni, sed perinde omnino se habet, ac si internè tantum consentiret, & complaceret illi damno, in quo casu ad nihil restituendum teneretur. Et confirmatur secundò ex Arist. qui 2. Physic. c. 3. consiliarium vocat causam efficientem rei effectæ per consilium, & loquitur de consiliario, qui mouet, confirmat, auget, vel accelerat.

Secundò, huiusmodi consiliarij in pari pœna puniuntur, ac præcipui malefactores. Sic Innocen. III. cap. nuper, de sent. excom. & Alexander III. c. sicut dignum, de homicidio voluntario ait, [Quis suis iniquis suggestionibus præbuit consilium Regi, vt occideret sanctum Episcōpum Cantuariensem, ita seuera pœna est puniendus, sicut & ille qui occidit.] Et ve regulis iuris, regula 62. habetur. [Propter cōsilium nisi fraudulentum, non tenetur quis ad restitutionem.] Vnde à contrario sensu si sit fraudulentum, idest nociuum, tenebitur. Est autem fraudulentum, & nociuum, quotiescunq; per illud mouetur, augetur, confirmatur, vel accelerat voluntas malefactoris. Idem habetur in iure ciuili. ff. de seruo corrupto. l. 1. & ff. de furtis, l. qui seruo. Vbi statuitur, vt qui suo cōsilio, & verbo mouet, auget, vel inflammat voluntatem serui alieni ad capiendam fugam, teneatur ad restituendum illum in solidum.

Tertiò, si Petrus sit determinatus occidere hominem, & Ioannes cum adiuuet, vt facilius occidat, tenetur Ioannes verè ad restituendum in integrum, ergo & in nostro casu consiliarius tenebitur. Probo consequentiam, quia licet consiliarius non occidat immediatè suo consilio, mouens tamen, vel augens volun-

voluntatem facit, vt velocius & certius illd fiat; perinde enim auget, & concurrit, qui est in causa, vt certius, & velocius aliquid fiat, sicur qui est in causa, vt facilius fiat. Et confirmatur, quia si quis sola voluntate occidendi occideret alium, qui illam voluntatem augeret, vel confirmaret, verè concurreret ad illud homicidium, & teneretur ad restituendum, sed actus exterior omnino pendet ab actu interiori voluntatis, nec illi quicquam addit, ergo similiter tenetur, qui mouet, auget, vel confirmat voluntatem malefactoris.

Sed quæres, qua ratione depræhendam consiliarium, vel adulatorem fuisse causam mouentem, vel augentem animum malefactoris. Dico colligẽdum esse ex testimonio, & dictis eius, cui consilium datum fuit, & ex alijs coniecturis prudentibus, maximè ex circunstantia temporis, quia si statim post consilium damnum sequutum est, maximo est argumentu, cõsilium illud mouisse, inflammasse, vel accelerasse factum, si verò post elapsum aliquod tempus, probabiliter iudicari potest, non accidisse damnum illud ex illo consilio, quia licèt quando datum fuit inflammasset voluntatem, illo tamen medio tẽpore credendum est fuisse remissam, & elanguisse, mutatumq; animum, & accidisse, deinde damnum illud sola malitia eius, qui illud intulit. Ad hæc autem inuestiganda diligenti inquisitione vti debet confessarius, qua facta si res sit dubia, an ex illo consilio damnum illud euenerit, declinandum est in fauorem consulentis, nec obligandus est ad restituendum, quia talis obligatio est odiosa, odiosa autem ex regulis iuris oportet restringere, quamuis in re dubia, si cõsiliarius sit diues, & is, cui damnum illatum est, pauper, esset obligandus ad aliquam restitutionem, quia tunc dubitationi coniungitur necessitas alterius.

Ex dictis patet, quantum sibi cauere debeant in primis consiliarij Regis qui non solum peccant, verum etiam tenentur ad restituendum, si suo consilio mouent, vel confirmant animum Principis ad iniquam sententiam, vel factum. Similiter clerici, & qui tendunt ad clericatum, quia si suo consilio aliquo modo concurrunt ad actionem sanguinis, non modò tenentur ad restituendum, verum etiam manent irregulares. Similiter confessarij, ne aliquo modo consulant pœnitentibus, non teneri ad restituendum, nisi quando id est certum, vel maximè probabile, nam si ex ignorantia, imprudentia, vel sua temeritate, vel animo complacendi, & fouendi illos, id consulant, non solum peccant grauiter, verũ etiã tenentur ad restituendum, quod pœnitens debebat. In re verò multum dubia peccant grauiter, & exponunt se periculo debiti restituendi, si deinde appareat illos pœnitentes id debuisse, & ob suum consiliũ nõ restituisse, ex apertissima doctrina illius capitis, Si tua culpa, vbi dicitur. [Si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet, neque ignorantia te excusat, quia iure scire debuisti.] Nec sufficit istos consiliarios, confessarium, & similes retractare suum consilium, & oppositum suadere, sed tenentur damnum datum resarcire. Quod si dicas, ex illa regula beati Chrisostomi: Cũ omnis res per easdem causas dissoluatur, per quas effecta est, sufficere, vt qui malè consuluit, se ipsum retractet, & suadeat oppositum, dico illam intelligendam esse, quando effectus non est subsequutus, nec damnum illatum, sed solo animo peccatum, tũc enim sufficit cui datum est malum consilium, oppositum consulere, at si damnum sequutum sit, non id sufficit, sed restitutionem etiam facere opus est, quia illo consilio duo mala effecit, infecit animum illius, cui malè consuluit, & fuit in causa, vt damnum alteri inferreretur. Quando solum inficitur animus, nec damnum est subsequutum, sufficit retractare consilium, vt qui malo consilio fuerat malè affectus, bono consilio benè afficiatur: at quando damnum sequutum est, est illud quoque reficiendum.

Nunc ad argumenta initio posita. Ad primum dico, legem illam intelligendam esse, quando consiliarius nec mouit, nec inflammauit, nec accelerauit voluntatem, nec aliquid influxit. Vel dico secundò, intelligendam esse in foro exteriori, in quo tales consiliarij non puniuntur vt fures, non tamen in interiori, in quo seruanda est doctrina hic posita.

Ad secundum respondeo, licèt alter iam haberet voluntatem deliberatam, nihilominus si consiliarius, vel assentator suo consilio inflammauit, vel accelerauit illam, damnum quoque illud censendum esse effectum ab ipsis, cum præstiterint aliquid per se pertinens ad illam iniquam actionem: inflammare enim voluntatem, vel agere, vt illa firmius, aut velocius noceat, perinde est, ac si quis adiuuet aliũ, vt facilius noceat. Et ita soluitur replica ibi adiecta, nam licèt inflammando, vel accelerando animum alterius, non augeatur damnum materialiter, augetur tamen conatus actionis iniquæ, quod sufficit, vt verè ad illam dicatur consiliarius concurrere, & per consequens teneri ad restituendũ, sicut qui adiuuat, vt alius facilius occidat inimicum, non auget quidẽ damnum, quia verò reddit faciliorem actionem qua infertur, concurrit ad illum efficienter, quod sufficit, vt teneatur ad restituendum.

Ad tertium respondeo, in casu antecedentis teneri me tantum ad decem, quia ad illa tantum concurri mouendo voluntatẽ furis, ad alia verò decem me non teneri, quia ad illa neque moui voluntatem, neq; confirmaui, neque accelerauí: in casu autem consequentis, & nostræ conclusionis tenetur consiliarius restituere in integrum, quia ad totum damnum (vt supponimus) mouit, inflammauit, vel accelerauit: quod præstans verè concurrit, & influxit in illud. Sed videamus.

CONTROVERSIA VII.

AN QVI CONSVLIT MINVS damnum ad vitandum maius, teneatur restituere illud minus, quod consuluit.

NOn quærimus, an sit tale consilium peccatum: id enim volu. seq. videbitur q. 68. cum agemus de vsura, sed quicquid sit de culpa, quærimus, an teneatur restituere, loquimurq; quando res ad eas angustias redacta est, vt tentatis omnibus viis ad suadendum malefactori, ne damnum inferat, nihil efficimus, nec à maiori damno inferendo illum auertere possumus, nisi hac sola via, consulendo minus. Videtur alicui teneri etiam sic consulentem ad restituendum. Primò, quia suo consilio verè influit, & mouet ad illud damnum. Secũdò, quia si id liceret, possent parentes, ministri iustitiæ, & confessarii, si quem viderent ex sibi subditis paratissimum, & firmiter deliberatum ad furandum 100. consulere illi, vt furaretur 50. at istis hoc non licet.

Sed his non obstantibus concors est Theologorum sententia, Adriani in 4. de restitutione. Medi. C. de reb. restit. q. illa 12. Caiet. opusculo 17. quæstionum, responsione 13. dubio 3. Soto lib. 4. de Iustitia q. 7. art. 3. & omnium recentiorum, sic consulentem non teneri ad restituendũ. Primò, quia qui tenetur restituere, aut tenetur ratione rei acceptæ, aut ratione iniquæ acceptionis, in hoc casu nõ tenetur huiusmodi cõsiliarius ratione rei acceptæ, quia supponimus hũc nihil sumere ex furto alterius, nec ratione iniquæ acceptionis, quia hic non consulit propriè iniquam actionem, cum conatus sit, vt ille

in nul-

in nullo noceret, consuluerit q; illud minus damnũ, non vt damnum, sed vt medium. prçter quod ex malitia alterius nullum aliud tunc occurrit ad vitandũ illud maius, qua ratione hoc minus habet certam rationem boni, studioseque egit illud consulens.

Secundò, tale consilium est vtile statti, cui fur ille statuit nocere, ergo consiliarius iste non nocuit, sed profuit, restitutio autem habet ortum ex nocumento illato, ergo iste non tenetur restituere. Imò si quis ob tale consilium vellet alteri restituere, ille si prudens est, id non admitteret, cum illud consilium sibi fuerit vtile.

Admonet hic Soto doctrinam hanc intelligendã esse, quando vtrumque damnũ est circà eandẽ personam, vt quando fur volebat furari 100. à Ioanne, & ego consulo, ne furetur nisi 50. quia tunc illi Ioãni hoc consiliũ est vtile; non tñ id licere circa diuersas personas, ita vt non liceat volenti furari à Ioanne 100. consulere, ne furetur nisi Petro 50. sed teneretur, inquit, sic consulens restituere, quia tale consilium directè, & per se est in damnum tertiæ personæ, quod omnino non licet, nõ enim possumus prodesse vni cum damno alterius. Sed hæc admonitio Soti indiget distinctione. Nã aut malefactor vult nocere certæ, ac signatæ personæ, vt Ioanni, aut in cõmuni non designatæ adhuc personæ, si primum, bene ait Soto ob rationem, quam affert. Tùm etiam quia illa tertia persona signata habet ius, vt nullus consulat damnum ipsius ad vitandum damnum alterius: iniquum enim est, vt ego consulam abscindi brachium Petro, ne occidatur Ioannes; quid enim debet Petrus in hoc Ioãni? Si verò secundum, licet consulere ei, vt illi damnum inferat, cui tale damnum minus nocebit, vt licet volenti furari consulere, ne committas stuprum, vel sacrilegium, vel adulterium, quære meretricem: licèt parato ad comburendum aliquem populum in communi consulere, ne comburas quæso populum magnum, sed paruulum oppidum. Ratio est, quia sicut in vna, & eadem persona certa, & signata consulere minus malum, nõn est consulere malum, sed deuiare à maiori malo, ita quando malefactoris animus adhuc incertus est cui noceat, consulere illi minus nocumentum, nũ est consulere malum, sed deuiare animum eius à maiori damno, & nocumento.

Ad argumenta initio posita. Ad primum dico, sic consulentem non influere, nec consulere propriè, & formaliter malum, neq; illud minus malum, vt malum est, sed hoc tantum, ne committatur illud maius, quod est studiosum.

Ad secundum respõdent aliqui, parentib. gubernatorib. confessarijs non licere, neque consulere minus malum ad vitandũ maius, quia tenentur ex officio vitare omne malum in suis subditis, & illos omnino continere, sed hæc solutio non satisfacit, quia ea tm habet locum, quando isti possunt aliqua via prohibere suos subditos à dãno inferendo, quomodo etiam quiuis alius non potest consulere, quando posset impedire. Quæstio aũt nostra est, quando omnib. tentatis nulla est via ad reuocãdum malefactorem à maiori damno inferendo, nisi consulendo minus. Vnde dico, et parentib. & iudicib. & confessarijs licere, quando nullo modo possunt dissuadere, aut prohibere malefactorem, ne noceat, nisi hac sola via, consulere minus malum, vt deuient illũ à maiori, quia non minus horum consilium vtile est illi, cui grauius nocendum erat, quàm si cuiusuis alteri priuati esset, nec video, cur non sit omnium vna, & par ratio, vt videbimus inf. de Loth, ex D. Aug.

Sed quçres, licebit ne volẽti rapere bona mea ad illa tuenda consulere, vt rapiat bona alterius, sicut licet occidere inuasorem? Respondeo non licere, quia inuasorem possum occidere eo ipso, quo inuasor est, nec aliter possum eius manus euadere, bona autem alterius non inuadunt mea, vt liceat consulere furi, vt rapiat illa, & non mea.

Circa solutionem secundi argumẽti offert se difficultas.

CONTROVERSIA VIII.

QVANDO PLVRES CONCVRRVNT *ad idem damnum, an vno illorum in integrũ restituente teneantur alij refundere in ipsum suas partes.*

Fvit opinio quorundam Theologorum, vt refert Medina. C. de rebus restir. q. 8. non teneri socios ad restituendas suas partes illi, qui restituit totum damnum, ratio horum erat. Quando quis est causa turpis, vel iniquæ actionis, ex qua nascitur obligatio restituendi, si ipse restituat, non tenentur alij ipsi aliquid reddere in pœnam suæ turpitudinis, & iniquitatis, suo dicunt crimine meruit, vt nil ei reddatur: sed ita res se habet in hoc casu, cum vnusquisq; ex concurrentibus fuerit causa illius damni, ergo quocunque illorum restitnente nõ renebuntur alij quicquam ipsi reficere.

Hæc sententia reijcitur ab omnibus, cũ in probatione eius, vt apparet ex maiori, petatur principiũ: hoc. n. quod sumit loco maioris, est qd inquirimus. Obseruemus igitur pro hac q. ex Caiet. art. præced. ad tertium, tribus modis posse plures concurrentes ad damnum se habere.

Primò, vt omnes participent ex præda vnoquoq; suam partem accipiente.

Secundò, vt non omnes, sed vnus totam illam acceperit, sintq; cum illo participes, quidem in illa ini qua acceptione, non tamen in re accepta.

Tertiò, vt nullus quicquam emolumenti acceperit, sed tãtum damnum tertio illatũ sit, vt qui incendunt domũ, qui conculcant, vel cõburunt segetes. Obseruemus secundò, ex concurrentibus aliquãdo vnum esse præcipuum, qui cæteros induxit, aliquando verò omnes vno animo, vel propria sponte, vel se inuicem inducentes concurrisse, nec vnum esse causam magis præcipuam, quàm sit alius.

Obseruemus tertiò, prçcipuum qui alios inducit, cum ipse sit causa, vt inducti concurrant, & velut consiliarius influẽs, & mouẽs, ac excitans, teneri ad seruandos illos à se inductos demnes & manere, ipsum obnoxium, & deuinctum omni damno, quod ex sua inductione illis obuenit. Et hæc communis sententia omnium Theologorum, & Iuristarũ, quia sic inducens est per se, & efficienter causa damni, quod inducti incurrunt, qui verò causa dãni est, renetur illud restituere. Vnde inducens, & præcipuus duplex damnum infert, vnum illi, cui ipse cũ socijs nocet, alterum socijs quos induxit, cum inducendo exponat illos debito restituendi.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando ille, qui accepit totam prædam, restituit, siue fuerit præcipuus, siue inductus ab alijs, cæteri neque ipsi, neque vero domino tenentur aliquid reficere.

Res est aperta, nam domino in primis nihil ab aliquo restituendum erit, cum ipsi in integrum ad æqualitatem satisfactum sit, neque illi qui restituerit, tum quia ipse in suis bonis nihil habet minus, quàm debeat habere, cum totum quod restituit, esset alienum, tum etiam quia ei nihil debetur, cum ab eo nihil acceptum sit. Denique, quia si ei aliquid esset restituendum, reportaret tunc iste commodum ex sua iniquitate, quod est absurdum.

CON-

CONCLVSIO II.

Si is, qui accepit, non restituat, manent omnes deuincti ad restituendum hoc ordine, vt in primis, & ante omnes teneatur iste, qui accepit, eo verò non restituente teneatur secundo loco post ipsum, qui præcipuus fuit, & velut Dux in illo crimine, quod si neq; is restituat, tenetur vltimo loco quiuis aliorum, qui in illud damnum concurrunt.

EST etiã aperta hæc concl. Prima pars patet, quia qui accepit prædam, habet quod acceptum est, & in eo factus est ditior, cæteri neque habent, neq; redditi sunt ditiores. Secundò, quia alii tantum tenentur ad restituendum ratione iniquæ acceptionis, qui verò accepit prędam, & ratione acceptionis iniquæ, & ratione rei acceptæ, & ita tenetur dupliei vinculo, & ex consequenti prius, & potius. Secunda pars etiam patet, quia eo ipso quo ille qui alios induxit, fuit præcipua & primaria causa, tenetur prius, & potius quam cæteri, nec ei sunt in vinculo restitutionis æquandi cæteri, qui ab ipso inducti sunt. Vltima pars patet ex dictis, quia cum omnes reue concurrerint, quiuis eorum tenetur restituere, quando alii non restituunt.

CONCLVSIO TERTIA.

Quando præcipuus, & Dux in crimine non accepit prædam, restituit nihilominus vero domino, qui illam accepit tenetur ei in integrum restituere, cæteri verò non tenentur illi aliquid satisfacere.

PRior pars probatur, quia ille qui restituit, cum nihil acceperit, successit in locum veri domini a iure, & ita tenetur, qui prædam accepit ei restituere, sicut & vero domino. Posterior pars patet, primò, quia alij neq; aliquid ab ipso acceperũt, neque facti sunt in aliquo ditiores. Secundò (quod habet maiorem vim) quia ille tenetur socios à se inductos seruare indemnes, & ita tenetur loco eorum satisfacere, & liberos reddere.

CONCLVSIO QVARTA.

Quando aliquis ex socijs inductis, qui non accepit prædam restituit in integrum vero domino, tenetur ei in integrum satisfacere in primis, qui illam accepit, eo deficiente secundo loco, qui præcipuus fuit, & dux in illo crimine, & hoc quoque non satisfaciente alij: & hi non quidem in integrum, sed singuli suam illi partem persoluent.

PRobatur prima pars: Quia ille restituens, cum non acceperit, succedit omni iure in locum veri domini, & ita tenetur, qui accepit illi restituere, sicut & vero domino. Secunda verò pars, quia ille, qui fuit præcipuus, & Dux (ex tertia obseruatione posita) tenetur socios quos induxit, seruare indemnes, hic autem qui restituit, fuit vnus ex socijs inductis, vt statuimus, seruandus ergo ab illo indemnis, indemnem autem non seruabit, nisi reficiendo illi, quicquid vero domino exhibuit. Vltima pars etiam patet, quia iste inductus cum non acceperit, si restituat, successit præter partem, in locum veri domini, cui restituit, tenebantur autem cæteri inducti vnusquisque ad suam partem vero domino reddẽdam, ergo tenentur similiter huic, qui restituit.

Sed obseruandum hic est, partes istas quas singuli socij inducti illi restituẽti persoluũt, debere quoque ipsius reficere primò illum, qui accepit, quia singuli cum non acceperint, in ea parte q̃ persoluunt, succedunt in locum veri domini, alioquin ille, qui accepit ex sua iniquitate reciperet cõmodũ, quod non licet, eo vero non reficiente illas, debet illas, reficere, qui fuit Dux eorum, & inductor, quia, vt sæpè dictum est, debet illos eo ipso, quod induxit, seruare indemnes.

CONCLVSIO QVINTA.

Quando singuli acceperunt suam partem prædæ, vno in integrum restituẽte, siue is sit præcipuus, & qui cæteros induxit, siue alius & inductus, tenentur cæteri reficere illi restituenti partes suas, quas singuli acceperunt.

PRimò, quia in ea parte vnusquisque eorum factus est ditior, & nisi illam restituat, liceret ei retinere, quod iniquè acquisiuit, & reportare commodum ex sua iniquitate. Secundò, quo principio sæpè vsi sumus, quia ille, qui integrum persoluit vero domino pro omnibus, succedit in locum veri domini omni iure, & ita tenentur illi reddere, quæ vero domino debebant singuli restituere.

Hæ quinque conclusiones procedunt in duobus prioribus modis, quib. possunt se habere fures, iuxta primam obseruationem, quãdo scilicet vel vnus totam prædam accipit, vel omnes suas partes. Conueniuntque in suis Conclusionibus Medina loco citato, Caiet. art. præcedenti ad tertium argumentum, Soto, lib. 4. q. 7. art. 3. ad secundum, Victoria, & omnes recentiores Thomistæ. Maior autem difficultas est circa tertium modum, quando nil accipiunt, sed tantum inferunt damnum.

CONCLVSIO PRIMA.

Si præcipuus qui alios induxit, restituat in integrum, sicut tenetur, cæteri inducti nil tenentur ei reficere.

RAtio est ex fundamento primo, quia iste, qui induxit tenetur alios seruare indẽnes: hæc est sententia Caiet. loco citato: Magister autem Soto vult limitandam esse hanc rationem, vt sit vera ista conclusio, si alii ita concurrunt, quia fuerint ab alio præcipuo inducti, nec aliàs concurrissent, vel tale damnum intulissent, & ille præcipuus etiam sine ipsis damnum illud intulisset. Quod si ipsi quamuis nõ fuissent inducti, illud nihilominus fecissent, aut præcipuus sine ipsis id non præstitisset, tenentur (inquit) illi præcipuo, qui restituit in integrum, suas partes reddere. Quia hoc secundo modo concurrentes sunt veræ etiam causæ, & suo cõsensu deuinxerunt se ad reficiendum quoque illud damnum. Sed nihilominus conclusio Caietani communiter recipitur, sicuti posita est, & sine ista limitatione Soti. Et confirmatur, quia etiam si isti aliàs sine illo præcipuo id fecissent, quando tamen fecerunt, non fecerunt nisi inducti ab illo, constituti que fuerunt ab eo in illo pretio restituendi in solidum, ipsi verò nõ induxerunt eũ, & ita tenetur illos seruare indẽnes.

Secundò, illi nõ tenentur in ordine ad præcipuũ ratione rei acceptæ, quoniam nil (vt supponimus) acceperunt, nec ratione iniquæ actionis, quia non induxerunt eum illam, nec exposuerunt eum alicui periculo, sed contra, vt modo dicebamus, ergo.

Tertiò, si iste præcipuus induxisset illos ad nocendũ in suis proprijs bonis, nil teneretur ei restituere, ergo similiter in casu nostræ cõclusionis. Patet consequenti, quia præcipuus iste qui alios induxit, cum maneat per se, & primario deuinctus ad restituendum ex suis, perinde se habet, ac si induxisset illos ad nocendum ei in suis, æquiualentẽ; ista inter se.

Quartò, vt supra vidimus initio huius art. q̃d aliquis sit causa sine qua non, vel non sit, parum facit ad vinculum restituendi, cũ hoc non sumatur nisi ex eo, q̃d est efficienter cõcurrere. sed in casu huius conclusionis, licèt inducti efficiẽter cõcurr[illegible]

d amnum

damnum veri domini, propter quod præcipuo non reficiente tenentur singuli reficere in integrum vero domino, ad damnum autem, & debitum restitué di cui se exposuit ille præcipuus, ipsi non concurrerunt efficienter, cum non induxerint illum, sed contra, & ita ipso restituente nil tenebuntur ei reficere, cum ei isti inducti tenera non nocuerint.

CONCLVSIO SECVNDA.

Quando ex dāno illato nihil commodi sumitur, si restituat in integrum vnus ex inductis, & minus præcipuus, alij etiam minus præcipui tenentur restituere illi suas partes, præcipuus autem & inducēs tenebitur singulis reficere, quæ dederunt.

PRior pars patet, quia omnes isti cum fuerint con causæ, obligarunt se, vel ad restituendum in integrum ipsi domino nullo alio restituente, vel secūdum partem suam, si vnusquisque ex socijs inductis restitueret, quo fit, vt ille restituens sufficiatur in loco veri domini, vnde sicuti vero domino teneren tur restituere singuli collectiuè suas partes, ita & isti restituenti.

Secunda pars patet, quia præcipuus, qui induxit, debet seruare cæteros indemnes.

CONCLVSIO TERTIA.

Quando omnes æqualiter concurrerunt per volūtatem spontaneam, nec ab alio inducti, si vnus restituat in integrum, tenentur singuli suas partes illi reficere.

HAec recipitur ab omnibus Thomistis, præterquam à Caietano, qui vult teneri alios, quādo ille qui restituit, non intulisset damnum nisi adiutus ab aliis, quod si sine illis idem fecisset, non esse cur alij quidquam ipsi restituant. Fundamentum Caie. est, quia quando qui restituit totum, aliàs non erat facturus malum sine socijs, constitutus fuit ab ipsis in illo periculo restituendi: quando verò solus & sine ipsis erat illud facturus, non fuit constitutus ab illis in tali periculo, & ideo non tenentur tunc aliquid ipsi cæteri reficere.

Quamuis autem nonnullis ex Thomistis hæc sententia, & ratio Caietani placeat, à plerisque tamen discipulis D. Thomę non recipitur, sed conclusio posita, vt dixi, est verissima, & fundamentū istud ruit, quia etiamsi sine socijs ille qui restituit, illud fuisset facturus, nihilominus socij æqualiter concurrentes, sicuti sunt inuicem socij dāni, debent etiam esse inuicē, & æqualiter socij restitutionis, cōstituerunt q; implicitè inter se contractū quendam societatis restituendi illud damnū, cuius societatis ratione debent oēs suas partes contribuere ad illud reficiendum.

Ad argumentum illud quorundam Theologorū initio positum respondeo, ibi, vt dixi, peti principiū. Tùm etiam propositionem illam, ei qui est in causa turpitudinis, ex qua nascitur obligatio restituendi, non teneri alios aliquid restituere, non esse intelligendam de restituente damnum à multis illatum, sed de his, qui ob turpem causam aliquid accipiūt, cuiusmodi sunt iudex, proditor, & alij, qui cum non possint retinere quod accipiunt ob turpem causam, sed debent restituere, non debent restituere illud danti, sed vel fisco, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, sicut suprà exposuimus.

Offert se modo, & alia quæstio vicina præcedēti: Cum enim dicat D. Thomas vno restituente vero domino in integrum, teneri cæteros ad reficiendas suas partes illi restituenti, nisi ipsi eis remittat: quia potest ille sicut, & verus dominus debitum condonare, est quæstio occasione huius doctrinæ.

CONTROVERSIA XI.

AN VERVS DOMINVS, CVI PLVres tenentur restituere, possit vni condonare debitum, manentib. alijs obligatis ad soluendum.

POsset aliquis inclinare in partem affirmatem hac ratione adductus. Quando existūt duę obligationes, quarum vna non pendet ex alia, potest remitti vna, manente alia in sua vi, vt cum absoluitur aliquis à voto orationis, & manet illi votū ieiunij: quod facit quotidie sum. Pontif. Sed obligationes quas habent isti concurrentes ad restituendum, ita se habent, vt vna non pēdeat ab alia, sed vnicuiq; illorum sua priuatim competat obligatio, quia non tenetur vnus ratione alterius, sed vnusquisq; per se ipsum rūne iniquæ acceptionis, ergo potest ille cui facienda est restitutio, remittere debitum vni alio manente obligato. Secundò, si vnus eorum efficiatur adeò pauper, vt non possit restituere, non tenetur restituere, & manēt nihilominus alij obligati in solidum, ergo, similiter si dominus rei cui facienda est restitutio, vni remittat, manebunt alij obligati. Probo consequentiam, quia non minus potest liberare à debito voluntas creditoris, quàm inopia debitoris. Tertio, si vnus ex concurrentibus sit præcipuus, qui alios induxit, & precibus eorum, qui inducti sunt, dominus lęsus remittat debitum illi præcipuo, hic manet liber, alii verò obligati ad restituendum, ergo similiter si libera volūtate illius lęsi remitteretur debitum illi præcipuo concurrenti, manerent alii obligati. De hac q. Caiet. & Soto loco cit. breuiter, Medina verò latius in illa quæstio. 8. vbi obseruemus, aliud esse remittere ius, & actionem repetendi debitum apud iudicem, aliud verò remittere ipsum: nam prius illud fieri potest manentibus nihilominus debitorib. obligatis ad restituendum, cum per illam gratiam non concedatur illius remissio debiti, sed id tantum quod est non vexare illos apud Iudicem, posterius verò, quod est remittere ipsum debitum continet vtrumque tàm debitorem manere immunem in foro animæ à solutione debiti, quàm in foro exteriori liberum, ne apud iudicem exigi illud possit.

CONCLVSIO PRIMA.

Læsus, cui facienda est restitutio, potest remittere vni debitorum actionem, quam habebat contra illum in iudicio, manentibus alijs sine tali gratia, & concessione.

COncedunt hanc omnes DD. quia quando plures debitores existunt, omnia iura concedunt liberam facultatem creditori exigendi ab eo à quo voluerit, aliis dimissis.

CONCLVSIO II.

Quo ad debitum ipsum, non potest læsus quando omnes debitores sunt æqualiter concurrentes, dimittere vni suam partem, manentibus alijs obligatis ad restituendum reliquum, nisi detracta illa parte remissa.

PAtet, quia creditor non potest remittere alicui debitori cum præiudicio aliorum. Secūdò, quia illi cui ita remittere, daret, profectū de alieno, vnde sicut læsus si recepisset ab vno debitore totum debitum, non posset remittere alicui suam partem, quia tunc iam non ipsi læso, sed illi, qui totum restituit, tenentur alii suas partes singuli refundere, ita quoque si antequam aliquis eorum restituat, remittat alicui eorum suam partem, non potest iam ab

alijs

elijs recipere, nisi reliquum debitum, detracte illa parte iam remissa.

CONCLVSIO TERTIA.

Quando vnus est præcipuus, & alij ab illo inducti, si creditor illi præcipuo remittat, eo ipso est alijs quoque debitum illud remissum; quod si solum remittat alicui ex illis minus præcipuis, & inductis, manet nihilominus præcipuus ille obligatus ad restituendum.

PAter prior pars, quia cum ille præcipuus sit primario, & per se obligatus, ita vt eo restituente reliqui sint liberi, idem est remittere illi, quod remittere omnibus.

Secunda pars probatur, quia præcipuus semper manet obligatus, etiamsi alij restituant, aut ipsi domino, aut ei qui restituit. Et cum in hoc casu alij minus præcipui nil dederint, manet ipse semper obligatus ad restituendum vero domino.

Ad argumenta initio proposita. Ad primum concessa maiori neganda est minor. Obligationes enim istæ licèt videantur diuersæ subiecto propter diuersitatem debitorum, in ratione tamen debiti vnica est obligatio, sicut & vnica fuit actio iniqua, ad quã omnes isti concurrerunt, per quam debitum illud contractum fuit, & ita nõ potest vnus ab illa eximi alijs manentibus obligatis, cum non possit fieri vni remissio cum præiudicio alterius. Ad secundum dico, eum qui in tantam incidit paupertatem, non de obligeri à restitutione, sed excusari tantum durante illa inopie: cum primum enim redierit ad pinguiorem fortunam, tenebitur restituere non per nouam aliquam obligationem, sed per eandẽ quam antea habebat, vnde inopia vnius non tollit obligationem aliorum, remissio autem facta vni ab ipsomet creditore, si is cui remittitur, sit principalis, tollit debitum aliorum integrum, si minus principalis, & inductus, quo ad illam partem, quæ ipsi remissa est. Ad tertium dico, nõ esse simile iudicium, quia si inducti suis precibus postulent à læso, vt remittat præcipuo læsori, qui cæteros induxerat, eo ipso suscipiunt apud se illud debitum, & eius solutionem; non enim rogant, vt læsus ille omnino, & absolutè remittat illud debitum, sed vt remittat illud illi præcipuo, soluendum tamen ab ipsis, at quando læsus ipse liberè, & propria spontè dimittit, quod dimittet, non potest illud in alios transferre, quia non potest vni remittere debitum, alios grauare, quod non licet.

ARTICVLVS VIII.

Teneatur ne homo statim restituere, vel possit illud differre.

CVm præcedentibus articulis egerit D. Tho. de aliis circumstantiis restitutionis, in hoc vltimo agit de tempore quo debet fieri, de quo Doctores in 4. dist. 15. Caiete. hic, & quæst. 66. artic. 3. ad 6. & in Sum. Restit. cap. 5. Soto lib. 4. de Iust. quæst. 6. artic. 1. & q. 7. artic. 4 & lib. 5. quæst. 3. artic. 1. ad 2, & in suo 4. d. 17. quæst. 6. Syluest. Restitutio. 5. per totum. Adria. in 4. tracta. de restitu. fol. 50. breuiter Medina Cod. de reb. rest. quæst. 2. §. Quo ad 4. Doctor Nauar. in suo Manual. cap. 17. à num. 54. vsque 68.

CONCLVSIO PRIMA.

D. Tho. & est affirmatiua.

Quemcunque teneri ad statim restituendum, quam primum commodè potest, vel petendas inducias, & dilationem ab eo, cui restitutio facienda est.

PRobatur à D. Th. Primò, quæ restituenda sunt, eodem modo se habent, posito quod sint restituenda, sicut merces debita mercenario, sed merces debita mercenario statim est illi restituenda. Leuit. 16. [Nõ morabitur opus mercenarii apud te vsque mane, ergo nec licebit retinere apud se quodcunque debitum restituendum. Secundò, sicut accipere aliquid inuito domino est peccatũ contra iustitiam, ita quoque retinere alienum eo inuito, quia perinde priuatur re sua, & vsu illius verus dominus iniqua detentione, sicut iniqua acceptione, sed in peccato non licet immorari, nec per breue tempus, ergo nec per breue tempus licet rem alienam detinere, sed statim est restituenda, cum possit. Circa hunc articulum examinãda in primis est hæc conclu. D. Tho. videtur enim falsum esse, statim faciendam esse restitutionem. Primò, sicut præceptum restituendi includit illud negatiuum, non detinendi rem alienam, ita præceptum pœnitentiæ includit illud negatiuum, non permaneas in peccato, & inimicitia tui creatoris. Et sicut non liberatur debitor à peccato nisi restituendo, iuxta regulam Diu. Aug. [Non dimittitur peccatum, &c. ita quoq; non liberatur peccator, nisi pœnitendo, iuxta illud Christi: [Nisi pœnitentiam egeritis,] &c. Vnde D. Thom. æqualia facit hic in corpore articuli hæc duo, detinere alienum, & manere in peccato, & ex eo infert esse statim restituendum, quia non licet nec per breue tempus manere in peccato, sed nemo tenetur ad statim pœnitendum, ergo neq; ad statim restituendum, sed sufficiet aliquando restituere, quamuis non statim, sicut sufficit aliquando pœnitere, quamuis non statim, iuxta illud: [In quacunque hora peccator conuersus, &c. Et confirmatur, Actus eiusdem virtutis sic se habẽt, vt liceat vnum differre, liceat, & alium, restitutio ex primo artic. est actus iustitiæ, pœnitentia etiam, & contritio de peccatis est actus iustitiæ, & pars potentialis ipsius, sed licet differre pœnitentiam, ergo, & restitutionem. Secundò, fiscus ex officio debet accusare malefactores, iudex iudicare, & cõdemnare, ac ferre sententiam, at fiscus, & iudex non tenentur statim ista debita persoluere, sed possunt differre, ergo, & alii debitores poterunt differre restitutionẽ, & solutionem suorum debitorum. Tertiò, præceptum restituendi vt artic. 2. vidimus est affirmatiuum absolutè, & formaliter, præcepta aũt affirmatiua non obligant statim, & pro semper, ergo. Quod si dixeris cum D. Tho. esse quidem affirmatiuũ formaliter, sed includere illam negationẽ, ne detineas alienum inuito domino, ratione cuius est statim adimplendum, Contra, quia omnia præcepta affirmatiua includunt etiam negationem sui oppositi, vt illud, diliges Deum, cõtinet hanc negationem, non diliges idola, & ita proponitur in lege: [Dominus Deus tuus, quem colere debes vnus est, non facies tibi sculptile, neq; coles Deos alienos: Præceptum sanctificandi sabbathum, includit illud negatiuum nullum opus seruile facies in eo, quæ tamen nec ratione harum negationum obligant statim. Et cõfirmatur, hoc præceptum restituendi aut habet se vt affirmatiuum, aut vt negatiuum, si primum, ergo non obligat statim, si secundum, nunquam licebit differre restitutionem, negatiua enim nunquam licet prætermittere, at vt videbimus hoc eodem art. in aliquibus euentibus licet eam differre, ergo.

Deni-

Denique, si statim esset facięda restitutio, qui nõ faceret illam statim, sed differret, cõmitteret nouũ peccatum mortale differẽdo, quia non adimpleret præceptum de statim restituendo, sicut qui tenetur ieiunare feria. 6. licet alio die ieiunet, si tamen non ieiunauit eo die quo illi præcipitur, peccat mortaliter, at differendo restitutionem non contrahitur nouum peccatum mortale iuxta communem Theologorum sententiam, aliter qui somno occupatus non restitueret, statim committeret nouũ peccatũ.

Ad horũ intelligentiã, & solutionẽ obseruemus primo, præceptum restituendi absolutè, & formaliter esse affirmatiuũ; constat primò ex forma, & mõ, quo datur, proponitur .n. his vocibus: redde, restitue, solue, quæ sunt affirmatiunes, Matt. 22. [Reddite quæ sunt Cæsaris, &c. Rom. 13.] [Reddite oĩbus debita, cui tributum, &c. Secundò, constat ex obiecto, obiectum .n. affirmatiui est aliquod bonum q̃d præcipit, cum versantur affirmatiua circa actus virtutum, obiectum negatiui aliq̃d malũ, & actus vitii q̃d prohibet, pręcepto aũt restituẽdi pręcipitur reddere alienum suo domino, quod est bonũ & actus iustitię, vt vidimus. Tertiò, pręcepta affirmatiua frãguntur per omissionem, vt pręceptum, ieiunandi, honorandi parentes, negatiua autem per commissionem, vt pręceptum non mentiendi, non occidendi, præceptum aũt hoc restituẽdi frangitur per omissionem est ergo affirmatiuum propriè, & formaliter. Est aũt ita affirmatiuum, vt includat in se hanc negationem, nec detineas alienum, ratione cuius reducitur ad illud: Non furaberis, nam cum hoc septimo præcepto prohibeatur quoduis damnum in bonis alienis, nec solum noceat in bonis, qui illa rapit; verum ẽt qui iniustè retinet inuito domino te sua, & vsu illius, affirmãt ppea Doctores hoc præcepto hoc furandi vtrumq; prohiberi, & acceptionem, & detentionem rei alienæ inuito domino, Vnde Pau. Rom. 13. illi affirmationi [Reddite omnib. debita, statim adiungit hanc negationem, nemini quicquã debeatis. Et Leuit. 16. per negationem præcipitur solutio mercedis debitæ seruo, cum dicitur, Non morabitur apud te opus mercenarii vsque ad mane.

Obseruemus secundo ex Caie. hic circũstantiam tpis aliter se habere in actu restitutionis, & in actibus aliarũ virtutũ, nã in aliis virtutibus tp̃s non est certũ, nec oẽ, sed q̃d assignat prudentia, & recta ratio, vt in actu fortitudinis, tẽperantiæ, in iudiciis, in accusationibus, non quouis tpe est bellandum, accusandum, ieiunandum &c. at in actu restitutionis tempus non est assignandum à prudentia, & recta ratione, sed ex natura rei est iam assignatum; nam cum nullo tpe liceat fratri inferre iniuriam, & detinere rem illius ipso inuito sit illi iniuria, nullo tpe liceat eam retinere, & ex consequenti ex natura rei q̃ primum potest illi restitui, est restituenda. Quo fit, vt omittere actus aliarum virtutum non repugnet virtuti quouis tpe, sed in eo tãtum, in quo prudẽtia, & recta ratio dictabat esse exercendos, omissio autem restitutionis quouis tempore repugnet iustitiæ, cum tamdiu inferatur iniuria domino, quã diu res ipsius eo inuito detinetur: similiter alia præcepta affirmatiua non obligãt statim, sed pro loco, & tempore iuxta leges prudentiæ, præceptum aũt restituendi quamuis affirmatiuum obligat statim habita opportunitate. Ratio est apertissima ex dictis, Primò, quia præceptum restituendi ideo obligat, quia non licet detinere alienum, sed non detinere alienum quouis tempore tenemur, cum nullo tempore liceat fratri esse iniurium, aut priuare illũ vsu rei suæ contra eius voluntatem, ergo. Secundò, non restituere, alienum pro eodem reputatur, ac furari, sed hoc nunquam licet, ergo nec illud.

Est tamen hic obseruandum, quod sicut non quęuis acceptio rei alienæ est furtum, sed quando fit domino rationabiliter inuito, quia si irrationabiliter sit inuitus, vt quando pauper extremè indiget, non est furtum, ita quoque præcepto restituendi prohibetur detentio rei alienæ domino illius rationabiliter inuito, & quia quando non adest opportunitas restituendi, dominus non est rationabiliter inuitus, ideo quando non adest opportunitas, non obligat hoc præceptum, quãdo autem adest, statim obligat.

Nunc ad argumenta posita: Ad primum Cayet. in opusculo. 17. quæstionum. q. 7. quem sequitur Soto. lib. 4. q. 7. art. 4. vult eandem esse rationem præcepti pęnitentiæ, & præcepti restitutionis, & vtrumque esse mixtum ex affirmatione, & negatione, quia vtrumque continet suam negationem, præceptum restitutionis non detinere alienum, quod aduersatur iustitiæ, p̃ceptũ pęnitẽtiæ non permanere in Dei inimicitia, q̃d aduersatur, charitati, vnde inferunt, vtrumq; obligare ad statim, ita vt sicut peccator nõ pęnitẽs statim, auget suũ peccatum, redditque illud grauius, quamdiu permanet in reatu illius, ita debitor nõ restituẽs augeat suũ peccatũ sui iniqui debiti.

Sed pace istorum, multum differunt ista duo præcepta. Primò, quia præceptum restituendi includit in se negationem speciali quadam ratione longè diuersa ab ea, qua alia præcepta affirmatiua inter quę collocandum etiam est præceptum pęnitentiæ, nam alia affirmatiua includunt negationem, consequenter, vt rem sibi contrariam, vt qui præcipit dilectionem, consequenter prohibet odium, qui præcipit fidem, consequenter prohibet infidelitatem, & similiter in pęnitentia qui præcipit per pęnitẽtiam Deo reconciliari, consequenter prohibet Deo esse inimicum, nec est generalis quædam, & extrinseca ratio continendi negationem, cum sit per solam consequentiam, propterea ista præcepta non dicuntur negatiua pure, sed affirmatiua, nec obligant statim, sed in casu opportunitatis, & necessitatis, pręceptum autem restituendi continet negationem speciali quodam modo, quia continet illam non consequenter, & velut consectarium quod est quid extrinsecum, sed antecedenter, & vt fundamentum, cui nititur, nam quia non licet retinere alienum inuito domine, sicut nec accipere, ideo tenemur restituere, & reducitur præceptum restituendi ad illud, Non furaberis. Vnde licèt hoc præceptum sit propriè, & formaliter affirmatiuum, non tamen purè affirmatiuũ, sed habent simul negationem intrinsecè, & fundamentaliter, propter quod habet se & obligat ad modũ negatiui statim, & pro semper, habita opportunitate, sicut expositũ est, sicut statim, & pro semper tenemur non inferre damnum, nec iniuriam fratri.

Ex quo sequitur, præceptum pœnitentiæ, cum sit purè affirmatiuum sicut alia, non obligare statim, sed sicut alia præcepta pure affirmatiua tempore necessitatis, aut statuto ab Ecclesia, præceptum autem restituendi, licet affirmatiuũ, mixtum tamen ex affirmatiuo, & negatiuo, continensq; intrinsecè negationem obligare, vt negatiuum, statim, & pro sẽper.

Differũt secũdo, quia differre restitutionẽ cũ illa commodè possit statim fieri, aduersatur p̃cepto iustitię, vt cõstat ex dictis, & obseruatione secũda, differre verò pęnitẽtiã, & cõtritionẽ non continuo cõtrariatur charitati, nec præcepto pęnitentiæ, nisi in casibus, in quibus oportet pęnitere. Hinc sequitur tertia differentia, differentem pęnitentiam etiã habita opportunitate p̃ter casus, qui assignantur à Doctoribus, nec peccare de nouo, nec augere peccatũ, licèt incurrat alia incõmoda ex sua dilatione, differẽtẽ verò restitutionẽ habita opportunitate, vel peccare de nouo, vel augere saltẽ peccatũ, vt dicemus.

Differunt quartò, quia præceptum pœnitẽtiæ totum ordinatur in bonum pœnitentis, propter quod

diffe-

differendo suum proprium bonū nulli est Iniurius, præceptū autem restitutionis ordinatur in bonum, & restituentis, & domini, cui fit restitutio, propter quod, nisi restituat habita opportunitate, est illi iniurius. Sequitur etiam ex his, obligationem pœnitentiæ sumēdam esse ea necessitate pœnitentis, obligationem aūt restitutionis sumendam esse ex necessitate creditoris, quæ verè est quotiescunque rationabiliter vult reddi sibi suam rem, vult autem quotiescumque est opportunitas, nec habetur consensus eius in dilationem.

Ita patet solutio ad primum negando, cōsequentiam propter diuersum modum, quo præceptum restitutionis continet in se negationem, & præceptum pœnitentiæ, & alia præcepta affirmatiua. Ad confirmationem ex D. Tho. dico D. Tho. æquiparare pœnitentiam, & restitutionem quo ad primum, id est quo ad exitum à peccato, non tamen quo ad obligationem præcepti, vt similiter obligent, & simili tempore. Colligit enim in corpore articuli nō licere detinere alienum, quia non licet permanere in peccato, qui autem detinet quamdiu detinet, & non restituit, cum possit, manet in peccato. Ex quo progressu non sequitur præcepta ista pœnitentiæ, & restitutionis eodem modo includere negationem, & eodem modo obligare ad statim: non enim quia conueniūt in vno, quod est non posse exire à peccato nisi restituatur, sicut non exit à peccato, qui peccauit, nisi pœniteat, oportet quoq; conuenire in modō continendi negationē, aut in alijs conueniunt enim quidem in illo priori, nōn autem in posteriori, vt constat.

Et vt res magis intelligatur inter præceptum restitutionis, & pœnitentiæ sunt quatuor similitudines: prima, vt sicut non dimittitur peccatum, sine restitutione, ita neque sine pœnitentia. Secunda, vt sicut qui non restituit, cum possit, est in statu peccati mortalis, ita qui non pœnitet, cum possit. Tertiò, vt sicut qui habet istum actum, nolo pœnitere, peccat de nouo, ita qui habet istum actum, nolo restituere. Quarta, vt sicut per dilationem restitutionis augetur culpa, ita per dilationem pœnitentiæ. Differunt tamen, quia qui cum possit, non restituit, agit cōtra præceptum restituendi, qui vero nō pœnitet, quamuis possit, non peccat contra præceptum pœnitendi, nisi in certis casibus necessarijs.

Ad secundum respondeo ex quarta differentia hic posita, pœnitentiam esse quidem partem iustitiæ potētialem, potest quoque sumi, vt quædam satisfactio, actu autem realiter ac subiectiuè non est iustitiæ pars, sed sacramentum, & medicina peccatoris, quo fit, vt eius obligatio non sit sumenda per ordinem ad necessitatem peccatoris, & ideo tunc obligat quando fuerit necessitas ex parte peccatoris, restitutio tamen est pars subiectiua, & specifica iustitiæ, vnde eius obligatio sumitur per ordinem ad alium, nempè creditorem, & ideo obligat, quando est necessitas creditoris, non inquam necessitas, id est, indigentia, & paupertas, sed necessitas, idest, damnum, & detrimentum eius, cum careat vsu rei sibi debitæ, quod est contra iustitiam, quæ necessitas cum semper sit, quamdiu dominus re sua caret, consequenter semper existit obligatio restituendi.

Ad tertium patet solutio ea dictis ex illo diuerso modō, quo includitur negatio in præcepto restitutionis, quo modo non includitur in alijs præceptis, quibus tenentur iudex, fiscus, &c.

Ad quartum similiter patet solutio ex isto diuerso modo speciali, quo hoc præceptum restitutionis continet negationem, quo modo non continent illam alia præcepta affirmatiua, propter quod nō dicuntur negatiua, sed purè affirmatiua.

Ad quintum, seu confirm[illegible]onem quarti respondeo præceptum restitutionis non continere quamcunque prohibitionem retinendi rem alienam, retinere alienam absolutè & simpliciter non est prohibitum præcepto negatiuo naturali, sed retinere domino rationabiliter inuito. Vnde in quibus casibus ille irrationabiliter esset inuitus, licet differre, vt quando non est opportunitas, veluti si sit in lecto, aut missa, aut mensa debitor, tunc licet differre restitutionē, quia vir prudens non vult tunc sibi rem restitui, sed deinde: sicut, Non occides, non prohibet quamcunque occisionem, sed quæ irrationabiliter fiet. Vnde ad replicam dico, hoc præceptum esse affirmatiuum habens se ad modum negatiui propter specialem modum, quo continet in se negationem, intelligendumque habita opportunitate. Vltimum argumentum quærit illam difficultatem, solet hic à Thomistis tractari.

CONTROVERSIA I.

An præceptum restitutionis ita obliget ad statim, vt committat nouum peccatum qui illam differt præter illud peccatum quod commisit, quando iniquè accepit.

DE hoc dubio agit Caiet. infra, q. 99. art. 3. ad 2. & in opuscul. 17. q. 7. & Soto locis citatis. Et pro parte affirmatiua argumentor cum Caiet. Detentio rei alienæ, inuito domino comparatur acceptioni, & repugnat præcepto negatiuo, Non furaberis, sicut eius acceptio, & consumptio, sed acceptio rei alienæ prohibetur semper, & pro semper ac in singulis momentis ita, vt quocunque momento quid accipiatur, sit nouum peccatum, ergo similiter non detinere alienum obligat pro semper, & singulis momentis, & quocunque momento, quo non restituit habens alienum habita opportunitate, peccat nouum peccatum. Et confirmatur, quia præceptum restituendi licēt formaliter sit affirmatiuum, obligat tamen ad modum negatiui, id est semper, ita vt quocunque momento debitor non restituat, peccet de nouo, quasi singulo quoque momento incipiat detinere alienum inuito domino.

Quod si dicas, hoc argumentum tātum conuincere, quod singulis momentis continuet peccatum non restituens, non autem cōuincere, quod peccet de nouo singulis momentis, quia præceptum istud est non retinendi, iste vero non retinet de nouo, sed tantum continuat illam iniquā detentionem. Contra, in primo instanti quo potest restituere, & non restituit, peccat de nouo, & violat præceptum non retinendi, sed quocunque momento sequenti quo possit, si nō restituat, retinet similiter alienum inuito domino, ergo quocunque momento peccat.

Et confirmatur, hoc præceptum non solum prohibet primum momentum, verū, & omnia sequentia donec fiat restitutio: argumento est, quia semper manet obligatio adimplendi illud, sed in primo, momento committitur nouum peccatum, quia non seruatur præceptum pro tunc obligans ergo in singulis quoque committetur nouum peccatum, cum in singulis idem accidat.

In oppositum est, quod hac ratione, cum inter furtum, & restitutionē soleat transire multum tempus, in quo sunt infinita momenta, committeret fur illo medio tempore infinita peccata. Secūdò, actus continuatus in eodem genere mortis tempore continuo non est multa peccata distincta, sed vnū tantum continuatum, detentio il[illegible], etsi per multa momenta, nō est nisi vnus actus continuatus in eodem genere mortis, & vitii, ergo non est multa peccata distincta, sed vnicum continuatum, esset autem multa

multa distincta, si quæcunque dilatio esset nouum peccatum.

In hac quæstione obseruemus, hoc, quod est statim esse restituenpum, trib. modis accipi posse, vel statim, vt exeat à peccato, vel statim, ne augeatur peccatum, vel statim, ne committatur nouum peccatum: non est hæc quæstio in primo sensu, certum .n. est non exire hominem à peccato, nisi restituat iuxta illud D. Aug. Non dimittitur peccatum &c. in quo sensu, iuxta aliquos habet hic D. Tho. præceptum restituendi obligare statim, id est vt à peccato exeat homo, quamuis reuera ipse D. Tho. aliter doceat, ait enim nec per breue tempus licere detinere alienum, vbi non tãtum exigit restitutionem, homo exeat à peccato, verum etiam vult illam fieri, quam primum homo potest, & adest opportunitas, vt seruet præceptum restituendi. Vnde quæstio est in secundo, & tertio sensu, augeatur ne peccatum, vel committatur nouũ, si differatur restitutio.

Obseruemus secundò, cum præceptum restituendi sit formaliter affirmatiuum, includens autem intrinsecè, & radicaliter negationem non detinendi alienũ, ad eius adimpletionem requiri duo, Primò, propositum in voluntate non retinendi alienum, & secundò externam executionem, qua illud restituatur suo domino quæ cum diuersa sint, & in eis consistat obseruatio huius præcepti, explicando qua ratione vnum quodque horum seruandum sit intellectum manebit, ad quid obliget hoc præceptum, & quando augeatur peccatum contra illud, quãdo verò de nouo committatur, quod subiectis varijs conclusionibus commodè fiet.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui habet alienum, vt exeat à peccato, tenetur ad duo, primum statim atque nouit se habere alienum, habere simul firmum, & deliberatum animum restituendi illud, quam primum commodè poterit. Et secundo actu, & opere illud restituere habita opportunitate.

HÆc conclusio patet apertissimè ex illa celebr regula D. Aug. 54. ad Macedonium: [Non dimittitur peccatũ, nisi restituatur ablatũ.] Restituitur autem vel actu, & opere, quando actu redditur alienum, vel corde, & animo, quando firmiter id proponitur. Et confirmatur, quamdiu homo est in proposito furãdi, est in peccato mortali, sed quamdiu homo corde, & opere retinet alienum, est velut in proposito furandi, ergo.

Secundò, Qui est iniurius, & nocet fratri, non potest exire à peccato, quin cesset ab illa iniuria, & dãno detinere alienũ inuito domino est illi damnum, & iniuria, à qua cessari non potest, nisi habendo animum restituendi, quamdiu non est opportunitas, & restituendo, quando illa se offert, ergo, vt exeat à peccato, tenetur ad ista.

Tertiò, sicut facere iniustitiam, & inæqualitatem cum proximo in re graui est peccatum mortale, ita non potest quis exire à peccato, quin inæqualitatem, & iniustitiam illi factam reducat per actum iustitiæ ad æqualitatem, hoc autem fit per restitutionem, ergo non potest quis exire à peccato, quin proponat animo restituere, cum poterit, & cum primum poterit, illud opere exequatur.

Ex hac cõclusione sequitur apertè, illum, qui habet animum non restituendi, non esse vllo modo absoluendum, cum sit voluntariè in statu damnationis, & in peccato mortali habituali. Patet, qui habet animum furandi, vel fornicandi, nisi illum omnino mutet, est in statu peccati mortalis, & damnationis, & omnino indignus absolutione, ac ab ea repellendus, sed animo furandi æquipollet animus detinendi alienum, & non restituendi inuito domino, ergo.

In hac conclu. hæc temporis circumstantia, vt fiat statim, aliter intelligenda est, cum dicimus habentem alienum teneri ad statim proponendum illud restituere, & aliter cum dicimus teneri ad statim restituendum habita opportunitate, vt exeat à peccato, nam respectu interni propositi volontatis tenetur ad habendũ illum statim, & in ipso momento quo aduertit se habere alienum, mathematicè sumpto, ita vt quamdiu id non proponit firmiter, sit in statu peccati mortalis habituali, quia quamdiu id non proponit, virtualiter, & habitualiter consentit in iniquam detentionem rei alienæ, & in damnum ac iniuriam, quæ per illam detentionem domino rei inferuntur, respectu autem externæ, & actualis restitutionis operæ, & in effectu faciendæ non est accipiendum illud statim, mathematicè, vt in illo puncto temporis, & momento indiuisibili, quo aduertit, se habere alienum, facultatemque ad restituendum, teneatur adire creditorem, & actu restituere, sed accipiendum est illud statim, moraliter, & ciuiliter, sic enim dictat recta ratio, iuxta quam omnia præcepta moralia tàm diuina, quàm humana intelligenda sunt. Verbi gratia, si tibi recumbenti in mensa, aut lecto, aut audienti missam veniat in mente te habere aliquid alienum, vt exeas à statu peccati, in quo manes propter iniquam rei detentionem, teneris in illo puncto firmiter proponere illud restituere, non tamen teneris etiam si habebas vnde tunc restituas, surgere illo ipso momento à lecto, vel mensa, aut dimittere missam, vt statim restituas, sed sat est id facias deinde hora commoda iuxta leges prudentiæ. Vnde nomine opportunitatis duo intelliguntur, & facultates, ac bona ad restituẽdum, & tempus commodum. Quo fit, vt qui quam primum aduertit se habere alienum, statuit restituere, etsi intercedat vsque ad executionem illius propositi aliqua mora temporis, moraliter loquendo non sit dicẽdus esse in mora, cum tempore commodo restituat.

CONCLVSIO II.

Qui differt restitutionem, cum possit restituere, ad minus auget, & aggrauat peccatum suum.

PRimò, quia peccatum, quo diuturnius est, grauius, & peius est.

Secundò, quia cum detinete alienum inuito domino sit illi damnũ, & iniuria, quo magis differtur restitutio, magis hæc augentur, & vnà cum eis culpa, ac delictũ inferẽns illa. Vnde, illa regula Theologorum. Peccatũ cõtinuatum licèt semper sit vnũ, & nõ differat à se ipso in specie, & in genere naturæ, nisi noua se offerat circa illud malitia, eo autem ipso quo continuatur, differt à se ipso in genere moris, quia est grauius, & peius. Ita sit, vt sicut in peccato furti non sufficit confiteri furtum, sed explicãda est est quantitas furti, quia cũ confessarius sit iudex, & medicus, quamuis quantitas furti non mutat speciem, reddit tamen grauius illud delictum, debetque confessarius iuxta illius grauitatem, qua medicus est, applicare pęnitẽtiã, consilium dare, & medicinam spirituale adhibere, ita quoque, qui distulit restitutionẽ, non sat est dicat, se habuisse alienũ, sed dẽbet explicare, cũ potuerit restituere, quanto tpe illud distulerit, vel habuerit animum non restituendi, cum hæc dilatio reddat peccatum grauius.

Vbi obseruandũ est cũ Soto, quod certè dictat recta ratio, breuem morã per tres horas, vel tres dies, & breue tempus non esse dilationem, quã dicimus esse in confessione explicandam, nisi iam illa hora, vel die creditor laboraret necessitate, quam nosset debitor,

debitor, aut creditor peteret rem suam a debitore, quia tunc etsi breui mora detineretur supposita opportunitate explicata, nõ solum esset grauius peccatum, verum etiam nouũ, vt statim dicemus. Extra istos autem casus breue tempus non iudicatur mora, quæ reddat peccatum grauius, aut constituenda, sed illa dilatio quæ prudenter iudicabitur mora, & dilatio culpabilis. Quæri hic solet, [Quis grauius peccet, qui per vnum (dicamus) annum detinet 100. iniquè, aut qui illo anno uariis vicibus furatur. 100?

Palud. in 4. dist. 15. q. 2. iudicat, illum priorẽ grauius peccare, quia ille continuat peccatum, & semper est in peccato, qui verò multis vicibus peccat, interrumpit illud & per aliquod spatium dimittit. Soto vult oppositum, quia prior ille non committit nisi vnicum peccatum in specie, etsi sua continuatione reddat illud grauius posterior verò committit tot peccata distincta, quot vicibus furatur. Distinguendum tamen hic est: nam aut ille, qui furatur multis vicibus, tam exiguam quantitatem singulis vicibus furatur, vt ob defectum, & exiguitatem materiæ nulla illarum per se sumpta sit peccatum mortale, aut tales quantitates accipit, vt quæuis, aut plerique illarum sint peccatum, mortale, si prius, vera est doctrina Palud. si posterius, doctrina Soti.

CONCLVSIO III.

In dilatione restitutionis, & per illud tempus quo differtur tunc, & toties committitur nouum peccatum contra præceptum restituendi, quando & quoties fiet nouus consensus, noua que commissio contra illud negatiuũ, non detinendi alienum inuito domino.

HÆc cõcl. est communis inter omnes discipulos D. Tho. Et Probatur: Præceptum restitutionis (vt constat) obligat statim, & pro sẽper ratione illius negatiui quod intrinsecè in se continet, sed præceptũ negatiuum violatur per quamcumq; nouam cõmissionem contra illud factam, ergo quotiescumque aliquis fecerit aliquam nouam commissionem contra istud negatiuum non detinendi, peccabit de nouo contra illud restituendi. Ita colliguntur hi casus, in quibus committitur nouum peccatum contra præceptum restituendi.

Primum est, quando quis habet nouũ, & actuale propositum non restituendi, non dico primũ, sed nouũ, vt qui proposuit non restituere heri, & deinde oblitus est, nec amplius de eo cogitauit, si hodie rursum veniat illi in mẽtem se habere alienum, & rursum proponat non restituere illud, hoc secundũ propositum est distinctum peccatum ab illo priori: quia est nouum, & actuale propositum non restituendi, noua cõtrectatio rei alienæ inuito domino, non vsq; consensus, & noua commissio cordis contra illud præceptũ non detinendi alienũ, & vt constat quæuis noua cõmissio contra præceptũ negatiuũ non detinendi est nouum peccatũ contra præceptum restituẽdi. Quo fit, eum qui tale propositum habuit, teneri ad explicãdum meliori modo quo poterit, numerum, & vices quibus ita proposuit, cũ sint singula proposita ista noua, & distincta peccata, requiratur autem ad integritatem confessionis, vt explicet numerum peccatorum.

Secundus casus est, quando aduertit quis se habere alienum, & non proponit firmiter illud restituere, quia, qui actu aduertit, se habere alienũ, tenetur sub pœna noui peccati firmiter proponere illud restituere habita opportunitate, in moralibus enim non dissentire damno fratris, ad quod cõcurris, est consentire. Dixi quãdo concurris, qui enim non concurrit, potest se habere indifferẽter, qui verò concurrit, necessario aut debet dissentire reuocando, illud, aut consentire efficiendo, vel producendo illud, detinere alienum inuito domino est damnum, ad quod conuertit qui illud habet, ergo qui aduertit se illud alienum habere, & non dissentit reuocando animum, & proponendo firmiter restituere, consentit de nouo, nouus autem cõsensus est noua commissio contra illud negatiuum, Non detinendi, ergo est nouum peccatum. Secũdò, qui aduertit se habere alienum, nec habet animũ restituendi, eo ipso habet animum detinẽdi, moraliter enim inter hęc non est dare medium in habente alienum. Vnde experientia teste solemus dicere, nõ vis restituere, ergo vis detinere: nouus autem animus detinendi est nouum peccatum, ergo qui ita aduertit, & non habet actu animum restituendi, committit nouum peccatum. Dixi, quando aduertit, vel tenetur aduertere. Primum, quia non quolibet momento cogitat homo de hac re, vt quando dormit, quando aliis negotijs occupatur, tunc nec omittit quod debet contra affirmatiuum præceptum restituendi, neque agit contra negatiuũ non detinendi, & ita non semper peccat nouo isto peccato, sed quãdo animaduertit se habere alienum, vel tenetur animaduertere, vt quando vult confiteri, quando vult condere testamentum, quando vult aliquas maximas expẽsas facere, quibus bona illius consumentur, & forsan omnia, quando vult inter filios hæreditatem diuidere, in his, & similibus casibus tenentur animaduertere, an habeat alienum, ne forsan expendat illud, aut disponat de illo, ut suo, In his casibus, quia tenetur aduertere, & consequenter aut actu restituere, si potest, aut firmiter proponere, quando poterit, si non animaduertat, peccat de nouo contra præceptum restituẽdi, alias non peccat de nouo, etsi non proponat, eo quod non animaduertat, quia semper, & continuo animaduertere ad quæ tenemur, angelicum est, & plusquam humanum.

Sed quæret hic aliquis circa dicta de isto proposito, quod docemus habendum esse sub pœna noui peccati, ab eo, qui animaduertit se habere alienũ.

CONTROVERSIA IV.

Sufficiet in isto casu suspendere animum, ita ut is cui uenit in mentem se habere alienum, sit indifferens; & suspendat actum mentis, liceatque illi nec habere propositum restituendi, nec non restituendi?

Ratio dubitandi est, quia videtur certè durũ, & onerosum nimis, vt quotiescũq; alicui id in mentẽ venit, teneatur actu, & reipsa habere tale propositũ. Non desunt qui dicant, Metaphysicè loquendo satis esse suspendere actum, quia suspendendo, & nullũ producendo, licèt nõ dissentiat iniquè dissentioni, non tamen consentit illi, idq; sufficere, vt nõ peccet de nouo, cum nouum peccatum non fit sine nouo consensu. Moraliter autẽ loquendo (dicunt) id non sufficere, quia cũ aduertat se detinere alienũ, uolens suspẽdere actũ, & non deliberãs, nec statuens restituere, eo ipso cẽsetur uirtualiter se nolle restituere. Sed hæc doctrina peritis displicet. & merito: nã actũ adeo moralẽ, qualis est restituẽdi, velle distinguere in Metaphysicè, vel Moraliter sũptũ

maximè in præsenti disputatione adeo ad mores pertinente, & tam aliena a considerationibus Metaphysicis, & in qua actiones humanæ tantum sumuntur, vt bonæ, vel malæ sunt, iustè vel iniustè est nimia Metaph. Imo negari non potest, cum moraliter loquendo, sicut isti dicunt, qui aduertit se detinere alienum, & non proponit illud restituere, consentiat in iniquam detentionem, simpliciter, & absolutè, cum moraliter, & non aliter hic loquamur) non licerè & suspendere actum, sed iudicandum esse illum, qui id aduertit, & non proponit actu, ac reuera restituere, eo ipso consentire iniquè detentiori, vel saltem se exponere periculo probabili frangendi præceptum restituendi.

Vnde recentiores Thomistæ sic distinguunt, & bene. Qui aduertit se detinere alienum, aut a principio quam primum id aduertit animum restituendi oblata opportunitate, vel non: Rursum, si habuit tale propositum, aut illo medio tempore donec se offerret opportunitas, interrumpit illud propositum, & mutauit animum, aut non: si à principio habuit firmum animum restituendi habita opportunitate, nec illum medio illo tempore interrupit, aut mutauit, quando rursum medio illo tempore aduertit se habere alienũ, potest tunc suspendere actum, nil tunc actu proponendo, sed transferendo in aliam cogitationem mentem suam, quia primum illud propositum habitum a principio nõ interruptum, nec mutatum manet virtualiter, & per illud implet præceptum restituendi, donec adueniat opportunitas, sicut celebrans, qui habuit a principio propositum consecrandi, etsi deinde suspendat actum, modo non interrumpat, nec mutet animum, consecrat, quia semper manet virtute illa prima intentio, quamdiu non interrumpitur, nec mutatur. Quod si a principio non habuit propositum restituendi, vel si habuit, interrupit deinde illud, & mutauit, si postea illo medio tempore aduertit se habere alienum, non sufficit suspendere actum, sed tenetur firmiter proponere restituere, tum vt exeat a peccato, tum ne committat nouũ, quod committet contra. præceptum restituendi, si aduertens se habere alienum, nõ habeat hoc propositum.

Tertius casus est, quando quis habita opportunitate restituendi, & aduertens se habere alienũ, aut debens illud aduertere, non restituit actu, & in effectu, Patet tunc peccare de nouo.

Primò, quia si habita opportunitate liceret differre, posset semper, & in æternum differre.

Secundò, qui habet animum non restituendi, cũ aduertit, se habere alienum, vel debet aduertere, committit nouum peccatum, quia habet nouũ consensum in iniquam detentionem alieni, sed qui aduertit se habere alienum, vel debens aduertere, cum possit actu restituere, nõ restituit, habet profectò animum non restituendi, ergo peccat de nouo, Maior certa est, Minor probatur: quia sicut in moralibus est necessaria illatio, potuit, & voluit, ergo, & fecit, sic etiam ab opposito consequentis est necessaria illatio ad oppositum antecedentis, non fecit. ergo aut non potuit, aut non voluit, sed in casu nostro non potest dici, non potuit, cum supponamus illũ habere opportunitatẽ, ergo non voluit,

Tertiò, si dominus rei postulet rem suam, & habens illam non restituat, cum possit, peccat nouo peccato, quia nouam illi infert iniuriam, & nouo actu consentit in iniquam detentionem, sed dominus qui non consentit in dilationem restitutionis, virtualiter vult rem suam sibi restitui, & virtualiter illam petit, & dissentit, ne ab alio habeatur, ergo qui habita opportunitate non restituit actu, nouum committit peccatum.

Quartò, voluntas sciens, & volens detinendi alienum inuito domino, est contra iustitiam, ita ut singuli actus a tali volũtate electi, & producti sint peculiaria distincta peccata, sed qui habita opportunitate non restituit, habet hanc voluntatem retinendi alienum contra iustitiam, ergo committit nouum, & distinctum peccatum,

Quintò, omissio præcepti pro tempore quo obligat, est nouum peccatum, sed præceptum restituẽdi obligat, quando est opportunitas, ergo tunc nõ restituere est nouum peccatum. Maior certa est: probatur minor.

Ad remissionem peccatorum non exigitur nisi pœnitentia per se, & directè, actus autem aliarum virtutum secundum animi præparationem, quãdo obligabunt, vt qui eum pœnitet, & confitetur sua delicta, non tenetur tũc ieiunare, nisi esset paratus ad ieiunandum, quãdo se offerret præceptum ieiunii, si præceptum restituendi non obligat habita opportunitate, poterit ergo homo agere pœnitentiam, & consequi remissionem suorum peccatorũ, & exire a peccato absque actuali restitutione, etiã si tunc commodè possit restituere, per solum propositum restituendi, hoc est falsum, & contra primam conclusionem, quæ est apertissima doctrina D. Aug. & omnium Theologorum, ergo præceptũ restituendi obligat habita opportunitate, sub pœna noui peccati.

Vnde non est audiendus hic Soto, qui uidetur sẽtire, tantum obligare quando debitor commodè potest, & creditor petit, vel indiget, quia tenetur, vt constat, cum habet opportunitatem, etiam si aliter nunquam exigat, vel indigeat. Et confirmatur, quia si creditor sit vir potens qui nunquam indigebit, & ignoret rem suam ab alio detineri, propter quam ignorantiam nunquam exiget, nunquã teneretur debitor iuxta istam sentẽtiã restituere, quod est maximum absurdum. Ex hac doctrina sequitur cum habens alienum committat nouum peccatũ, quoties aduertens se habere alienum, & potens restituere, illud non restituit, teneri etiam ad confitẽdas singulas vices quibus, cum habuerit opportunitatem, non restituerit, quia de integritate confessionis est numerus peccatorũ. Quod si id nõ valuerit, dicat tẽpus quo detinuit alienum, & accuset se multoties se potuisse restituere, & non restituisse, sicut meretrix, quæ non valet assignare numerum suarum fornicationum, debet explicare quanto tẽpore in eo statu permansit parata frequẽter fornicari. Quartus casus est, quando habens alienũ vtitur re illa aliquo vsu pretio æstimabili in suã propriam utilitatẽ, vt qui vtitur equo furtiuo ad iter faciendum, quoties illo vtitur, peccat de nouo. Dico, vsu pretio æstimabili, & in ipsius utilitatẽ, quia si vsus ille sit indifferens, & nullius commodi, non est nouum peccatum. Similiter si non sit in utilitatem ipsius habẽtis, sed ipsius rei, vt mutare ex vno loco in alium commodiorem ipsi equo. Sumendus etiam est hic vsus non physicè. & naturaliter, sed moraliter, possunt enim esse circa aliquam rem varij actus physicè sumpti, qui tamen omnes moraliter non constituent, nisi vnum actum, & vnam operationem. Verbi gratia in exemplo proposito, vt quis vtatur equo furtiuo, multos actus exercet physicè, nam sternit, & parat illum, deinde ascendit, exinde graditur illo, omnes tamen isti in genere moris non sunt nisi vnicus actus, & vnicus vsus equi. Vnde quando dicimus peccare vtentem re aliena in suam utilitatem, non loquimur de actionibus,

nibus, & vsibus physicè sumptis, sed de vsu moraliter sumpto. Quomodo autem plures actus physici efficiant vnum actum, & vnam operationem moralem, explicat optimè Caiet. infra q. 66. artic. 3. ad secundum. Et in opusculo 17. responsionum, respons. 15. dub. 2. Quod autem in hoc casu peccet de nouo patet: quia, vt videbimus q. 66. & est communis doctrina Iuristarum instit. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur. §. Furtum. [Furtum non est solum acceptio rei alienæ, verũ etiam fraudulenta contrectatio illius inuito domino.] Cuius doctrinæ ratio est, quia qui contrectat rem alienam inuito domino, nouam illi irrogat iniuriam, imò, & moraliter habet nouum consensum, aut actu, aut virtute in iniquam illius detentionẽ, quemadmodum qui habet concubinam, vel uxorem alienam, quoties illa vtitur in suam voluptatem, infert nouam iniuriam viro illius, & actu, vel virtute consentit in iniquam detentionem alienæ vxoris, cum ergo vsus utilis rei alienæ sit quædam contrectatio fraudulenta, & iniqua illius, & inuito domino, quicumque talis vsus est reducendus ad furtum, & est nouum peccatum. Ita fit, vt sit nouũ etiam peccatum vti re illa cum eius consumptione, aut illam vendere, distrahere, dare, vel commutare, quia omnia ista sunt iniquè, & fraudulentæ contrectationes rei alienæ inuito domino.

Quintus casus est, quando habens alienum ita se implicat negotijs, aut tales facit expensas, vt reddat se inhabilem ad restituendum, quia reddens se ita inhabilem, eo ipso actu, vel virtute consentit, ac vult non restituere, qui consensus, vt cõstat, est nouum peccatum mortale.

Sextus casus est, quoties creditor postulat rem suam, aut si non postulet, præmittitur aliqua necessitate, quam debitor videt, & cui potest soluendo occurrere. Patet hic casus ex dictis in tertio argumento, quo probauimus tertium casum.

Et confirmatur, primò, qui in hoc casu non restituit, nouam creditori iniuriam, nouumque damnum infert.

Secundò, quia in hoc casu non restituens, cum possit apertissimè habet nouum consensum in actualem detentionem iniquam.

Tertiò, quia iste iusta sententia cõdemnaretur, tanquam ex iustitia debens tunc restituere, ad id autem ad quod quis iusta sententia condemnaretur, vt sæpè dictum est, tenetur simpliciter in conscientia, præterquam in pœnis, ex his casibus peccatur de nouo in secundo, & tertio, quia fit transgressio huius præcepti restituendi, qua parte affirmatiuum est, in cæteris verò fit transgressio, qua negatiuum est.

Nunc ad argumenta initio huius quæstionis posita.

Ad primum respondeo, illo argumento probari quotiescumque quis detinet alienum, per nouum cõsensum actualem, vel virtualem peccare, in hoc enim sensu obligat hoc præceptũ pro semper, quãdo autem non est nouus consensus, qualis est in casibus his positis, continuatur tantum, & augetur peccatum, sicut explicatum est.

Ad confirmationem similis est solutio: affirmamus enim in primo momento illum peccare de nouo, quia de nouo consensit in iniquam detentionẽ alieni, in aliis verò, si habeat nouum consensum, vt in casibus propositis, peccabit etiam de nouo, quod si non habeat nouum consensum actualem, vel virtualem, non peccabit de nouo, sed tantum continuabit, & aggrauabit peccatum suum.

Ex tota hac doctrina sequuntur nonnulla consectaria, quibus soluuntur multæ difficultates in hac materia, & admonentur cõfessarij, qua ratione debeant se gerere, cum habentibus alienum.

Sequitur ergo primò, debitorem qui potest commodè totum debitum restituere, si nolit totum, & integrum soluere, sed per partes, vnã partem hoc mense, aliam alio, non esse absoluẽdum. Ratio est, quia qui perseuerat in statu peccati mortalis, non est absoluendus, debitor autem qui potest restituere in integrum, & non restituit, manet in statu peccati mortalis voluntariè, ergo. Dices, iam restituit partem. Dico hoc parum referre: nam restitutio consistit in cõstituenda æqualitate possibili, qui verò restituit partem, cum possit totum, non constituit æqualitatem possibilem, & ita non est dicendus restituere.

Secundò, quia etsi restituat partem, ratione reliqui, quod non soluit cum possit, actu consentit in iniquam detentionem illius residui, & ratione eius non solum manet in peccato, verum etiam peccat de nouo. Hæc doctrina est communis inter Theologos maximè discip. D. Tho. Caiet. in Sum. Restit. Adria. in 4. de restitutione, dub. 7. Sot. lib. 4. de iust. q. 7. art. 4. Syluest. restitutio. 5. §. 5. Nauarr. c. 17. nu. 66. vbi citat pro eadem Ioan. Maior. in 4. dist. 15. q. 28. Est denique omnium recentiorum Thomistarum, quos vidi.

Constituo inter auctores huius sententiæ Syluestrum, quia deceptus est (quod pace eius dixerim) Soto putans Sylu. aliter sentire, Nam Sylu. loco cita. recitat opinionem Directorij, Hosti. Angeli, & Summistarum, qui uolunt absoluendum esse debitorem, qui restituit per partes, conuenitque cum his in duplici tantum casu.

Primò, quando in foro exteriori ita est condemnatus reus, tunc enim si post litem non condemnetur ad soluendum in integrum, sed per partes, satisfacit in re, quæ fuit dubia, & sub lite, satisfaciendo iuxta sententiam iudicis.

Secundò, quando pœnitens accedit animo faciẽdi, quod tenetur, existimat autem ex ignorantia culpabili, & bona fide, se non teneri ad restituendum totum simul, sed sufficere satisfacere per partes. Extra hos casus docet Sylu. totum esse in conscientia restituendum si debitor potest, nec aliter absoluendum, vnde nobiscum sentit.

Sed contra hanc doctrinam obiiciunt illi Sũmistę, si confessor in hoc casu non absoluat, nocet vtrique, & debitori, & creditori, si absoluat, agit partes vtriusque, ergo melius est, vt absoluat.

Patet antecedens, quia si non absoluat, debitor ille recedet indignatus, & facilè statuet nec per partes restituere, si absoluat, restituet paulatim per suas partes, & creditor recuperabit quoque rem suam paulatim, & per illas partes.

Secundo, vt uidimus articulo præcedenti, licèt consulere minus malum ad vitandum maius, iste, si non admittatur, vt restituat partes, cum sit deliberatus non restituere totum, nihil restituet: ergo præstat, ne desinat omnino restituere, consulat illi sic restituere, & absoluatur.

Ad primum respondeo, confessarium in illo tribunali, & foro conscientiæ, nec esse tutorem creditoris, nec iudicem arbitrum constitutum inter partes, nec consiliarium, si quidem ista muuera haberet, optimè faceret, vt volentem restituere totũ induceret, & admitteret, ac consuleret restituere per partes, attamen, cum non sint hæc eius officia, sed esse iudicem spiritualem vicariũ Dei ad expurgandam conscientiam facultate absoluendi dispositũ, & reiiciendi ab absolutione non dispositum, nec

poteſt, nec debet abſoluere debitorem, niſi quando reſtituit, ſicut debet, & ea ratione, vt non remaneat in ſtatu peccati, quia tūc eſt diſpoſitus, aliter non, & cum debitor, qui poteſt reſtituere totū, nec vult, non reſtituat, ſicut debet, ſed maneat in ſtatu peccati, vt conſtat, ideo nec debet, nec poteſt eum abſoluere, quidquid ſit de vtilitate creditoris. Similiter patet ſolutio ad ſecundū, non enim eſt confeſſarius cōſiliarius externus, ſed medicus animæ, qui tenetur cōſulere remotionem omnis mali, nec aliter abſoluere. Ex hoc ſequitur apertè, nec eſſe abſoluendum, qui non habet firmum animum reſtituendi, quia (vt vidimus) ſine tali animo non poteſt homo exire a peccato: Tum etiam, quia ſicut tenetur homo ad reſtituendum actu, quando poteſt, ita quoque ad reſtituendum in animi præparatione, & per firmum propoſitum, quando nō poteſt, ſed non eſt abſoluendus, qui cum poſſit, non reſtituit actu: ergo neque qui non proponit, cum ad proponendum nullus poſſit allegare, ſe non poſſe: actus enim interni maximè ſunt in noſtra facultate, & quouis temporis momento.

Sequitur ſecundò, in quāto periculo verſentur, & in quam graui culpa iaceant, qui cum poſſint, dum viuunt, commodè reſtituere. differunt tamē vſque ad extremum vitę, iſti habent ſe vt qui differunt pœnitentiam, & confeſſionem vſque ad extremum vitæ, quibus parata quidem eſt remiſſio, quocumque tempore ſe conuertant ad Deum: Dubitat tamen plurimum de huiuſmodi conuerſionibus, & pœnitentijs vicinis morti. D. Aug. maximè in illo ſingulari ſermone quem de hac re ſcripſit in lib. Retracta. ita quoque qui per totam vitā non reſtituerunt, etſi bene faciant reſtituēdo vicinium morti, ſunt tamen huiuſmodi reſtitutiones maximè dubiæ, & periculoſæ, an bene fiant viribus tam corporis, quam animæ eo tempore adeo infirmis, & perturbatis, præter damnum illud adeo graue, quod culpa eorum tanta diuturnitate, & prolongatione reddita eſt grauiſſima, vel quod peius eſt, plena multis nouis, & diſtinctis peccatis, quæ per nouos conſenſus, & nouas omiſſiones tempore vitæ commiſſa ſunt, cum pręceptum reſtituendi, qua parte negatiuum eſt obliget pro ſemper habita opportunitate, quam tēpore vitæ ſæpius habuerunt, aut potuerunt habere, quod perinde eſt, nec ea bene vſi ſunt,

Sequitur tertiò, non eſſe abſoluendum, illū, qui cum exiſtat in articulo, vel periculo mortis, habeatque vnde reſtituat, nō vult ipſe reſtituere, ſed illud mandat ſuis hæredibus in teſtamento. Patet: quia viuus, & ſanus, ac potens reſtituere non eſt abſoluendus, quia quamdiu non reſtituit habens opportunitatē, manet in peccato, multo minus vicinus morti, cum in tali ſtatu poſitus diligentius debeat ſuæ ſaluti conſulere,

Secundò, quia qui in tali periculo conſtitutus, & potens nō vult reſtituere, dum viuit, ſed poſt mortem per manus hæredum, apertè oſtendit, quod ſi viueret, non reſtitueret,

Tertiò, quia illud propoſitum reſtituendi apertè, & manifeſtè non eſt abſolutū, & ſimplex, quale eſſe debet, vt homo exeat a peccato, ſed extortum & cōditionatum, ſi mortuus fuero. Vnde talis reuera eſt impœnitens, nec verè dolet ſe habere alienum, quia ſi verè doleret, & verè vellet illud domino ſuo reſtitui, ſtatim reſtitueret, cum poſſit, in moralibus enim neceſſaria illatio eſt, voluit, & potuit, ergo, & fecit. Denique, quia ſi ipſe cuius potiſſimè intereſt, non conſuluit animæ ſuę reſtituēdo, multo minus id præſtabunt hæredes. Vnde voluntariè ſe exponit periculo non fiendæ reſtitutionis, quod eſt virtualiter conſentire iniquè detentioni. Circa, quæ caueant plurimum confeſſarij, maximè apud magnates, apud quos hoc malum plurimum viget, habent enim de more, vt auus cōmittat reſtitutionem patri, pater filio, ille ſuis ſucceſſoribus, & hac via nunquam reſtituunt, quod non accideret, ſi confeſſarij iſtorum munus ſuū fideliter exequerentur non abſoluendo, niſi actu reſtituerent, ſimile iudicium eſt, qui dum viuunt dubitant, an quæ poſſident, ſint ſua, vel aliena, voluntque id diſcernere, ſed relinquunt hoc examen hæredibus ſuis, hi non ſunt abſoluendi, ſunt enim in ſtatu peccati mortalis, ſicut, & præcedentes propter eaſdē rationes, & multo potius, quia filij nequibūt id diſcernere, quibus negotia, ambages, & cauilli parētum non ſunt ita cogniti: tenentur ergo hi per ſeipſos rem definire, & inquirere, ſicut, & præcedentes per ſeipſos reſtituere, quod ſi aliquod ſit incōmodum, & inconueniens, ſi tunc actu fiat reſtitutio, debet confeſſarius ab illo debitore accipere cautionem, & ſecuritatem ſufficientem, vel facere, vt pecuniæ, vel æquiualens deponatur ſub fideli depoſito, vel, ſi hæres ſit tam fidelis, & timoratæ conſcientiæ, vt apud illum ſit reſtitutio non minus ſecura, quàm apud alium fideliſſimum, depoſitum illud ei committetur.

Sequitur quarto, habentem alienum, qui primò, vel ſecundò accedit ad confeſſionem cum eodem debito reſtituendi, ſi confeſſarius videat ſua prudentia illum verè dolore de ſua culpa, & firmiter proponere ſtatim reſtituere, poſſe illum abſoluere illum verò qui iam ter, vel quater, aut aliquoties promiſit in præcedentibus confeſſionibus reſtituere, nec reſtituit, cum potuerit, nullo modo eſſe abſoluendum, ita docent D. Ant. p. 2. tit. 2. c. 8. coroll. 4. Caie. in Sum. reſtitutio. cap. 6 Nauar. cap. 17. nu. 59. quia qui ſic promiſit in præcedentibus, nec præſtitit, prudenter poteſt credi, nec modo pręſtiturū, ſed facilè redditurum ad eandem culpam, illum autem, qui prudenter timetur in ſuam culpam facilè reuerſurus, non licet abſoluere, vt manentē in periculo concubinatus, ergo neque hunc, cum non ſit minor cupiditas pecuniarum, quam mulierum, vbi maximè obſeruandum eſt illud Chriſti Matth. 4. [Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod habet frater tuus aliquid aduerſus te, relinq; ibi munus tuum, & vade prius reconciliari, &c.] Et confirmatur, habentem concubinam non licet abſoluere, quantumuis promittat ſe ſtatim illam reiecturum, ergo neque habentem alienum, quod multoties promiſſit reſtituere, & non præſtitit, licet abſoluere, quin prius illud reſtituat. Vnde ait, & bene Caiet. loco citato. Si dixerit pœnitens confeſſario, patre hac vice verè reſtituram, crede mihi, nam mea intereſt, reſpondeat illi confeſſarius, credo quidem, ſed quia habes modo hanc bonam diſpoſitionem, vade prius, & reſtitue, tunc veniens abſolueris, vel dicat, vt alij conſulunt, & bene: Credo quidem, ſed quanto propoſitum tuum firmius nunc eſt, tāto hinc egreſſus vehementius curabit Dæmon, ne illud exequaris, inuidens pœnitentiæ tuæ, vt illum ergo cōfundas, vade prius, & reſtitue. Sed obijcies, confeſſarius debet credere pœnitenti, & in his quæ dicit contra ſe, & in his, quæ dicit pro ſe, cum ipſe ſit in illo foro reus, actor & teſtis ſimul. Reſpondet Caieta. ita quidem eſſe, ſed debere nihilominus confeſſarium cauare, ne mora temporis delictum pariat, ſicut antea accidit, & timere, ne ſicut antea accepta abſolutione nil præſtitit, ſimiliter tūc faciat,

quod

quod prudenter timebit, ac præterea non absoluet, quin prius restituat. Obseruat tamen hic D. Nauar. & bene, euenire posse, illum qui alias promisit, & nō adimpleuit, cum talibus circumstantijs posse accedere loci, temporis, & necessitatis, vt iuxta prudentiæ leges, etsi alias non restituerit, in eo tamen casu, & ea vice certa iudicandā sit restitutio statim post confessionem, vultque huic non esse negandam absolutionem. Recipitur ab omnibus recentioribus hæc doctrina, quia ita accederet, & de quo moraliter ista certitudo haberi posset, nec ipse esset in periculo, & occasione peccandi, nec creditori ex illa breui dilatione aliquod damnum sequeretur, tantum enim differretur pro tempore, quo confiteretur, & absoluitur.

Vltimò sequitur, posse plurimos condemnari non restituentes debita, existimantes non teneri ad illa soluenda, nisi adueniente iudicis condemnatione, cui errori apud multos plebeios occasionem dedit, quod videant multa debita solui, (quę in conscientia non debentur) propter iudicis condemnationem. Voco hoc errorem, cum illa existimatio non procedat ex ignorantia inculpabili, & inuincibili, sed ex crassa, & culpabili, quam tenebantur, & poterant vincere. Est doctrina hæc explicanda in concionibus, maximè apud agricolas, & rusticas, qui solent dicere, nil tibi debeo, si quid existimas a me tibi deberi, postula apud iudicem.

Hactenus quando, & quomodo fit restitutio statim facienda, nunc videamus.

CONTROVERSIA IV.

QVANDO LICEAT DIFferre restitutionem, & quibus de causis.

Causæ propter quas potest restitutio differri, sunt duplices, aliæ ex parte creditoris, quas non proponit hic Diu. Thom. sed superius variè attingit, aliæ verò ex parte debitoris, quas affert hic in solutione ad secundū, dicens debitorem, qui simpliciter, & omnino est impotens ad restituendum, simpliciter quoque esse absolutum, nec teneri ad restituendum, eum verò, qui est impotens ad tempus, non teneri eo tempore quo est impotens, sed quando erit potens, & redierit ad pinguiorem fortunam. Nos tamen omnes causas hic percurremus. Ex parte ergo creditoris sunt quatuor causæ.

Prima est libera ipsius condonatio, & remissio debiti, de qua D. Thom. supra articu. 6. ad tertium. Etenim si creditor liberè remittat, non tenetur debitor ad amplius, quia cum vnusquisque sit dominus suorum bonorum, per illam liberam remissionem transfert dominium debiti in debitorem, manetque ille tutus in conscientia. Ita Soto lib. 4. quæst. 7. art. 4. ad secundum. Medina Cod. de reb. rest. q. 3. & est communis.

Requiritur autem ad hanc remissionem, vt sit efficax, & valida, liberetque debitorem a debito restituendi.

Primò, vt non sit iure prohibita, vt si pupillus remittat, nil facit, quia lege prohibetur pupillus facere aliquos contractus, ac, vt vidimus q. 5. de dominio lex ciuilis potest ob bonum commune transferre dominia, prohibere quoque illorum translationem.

Quod sit in his tribus casibus donationem esse nullam, & similiter remissionem, quādo qui aliquid iniustè accepit, et retinet, vellet restituere suo domino, & dominus illi remitteret.

Primò, quando iudex aliquid accipit a partibus litigantibus, tenetur illud restituere, ita, vt si is, cui illa restitutio facienda est, vellet remittere, sit nulla talis remissio, quia iura illud prohibent in cap. Statutū §. Insuper, de rescriptis, in 6. manetque semper talis iudex cum debito restituendi illud.

Secundò, & similiter, quādo visitatores accipiunt aliquod munus, vel pecuniam, vt habetur in capitu. Exigit de censib. in 6.

Tertiò, & similiter, sibi Inquisitores hæreticæ prauitatis accipiant aliquod munus, vt habetur in clementina, Nolentes, de hæreticis, lib. quinto, clementinarum.

Exigitur secundo, vt talis remissio sit libera, scilicet non fraudulenta, vel violenta, quia fraus, & dolus, vis quoque & metus tollunt rationem liberi, & voluntarij. Sed quæres hic duo.

Primò, oportet ne petentem remissionem afferre pecuniam in præsentia creditoris, ut dicatur libera remissio?

Secundò dicetur, ne fraudulenta, si petens remissionem habeat animum nō restituendi, si non remittatur ei debitum?

CONCLVSIO PRIMA.

Quiuis debitor licitè potest a creditore suo petere per se, vel interpositam personam remissionem sui debiti.

Patet primò, quia per hoc contra nullum præceptū, aut diuinum, aut humanum agit, imò proponit illi creditori materiam virtutis, & pietatis.

Secundò, quando vnus potest dare, & alter petere, licet petere, quod licet recipere simpliciter, & absolutè, sed creditor, cū sit dominus suæ rei, potest dare, ergo, & creditori recipere, ac consequenter petere. Dico simpliciter, & absolutè, nam per accidens ex voto potest quis recipere, & non petere, vt religiosus, qui voueret nil petere, posset recipere, non tamē petere, coniux etiam, qui emisit simplex votum castitatis, potest reddere, non petere, sed hæc sunt per accidens ex voto, simpliciter tamen, & iure naturæ, qui potest recipere, potest, & petere.

CONCLVSIO II.

Non est necesse, ut remissio sit valida, afferre pecuniam in præsentia creditoris, imò si creditor sit diues, & debitor pauper, est optimum, & sanum consilium, vt illam non afferat, quamuis haberet.

Hæc est contra D. Ant. 2. p. tit. 2. Est tamē Caiet. art. 6. huius q. ad 3. & in Sum. Restit. c. 7. Adria. in 4. de resti. M. Soto li. 4. q. 7. art. 4. Doct. Nauar. c. 17. nu. 45. & 46. vbi refert pro hac opinione quandam Glossam, in Reg. Peccatum. Et probatur concl. Ad validam, & efficacem remissionem tantum exigitur, vt voluntas creditoris sit libera, & consentiens sine fraude, & vi, sed vt ita libera sit, & consentiens, parū facit, estq; impertinens, cōsenserit ne precib. proprijs, an alienis, ostensa pecunia, vel nō ostensa, ergo. Secundò, iuxta rectā rationem, & prudētiam, quando aliquid quod licitū est petitur, non sunt afferenda, quæ facilè obstabunt animo,

animo, & liberalitati datoris, præsentia pecuniæ solet allicere oculos, & impedire liberalitatem animi, obiecta enim præsentia, vt ait Aristo, magis mouens, ergo non est necesse, nec optimum afferre pecuniã,

CONCLVSIO III.

Quamuis debitor habeat animo non restituere, si tamen exterius nullam adhibet uim, aut metum, nullisque in suis precibus, & petitionibus utitur fallacijs, & fictionibus. sed verè explicat debitum, & pauperiẽ suam, & creditor concedit remissionem debiti, talis remissio est valida, & ille debitor manet tutus in conscientia.

PAret, quia interior intentio non restituendi, etsi sit iniqua, & peccatum, non reddit petitionem, in qua, quæ dicuntur exterius vera sunt, dolosam, & fraudulentam, ad veritatem enim contractus externi nil aliud exigitur, quam, vt vera sint, quæ exterius dicuntur, & agũtur. Ex hac doctrina sequitur, quod bene obseruat Nauar. loco cit. dominum, qui petit a sibi subditis remissionem alicuius debiti, etsi ipsi concedant, non esse securum, nisi experientia uideat illos solitos esse liberè explicare animum suum, quia si ob durum, & asperum domini ingenium prudenter credatur, subditos illos non audire liberè mentem suam aperire, quia solitus est iniquus ille dominus vexare ipsos, & tyrannicè eos tractare, quando non annuunt votis eius, tunc non est securus, nec habenda illa remissio libera, sed coacta, & timore tyrannidis domini extorta. Quæ doctrina plurimum obseruanda est a confessoribus magnatum, & facit plurimum ad disputationem de contractibus, de qua infra quæst. 77, & 78.

Secunda causa ex parte creditoris, ob quam potest differri solutio, est quando, si tunc res illi redderetur, esset in damnum ipsius, vel filiorum eius, vel tertij, vt si furioso redderetur gladius suus, Damnum inquam corporale, vel spirituale eo modo, quo diximus de depositario art. 5. nam si tantum sit damnum spirituale, quia vult creditor bona sua dilapidare, licet optimis medijs differre, & admonere illũ, ne sua bona prodigat, quod si nihilominus postulet, restituenda illi sunt, dominus enim eorum est, potestque de illis liberè disponere.

Tertia causa ex parte creditoris est, si sit absens, & multum distans, de qua etiam egimus art. quoto, vide ibi.

Quarta causa est, ex parte vtriusque tam creditoris, quam debitoris, quando creditor tantundem debet, aut in eodem genere rei, aut in alio, tũc enim non tenetur debitor restituere, cum tantundem debeat recipere, sed est recompensa mutua inter vtramque partem.

Ex parte debitoris assignat D. Tho. hanc solã causam, quando non est potens: occasione cuius videre oportet, quæ paupertas, & impotentia liberet hominem, aut absolutè, & semper, aut pro aliquo tempore a debito restituendi. An exigatur tanta, vt si restituat, incidat in extremam necessitatem, vel sufficiat ea, qua posita si restituat incidet in grauem, quæ quæst. solet a Doctoribus proponi his verbis.

CONTROVERSIA III.

TENEATVR NE QVIS RE- stituere cum detrimento, & iactura sui status, et facultatum.

ACquisiuit multa vir nobilis iniustè, non potest ea restituere, quin laboret manibus, vel seruiat alicui, tenebitur ne ad id, ut restituat? Similiter profectus quis ad Indos tantas sibi opes fecit, sed iniustè, vt ex plebeio ascenderit ad statum equitis, vel equite factus sit comes, aduertens se aliena habere, vult restituere, non tamen potest, quin reddeat ad priorem statum, & cadat ab illo, ad quem ascenderat, tenebiturne cum tali iactura restituere?

Tres sunt in hac parte Doctorũ opiniones. Prima est Adria. in 4. de rest. dub. 6. vbi asserit, neminem ita teneri ad restituendum omnia, vt veniat in extremã necessitatem, quia in ea omnia sunt communia, circa extremam verò teneri ad omnia restituenda, etiã si cadat à suo statu, & maneat in graui inopia, vnde vult nobilem teneri ad vendenda omnia sua, vt restituat, debereque proprio labore victum quærere, artifices teneri ad vendenda omnia etiam instrumẽta suæ artis, & seruire alicui, vel mendicare.

Probatur hæc opinio, Primo, ex uarijs textibus, nã cap. si quis de furtis habetur. [Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, &c.] Vnde est argumentum, quod non licet accipere, nec retinere, sed non licet ob necessitatem famis accipere alienum, quia si liceret non esset pœnitendum, ergo nec licet, retinere, sed est restituendum, & ad leuandam necessitatem laborandum, vel mendicandum, cap. cum tu, de vsuris obligatur vsuratius restituere omnia acquisita per vsuras, nec excusatur etiamsi in grauem deueniat inopiam, cap. Exijt, de verborum significatione in 6. habetur apertè, non licere retinere alienum, nec in extrema necessitate, cui vel liberali obligatione, idest, seruiendo, vel pia mendicatione, vel labore manum potest succurri; quibus in locis expresse videtur haberi, hæc doctrina Adriani,

Secundò, detinere alienum æquipollet furto, at non licet furari, nec accipere alienum pro graui necessitate, sed tantum in extrema, ergo nec licet detinere alienum, nisi quando illud restituens maneret in extrema, necessitate,

Tertiò, restitutio non ordinatur in bonum debitoris, sed creditoris, at si extra necessitatem extremã, quæ facit omnia communia, liceret debitori retinere aliena, & præceptum hoc restituendi tantum obligaret, quando debitor non patietur nisi leuem necessitatem, non autem grauem, esset hoc præceptum in utilitatem debitoris, non creditoris ergo.

Quartò, si in graui necessitate non obligaret restitutio, id certè esset, quia tunc dominus rei esset irrationabiliter inuitus, at quando necessitas grauis tantum est, cum maxima ratione est inuitus, ergo grauis necessitas non excusat a debito restituẽdi. Maior patet, quia tunc dicitur creditor irrationabiliter inuitus, quando vult sibi restitui, & debitor non tenetur. Minor verò probatur, dominus rei, etsi debitor existat in graui necessitate, habet ius ad petendum, & iudex ad condemnandum debitorem, vt restituat, ergo non est irrationabiliter inuitus.

Patet

Patet consequentia, quia qui vtitur iure suo, non agit contra rationem.

Secundò, sequeretur ex opposita sententia per grauem necessitatem acquiri dominium in res alienas patet, quia posset illas retinere ratione talis necessitatis, & illis vti pro libito in omnes vsus sibi vtiles, in quo consistit ratio dominij, per grauem autem necessitatem non acquirit dominiũ rei alienæ, sed per solam extremam, in qua redduntur omnia communia, certum est. Denique, ex opposita sententia datur maxima occasio viris improbis, & iniquis, vt per fas, & nefas ex alienis augeant suum statum expectantes, non esse deinde obligandos ad restituendũ, ne cadant ab illo statu.

Ita colligit Adrianus citra periculum extremæ necessitatis omnia esse necessariò restituenda, præterquam in duplici casu, in quibus potest debitor non omnia restituere.

Primò, quando artifex, qui pluribus creditoribus debet, vel multum vni, videt se non posse illis restituere, si quæcunq; domi habet tam suppellectilem, quàm instrumenta suæ artis, vendat, seruatis verò illis instrumentis, & laborando cum illis, paulatim posse se omnibus satisfacere.

Secundò, quando debitor si omnia bona sua tradat, non valet omnibus creditoribus suis satisfacere, reseruando autem aliqua ne mendicet, sed in suo statu permaneat, ita à consanguineis, vel amicis iuuabitur, vt possit omnia restituere: quia in his casibus consulit debitor iste vtilitati creditoris, agitque negocium ipsius, & creditor, qui alterque vellet, ageret irrationabiliter.

Eandem sententiam sequitur Medina, de reb. restitut. quæst. 3. & 5. cum hoc moderamine. Aut bona, inquit, quæ habet nobilis, & instrumenta, quæ habet artifex sunt ipsorum, à maioribus accepta, vel ab ipsis propria pecunia, vel industria comparata, aut accepit illa à creditore, creditore ipso illa conferente, vel pecuniam qua emerentur: Si creditoris sint, (inquit) illi omnino restituenda, vt docet Adrianus, quia nullo modo licet extra necessitatem extremam aliena accipere; vel retinere, quæ verò creditoris sunt, certum est aliena esse debitoti: quod si propria sint ipsius debitoris, & necessaria illi ad transigendem vitam, quia non valet alia commodiori via sibi victum quærere, non tenetur vendere instrumenta, sed potest illis vti, & laborare, ac paulatim colligere, vnde restituat, quia oppositum videtur in humanum, & iniquum iuxta dictamen rectæ rationis, iuxta quod præcepta moralia tam diuina, quàm humana accipienda sunt, cui dictamini creditores, qui non consentirent, iudicandi essent irrationales, & impij, de quibus conquæritur dominus Esai. 54. [Omnes debitores vestros repetitis,] Omnes inquit, non solum eos, qui persoluere possunt, verum, & eos qui proprio labore, & arte suam pauperiem transigunt.

Secunda opinio est D. Nauar. cap. 17. num. 56. 57. & 58. vbi vult debitorem non teneri ad restituẽdum cum iactura sui status, & deueniendo in grauem necessitatem, quacumque ratione obtinuerit illum statum, & bona, siue iustè, siue iniustè.

Probatur hæc opinio varijs textibus iuris ciuilis. In primis l. in condemnatione, ff. de regulis iuris habetur: [In condẽnatione habendam esse rationem personarum, ne egeant,] Id est, ne grauiter egeant. Institut. de actionibus, §. vltim. vbi agitur de his, qui cedunt bonis suis ob debita dicitur. [In humanum est, vt quis expolietur omnibus bonis suis, & condemnetur in solidum,] q. d. nemmem esse omnibus bonis suis expoliandum, vt restituat debita. Idem habetur l. 4. & 6. ff. de cessione bonorum. Et in Castella. Part. 5. tit. 4. leg. 4. dicitur. [Vt si quis alicui rem suam donauit per scripturam, non debeat implere donationem, si ea facta non maneat donanti, vnde commodè possit transigere vitam.] Vnde argumentor. Non minus tenetur donator adimplere donationem, quàm debitor restituere, sed donator non tenetur, quando per donationem expoliatur necessarijs ad vitam, ergo neque debitor tenebitur restituere, quando similiter expoliatur.

Secundò, solent Reges nobilibus, quorum omnia bona sunt obnoxia restitutioni, ne teneantur seruire, aut mendicare, & cadere à suo statu, concedere facultatem, vt seruatis sibi necessarijs paulatim restituant suis creditoribus, quod non possent concedere, si in conscientia teneretur debitor restituere, & cum iactura sui status.

Tertiò, vt habetur in l. Miles, ff. de re iudicata, Milites non tenentur restituere in integrum, sed paulatim, & cõmodè, ne debeant grauiter ægere & mendicare, vnde nec compelli possunt, vt cedant omnibus bonis suis.

Quartò, nemo tenetur restituere cum notabili detrimento sui honoris, & famæ, quia cum honor, & fama adeò præstent diuitijs, in tali restitutione non seruaretur æqualitas, sed nemo potest restituere cũ iactura sui status, quin simul patiatur detrimentum in suo honore, & fama, ergo.

Quintò, sicut se habent extrema ad extrema, ita medium ad medium: in extrema necessitate non tenetur aliquis restituere alienum, siue iustè, siue iniustè acquisitum, in læui tenetur restituere omnia aliena etiam iustè acquisita, ergo in graui tenebitur restituere paulatim, & sine iactura status aliena, quæ habet, siue iustè, siue iniustè acquisita sint.

Denique quamuis iniustè acquisita, & iustè parta differant plurimum in modo habendi, & quo ad radicem, & vinculum restitutionis, quia priora illa sine peccato acquisita sunt, & solum debentur ratione rei acceptæ, posteriora verò cum peccato comparata sunt, & debentur iam ratione rei acceptę, quam ratione iniquę acceptionis: attamen quo ad effectũ, & tempus restitutionis eodem modo sese habent, cũ omnia ista sint obnoxia restitutioni, sed aliena iustè accepta non tenetur debitor restituere, modò periclitetur cadere in grauem necessitatem, ergo similiter si aliena, quę habet iniustè accepit. Vnde ea tantum restituet, quæ sine periculo grauis necessitatis potest reddere creditoribus, incipiendo ab iniustè acquisitis, quia hæc sunt magis obnoxia, & pluribus nominibus.

Hanc doctrinam putat D. Nauar. esse D. Antonin. 2. par. tit. 2. cap. 8. imò & communem scholasticorum Scoti in 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 4. Sylu. in verb. Restit. cap. 5. §. 3. & 4. vbi citat Sylust. alios Iuristas. Sed si Auctores isti diligenter inspiciantur, docent, quidem D. Anton. Scotus, & Syluest. non teneri debitorem ad restituendum cum iactura sui status, nõ tamen ita, vt non teneatur siue iustè, siue iniustè statum illum acquisierint, vt vult D. Naua. imò communiter Thomistæ cum DD. isti in genere loquuti sint, volunt eos tantum loqui de debitoribus, qui positi in statu, quem iustè obtinuerunt, contraxetunt deinde illa debita, quia cum DD. isti doceant nemini licere acquirere statum cum damno, & iniuria alterius, debent simul sentire, neque licere conseruare illum cum iniuria alterius: quo fit, vt cum dicunt, non esse faciendam restitutionem cum iactura status intelligendi sint de statu iustè acquisito.

Vnde est tertia opinio media inter Adrianum, & Nauarrum, quæ constituit bifariam posse acquiri statum

tum in quo quis existit, aut iustè, vel proprio labore, & industria, aut iniustè, vt qui per furtum, aut contractus illicitos illum sibi comparauit, quomodo credunt multi qui ex Indis ad nos accedunt, vel ibi manent, comparasse sibi statum. Rursum qui in statu aliquo constitutus nequit sine iactura illius restituere: aut redditus est ita impotens casu, & infortunijs, aut culpa sua, suis vitiis, & prodigalitate. Hoc posito vult hęc tertia opinio debitorem qui iustè acquisiuit statum in quo est, effectusque est impotens ad restituendum sine illius iactura sine culpa sua, sed infortuniis, vel infirmitatibus, non teneri ad restituendum, cum iactura sui status, sed paulatim, ac vt commodius poterit, illum verò qui iniquè acquisiuit statum, & quæ habet, vel suis vitiis, & prodigalitate reddidit se impotentem ad restituendum, teneri, & cum iactura sui status, & veniēdo in grauem necessitatem. Hæc est Caiet. hic, & apertius in Sum. Restitutio. capit. 7. Soto lib. 4. de Iustit. quæst. 7. artic. 4. ad 2. quamuis breuissimè, imò D. Anton. Scoti, Syluest. in locis citatis, & communis modo omnium discipulorum D. Thom. Prior pars probatur argumentis pro opinione Nauarri positis, posterior verò, quia nemo debet habere: vel existere in statu honorifico, vel alieno cum damno tertij.

In quæst. adeò graui, & difficili, obseruemus primò, distinguendum esse necessario statum, vt auctores tertiæ opinionis distinguunt, iniustè, vel iniustè acquisitum, quia prior reuera est illius qui habet illum, eodem titulo quo eum acquisiuit posterior verò nec est vnquam fuit habentis illum, quid iniustè acquisita numquam transeunt in dominium acquirentis, nisi per legem præscriptionis supposita bona fide, quæ lex hic non habet locum, quia si bona fide, acquisitus est, & percurrit totum tempus præscriptionis, iam est status iustè acquisitus, & pertinens ad primum membrum. Rursum status iustè acquisitus potest tribus modis conseruari, aut bonis alienis, vt qui habet iure hæreditario titulum comitatus, bona autem quibus conseruat statum illum sunt aliena, & ipse nouit: aut secundò, bonis alienis bona fide existimatis proprijs, nascuntur autem deinde esse aliena, vt filius adulteræ, qui succedit in statu patris putatiui, & in bonis eius, quia creditus legitimus, deinde autem certò nouit se esse illegitimum: aut conseruat statum tertio modo, partim bonis proprijs, & iustè acquisitis, partim iniustè acquisitis, & verè alienis, vt multi diuites.

Obseruemus secundò, euenire posse, vt creditor, nisi illi restituantur sua, patiatur æqualem, necessitatem, aut ferè æqualem, quam patietur debitor restituendo, aliquando verò non patietur æqualem, sed multò leuiorem.

Obseruemus tertiò, regulam illam Caiet. res inferioris ordinis non esse restituendas cum detrimento rerum superioris ordinis, licèt non semper sit vera, vt supra vidimus artic. 2. esse tamen veram quotiescumque talis restitutio contineret inæqualitatem alicuius ponderis, ita vt debitoris damnum præponderaret damno, quod vult reficere creditori, quam restitutio est actus iustitiæ reducens res ad æqualitatem.

His positis, statuamus prius quæ apud omnes certa sunt.

Primum ergo certum est, neminem teneri ad restituendum cum detrimento suæ famæ, nisi bona restituenda multo præponderent famæ ipsius, vt constat ex art. 2. Famæ vero hic memini, non honoris, quia honoris defectus non reddit hominem infamem, nec tanti faciēdus est, nec potest homo cadere è suo statu, quin cadat ab honore, & reuerentia, quæ ipsi ratione talis status exhibeatur, quo circa etsi non debeat fieri restitutio cum iactura famæ, sicut art. 2. explicatum est, quādo verò tenebitur debitor restituere cum iactura sui status, tenebitur, & cum detrimēto sui honoris.

Secundò certum etiam est, debitore, & creditore simul in extrema necessitate existentibus, non teneri debitorem ad restituendum, quia durante illa necessitate omnia sunt communia, & æqualis iuris, debetque esse potior, & melior conditio possidentis, vt vidimus, artic. 5.

Similiter certum est vtroque æqualiter existente in re graui necessitate, vel quasi æquali teneri debitorem cum iactura sui status, ac veniēdo in grauem necessitatem ad restituendum, quia extra extremam necessitatem res non sunt cōmunes, sed retinet creditor dominiū, & ius in sua, & cum debitor tantum habeat (si quod habet) ius necessitatis, creditor autem, & ius dominij, & eius æqualis, vel ferè æqualis necessitatis, melior est, & potior conditio creditoris, debetque illi debitor restituere, repugnat enim rectæ rationi, & æquitati, vt existente æquali necessitate, & detrimento vtriusq; conseruet debitor suum statum alienis bonis, is verò qui verus dominus est, & cui verè debentur; cadat à suo statu.

Vnde præsens quæstio est, an quando debitor incidet in grauem necessitatem, cadetque à suo statu restituendo, creditor verò non patitur similem necessitatem, sed si quam patiatur, erit leuis, teneatur debitor cum tali detrimento restituere.

Vbi distinguere maximè oportet hæc duo, cadere a statu, vel attentare, & minuere statum citra notam paupertatis: nam prius illud dicit omnimodam mutationem, & iacturam status, quo modo caderet a statu comes qui relicto comitatu seruiret alicui duci, vt seruiunt aliqui nobiles inferioris ordinis cadere similiter a statu nobilis, qui laboraret proprijs manibus, vel seruiret alteri nobili, vt seruiunt plebeij, caderet a statu artifex, qui omni suppellectile sua, & instrumentis arti suæ venditis, alteri sibi æquali seruiret, aut mendicaret. Minuere autem, & attentare statum citra notam paupertatis non est cadere a statu, sed manente eodem statu sumere sibi, & suis sola necessaria ad victum, & vestitum frugaliter, & parce, quomodo comes, & vir nobilis minuit statum, retinendo tantum familiam, & suppellectilem omnino necessariam, faciendoque sumptus per eos quantum status eius patitur, in victu, vestitu, & collocandis filijs: artifex minuit statum similiter comedendo parce, & vestitu sufficienti vtendo, omniaque diuendendo præter suppellectilem omnino necessariam, & instrumenta suæ artis.

CONCLVSIO PRIMA.

Debitor qui iustè acquisiuit statum, siue illum iustè conseruet, siue iustè, siue bonis proprijs, siue alienis, siue contraxerit debita per infortunia, siue sua prodigalitate, non tenetur restituere cum iactura sui status, & mutando illum, tenetur tamen citra notam paupertatis minuere, & attenuare illum, & paulatim, quantum commodè poterit, restituere.

HÆc est cōmmunis omnium Doctorum, quos citauit Nauarr. pro sua opinione, & communis etiam inter discipulos D. Thom. Prior pars probatur a Scoto, qua dominus qui vellet sua sibi restitui a debitore, cum tali iactura, & cadendo a statu iustè acquisito, esset irrationabiliter inuitus, retinere autem aliena domino

domino irrationabiliter inuito non est peccatum, nec contra præceptū restituendi, ergo. Sed hæc ratio non placet Cai. videtur enim petere principiū, & sumere tanquam certum, dominum in isto casu esse irrationabiliter inuitū, quod probandum est, cū iuxta auctores primæ opinionis non sit irrationabiliter inuitus, vt apparet ex 4. argu. illius opinionis, quia posset creditor extra extremā necessitatē debitoris rem suam exigere in iudicio, & iudex iustè præcipere illam ipsi restitui.

Et confirmatur. Talis creditor extra extremam necessitatē non tenetur donare sua illi debitori, ergo neq; tenetur consentire, vt detineat illa, vnde non est irrationabiliter inuitus. Ideo Cai. probat hanc partem argumento ex doctrina D. Tho. hic ad secundū hac ratione: Non tenetur ad restituendū debitor qui prudentes iudicatur impotēs, sed qui iustè acquisiuit statū, nec potest restituere, nisi cadendo ab illo, prudēter iudicatur impotens, ergo non tenetur restituere, cū tanta iactura. Maior est certa, & axioma in hac materia. Probaī minor: quia in moralibus non solū vocatur impossibile, quod simpliciter, & omnino est impossibile, verū etiā quod est maximè difficile, & videtur abhorrere recta ratio, & lex humanitatis, quomodo dicitur Hieron. 13. [Si potest æthiops mutare pellem suam, aut leopardus varietates suas, ita potestis vos benefacere, cum didiceritis mala facere.] Vbi conuersionem illorum, qui malis assueti sunt, vocat impossibilem, id est, maximè difficilem, Similiter in Euangelio. [Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum.] Id est maximè difficilè, & Matth. 5. [Quod si sal euanuerit, in quo salietur?] Vocat impossibile prælatos, qui timorem Dei abiecerunt, emendari ab alijs, id est, maximè difficilè, in eodem sensu vocat Aristot. & in Metaph. & 2. de animo impossibilia, quę sunt maximè difficilia, & in iure frequenter idem reperitur maximè l. nepos, ff. de verborum significatione, & ca. Faciat 22. quæst. 2. sed comitem relinquere comitatum quem iustè acquisiuit, nobiles laborare manibus, aut seruire, honestum artificem mendicare, vt restituant, est maximè difficilè, & alienum à recta ratione, & debita humanitate, essetque durus, & iniquus creditor, qui, enim non egeat nisi leuiter, cum tanto detrimo; & iactura proximi sui vellet sua sibi restitui.

Et confirmatur, quia talis casus non potest esse moraliter loquendo sine iactura quoque honoris, & famæ sui, & suorum, cum qua nemo tenetur ad restituendum, vnde non voluntariè, sed quasi necessitate compulsus retinet tunc iste debitor aliena, necessitate in quam conseruandi honorem sui status, ad quod iure quodam naturalis ciuitatis tenetur, habetque se sicut, qui restituere non potest, habens animum, & propositum restituendi, quam primum commodè poterit, quod diximus sufficere, quando debitor aliter non potest.

Secunda pars conclus. patet, quia ad colligenda, quæ poterit, vt paulatim restituat minuendo, & attenuando statum, non est impotens. Quid enim facilius, quam reiectis superfluis, & quæ tantum erant ad abundantiam, & pompam, sumere sibi necessaria? Facerent quidem hoc, si sua prodigalitate, aut aliquo infortunio compellerentur, multò ergo potius id debent, vt restituant aliena, & suæ conscientiæ consulant.

Ex hac doctrina sequitur, non teneri Comitem ad vendendum comitatum, vt restituat, nec nobilem ad seruiendum, aut laborādum, nec artificem ad vendendam supellectilem necessariam, & instrumenta suæ artis, & mendicandum, sed ad parcè tantum, & moderatè sumenda sibi necessaria, & paulatim, quam commodius, & diligentius poterunt restituendum, & hoc probant omnes illi textus legum ciuilium, & rationes quas affert D. Nauar, 1. argumento 2. 3. & 4. omnia enim illa docēt, neminem teneri ad restituendum, cum iactura sui status, sed debere restituere, quam commodè poterit, seruando sibi, quæ pro ratione sui status sunt ipsi simpliciter, & omnino necessaria.

Ex eadem doctrina sequitur, non teneri hominem, vt restituat, vendere res suas vili pretio, & cū graui detrimento suo, quod maximè obseruandū est propter creditores, qui extrahunt bona debitorum, vilique vendi faciunt, quod non licet, sed spectat ad iudices curare, vt illa commodè vēdantur. Sequitur etiam, filium adulteræ, qui bona fide, & sine culpa sua constitutus est in statu nobili, & honorifico, quamuis deinde ita certò illi constaret se esse spurium, vt teneretur credere, nihilominus non teneri ad restituenda bona suo legitimo, cum iactura sui status, cum bona fide, & sine iustè illū acquisierit, sed teneri tantum ad minuendum, & attenuandum citra notam paupertatis, imò, si quæ restitutio est prudenter, & moraliter iudicanda impossibilis, sit hæc, vt nobilis bona fide constitutus in statu honorifico, tanquam verè legitimus, deinde, vt spurius ab illo cadat. Similiter, qui bona fide comparauit multam pecuniam ad aliquem statum, propter quam bonam fidem illum iustè acquisiuit, si deinde intelligat, illam pecuniam esse alienam, vel oriatur aliquod graue debitum annexum illi statui, quæ non potest restituere, nisi cadendo ab illo, non tenetur, cum tali iactura restitnere, sed solum minuere, attenuare statum, sicut dictum est.

CONCLVSIO II.

Qui statum iniustè acquisiuit, tenetur statim restituere, & cadendo ab illo, etiam si creditor non patiatur similem necessitatem. Non tamen tenetur venire in extremam, sed potest seruare sibi, & suis quæ simpliciter, & omnino videt necessaria, ut parcè uiuat, secundum illum pristinum, & præcedentem statum, quem antea habebat.

HÆc etiam est communis inter Doctores illos, quos pro se citat Nauar. & communis inter discipulos. D. Tho. solus enim Nauarr. vult ab statu iniustè acquisito neminem debere cadere. Sed probatur prima pars huius secundæ conclusio.

Primò, ille status est iniustè acquisitus, & omnino alienus, ergo non potest tuta conscientia retinere, sicut pecunia aliena iniustè accepta.

Secundò, qui iustè acquisiuit statum non tenetur cadere ab illo, quia est verè suus talis status, & honor quem ex illo habet, at status iniustè acquisitus nunquam, fuit habentis illum, honorem quoque quem ratione talis status habebat, iniustè possidebat, ergo non potest retinere talem statum, sed tenetur statim amittere, & restituere. Ita fit, vt pauper, qui per eleemosynas falsò, & fictè acquisitas aliquem statum acquisiuit, vel auxit, teneatur cadendo ab illo statu restituere eleemosynas illas fictè acquisitas non dominis, qui illas dederunt, cum iam transtulerint illarum dominium in pauperes,

sed

multa distincta, si quæcunque dilatio esset nouum peccatum.

In hac quæstione obseruemus, hoc, quod est statim esse restituenpum, trib. modis accipi posse, vel statim, vt exeat à peccato, vel statim, ne augeatur peccatum, vel statim, ne committatur nouum peccatum: non est hic quæstio in primo sensu, certum .n. est non exire hominem à peccato, nisi restituat iuxta illud D. Aug. Non dimittitur peccatum &c. in quo sensu, iuxta aliquos habet hic D. Tho. præceptum restituendi obligare statim, id est vt à peccato exeat homo, quamuis reuera ipse D. Tho. aliter doceat, ait enim nec per breue tempus licere detinere alienum, vbi non tātum exigit restitutionem, homo exeat à peccato, verum etiam vult illam fieri, quam primum homo potest, & adest opportunitas, vt seruet præceptum restituendi. Vnde quæstio est in secundo, & tertio sensu, augeatur ne peccatum, vel committatur nouū, si differatur restitutio?

Obseruemus secundò, cum præceptum restituendi sit formaliter affirmatiuum, includens autem intrinsecè, & radicaliter negationem non detinendi alienū, ad eius adimpletionem requiri duo, Primò, propositum in voluntate non retinendi alienum, & secundò externam exequutionem, qua illud restituatur suo domino quæ cum diuersa sint, & in eis consistat obseruatio huius præcepti, explicando qua ratione vnum quodque horum seruandum sit intellectum manebit, ad quid obliget hoc præceptum, & quando augeatur peccatum contra illud, quādo verò de nouo committatur, quod subiectis varijs conclusionibus commodè fiet.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui habet alienum, vt exeat à peccato, tenetur ad duo, primum statim atque nouit se habere alienum, habere simul firmum, & deliberatum animum restituendi illud, quam primum commodè poterit. Et secundo actu, & opere illud restituere habita opportunitate.

HÆc conclusio patet apertissimè ex illa celebr. regula D. Aug. 54. ad Macedonium: [Non dimittitur peccatū, nisi restituatur ablatū.] Restituitur autem vel actu, & opere, quando actu redditur alienum, vel corde, & animo, quando firmiter id proponitur. Et confirmatur, quamdiu homo est in proposito furādi, est in peccato mortali, sed quamdiu homo corde, & opere retinet alienum, est velut in proposito furandi, ergo.

Secundò, Qui est iniurius, & nocet fratri, non potest exire à peccato, quin cesset ab illa iniuria, & dāno detinere alienū inuito domino est illi damnum, & iniuria, à qua cessari non potest, nisi habendo animum restituendi, quamdiu non est opportunitas, & restituendo, quando illa se offert, ergo, vt exeat à peccato, tenetur ad ista.

Tertiò, sicut facere iniustitiam, & inæqualitatem cum proximo in re graui est peccatum mortale, ita non potest quis exire à peccato, quin inæqualitatem, & iniustitiam illi factam reducat per actum iustitiæ ad æqualitatem, hoc autem fit per restitutionem, ergo non potest quis exire à peccato, quin proponat animo restituere, cum poterit, & cum primum poterit, illud opere exequatur.

Ex hac cōclusione sequitur apertè, illum, qui habet animum non restituendi, non esse vllo modo absoluendum, cum sit voluntariè in statu damnationis, & in peccato mortali habituali. Patet, qui habet animum furandi, vel fornicandi, nisi illum omnino mutet, est in statu peccati mortalis, & damnationis, & omnino indignus absolutione, ac ab ea repellendus, sed animo furandi æqui pollet animus detinendi alienum, & non restituendi inuito domino, ergo.

In hac conclu. hæc temporis circumstantia, vt fiat statim, aliter intelligenda est, cum dicimus habentem alienum teneri ad statim proponendum illud restituere, & aliter cum dicimus teneri ad statim restituendum habita opportunitate, vt exeat à peccato, nam respectu interni propositi voluntatis tenetur ad habendū illum statim, & in ipso momento quo aduertit se habere alienum, mathematicè sumpto, ita vt quamdiu id non proponit firmiter, sit in statu peccati mortalis habituali, quia quamdiu id non proponit, virtualiter, & habitualiter consentit in iniquam detentionem rei alienæ, & in damnum ac iniuriam, quæ per illam detentionem domino rei inferuntur, respectu autem externæ, & actualis restitutionis operæ, & in effectu faciendæ non est accipiendum illud statim, mathematicè, vt in illo puncto temporis, & momento indiuisibili, quo aduertit, se habere alienum, facultatemque ad restituendum, teneatur adire creditorem, & actu restituere, sed accipiendum est illud statim, moraliter, & ciuiliter, sic enim dictat recta ratio, iuxta quam omnia præcepta moralia tàm diuina, quàm humana intelligenda sunt. Verbi gratia, si tibi recumbenti in mensa, aut lecto, aut audienti missam veniat in mente te habere aliquid alienum, vt exeas à statu peccati, in quo manes propter iniquam rei detentionem, teneris in illo puncto firmiter proponere illud restituere, non tamen teneris etiam si habebas vnde tunc restituas, surgere illo ipso momento à lecto, vel mensa, aut dimittere missam, vt statim restituas, sed sat est id facias deinde hora commoda iuxta leges prudentiæ. Vnde nomine opportunitatis duo intelliguntur, & facultates, ac bona ad restituēdum, & tempus commodum. Quo fit, vt qui quam primum aduertit se habere alienum, statuit restituere, etsi intercedat vsque ad exequutionem illius propositi aliqua mora temporis, moraliter loquendo non sit dicēdus esse in mora, cum tempore commodo restituat.

CONCLVSIO II.

Qui differt restitutionem, cum possit restituere, adminus auget, & aggrauat peccatum suum.

PRimò, quia peccatum, quo diuturnius est, grauius, & peius est.

Secundò, quia cum detinere alienum inuito domino sit illi damnū, & iniuria, quo magis differtur restitutio, magis hæc augentur, & vnà cum eis culpa, ac delictū inferēns illa. Vnde illa regula Theologorum. Peccatū cōtinuatum licèt semper sit vnū, & nō differat à se ipso in specie, & in genere naturę, nisi noua se offerat circa illud malitia, eo autem ipso quo continuatur, differt à se ipso in genere moris, quia est grauius, & peius. Ita sit, vt sicut in peccato furti non sufficit confiteri furtum, sed explicāda ēt est quantitas furti, quia cū confessarius sit iudex, & medicus, quamuis quantitas furti non mutat speciem, reddit tamen grauius illud delictum, debetque confessarius iuxta illios grauitatem, qua medicus est, applicare pęnitētiā, consilium dare, & medicinam spirituale adhibere, ita quoque, qui distulit restitutionē, non sat est dicat, se habuisse alienū, sed dēt ēt explicare, cū potuerit restituere, quanto ipse illud distulerit, vel habuerit animum non restituendi, cum hæc dilatio reddat peccatum grauius.

Vbi obseruandū est cū Soto, quod certè dictat recta ratio, breuem morā per tres horas, vel tres dies, & breue tempus non esse dilationem, quā dicimus esse in confessione explicandam, nisi iam illa hora, vel die creditor laboraret necessitate, quam nosset debitor,

debitor, aut creditor peteret rem suam a debitore, quia tunc etsi breui mora detineretur supposita opportunitate explicata, nõ solum esset grauius peccatum, verum etiam nouũ, vt statim dicemus. Extra istos autem casus breue tempus non iudicatur mora, quæ reddat peccatum grauius, aut consitenda, sed illa dilatio quæ prudenter iudicabitur mora, & dilatio culpabilis. Quæri hic solet, (Quis grauius peccet, qui per vnum (dicamus) annum detinet 100. iniquè, aut qui illo anno uariis vicibus furatur. 100?

Palud. in 4. dist. 15. q. 2. iudicat, illum priorẽ grauius peccare, quia ille continuat peccatum, & semper est in peccato, qui verò multis vicibus peccat, interrumpit illud & per aliquod spatium dimittit. Soto vult oppositum, quia prior ille non committit nisi vnicum peccatum in specie, etsi sua continuatione reddat illud grauius posterior verò committit tot peccata distincta, quot vicibus furatur. Distinguendum tamen hic est: nam aut ille, qui furatur multis vicibus, tam exiguam quantitatem singulis vicibus furatur, vt ob defectum, & exiguitatem materiæ nulla illarum per se sumpta sit peccatum mortale, aut tales quantitates accipit, vt quævis, aut plerique illarum sint peccatum, mortale, si prius, vera est doctrina Palud. si posterius, doctrina Soti.

CONCLVSIO III.

In dilatione restitutionis, & per illud tempus quo differtur tunc, & toties committitur nouum peccatum contra præceptum restituendi, quando & quoties fiet nouus consensus, nouaque commissio contra illud negatiuũ, non detinendi alienum inuito domino.

HÆc cõcl. est communis inter omnes discipulos D. Tho. Et Probatur: Præceptum restitutionis (vt constat) obligat statim, & pro sẽper ratione illius negatiui quod intrinsecè in se continet, sed præceptũ negatiuum violatur per quamcumq; nouam cõmissionem contra illud factam, ergo quotiescumque aliquis fecerit aliquam nouam commissionem contra istud negatiuum non detinendi, peccabit de nouo contra illud restituendi. Ita colliguntur hi casus, in quibus committitur nouum peccatum contra præceptum restituendi.

Primum est, quando quis habet nouũ, & actuale propositum non restituendi, non dico primũ, sed nouũ, vt qui proposuit non restituere heri, & deinde oblitus est, nec amplius de eo cogitauit, si hodie rursum veniat illi in mẽtem se habere alienum, & rursum proponat non restituere illud, hoc secundũ propositum est distinctum peccatum ab illo priori: quia est nouum, & actuale propositum non restituendi, noua cõtrectatio rei alienæ inuito domino, non vsq; consensus, & noua commissio cordis contra illud præceptũ non detinendi alienũ, & vt constat quævis noua cõmissio contra præceptũ negatiuũ non detinendi est nouum peccatũ contra præceptum restituẽdi. Quo fit, eum qui tale proposi tum habuit, teneri ad explicãdum meliori modo quo poterit, numerum, & vices qoibus ita proposuit, cũ sint singula proposita ista noua, & distincta peccata, requiratur autem ad integritatem confessionis, vt explicet numerum peccatorum.

Secundus casus est, quando aduertit quis se habere alienum, & non proponit firmiter illud restituere, quia, qui actu aduertit, se habere alienu. tenetur sub pœna noui peccati firmiter proponere illud restituere habita opportunitate, in moralibus enim non dissentire damno fratris, ad quod cõcurris, est consentire. Dixi quãdo concurris, qui enim non concurrit, potest se habere indifferẽter, qui verò concurrit, necessario aut debet dissentire reuocando, illud, aut consentire efficiendo, vel producendo illud, detinere alienum inuito domino est damnum, ad quod conuertit qui illud habet, ergo qui aduertit se illud alienum habere, & non dissentit reuocando animum, & proponendo firmiter restituere, consentit de nouo, nouus autem cõsensus est noua commissio contra illud negatiuum, Non detinendi, ergo est nouum peccatum. Secũdò, qui aduertit se habere alienum, nec habet animũ restituendi, eo ipso habet animum detinẽdi, mutaliter enim inter hęc non est dare medium in habente alienum. Vnde experientia teste solemus dicere, nõ vis restituere, ergo vis detinere: nouus autem animus detinendi est nouum peccatum, ergo qui ita aduertit, & non habet actu animum restituendi, committit nouum peccatum. Dixi, quando aduertit, vel tenetur aduertere. Primum, quia non quolibet momento cogitat homo de hac re, vt quando durmit, quando aliis negotijs occupatur, tunc nec omittit quod debet contra affirmatiuum præceptum restituendi, neque agit contra negatiuũ non detinendi, & ita non semper peccat nouo isto peccato, sed quãdo animaduertit se habere alienum, vel tenetur animaduertere, vt quando vult confiteri, quando vult condere testamentum, quando vult aliquas maximas expẽsas facere, quibus bona illius consumentur, & forsan omnia, quando vult inter filios hæreditatem diuidere, in his, & similibus casibus tenentur animaduertere, an habeat alienum, ne forsan expendat illud, aut disponat de illo, ut suo, In his casibus, quia tenetur aduertere, & consequenter aut actu restituere, si potest, aut firmiter proponere, quandu poterit, si non animaduertat, peccat de nouo contra præceptum restituẽdi, alias non peccat de nouo, etsi non proponat, eo quod non animaduertat, quia semper, & continuo animaduertere ad quæ tenemur, angelicum est, & plusquam humanum.

Sed quæret hic aliquis circa dicta de isto proposito, quod docemus habendum esse sub pœna noui peccati, ab eo, qui animaduertit se habere alienũ.

CONTROVERSIA IV.

Sufficiet in isto casu suspendere animum, ita ut is cui uenit in mentem se habere alienum, sit indifferens; & suspendat actum mentis, liceatque illi nec habere propositum restituendi, nec non restituendi?

Ratio dubitandi est, quia videtur certè durũ, & onerosum nimis, vt quotiescũq; alicui id in mentẽ venit, teneatur actu, & reipsa habere tale propositũ. Non desunt qui dicant, Metaphysicè loquendo satis esse suspendere actum, quia suspendendo, & nullũ producendo, licèt nõ dissentiat iniquè dissentioni, non tamen consentit illi, idq; sufficère, vt nõ peccet de nouo, cum nouum peccatum non sit sine nouo consensu. Moraliter autẽ loquendo (dicunt) id non sufficere, quia cũ aduertat se detinere alienũ, uolens suspẽdere actũ, & non deliberãs, nec statuens restituere, eo ipso cẽsetur uirtualiter se nolle restituere. Sed hæc doctrina peritis displicet, & merito: nã actũ adeo moralẽ, qualis est restituẽdi, velle distinguere in Metaphysicè, vel Moraliter sũptũ

maximè in præsenti disputatione adeo ad mores pertinente, & tam aliena a considerationibus Metaphysicis, & in qua actiones humanæ tantum sumūtur, vt bonæ, vel malæ sunt, iustè vel iniustè est nimia Metaph. Imo negari non potest, cum moraliter loquendo, sicut isti dicunt, qui aduertit se detinere alienum, & non proponit illud restituere, consentiat in iniquam detentionem, simpliciter, & absolutè, cum moraliter, & non aliter hic loquamur) non licerè & suspendere actum, sed iudicandum esse illum, qui id aduertit, & non proponit actu, ac reuera restituere, eo ipso consentire iniquè detentiori, vel saltem se exponere periculo probabili frangendi præceptum restituendi.

Vnde recentiores Thomistæ sic distinguunt, & bene. Qui aduertit se detinere alienum, aut a principio quam primum id aduertit animum restituendi oblata opportunitate, vel non: Rursum, si habuit tale propositum, aut illo medio tempore donec se offerret opportunitas, interrumpit illud propositum, & mutauit animum, aut non: si à principio habuit firmum animum restituendi habita opportunitate, nec illum medio illo tempore interrupit, aut mutauit, quando rursum medio illo tempore aduertit se habere alienū, potest tunc suspendere actum, nil tunc actu proponendo, sed transferendo in aliam cogitationem mentem suam, quia primum illud propositum habitum a principio nō interruptum, nec mutatum manet virtualiter, & per illud implet præceptum restituendi, donec adueniat opportunitas, sicut celebrans, qui habuit a principio propositum consecrandi, etsi deinde suspendat actum, modo non interrumpat, nec mutet animum, consecrat, quia semper manet virtute illa prima intentio, quamdiu non interrumpitur, nec mutatur. Quod si a principio non habuit propositum restituendi, vel si habuit, interrupit deinde illud, & mutauit, si postea illo medio tempore aduertit se habere alienum, non sufficit suspendere actum, sed tenetur firmiter proponere restituere, tum vt exeat a peccato, tum ne committat nouū, quod committet contra. præceptum restituendi, si aduertens se habere alienum, nō habeat hoc propositum.

Tertius casus est, quando quis habita opportunitate restituendi, & aduertens se habere alienū, aut debens illud aduertere, non restituit actu, & in effectu, Patet tunc peccare de nouo.

Primò, quia si habita opportunitate liceret differre, posset semper, & in æternum differre.

Secundò. qui habet animum non restituendi, cū aduertit, se habere alienum, vel debet aduertere, committit nouum peccatum, quia habet nouū consensum in iniquam detentionem alieni, sed qui aduertit se habere alienum, vel debens aduertere, cum possit actu restituere, nō restituit, habet profectò animum non restituendi, ergo peccat de nouo. Maior certa est, Minor probatur: quia sicut in moralibus est necessaria illatio, potuit, & voluit, ergo, & fecit, sic etiam ab opposito consequentis est necessaria illatio ad oppositum antecedentis, non fecit. ergo aut non potuit, aut non voluit, sed in casu nostro non potest dici, non potuit, cum supponamus illū habere opportunitatē, ergo non voluit,

Tertiò, si dominus rei postulet rem suam, & habens illam non restituat, cum possit, peccat nouo peccato, quia nouam illi infert iniuriam, & nouo actu consentit in iniquam detentionem, sed dominus qui non consentit in dilationem restitutionis, virtualiter vult rem suam sibi restitui, & virtualiter illam petit, & dissentit, ne ab alio habeatur, ergo qui habita opportunitate non restituit actū, nouum committit peccatum.

Quartò, voluntas sciens, & volens detinendi alienum inuito domino, est contra iustitiam, ita ut singuli actus a tali volūtate electi, & producti sint peculiaria distincta peccata, sed qui habita opportunitate non restituit, habet hanc voluntatem retinendi alienum contra iustitiam, ergo committit nouum, & distinctum peccatum.

Quintò, omissio præcepti pro tempore quo obligat, est nouum peccatum, sed præceptum restituēdi obligat, quando est opportunitas, ergo tunc nō restituere est nouum peccatum. Maior certa est: probatur minor.

Ad remissionem peccatorum non exigitur nisi pœnitentia per se, & directè, actus autem aliarum virtutum secundum animi præparationem, quādo obligabunt, vt qui eum pœnitet, & confitetur sua delicta, non tenetur tūc ieiunare, nisi esset paratus ad ieiunandum, quādo se offerret præceptum ieiunii, si præceptum restituendi non obligat habita opportunitate, poterit ergo homo agere pœnitentiam, & consequi remissionem suorum peccatorū, & exire a peccato absque actuali restitutionē, etiā si tunc commodè possit restituere, per solum propositum restituendi, hoc est falsum, & contra primam conclusionem, quæ est apertissima doctrina D. Aug. & omnium Theologorum, ergo præceptū restituendi obligat habita opportunitate, sub pœna noui peccati.

Vnde non est audiendus hic Soto, qui uidetur sētire, tantum obligare quando debitor commodè potest, & creditor petit, vel indiget, quia tenetur, vt constat, cum habet opportunitatem, etiam si aliter nunquam exigat, vel indigeat. Et confirmatur, quia si creditor sit vir potens qui nunquam indigebit, & ignoret rem suam ab alio detineri, propter quam ignorantiam nunquam exiget, nunquā teneretur debitor iuxta istam sentētiā restituere, quod est maximum absurdum. Ex hac doctrina sequitur cum habens alienum committat nouum peccatū, quoties aduertens se habere alienum, & potens restituere, illud non restituit, teneri etiam ad confitēdas singulas vices quibus, cum habuerit opportunitatem, non restituerit, quia de integritate confessionis est numerus peccatorū. Quod si id nō valuerit, dicat tēpus quo detinuit alienum, & accuset se multoties se potuisse restituere, & non restituisse, sicut meretrix, quæ non ualet assignare numerum suarum fornicationum, debet explicare quanto tēpore in eo statu permansit parata frequēter fornicari. Quartus casus est, quando habens alienū vtitur re illa aliquo vsu pretio æstimabili in suā propriam utilitatē, vt qui vtitur equo furtiuo ad iter faciendum, quoties illo vtitur, peccat de nouo. Dico, vsu pretio æstimabili, & in ipsius utilitatē, quia si vsus ille sit indifferens, & nullius commodi, non est nouum peccatum. Similiter si non sit in utilitatem ipsius habētis, sed ipsius rei, vt mutare ex vno loco in alium commodiorem ipsi equo, Sumendus etiam est hic vsus non physicè. & naturaliter, sed moraliter, possunt enim esse circa aliquam rem varij actus physicè sumpti, qui tamen omnes moraliter non constituent, nisi vnum actum, & vnam operationem. Verbi gratia in exemplo proposito, vt quis vtatur equo furtiuo, multos actus exercet physicè, nam sternit, & parat illum, deinde ascendit, exinde graditur illo, omnes tamen isti in genere moris non sunt nisi vnicus actus, & vnicus vsus equi. Vnde quando dicimus peccare vtentem re aliena in suam utilitatem, non loquimur de actio-

nibus,

nibus,& vsibus physicè sumptis, sed de vsu moraliter sumpto. Quomodo autem plures actus physici efficiant vnum actum,& vnam operationem moralem, explicat optimè Caiet. infra q.66.artic.3.ad secundum. Et in opusculo 17. responsionum, respons. 15. dub.2. Quod autem in hoc casu peccet de nouo patet: quia, vt videbimus q.66.& est communis doctrina Iuristarum instit. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascitur.§.Furtum. [Furtum non est solum acceptio rei alienæ, verū etiam fraudulenta contrectatio illius inuito domino.] Cuius doctrinæ ratio est, quia qui contrectat rem alienam inuito domino, nouam illi irrogat iniuriam, imò,& moraliter habet nouum consensum, aut actu, aut virtute in iniquam illius detentionē, quemadmodum qui habet concubinam, vel vxorem alienam, quoties illa vtitur in suam voluptatem, infert nouam iniuriam viro illius; & actu, vel virtute consentit in iniquam detentionem alienæ vxoris, cum ergo vsus vtilis rei alienæ sit quædam contrectatio fraudulenta,& iniqua illius,& inuito domino, quicumque talis vsus est reducendus ad furtum,& est nouum peccatum. Ita fit, vt sit nouū etiam peccatum vti re illa cum eius consumptione, aut illam vendere, distrahere, dare, vel commutare, quia omnia ista sunt iniquè, & fraudulentæ contrectationes rei alienæ inuito domino.

Quintus casus est, quando habens alienum ita se implicat negotijs, aut tales facit expensas, vt reddat se inhabilem ad restituendum, quia reddens se ita inhabilem, eo ipso actu, vel virtute consensus, vt cōstat, tir, ac vult non restituere, qui consensus, vt cōstat, est nouum peccatum mortale.

Sextus casus est, quoties creditor postulat rem suam, aut si non postulet, prætermittitur aliqua necessitate, quam debitor videt, & cui potest soluendo occurrere. Patet hic casus ex dictis in tertio argumento, quo probauimus tertium casum.

Et confirmatur, primò, qui in hoc casu non restituit, nouam creditori iniuriam, nouumque damnum infert.

Secundò, quia in hoc casu non restituens, cum possit apertissimè habet nouum consensum in actualem detentionem iniquam.

Tertiò, quia iste iusta sententia cōdemnaretur, tanquam ex iustitia debens tunc restituere, ad id autem ad quod quis iusta sententia condemnaretur, vt sæpe dictum est, tenetur simpliciter in conscientia, præterquam in pœnis, ex his casibus peccatur de nouo in secundo,& tertio, quia sit transgressio huius præcepti restituendi, quæ parte affirmatiuum est, in cæteris verò fit transgressio, qua negatiuum est.

Nunc ad argumenta initio huius quæstionis posita.

Ad primum respondeo, illo argumento probari quotiescumque quis detinet alienum, per nouum cōsensum actualem, vel virtualem peccare, in hoc enim sensu obligat hoc præceptū pro semper, quādo autem non est nouus consensus, qualis est in casibus his positis, continuatur tantum, & augetur peccatum, sicut explicatum est.

Ad confirmationem similis est solutio: affirmamus enim in primo momento illum peccare de nouo, quia de nouo consensit in iniquam detentionē alieni, in aliis verò, si habeat nouum consensum, vt in casibus propositis, peccabit etiam de nouo, quod si non habeat nouum consensum actualem, vel virtualem, non peccabit de nouo, sed tantum continuabit,& aggrauabit peccatum suum.

Ex tota hac doctrina sequuntur nonnulla conse-ctar a, quibus soluuntur multæ difficultates in hac materia,& admonentur cōfessarij, qua ratione debeant se gerere, cum habentibus alienum.

Sequitur ergo primò, debitorem qui potest commodè totum debitum restituere, si nolit totum, & integrum soluere, sed per partes, vnā partem hoc mense, aliam alio, non esse absoluēdum. Ratio est, quia qui perseuerat in statu peccati mortalis, non est absoluendus, debitor autem qui potest restituere in integrum, & non restituit, manet in statu peccati mortalis voluntariè, ergo. Dices, iam restituit partem. Dico hoc parum referre: nam restitutio consistit in cōstituenda æqualitate possibili, qui verò restituit partem, cum possit totum, non constituit æqualitatem possibilem, & ita non est dicendus restituere.

Secundò, quia etsi restituat partem, ratione reliqui, quod non soluit cum possit, actu consentit in iniquam detentionem illius residui,& ratione eius non solum manet in peccato, verum etiam peccat de nouo. Hæc doctrina est communis inter Theologos maximè discip. D. Tho. Caiet. in Sum. Restir. Adria. in 4. de restitutione, dub.7. Sot. lib.4. de iust. q.7.art.4. Syluest. restitutio. 5.§.5. Nauar. c.17. nu. 66. vbi citat pro eadem Ioan. Maior. in 4. dist.15.q. 28. Est denique omnium recentiorum Thomistarum, quos vidi.

Constituo inter auctores huius sententiæ Syluestrum, quia deceptus est (quod pace eius dixerim) Soto putans Sylu. aliter sentire, Nam Sylu. loco citato, recitat opinionem Directorij, Hosti. Angeli,& Summistarum, qui nolunt absoluendum esse debitorem, qui restituit per partes, conuenitque cum his in duplici tantum casu.

Primò, quando in foro exteriori ita est condemnatus reus, tunc enim si post litem non condemnetur ad soluendum in integrum, sed per partes, satisfacit in re, quæ fuit dubia,& sub lite, satisfaciendo iuxta sententiam iudicis.

Secundò, quando pœnitens accedit animo faciēdi, quod tenetur, existimat autem ex ignorantia culpabili,& bona fide, se non teneri ad restituendum totum simul, sed sufficere satisfacere per partes. Extra hos casus docet Sylu. totum esse in conscientia restituendum si debitor potest, nec aliter absoluendum, vnde nobiscum sentit.

Sed contra hanc doctrinam obiiciunt illi Sūmistæ, si confessor in hoc casu non absoluat, nocet vtrique,& debitori,& creditori, si absoluat, agit partes vtriusque, ergo melius est, vt absoluat.

Patet antecedens, quia si non absoluat, debitor ille recedet indignatus, & facilè statuet nec per partes restituere, si absoluat, restituet paulatim per suas partes, & creditor recuperabit quoque rem suam paulatim,& per illas partes.

Secundo, vt uidimus articulo præcedenti, licèt consulere minus malum ad vitandum maius, iste, si non admittatur, vt restituat partes, cum sit deliberatus non restituere totum, nihil restituet: ergo præstat, ne definat omnino restituere, consulat illi sic restituere,& absoluatur.

Ad primum respondeo, confessarium in illo tribunali,& foro conscientiæ, nec esse tutorem creditoris, nec iudicem arbitrum constitutum inter partes, nec consiliarium, si quidem ista munera haberet, optimè faceret, vt volentem restituere totū inducerer,& admitteret, ac consuleret restituere per partes, attamen, cum non sint hæc eius officia, sed esse iudicem spiritualem vicariū Dei ad expurgandam conscientiam facultate absoluendi dispositū, & reiiciendi ab absolutione non dispositum, nec potest,

potest, nec debet absoluere debitorem, nisi quando restituit, sicut debet, & ea ratione, vt non remaneat in statu peccati, quia tūc est dispositus, aliter non, & cum debitor, qui potest restituere totū, nec vult, non restituat, sicut debet, sed maneat in statu peccati, vt constat, ideo nec debet, nec potest eum absoluere, quidquid fit de vtilitate creditoris. Similiter patet solutio ad secundū, non enim est confessarius cōsiliarius externus, sed medicus animæ, qui tenetur cōsulere remotionem omnis mali, nec aliter absoluere. Ex hoc sequitur apertè, nec esse absoluendum, qui non habet firmum animum restituendi, quia (vt vidimus) sine tali animo non potest homo exire a peccato; Tum etiam, quia sicut tenetur homo ad restituendum actu, quando potest, ita quoque ad restituendum in animi præparatione, & per firmum propositum, quando nō potest, sed non est absoluendus, qui cum possit, non restituit actu: ergo neque qui non proponit, cum ad proponendum nullus possit allegare, se non posse: actus enim interni maximè sunt in nostra facultate, & quouis temporis momento.

Sequitur secundò, in quāto periculo versentur, & in quam graui culpa iaceant, qui cum possint, dum viuunt, commodè restituere, differunt tamē vsque ad extremum vitæ, isti habent se vt qui differunt pœnitentiam, & confessionem vsque ad extremum vitæ, quibus parata quidem est remissio, quocumque tempore se conuertant ad Deum: Dubitat tamen plurimum de huiusmodi conuersionibus, & pœnitentijs vicinis morti. D. Aug. maximè in illo singulari sermone quem de hac re scripsit in lib. Retracta. ita quoque qui per totam vitā non restituerunt, etsi bene faciant restituēdo vicinium morti, sunt tamen huiusmodi restitutiones maximè dubiæ, & periculosæ, an bene fiant viribus tam corporis, quam animæ eo tempore adeo infirmus, & perturbatis, præter damnum illud adeo graue, quod culpa eorum tanta diuturnitate, & prolongatione reddita est grauissima, vel quod peius est, plena multis nouis, & distinctis peccatis, quæ per nouos consensus, & nouas omissiones tempore vitæ commissa sunt, cum præceptum restituendi, quã parte negatiuum est obliget pro semper habita opportunitate, quam tēpore vitæ sæpius habuerunt, aut potuerunt habere, quod perinde est, nec ea bene vsi sunt.

Sequitur tertiò, non esse absoluendum, illū, qui cum existat in articulo, vel periculo mortis, habeatque vnde restituat, nō vult ipse restituere, sed illud mandat suis hæredibus in testamento. Patet: quia viuus, & sanus, ac potens restituere non est absoluendus, quia quamdiu non restituit habens opportunitatē, manet in peccato, multo minus vicinus morti, cum in tali statu positus diligentius debeat suæ saluti consulere.

Secundò, quia qui in tali periculo constitutus, & potens nō vult restituere, dum viuit, sed post mortem per manus hæredum, apertè ostendit, quod si viueret, non restitueret.

Tertiò, quia illud propositum restituendi apertè, & manifestè non est absolutū, & simplex, quale esse debet, vt homo exeat a peccato, sed extortum & cōditionatum, si mortuus fuero. Vnde talis reuera est impœnitens, nec verè dolet se habere alienum, quia si verè doleret, & verè vellet illud domino suo restitui, statim restitueret, cum possit, in moralibus enim necessaria illatio est, voluit, & potuit, ergo, & fecit. Denique, quia si ipse cuius potissimè interest, non consuluit animæ suę restituēdo, multo minus id præstabunt hæredes. Vnde voluntariè se exponit periculo non fiendæ restitutionis, quod est virtualiter consentire iniquè detentioni. Circa, quæ caueant plurimum confessarij maximè apud magnates, apud quos hoc malum plurimum viget, habent enim de more, vt auus cōmittat restitutionem patri, pater filio, ille suis successoribus, & hac via nunquam restituunt, quod non accideret, si confessarij istorum munus suū fideliter exequerentur non absoluendo, nisi actu restituerent, simile iudicium est, qui dum viuunt dubitant, an quæ possident, sint sua, vel aliena, voluntque id discernere, sed relinquunt hoc examen hæredibus suis, hi non sunt absoluendi, sunt enim in statu peccati mortalis, sicut, & præcedentes propter easdē rationes, & multo potius, quia filij nequibūt id discernere, quibus negotia, ambages, & cauilli parē cum non sunt ita cogniti: tenentur ergo hi per seipsos rem definire, & inquirere, sicut, & præcedentes per seipsos restituere, quod si aliquod sit incōmodum, & inconueniens, si tunc actu fiat restitutio, debet confessarius ab illo debitore accipere cautionem, & securitatem sufficientem, vel facere, vt pecuniæ, vel æquiualens deponatur sub fideli deposito, vel, si hæres sit tam fidelis, & timoratæ conscientiæ, vt apud illum sit restitutio non minus secura, quàm apud alium fidelissimum, depositum illud ei committetur.

Sequitur quarto, habentem alienum, qui primò, vel secundò accedit ad confessionem cum eodem debito restituendi, si confessarius videat sua prudentia illum verè dolere de sua culpa, & firmiter proponere statim restituere, posse illum absoluere illum verò qui iam ter, vel quater, aut aliquoties promisit in præcedentibus confessionibus restituere, nec restituit, cum potuerit, nullo modo esse absoluendum, ita docent D. Ant. p. 2. tit. 2. c. 8. coroll. 4. Caie. in Sum. restitutio. cap. 6 Nauar. cap. 17. nu. 59. quia qui sic promisit in præcedentibus, nec præstitit, prudenter potest credi, nec modo præstiturū, sed facilè rediturum ad eandem culpam, illum autem, qui prudenter timetur in suam culpam facilè reuersurus, non licet absoluere, vt manentē in periculo concubinatus, ergo neque hunc, cum non sit minor cupiditas pecuniarum, quam mulierum, vbi maximè obseruandum est illud Christi Matth. 4. [Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod habet frater tuus aliquid aduersus te, relinq; ibi munus tuum, & vade prius reconciliari, &c.] Et confirmatur, habentem concubinam non licet absoluere, quantumuis promittat se statim illam eiecturum, ergo neque habentem alienum, quod multoties promisit restituere, & non præstitit, licet absoluere, quin prius illud restituat. Vnde ait, & bene Caiet. loco citato. Si dixerit pœnitens confessario, patre hac vice verè restiturum, crede mihi, nam mea interest, respondeat illi confessarius, credo quidem, sed quia habes modo hanc bonam dispositionem, vade prius, & restitue, tunc veniens absoluetis, vel dicat, vt alij consulunt, & bene: Credo quidem, sed quanto propositum tuum firmius nunc est, tāto hinc egressus vehementius curabit Dæmon, ne illud exequaris, inuidens pœnitentiæ tuæ, vt illum ergo cōfundas, vade prius, & restitue. Sed obijcies, confessarius debet credere pœnitenti, & in his quæ dicit contra se, & in his, quæ dicit pro se, cum ipse sit in illo foro reus, actor & testis simul. Respondet Caieta. ita quidem esse, sed debere nihilominus confessarium cauare, ne mora temporis delictum pariat, sicut antea accidit, & timere, ne sicut antea acceptа absolutione nil præstitit, similiter tūc faciat,

quod

quod prudenter timebit, ac præterea non absoluer, quin prius restituat. Obseruat tamen hic D. Nauar. & bene, euenire posse, illum qui alias promisit, & nō adimpleuit, cum talibus circumstantijs posse accedere loci, temporis, & necessitatis, vt iuxta prudentiæ leges, etsi alias non restituerit, in eo tamen casu, & ea vice certa iudicanda sit restitutio statim post confessionem, vulgque huic non esse negandam absolutionem. Recipitur ab omnibus recentioribus hæc doctrina, quia ita accederet, & de quo moraliter ista certitudo haberi posset, nec ipse esset in periculo, & occasione peccandi, nec creditori ex illa breui dilatione aliquod damnum sequeretur, tantum enim differretur pro tempore, quo confiteretur, & absoluitur.

Vltimò sequitur, posse plurimos condemnari non restituentes debita, existimantes non teneri ad illa soluenda, nisi aduenientes iudicis condemnatione, cui errori apud multos plebeios occasionem dedit, quod videant multa debita solui, (quę in conscientia non debentur) propter iudicis condemnationem. Voco hoc errorem, cum illa existimatio non procedat ex ignorantia inculpabili, & inuincibili, sed ex crassa, & culpabili, quam tenebantur, & poterant vincere. Est doctrina hæc explicanda in concionibus, maximè apud agricolas, & rusticas, qui solent dicere, nil tibi debeo, si quid existimas a me tibi deberi, postula apud iudicem.

Hactenus quando, & quomodo sit restitutio statim facienda, nunc videamus.

CONTROVERSIA IV.

QVANDO LICEAT DIFferre restitutionem, & quibus de causis.

Causæ propter quas potest restitutio differri, sunt duplices, aliæ ex parte creditoris, quas nōn proponit hic Diu. Thom. sed superius variè attingit, aliæ verò ex parte debitoris, quas affert hic in solutione ad secundū, dicens debitorem, qui simpliciter, & omnino est impotens ad restituendum, simpliciter quoque esse absolutum, nec teneri ad restituendum, eum verò, qui est impotens ad tempus, non teneri eo tempore quo est impotens, sed quando erit potens, & redierit ad pinguiorem fortunam. Nos tamen omnes causas hic percurremus. Ex parte ergo creditoris sunt quattuor causæ.

Prima est libera ipsius condonatio, & remissio debiti, de qua D. Thom. supra articu. 6. ad tertium. Etenim si creditor liberè remittat, non tenetur debitor ad amplius, quia cum vnusquisque sit dominus suorum bonorum, per illam liberam remissionem transfert dominium debiti in debitorem, manetque ille tutus in conscientia. Ita Soto libr. 4. quæst. 7. art. 4. ad secundum. Medina Cod. de reb. rest. q. 3. & est communis.

Requiritur autem ad hanc remissionem, vt sit efficax, & valida, liberetque debitorem a debito restituendi.

Primò, vt non sit iure prohibita, vt si pupillus remittat, nil facit, quia iure prohibetur pupillus facere aliquos contractus, ac, vt vidimus q. 5. de dominio lex ciuilis potest ob bonum commune transferre dominia, prohibere quoque illorum translationem.

Quod sit in his tribus casibus donationem esse nullam, & similiter remissionem, quādo qui aliquid iniustè accepit, et retinet, vellet restituere suo domino, & dominus illi remitteret.

Primò, quando iudex aliquid accipit a partibus litigantibus, tenetur illud restituere, ita, vt si is, cui illa restitutio facienda est, vellet remittere, sit nulla talis remissio, quia iura illud prohibent in cap. Statutū §. Insuper, de rescriptis, in 6. manetque semper talis iudex cum debito restituendi illud.

Secundò, & similiter, quādo visitatores accipiunt aliquod munus, vel pecuniam, vt habetur in capitu. Exigit de censib. in 6.

Tertiò, & similiter, sibi Inquisitores hæreticæ prauitatis accipiant aliquod munus, vt habetur in clementina, Nolentes. de hæreticis, lib. quinto, clementinarum.

Exigitur secundo, vt talis remissio sit libera, idest non fraudulenta, vel violenta, quia fraus, & dolus, vis quoque & metus tollunt rationem liberi, & voluntarij. Sed quæres hic duo.

Primò, oportet ne petentem remissionem afferre pecuniam in præsentia creditoris, ut dicatur libera remissio?

Secundò dicetur, ne fraudulenta, si petens remissionem habeat animum nō restituendi, si non remittatur ei debitum?

CONCLVSIO PRIMA.

Quiuis debitor licitè potest a creditore suo petere per se, vel interpositam personam remissionem sui debiti.

Patet primò, quia per hoc contra nullum præceptū, aut diuinum, aut humanum agit, imò proponit illi creditori materiam virtutis, & pietatis.

Secundò, quando vnus potest dare, & alter petere, licet petere, quod licet recipere simpliciter, & absolutè, sed creditor, cū sit dominus suæ rei, potest dare, ergo, & creditori recipere, ac consequenter petere. Dico simpliciter, & absolutè, nam per accidens ex voto potest quis recipere, & non petere, vt religiosus, qui voueret nil petere, posset recipere, non tamē petere, coniux etiam, qui emisit simplex votum castitatis, potest reddere, non petere, sed hæc sunt per accidens ex uoto, simpliciter tamen, & iure naturæ, qui potest recipere, potest, & petere.

CONCLVSIO II.

Non est necesse, ut remissio sit valida, afferre pecuniam in præsentia creditoris, imò si creditor sit diues, & debitor pauper, est optimum, & sanum consilium, vt illam non afferat, quamuis haberet.

Hæc est contra D. Ant. 2. p. tit. 2. Est tamē Caiet. art. 6. huius q. ad 3. & in Sum. Restit. c. 7. Adria. in 4. de resti. M. Soto li. 4. q. 7. art. 4. Doct. Nauar. c. 17. nu. 45. & 46. vbi refert pro hac opinione quandam Glossam, in Reg. Peccatum. Et probatur concl. Ad validam, & efficacem remissionem tātum exigitur, vt voluntas creditoris sit libera, & consentiens sine fraude, & vi, sed vt ita libera sit, & consentiens, parū facit, estq; impertinens, cōsenserit ne precib. proprijs, an alienis, ostensa pecunia, vel nō ostensa, ergo. Secundò, iuxta rectā rationem, & prudētiam, quando aliquid quod licitū est petitur, non sunt afferenda, quæ facilè obstabunt

animo, & liberalitati datoris, præsentia pecuniæ so let allicere oculos, & impedire liberalitatem animi, obiecta enim præsentia, vt ait Aristo. magis mouens, ergo non est necesse, nec optimum afferre pecuniã.

CONCLVSIO III.

Quamuis debitor habeat animo non restituere, si tamen exterius nullam adhibet vim, aut metum, nullisque in suis precibus, & petitionibus vtitur fallaciis, & fictionibus, sed verè explicat debitum, & pauperiẽ suam, & creditor concedit remissionem debiti, talis remissio est valida, & ille debitor manet tutus in conscientia.

PAtet, quia interior intentio non restituendi, etsi sit iniqua, & peccatum, non reddit petitionem, in qua, quæ dicuntur exterius vera sunt, dolosam, & fraudulentam, ad veritatem enim contractus externi nil aliud exigitur, quam, vt vera sint, quæ exterius dicuntur, & agũtur. Ex hac doctrina sequitur, quod bene obseruat Nauar. loco cit. dominum, qui petit a sibi subditis re missionem alicuius debiti, etsi ipsi concedant, non esse securum, nisi experientia videat illos solitos esse liberè explicare animum suum, quia si ob durum, & asperum domini ingenium prudenter credatur, subditos illos non audere liberè mentem suam aperire, quia solitus est iniquus ille dominus vexare ipsos, & tyrannicè eos tractare, quando non annuunt votis eius, tunc non est securus, nec habenda illa remissio libera, sed coacta, & timore tyrannidis domini extorta. Quæ doctrina plurimum obseruanda est a confessoribus magnatum, & facit plurimum ad disputationem de contractibus, de qua infra quæst. 77. & 78.

Secunda causa ex parte creditoris, ob quam potest differri solutio, est quando, si tunc res illi redderetur, esset in damnum ipsius, vel filiorum eius, vel tertij, vt si furioso redderetur gladius suus. Damnum, inquam corporale, vel spirituale eo modo, quo diximus de depositario art. 5. nam si tantum sit damnum spirituale, quia vult creditor bona sua dilapidare, licet optimis mediis differre, & admonere illũ, ne sua bona prodigat, quod si nihilominus postulet, restituenda illi sunt, dominus enim eorum est, potestque de illis liberè disponere.

Tertia causa ex parte creditoris est, si sit absens, & multum distans, de qua etiam egimus art. quinto, vide ibi.

Quarta causa est, ex parte vtriusque tam creditoris, quam debitoris, quando creditor tantundem debet, aut in eodem genere rei, aut in alio, tũc enim non tenetur debitor restituere, cum tantundem debeat recipere, sed est recompensa mutua inter vtramque partem.

Ex parte debitoris assignat D. Tho. hanc solã causam, quando non est potens: occasione cuius videre oportet, quæ paupertas, & impotentia liberet hominem, aut absolutè, & semper, aut pro aliquo tempore a debito restituendi. An exigatur tanta, vt si restituat, incidat in extremam necessitatem, vel sufficiat ea, qua posita si restituat incidet in grauem, quæ quæst. solet a Doctoribus proponi his verbis.

CONTROVERSIA III.

TENEATVR NE QVIS REstituere cum detrimento, & iactura sui status, et facultatum.

ACquisiuit multa vir nobilis iniustè, non potest ea restituere, quin laboret manibus, vel seruiat alicui, tenebitur ne ad id, vt restituat? Similiter profectus quis ad ludos tantas sibi opes fecit, sed iniustè, vt ex plebeio ascenderit ad statum equitis, vel equite factus sit comes, aduertens se aliena habere, vult restituere, non tamen potest, quin reddeat ad priorem statum, & cadat ab illo, ad quem ascenderat, tenebitur ne cum tali iactura restituere?

Tres sunt in hac parte Doctorũ opiniones. Prima est Adria. in 4. de rest. dub. 6. vbi asserit, neminem ita teneri ad restituendum omnia, vt veniat in extremã necessitatem, quia in ea omnia sunt communia, circa extremam verò teneri ad omnia restituenda, etiã si cadat à suo statu, & maneat in graui inopia, vnde vult nobilem teneri ad vendenda omnia sua, et restituat, debereque proprio labore victum quærere, artifices teneri ad vendendã omnia etiam instrumẽta suæ artis, & seruire alicui, vel mendicare.

Probatur hæc opinio, Primo, ex variis textibus, nã cap. si quis de furtis habetur. [Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, &c.] Vnde est argumentum, quod non licet accipere, nec retinere, sed non licet ob necessitatem famis accipere alienum, quia si liceret non esset pœnitendum, ergo nec licet, retinere, sed est restituendum, & ad leuandam necessitatem laborandum, vel mendicandum, cap. cum tu, de vsuris obligatur vsurarius restituere omnia acquisita per vsuras, nec excusatur etiamsi in grauem deueniat inopiam, cap. Exijt, de verborum significatione in 6. habetur apertè, non licere retinere alienum, nec in extrema necessitate, cui vel liberali obligatione, idest, seruiendo, vel pia mendicatione, vel labore manuum potest succurri; quibus in locis expressè videtur haberi, hæc doctrina Adriani.

Secundò, detinere alienum æquipollet furto, at non licet furari, nec accipere alienum pro graui necessitate, sed tantum in extrema, ergo nec licet detinere alienum, nisi quando illud restituens maneret in extrema, necessitate.

Tertiò, restitutio non ordinatur in bonum debitoris, sed creditoris, at si extra necessitatem extremã, quæ facit omnia communia, liceret debitori retinere aliena, & præceptum hoc restituendi tantum obligaret, quando debitor non pateretur nisi leuem necessitatem, non autem grauem, esset hoc præceptum in vtilitatem debitoris, non creditoris ergo.

Quartò, si in graui necessitate non obligaret restitutio, id certè esset, quia tunc dominus rei esset irrationabiliter inuitus, at quando necessitas grauis tantum est, cum maxima ratione est inuitus, ergo grauis necessitas non excusat a debito restituẽdi. Maior patet, quia tunc dicitur creditor irrationabiliter inuitus, quando vult sibi restitui, & debitor non tenetur. Minor verò probatur, dominus rei, etsi debitor existat in graui necessitate, habet ius ad petendum, & iudex ad condemnandum debitorem, vt restituat, ergo non est irrationabiliter inuitus.

Patet

Patet consequentia, quia qui vtitur iure suo, non agit contra rationem.

Secundò, sequeretur ex opposita sententia per grauem necessitatem acquiriri dominium in res alienas patet, quia posset illas retinere ratione talis necessitatis, & illis vti pro libito in omnes vsus sibi vtiles, in quo consistit ratio dominij, per grauem autem necessitatem non acquirit dominiũ rei alienæ, sed per solam extremam, in qua redduntur omnia communia, certum est. Denique, ex opposita sententia datur maxima occasio viris improbis, & iniquis, vt per fas, & nefas ex alienis augeant suum statum expectantes, non esse deinde obligandos ad restituendũ, ne cadant ab illo statu.

Ita colligit Adrianus citra periculum extremæ necessitatis omnia esse necessariò restituenda, præterquam in duplici casu, in quibus potest debitor non omnia restituere.

Primò, quando artifex, qui pluribus creditoribus debet, vel multum vni, videt se non posse illis restituere, si quæcunq; domi habet tam suppellectilem, quàm instrumenta suæ artis, vendat; seruatis verò illis instrumentis, & laborando cum illis, paulatim posse se omnibus satisfacere.

Secundò, quando debitor si omnia bona sua tradat, non valet omnibus creditoribus suis satisfacere, reseruando autem aliqua ne mendicet, sed in suo statu permaneat, ita à consanguineis, vel amicis iuuabitur, vt possit omnia restitoere: quia in his casibus consulit debitor iste vtilitati creditoris, agitque negocium ipsius, & creditor, qui alterque vellet, ageret irrationabiliter.

Eandem sententiam sequitur Medina, de reb. restitut, quæst, 3. & 5. cum hoc moderamine. Aut bona, inquit, quæ habet nobilis, & instrumenta, quæ habet artifex sunt ipsorum, à maioribus accepta, vel ab ipsis propria pecunia, vel industria comparata; aut accepit illa à creditore, creditore ipso illa conferente, vel pecuniam qua emerentur: Si creditoris sint, sunt, (inquit) illi omnino restituenda, vt docet Adrianus, quia nullo modo licet extra necessitatem extremam aliena accipere, vel retinere, quæ verò creditoris sunt, certum est aliena esse debitori: quod si propria sint ipsius debitoris, & necessaria illi ad transigendam vitam, quia non valet alia commodiori via sibi victum quærere, non tenetur vendere instrumenta, sed potest illis vti, & laborare, ac paulatim colligere, vnde restituat, quia oppositum videtur inhumanum, & iniquum iuxta dictamen rectæ rationis, iuxta quod præcepta mortalia tam diuina, quàm humana accipienda sunt, cui dictamini creditores, qui non consentirent, iudicandi essent irrationales, & impij, de quibus conquæritur dominus Esai. 54. [Omnes debitores vestros reperitis,] Omnes inquit, non solum eos, qui persoluere possunt, verum, & eos qui propeio labore, & arte suam pauperiem transigunt.

Secunda opinio est D. Nauar. cap. 17. num. 56. 57. & 58. vbi vult debitorem non teneri ad restituẽdum cum iactura sui status, & deueniendo in grauem necessitatem, quacumque ratione obtinuerit illum statum, & bona, siue iustè, siue iniustè.

Probatur hæc opinio varijs textibus iuris ciuilis. In primis l. in condemnatione, ff. de regulis iuris habetur: [In condẽnatione habendam esse rationem personarum, ne egeant,] Id est, ne grauiter egeant. Institut. de actionibus, §. vltim. vbi agitur de his, qui cedunt bonis suis ob debita dicitur. [In humanum est, vt quis expolietur omnibus bonis suis, & condẽnetur in solidum,] q. d. neminem esse omnibus bonis suis expoliandum, vt restituat debita. Idem habetur l. 4. & 6. ff. de cessione bonorum. Et in Castella. Part. 5. tit. 4. leg. 4. dicitur. [Vt si quis alicui rem suam donauit per scripturam, non debeat implere donationem, si ea facta non maneat donanti, vnde commodè possit transigere vitam.] Vnde argumentor. Non minus tenetur donator adimplere donationem, quàm debitor restituere, sed donator non tenetur, quando per donationem expoliator necessarijs ad vitam, ergo neque debitor tenebitur restituere, quando similiter expoliatur.

Secundò, solent Reges nobilibus, quorum omnia bona sunt obnoxia restitutioni, ne teneantur seruire, aut mendicare, & cadere à suo statu, concedere facultatem, vt seruatis sibi necessarijs paulatim restituant suis creditoribus, quod non possent concedere, si in conscientia teneretur debitor restituere, & cum iactura sui status.

Tertiò, vt habetur in l. Miles, ff. de re iudicata, Milites non tenentur restituere in integrum, sed paulatim, & cõmodè, ne debeant grauiter ægere & mendicare, vnde nec compelli possunt, vt cedant omnibus bonis suis.

Quattò, nemo tenetur restituere cum notabili detrimento sui honoris, & famæ, quia cum honor, & fama adrò præstent diuitijs, in tali restitutione non seruaretur æqualitas, sed nemo potest restituere cũ iactura sui status, quin simul patiatur detrimentum in suo honore, & fama, ergo.

Quintò, sicut se habent extrema ad extrema, ita medium: ad medium: in extrema necessitate non tenetur aliquis restituere alienum, siue iustè, siue iniustè acquisitum, in læni tenetur restituere omnia aliena etiam iustè acquisita, ergo in graui tenebitur restituere paulatim, & sine iactura status aliena, quæ habet, siue iustè, siue iniustè acquisita sint.

Denique quamuis iniustè acquisita, & iustè parta differant plurimum in modo habendi, & quo ad radicem, & vinculum restitutionis, quia priora illa sine peccato acquisita sunt, & solum debentur ratione rei acceptæ, posteriora verò cum peccato comparata sunt, & debentur iam ratione rei acceptę, quam ratione iniquę acceptionis: attamen quo ad effectũ, & tempus restitutionis eodem modo sese habent, cũ omnia ista sint obnoxia restitutioni, sed aliena iustè accepta non tenetur debitor restituere, modò periclitetur cadere in grauem necessitatem, ergo similiter si aliena, quę habet iniustè accepit. Vnde ea tantum restituet, quæ sine periculo grauis necessitatis potest reddere creditoribus, incipiendo ab iniustè acquisitis, quia hæc sunt magis obnoxia, & pluribus nominibus.

Hanc doctrinam putat D. Nauar. esse D. Antonin. 2. par. tit. 2. cap. 8. imò & communem scholasticorum Scoti in 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 4. Sylu. in verb. Restit. cap. 5. §. 3. & 4. vbi citat Syluest. alios Iuristas. Sed si Auctores isti diligenter inspiciantur, docent, quidem D. Anton. Scotus, & Syluest. non teneri debitorem ad restituendum cum iactura sui status, nõ tamen ita, vt non teneatur siue iustè, siue iniustè statum illum acquisierint, vt vult D. Naua. imò communiter Thomistæ cum DD. isti in genere loquuti sint, volunt eos tantum loqui de debitoribus, qui positi in statu, quem iustè obtinuerunt, contraxerunt dein de illa debita, quia cum DD. isti doceant nemini licere acquirere statum cum damno, & iniuria alterius, debent simul sentire, neque licere conseruare illum cum iniuria alterius: quo fit, vt cum dicunt, non esse faciendam restitutionem cum iactura status intelligendi sint de statu ioste acquisito.

Vnde est tertia opinio media inter Adrianum, & Nauarrum, quæ constituit bifariam posse acquiri statum

domino irrationabiliter inuito non est peccatum, nec contra præceptū restituendi, ergo. Sed hæc ratio non placet Cai. videtur enim petere principiū, & sumere tanquam certum, dominum in isto casu esse irrationabiliter inuitū, quod probandum est, cū iuxta auctores primæ opinionis non sit irrationabiliter inuitus, vt apparet ex 4. argu. illius opinionis, quia posset creditor extra extremā necessitatē debitoris rem suam exigere in iudicio, & iudex iustè præcipere illam ipsi restitui.

Et confirmatur. Talis creditor extra extremam necessitatē non tenetur donare sua illi debitori, ergo neq; tenetur consentire, vt detineat illa, vnde non est irrationabiliter inuitus. Ideo Cai. probat hanc partem argumento ex doctrina D. Tho. hic ad secundū hac ratione: Non tenetur ad restituendū debitor qui prudentes iudicatur impotēs, sed qui iustè acquisiuit statū, nec potest restituere, nisi cadendo ab illo, prudēter iudicatur impotens, ergo non tenetur restituere, cū tanta iactura. Maior est certa, & axioma in hac materia. Probat minor: quia in moralibus non solū vocatur impossibile, quod simpliciter, & omnino est impossibile, verū etiā quod est maximè difficile, & videtur abhorre re recta ratio, & lex humanitatis, quomodo dicitur Hieron. 13. [Si potest æthiops mutare pellem suam, aut leopardus varietates suas, ita potestis vos benefacere, cum didiceritis mala facere.] Vbi conuersionem illorum, qui malis assueti sunt, vocat impossibilem, idest, maximè difficilem, Similiter in Euangelio. [Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum.] Idest maximè difficilè, & Matth. 5. [Quod si sal euanuerit, in quo salietur?] Vocat impossibile prælatos, qui timorem Dei abiecerunt, emendari ab alijs, idest, maximè difficilè, in eodem sensu vocat Aristot. & in Metaph. & 2. de animo impossibilia, quę sunt maximè difficilia, & in iure frequenter idem reperitur maximè l. nepos, ff. de verborum significatione, & ca. Faciat 22. quæst. 2. sed comitem relinquere comitatum quem iustè acquisiuit, nobiles laborare manibus, aut seruire, honestum artificem mendicare, vt restituant, est maximè difficilè, & alienum à recta ratione, & debita humanitate, essetque durus, & iniquus creditor, qui, cum non egeat nisi leuiter, cum tanto detrimo, & iactura proximi sui vellet sua sibi restitui.

Et confirmatur, quia talis casus non potest esse moraliter loquendo sine iactura quoque honoris, & famæ sui, & suorum, cum qua nemo tenetur ad restituendum, vnde non voluntariè, sed quasi necessitate compulsus retinet tunc iste debitor aliena, necessitate in quam conseruandi honorem sui status, ad quod iure quodam naturalis ciuitatis tenetur, haberque se sicut, qui restituere non potest, habens animum, & propositum restituendi, quam primum commodè poterit, quod diximus sufficere, quando debitor aliter non potest.

Secunda pars conclus. patet, quia ad colligenda, quæ poterit, vt paulatim restituat minuendo, & attenuando statum, non est impotens. Quid enim facilius, quam reiectis superfluis, & quæ tantum erant ad abundantiam, & pompam, sumere sibi necessaria? Facerent quidem hoc, si sua prodigalitate, aut aliquo infortunio compellerentur, multò ergo potius id debent, vt restituant aliena, & suæ conscientiæ consulant.

Ex hac doctrina sequitur, non teneri Comitem ad vendendum comitatum, vt restituat, nec nobilem ad seruiendum, aut laborādum, nec artificem ad vendendam supellectilem necessariam, & instrumenta suæ artis, & mendicandum, sed ad parcè tamen, & moderatè sumenda sibi necessaria, & paulatim, quam commodius, & diligentius poterunt restituendum, & hoc probant omnes illi textus legum ciuilium, & rationes quas affert D. Nauar, 1. argumento 2. 3. & 4. omnia enim illa docēt, neminem teneri ad restituendum, cum iactura sui status, sed debere restituere, quam commodè poterit, seruando sibi, quæ pro ratione sui status sunt ipsi simpliciter, & omnino necessaria.

Ex eadem doctrina sequitur, non teneri hominem, vt restituat, vendere res suas vili pretio, & cū graui detrimento suo, quod maximè obseruandū est propter creditores, qui extrahunt bona debitorum, vilique vendi faciunt, quod non licet, sed spectat ad iudices curare, vt illa commodè vēdantur. Sequitur etiam, filium adulteræ, qui bona fide, & sine culpa sua constitutus est in statu nobili, & honorifico, quamuis deinde ita certò illi constaret se esse spurium, vt teneretur credere, nihilominus non teneri ad restituenda bona suo legitimo, cum iactura sui status, cum bona fide, & iustè illū acquisierit, sed teneri tantum ad minuendum, & attenuandum citra notam paupertatis, imò, si quæ restitutio est prudenter, & moraliter iudicanda impossibilis, est hæc, vt nobilis bona fide constitutus in statu honorifico, tanquam verè legitimus, deinde, vt spurius ab illo cadat. Similiter, qui bona fide comparauit multam pecuniam ad aliquem statum, propter quam bonam fidem illum iustè acquisiuit, si deinde intelligat, illam pecuniam esse alienam, vel oriatur aliquod graue debitum annexum illi statui, quæ non potest restituere, nisi cadendo ab illo, non tenetur, cum tali iactura restituere, sed solum minuere, attenuare statum, sicut dictum est.

CONCLVSIO II.

Qui statum iniustè acquisiuit, tenetur statim restituere, & cadendo ab illo, etiam si creditor non patiatur similem necessitatem. Non tamen tenetur venire in extremam, sed potest seruare sibi, & suis quæ simpliciter, & omnino videt necessaria, ut parcè viuat, secundum illum pristinum, & præcedentem statum, quem antea habebat.

Hæc etiam est communis inter Doctores illos, quos pro se citat Nauar. & communis inter discipulos. D. Tho. solus enim Nauarr. vult ab statu iniustè acquisito neminem debere cadere. Sed probatur prima pars huius secundæ conclusio.

Primò, ille status est iniustè acquisitus, & omnino alienus, ergo non potest tuta conscientia retineri, sicut pecunia aliena iniustè accepta.

Secundò, qui iustè acquisiuit statum non tenetur cadere ab illo, quia est verè suus talis status, & honor quem ex illo habet, at status iniustè acquisitus nunquam, fuit habentis illum, honorem quoque quem ratione talis status habebat, iniustè possidebat, ergo non potest retinere talem statum, sed tenetur statim amittere, & restituere. Ita fit, vt pauper, qui per eleemosynas falsò, & fictè acquisitas aliquem statum acquisiuit, vel auxit, teneatur cadendo ab illo statu restituere eleemosynas illas fictè acquisitas non dominis, qui illas dederunt, cum iam transtulerint illarum dominium in pauperes,

sed

sed veris pauperibus, quibus fuit animus dominorum illas largiri: Nec valet dicere illos dominos fuisse inuoluntarios, quia fraus pauperum petentium, videtur tollere in eis rationem voluntarij, quia licèt fuerit fraus in particulari huius pauperis, & inuoluntaria in ordine ad hunc, qui petebat, qui non erat verus pauper, non tamen fuit in communi inuoluntaria, sed fuit animus dare pauperi, & ita est restituenda verè pauperi.

Secunda pars conclusionis probatur, quia restitutio nunquam obligat deuenire in extremã paupertatem, tum etiam, quia sicut nemo tenetur cadere à statu iustè acquisito, vt restituat, ita neque tenetur, qui iniustè aliquem acquisiuit, cadere à pristino, & præcedenti, quem iustè obtinebat, & in non extremè indigebat. Et confirmatur ex c. Cum tu, de Vsuris, vbi Alexand. 3. præcipit Episcopo, vt sub pęna excommunicationis compellat vsurarios restituere acquisita per vsuras, si habeant in facultatibus, quòd si non habeant, non esse mulctandos aliqua pœna, cum nota paupertatis eos excuset, vbi apertè vult. Pont. neque vsurarios esse redigendos ad extremam pauperiem, quin sibi necessaria ad vitam pro suo statu, quem antea iustè habebant, retineant, nec vult eos mendicare, vt rest.

Nunc ad argumenta in oppositum. In primis ad argumenta primæ opinionis. Ad primum respondeo, omnia illa capita intelligenda esse, quando laborando, aut mendicando sibi possunt succurrere, restituere, nec ob grauem necessitatẽ excusantur, Vnde capita ista sic intellecta confirmant secũdam conclusio. positam. Sunt qui illa intelligant quando creditor æqualem patitur necessitatẽ, sed præstat prior solutio. Quamuis si ad singula capita adducta descendamus, sic respondere possumus.

In primis in illo c. Si quis, de furtis, nil dici de restitutione, quando debitor graue nocumentum pateretur, sed id tantum, vt si quis furatus sit ob famem, pœniteat per tres hebdomadas, nisi restituerit. Cap. cum tu, de vsuris magis fauet nobis, quàm primæ opinioni, cum ibi Alexander nolit vsurariũ teneri ad restituendum cum nota paupertatis quæ nota incurritur etiam per grauem necessitatẽ. Vnde mirãdum est D. Medinam adducere illum textum pro se, cum ei potius aduersetur. In cap. Exijt de verborum significatione tantum ponuntur duę famosæ opiniones: Prima, extremam necessitatem esse exceptam ab omni lege. Secunda omnibus hominibus esse concessam viam prouidendi sibi necessaria suę naturæ. Ex quibus colligitur in illa decretali, illum, qui ad leuandam extremam necessitatem accipit aliena, nõ peccare, non autem habetur ibi, nullam necessitatem liberare à debito restituendi præter extremam.

Ad secundum, quod est Achilles Adria. Respondeo præceptum restituendi, licèt reducatur ad pręceptum non furandi, plurimũ tamen differre, quia præceptum non furandi est merè negatiuum, prohibens actum malum, & vitij, quo fit, vt nullo tẽpore nullaque causa liceat furari, præceptum autem restituendi licet includat negationem intrinsecè, & habeat se ad modum negatiui, cum tamen sit præceptũ formaliter, & propriè affirmatiuum, præcipiens actum virtutis, præcipit illum cum debitis circunstantijs loci, & temporis, & habita opportunitate, quam non habet, qui prudenter iudicatur impotens, qualis est, qui non posset restituere sine iactura status, quem iustè habet, & sine detrimento honoris, quem iustè possidet, & ita nunquã licet neque vlla de causa furari, licet tamen aliquãdo ex aliqua iusta causa differre restitutionem, vt quando est periculum cadẽdi à iusto statu, & à iusto honore. Vnde quando D. Tho. æquiparat hæc duo, non restituere, & accipere alienum, intelligẽdus est, de eo, qui non restituit habita opportunitate, sine qua dominus, qui vult sua sibi restitui, est irrationabiliter inuitus. Et confirmatur hæc solutio, nam artifex nec ob necessitatem extremam potest furari instrumenta artis, si valet mendicare, at in extrema constitutus potest illa detinere, si illis valet sibi succurrere. Secundò, si media nocte cogitem me habere alienum, non est peccatum media nocte illud detinere vsque ad tempus opportunum, non enim teneor media nocte surgere, & adire creditorem, at furari neque media nocte licet, ergo. Tertiò, non licet furari ad seruandam meam famam, at si restituendo grauis infamia mihi immineat, non teneor restituere cum tali periculo: ita fit non eodem modo omnino, & simpliciter se habere, furari, & detinere alienum, nisi quãdo hic, qui detinet est potens, & habet opportunitatem restituendi. Vnde, vt bene, notauit Caiet. supra q. 57. art. 1. aliud est iustum, & aliud exequutio iusti, propter quod dicit scriptura: [Quod iustum est iustè exequere.] Nam iustum dicit ius, & debitum, exequutio autem iusti dicit actum cum debitis circunstantijs. Si debeat mihi Petrus 100. iustũ est, vt reddantur mihi illa 100. à Petro, exequutio autem iusti quando poterit, & erit opportunitas.

Ad tertium respondeo, hoc præceptum ordinari in vtilitatem creditoris, quando est seruandum, & obligat, cum iactura autem status iustè acquisiti non obligat.

Ad quartum respondeo, ex Caiet. non esse illam germanam rationem, ob quam debitor liberatur à debito restituendi, quia creditor sit irrationabiliter inuitus, sed quia debitor est impotens cũ tanta iactura. Respondeo secundò, esse quoque creditorem irrationabiliter tunc inuitum, durumque & crudelem, qui vellet, cum ipse non patiatur similem necessitatem, rem suam sibi restitui debitore à suo statu iustè acquisito misere cadente. Et ad probationem, iudex iusta sententia præciperet debitum solui, dico ex legibus pro secunda opinione adductis, nunquam aliquem condemnari ad tantam restitutionem, quin per sententiam si iudicis relinquantur illa necessaria sibi, & suæ familiæ pro ratione sui status, quamuis moderatè, & frugaliter, quando status est benè acquisitus. Quod si aliquando per sententiam compellatur aliquis restituere in integrum, & cadere à suo statu, iudicatur ita, quia iuridicè ostenditur, & supponit iudex statum illum non fuisse eius, qui habebat illum, sed alterius cui adiudicatur, & ideo præcipitur cum tanto detrimento illum restituere, quasi omnino alienum, & iniustè acquisitum.

Ad quintum respondeo, non acquiri dominium in re aliena, propterea quod debitor retineat necessaria suo statui iustè acquisito, quia dominum dicit liberum ius in rem ad omnes vsus quos voluerit, dominus autem iste non potest vti re, quam dicimus posse sibi retinere, liberè, neque ad omnes vsus, sed solum ad necessarios suæ sustentationis, cum debito restituendi illa, quæ conceditur suæ necessitati retinere, quotiescunque poterit.

Ad sextum respondet Sylu. loco cit. doctrinam quam hic proponimus, non esse diuulgandam populo, sed solis confessarijs, qui illam callere debẽt ad casus particulares cõtingentes. Dico etiam, et si à populo intelligãtur, non propterea præbere nos illis causam furandi, & rapiendi aliena, sed docemus quod est consonum veritati, & æquitati naturali,

tali, sed suæ malitiæ, ob quam utentes hac veritate nitentur aliena rapere, erit hoc unpuiãdum, sicut solent peccatores audita Dei benignitate, & misericordia, quæ adeo laudabilis est, & commendanda, ansam accipere ad liberius peccandum, iuxta illud Eccles. 8. [Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, ideo absque vllo timore filij hominum perpetrant mala. Quod non diuinæ benignitati, sed peccatorum iniquitati tribuendu est. nec mirum quod Theologica doctrina aliquãdo impijs sit in laqueum, non culpa doctrinæ, sed impiorum peruersitate, sicut Christus dominus supremus doctor, & Theologus iuxta Simeonis vaticiniũ, [Positus fuit in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.

Obseruandum hic est, quod diximus supra art. 5. debitorem qui iniquè contraxit debita, teneri ad mittendum debitum creditori absenti, etiam cum proprijs expensis, demptis his quas creditor fecisset in re sua asportanda, intelligendum esse iuxta doctrinam hic positam, nisi ad transmittendum illud debitum, & faciendas tot expensas ex proprijs, teneatur pati iacturam in suo statu iustè acquisito, cum tali enim iactura non tenetur.

Obseruandum secundò est, quod dicimus non teneri debitorem ad restituẽdum cum magno detrimento, cum tribus modis possit intelligi: Primò, vt non teneatur, quia debitum restituẽdũ sit magna quantitar, vel secundo, quia restituendo illud cessat illi magnum lucrum, vel tertiò, quia restituẽdo patietur magnum detrimentum in proprijs, nõ esse intelligendum primo modo, quia illud nõ est pati detrimentum in suis bonis, sed raddere alienũ vero domino, & oppositum esset fauere furibus, qui quo maius furtum cum nitterent, magis excusarentur à restituendo, nec intelligi secundo modo, nam illum lucrum cessans non est pati detrimentum in suis bonis, sed non vti alienis, vt benè notarunt Scotus, & Ricardus; quos refert Caiet. quia lucrum cessans non habet locũ nisi in re propria, quæ alio tempore carius vendenda erat, aut ex qua vtilitas aliqua erat accipienda, non autem in re aliena multo domino detenta, imò, vt diximus, tale lucrum cessans vna cum re aliena suo domino restituendum est. Vnde est intelligenda doctrina hæc in proprijs bonis, qui est tertius modus, vt nõ teneatur debitor restituere cum magno detrimento suorum bonorum, vt qui habet domum, vel vineam, vel alias merces, non tenetur vili vendere, & cum damno suo vt restituat, sed potest expectare commodum tempus ad vendẽdum, & restituendum.

Nunc ad argumenta D. Nauar. Ad primum respondeo, omnes illas leges docere nostram primã conclusionem. Sunt enim intelligẽdæ de statibus, & bonis iustè acquisitis, in quibus volunt meritò istæ leges neminem ita expoliandum, vt priuetur omnino necessarij suo statui, & in eodem sensu cõcedũtur illæ facultates regiæ aliquibus nobilibus, quando habent iustè acquisita. Vnde si quis dicat leges istas, vel facultates esse tantum permissiuas, reddentes debitores tutos in foro iudiciali, non autem in foro animæ decipietur, imo sunt leges iustæ decernentes quod est æquum, & iustum in vtroque foro, sicut patet ex prima conclusione.

Eodem modo soluitur tertium ex lege illa, Miles, loquitur enim de militibus qui suo labore, & iuste militiam exercendo statum, vel bona sibi acquisierunt.

Ad quartum respondeo, habentem statum iniustè acquisitum iniustè quoque possidere honorem, qui illum consequitur, & ideo meritò omnibus simul expoliari tanquam alienis iniustè possessis, habentem vero statum iustè acquisitum, cum iustè quoque possideat honorem, qui illum cõsequitur, non teneri ad restituendum cum sui honoris iactura, quia honor iustè possessus bonis temporalibus præferendus est.

Quintum argumentum nobis fauet, nam quia necessitas grauis est media inter extremam, & læuem, debet participare ex vtraque, debet assimilari læui, quãdo debita sunt iniustè contracta, ita vt restituantur etsi immineat periculum grauis necessitatis, & assimiliari extremæ, quando sunt iustè contracta, ita vt, sicut imminente extrema necessitate non est facienda restitutio, similiter nec debita iustè contracta imminente graui necessitate, & iactura status sint restituenda.

Ad vltimum respondeo, vtraque bona esse obnoxia restitutioni, sed cum discrimine, iniquè acquisita, quia nunquam fuerunt habentis illa, simpliciter & omnino, iustè verò acquisita, quia verè sunt habentis illa, quando debitor commodè potest illa restituere, quod certè non potest quando imminet illi iactura sui status, nam quæ maior incommoditas?

Obseruandum est hic, quod habet D. Thom. in solutione argumenti, non potentem restituere, vel omnino & simpliciter, vel pro aliquo tempore debere petere per se, vel per alium aut remissionem, debili, aut dilationem, intelligendum esse, quãdo illa impotentia nõ est omnino euidens, quia si euidens sit, velit, nolit creditor, debet aut remittere, aut expectare, quando verò non est ita euidens, ad maiorem conscientiæ securitatem oportet debitorem vti ista cautela, & quia vt plurimum ista impotentia non est ita euidens, loquutus est D. Tho. in genere & sine hac distinctione respiciẽs ea quæ vt plurimum eueniunt. Offerunt se modò nonnullæ difficultates.

AN QVI CEDVNT BONIS, *ex quibus non soluuntur omnia debita in integrum, sed per ratam, maneant tuti in conscientia.*

A Dria. & Medi. locis supra cit. putant non esse securos, quando isti retinent sibi & familiæ suæ necessaria, quia ex eorum opinione nihil possunt sibi retinere, sed debent mendicando, vel laborando uictum quære, leges autem ciuiles, quæ concedunt huiusmodi cessionem bonorum, liberare eos tantum in foro exteriori à carcere, & alijs vexationibus, non autem in foro interiori animæ.

Sed opposita sententia est cõmunis inter Theologos seruatis his conditionibus. Prima, huiusmodi debitores nil omnino abscõdere, præter ea quæ simpliciter & omnino sunt sibi necessaria, vt si habenti 200. sufficiat 100. & abscondat 200. cum vtatur fraude & dolo apertè, non est tutus in conscĩetia. Secunda, vt si cedens bonis secretò sibi seruet necessaria, nihil petat à iudice in alimenta, cum iam sibi necessaria retinuerit, quod si postulauit à iudice alimenta, & obtinuit conuenienter, tunc quæ secretò abscondera, tenetur reddere creditoribus, huiusmodi enim debitor ea solum retinere potest, quæ sibi sunt omnino necessaria.

His

His suppositis, dico cedentem bonis, si iniustè illa acquisita sint, nil posse sibi retinere, sed debere illis omnino cedere, & quærere victum labore, vel mendicitate, quia talia bona nunquã fuerunt eius, sicut diximus de statu iniustè acquisito: quod si bona erant iustè acquisita, tutus est in conscientia cedendo illis iuxta leges ciuiles, potestq; tuta conscientia seruatis illis cõditionibus retinere sibi necessaria, minuendo, & attenuando statum, sicut diximus de statu iustè a quisito, de huiusmodi enim agunt leges istæ ciuiles & l. 1. C. qui bonis cedere possunt, quæ cum sint iustæ & maximè expedientes bono communi, reddunt debitores tutos in cõscientia.

Addiderim tamen huiusmodi debitores manere semper cum debito restituẽdi in integrum singulis creditoribus, si deinde possint adueniente pinguiori fortuna, quia cessio ista conceditur illis ratione necessitatis in quã venerunt, qua deficiente & cessante cessat etiam ista concessio legum, & tenentur in integrum restituere.

TENEATVR NE DEBITOR vnà cum debito restituere etiam creditori lucra, quæ illi cessarunt ex dilatione restitutione.

Hic distin. opus est, nam aut debitum fuit iustè contractum, vt per emptionẽ, &c. aut iustè vt per vsuram vel rapinã. Rursum aut dilatio fuit cum consensu creditoris, aut eo inuito, tùm etiam, aut dilatio fuit culpabilis, quia noluit debitor restituere, quando potuit, vel fuit impotentia, quia non habebat, vnde redderet. Denique aut dilatio fuit ad vitandum graue aliquod nocumentum in proprio honore, & fama, vel in alijs rebus spiritualibus & superioris ordinis, aut ad vitandum tantum nocumentum in proprijs bonis temporalibus.

CONCLVSIO I.

Quando restitutio delata est libero consensu creditoris tenetur debitor ad restituendum lucrum cessans.

Quia consentiens in dilationem simul consensit lucrum illud sibi cessare.

CONCLVSIO II.

Quando debitum fuit iustè contractum, & dilatio ex omnimoda & simplici impotentia debitoris, non tenetur restituere lucrum cessans.

Probatur. Omnis restitutio facienda est aut ratione rei acceptę, aut ratione iniquæ acceptionis, aut ratione damni illati, hic non intulit dãnum in casu huius conclusionis, quia ex nulla culpa sua cessat lucrum creditori, cum desinat restituere ex omnimoda impotentia, nec ratione iniquæ acceptionis, quia fuit debitum iustè contractum, vnde tenetur tantum ratione rei acceptæ tenetur ad restituendum, ex cõmuni Doctorũ sententia illa restituta ad nihil amplius tenetur; ergo.

CONCLVSIO III.

Quando debitum fuit iniustè contractum, tenetur debitor, quam primum poterit restituere & debitum, & lucrum cessans & similiter si fuit iustè quidem contractum, dilatio verò solutionis, fuit ex culpa debitoris, qua culpa debitoris, quia cum potuerit soluere fuerit in mora.

Probatur, quia in vtroque casu huius conclusionis debitor iste culpa sua est causa lucri cessantis, nocuitque creditori cum iniuria in cessatione talis lucri, vbi autem damnum & nocumẽtum est cum iniuria, ibi, & vinculum restituendi.

CONCLVSIO IIII.

Quando dilatio fuit ad vitandum nocumentum in rebus superioris ordinis, non tenetur debitor restituere lucrum cessans, quando verò ad vitandum illud in rebus ordinis, & proprijs tenetur.

Haec est Caietan. loco cit. in Sum. Probatur prior pars, quia dilatio ad vitandum tale damnum ęquiparatur impotentię omnimodæ, & simplici. Tum secundo, quia licut fama, & bona spiritualia, non sunt res vendibiles, ita nec lucrum, quod cessauit creditori, vt ego meam famã, aut gratiam tuerer, debet illi persolui, quia esset velut reddere pretium pro mea fama, & gratia.

Probatur secunda pars, quia nemo debet esse sibi vtilis in temporalibus cum damno alieno, cum ergo debitor in suis bonis sibi consuluerit, detinendo bona creditoris, tenetur creditori soluere vnà cum debito, & lucrum cessans, alioquin pateretur creditor damnum in proprijs propter commodum alienum, quod non patitur recta ratio. Vltima quæstio est.

QVANDO SVNT PLVRES creditores, nec licet omnibus in integrum restituere, quis seruabitur ordo?

De hac q. Caiet. in Sum. Restitutio cap. 8. Medi. C. de reb. resti. q. 2. fol. 8. Sylu. Restitut. c. 6. q. 5. Gabriel in 4. d. 15. q. 2.

In hac quæstione in primis hæc certa sunt apud omnes. Primò, quando debitor omnibus potest in integrum soluere, parum referre cui prius vel posterius soluat, modò seruet tempus cum illis constitutum.

Secundò, quando omnibus non potest, illa prius esse restituenda quæ debitor habet in propria specie, quàm alia, quia illa bona nunquam fuerũt debitoris, sed manserunt semper sub dominio illius à quo accepta fuerunt in eadem specie, & ideo illi restituenda.

Tertiò, restitutis ijs quæ manebant in propria specie suis dominis, ex alijs debitis prius esse restituẽda quæ certa sunt, quàm incerta, sunt enim creditores certi melioris conditionis, & habent potius in sua debita certa, quàm habeant pauperes vel Ecclesia in incerta.

Quartò, cum duo sint genera debitorum, quædam realia, ad quæ res aliqua certa obligata est, vt in

in censibus annuis, quibus obligantur aliqua hæredit.as vel domus: pignora quæ traduntur in fide-iussionem accepta pecuniæ, & res ipsæ emptæ, quādiu non soluitur earum pretium, alia verò personalia, quæ debet creditor nulla peculiari re illis ob ligata, sed ipso tantum debitore: certum est ex his debitis realia prius soluenda esse quàm personalia, quia creditores realium habent ius & in debitorem, & in res suis debitis obligatas, creditores autem debitorum personalium tantum habēt ius in debitorem: vnde habent illi duplex ius, propter quod sunt melioris conditionis, estque illis prius restituendum: Quod intelligendum est de bonis cuique debito deuinctis, vt si debitor non habeat nisi hanc vineam, ex qua sua debita multis creditoribus persoluat, illa prius soluenda sunt, quibus vinea illa deuincta est, quia hæc sunt realia: & inter eos prius debet restituere illi, à quo pecuniam accepit, vt vineam ille emeret, deinde illis qui habent aliquos sensus supra illam, quia his quoque prius quam aliis hæc eadem vinea deuincta est, seruenda autem sunt in his statuta cuiusque Reip. & Communitatis, maximè ius commune: quod si illud dubium sit, standum erit interpretationi peritiorum, possunt enim leges humanæ statuere ordinem seruandum in soluendis debitis propter bonum commune, etiamsi decernat debita minus antiqua prius solui, vt de dote mulieris, maius namque est transferre dominium ab vno in alium, quā constituere ordinem in soluendis debitis. vnde cū possint leges humanæ prius illud ob bonum commune, poterunt & hoc posterius, eruntque seruandæ in vtroque foro.

Maior difficultas est de personalibus, de quibus sit.

CONCLVSIO I.

Inter debita personalia illa prius sunt restituenda, quæ cum maiori iniuria sunt contracta.

Patet, quando quis vult recedere à multis peccatis, nec simul potest ab illis, sed successiuè, & paulatim, debet incipere à grauioribus, sed iu ter petita illa sunt grauiora, & magis iniqua, quæ cum maiori iniuria sunt contracta, ergo. Ita sit primo loco esse restituenda quæ per rapinam, secundò quæ per furtum, tertiò, quæ per vsuras contracta sunt, quartò, quæ per contractus licitos, vt emptione, vel mutuo, quintò, debita ex legatis, aut promissionibus orta.

CONCLVSIO II.

Inter alia debita eiusdem speciei, & quando sunt plura furta solo numero diuersa, cæteris partibus prius est restituendum debitum antiquius.

Quia ex regula iuris in 6. qui prior est tempore, potior est iure, nisi iam creditor recentior magis indigeat, tunc enim habēda est ratio maioris necessitatis, quod si interueniat auctoritas legis, vel iudicis, tūc standum est legi, vel sententiæ propter auctoritatem, quam leges humanæ habent in his, vt dictum est.

Sed contra primam conclusionem hic positam, quam habet Medina contra Caiet. offerunt se nōnulla. Primò, magis teneor benefactori quā alijs, qui mutuo dedit beneficit mihi, ergo prius debeo restituere accepta mutuo, quàm alia, & per consequens prius sunt restituenda debita cōtractu licito parta, quam alia. Secundò, maior iniuria infertur non restituendo mutuanti gratis, quàm soluenti vsuras, cum hic voluntariè illas dederit vsurario, ergo prius est restituendū debitum ex mutuo, quam debitum ex vsura. Tertiò, euenire potest, vt creditor debiti liciti patiatur maiorem necessitatem quam creditor debiti illiciti patienti autem maiorem necessitatem prius est restituendum, quam alijs. Ergo.

Singula suo ordine diluamus. Ad primum respōdeo, benefactori me magis teneri ex gratitudine, ex iustitia verò magis illi, cui cum maiori iniuria damnum intuli, quia, cum vinculum restitutionis nascatur ex damno illato cum iniuria, vbi maior iniuria, ibi & maius vinculum. Ad secūdum dico, maiorē iniuriam personalē inferri mutuanti, quā-do illi debitū non restituitur, sed maiorem iniuriā legalem, & cōmutatiuam illatam esse soluenti vsuras, quia vsura est contractus omni lege diuina, naturali, & humana prohibitus, & secundū se illicitus, ac implicitè inuoluntarius, quia nullus illas vellet soluere, soluit aūt ad redimendam suam necessitatem. Ad tertiū dico, illud non aduersari nostræ conclusioni, quæ loquitur cæteris paribus, vbi autem maior necessitas, iam non sunt omnia paria.

QVAESTIO LXIII. De acceptione Personarum.

QVAM methodum in alijs virtutibus explicandis obseruauit D. Tho. vt proposito prius proprio cuiusq; obiecto & actu, ex quibus natura & ratio vniuscuiusque dignoscitur, ad vitia illi opposita conuertat orationem, in hac disputatione de iustitia non dimisit, postquam enim egit de proprio iustitiæ obiecto nempe iure, de eiusdem actu nempe iudicio, de vtraque iustitiæ specie distributiua, & commutatiua, & vtriusque actibus, incipit modò agere de vitijs vtrique iustitiæ oppositis, inter quæ primum locum obtinent quæ distributiuæ aduersantur, quia hæc vt virtus quæ in principe debet residere, & bona communia spectat, excellentior est cum autem contrarietur potissimè iustitiæ distributiuæ acceptio personarum, ideo de hoc vitio primum omnium disputat, De quo Doctores in 4. d. 15. Gabriel q. 6. Abulen. in cap. 22. D. Matth à q. 108. vsq; ad quæstionem 120. Mag. Soto lib. 3. de Iust. q. 6. Summistæ in verbo acceptio personarum. Verbo dignitas. Verbo Electio. & Verbo beneficium.

ARTICVLVS I.

An acceptio personarum sit peccatum mortale?

OBseruemus primò parum referre an ista voce, acceptio personarum, Latini authores, vt Cicero, Quintilianus, & alij antiqui Romani vsi sint, nobis enim qui Theologiam, non Latinum splendorē, & eloquentiam profitemur, sat est in sacris litteris & in sanctis patribus Ecclesiæ Doctoribus reperiri, veluti D.Aug.lib.2. contra duas Epistolas Pelagianorum c.7.tom.7. vbi aduersus illos hæreticos ostendit in Deo non reperiri acceptionem personarum. Et D.Hiero. qui in Epistola ad Celantiam, cuius initium est, Vetus, tom. primo epistolarū ait, [Non accipit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorū.] Nec refert Erasmum hanc Epistolam non Hiero. sed D. Paulino tribuere, cum omnium consensu fuerit Hiero. quod si sit Paulini, eo ipso erit quoque Doctoris grauissimi, & coætanei. D.Hiero.& & D.Aug. Vocant autem Cicero & alij admittere personas, quod nos dicimus accipere personas. Solet quoque appellari hoc vitium respectus personarū, quo nomine Matth.22. commendatur Christus à Pharisæis, [Non respicis personam hominum.] Nomine verò personæ intelligunt Doctores quicquid non pertinet ad merita, & dignitatem personæ, in ordine ad rem, quæ distribuitur, qui modus loquendi ita inductus est. Habet hæc vox persona duplicem significationem. Prima est propria, iuxta quam diffinitur à Philosophis, & Theologis intellectualis naturę indiuidua substātia, alia est translatiua, iuxta quam significat eos, qui in comœdijs aliorum personas referunt, sic dicimus hunc agere personam regis, illum mulieris, quia exterius ista repræsentant, licèt nihil minus habeant quàm esse Regem, vel Principem, ita qui in distributione alicuius rei non respicit merita, cum merita verè ista non sint, nisi secundum exteriorem tantum superficiem mundi, dicitur respicere personas hominum, & accipere personas. Obserua hic elegantem distinctionem D.Thom. inter acceptionem personæ, & acceptionem causæ: hæc enim iusta est, illa verò iniqua.

Obseruemus secūdò acceptionem personarum communiter definiri à Doctoribus, [Iniustitiam qua in distributione præmiorum, vel bonorum cō munium, quæ pro meritis debentur, vnus alteri præfertur propter indebitam causam. [Est enim similis hæc iniustitia illi fallaciæ, quam vocat Aristo.in Sophisticis nō causam, vt causam ponere, vt qui beneficium conferendum ob doctrinam conferat ob affinitatē. Colligitur hæc diffinitio apertè ex D.Augu.loco cit. contra Pelagianos, & ex D. Tho.hic dicente. [Personarum acceptionem esse, quando nō debita causa, sed persona respicitur.] Et ex Glossa in illud Ephes.6. [Personarum acceptio non est apud Deum.] Vbi ait: [Deus iustus iudex causas, non personas discernit.

Sumitur in hac diffinitione iniustitia loco generis, est enim iniustitia vitium complectens quicquid iustitiæ aduersatur, aduersatur autem acceptio personarum iustitiæ distributiuæ, cum huius sit merita respicere, quod ab acceptione personarum adeò alienum est. Addimus in eadem diffinitione in distributione eorum quæ debentur, nam sicut iustitia non habet locum in gratuitis, & iis quæ ex sola misericordia, & liberalitate conferuntur, sed in iis quæ debito redduntur, consequenter & acceptio personarum. Vnde falsus est Abulen. loco cit. q.115. existimans committere acceptionem personarum eum, qui dimisso paupere extremè indigente confert eleemosynam amico, non ita indigenti; arbitratur enim non esse aliud vitium, ad quod huiusmodi peccatum reducatur, nisi acceptionem personarum, cū tamen sic agens non peccet contra iustitiam, & consequenter non committat acceptionem personarum, sed solum peccet cō tra charitatem & misericordiam, ex qua tenetur extremè indigentē aliis non ita indigentibus, quicunque ille sit, præferre. Adiectæ etiam sunt nonnullæ aliæ particulæ in eadem diffinitione, vt distinguatur hoc vitium ab aliis speciebus iniustitiæ commut. consistunt enim aliæ in quadam inæqualitate rei ad dignitatem, & merita personæ.

CONCLVSIO I.

Acceptio personarum est peccatum mortale ex suo genere.

PRobatur à D.Thom. Primò, quia repugnat iustitiæ distributiuę ex diametro, & directè, omnis autem iniustitia, quę ita virtuti iustitiæ aduersatur, vt ostendimus supra q.59.art.4. est peccatum mortale ex suo genere, Dico ex suo genere, quia ex leuitate materiæ, aut per accidens potest aliquando esse veniale, Quod autem directè repugnet iustitiæ distributiuæ, probat optimè Soto, quia distributiua nuda, solaque merita respicit, acceptio autem personarum personas ipsas, vel alias qualitates, quæ in ordine ad bonum distribuendū non habent rationem meriti.

Probatur secundò conclusio, quia ex acceptione personarum sequuntur grauissima damna in Repub. tàm ciuili, quàm Ecclesiastica, Primò inuertitur ordo personarum contra rectam rationē. Quid enim magis dissonam rationi, quàm vt indignī dignis, vel dignioribus præferantur, & qui deberent esse in supremo loco sint in infimo, & contra? Sicut inuerteretur huius vniuersi status, si cœlum & elemēta leuiora essent inferius, & grauiora superius, inuerteretur humani corporis forma, & constitutio, si oculi in loco pedū, & pedes in loco oculorum existerent, Quod deplorans sapiens Eccles. 10. dicebat. [Est malum quod vidi sub Sole quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultū in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum, vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.

Secundò cedit in maximum detrimentum, & iniuriam ciuium, quia, cum dantur præmia indignis prætermissis dignis quibus erant conferenda, expoliantur hi quasi iure suo, & alii hoc videntes inducuntur in bonarum artium, & virtutis neglectū, cessatque litterarum, studium, & virtutis cura, si videant ciues beneficia, dignitates, & similia bona non meritis, sed negotiationibus, fauoribus, & amicorum precibus, aut aliis forsan iniquis, & turpibus viis obtineri, traduntque seipsos negotiationibus, & indebitis potentium obsequiis, vt beneficia, & alia munera obtineant quod malum quanta pariat damna, & quod efficiat simonias, prudens quiuis diiudicet.

Tertiò efficitur, vt vitia & peccata indigeantur, dignis enim & benè meritis electis ad munera, guber-

gubernantur rectè Resp, vitia comprimuntur, quę electis indignis, tum quia nesciũt indigni sua munia gobernare, & iniquos corrigere, ac punire, tũ quia inferiores, & subditi habẽt illos contemptui, & quicquid præcipiunt irrident, in dies crescere necesse est.

Vnde indigno & insufficienti consulit sapiens loco cit. [Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.] Quasi dicat, si desiderium habendi potestatem ascenderit in cor tuum, reijce tale desiderium, & ne deseras locum tuum humilem & subditi, quia tu indignus, & insufficiens, & non valebis gubernare, & curare peccata aliorum, qui autem sapiens, & sufficiens est si dicatur iste curabit peccata maxima. Cum ergo acceptio personarum hæc similia damna præstet, quæ adeò grauia sunt, quis dubitabit esse peccatũ mortale ex suo genere, imò & grauissimum.

Hæc conclusio D. Thom. est de fide, cum in sacris litteris, quæ non solent nisi peccata mortalia ponderare, adeò prohibeatur Deuter. 1. [Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam.] Et cap. 16. [Non accipies personam, nec munera.] Leuit. 19. [Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potẽtis.] Prouerb. 18. & 24. & 28. habetur. [Cognoscere personam in iudicio nõ est bonum.] Ecclesi. 24. [Ne accipias personam, vt delinquas] Iacob. 2. [Nolite in personarum acceptione habere fidem.] Et infra. [Si autem personam accipitis, peccatum operamini.] Constat etiam hęc conclusio lumine naturali, cum experientia teste acceptio personarum tot mala pariat, quot retulimus. Vnde vt refert Aristot. 1. Rethoricorum (vbi commendat Areopagum) Areopagitæ Athenis noctε solebant iudicare, ne iudices facies, aut vultus litigantium videntes, sed solum ea quæ proponebantur audientes, ab hoc vitio abstinerent. Commendatur etiam Socrates, qui prohibeat vxorem & liberos iudicandi ad mortem in iudicium venire, ne iudices illorum fletibus moti à punẽdis impijs cessarent, violarentque iustitiam respicientes personas.

CONCLVSIO II.

In solutione tertij.

Apud Deum non est acceptio personarum, etiamsi quosdam sine meritis reprobauerit, alios verò prædestinauerit, similiter etiamsi aliquibus conferat auxilia efficacissima quibus resurgant à peccato, & gratiam, alijs vero neget huiusmodi auxilia, & gratiam.

Ratio est apertissima, quia acceptio personarum tantum habet locum in distributione debentur, Deus autem nulli est debitor, siue accipias hominẽ in puris naturalibus, siue lapsum in peccatum, & in statu naturæ corruptæ, sed ex mera liberalitate sua dat huic peccatori suam gratiam, relicto alio qui forsan habebit æqualem, vel maiorem dispositionem. [Et cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] Quorum effectum non debet esse homo solicitus indagator, iuxta illud D. August. [Cur hunc trahat, illum verò non, noli inuestigare, si non vis errare.] Sed est clamandum cum Paulo. [O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.] Hoc tamen certum est, Deum in his nulli est debitor. [Quis enim prior dedit ei, vt retribuatur illi ?] Ex suis bonis nulli iure aliquo debitis, quorum est liber & absolutus dominus, largitur illa cui vult. In quem finem proposuit Math. 20. illam parabolam operariorum, qui fuerunt conducti ad vineam. Vbi ait conquerenti, quod alijs plus dedisset. [Amice non facio tibi iniuriam, an non licet mihi ex bonis meis quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? tolle quod tuum est, & vade.]

Hæc conclusio est de fide Deut. 10. [Deus magnus, fortis, & terribilis, &c. qui personas non accipit, &c.] 2. Paralip. 19. [Non est apud dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio.] Iob 34. [Qui non accipit personas principũ, nec cognouit tyrannum, cum disceptaret cum paupere.] Acto. 10. ait Petrus. [In veritate comperi, quia non est personam acceptor Deus.] Rom. 2. ad Ephes. 6. & alijs multis in locis.

CONCLVSIO III.

Ad iustitiam distribut. Dei pertinet supposita diuina ordinatione & lege hominibus constituta, vt existentibus in gratia, & perseuerantibus in illa vsque ad mortem conferat Deus gloriam, & præmia æterna pro ratione meritorum.

Ita Soto lib. 3. de iustit. quæst. 6. art. 1. & omnes recentiores. Probatur, licèt Deus nemini sit debitor simpliciter & absolutè, supposita tamẽ diuina ordinatione, & lege debentur præmia meritis factis in gratia: vbi autem quæ redduntur sunt debita pro meritis, ibi & iustitia distributiua, ergo.

Confirmatur ex sacra scriptura, quæ hoc opus Dei, quo iusti glorificãtur, vocat iustum & actum iustitiæ, in illa parabola Math. 20. (Ite & vos in vineam meam, & quod iustum &c.) Paulus. (Bonum certamen certaui, &c. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi.) Vnde Psal. 38. præmittit. (Misericordiam, & veritatem. Idest iustitiam. Diligit Deus, & subiungit, gratiam & gloriam dabit Dominus. Quasi dicat misericordiam operatur Deus & iustitiam cum hominibus, misericordiam, cum confert illis gratiam, iustitiã, quando reddit illis gloriam, aut non conferret pro ratione meritorum, negari non posset reperiri in ipso aliquam personarum acceptionem. Sed sicut impossibile est mentiri Deum, aut iniquitatem in eo reperiri, ita est impossibile, vt talis acceptio personarum in ipsum cadat. Vnde Pao. postquam dixit, (Quam reddet mihi iustus iudex.) Idest seruãdo æquitatem, addit, Non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.) Idest, omnibus iustis, & Rom. 2. Reddet vnicuique iuxta opera sua.) Et alibi. Oportet omnes nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit.) Et Iob 34. (Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet eis, & iuxta vias singulorum restituet eis.

Sed aduersus secundam conclusionem positam ingerit difficultatem quidam locus D. Hiero. qui in illa verba Abacuc. 2. (Si autem subtraxerit se, non placebit animæ meæ, iustus autem meus ex fide sua viuit.) Ait ex persona Dei.

X 2 [Non

[Non statim debes arguere, vel interficiendo, vel viuificando, quod apud me acceptio personarum sit, quia ipse iustus viuificationis suę causa est, quia in fide sua viuit, sicut quia te subtraxisti, & in me credere noluisti, animæ meæ displicuisti.] Ex quo loco sic argumentor. Ideo ex D. Hier. non est acceptio personarum in Deo, quia ex parte vnius inuenit fidem velut causam suæ viuificationis, in alio verò infidelitatem velut causam ad illum interficiendum, ergo si ex parte hominũ nulla esset causa, profectò iuxta istam doctrinam D. Hiero. Deus esset personarum acceptor, sed de facto ita res habet, vt in viuificatione hominis per gratiam nulla prorsus ex parte ipsius hominis existat causa, ergo Deus acceptor personarum est. Et confirmatur ex illo loco Act. 10. [In omni gente quæ timet Deũ, & operatur iustitiam acceptus est illi.] Vbi hoc nomine docet, Deum non esse acceptorem personarum, quia diligit timẽtes se, & diligit ex iusta causa: Vnde si nulla præcedente causa ex parte hominis aliquem diligeret, esset personarum acceptor.

Secundò, sicut se habet Deus in puniendo peccatore, ita in iustificando impio, sed si puniret aliquem æterno supplicio sine culpa, vel existentem in inferno ab illa pœna liberaret, esset acceptor personarum, ergo similiter si nulla præcedẽte causa ex parte hominis alicui suam gratiam conferat, & alteri neget, quod passim præstat, erit acceptor personarum.

Tertiò, si vellet diues bona sua distribuere ciuibus suis, & ab ea distributione inimicum suum excluderet, esset personarum acceptor, quamuis ex mera liberalitate sua illa distribuat, ergo similiter Deus etsi ex sua mera liberalitate & misericordia quosdam iustificet, alios verò non, cum omnes sint creaturæ ipsius, non est excusandus ab acceptione personarum.

Quæstio hęc habet proprium locum prima par. quæst. 23. vbi agitur de prædestinatione, & 1.2. in materia de gratia. Interim obseruemus, inter bona quæ Deus homini confert, hæc tria esse potissima. Primò diuinam prædestinationẽ, qua ab æterno quosdam ordinauit ad gloriam, alios verò dimisit, nec ordinauit ad illam. Secundò vocationẽ ad fidem & gratiam, qua in tempore hunc vocat ad fidem, alium dimittit in sua infidelitate, hunc peccatorem iustificat, alium dimittit in sua culpa. Tertiò, vltimam retributionem, qua iustis gloriam suam actu largitur, impijs verò æternũ suppliciũ.

Hoc posito dico tria. Primò in illa æterna prędestinatione personarum acceptionem non potuisse reperiri, quia acceptio personarum est iniustitia quæ versatur circa debita ex meritis, in Deo autẽ iniustitia aliqua locum non habet, nec hoc Deus elegit, illos verò reprobauit propter eorum merita, vel demerita, sed ex solo beneplacito voluntatis suæ, vt copiosè D. Pau. Rom. 9. prosequitur.

Dico 2. similiter, in vocatione & iustificatione hominum non reperiri acceptionem personarum in Deo, cum nõ pendeat ex hominum meritis, sed ex sola quoque & mera Dei voluntate, cur hunc vocet ad fidem, illum inter Turcas dimittat, hunc sua gratia iustificet, illum verò non, nam si gratia, non ex merito, neque debito, vel operibus: Vt videre est in duobus pueris recenter natis, quorum alter sine baptismo moritur, alter verò per baptismum iustificatur: cuius discriminis nulla alia causa assignari potest præter solam diuinam voluntatem.

Dico tertio in augmento gratiæ, collatione gloriæ, & punitione inferni, supposita lege Dei, nisi iustis gloria & impijs supplicia æterna conferrentur, concedendam esse in Deo aliquo pacto personarum acceptionem, quia tunc non darentur præmia iustè debita meritis. Quamuis enim Deus nulli sit debitor, supposita tamen lege, quam hominibus cõstituit, voluit pręmia iustis, & supplicia peccatoribus tanquam ex iustitia esse debita, vt constat ex dictis in tertia conclusione hic posita.

Ad primum respondeo, non significare ibi D. Hierony. fidem in iustificato esse causam gratiæ, quam Deus confert, neque causam, cur Deus iustificans hunc, & alium dimittens non accepter personas, cum sit fides donum Dei, & nõ ex nobis, sed quoniam in homine præcedit primam gratiam, & iustificationem motus liberi arbitrij, non vt causa gratiæ, sed vt cooperans Deo infundenti gratiam & iustificanti, habetque homo in illo instanti actũ fidei formatæ, qui est vltima dispositio ad gratiã, & sine qua homo non iustificaretur, ideo huiusmodi fidei tribuitur à D. Hiero. viuificatio hominis, cum tamen & fides, & gratia, & iustificatio sint ex mera Dei voluntate.

Dico secundo D. Petrum Acto. 10. & D. Hiero. non sumere in istis locis acceptionem personarum in rigore sermonis, sed per quandam similitudinẽ, quia enim Deus facientibus quod in se est ex viribus naturæ, non denegat auxilia gratiæ, non vt debita ex iustitia sed ex quadam æquitate, negat autem illam saltem efficacia homini non facienti quod in ipso est, ideo affirmant illum non accipere personas in viuificatione iusti per gratiam, aut in interitu peccatoris. Habent enim hæc quandam similitudinem, vt sicut iustus distributor dicitur non esse acceptator personarum, quando præmia tribuit pro meritis, ita quoque Deus dicatur non esse acceptator personarum quia faciẽtibus quod in se est confert abundanter auxilia, quę negat ijs, qui non faciunt quod in ipsis est. Nihilominus etiam si facienti quod in se est, Deus non conferret suam gratiam, non esset acceptator personarum, cum non teneatur ex iustitia, neque alicui sit debitor.

Ad secũdum dico, simpliciter & absolutè Deum etiamsi iustis negaret gloriam, & impium extraheret ab inferno, non est acceptator personarum, cum nulli sit debitor, supposita autem diuina lege & conuentione facta cum iustis, esset aliquo modo acceptator personarum, si ita ageret, vt explicatum est in tertia conclusione posita.

Ad tertium respondeo, diuitem qui ex suis bonis pararet conuiuium singulis ciuibus suis, ita vt immediatè distributio illa fieret ad singulas Reipub. partes, si ab illo conuiuio reijceret inimicum, non peccare per acceptionem personarum: quia collatio illa est merè liberalis, & nulli debita, nec inimico, nec alijs: peccabit autem contra charitatem ratione odij, vel scandali.

Si verò bona sua traderet toti Communitati, distribuenda in ciues illius Reipub. per rectores illius, velletque inimicum suum inde excludi sine causa iusta, & insufficienti, peccaret tunc, non solum peccato odij, vel scandali, verum etiam acceptionis personarũ, quia eo ipso quo bona illa tradidit distribuenda toti illi Communitati, habent ius in ea omnes ciues, vt partes illius, committiturque iniustitia & acceptio personarum, si quis illorum tali iure priuetur, & à receptione illorum bonorum sine iusta causa excludatur.

ARTICVLVS II.

An in distributione bonorum spiritualium habeat locum acceptio personarum?

INcipit D. Tho. agere de materia quam versatur acceptio personarum. Etenim cum iuxta Arist. 5. Ethic. c. 3. acceptio personarum non solum habeat locum in bonis, & honoribus, verum etiã in pœnis & oneribus, varia sunt, circa quæ hoc vitium versatur: quæ omnia hoc artic. & seq. cum D. Th. percurremus incipientes à distributione bonorum spiritualium. Circa quæ obseruemus primò, bona spiritualia quædam esse naturalia quæ viribus ingenij haberi possunt, vt sciẽtiæ & artes, quæ bona animi sunt: alia supernaturalia, quibus homo directè tendit in æternam beatitudinem, vt gratia, virtutes, & dona Spiritus sancti, alia verò media inter ista, instituta in communem Ecclesiæ, & fidelium vtilitatem, & gubernationem, vt Episcopatus, sacerdotia, beneficia curata, canonicatus, & aliæ præbendæ, ac beneficia Ecclesiastica, siue sint patrimonialia, siue non. Non est hic sermo de primis, illa enim pretio vẽdi possunt, vt artes, nec de secundis, quæ nõ ab hominibus, sed à solo Deo conferuntur, in quem non potest cadere acceptio personarum, sed de bonis tertij generis, quæ cum ab hominibus distribuantur, possunt distribui ab ipsis non tam pro meritis, & dignitate, quàm humano affectu.

Obseruemus secundò ex Arist. 5. Ethic. cap. 3. & D. Th. hoc loco. Quemadmodum vir bonus bifariam dici potest, aut simpliciter & absolutè, qua ratione est bonus qui studiosis moribus præditus est, aut secundum quid & in tali genere, quo modo dicitur bonus sutor qui optimos conficit calceos, etsi non habeat honestos mores, ita quoque eligendum ad aliquod beneficium posse dici bonum dupliciter, aut simpliciter & moraliter, vt qui studiosus, & Deo gratus est, aut in tali genere, id est, in ordine ad illud beneficium, accidere enim potest, vt minus studiosus ad ministerium alicuius beneficij sit magis idoneus, prudentiaque, litteris, & industria magis valeat.

CONCLVSIO I.

Acceptio personarum in distributione bonorum spiritualium grauius peccatum est; quam in distributione bonorum temporalium, & secularium.

PAtet, quia iniustitia tantò grauior est, quantò grauiora, & præstantiora sunt bona, circa quæ committitur, certum autem est spiritualia tẽporalibus plurium præstare.

CONCLVSIO II.

Potest aliquando eligi minus bonus in moribus ad aliquod officium, vel beneficium spirituale sine acceptione personarum.

PAtet ex secunda notatione, quia acceptio personarum est, quando non attenduntur merita in ordine ad beneficium: potest autem euenire, vt minus studiosus in morib. sit vtilior & magis idoneus ad beneficium illud, vel offi.... un.

Circa hunc articu. variæ sese offerunt & graues controuersiæ, quas vt optimo ordine tractemus, primum omnium videamus.

CONTROVERSIA I.

QVAE CONDITIONES, Requirantur, vt censeatur aliquis dignus ad beneficia Ecclesiæ.

COncors est omnium DD. sentẽtia requiri has tres: probitatem vitæ, legitimã ætatem, & peritiam, ac prudentiam. Sunt hæ, quæ communiter exiguntur, nam præter has sunt nonnullæ aliæ priuatæ, vt quod eligendus in Episcopum sit Doctor Theologus, vel Canonista, vt sit legimus, & ne sit ex genere Hebræorum, & similes, in quibus standum est iuri positiuo.

Requiritur ergo in primis vitæ probitas, & morum honestas in omnibus Magistratibus, & Rectoribus Reipub. sed præcipuè in prælatis ecclesiæ, & Sacerdotibus, quia etsi omnium vnus sit vltimus finis dirigere sibi subditos in æternam fœlicitatẽ, sæcularium autem magistratuum propius, proximusque finis est pacatus Reipub. status Ecclesiasticorum verò facere oues suas veros Christi seruos, & amicos, quod non valebunt, nisi prius studiosi sint, Deique amici, suo exemplo alios ad virtutem allicientes. [Longum (dicebat Seneca) iter per verba, breue, & efficax per exempla.] Et Beatus Thomas à Villanoua Archiepiscopus noster. [Lucis expers quomodo alios illuminabit, frigidum pectus quomodo alios calefaciet?] Vnde qui in mortali est, indignus est, vt ad beneficium Ecclesiasticum eligatur. Docuit hoc Christus Ioan. vltimo, vbi volens constituere Petrum Ecclesiæ suæ pastorem, prius illum de Charitate interrogauit. [Simon Ioannis diligis me plus his?] Innuẽs, indignum esse munere pastoris expertem charitatis. Vbi Caiet. [Qui non habet amorem Iesu, non est pastor, neq; Pontifex, nisi æquiuocè,] Vbi vox, æquiuocè, non significat nõ esse verum pastorem, sed esse inutilem, & insufficientem tali muneri. D. Pau. 1. Timot. 3. & ad Titum primo, quam studiosum & irreprehensibilem postulat Episcopũ? Imò 1. ad Timoth. 5. admonet illum, ne sine diligenti examine constituat aliquos Sacerdotes, vel Diaconos. [Nemini inquit citò manus imposueris.] Vide in Decretis 8. quæst. 1. can. Moyses, can. Licèt & Distin. 91. can. Miramur, præclarum locum D. Leonis in Decretalib. De ętate & qualit. ordinand. cap. Indecorum, & cap. Eam te decet, Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformatione D. Greg. in Pastorali, Caiet. hic & in Sum. Verb. Electio. D. Tho. quolib. 8. art. 6. vbi ostendit existentem in peccato indignũ esse omnino beneficio Ecclesiæ, assertque ibi præclarum D. Dionysij testimonium ex epistola ad Demophylum. Adria. in 4. fol. 66. col. 4. Soto loco cit.

Et confirmatione ratione. Qui eligitur ad beneficium, eligitur in ministrum Dei, 1. Corin. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c.] Qui verò inimicus Dei est, cum sit in peccato, quomodo potest esse minister eius qui clamat in Euangelio? [Qui mihi ministrat, me sequatur, &cæt.]

domino irrationabiliter inuito non est peccatum, nec contra præceptũ restituendi, ergo. Sed hæc ratio non placet Cai. videtur enim petere principiũ, & sumere tanquam certum, dominum in isto casu esse irrationabiliter inuitũ, quod probandum est, cũ iuxta auctores primæ opinionis non sit irrationabiliter inuitus, vt apparet ex 4. argu. illius opinionis, quia posset creditor extra extremã necessitatẽ debitoris rem suam exigere in iudicio, & iudex iustè præcipere illam ipsi restitui.

Et confirmatur. Talis creditor extra extremam necessitatẽ non tenetur donare sua illi debitori, ergo neq; tenetur consentire, vt detineat illa, vnde non est irrationabiliter inuitus. Ideo Cai. probat hanc partem argumento ex doctrina D. Tho. hic ad secundũ hac ratione: Non tenetur ad restituendũ debitor qui prudenter iudicatur impotẽs, sed qui iustè acquisiuit statũ, nec potest restituere, nisi cadendo ab illo, prudẽter iudicatur impotens, ergo non tenetur restituere, cũ tanta iactura. Maior est certa, & axioma in hac materia. Probat̃ minor: quia in moralibus non solũ vocatur impossibile, quod simpliciter, & omnino est impossibile, verũ etiã quod est maximè difficile, & videtur abhorrere recta ratio, & lex humanitatis, quomodo dicitur Hieron. 13. [Si potest æthiops mutare pellem suam, aut leopardus varietates suas, ita potestis vos benefacere, cum didiceritis mala facere.] Vbi conuersionem illorum, qui malis assueti sunt, vocat impossibilem, idest, maximè difficilem, Similiter in Euangelio. [Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum.] Idest maximè difficilè, & Matth. 5. [Quod si sal euanuerit, in quo salietur?] Vocat impossibile prælatos, qui timorem Dei abiecerunt, emendari ab alijs, idest, maximè difficilè, in eodem sensu vocat Aristot. & in Metaph. & 2. de animo impossibilia, quę sunt maximè difficilia, & in iure frequenter idem reperitur maximè l. nepos, ff. de verborum significatione, & ca. Faciat 22. quæst. 2. sed comitem relinquere comitatum quem iustè acquisiuit, nobiles laborare manibus, aut seruire, honestum artificem mendicare, vt restituant, est maximè difficilè, & alienum à recta ratione, & debita humanitate, essetque durus, & iniquus creditor, qui, cum non egeat nisi leuiter, cum tanto detrimo, & iactura proximi sui vellet sua sibi restitui.

Et confirmatur, quia talis casus non potest esse moraliter loquendo sine iactura quoque honoris, & famæ sui, & suorum, cum qua nemo tenetur ad restituendum, vnde non voluntariè, sed quasi necessitate compulsus retinet tunc iste debitor aliena, necessitate in quam conseruandi honorem sui status, ad quod iure quodam naturalis ciuitatis tenetur, habetque se sicut, qui restituere non potest, habens animum, & propositum restituendi, quam primum commodè poterit, quod diximus sufficere, quando debitor aliter non potest.

Secunda pars conclus. patet, quia ad colligenda, quæ poterit, vt paulatim restituat minuendo, & attenuando statum, non est impotens. Quid enim facilius, quam reiectis superfluis, & quæ tantum erant ad abundantiam, & pompam, sumere sibi necessaria? Facerent quidem hoc, si sua prodigalitate, aut aliquo infortunio compellerentur, multò ergo potius id debent, vt restituant aliena, & suæ conscientiæ consulant.

Ex hac doctrina sequitur, non teneri Comitem ad vendendum comitatum, vt restituat, nec nobilem ad seruiendum, aut laborãdum, nec artificem ad vendendam supellectilem necessariam, & instrumenta suæ artis, & mendicandum, sed ad parcè tantum, & moderatè sumenda sibi necessaria, & paulatim, quam commodius, & diligentius poterunt restituendum, & hoc probant omnes illi textus legum ciuilium, & rationes quas affert D. Nauar, 1. argumento 2. 3. & 4. omnia enim illa docẽt, neminem teneri ad restituendum, cum iactura sui status, sed debere restituere, quam commodè poterit, seruando sibi, quæ pro ratione sui status sunt ipsi simpliciter, & omnino necessaria.

Ex eadem doctrina sequitur, non teneri hominem, vt restituat, vendere res suas vili pretio, & cũ graui detrimento suo, quod maximè obseruandũ est propter creditores, qui extrahunt bona debitorum, vilique vendi faciunt, quod non licet, sed spectat ad iudices curare, vt illa commodè vẽdantur. Sequitur etiam, filium adulteræ, qui bona fide, & sine culpa sua constitutus est in statu nobili, & honorifico, quamuis deinde ita certò illi constaret se esse spurium, vt teneretur credere, nihilominus non teneri ad restituenda bona suo legitimo, cum iactura sui status, cum bona fide, & iustè illũ acquisierit, sed teneri tantum ad minuendum, & attenuandum citra notam paupertatis, imò, si quæ restitutio est prudenter, & moraliter iudicanda impossibilis, est hæc, vt nobilis bona fide constitutus in statu honorifico, tanquam verè legitimus, deinde, vt spurius ab illo cadat. Similiter, qui bona fide comparauit iniustam pecuniam ad aliquem statum, propter quam bonam fidem illum iustè acquisiuit, si deinde intelligat, illam pecuniam esse alienam, vel oriatur aliquod graue debitum annexum illi statui, quæ non potest restituere, nisi cadendo ab illo, non tenetur, cum tali iactura restituere, sed solum minuere, attenuare statum, sicut dictum est.

CONCLVSIO II.

Qui statum iniustè acquisiuit, tenetur statim restituere, & cadendo ab illo, etiam si creditor non patiatur similem necessitatem. Non tamen tenetur venire in extremam, sed potest seruare sibi, & suis quæ simpliciter, & omnino videt necessaria, ut parcè uiuat, secundum illum pristinum, & præcedentem statum, quem antea habebat.

HÆc etiam est communis inter Doctores illos, quos pro se citat Nauar. & communis inter discipulos. D. Tho. solus enim Nauarr. vult ab statu iniustè acquisito neminem debere cadere. Sed probatur prima pars huius secundæ conclusio.

Primò, ille status est iniustè acquisitus, & omnino alienus, ergo non potest tuta conscientia retineri, sicut pecunia aliena iniustè accepta.

Secundò, qui iustè acquisiuit statum non tenetur cadere ab illo, quia est verè suus talis status, & honor quem ex illo habet, at status iniustè acquisitus nunquam, fuit habentis illum, honorem quoque quem ratione talis status habebat, iniustè possidebat, ergo non potest retinere talem statum, sed tenetur statim amittere, & restituere. Ita fit, vt pauper, qui per eleemosynas falsò, & fictè acquisitas aliquem statum acquisiuit, vel auxit, teneatur cadendo ab illo statu restituere eleemosynas illas fictè acquisitas non dominis, qui illas dederunt, cum iam transtulerint illarum dominium in pauperes,

sed

sed veris pauperibus, quibus fuit animus dominorum illas largiri: Nec valet dicere illos dominos fuisse inuoluntarios, quia fraus pauperum petentium, videtur tollere in eis rationem voluntarij, quia licèt fuerit fraus in particulari huius pauperis, & inuoluntaria in ordine ad hunc, qui petebat, qui non erat verus pauper, non tamen fuit in communi inuoluntaria, sed fuit animus dare pauperi, & ita est restituenda verè pauperi.

Secunda pars conclusionis probatur, quia restitutio nunquam obligat deuenire in extremā paupertatem, tum etiam, quia sicut nemo tenetur cadere à statu iustè acquisito, vt restituat, ita neque tenetur, qui iniustè aliquem acquisiuit, cadere à pristino, & præcedenti, quem iustè obtinebat, & in non extremè indigebat. Et confirmatur ex c. Cum tu, de Vsuris, vbi Alexand. 3. præcipit Episcopo, vt sub pęna excommunicationis compellat vsurarios restituere acquisita per vsuras, si habeant in facultatibus, quòd si non habeant, non esse mulctandos aliqua pœna, cum nota paupertatis eos excuset, vbi apertè vult. Pont. neque vsurarios esse redigendos ad extremam pauperiem, quin sibi necessaria ad vitam pro suo statu, quem antea iustè habebant, retineant, nec vult eos mendicare, vt rest.

Nunc ad argumenta in oppositum. In primis ad argumenta primæ opinionis. Ad primum respondeo, omnia illa capita intelligenda esse, quando laborando, aut mendicando sibi possunt succurrere, restituere, nec ob grauem necessitatē excusantur, Vnde capita ista sic intellecta confirmant secūdam conclusio. positam. Sunt qui illa intelligant quando creditor æqualem patitur necessitatē, sed præstat prior solutio. Quamuis si ad singula capita adducta descendamus, sic respondere possumus.

In primis in illo c. Si quis, de furtis, nil dici de restitutione, quando debitor graue nocumentum pateretur, sed id tantum, vt si quis furatus sit ob famem, pœniteat per tres hebdomadas, nisi restituerit. Cap. cum tu, de vsuris magis fauet nobis, quàm primæ opinioni, cum ibi Alexander nolit vsurariū teneri ad restituendum cum nota paupertatis quæ nota incurritur etiam per grauem necessitatē. Vnde mirādum est D. Medinam adducere illum textum pro se, cum ei potius aduersetur. In cap. Exijt de verborum significatione tantum ponuntur duę famosæ opiniones: Prima, extremam necessitatem esse exceptam ab omni lege. Secunda omnibus hominibus esse concessam viam prouidendi sibi necessaria suę naturæ. Ex quibus colligitur in illa decretali, illum, qui ad leuandam extremam necessitatem accipit aliena, nō peccare, non autem habetur ibi, nullam necessitatem liberare à debito restituendi præter extremam.

Ad secundum, quod est Achilles Adria. Respondeo præceptum restituendi, licèt reducatur ad pręceptum non furandi, plurimū tamen differre, quia præceptum non furandi est merè negatiuum, prohibens actum malum, & vitij, quo fit, vt nullo tēpore nullaque causa liceat furari, præceptum autem restituendi licet includat negationem intrinsecè, & habeat se ad modum negatiui, cum tamen sit præceptū formaliter, & propriè affirmatiuum, præcipiens actum virtutis, præcipit illum cum debitis circunstantijs loci, & temporis, & habita opportunitate, quam non habet, qui prudenter iudicatur impotens, qualis est, qui non posset restituere sine iactura status, quem iustè habet, & sine detrimento honoris, quem iustè possidet, & ita nunquā licet neque vlla de causa furari, licet tamen aliquādo ex aliqua iusta causa differre restitutionem, vt quando est periculum cadēdi à iusto statu, & à iusto honore. Vnde quando D. Tho. æquiparat hæc duo, non restituere, & accipere alienum, intelligēdus est, de eo, qui non restituit habita opportunitate, sine qua dominus, qui vult sua sibi restitui, est irrationabiliter inuitus. Et confirmatur hæc solutio, nam artifex nec ob necessitatem extremam potest furari instrumenta artis, si valet mendicare, at in extrema constitutus potest illa detinere, si illis valet sibi succurrere. Secundò, si media nocte cogitem me habere alienum, non est peccatum media nocte illud detinere vsque ad tempus opportunum, non enim teneor media nocte surgere, & adire creditorem, at furari neque media nocte licet, ergo. Tertiò, non licet furari ad seruandam meam famam, at si restituendo grauis infamia mihi immineat, non teneor restituere cum tali periculo: ita fit non eodem modo omnino, & simpliciter se habere, furari, & detinere alienum, nisi quādo hic, qui detinet est potens, & habet opportunitatem restituendi. Vnde, vt bene notauit Caiet. supra q. 57. art. 1. aliud est iustum, & aliud exequutio iusti, propter quod dicit scriptura: [Quod iustum est iustè exequere.] Nam iustum dicit ius, & debitum, exequutio autem iusti dicit actum cum debitis circunstantijs. Si debeat mihi Petrus 100. iustū est, vt reddantur mihi illa 100. à Petro, exequutio autem iusti quando poterit, & erit opportunitas.

Ad tertium respondeo, hoc præceptum ordinari in vtilitatem creditoris, quando est seruandum, & obligat, cum iactura autem status iustè acquisiti non obligat.

Ad quartum respondeo, ex Caiet. non esse illam germanam rationem, ob quam debitor liberatur à debito restituendi, quia creditor sit irrationabiliter inuitus, sed quia debitor est impotens cū tanta iactura. Respondeo secundò, esse quoque creditorem irrationabiliter tunc inuitum, durumque & crudelem, qui vellet, cum ipse non patiatur similem necessitatem, rem suam sibi restitui debitore à suo statu iustè acquisito misere cadente. Et ad probationem, iudex iusta sententia præciperet debitum solui, dico ex legibus pro secunda opinione adductis, nunquam aliquem condemnari ad tantam restitutionem, quin per sententiam si iudicis relinquantur illa necessaria sibi, & suæ familiæ pro ratione sui status, quamuis moderatè, & frugaliter, quando status est benè acquisitus. Quod si aliquando per sententiam compellatur aliquis restituere in integrum, & cadere à suo statu, iudicatur ita, quia iuridicè ostenditur, & supponit iudex statum illum non fuisse eius, qui habebat illum, sed alterius cui adiudicatur, & ideo præcipitur cum tanto detrimento illum restituere, quasi omnino alienum, & iniustè acquisitum.

Ad quintum respondeo, non acquiri dominium in re aliena, propterea quod debitor retineat necessaria suo statui iustè acquisito, quia dominum dicit liberum ius in rem ad omnes vsus quos voluerit, dominus autem iste non potest vti re, quam dicimus posse sibi retinere, liberè, neque ad omnes vsus, sed solum ad necessarios suæ sustentationis, cum debito restituendi illa, quæ conceditur suæ necessitati retinere, quotiescunque poterit.

Ad sextum respondet Sylu. loco cit. doctrinam quam hic proponimus, non esse diuulgandam populo, sed solis confessarijs, qui illam callere debēt ad casus particulares cōtingentes. Dicne etiam, et si à populo intelligātur, non propterea præbere nos illis causam furandi, & rapiendi aliena, sed docemus quod est consonum veritati, & æquitati naturali,

tali, sed suæ malitiæ, ob quam utentes hac veritate nitentur aliena rapere, erit hoc imputãdum, sicut solent peccatores audita Dei benignitate, & misericordia, quæ adeo laudabilis est, & commendanda, ansam accipere ad liberius peccandum, iuxta illud Eccles. 8. [Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, ideo absque vllo timore filij hominum perpetrant mala. Quod non diuinæ benignitati, sed peccatorum iniquitati tribuendũ est. nec mirum quod Theologica doctrina aliquãdo impijs sit in laqueum, non culpa doctrinæ, sed impiorum peruersitate, sicut Christus dominus supremus doctor, & Theologus iuxta Simeonis vaticiniũ, [Positus fuit in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.

Obseruandum hic est, quod diximus supra art. 5. debitorem qui iniquè contraxit debita, teneri ad mittendum debitum creditori absenti, etiam cum proprijs expensis, demptis his quas creditor fecisset in re sua asportanda, intelligendum esse iuxta doctrinam hic positam, nisi ad transmittendum illud debitum, & faciendas tot expensas ex proprijs, teneatur pati iacturam in suo statu iustè acquisito, cum tali enim iactura non tenetur.

Obseruandum secundò est, quod dicimus non teneri debitorem ad restituẽdum cum magno detrimento, cum tribus modis possit intelligi: Primò, vt non teneatur, quia debitum restituendũ sit magna quantitas, vel secundo, quia restituendo illud cessat illi magnum lucrum, vel tertiò, quia restituẽdo patietur magnum detrimentum in proprijs, nõ esse intelligendum primo modo, quia illud nõ est pati detrimentum in suis bonis, sed reddere alienũ vero domino, & oppositum esset fauere furibus, qui quo maius furtum committerent, magis excusarentur à restituendo, nec intelligi secundo modo, nam illum lucrum cessans non est pati detrimentum in suis bonis, sed non vti alienis, vt benè notarunt Scotus, & Ricardus; quos refert Caiet, quia lucrum cessans non habet locũ nisi in re propria, quæ alio tempore carius vendenda erat, aut ex qua vtilitas aliqua erat accipienda, non autem in re aliena inuito domino detenta, imò, vt diximus, tale lucrum cessans vna cum re aliena suo domino restituendum est. Vnde est intelligenda doctrina hæc in proprijs bonis, qui est tertius modus, vt nõ teneatur debitor restituere cum magno detrimento suorum bonorum, vt qui habet domum, vel vineam, vel alias merces, non tenetur vili vendere, & cum damno suo vt restituat, sed potest expectare commodum tempus ad vendẽdum, & restituendum.

Nunc ad argumenta D. Nauar. Ad primum respondeo, omnes illas leges docere nostram primã conclusionem. Sunt enim intelligẽdæ de statibus, & bonis iustè acquisitis, in quibus volunt meritò sitæ leges neminem ita expoliandum, vt priuetur omnino necessarij suo statui, & in eodem sensu cõcedũtur illæ facultates regiæ aliquibus nobilibus, quando habent iustè acquisita. Vnde si quis dicat leges istas, vel facultates esse tantum permissiuas, reddentes debitores tutos in foro iudiciali, non autem in foro animæ decipietur, imo sunt leges iustæ decernentes quod est æquum, & iustum in vtroque foro, sicut patet ex prima conclusione.

Eodem modo soluitur tertium ex lege illa, Miles, loquitur enim de militibus qui suo labore, & iuste militiam exercendo statum, vel bona sibi acquisierunt.

Ad quartum respondeo, habentem statum iniustè acquisitum iniustè quoque possidere honorem, qui illum consequitur, & ideo merito omnibus simul expoliari tanquam alienis iniustè possessis, habentem vero statum iustè acquisitum, cum iustè quoque possideat honorem, qui illum cõsequitur, non teneri ad restituendum cum sui honoris iactura, quia honor iustè possessus bonis temporalibus præferendus est.

Quintum argumentum nobis fauet, nam quia necessitas grauis est media inter extremam, & læuem, debet participare ex vtraque, debet assimilari læui, quãdo debita sunt iniustè contracta, ita vt restituantur etsi immineat periculum grauis necessitatis, & assimiliari extremæ, quando sunt iustè contracta, ita vt, sicut imminente extrema necessitate non est facienda restitutio, similiter nec debita iustè contracta imminente graui necessitate, & iactura status sint restituenda.

Ad vltimum respondeo, vtraque bona esse obnoxia restitutioni, sed cum discrimine, iniquè acquisita, quia nunquam fuerunt habentis illa, simpliciter & omnino, iustè verò acquisita, quia verè sunt habentis illa, quando debitor commodè potest illa restituere, quod certè non potest quando imminet illi iactura sui status, nam quæ maior incommoditas?

Obseruandum est hic, quod habet D. Thom. in solutione argumenti, non potentem restituere, vel omnino & simpliciter, vel pro aliquo tempore debere petere per se, vel per alium aut remissionem, debiti, aut dilationem, intelligendum esse, quãdo illa impotentia nõ est omnino euidens, quia si euidens sit, velit, nolit creditor, debet aut remittere, aut expectare, quando verò non est ita euidens, ad maiorem conscientiæ securitatem oportet debitorem vti ista cautela, & quia vt plurimum ista impotentia non est ita euidens, loquutus est D. Tho. in genere & sine hac distinctione respiciẽs ea quæ vt plurimum eueniunt. Offerunt se modò nonnullæ difficultates.

AN QVI CEDVNT BONIS, ex quibus non soluuntur omnia debita in integrum, sed per ratam, maneant tuti in conscientia.

ADria. & Medi. locis supra cit. putant non esse securos, quando isti retinent sibi & familiæ suę necessaria. quia ex eorum opinione nihil possunt sibi retinere, sed debent mendicando, vel laborando victum quære, leges autem ciuiles, quæ concedunt huiusmodi cessionem bonorum, liberare eos tantum in foro exteriori à carcere, & alijs vexationibus, non autem in foro interiori animæ.

Sed opposita sententia est cõmunis inter Theologos seruatis his conditionibus. Prima, huiusmodi debitores nil omnino abscõdere, præter ea quæ simpliciter & omnino sunt sibi necessaria, vt si habenti 200. sufficiat 100. & abscondat 200. cum vtatur fraude & dolo apertè, non est tutus in coosciẽtia. Secunda, vt si cedens bonis secretò sibi seruet necessaria, nihil petat à iudice in alimenta, cum iam sibi necessaria retinuerit, quod si postulauit à iudice alimenta, & obtinuit conuenienter, tunc quæ secretò absconderat, tenetur reddere creditoribus, huiusmodi enim debitor ea solum retinere potest, quæ sibi sunt omnino necessaria.

Hia

His ſuppoſitis, dico cedentem bonis, ſi iniuſtè illa acquiſita ſint, nil poſſe ſibi retinere, ſed debere illis omnino cedere, & quærere victum labore, vel mendicitate, quia talia bona nunquã fuerunt eius, ſicut diximus de ſtatu iniuſtè acquiſito: quod ſi bona erant iuſtè acquiſita, tutus eſt in conſcientia cedendo illis iuxta leges ciuiles, poteſtq; tuta conſcientia ſeruatis illis cõditionibus retinere ſibi neceſſaria, minuendo, & attenuando ſtatum, ſicut diximus de ſtatu iuſtè acquiſito, de huiuſmodi enim agunt leges iſtæ ciuiles & l. 1. C. qui bonis cedere poſſunt, quæ cum ſint iuſtæ & maximè expedientes bono communi, reddunt debitores tutos in cõſcientia.

Addiderim tamen huiuſmodi debitores manere ſemper cum debito reſtituẽdi in integrum ſingulis creditoribus, ſi deinde poſſint adueniente pinguiori fortuna, quia ceſſio iſta conceditur illis ratione neceſſitatis in quã venerunt, qua deficiente & ceſſante ceſſat etiam iſta conceſſio legum, & tenentur in integrum reſtituere.

TENEATVR NE DEBItor vnà cum debito reſtituere etiam creditori lucra, quæ illi ceſſarunt ex dilatione reſtitutione.

Hic diſtin. opus eſt, nam aut debitum fuit iuſtè contractum, vt per emptionẽ, &c. aut iuſtè vt per vſuram vel rapinã. Rurſum aut dilatio fuit cum conſenſu creditoris, aut eo inuito, tùm etiam, aut dilatio fuit culpabilis, quia noluit debitor reſtituere, quando potuit, vel fuit impotentia, quia non habebat, vnde redderet. Denique aut dilatio fuit ad vitandum graue aliquod nocumentum in proprio honore, & fama, vel in alijs rebus ſpiritualibus & ſuperioris ordinis, aut ad vitandum tantum nocumentum in proprijs bonis temporalibus.

CONCLVSIO I.

Quando reſtitutio delata eſt libero conſenſu creditoris teneatur debitor ad reſtituendum lucrum ceſſans.

Quia conſentiens io dilationem ſimul conſenſit lucrum illud ſibi ceſſare.

CONCLVSIO II.

Quando debitum fuit iuſtè contractum, & dilatio ex omnimoda & ſimplici impotentia debitoris, non tenetur reſtituere lucrum ceſſans.

Probatur. Omnis reſtitutio facienda eſt aut ratione rei acceptę, aut ratione iniquæ acceptionis, aut ratione damni illati, hic non intulit dãnum in caſu huius concluſionis, quia ex nulla culpa ſua ceſſat lucrum creditori, cum deſinat reſtituere ex omnimoda impotentia, nec ratione iniquæ acceptionis, quia fuit debitum iuſtè contractum, vnde tenetur tantum ratione rei acceptæ tenetur ad reſtituendum, ex cõmuni Doctorũ ſententia illa reſtituta ad nihil amplius tenetur, ergo.

CONCLVSIO III.

Quando debitum fuit iniuſtè contractum, tenetur debitor, quam primum poterit reſtituere & debitum, & lucrum ceſſans & ſimiliter ſi fuit iuſtè quidem contractum, dilatio verò ſolutionis, fuit ex culpa debitoris, qua culpa debitoris, quia cum potuerit ſoluere fuerit in mora.

Probatur, quia in vtroque caſu huius concluſionis debitor iſte culpa ſua eſt cauſa lucri ceſſantis, nocuitque creditori cum iniuria in ceſſatione talis lucri, vbi autem damnum & nocumẽtum eſt cum iniuria, ibi, & vinculum reſtituendi.

CONCLVSIO IIII.

Quando dilatio fuit ad vitandum nocumentum in rebus ſuperioris ordinis, non tenetur debitor reſtituere lucrum ceſſans, quando verò ad vitandum illud in rebus ordinis, & proprijs tenetur.

Haec eſt Caietan. loco cit. in Sum. Probatur prior pars, quia dilatio ad vitandum tale damnum ęquiparatur impotentię omnimodæ, & ſimplici. Tum ſecundo, quia ſicut fama, & bona ſpiritualia, non ſunt res vendibiles, ita nec lucrum, quod ceſſauit creditori, vt ego meam famã, aut gratiam tueter, debet illi perſolui, quia eſſet velut reddere precium pro mea fama, & gratia.

Probatur ſecunda pars, quia nemo debet eſſe ſibi vtilis in temporalibus cum damno alieno, cum ergo debitor in ſuis bonis ſibi conſuluerit, detinendo bona creditoris, tenetur creditori ſoluere vnà cum debito, & lucrum ceſſans, alioquin pateretur creditor damnum in proprijs propter commodum alienum, quod non patitur recta ratio. Vltima quæſtio eſt.

QVANDO SVNT PLVRES creditores, nec licet omnibus in integrum reſtituere, quis ſeruabitur ordo?

De hac q. Caiet. in Sum. Reſtitutio cap. 8. Medi. C. de reb. reſti. q. 2. fol. 8. Sylu. Reſtitut. c. 6. q. 5. Gabriel in 4. d. 15. q. 2.

In hac quæſtione in primis hæc certa ſunt apud omnes. Primò, quando debitor omnibus poteſt in integrum ſoluere, parum referre eni prius vel poſterius ſoluat, modò ſeruet tempus cum illis conſtitutum.

Secundò, quando omnibus non poteſt, illa prius eſſe reſtituenda quæ debitor habet in propria ſpecie, quàm alia, quia illa bona nunquam fuerũt debitoris, ſed manſerunt ſemper ſub dominio illius à quo accepta fuerunt in eadem ſpecie, & ideo illi reſtituenda.

Tertiò, reſtitutis ijs quæ manebant in propria ſpecie ſuis dominis, ex alijs debitis prius eſſe reſtituẽda quæ certa ſunt, quàm incerta, ſunt enim creditores certi melioris conditionis, & habent potius in ſua debita certa, quàm habeant pauperes vel Eccleſia in incerta.

Quartò, cum duo ſint genera debitorum, quædam realia, ad quæ res aliqua certa obligata eſt, vt

in

in censibus annuis, quibus obligantur aliqua hæreditas vel domus: pignora quæ traduntur in fideiussionem acceptæ pecuniæ, & res ipsæ emptæ, quãdiu non soluitur earum pretium, alia verò personalia, quæ debet creditor nulla peculiari re illis obligata, sed ipso tantum debitore: certum est ex his debitis realia prius soluenda esse quàm personalia, quia creditores realium habent ius & in debitorem, & in res suis debitis obligatas, creditores autem debitorum personalium tantum habẽt ius in debitorem: vnde habent illi duplex ius, propter quod sunt melioris conditionis, estque illis prius restituendum: Quod intelligendum est de bonis cuique debito deuinctis, vt si debitor non habeat nisi hanc vineam, ex qua sua debita multis creditoribus persoluat, illa prius soluenda sunt, quibus vinea illa deuincta est, quia hæc sunt realia: & inter eos prius debet restituere illi, à quo pecuniam accepit, vt vineam ille emeret, deinde illis qui habent aliquos sensus supra illam, quia his quoque prius quam aliis hæc eadem vinea deuincta est, seruenda autem sunt in his statuta cuiusque Reip. & Communitatis, maximè ius commune: quod si illud dubium sit, standum erit interpretationi peritiorum, possunt enim leges humanæ staturæ ordinem seruandum in soluendis debitis propter bonum commune, etiamsi decernat debita minus antiqua prius solui, vt de dote mulieris, maius namque est transferre dominium ab vno in alium, quã constituere ordinem in soluendis debitis. vnde cũ possint leges humanæ prius illud ob bonum commune, poterunt & hoc posterius, et utrque seruandæ in vtroque foro.

Maior difficultas est de personalibus, de quibus fit.

CONCLVSIO I.

Inter debita personalia illa prius sunt restituenda, quæ cum maiori iniuria sunt contracta.

PAtet, quando quis vult recedere à multis peccatis, nec simul potest ab illis, sed successiuè, & paulatim, debet incipere à grauioribus, sed inter petita illa sunt grauiora, & magis iniqua, quæ cum maiori iniuria sunt contracta, ergo. Ita fit primo loco esse restituenda quæ per rapinam, secundò quæ per furtum, tertiò, quæ per vsuras contracta sunt, quartò, quæ per contractus licitos, vt emptione, vel mutuo, quintò, debita ex legatis, aut promissionibus orta.

CONCLVSIO II.

Inter alia debita eiusdem speciei, & quando sunt plura furta solo numero diuersa, cæteris partibus prius est restituendum debitum antiquius.

QVia ex regula iuris in 6. qui prior est tempore, potior est iure, nisi iam creditor recentior magis indigeat, tunc enim habẽda est ratio maioris necessitatis, quod si interueniat auctoritas legis, vel iudicis, tũc standum est legi, vel sententiæ propter auctoritatem, quam leges humanæ habent in his, vt dictum est.

Sed contra primam conclusionem hic positam, quam habet Medina contra Caiet. offerunt se nõnulla. Primò, magis teneor benefactori quã alijs, qui mutuo dedit benefecit mihi, ergo prius debeo restituere accepta mutuo, quàm alia, & per consequens prius sunt restituenda debita cõtractu licito parta, quam alia. Secundò, maior iniuria infertur non restituendo mutuanti gratis, quàm soluenti vsuras, cum hic voluntariè illas dederit vsurario, ergo prius est restituendũ debitum ex mutuo, quam debitum ex vsura. Tertiò, euenire potest, vt creditor debiti liciti patiatur maiorem necessitatem quam creditor debiti illiciti patienti autem maiorem necessitatem prius est restituendum, quam alijs. Ergo.

Singula suo ordine diluamus. Ad primum respõdeo, benefactori me magis teneri ex gratitudine, ex iustitia verò magis illi, cui cum maiori iniuria damnum intuli, quia, cum vinculum restitutionis nascatur ex damno illato cum iniuria, vbi maior iniuria, ibi & maius vinculum. Ad secũdum dico, maiorẽ iniuriam personalẽ inferri mutuanti, quãdo illi debitũ non restituitur, sed maiorem iniuriã legalem, & cõmutatiuam illatam esse soluenti vsuras, quia vsura est contractus omni lege diuina, naturali, & humana prohibitus, & secundũ se illicitus, ac implicitè inuolũtarius, quia nullus illas vellet soluere, soluit aũt ad redimendam suam necessitatem. Ad tertiũ dico, illud non aduersari nostræ conclusioni, quæ loquitur cæteris paribus, vbi autem maior necessitas, iam non sunt omnia paria.

QVAESTIO LXIII. De acceptione Personarum.

QVAM methodum in alijs virtutibus explicandis obseruauit D. Tho. vt proposito prius proprio cuiusq; obiecto & actu, ex quibus natura & ratio vniuscuiusque dignoscitur, ad vitia illi opposita conuertat orationem, in hac disputatione de iustitia non dimisit, postquam enim egit de proprio iustitiæ obiecto nempe iure, de eiusdem actu nempe iudicio, de vtraque iustitiæ specie distributiua, & commutatiua, & vtriusque actibus, incipit modò agere de vitijs vtrique iustitiæ oppositis, inter quæ primum locum obtinent quæ distributiuæ aduersantur, quia hæc vt virtus quæ in principe debet residere, & bona communia spectat, excellentior est cum autem contrarietur potissimè iustitiæ distributiuæ acceptio personarum, ideo de hoc vitio primum omnium disputat, De quo Doctores in 4. d. 15. Gabriel q. 6. Abulen. in cap. 22. D. Matth à q. 108. vsq; ad quæstionem 120. Mag. Soto lib. 3. de Iust. q. 6. Summistæ in verbo acceptio personarum. Verbo dignitas. Verbo Electio. & Verbo beneficium.

ARTICVLVS I.

An acceptio personarum sit peccatum mortale?

OBseruemus primò parum referre an ista voce, acceptio personarum, Latini anthores, vt Cicero, Quintilianus, & alij antiqui Romani vsi sint, nobis enim qui Theologiam, non Latinum splendorē, & eloquentiam profitemur, sat est in sacris litteris & in sanctis patribus Ecclesiæ Doctoribus reperiri, veluti D. Aug. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 7. tom. 7. vbi aduersus illos hæreticos ostendit in Deo non reperiri acceptionem personarum. Et D. Hiero. qui in Epistola ad Celantiam, cuius initium est, Vetus, rom. primo epistolarū ait. [Non accipit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorū.] Nec refert Erasmum hanc Epistolam non Hiero. sed D. Paulino tribuere, eum omnium consensu fuerit Hiero. quod si sit Paulini, eo ipso erit quoque Doctoris grauissimi, & coætanei. D. Hiero. & & D. Aug. Vocant autem Cicero & alij admittere personas, quod nos dicimus accipere personas. Solet quoque appellari hoc vitium respectus personarū, quo nomine Matth. 22. commendatur Christus à Pharisæis, [Non respicis personam hominum.] Nomine verò personæ intelligunt Doctores quicquid non pertinet ad merita, & dignitatem personæ, in ordine ad rem, quæ distribuitur, qui modus loquendi ita inductus est. Habet hæc vox persona duplicem significationem. Prima est propria, iuxta quam diffinitur à Philosophis, & Theologis intellectualis naturę indiuidua substātia, alia est translatiua, iuxta quam significat eos, qui in comœdijs aliorum personas referunt, sic dicimus hunc agere personam regis, illum mulieris, quia exterius ista repræsentant, licèt nihil minus habeant quàm esse Regem, vel Principem, ita qui in distributione alicuius rei non respicit merita, cum merita verè ista non sint, nisi secundum exteriorem tantum superficiem mundi, dicitur respicere personas hominum, & accipere personas. Obserua hic elegantem distinctionem D. Thom. inter acceptionem personæ, & acceptionem causæ: hæc enim iusta est, illa verò iniqua.

Obseruemus secūdò acceptionem personarum communiter definiri à Doctoribus, [Iniustitiam qua in distributione præmiorum, vel bonorum cō munium, quæ pro meritis debentur, vnus alteri præfertur propter indebitam causam. [Est enim similis hæc iniustitia illi fallaciæ, quam vocat Aristo. in Sophisticis nō causam, vt causam ponere, vt qui beneficium conferendum ob doctrinam conferat ob affinitatē. Colligitur hæc diffinitio apertè ex D. Augu. loco cit. contra Pelagianos, & ex D. Tho. hic dicente. [Personarum acceptionem esse, quando nō debita causa, sed persona respicitur.] Et ex Glossa in illud Ephes. 6. [Personarum acceptio non est apud Deum.] Vbi ait: [Deus iustus iudex causas, non personas discernit.

Sumitur in hac diffinitione iniustitia loco generis, est enim iniustitia vitium complectens quicquid iustitiæ aduersatur, aduersatur autem acceptio personarum iustitiæ distributiuæ, cum huius sit merita respicere, quod ab acceptione personarum adeò alienum est. Addimus in eadem diffinitione in distributione eorum quæ debentur, nam sicut iustitia non habet locum in gratuitis, & iis quæ ex sola misericordia, & liberalitate conferuntur, sed in iis quæ debito redduntur, consequenter & acceptio personarum. Vnde falsus est Abulen. loco cit. q. 113. existimans committere acceptionem personarum eum, qui dimisso paupere extremè in digente confert eleemosynam amico, non ita indigenti: arbitratur enim non esse aliud vitium, ad quod huiusmodi peccatum reducatur, nisi acceptionem personarum, cū tamen sic agens non peccet contra iustitiam, & consequenter non committat acceptionem personarum, sed solum peccet cō tra charitatem & misericordiam, ex qua tenetur extremè indigentē aliis non ita indigentibus, quicunque ille sit, præferre. Adiectæ etiam sunt nonnullæ aliæ particulæ in eadem diffinitione, vt distinguatur hoc vitium ab aliis speciebus iniustitiæ cominur, consistunt enim aliæ in quadam inæqualitate rei ad dignitatem, & merita personæ.

CONCLVSIO I.

Acceptio personarum est peccatum mortale ex suo genere.

PRobatur à D. Thom. Primò, quia repugnat iustitiæ distributiuę ex diametro, & directè, omnis autem iniustitia, quę ita virtuti iustitiæ aduersatur, vt ostendimus supra q. 59. art. 4. est peccatum mortale ex suo genere. Dico ex suo genere, quia ex leuitate materiæ, aut per accidens potest aliquando esse veniale. Quod autem directè repugnet iustitiæ distributiuæ, probat optimè Soto, quia distributiua nuda, solaque merita respicit, acceptio autem personarum personas ipsas, vel alias qualitates, quæ in ordine ad bonum distribuendū non habent rationem meriti.

Probatur secundò conclusio, quia ex acceptione personarum sequuntur grauissima damna in Repub. tàm ciuili, quàm Ecclesiastica. Primò inuertitur ordo personarum contra rectam rationē. Quid enim magis dissonam rationi, quàm vt indigni dignis, vel dignioribus præferantur, & qui deberent esse in supremo loco sint in infimo, & contra? Sicut inuerteretur huius vniuersi status, si cœlum & elemēta leuiora essent inferius, & grauiora superius, inuerteretur humani corporis forma, & constitutio, si oculi in loco pedū, & pedes in loco oculorum existerent. Quod deplorans sapiens Eccles. 10. dicebat. [Est malum quod vidi sub Sole quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultū in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum, vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.

Secundò cedit in maximum detrimentum, & iniuriam ciuium, quia, cum dantur præmia indignis prætermissis dignis quibus erant conferenda, expoliantur hi quasi iure suo, & alii hoc videntes inducuntur in bonarum artium, & virtutis neglectū, cessatque litterarum, studium, & virtutis cura, si videant ciues beneficia, dignitates, & similia bona non meritis, sed negotiationibus, fauoribus, & amicorum precibus, aut aliis forsan iniquis, & turpibus viis obtineri, tradantq; seipsos negotiationibus, & indebitis potentium obsequiis, vt beneficia, & alia munera obtineant quod malum quanta pariat damna, & quod efficiat simonias, prudens quiuis diiudicet.

Tertiò efficitur, vt vitia & peccata indigeantur, dignis enim & benè meritis electis ad munera guber-

gubernantur rectè Resp. vitia comprimuntur, quę electis indignis, tum quia nesciūt indigni sua munia gubernare, & iniquos corrigere, ac punire, tū quia inferiores, & subditi habēt illos contemptui, & quicquid præcipiunt irrident, in dies crescere necesse est.

Vnde indigno & insufficienti consulit sapiens loco cit. [Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.] Quasi dicat, si desiderium habendi potestatem ascenderit in cor tuum, reijce tale desiderium, & ne deseras locum tuum humilem & subditi, quia tu indignus, & insufficiens, & non valebis gubernare, & curare peccata aliorum, qui autem sapiens, & sufficiens est si dicatur iste curabit peccata maxima. Cum ergo acceptio personarum hæc similia damna præstet, quæ adeò grauia sunt, quis dubitabit esse peccatū mortale ex suo genere, imò & grauissimum.

Hæc conclusio D. Thom. est de fide, cum in sacris litteris, quæ non solent nisi peccata mortalia ponderare, adeò prohibeatur Deuter. 1. [Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam.] Et cap. 16. [Non accipies personam, nec munera.] Leuit. 19. [Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potētis.] Prouerb. 18. & 24. & 28. habetur. [Cognoscere personam in iudicio nō est bonum.] Ecclesi. 24. [Ne accipias personam, vt delinquas] Iacob. 2. [Nolite in personarum acceptione habere fidem.] Et infra. [Si autem personam accipitis, peccatum operamini.] Constat etiam hęc conclusio lumine naturali, cum experientia teste acceptio personarum tot mala pariat, quot retulimus. Vnde vt refert Aristot. 1. Rethoricorum (vbi commendat Areopagum) Areopagitæ Athenis nocte solebant iudicare, ne iudices facies, aut vultus litigantium videntes, sed solum ea quæ proponebantur audientes, ab hoc vitio abstinerent. Commendatur etiam Socrates, qui prohibeat vxorem & liberos iudicandi ad mortem in iudicium venire, ne iudices illorum fletibus moti à puniēdis impijs cessarent, violarentque iustitiam respicientes personas.

CONCLVSIO II.

In solutione tertij.

Apud Deum non est acceptio personarum, etiamsi quosdam sine meritis reprobauerit, alios verò prædestinauerit, similiter etiamsi aliquibus conferat auxilia efficacissima quibus resurgant à peccato, & gratiam, alijs vero neget huiusmodi auxilia, & gratiam.

RAtio est apertissima, quia acceptio personarum tantum habet locum in distributione debentur, Deus autem nulli est debitor, siue accipias hominē in puris naturalibus, siue lapsum in peccatum, & in statu naturæ corruptæ, sed ex mera liberalitate sua dat huic peccatori suam gratiam, relicto alio qui forsan habebit æqualem, vel maiorem dispositionem. [Et cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] Quorum effectum non debet esse homo solicitus indagator, iuxta illud D. August. [Cur hunc trahat, illum verò non, noli inuestigare, si non vis errare.] Sed est clamandum cum Paulo. [O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.] Hoc tamen certum est, Deum in his nulli est debitor. [Quis enim prior dedit ei, vt retribuat illi?] Ex suis bonis nulli iure aliquo debitis, quorum est liber & absolutus dominus, largitur illa cui vult. In quem finem proposuit Matth. 20. illam parabolam operariorum, qui fuerunt conducti ad vineam. Vbi ait conquerenti, quod alijs plus dedisset. [Amice non facio tibi iniuriam, an non licet mihi ex bonis meis quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? tolle quod tuum est, & vade.]

Hæc conclusio est de fide Deut. 10. [Deus magnus, fortis, & terribilis, &c. qui personas non accipit, &c.] 2. Paralip. 19. [Non est apud dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio.] Iob 34. [Qui non accipit personas principū, nec cognouit tyrānum, cum disceptaret cum paupere.] Acto. 10. ait Petrus. [In veritate comperi, quia non est personam acceptor Deus.] Rom. 2. ad Ephes. 6. & alijs multis in locis.

CONCLVSIO III.

Ad iustitiam distribut. Dei pertinet supposita diuina ordinatione & lege hominibus constituta, vt existentibus in gratia, & perseuerantibus in illa vsque ad mortem conferat Deus gloriam, & præmia æterna pro ratione meritorum.

ITa Soto lib. 3. de iustit. quæst. 6. art. 1. & omnes recentiores. Probatur, licèt Deus nemini sit debitor simpliciter & absolutè, supposita tamē diuina ordinatione, & lege debentur præmia meritis factis in gratia: vbi autem quæ redduntur sunt debita pro meritis, ibi & iustitia distributiua, ergo.

Confirmatur ex sacra scriptura, quæ hoc opus Dei, quo iusti glorificātur, vocat iustum & actum iustitiæ, in illa parabola Matth. 20. (Ite & vos in vineam meam, & quod iustum &c.) Paulus. (Bonum certamen certaui, &c. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi.) Vnde Psal. 38. præmittit. (Misericordiam, & veritatem. Idest iustitiam. Diligit Deus, & subiungit, gratiam & gloriam dabit Dominus. Quasi dicat misericordiam operatur Deus & iustitiam cum hominibus, misericordiam, cum confert illis gratiam, iustitiā, quando reddit illis gloriam, aut non conferret pro ratione meritorum, negari non posset reperiri in ipso aliquam personarum acceptionem. Sed sicut impossibile est mentiri Deum, aut iniquitatem in eo reperiri, ita est impossibile, vt talis acceptio personarum in ipsum cadat. Vnde Pau. postquam dixit, (Quam reddet mihi iustus iudex.) Idest seruādo æquitatem, addit, Non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.) Idest, omnibus iustis, & Rom. 2. Reddet vnicuique iuxta opera sua.) Et alibi. Oportet omnes nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit.) Et Iob 34. (Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet eis, & iuxta vias singulorum restituet eis.

Sed aduersus secundam conclusionem positam ingerit difficultatem quidam locus D. Hiero. qui in illa verba Abacuc. 2. (Si autem subtraxerit se, non placebit animæ meæ, iustus autem meus ex fide sua viuit.) Ait ex persona Dei.

ARTICVLVS II.

An in distributione bonorum spiritualium habeat locum acceptio personarum?

INcipit D. Tho. agere de materia quam versatur acceptio personarum. Etenim cum iuxta Arist. 5. Ethic. c. 3. acceptio personarum non solum habeat locum in bonis, & honoribus, verum etiā in pœnis & oneribus, varia sunt, circa quæ hoc vitium versatur: quæ omnia hoc artic. & seq. cum D. Th. percurremus incipientes à distributione bonorum spiritualium. Circa quæ obseruemus primò, bona spiritualia quædam esse naturalia quæ viribus ingenij haberi possunt, vt sciētiæ & artes, quæ bona animi sunt: alia supernaturalia, quibus homo directè tendit in æternam beatitudinem, vt gratia, virtutes, & dona Spiritus sancti, alia verò media inter ista, instituta in communem Ecclesiæ, & fidelium vtilitatem, & gubernationem, vt Episcopatus, sacerdotia, beneficia curata, canonicatus, & aliæ præbendæ, ac beneficia Ecclesiastica, siue sint patrimonialia, siue non. Non est hic sermo de primis, illa enim pretio vēdi possunt, vt artes, nec de secundis, quæ nō ab hominibus, sed à solo Deo conferuntur, in quem non potest cadere acceptio personarum, sed de bonis tertij generis, quæ cum ab hominibus distribuantur, possunt distribui ab ipsis non tam pro meritis, & dignitate, quàm humano affectu.

Obseruemus secundò ex Arist. 5. Ethic. cap. 3. & D. Th. hoc loco. Quemadmodum vir bonus bifariam dici potest, aut simpliciter & absolutè, qua ratione est bonus qui studiosis moribus præditus est, aut secundum quid & in tali genere, quo modo dicitur bonus sutor qui optimos conficit calceos, etsi non habeat honestos mores, ita quoque eligendum ad aliquod beneficium posse dici bonum dupliciter, aut simpliciter & moraliter, vt qui studiosus, & Deo gratus est, aut in tali genere, idest, in ordine ad illud beneficium, accidere enim potest, vt minus studiosus ad ministerium alicuius beneficij sit magis idoneus, prudentiaque, litteris, & industria magis valeat.

CONCLVSIO I.

Acceptio personarum in distributione bonorum spiritualium grauius peccatum est; quam in distributione bonorum temporalium, & secularium.

PAter, quia iniustitia tantò grauior est, quantò grauiora, & præstantiora sunt bona, circa quæ committitur, certum autem est spiritualia tēporalibus plurium præstare.

CONCLVSIO II.

Potest aliquando eligi minus bonus in moribus ad aliquod officium, vel beneficium spirituale sine acceptione personarum.

PAtet ex secunda notatione, quia acceptio personarum est, quando non attenduntur merita in ordine ad beneficium: potest autem euenire, vt minus studiosus in morib. sit vtilior & magis idoneus ad beneficium illud, vel officium.

Circa hunc articu. variæ sese offerunt & graues controuersiæ, quas vt optimo ordine tractemus, primum omnium videamus.

CONTROVERSIA I.

QVAE CONDITIONES, Requirantur, vt censeatur aliquis dignus ad beneficia Ecclesiæ.

COncors est omnium DD. sentētia requiri has tres: probitatem vitæ, legitimā ætatem, & peritiam, ac prudentiam. Sunt hæ, quæ communiter exiguntur, nam præter has sunt nonnullæ aliæ priuatæ, vt quod eligendus in Episcopum sit Doctor Theologus, vel Canonista, vt sit legitimus, & ne sit ex genere Hebræorum, & similes, in quibus standum est iuri positiuo.

Requiritur ergo in primis vitæ probitas, & morum honestas in omnibus Magistratibus, & Rectoribus Reipub. sed præcipuè in prælatis ecclesiæ, & Sacerdotibus, quia etsi omnium vnus sit vltimus finis dirigere sibi subditos in æternam fœlicitatē, sæcularium autem magistratuum proprius, proximusque finis est pacatus Reipub. status Ecclesiasticorum verò facere oues suas veros Christi seruos, & amicos, quod non valebunt, nisi prius studiosi sint, Deique amici, suo exemplo alios ad virtutem allicientes. [Longum (dicebat Seneca) iter per verba, breue, & efficax per exempla.] Et Beatus Thomas à Villanoua Archiepiscopus noster. [Lucis expers quomodo alios illuminabit, frigidum pectus quomodo alios calefaciet?] Vnde qui in mortali est, indignus est, vt ad beneficium Ecclesiasticum eligatur. Docuit hoc Christus Ioan. vltimo, vbi volens constituere Petrum Ecclesiæ suæ pastorem, prius illum de Charitate interrogauit. [Simon Ioannis diligis me plus his?] Innuēs, indignum esse munere pastoris expertem charitatis. Vbi Caiet. [Qui non habet amorem Iesu, non est pastor, neq; Pontifex, nisi æquiuocè,] Vbi vox, æquiuocè, non significat nō esse verum pastorem, sed esse inutilem, & insufficientem tali muneri. D. Pau. 1. Timot. 3. & ad Titum primo, quam studiosum & irreprehensibilem postulat Episcopū? Imò 1. ad Timoth. 5. admonet illum, ne sine diligenti examine constituat aliquos Sacerdotes, vel Diaconos. [Nemini inquit citò manus imposueris.] Vide in Decretis 8. quæst. 1. can. Moyses, can. Licèt & Distin. 61. can. Miramur, præclarum locum D. Leonis in Decretalib. De ætate & qualit. ordinand. cap. Indecorum, & cap. Eam te decet, Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformatione D. Greg. in Pastorali, Caiet. hic & in Sum. Verb. Electio. D. Tho. quodlib. 8. art. 6. vbi ostendit existentem in peccato indignū esse omnino beneficio Ecclesiæ, affertque ibi præclarum D. Dionysij testimonium ex epistola ad Demophylum. Adria. in 4. fol. 66. col. 4. Soto loco cit.

Et confirmatione ratione. Qui eligitur ad beneficium, eligitur in ministrum Dei, 1. Corin. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c.] Qui verò inimicus Dei est, cum sit in peccato, quomodo potest esse minister eius qui clamat in Euangelio? [Qui mihi ministrat, me sequatur, &cæt.]

Vnde sicut œconomis, qui conduceret in operarios inimicos domini sui, esset illi infide is & iniurius, ita Episcopus, vel elector, qui beneficia, cum sint in inimicis Dei confert.

Secundò, hæc beneficia, cum sint in vtilitatem fidelium, non possunt benè administrari nisi proximi diligantur ex charitate, qui verò Deum non diligit, nec proximum ex charitate diliget, diliget quidem, vt affines, vel amicos sibi vtiles, non tamẽ ex charitate, & amore spirituali, qualem exigunt munia Ecclesiastica.

Debent verò hæc vitæ probitas, & aliæ cõditiones, quæ exiguntur in eligendo, electori esse perspectę, nec sufficit, vt non appareat malus, sed debet ab electore cognosci bonus, cum electio sit actus voluntatis, qui sequitur iudicium intellectus: intellectus autem de re sibi ignota non valeat iudicare. Vnde Christus, quamuis satis nouerat Beati Petri charitatẽ, voluit tamen omnibus esse perspectam, publiceq; illum de amore interrogauit, publiceque illum de amore interrogauit, insinuãs bonitatem eligendi non solum electori, sed omnibus quantum commodè fieri poterit, debere esse perspectam.

Nec repugnat his quod habet c. vnico de Scrutinio in ordine faciendo, vbi dicitur Scrutatorem ordinandorum eum debere indicare dignum, quẽ indignum esse non nouerit, loquitur enim textus iste de illa approbatione, & testimonio exteriori, quod reddit Archidiaconus tẽpore ordinationis interrogatus ab Episcopo: tunc enim nisi ei constet illos esse indignos, debet eos approbare, cum iam sint in particulari examinati de scientia, moribus, & vita.

DE AETATE NECESSAria ad beneficia Ecclesiæ, vel ordines sacros.

Secunda conditio, quæ exigitur ad officia & beneficia Ecclesiæ, est legitima ætas, de qua Soto hoc loco paucis sed copiosius Syluest. vers. Ætas. q. 1. Doct. Nauar. cap. 25. nu. 118, Extat in Decretalibus titu. de ætate & qualitate præficiendorum.

Secundum ius naturæ nulla ætas taxata est, sed illa tantum exigitur, in qua possit homo illa munia exequi, quæ ad eius pertinent dignitatem, iure autem canonico variè constituta est, quod subiectis cõclusionibus explicatur.

CONCLVSIO I.

Eligendus in Episcopum debet habere 30. annos expletos.

Ita habetur c. Cum in cunctis. Ext. de electione. Et ita obseruatur. Est enim hæc ætas prælatis, & pastoribus necessaria, in qua, vt inquit B. Gregor. & Ezechiel prophetare, & Ioan. Baptist. ac Christus seruator noster prædicare inceperunt.

CONCLVSIO II.

Promouendus ad beneficium, cui annexa est animarum cura, debet habere ætatem 25. annorum.

Idem iudicium est de beneficijs, quę habent annexam gubernationem, vel ex officio sunt à cõsilijs Episcopis vel præsunt capitulis, vt Decani, Archidiaconi, Præpositi, Archipresbyteri, & similes. De beneficijs quæ requirunt ordinem sacerdotalem, habetur apertè cap. isto, Cum in cunctis. §. Inferiora, vbi postquam dictum est de Episcopatibus additur: [Inferiora autem beneficia, vel ministeria, quæ habent curam animarum, vel regimen Ecclesiæ Parrochialis, nullus suscipiat, nisi qui iam annos 25. attigerit.] Simile habet cap. Indecorum, De ætate & qualitate præficien. Et in Cõcil. Triden. sess. 24. cap. 12. de Reform. confirmatur idem quo ad dignitates dum cura animarum quæ non sunt parrochialia beneficia, adducitur que ibi cap. illud Cum in cunctis. Quo ad beneficia parrochialia habetur expresſè cap. Licèt. De Electio. lib. 6. & in Concil. Trident. sess. 7. cap. 3. De Reform. quamuis ibi non dicatur electio aliter facta esse irrita, sed debere Sess. autem 22. cap. 4. expresſè habetur, vt fit irrita, & ratio est, quia huiusmodi beneficia exigunt maturitatem morum, summum consilium & prudentiam, quæ ante 25. annum raro habentur. lex autem respicit ea, quæ communiter accidunt.

Exigitur autem in his beneficijs annis 25. non completus, sed inceptus etiam post Concil. Trid. quia in textibus citatis communiter dicitur, vt attingat annum 25. cap. illo Indecorum, vt nemini intra 24. annum personatus concedatur. Et in Cõcil. Trident. vt non assumatur ante 25. annum, ac vt habeat ætatem requisitam ad suscipiendos ordines, quos exigit beneficium, quod ei confertur, quæ omnia apertè innuunt sufficere 25. annum inceptum, nam cum primum quis illum ingressus est, iam dicitur illũ attingere, quia vt quis aliquid attingat, non est necesse, vt illud omni ex parte cõprehendat, sed sat est aliquam eius partem apprehendat. Fateor tamen per accidens posse euenire, vt nõ possit alicui conferri beneficium aliquod, quin habeat 25. annum expletum: vt si Petro nullos ordines habenti conferatur beneficium curatum, vel aliud, quod recipieus debet esse sacerdos, si in hoc casu Petrus natus 24. annos suscipiat primos ordines, cum ex Concil. Triden. non possit ex Subdiacono ascendere ad Sacerdotium intra annum, necessariò debebit habere 25. annum, vt beneficium illud recipiat, quia debet esse ad illud recipiendum sacerdos, quod esse non potest posita hypothesi ante 25. annum expletum. Sed hoc est per accidens, neque semper necesse est ita euenire, cum in hoc casu possit Episcopus dispensare in interuallis ordinum. Cæterum simpliciter, & absolutè sufficit 25. annus inceptus, nec aliud instituit Concil. Trid. quam innouare, cap. illud, In cunctis; maximè quia Concilium vbi vult annum quem assignat, debere esse expletum, id apertissimè exprimit, vt professione Religiosorum, quos cum velit habere 16. annos completos ad emittẽda vota, ita loquitur, [Nulla professio ante annum 16. completum & elapsum sit valida:] Quod in beneficijs & ordine sacerdotij non ita exprimit.

Iam quia dixi in interuallis Episcopum posse dispensare admonitũ volo hic lectorẽ, electũ ad beneficium, si Episcopus noluerit cum eo dispẽsare,

vt intra annum ordinactur, non incurrere pœnam legis statuentis, vt promotus ad tale beneficium intra annum ordinetur; quia tunc non est imputandum illi beneficiato, quod non fit intra annum ordinatus, cum per ipsum non steterit, sed Episcopo, qui noluit illi concedere, quod rectè potuisset. Leges enim istæ intelligendæ sunt, nisi fuerit legitimè impeditus, sicut si fuisset infirmus.

Ex dictis sequitur pueros maximè ante 14. annū non posse eligi in parrochos, sed talem electionē esse malam, & irritam omni iure naturali: quia qui seipsos non valent gubernare ex B. Pau. quo modo Ecclesiæ Dei præerunt? Diuino, clamat enim Scriptura, vt Sacerdotes ætatis sint proucctæ, & vocantur seniores. Et humano in ca. ille Indecorum. Docetque hoc recta ratio. Pueri enim etsi sint bonę indolis, non sunt digni in re, sed in spe, eligendus autem in sacerdotium debet esse dignus in re, vnde eligendi sunt viri prouectæ ætatis, & dimittendi pueri, & qui sæpè conceptam expectationem fallunt bonam indolem, & mores cum ætate mutantes.

CONCLVSIO III.

Ad Canonicatus, dignitates, & alios personatus Ecclesiæ non habentes curam animarum, non est aliquis assumendus, maximè post Concil. Trident. ante 22. annum.

Hanc conclusionem intelligunt aliqui de huiusmodi beneficijs, si habeant aliquē ordinem sacrum coniunctum, sed reuera simpliciter intelligenda est, etiamsi nil tale habeant anneaxum, quia sessio. illa 24. Conc. loc. cit. postquam dictum est ad beneficia curata requiri ætatem 25. annorum, subditur statim, [Ad alia verò beneficia maiora, vt canonicatus, & alios personatus assumantur alii clerici, qui non sint minoris ætatis, quam 22. annorum.] Nec fit ibi vlla mentio ordinis sacri. Quod etiam ostendit ratio, quam affert ibi Conc. huius statuti, quia huiusmodi sunt a consiliis Episcopi, & debent tractare negotia capituli, quæ certè non patiuntur minorem ætatem.

Ex his sequitur primò ad omne beneficiū, quod habet annexos ordines sacros, requiri ætatem 22. annorum. Patet. Ex Concil. Trid. sess. 23. c. 7. nullus est assumendus ad aliquod beneficium, nisi habeat ætatem & qualitatem, quam requirunt sacri ordines tali beneficio annexi: sed sacri ordines nō sunt conferrendi nisi habenti 22. annos saltem incœptos, etsi non completos, vt diximus de ætate Sacerdotii, ergo neque beneficium, cui annexi sunt sacri ordines, poterit quis recipere, quin habeat ætatem 22. annorum. Vnde neque hæc beneficia quāuis non habeant curam animarum, sunt paruulis conferenda, maximè si adsint adulti, quibus tunc conferantur. Offendit hoc adeò Caieta. ut dixerit in Sum. [Conferre pueris beneficia non solum est inexcusabile, sed omnino intollerabile.] Vnde in Concil. Trid. sess. 23. cap. 11. cautum est, ne pueris ante 14. annum aliquod beneficium conferatur, ante 14. annum enim inepti omnino sunt ad exequenda ministeria Ecclesiastica, quodcumq; enim beneficium ad minus exigit recitati officium diuinum attantè, & deuotè, quod ante illud tempus, quomodo præstabit puer? Excipiuntur ab hac doctrina beneficia, quæ essent pro pueris instituta, velut eleemosynæ ad iuuanda eorum studia, vel si esset puer tanti ingenij, & expectationis, vt prudenter iudicaretur futurus vtilissimus Ecclesię, posset Somm. Pont. vel alius de ipsius licentia conferre illi beneficium ante illam ætatem, modo, ut inquit Adrian. non habeat curam animarum, existimat enim Adria. esse de iure diuino, vt pastor per seipsum, & nō per mercenarios pascat suas oues, quod puer nullo modo potest.

CONCLVSIO IV.

Ad alia beneficia, quæ non habent coniunctum ordinem sacrum, sufficit ætas 14. annorum, ita tamen vt ante huiusmodi ætatem nulli conferatur aliquod beneficium.

Prior pars patet vsu Ecclesiæ, non enim requirunt communiter ordinarij maiorem ætatē, nec est aliquod statutum Ecclesiæ in oppositū. Et ratio ipsa id docet. Primò, quia non exigitor tanta maturitas, & prudentia ad officia minorum ordinum, quibus solent deseruire ista minora beneficia, quanta exigitur ad officia sacrorum ordinum. Secundò, quia habentes hæc minora beneficia subijciuntur maioribus, à quibus possunt dirigi. Vnde Concil. Trid. sess. 23. cap. 11. ad ordines minores non assignat aliam ætatem, sed tantū exigit, vt calleant linguam Latinam. Secunda pars habetur expressè eadem sess. cap. 6. & 7. vbi dicitur, [Vt nemo prima tonsura, vel minoribus ordinibus initiatus eligatur ad aliquod beneficium ante annum 14.] Quo fit reijci ndum esse in hac parte dictum Sylu. loc. cit. par. 6. vbi ait ad beneficia maiora, vt canonicatus requiri annum 14. quia requirunt maturum consilium, quod incipiunt homines habere ea ætate, ad minora verò & simplicia, quæ non exigunt tale consilium, sufficere ætatem 7. annorum. Putatque Sylu. st. fauere sibi ius antiquum. Sed quid sit de iure antiquo, nunc standū est Concil. Trid. Et confirmatur ratione. Omnia beneficia quantumcunque simplicia obligant ad recitandū diuinum officium, sed pueri ante annum 14. regulariter loquendo non possunt illud commodè recitare. Quod etiam intelligo in beneficijs, quæ vocantur præstamos, quæ secundum probabiliorem, & saniorem opinionem obligāt etiam ad recitandum diuinum officium, licèt aliqui aliter sentiant, de quo q. 83. tomo sequen.

Circa prælatos verò Religionum Syluest. & Armilla verb. Aetas, docent Abbatissam, vel Priorissam, indigere ætate 30. annorum, ac vt expressè professa sit religionem, cui præficienda est, affertque Sylu. st. cap. Indemnitatibus. de elec. lib. 6. vbi Bonif. 8. hoc statuit expressè. Nihilominus in Concil. Triden. cui modo standum est, sess. 25. cap. 7. de refor. habetur expressè in Abbatissa, Priorissa, vel Præfecta requiri ætatem 40. annorum, ac vt post professionem vixerit ad minus 8. annis laudabiliter, quod si huiusmodi non existat in illo conuentu, vult Concilium, vt eligatur ex alio eiusdem ordinis: si verò hoc vtrum fuerit incommodum superiori, qui ibi præest, concedit Concil. vt eligatur ex eodem monasterio, modo sit ætatis 30. annorum, & quæ post professionem vixerit ad minus 5. annis laudabiliter. Prælati religionum (etsi nil de hoc Summistæ doceant) debent habere ad minus 25. annos, cum huiusmodi prælaturæ sint dignitates Ecclesiasticæ, habentes curam animarum, quàm

ætatem

pus, Caietanus, q. 185. art. 5. Maioris in 4. d. 24. q. 3. art. 6 Soto lib. 4. de iustitia, q. 6. art. 1. conclus. 10. & communiter discipuli D. Thom. & omnes Theologi, non quasi suam causam tuentes, sed quia ita ueritas postulat.

Quæstio hæc intelligenda est cæteris paribus; nam si ex duobus, qui se offerunt eligendi, Canonista sit honestioribus moribus, & maiori prudentia, vel naturali, vel acquisita, quàm Theologus, non est dubium præferendum esse Canonistam, quia tunc ille est vtilior Ecclesiæ, & vt vidimus, ille est dignior, qui vtilior; cæteris verò paribus, & honestate morum, & prudentia, inquirimus ratione scientiæ, quis sit præferendus. In quo sensu verissima est secunda opinio Theologorum.

Probatur primò, ex officio Episcopi, Episcopus enim est pastor animarum, ad quem pertinet incũbere studio sacrarum litterarum, & scripturæ, vt inde pascat, doceatque populum, vnde Christus non dixit Petro Ioan. 20. Iudica inter oues meas, sed pasce, doce oues meas. Et Marci vltimo omnibus Apostolis: [Euntes in mundum prædicate Euangelium.] Matth. vltimo. [Docete omnes gentes.] Ac vt explicaret Matth. 5. quo tenderent omnes illæ metaphoræ, quibus comparauit Apostolos, & Ecclesiæ Prælatos vocans eos sal terræ, lumen mundi, &c. concludit; Qui fecerit, & docuerit, &c. D. Paulus 1. ad Tim. 4. Explicans Timothæo Episcopo, in quo potissimè consisteret munus eius ait: Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & 2. ad Timo. 4. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad corripiendum, ad arguendum, vt per eam perfectus sit homo Dei, idest Episcopus, & ad omne opus bonũ instructus:] idest ad suum officium. Vocat enim Paulus officium Episcopi bonum opus, sicut dixerat epistola 1. cap. 3. [Qui Episcopatum desiderat, bonum opus.] idest, sanctum officium desiderat. Et ad Titum 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana suos, & eos qui contradicunt arguere.] Ad Ephe. 4. Enumerans dona, & officia Ecclesiæ ait, [Alios quidem dedit Apostolos, alios Euãgelistas, &c. alios Pastores, & Doctores.] Vbi Hieronymus, [Cum in alijs diuisim locutus sit, in pastoribus verò & Doctoribus istã coniunxit, vt qui pastor est debeat esse, & magister.]

Denique in horum omnium confirmationem, in consecratione Episcopi non interrogatur, vt optimè obseruauit Ricardus, & Syluestr. an sciat vtrumque ius, sed an sciat vtrumque testamentum, & in fine consecrationis dicitur illi, vade & prędica Euangelium. Hæc omnia scire vtrumque testamentum, intelligere Scripturas, incumbere illarum lectioni, pascere oues verbo doctrinæ, prædicare Euangelium, docere fideles, impugnare hæreses non sunt Canonistæ, sed Theologi. Vnde in Ecclesia Dei Episcopi omnes fuerunt perpetuo Theologi: Diuus Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & omnes sancti patres, & qui eos sequuti sunt, cum iam fides esset propagata, & pacatus Ecclesiæ status.

Et confirmatur ex doctrina sanctorum patrum, D. Hier. in Leuitico, & habetur dist. 36. can. Si quis, ait: [Duo sunt Pontificis opera, vt a Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, & vt populum doceat.] & dist. 38 can. Omnes, habetur: Antistes vt in promptu habeat legem Dei, sacros Canones, sanctum Euangelium, diuinũ Apostolorum librum, & omnem diuinam scripturam. Et ne per sacros Canones intelligas ius Canonicũ, cap. proximo, Placuit, eadem dist. explicatur intelligi canones Apostolorum, & Conciliorum, quos tractat Theologus, dum confirmat in suis disputationibus dogmata fidei. Vnde D. August. in Epistola 19. quæ est ad Paulinum, expendit maximè illa duo verba, quæ Pau. Ephe. 4. coniunxit, Pastores, & Doctores, insinuans hoc esse potissimum munus Episcopi, docere. Et merito. Cum sint Episcopi Apostolorum successores, quorum hoc fuit potissimum munus, & quod dominus Iesus illis potissimè commisit docere omnes gentes. Imò & Christus in hoc potissimè constituit suam dignitatẽ & officium, in docendo, & prædicando. Psal. 2. Ego autem (inquit) constitutus sum Rex a patre super Syon montem Sanctum eius, idest Ecclesiam, prædicans præceptum eius.

Secundò, si tempore hæresum Episcopum oportet esse Theologum, quando defuerunt hæreses in orbe? Quando Ecclesia Christi non indiguit, vel indiget canibus, qui contra lupos hæreticorum latrent? Sæpè (inquit Ecclesia) expugnauerunt me a iuuentute mea. Imò experientia teste, & Sacra Scriptura ita vaticinante quo mundus magis senescit, magis augentur in illo vitia, & errores, cũ deficiente charitate facilius a fide quoque recedatur pertinetque ad Episcopum non solum hæreticos insectari, & confutare, si exurgant in sua Ecclesia, verum etiam si exterius distent, oues suas præseruare ab erroribus, hæresis enim, vt ait Paulus, sicut cancer serpit. Propter quod admonuit idem Paul. Titum Episcopum debere esse peritum in Sacra scriptura, Vt potens sit in doctrina exhortari suos, & contradicentes arguere.

Tertiò, inter alia officia Episcopi hoc est illi quoque proprium, interesse Concilio vniuersali, aut prouinciali, cum vocatur, in huiusmodi autẽ Concilijs agitur communiter de pertinentibus ad fidẽ, & bonos mores, si disputatio se offerat in Concilio de rebus fidei, certum est ad eam non esse aptũ Canonistam, cum illa propria sit Theologi, si verò pertineant ad componendos mores, & reformationem, est necessaria philosophia Moralis, imò & naturalis, in quibus Theologus versatus est, non autem Canonista.

Quartò, omnia quæ continentur in iure Canonico, aut sunt decreta fidei pertinentia ad articulos, vel doctrinam sacramentorum, aut pertinent ad gubernationem spiritualem Ecclesiæ, aut pertinẽt ad causas forenses & lites. Decreta primi generis propria sunt Theologiæ, condita a Pontificibus, vel Concilijs beneficio Theologiæ, Decreta secundi generis, cum sint etiam velut conclusiones collectæ ex principijs Theologiæ, melius intelliguntur a Theologo, quàm Canonista, ille enim nouit principia, & rationem, ex quibus conclusiones istæ inferuntur, Canonista autem velut in fide parentũ solum nouit illas conclusiones, imò collectæ sunt a Theologis, a quibus illas Gratianus, & alij sumpserunt, vt videre est in Decretis.

Circa decreta verò & statuta tertij generis, quis ignorat illa directè, & propriè pertinere ad legistas? propter quod consultius est, & magis decorum, vt ad illa eligat Episcopus Vicarios, & prouisores ad ditimendas lites, & causas forenses ex ipsis iuristis, ipse verò uacet orationi, & lectioni Scripturarum ad pascendas oues, sicut fecerunt Apostoli Actorum 6. qui gubernationem viduarum, & pauperum commiserunt 7. Diaconibus, vt ipsi vacarent orationi, & prędicationi, sic enim dixerunt: Non est æquum derelinquere nos uerbum Dei, & mini-

ministrare mensis. Quanto magis vacare litibus? Vnde potest esse argumentum, magis pertinet ad munus Episcopi largiri eleemosynas, quam dirimere lites, pater enim potius, quam iudex esse debet, sed Apostoli primi Episcopi ne verbum prædicationis dimitterent, præfecerant, alios eleemosynis, ergo quando vtrumque in eodem reperiri non potest, scilicet, prædicare, & iudicare, eligēdus est qui sciat prædicare, iudicare verò vicarij suis committat. Ita Exodi 18. Cum videret Ietro Moysen vacare litibus, & omnibus negotiis populi, Vano (inquit) te labore consumis, tu esto in his, quæ ad Deum sunt, ad audiendas autem causas populi cōstitue illis iudices viros industrios, & sapientes. Et D. Paulus indignum indicat Episcopo vacare litibus, & negotijs populi. Vnde 1. Cor. 6. ait. Sæcularia iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constitue, ad iudicandum. Vocat sæcularia iudicia, idest, non pertinentia ad fidem, & doctrinam sacram. Et forsan ad componendas lites aptior esset Theologus, quia Canonistę, cum tractent lites more iuristarum cum strepitu, & figura iudicij, faciunt quoque lites æternas, & non tam charitate, sicut oporteret in tribunali Ecclesiastico, quàm processibus illas post multa tempora diriment, Theologus autem, cuius est ex doctrina Sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum oues instruere, nitetur suis admonitionibus, & doctrina componere litigantes iuxta leges conscientiæ, & vbi renuent breuius illarum causas discernet, & absoluet.

Denique in ca. specula de magistris dicitur: [Vt in qualibet Ecclesia Metropolitana sit vnus Doctor Theologus ad docendas oues Christi.] Et inferius: [Vt Episcopus in sua Ecclesia designet aliquos dociles, qui studeant Theologiæ, vt fulgeāt in Ecclesia Dei, & tanquam splendor firmamenti eradiant alios, &c. Certè si inferiores & minus præcipuos oportet esse Theologos, & aptos ad docendum populum, quanto magis præcipuos Architectonicos, idest Episcopos?

Argumentum in oppositum nō habet vim, quia supponimus hic cętera paria in vtroque & morum compositionem, & prudentiam, quæstioque est de sola scientia: secundò, quia quis dubitat reperiri multos Canonistas imprudentes, sicut & Theologos, cum præcepta prudentiæ, vt dicitur, non leguntur in scholis, imò sublato dono naturali, vel supernaturali prudentiæ, si præcisè vtrumque sumimus, plura iuuamina habet Theologus, quàm Canonista ad prudentiam, quia Philosophia Moralis, quæ adeò Theologiæ coniuncta est, lectio sacrarum scripturarum, & sanctorum Patrum, historiæ sacræ, & similia, quæ Theologus callet, & non Canonista, plena sunt documentis prudentię.

Sed aduersus hæc omnia objiciunt illud Iurisperiti, desiderati maximè in prælato prudentiam circa res agibiles, & temporalia Ecclesiæ bona procuranda, quàm frequentius in Canonista, quàm in Theologo dicunt reperiri. Quod facilè diluitur.

Primò, quia imò oppositum sæpè accidit, Theologum ad ista esse prudentiorem, & magis solicitum.

Secundò, quia etiamsi illud Canonistæ concedamus, est per accidens, & ratione huius, vel illius indiuidui, quod non tollit, quin ratione scientiæ Theologus sit præferendus.

Tertiò, dico filios huius sæculi prudentiores esse filiis lucis in temporalibus, quæ fatemur necessaria esse, cum sine ipsis ob fragilitatem nostram, spiritualia comparare non possimus: cæterum cum præstet deficere in mediis, quàm in fine, siquidem prælatus haberi possit ad vtraque vtilis, & ad spiritualia, & ad temporalia præferendus est cæteris, quod si talis haberi non possit, præstat Theologus, qui ad spiritualia vtilis est, quàm Canonista, etsi ad temporalia illum concedamus vtiliorem. Quibus accedit, maximam solicitudinem circa temporalia reddere homines auaros, & nonnunquam ordinātes spiritualia ad temporalia, quod est peruersum, vt in Iuda, qui ex nimia consuetudine habendi loculos auarus, & fur effectus fuit, & quę mulier sancta in obsequium Christi pręstitit, ægrè tulit, quod videtur indicare Euangelista cap. 12. dicens. Quia fur erat, & loculos habebat.

CONTROVERSIA II.

AN SIT PECCATVM ACCEPTIOnis personarum eligere dignum ad beneficia Ecclesiastica dimisso digniori.

NOn est hic sermo de indigno, & insufficiēti, cum talem eligere, nec simpliciter, nec in comparatione digni liceat: est enim inferre grauem iniuriam Ecclesiæ, & bono communi, & grauissimum peccatum contra vtramque iustitiam, distributiuam quidem, cum debetur bonum sine meritis, & commutatiuam, cum non prouideat elector Ecclesiæ, sicut tenetur ex officio, adeo eligentes indigno grauiter reprehendit Alexander 3. c. Graue nimis, de pręebendis. Comparamus ergo hic tantum dignum cum digniori.

Glossæ in cap. Constitutis, de Appellat. verb. vt refert Couar. in Regula, Peccatum, par. 1. §. 7. nu. 3. & apertius multò in cap. Licèt. 8. q. 1. Et in cap. Tertium, de iure patronat. Et in cap. 2. de offic. custod. vult non esse peccatum mortale acceptionis personarum eligere dignum dimisso digniori. In eandem sententiam sunt varii Iuristæ in idem cap. Licèt. Adrian. refert fuisse in illa Ioan. Andream, imò & nonnulli Thomistæ tribuunt illam Caiet. Ientaculo. 12. quæst. 4. & in Sum. verbo, Beneficium, & verbo Electio. Explicabimus nos infra mentem Caiet.

Probatur hæc opinio à suis Auctoribus multis argumentis. Primò D. Paul. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. vbi enumerans partes optimi Episcopi, postulat, vt sit pudicus, sobrius, peritus, irreprehēsibilis, &c. nullam facit comparationem ad alios, nec ponit verbum, quo significet, vt sit cæteris dignior.

Et confirmatur ex can. Si in plebibus distin. 63. vbi dicitur, vt Archidiaconus eum plebe & clero conueniat ad eligendum Archipresbyterum, quatenus dignus pastor Ecclesiæ Dei præficiatur. Et in cap. Monasterium. 16. q. 63. habetur, vt qui monasterium construxerit, possit illud cui voluerit commendare eum Episcopi consensu, & licentia, additque ibi textus, modò non sit malus: sufficit ergo dignus, quod significat vox illa, nō sit malus, nec requiritur dignior.

Secundò, si electores tenentur eligere digniorem, tenentur etiam quærere illum adhibita diligentia, sicut qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media, videmus autem neq; ab electoribus timoratæ conscientiæ adhiberi istam diligentiam, sed ex

ex suis familiaribus, aut ex iis qui se opponunt, eligere, etsi sciant adhibita diligentia alios digniores posse facilè reperiri.

Tertiò, si elector teneretur meliorem eligere, id certè esset, vel ne faciat iniuriam Ecclesiæ, vel ne faciat iniuriam digniori, sed si eligat dignum, nulli faciat iniuriam, ergo in primis nõ facit iniuriam Ecclesiæ: quia etiamsi eligatur dignior, non tenetur plus laborare in Ecclesia, quam teneatur dignus.

Patet, quia non tenetur laborare minister Ecclesiæ quantum potest, sed iuxta stipendium, quod illi constitutum est, iuxta tale autem stipendium, non debet dignior magis laborare, quàm laboraret dignus illud idem recipiens, sicut mercenarius, fortior, & diligentior non tenetur pro stipendio vnius argentei magis laborare, quàm laboraret diligens mercenarius vnum etiam argenteum recipiens. Nec fit iniuria digniori si eligatur dignus, quia qui eligitur ad Ecclesiasticum beneficium, ad laborem potius, & onus eligitur, quam ad honorem, & opes, iuxta illud D. Paulus. [Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat] Nulla autem fit iniuria fratri, quod ad laborẽ, & onus non eligatur.

Et confirmatur primò: Quia nullus tenetur facere quod melius est, sed quod bonum, & sufficiens est, quod præstat eligens dignum.

Secundò, quia nullus tenetur magis iuuare in spiritualibus alium, quàm seipsum cum ordine charitatis homo habeat primum gradũ, sed nemo tenetur eligere sibi digniorem ministrum, vt doctiorem confessarium, sed sufficit eligat dignum, ergo neque alijs tenebitur eligere digniorem.

Quartò, dominus alicuius rei potest illam conferre, cui voluerit, saltem digno, Papa est dominus beneficiorum omnium Ecclesiæ, ergo saltem Papa, vt supremus elector, & dominus, poterit eligere dignum dimisso digniori. Maior certa est, Probatur minor, quia collatio facta ab eo, qui non est dominus, non tenet, at si Papa dat Petro Episcopatum, vel beneficium dimisso Ioanne digniori, Petrus est verè Episcopus, & tutus in conscientia, ergo est dominus.

Quintò, Cardinales conuenientes ad electionẽ Papæ, vbi agitur de summo bono Ecclesiæ, non tenentur eligere digniorem, ergo nec alij electores. Conseq. patet, quia si quod magis videtur inesse, non inest, &c. Antecedens verò probo.

Primò, quia constitutum est ipsis, ne eligant in Papam, nisi aliquem ex ipsorum collegio, vt habetur can. Oportebat & can. Nullus 79. distin. quis autem dubitat existere aliquem doctiorem, & prudẽtiorem, & digniorem ad Pontificatum extra ipsorum collegium ?

Secundò, quia aliquando prætermittunt ex ipsismet existẽtibus in collegio digniorem, nec ideo iudicant se peccare, cum eligant sufficientem, & dignum.

Sextò, si elector teneretur eligere digniorem, dignus quando cognosceret alium esse digniorem, non posset acceptare beneficium, quia cooperaretur peccato illius electoris, at potest omnium consensu tuta conscientia acceptare, ergo.

Septimò, si quis ex suis bonis instituit aliquod beneficium, vel capellaniam, cuius electionem sibi seruauit, non tenetur eligere digniorem, cum illud beneficium sit velut proprium bonum ipsius, quod potest dare cui libuerit, vt consanguineo digno, sicut potest quiuis liberè de suis bonis dispensare, ergo.

Octauò, Non magis tenetur prouidere Ecclesiæ elector, in conferendo beneficio, quàm qui renunciat illud in fauorem tertii in resignando: quia vterq; prouidet Ecclesiæ de ministro, sed qui renunciat, & resignat beneficium in fauorem tertii, non tenetur eligere digniorem, vt experientia constat, ergo neque ille.

Nonò, si necessario esset eligendus dignior, eueniret, vt aliquando elector esset ita perplexus, vt quicquid faceret, peccaret, quod est maximum absurdum, quod verò sequatur, probo. Existant duo beneficia conferenda, vnum simplex, sed pingue, aliud curatum, sed tenue, existantque duo clerici, vnus dignus, alter dignior, si confert curatũ tenue digniori, agit contra iustitiam distributiuam, quæ exigit, vt melius beneficium tanquam maius præmium detur digniori, si autem conferat beneficiũ simplex, & pingue digniori, agit contra bonum, & vtilitatem Ecclesiæ, quæ indiget digniori, ergo. Similiter potest accidere, si vtrumque beneficium sit curatum, ut duo Episcopatus, vnus pinguis inter Christianos confirmatus a multis sæculis in fide, alius tenuis inter infideles, aut hæreticos habẽs suos subditos, vt Toletanus, & Granatensis: si Rex conferat Granatensem digniori, eruditiori, & sanctiori, & Toletanum minus digno, non seruat iustitiam distributiuam, quia maius præmium, quale est Episcopatus Toletanus, ex distributiua debetur digniori, si verò conferat Granatensem minus digno, & Toletanum digniori, non consulit vtilitati Ecclesiæ Granatensis, quę ut ecclesia noua, & in qua sunt infideles, indiget pastore doctiori, prudentiori, & sanctiori.

Decimò, iuxta ius commune Ecclesiasticum beneficia conferẽda sunt naturalibus, & personis ex eadem Ecclesia quotiescumque in ea fuerint inuẽti digni, etiamsi apud exteros reperiantur digniores, vt habetur can. Obitum. & can. Nullus. d. 61. & can. Metropolitano. d. 73. ergo iuxta ius commune non est necesse eligere digniores.

Vndecimò, Antiquitus quando in Ecclesia non mutabantur Episcopi, sed permanebat vnusquisq; in sua prima ecclesia, Ecclesiæ vacanti aliquando non prouidebatur dignior, quia erat assumendus ex alia Ecclesia quod non licebat, neque erat in vsu, ergo non semper oportet eligere digniorem. Probo consequentiam, quia si eligere dignum esset intrinsecè malum, nunquam liceret, sicut nunquam licet fornicari.

Denique ius canonicum non repugnat iuri diuino, alioquin non esset ius, sed iniuria, at iure canonico approbatur, & sufficit electio digni, cap. Cum nobis, de electionibus, approbatur electio cuiusdam, etiamsi non haberet eminentem litteraturã. Et cap. cum dilectus, eod. tit. approbatur electio cuiusdam in episcopum, etiamsi essent alii digniores in eadem ecclesia, cum ille electus esset dignus, & sufficiens.

Oppositum docent D. Thom. hic in corpore articuli, & apertius ad tertium. & quolib. 4. art. 15. & quol. 6. art. 9. & quolib. 8. artic. 6. Alensis. 2. part. q. 136. memb. 2. Nicolaus de Lyra in illud Ioan. 20. Simon diligis me plus his, Maioris in 4. dist. 24. q. 8. & 9. Henricus quolib. 5. Et Godofredus in suis quolib. Adrian. in 4. de resti. q. peculiari de hac re, Sylu. verbo, electio, verbo, acceptio personarum, verbo beneficiũ. Victoria in lectura huius art. Sot. lib. 4. q. 6. art. 2. & omnes discipuli D. Thom. Ex iurispe. Archid. in illo cap. licet, & cap. Monasterium. Abbas Philip. Franc. in illo cap. Constitutis, Couar. loco cit. & latissimè Lambert. De iure patronatus,

lib.

intellectus separari & diuidi inuicem possint, moraliter tamen, & vt res est, nō sunt separabilia, sed coniuncta, & simul in beneficijs. Quo fit primò, beneficia ista necessario, & ex natura eorum distribuenda esse iuxta leges vtriusque iustitiæ, & distributiuæ, & commutatiuæ. Cum sint officia, & ministeria, debet elector ex officio, & iustitia commutatiua eo ipso quo traditur e illi ius eligendi, eligere ministrum vtiliorem Ecclesiæ. Similiter cum sint stipendia, debet, ex commutatiua præstantiora stipendia vtilioribus quoque ministris, & plus laborantibus, aut laboraturis in vinea Christi conferre. Cum sint præmia, & dignitates, debet iuxta leges distributiuæ pro meritis, & dignitate distribuere. Efficitur secundò, vt sicut in beneficio primum, & potissimum est munus, & ministerium in vtilitate Ecclesiæ, secundarium verò stipendium, sitque semper habenda ratio potioris, in distributione benefici rum potissimè esse attendendū vtilitati Ecclesiæ, & quatenus illa postulauerit faciendam esse electionem. Vnde quādo Ecclesiæ vtilitas oppositum non postulabit, pinguius beneficiū poterit conferri digniori, quando autem Ecclesiæ vtilitas exiget, non est curanda beneficii pinguedo, sed vtilitas Ecclesiæ.

His positis constituamus primum quæ apud omnes certa sunt. In primis conueniunt, tam auctores primæ opinionis, quàm secundæ electionem digni excluso digniori esse tantum peccatum veniale ex leuitate materiæ, idque in tribus casibus, primò quando est exiguus excessus inter ipsa beneficia, licèt sit excessus notabilis inter personas, vt confer re digno beneficium, vt 100 digniori verò beneficium, vt 65. est tantum veniale propter leuem excessum qui æquiualet leuitati materiæ. Secundus & similis primò, quando est exiguus excessus inter personas, etiamsi sit excessus inter beneficia, vt si conferatur Petro digno beneficium, vt 100. Ioanni autem paulò digniori beneficium, vt 50. Tertiò, quando eligitur dignus omisso digniori, sed beneficium, vel munus est exigui momenti in Ecclesia. Omnia ista probantur, quia, vt supra vidimus, peccatum iniustitiæ, quod ex suo genere est mortale, ex paruitate materiæ fit ueniale, quo modo res se habet in his tribus casibus positis.

Sed obijcies. Quando excessus est grauis, & in magna quantitate inter beneficia, licèt sit excessus exiguus inter personas, dimisso digniori irrogatur illi grauis iniuria, & in materia graui, quia ei exspoliatur illa magna quātitate pecuniæ, qua unum beneficium alterum superat, ergo est tunc mortale. Respondeo, hoc non obstante committi tātum veniale, quia radix grauitatis materiæ respectu peccati non est hic sumenda ex maiori, vel minori quantitate pecuniæ, sed ex excessu magno, vel paruo inter personas eligendas, qui cum in hoc casu sit exiguus, efficitur, vt solum committatur peccatū veniale, sicut docet D. Tho. supra q. 26. art. 8. de ordine charitatis, magis coniunctis esse faciendam eleemosynam, at si quis subueniat consanguineo in quarto gradu dimisso consanguineo in tertio, vel subueniat matri relicto patre, non peccat nisi venialiter tantum, quia excessus consanguinitatis inter istas personas est exiguus, etiamsi res, in qua non seruaret ordinem esset vita, aut aliquid graue quia licèt vita res grauissima sit, ratio tamen subueniendi potius patri, quàm matri est leuissima, sicut excessus consanguinitatis patris ad matrem est exiguus.

Dices, ergo quando inter beneficia erit excessus leuissimus, inter personas autē notabilis, erit peccatum mortale, si ab excessu qui est inter personas sumenda est radix grauitatis materiæ.

Respondeo simpliciter ab excessu, qui est inter personas, sumendam esse: nihilominus, quia quando inter beneficia excessus est exiguus, damnum quod infertur digniori est exiguum, ideo ex paruitate materiæ est tunc quoque veniale. Excessum autem inter beneficia, vel munera intelligo, non solum quo ad redditus pecuniarios, verum etiam quo ad dignitatem, honorem, & alia quæ efficiunt beneficium præstantius, potest enim beneficium parum excedere alterum in redditibus, multum tamen in dignitate, & honore, & tunc excluso digniori fieret illi maxima iniuria, quamuis non in pecunijs, dignitate tamen & honore, in quibus apud viros cordatos est grauior iniuria.

Vnde quando habens cathedram opponit se alteri vacanti, & non confertur ei, cum sit dignior, est peccatum mortale, etiamsi illa quam habet actu, sit æqualis, vel ferè æqualis stipendijs illi, cui se opposuit, quia cadere in oppositione Cathedræ est multi honoris, & dignitatis. Vtrum autem elector, qui simpliciter iurauit se electurum digniorem, peccet mortaliter, etiam in materia leui, pendet ex illo dubio examinando, quæst. 89. vtrum iuramentum promissorium etiam de re leui sub mortali obliget Caiet. qui ibi videtur docere tale iuramentū obligare sub mortali, sentit simul istum electorem qui sic iurauit, etiamsi excessus sit leuis, peccare mortaliter, si dimittat digniorem. Soto in hoc art. sentit istum non peccare mortaliter, quia absolutè ait peccare venialiter, cum tamen non lateret ipsum aliquos iuramentum illud præstare, refert enim pragmaticam illam Concilij Basiliensis, in qua illud iuramentum indicitur electoribus.

Secundò, certum etiam est apud omnes, colligiturque ex secunda conclu. D. Thom. quam habet in hoc articulo, Si necessitas & bonum Ecclesiæ exigat, vt eligatur dignus dimisso digniori, non modò tunc id licere, verum etiam ita debere fieri, vt in casu noui argumenti pro prima opinione positi, verbi gratia, vacant Episcopatus Toletanus & Granatensis, eligendus est ad Granatensem propter mauros, & infideles ibi existentes doctior, & sanctior, ad Toletanum verò in quo non est tanta necessitas, minus doctus, & minus dignus, ratio est aperta, quia cum beneficia primò & potissimè sint instituta in vtilitate Ecclesiæ, quando vtilitas Ecclesiæ ita exigat, sic erit facienda electio, nec curandum quod Toletanus Episcopatus sit diuior, & honoratior, quia hoc est secundarium, & in omni electione & actione, vt diximus in calce quartæ obseruationis, habenda est semper ratio potioris.

Vnde in hoc casu non potest beneficium præstantius in temporalibus dari digniori, sed quod quod præstantius est in spiritualibus: & quod maiori sanctitate, & doctrina pastoris eget.

Ex quo sequitur malè esse diuisa stipendia beneficiorum, cum sint multa simplicia habentia maiores redditus, quàm multa curata, & inter curata sint multa ditissima cum exigua cura animarū, alia verò quæ multam habent animarum curā, pauperrima, cum deberent stipendia distributa esse, & assignata iuxta laborem, & solicitudinem quam singula exigunt, vt dicemus q. 83. & 88. in materia de decimis. Ita videtur sufficientissima causa, ob quam aliqua portio subtrahatur ab istis beneficijs pinguibus, quæ per modum pensionis conferatur curatis habentibus redditus tenues.

Tertiò, certum est apud omnes, electores, non tene-

teneri ad exquirēdos per orbem digniores, sed ex eis quos habēt in promptu, & facile possunt nominare, debere eligere, sic enim dictat recta ratio. Et Christus Dominus licèt potuisset sanctiorem hominem creare, quàm Petrum, non tamen creauit, sed ex illis quos habebat in suo collegio, designauit quem vidit sanctiorem, & maiori charitate ornatum, vt B. Petrum, & Apostoli volentes eligere vnum in locum Iudæ dixerunt: [Oportet ex ijs viris qui nobiscum sunt congregati, eligere vnum, &c.] Similiter si quis elector habet amicum, vel familiarem, quem certissimò scit esse dignum, potest eligere illum, quando non videt certissimè & euidenter alium esse digniorem, sed probabiliter tantum licèt reuera sit alius dignior: quia certitudo illa qua nouit suum familiarem dignum, habita longa experientia, præferenda est opinioni, quæ habetur de maiori dignitate alterius, estque elector securior, quando nouit hunc certo dignum, de digniori verò est dubius. Eadem ratio est, quādo elector nouit quidem vnum doctiorem, non tamen nouit, nec expertus est prudentiam, & bonos mores illius, sicut sui familiaris, potest enim tunc ac debet eligere suum familiarem, cuius prudentiam, dexteritatem, & probitatem adeo expertus est, & quem videt vtiliorem Ecclesiæ, vt de sumenda est dignitas ministrorum. Similiter quando prudenter iudicat elector minus dignum diligentius laboraturum, & continuam residentiam seruaturū alium verò digniorem non ita, debet eligere minus dignū, quia in hoc casu hic futurus est vtilior Ecclesiæ suo labore, & residentia, dignitasque nō est attendenda Metaphysicè ex solis qualitatibus eligendorum, sed moraliter, & practicè ex qualitatibus executioni mandatis, & redactis in opus. Vnde nostra quæstio est, An cæteris omnibus paribus liceat eligere dignum.

Caieta. locis citatis, & multi recentiores distinguunt in beneficijs id quod est esse officium, & onus, & stipendium, dignitatem, & honorem, quæ illis annexa sunt, quatenus, inquiunt, sunt munus, ministerium, & onus, non esse peccatum eligere dignum relicto digniori, quatenus verò omnia sunt coniuncta, onus, stipendium, & honor, esse peccatum mortale, eligere dignū prætermisso digniori. Priorem partem probant in primis, primo illo argumento primæ opinionis. Quia Paulus illis locis tantum depingit Episcopum sufficientem, & contentus est, sine vlla comparatione ad digniorē vbi tantum attendebat Apostolus ad laborem, & onus, ac ministerium Episcopatus, propter quod præmittit ibi: [Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.]

Secundò, quia si aliquod peccatum committeret elector, esset illud contra aliquam iustitiam, at non est. Probo: non contra commutatiuam, cum prouideat Ecclesiæ de sufficiēti ministro, ad quod tantum tenetur ex commutatiua. Nec cōtra distributiuam, quia hæc violatur in distributione bonorum, in hoc autem casu non distribuuntur bona, nec honores, sed labores, & onera ergo.

Tertiò, si in electione digni dignior cedat iuri suo, omnium consensu non peccat eligēs dignum contra iustitiam distributiuam, sed cōsideratio in beneficio solo onere, & labore dignior virtualiter cedit iuri suo, quia hoc naturale est vnicuique in laboribus, ergo.

Quarto, si alicui in tali electione fieret iniuria, certè fieret ipsi electo, quia eligitur ad labores, & onera, & forsitan supra vires, aut certè non cū tantis viribus, quantis dignior ad ferendum onus illud, at electo nulla fit iniuria, cum voluntariè acceptet electionem, ergo. Vnde omnium consensu faceret iniuriam electo Episcopus, qui præciperet illi acceptare beneficium curatum perpetuum nullos habens redditus, aut tenuissimos, sicut enim erant in Ecclesia Palentina, quia oneraret illum grauiter, quamuis modo maximè post Concil. Trid. iam omnia beneficia curata habeant sufficiens stipendium, saltem mediocriter.

Posteriorem autem partem sui dicti probant argumentis, quibus vtemur statim in probanda concl. nostra.

Soto verò, & alij nil tale docent, neque distinguunt inter ista, sicut reuera nō oportet distinguere. Quamuis enim opera intellectus separare illa possimus, actu autem & reuera coniuncta sunt, & moralis disputatio (qualis hæc nostra est) non respicit quid intellectus noster cogitare possit, sed quid in rebus reperiatur.

CONCLVSIO PRIMA
communis inter omnes Thomistas, & Doctores, quos pro secunda opinione citauimus.

Cæteris paribus in distributione beneficiorum Ecclesiæ maximè cum cura animarum est, peccatum mortale acceptionis personarum, & graue eligere dignum reiecto digniori.

DIxi cum cura animarum, nam in simplicibus quibusdam, vt docebimus, licet eligere tantum dignū. Probatur concl. ex sacra scriptura in qua omnes electiones semper sunt de digniori. Leu. 8. in electione Aaron adducuntur omnes principes ad ostium tabernaculi, ostenditurque Aaron cæteris præstare, florente virga ipsius, simulque emittente frondes & fructus, quod nulla virga aliorum habuit Vbi Hier. & habetur 8. q. 1. Can. Licèt. [Licèt (inquit) Dominus de constituendo sacerdote præcepisset, conuocatur tamen etiā synagoga, vt sciant omnes, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui aptior, & in omni virtute eminētior, eligitur in sacerdotiū.] 1. Reg. 9. eligitur Saul de quo dicitur ibi: [Quia non erat alius melior illo in Israel.] Idem in electione Dauidis. Quando eligitur Petrus Ioann. 20. non tantum interrogat Christus, an illum diligeret, sed an diligeret præ cæteris: [Diligis, inquit, me plus his?] Ex quo verbo apertè sequitur tunc nullum fuisse sanctiorē B. Petro, imò ipsum cæteros charitate excelluisse, vt sicut Adam, qui fuit principiū naturæ humanæ, fuit omnium perfectissimus in naturalibus, ita Petrus, qui constituendus erat primus pastor, & caput Ecclesiæ, esset omnium Apostolorū perfectissimus in supernaturalibus. Apostoli quoq; Actor. 1. cōstituerunt duos omniū meliores inter septuaginta Christi discipulos, vt eligeret Spiritus sanctus, quē vellet ex eis. Hæc est communis doctrina sanctorū Patrum Hier. loc. cit. Aug. Epist 29. & in primum ca. Iacobi, vbi ait: Quis ferat eligi diuitem ad sedē honoris contēpto paupere instructiore, & sanctiore? Chrysost. li. 2. de sacerdotio copiosè Leonis Papæ. can. Metropolitano, di. 63. vbi non quemcūq; esse eligendum, sed omnium optimum. Bernardi de cōsideratione ad Eugeniū per multa loca illius libri. In concilio Basiliensi extat pragmatica cōfirmata a Martino V. vbi lectores præcipiūtur iurare Deo, &

Sancto

Sancto illius Ecclesiæ, in qua existit præbenda, se electuros quem nouerint digniorem. In ca. vnico, vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, præcipit Innoc. III. Episcopo cuidam, vt eligat magis idoneum, imò, & in iure ciuili auth. de Monachis. §. Ordinationem iubet Imperator, vt qui inter monachos est omnium optimus, præficiatur in pastorem, & Abbatem. Idem apertissimè in Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reformatione, vbi decernit sancta synodus eos mortaliter peccare, qui non eligunt, quos digniores iudicauerint. Vide ca. 18. eiusdem sessionis.

Vtor iam ratione. Qui cæteris paribus eligit dignum relicto digniori violat vtramque iustitiam, ergo peccat grauissime. Probo antecedens. Elector cum non sit dominus beneficiorum, sed administrator institutus in bonum, & vtilitatem Ecclesiæ, tenetur ex officio, & eo ipso ex iustitia commutatiua consulere vtilitati Ecclesiæ, relinquēs digniorem apertissimè non consulit vtilitati Ecclesiæ, ergo violat commutatiuam. Distributiua verò patet. Distributiuæ est, vt præmia distribuantur pro meritis, quando præfertur dignus digniori, non attenduntur, (vt constat) merita, ergo.

Secundò, acceptio personarum est ex art. præcedenti, quando vnus præfertur alteri ob causam indebitam, quando autem reiicitur dignior, & præfertur dignus, non respicitur causa debita, quæ sūt merita in ordine ad beneficium, ergo. Et confirmatur: quia omnia illa incommoda, quæ retulimus ar tic. primo, ob quæ acceptio personarum est peccatum adeò graue, & nociuum Reip. omnia illa sequuntur, si digni præferantur dignioribus.

Tertiò, elector non est dominus, sed administrator, & dispensator. 1. Cor. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores, &c.] Ad ministrator, & dispensator debet esse fidelis, propter quod subiungit statim idem Apostolus: [Hic iam quæritur, vt inter dispensatores quis fidelis inueniatur.] Non esset autem fidelis œconomus, qui cum possit optimos, & vtiliores vineæ domini sui conducere operarios, conduceret minus vtiles. Tum etiam dispensator, prout nomen ipsum sonat, debet distribuere iuxta leges iustitiæ distributiuæ, quod non præstat, vt patet, qui dignum præfert digniori. Vnde Christus. Matt. 24. [Fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram,] id est vnicuique distribuat iuxta merita sua bona Ecclesiæ, hoc enim significat dare vnicuique triticum cum mensura.

Denique cum ista beneficia sint bona communia Ecclesiæ, & non solum stipendia, sed etiam præmia, & dignitates honorificæ, eligendi verò sint partes huius communitatis, & Reip. grauissimum crimen est contra leges iustitiæ distributiuæ in bonis istis distributiuis non seruare debitam æqualitatem, quam non seruat qui præfert dignum digniori.

CONCLVSIO SECVNDA contra Caiet. & eos qui ipsum sequuntur, quorum opinio nunquam mihi placere potuit.

Etiamsi in beneficio tantum consideretur opus, ministerium, & labor, est peccatum mortale ex suo genere præferre dignum digniori.

Probatur, peccatum contra iustitiam ex suo genere, est mortale, sed sic eligens peccata contra iustitiam commutatiuam, ergo. Probatur. Minor elector ex officio, & iustitia commutatiua tenetur cōsulere vtilitati Ecclesiæ, si sumamus beneficium, vt opus, & ministerium, hæc consideratio est, sub qua maximè præferendo dignum digniori, non consulitur vtilitati Ecclesiæ, & bono cōmuni, ergo. Probatur minor, quia stipendium, & honor magis respiciunt eligendos, quam Ecclesiam, munus verò, & ministerium respiciunt ipsam Ecclesiam.

Secundò, sumpto beneficio sub hac consideratione, qui non eligit digniorem cum possit, est infidelis Ecclesiæ, sicut œconomus, qui potens adducere in vineam domini sui vtiliores operarios, locaret minus vtiles, infidelitas autem in re adeo graui peccatum mortale est, ergo.

Tertiò, in electionibus adductis pro præcedenti conclusione ex Sacra scriptura non attendebatur stipendium, aut honor, sed munus, officium, & onus: at in illis constat ad ipsum onus, & ministeriū fuisse semper electos digniores.

Quartò, in religionibus in quibus nullū est propositum prælatis stipendium, sed prælaturæ sunt mera officia, & onera, peccant mortaliter, eligētes dignos relictis dignioribus: Nec valet quod respōdent huic argumento, in prælaturis religionum esse honorem, & auctoritatem, ideoq; violari distributiuā, quando illæ, vt bona, & præmia religionis non conferuntur melioribus, quia hic non affirmamus peccare sic eligentes contra distributiuam, relinquentes digniores sumptis beneficiis, & prælaturis sub hac consideratione, quatenus onera tantum sunt, & officia, hoc enim modo etiamsi separes omnem honorem, & dignitatem a prælatura, fit iniuria religioni non conferendo illi digniorē, & vtiliorem, ad quod tenētur electores ex officio.

Argumenta quoque Caie. & aliorum hoc rectè intellecto nullam habent vim. Ad primum respondeo cum Soto D. Paulum illis locis tot partes, & perfectiones exigere in Episcopo, & pastore, vt etiamsi loquatur absolutè, & simpliciter, ac sine ulla comparatione cum aliis, ex tot perfectionib. tamē quot exigit, constet apertè exigere digniorem, qui bus positis in vno, poterit quidem dari par illi, & æqualis, non tamen melior, nec dignior.

Ad secundum, patet peccare contra commutatiuam eligentem minus dignum relicto digniori, etiamsi beneficium non consideretur, nisi vt onus, & ministerium, quia prospicit sic eligens vtilitati Ecclesiæ, ad quod tenetur ex officio eo ipso, quo habet ius eligendi, quia hoc ius defert secum vinculum istud, & debitum prospiciendi, & consulendi vtilitati Ecclesiæ.

Tertium, & quartum similiter soluuntur, non enim dicimus in hoc casu sic eligentem peccare cōtra distributiuam, sed contra commutatiuam, quia tenetur ex officio eligere vtiliorem Ecclesiæ, cum ius eligendi hoc fine, & hac ratione tribuatur electori.

Nunc ad argumenta initio posita pro illa prima opinione, in qua obseruandum est Couar. Regul. Peccatum. §. 7. nume. 7. Soto lib. 3. quæstio. 6. art. 1. & alios Thomistas persuadere sibi, Glossam illam, & Auctores illius opinionis non sentire non esse peccatum, & graue eligere dignum electo digniori, sed hoc solum, talem electionem esse validam, & ratam in vtroque foro, in exteriori, quia iuridicè nec reuocari potest à confirmatore; nec ab ea appellari pp rationem adductā ex D. Th. & in interiori, quia ille electus est securus, cū sit dignus, nec pertineat ad ipsū, sed ad electorē videre q sit dignior,

Quis enim credat auctores oppositæ sententiæ ignorasse vim argumentorum quibus vsi sumus, nec intellexisse teneri electores ad consulendum vtilitati Ecclesiæ, & distribuenda præmia, & dignitates pro meritis. Vnde inducit idem Couar. in illo. §. 7. cit. nu. 4. varios Canonistas pro hac sententia, quam nos sequimur. Sed quicquid sit de opinione istorum, senserint ne ita, an non, ex argum. initio in oppositum positis.

Primum iam solutum est diluendo argumenta. Cætet, contra nostram secundam conclusionem. Et eodem modo soluitur prima confirmatio. Secunda verò ex cap. Monasterium quærit.

AN LICEAT IN ALIQVO casu eligere dignum.

Respondeo beneficia duplicia esse, alia simplicia ad ornatum tantum Ecclesiæ, alia verò cum cura animarum, vel aliqua gubernatione, quo posito dico tria.

Primum, ad beneficia cum cura animarum, vel gubernatione eligendum esse necessariò digniorem, vt probatum est, nec posse fundatorē Ecclesiæ, aut talis beneficij apponere conditionē, vt eligatur dignus, relicto digniori, quia esset contra ius diuinum, & Ecclesiasticum, & conditio iniqua, quæ sicut turpis habenda est pro non apposita.

Secundò, si sint beneficia, quomodocumque sint instituta, non posse vllo modo eligi indignum, nec fundatorem apponere talem conditionem, quia omnis electio debet esse bona, & cum aliqua saltē vtilitate Ecclesiæ, non cum damno illius, & nocumento animarum, indignus autem non solum est inutilis, verum etiam nociuus. Tum secundo, eligere indignum est contra omne ius naturale, diuinū, & Pontificium, & quamuis liceat cuique disponere de suis bonis, non tamen licet instituere sacerdotium contra ius naturale, aut diuinum.

Dico tertiò, si in fundatione Ecclesiæ, vel beneficij fundator nullas opponat conditiones, sed electionem relinquat prudentiæ, & conscientiæ electoris, esse necessariò eligendum digniorem, quia eo ipso quo relinquitur prudentiæ, & fidelitati ipsius, tenetur ex officio, & vtraque iustitia consulere vtilitati Ecclesiæ, & respicere merita eligendi, & consequenter eligere meliorem, si verò à fundatore apponantur conditiones, electo viro, in quo illæ reperiantur, satisfactum est, etiam si posset eligi alius dignior. Quod autem possit fundator ita instituere, vt eligatur habens illas conditiones, nec alius quæratur, constat primò, quia ita est in vsu apud omnes fideles, & maximè timoratos talia beneficia conferre habentibus conditiones appositas in fundatione, nec alium inquirere.

Secundò, fundator est dominus suorum bonorum, potest ergo ille conferre cum conditionibus, quibus voluerit, modo non sint nociuæ, sed in aliquam Ecclesiæ vtilitatem, etiam si non omnimodam, quia non tenetur ad melius.

Tertiò, conceditur hoc ab Ecclesia in illo capit. Monasterium, vt habeat fundator facultatem eligendi ministrum, qui sit dignus, quod expedit maximè vtilitati Ecclesiæ, vt sæculares inducantur ad fundāda ista beneficia simplicia, a quo facilè retraherentur, si tenerentur eligere digniores, maximè cum hæc frequenter instituantur in eleemosynam & iuuamen suorum affinium, vt sic inclinentur ad litterarum studia, & Ecclesiæ cultum, cui finī expedit, vt possint apponere conditiones, iuxta quas consanguinei, pro quibus instituuntur, sint digni, & possint eligi.

Quartò, fundator, vel patronus ab eo designatus non tenetur iuxta leges iustitiæ distributiuæ, vel commutatiuæ distribuere illud beneficium, ergo non tenetur eligere digniorem. Consequentia apertissima est.

Probatur antecedens: in primis non iuxta leges distributiuæ: quia distributiua tantum habet locū in bonis communibus nemini appropriatis, bona verò, ex quibus hoc beneficium instituitur, sunt propria illius fundatoris: neque iuxta leges cōmutatiuæ, quia hæc iustitia tantum obligat electorē, qui ex officio eligit, & tenetur prospicere vtilitati Ecclesiæ, qui verò ex suis bonis fundat Ecclesiam, vel beneficium, non tenetur ex officio, vel iustitia prospicere vtilitati Ecclesiæ, sed cum ex sua pietate, & liberalitate instituat illud beneficium in seruitium Ecclesiæ, liberè potest instituere illud in seruitium vt 5. & non vt 10. quod facit appositis cōditionibus, quæ sufficiant ad dignum: Eccum patronus succedat in locum fundatoris, non tenetur ad amplius, quàm ipse fundator, & iuxta institutionem fundatoris. Addiderim tamen hoc interesse inter patronum, qui succedit, & primum fundatorem quod primus fundator, eo ipso quo est primus, & disponit de bonis suis, poterit eligere quēcumque dignum, patronus verò qui succedit, si vnicus sit, sufficit conferat habenti conditiones appositas a fundatore, nec tenetur quærere digniorem extra illas conditiones, quod si intra illas conditiones, aut consanguinitatis, aut generis, aut paupertatis, aut patriæ varij se offerant, tenetur inter illos, in quibus omnes illæ conditiones reperiuntur, quærere, & eligere digniorem, quia intra illas conditiones relinquitur prudentiæ, & fidelitati ipsius, ut consulat obsequio Ecclesiæ, & seruet æquitatem.

Sed contra hæc Maior. in 4. d. 24. q. 3. ad 4. & Adria. in 4. volunt fundatorem non posse apponere istam conditionem, vt sufficiat eligere dignum. Probant, quia licet bona, ex quibus instituitur beneficium simplex, ante talem institutione sint propria illius fundatoris, at instituto beneficio iā fiunt facta cōmunia Ecclesiæ, bonum autem commune Ecclesiæ est dispensandū iuxta leges iustitiæ distributiuæ, quæ exigunt, vt conferantur dignioribus. Secundo, nullus potest condere legē, vel apponere conditionem contra ius naturale, aut diuinū, hoc autem ius præcipit beneficia dari dignioribus. ergo.

Sed hæc facilè diluuntur. Ad primum respōdeo, illa bona etiam instituta præbenda non esse cōmunia simpliciter, & secundum se, sed ex libera volūtate fundatoris, quæ cum sit libera, potuit apponere conditiones, quas voluit, sicut expositum est. Vnde illud beneficium non est commune simpliciter, sed cum conditionibus positis a fundatore.

Ad secundum respondeo, tātum esse contra ius naturale, ac diuinum ex communibus non dare digniori. Ex propriis autem instituere beneficium, quod detur digno, nullo iure naturali, aut diuino prohibetur, imò est iuris naturalis, vt possit quisque de propriis disponere pro libito, modo illa nō malè expendantur, aut in vsus prohibitos.

Ex his patet solutio ad illud cap. Monasterium. Conceditur ibi, vt fundator pro prima vice possit eligere dignum dimisso digniori, quod est maximè consonum utilitati Ecclesiæ, cum hac via inducantur homines ad beneficia exigenda, &

ad

ad ista opera pietatis, estque maximè consonum rationi, vt fundator, qui ex bonis propriis ista præstat, pro prima illa vice, in qua nódum omnino abdicauit a se bona illa, sed tunc incipit illa abdicare, hoc possit. Vnde cap. illud loquitur de pastore pro prima vice tantum, ob causam assignatam. Nec valet solutio quorundam dicentium in illo capitè tantum significari, illam electionem esse validam, & tenere, quia in illo capit. aliquid peculiare conceditur fundatori, quod alii non habēt, quod autem electio digni valida sit, apud omnes valet.

Ad secundum patet ex iis, quæ diximus tertio loco apud omnes certa esse, nō teneri electores quærere præstātiores, qui in orbe reperiri possunt, sed digniorem ex iis, quos habet in promptu.

Ad tertium dico, vtrique fieri iniuriam, & Ecclesiæ, & digniori, qui prætermittitur, digniori quidem, quia pro meritis habet maius ius ad beneficium, nec ab electore seruatur illi suum ius, Ecclesiæ verò, cum priuet illam meliori ministro, & consequenter maiori utilitate. Falsum enim est, quod in isto argumēto sumitur, vt tam dignus, quam dignior non teneatur seruire, nisi pro ratione stipendii, etenim si beneficia non essent nisi stipendia, vel primò, & pręcipuè id haberent, verum quidem istud essent, at cum primo, & per se sint munera, & officia in utilitatem Ecclesiæ, tantum obsequiū, & opere exigunt, quanta est necessitas Ecclesiæ, & animarum, cui necessitati in docendo, in cōfirmanda fide, confutandis hæresibus, &c. cum non ita possit sufficere dignus, sicut dignior, facit iniuriā Ecclesiæ elector eligendo dignum relicto digniori, & peccat contra iustitiam, & fidelitatem, quam debet, & ex officio habere in consulendo utilitati Ecclesiæ. An autem dignior, qui non præstat amplius, quam præstaret dignos, peccet, & teneatur ad restitutionem. Quo ad peccatum, dico peccare illum, nisi præstet Ecclesiæ iuxta suas vires, & omniū necessitatem, quod commodè potest, in re graui mortaliter, quia tenetur ad id ex charitate, & iustitia ratione sui officii. Quo ad restitutionem verò, si redditus sint tenues, non tenebitur magis dignior, quàm dignus, cum sint tenues, nisi tanta esset in eo pigritia, vt prudenti iudicio neque redditus illos mereatur, quod si redditus sint pingues, & arbitrio prudentis industriis, ac laboribus dignioris sufficientes, nec præstet, quæ debet ex suo munere, iuxta partes dignioris, propter quas electus est, si defectus leuis sit, non tenebitur ad restituendum, si verò sit grauis, tenebitur, sicut qui habet beneficium, nec recitat horas canonicas, si defectus sit leuis, non obligatur ad restituendum, si grauis, obligatur pro rata suorum redditū. Hæc omnia prudenter pensanda sunt. Fiet autem restitutio, vel Ecclesiæ, vel pauperibus, vel illis, quibus sua negligentia nocuit in spiritualibus, vel temporalibus. Hanc maiorem obligationem, ad quam tenetur dignior, insinuauit Christus Matth. 24. in illa parabola talentorum, vbi qui accipit quinque, lucratus est alia quinque qui duo, alia duo, cuius parabolæ genuinus sensus est, quem reddit idem Christus Luc. 12. dicens: [Cui multum datum est, multum quæretur, ab eo, & ab eo cui multum cōmendauerunt, plus petent ab eo.] Vnde tenentur ad plura digniores, & ideo eligendi. Imò in aliquo casu teneretur ad aliquid dignior, ad quod non tenetur dignus, quia non posset, ut si existat hæreticus doctor digno, sed minus doctus digniori, dignus non valebit illum confutare, quod valebit, & debet dignior.

Ad primam confirmationem respondeo, eligere dignum relicto digniori non esse bonum: sed simpliciter malum, cum violetur vtraque iustitia, sicut si extraneus, & pater meus esset simul in extrema necessitate, dare extraneo non est bonum, sed malum, dare autem patri non est velut melius, sed simpliciter bonum, & debitum.

Ad secundam dico, me posse mihi ipsi eligere sufficientem, & non meliorem, ad Ecclesiam verò, vel bonum commune, si mihi ex officio incumbat illi prospicere, teneor eligere meliorem, quia hoc exigit officium mihi cōmissum, possum enim meo iuri cedere non autem iuri alterius maximè boni communis.

Ad quartum argumentum nonnulli Canonistæ volunt, Christum non solum fuisse spiritualem, verum etiam temporalem totius mundi dominum, & Papam, vt Christi Vicarium esse quoque dominum totius orbis, & regem Ecclesiæ, & habere penes se dominium omnium bonorum Ecclesiæ, & omnium beneficiorum, quod docent, quia collatio indulgentiarum, & dispensatio in aliquo voto sine iusta causa ideo sunt inualidæ, quia ipse non est dominus thesauri Ecclesiæ, at collatio beneficiorum facta a Papa, cuicumque fiat, etiam si indigno, & sine causa, est valida, & tenet. D. autem Thom. hic ad primum nullos prælatos, vult esse dominos beneficiorum Ecclesiæ, sed dispensatores tantum, inter quos Caiet. & interpres D. Thom. volunt Sum. etiam Pontif. à D. Thom. intelligi, & ideo non minus peccare Papam quàm alios, si in illis conferendis non seruet regulas iustitiæ: nam cum D. Thom. de omnibus prælatis loquatur, nec eximat Papam, ipsum quoque Caiet. comprehendit: imò est communis sententia Theologorum, collecta primò ex Sacra scriptura, cum de omnibus prælatis, & pastoribus dixerit Christus Matth. 24. & Luc. 12. [Quis putas est fidelis dispēsator, & prudens, &c. Et Apostol. 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores.

Secundò in cap. 2. de præbendis in 6. conceditur Romano Pontif. plena dispositio, & dispensatio beneficiorum Ecclesię, & similiter clementina primâ ne lite pendente quicquam innouetur, nullibi tamen conceditur dominium, nec vllus est Pontifex, qui vnquam se dominum præbendarum vocauerit, sed dispensatorem, vel distributorem cum plenissima potestate.

Tertiò est ratio efficacissima, cum dominus possit pro libito re sua vti ad omnem vsum, si Papa esset dominus, posset vsurpare sibi omnia ecclesię beneficia, & in proprios vsus illa conuertere, quod nullus audebit asserere.

Ad argumentum in oppositum respondeo, verum esse illud antecedens, collationem beneficii, quam facit Papa etiam indigno, & sine causa, esse validam, & a fortiori illam, quæ fit digno relicto digniori, hoc autem non est quia Papa sit dominus, sed quia ita expedit bono communi Ecclesiæ, & saluti animarum, quia aliter non essent securæ conscientiæ fidelium, quæ necessitas non existit in concedendis indulgentijs, & votis dispensandis. Vide Caie. in opusculo de indulgentijs quæst. 1. de causa indulgentiarum fol. 42.

Quintum argumentum, postulat vt videamus

AN PAPA SIT NECESsario dignus ex Sacro Cardinalium collegio.

SOto loco cit. habet tria; Primò non esse in iure tale decretum, vel statutum, vt Papa non eligatur nisi ex Cardinalium gremio, imò oppositũ, quia can. In nomine domini dist. 23. habetur. [Vt si non fuerit inter Cardinales, qui sit dignus Pontificatui, eligantur ex alia Ecclesia.] Testaturque se a Cardinalibus accepisse, non esse tale statutum.

Secundò ait, etiamsi reperiatur dignus Pontificatui inter Cardinales, nihilominus ad tam sublimem, & supremam dignitatem, quæ est culmen totiés Ecclesiasticæ gubernationis, quærendum esse dignissimum, ex tota Ecclesia.

Tertiò, dicit, ius eligendi, quod vocat ipse electionem actiuam, licèt non conueniat Cardinalibus iure aliquo, vel statuto, de facto tamen illis conuenire, & ita expedire bono Ecclesiæ, quia si congregandi essent in quacunque sede vacante Papę omnes Episcopi, passim essent congregandi propter breuem multorum vitam, quod singulis Ecclesiis esset incommodum, & sedes Romana diutius vacaret, cum non possent facilè, nec breui congregari Episcopi in unum, quod etiam uniuersali Ecclesiæ noceret. Sunt quibus hęc sententia placeat, & illa duo capit. argum, 5. quæ non diluit Soto, respondent esse reuocata per can. In nomine domini, quod est Nicolai 2. cap. Autem oportebat, & cap. Nullus sunt cuiusdam Stephani, omnes autem Stephani, qui fuerunt 9. sunt antiquiores Nicolao 2.

Sed neque hęc solutio optima est, neque primũ illud dictum Soti verum, quia in cap. isto in nomine domini nõ dicitur, vt eligatur aliquis extra gremium Cardinalium, nisi quando inter ipsos nullus est dignus, tunc enim etiamsi nullum esset decretum, non liceret eligere ex Cardinalibus, cum indigni electio omni iure prohibita sit ad quodcumque beneficium, quanto magis ad supremum?

Secundò vsus est in contrarium, & Ecclesiæ Romanę consuetudo, quamuis enim a principio omnes sacerdotes, & Diaconi Romæ agentes eligerẽt Papam, deinde soli sacerdotes, a multis tamen annis forsan mille, aut circiter eligitur a solis curatis parrochiarum Romæ, qui sunt Cardinales, quæ consuetudo adeo vetus vim habet iam efficacissimi statuti.

Tertiò, quia quicumq; ex Cardinalibus, dignis, quorum multi reperiuntur in illo sacro collegio, licèt extra ipsos daretur alius sanctior, & doctior, est quouis externo dignior, & vtilior Ecclesiæ.

Primò quia ex ijs, quæ vidit, egit, & expertus est in Romana curia, & in illo collegio, & conciliis Pontificum prædecessorum, nouit negotia Romanæ curiæ, & Ecclesiæ gubernationem melius, quã quiuis alter.

Secundò, quia electus vnus ex ipsis statim admonet manum operi, & gubernationi fideliũ, electus autem externus esset conuocandus a longe, expectandoque illius consensum, & aduentum vacaret multo tempore sedes B. Petri, quod experientia teste est maximum incommodum, semper.n. ex diuturnis vacantibus multa sequuta sunt damna Romæ, & in Italia, imò & in tota Ecclesia, quo fit dignum inter ipsos esse vtiliorem quouis externo.

Quod etiam dicit Soto electionem actiuam conuenire Cardinalibus nõ de iure, sed de facto, quia ita expedit, correctione etiam indiget: nam capit. Licèt de electionibus præsupponit hoc ius illis cõuenire, quo supposito statuitur electiones aliorum prælaturum Ecclesiæ validas esse, modo fiant a maiore parte capituli, electionem verò Papæ debere fieri a duobus partibus Cardinalium, qui ad illam conuenerint, & in cap. Vbi periculum, eodem titulo, præsupposito etiam eodem iure Cardinalium agitur de conclaui, in quo manent reclusi Cardinales tempore electionis, & de aliis ad id negotii pertinentibus. Ex his patet solutio ad argumentum. Cardinales enim etiam si teneantur eligere ex suo collegio, sicut tenentur, non propterea eligunt dignum relicto digniori, dignitas enim eligendi, vt sæpè diximus, non est sumenda ex doctrina, aut sanctitate, sed ex utilitate Ecclesiæ, quicumque autem Cardinalis dignus vtilior est, vt constat, quouis externo.

Ad sextum negatur consequentia, quia recipienti beneficium non incumbit conferre illud, nec explorare merita aliorum, sed tantum verè, & prudẽter sibi conscium esse de sua sufficientia, qua perspecta si conferantur sibi ab electore (quidquid sit de peccato ipsius, si prætermittat digniorem) ipse est tutus in conscientia, & electio est valida. Hinc infert bene Soto nun licere vllo modo nec digno, nec digniori ambire Episcopatum, licere autem, si a distributore sibi conferatur illud recipere, etiam si conferatur digno, & non digniori, etenim cum recipienti nõ sit iniuncta cura distribuendi beneficium, licèt ipsi vti malitia, & iniquitate electoris in suam utilitatem, cum sit dignus, & sufficiens, non autem licet digno in oppositione dignioris postulare prębendam, vel cathedram, quia postulare est solicitare, & monere electorem, vt prætermittat digniorem, & concurrere cum illo ad istud malum.

Ad septimum patet solutio ex dictis ad secundã confirmationem primi desumptam ex illo ca. Monasterium.

Octauum argumentum postulat explicemus.

QVID POSSIT RESIGNAtor beneficij.

DIco in primis nulli licere resignare beneficium aliquod in fauorem indigni, quia conferre indigno omni iure omnibus prohibitum est, siue is, qui cõfert sit elector, siue patronus, siue resignator tantum, quamuis hoc interest inter istos, quod elector, siue patronus conferendo indigno peccat, & contra charitatem, & contra iustitiam, tam legalem, quam commutatiuam, quia tenetur ex officio consulere vtilitati Ecclesiæ, & contra distrib. quia cum sit persona publica, & vt talis distribuẽs bona communia, debet conferre illa merentibus, indignis autem neque vtilis est Ecclesiæ, neque habet merita, resignator autem resignans in fauorẽ indigni peccat quidem contra charitatem, & iustitiam legalem, & commutatiuam, quia eo ipso quo fuit beneficiatus, tenebatur cõsulere Ecclesiæ, quo nõ facit, imò nocet sumpto indigno, nõ autem peccat contra distributiuam, quia non est persona publica, ad quã pertineat distribuere pro meritis. Quod si resignet prætermisso digniori in fauorem digni, non peccat, modo resignatio fiat secundum iura.

Primò

Primò, quia designatus à renúcianre ex consensu possidentis beneficium quod poterat retinere, haber maius ius, & actionem in illud beneficium, quam quiuis alter: Vnde nemo experientia teste conqueritur quando fit huiusmodi resignatio in fauorem digni, etiamsi non fiat in fauorem dignioris.

Secundò, quia resignator non est distributor beneficiorum cum resignat, sed tantum transfert ius quod ipse habebat in redditus illius beneficij in alium, vnde contra nullam iustitiam peccat electo eo qui sufficiens sit ad illud beneficium, vnusquisque enim potest transferre suum ius in alium, modò non sit iure prohibitus, ita nec peccat, qui virtute huiusmodi resignationis confert beneficium digno. collator enim ad nil aliud tenetur (vt vidimus) nisi expendere, an electio sit in re valida, hæc autem valida est, ita Caiet. in verbo Beneficium. Et est communis inter Thomistas.

Ad nonum constat ex dictis in illo casu prouidẽdum esse bono, & vtilitati Ecclesiæ magis indigentis, licèt digniori detur beneficium minus pingue, quia, vt sæpe diximus, in distributionibus potissima ratio habenda est vtilitatis Ecclesiæ, & ab ea sumenda dignitas eligendorũ, cum primò & præcipuè sint ista beneficia instituta in vtilitatem Ecclesiæ, & ideo in tali casu tenetur subire dignior illud damnum recipiendi beneficiũ magis tenuẽ, quia sic expedit vtilitati, & necessitati Ecclesiæ. Esset autem huic damno prouisum, si redditus essẽt distributi singulis beneficiis iuxta laborem, & industriam, & dignitatem, quam vnumquodque eorum exigit.

Decimum argumentum, quærit.

SIT NE OPTIMVM, QVOD *præcipitur in aliquibus Ecclesiis, ne beneficia aliis conferantur, quàm naturalibus illarum Ecclesiarum?*

IN quibusdam Ecclesijs, vt Palentina, Burgẽs, & Legionensi, & modò in hac nostra Valẽtina ex constitutione D.N. Sixti V. beneficia solis naturalibus eiusdem diœcesis, vel regni conferuntur, eligendo digniorem ex ipsis nulla facta comparatione ad alios digniores extraneos: An hoc rectè fiat, videndum est.

Maioris in 4. dist. 24. q. 3. ad 1. quem sequuntur nonnulli Canonistæ, videtur condemnare istas cõstitutiones, posseteque probari ista opinio primò ex cap. Ad decorem de institutionibus, vbi Innoc. 3. reprehendit Patriarcham Constantinopolitanum, eo quod nõ eligeret ministros suæ Ecclesiæ ex omnibus nationibus, sed ex sola natione Venetorum.

Secundò, qua ratione, & sequenti vtitur ibi Papa: sicut habetur Act. 10. [In omni gente facientes iustitiam acceptus est iustus Deo.] Ita in Ecclesia ex quacunque gente, & natione eligendus est dignior.

Tertiò; quia eligere tantum ad beneficia huius Ecclesiæ ex hac natione, videtur esse quædam successio hereditaria, quam abhorrent maximè (vt ait ibi) sacerdotia Ecclesiæ Euangelicæ. Denique can. Nos qui. d. 40. ait B. Greg. [Nos qui præsumus non debemus innotescere loco, aut dignitate generis, sed morum nobilitate, non vrbium claritate, sed fidei puritate.] Vbi ex Gregorio in præbendis Ecclesiæ non est habenda ratio patriæ, vel nationis, sed virtutis, & meritorum.

D. autem Thom. ad 4. approbat has constitutiones, & hanc consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, quem sequutus Soto lib. 4. de iust. q. 6. artic. 2. ante 10. conclusionem ait. [Vtinam in Ecclesia essent tales constitutiones, sicut in Cõcilio (ait) Trid. me præsente tractabatur.] Tractabatur autem ad petitionem Reuerendissimi, & sanctissimi patris F. Thomæ à Villanoua Archiepiscopi Valentini, vt constat ex nostro opusculo de vita ipsius lib. 2. c. 1. Idem docent modò omnes recentiores Thomistæ. Primò, quia cũ naturales maiori amore prosequantur suam Ecclesiam, in qua nati, ac educati fuere, diligentius eius vtilitati, honori, & augmẽto student, unde licèt exteri repetiantur doctiores, vel sanctiores, naturales tamen ob istum amorem innatum sunt vtiliores, & consequenter digniores, cum hæc dignitas ab vtilitate Ecclesię petenda sit.

Tum secundò, quia experientia teste ob innatũ amorem propriæ patriæ naturales in suis Ecclesijs certius resident, exteri non ita, imò (vt experimur) adepto aliquo beneficio quærunt vias, & modos, quibus eximantur à residentia, vel permutationibus, vel resignationibus, vel alijs vijs: illos autem, quorum residentia certior, & diuturnior est, vtiliores esse, & ex consequenti digniores, nemo ambiget. Et hoc definitur in illis capitibus, quæ adducuntur in illo argum. 10. & can. Oritur, d. 61. & can. Metropolitanum d. 76.

Ad argumenta autem pro opinione Maiori ad primum respondeo, Innocen. reprehendere ibi Patriarcham Constantinopolitanum, non quia eligebat naturales, sed quia eligebat extraneos ex vna natione tantum Venetorum, cum deberet eo ipso quo eligebat ex extraneis, eligere quoque ex omnibus nationibus.

Secundò dico, reprehendere illum, & meritò, quia eligebat Venetos quasi ex quadá promissione, & pacto inter ipsum, & senatum Venetum, quę promissio cedebat in damnum Ecclesiæ.

Ad secundum respondeo, habẽdam tantum esse rationem meritorum, quando genus, & patria non efficiunt ministrum vtiliorẽ, quod si efficiant, hæc quoque merita sunt, & maximè attendenda, cum tota dignitas ministri sit sumenda ex vtilitate Ecclesiæ.

Ad tertium dico, patriam, & genus, quæ efficiũt vtiliorem ministrum, nil minus facere, quàm successionem hæreditariam, primò, quia non eligitur naturalis, vt naturalis, sed quia cum sit naturalis, est vtilior.

Secundò, quia non fit electio ex vno, aut altero naturali, sed ex omnibus, & inter omnes eligitur dignior, sunt enim in eandem diœcesi, vel regno multi, inter quos benè potest eligi dignior.

Ad quartum respondeo, nostram sentẽtiam intelligendam esse quando bonum commune vtilitatis Ecclesiæ non exigit aliud, regulariter autem, & communiter expedit bono communi, vt Episcopi non mutent Ecclesias, sicut in illis Canonibus habetur. Primò, quia tales mutationes experientia teste Episcopi sunt semper animo pendentes, expectantes pinguiorem Ecclesiam, quo fit, vt quá habent non ament, vt debent, nec curent, vt sibi dilectam sponsam, sed vt concubinam ad tempus tátum habendam, cum vera, & firma dilectio soleat oriri ex perpetuo nexu. Secundò, quia expectantes has mutationes inducuntur ad colligendas, pecunias, vel offerẽdas Regibus, & magnatibus, vt eos habeant propitios, quod est simonia, vel ad bullas,

&

& alias expensas, & sumptus faciendos in pinguiori Episcopatu, quem expectant, & sic non subueniunt pauperibus prioris Ecclesiæ, sicut tenentur. Tertiò, propter has mutationes totũ ferè tempus quo in vna quaque existunt, debent consumere in cognoscẽdo grege, & ingenio suarum ouium, antequam incipiant illas debitè pascere. Hæc sunt maxima incommoda, propter quæ expediret bono communi, vt istæ mutationes non fierent, sed eligeretur dignior ex ijs, qui nullam adhuc habẽt Ecclesiam. Hæc est doctrina communis inter discipulos D. Thom. nec Sotus aliud docet, vt quidam volunt: nam ipsemet post nonam cõclusionem ait non expedire hanc mutationem nisi in aliquo tantum euentu, quando scilicet Ecclesiæ vacanti non potest commodè prouideri nisi sumpto pastore alterius Ecclesiæ, cui facilè quoque, & cõmodè prouidebitur: Quando verò, inter eligendos reperiri facilè potest, qui optimè ecclesiæ vacanti prouideatur, sine vlla mutatione eorũ qui iam præsunt suis ecclesiis, est peccatum mortale iudicio recentiorum fieri istam mutationem, quia ex rationibus adductis cõstat esse in graue damnum boni communis, & ecclesiæ vtilitatis: bonum autem cõmune cuius alteri bono præferendum est.

Quod si obijcias oppositum esse in vsu. Respondeo, hunc vsum introductum esse maximè in nostra Hispania, quia iudicant electores sic conuenire bono communi, vt quantumuis quis dignus sit, non conferatur ei statim Episcopatus maior, sed minor, vt si in illo optimè se gesserit, præmoneatur ad maiorem, & hac spe inducatur ad optimè gubernãdas oues cuiuscunque ecclesiæ ipsi commissæ: qua ratione, & fine mutare Episcopos non crederem esse peccatum mortale, quia hac ratione facilè est cessare illa incommoda, & Episcopos habere occasionem optimè se gerendi. An autem de facto essent, ipsi viderint, vnde in his certa regula assignari non potest, sed prudentiæ, & conscientiæ electorum committendum est, vt eligant, sicut viderint vtilitati Ecclesiæ vniuersalis magis expedire, ab vtilitate eiusdem ecclesiæ, vt sæpè diximus, dignitas ministrorum, & omnis ratio eligendi sumenda est.

Vltimum argumentum ex supra dictis manet iam solutum. In illis enim capitibus tantum definitur electionem digni esse validam, & ratã, nec posse confirmatorem illam reuocare, sed debere confirmare, quia ita expedit, (vt diximus) bono communi vtilitatis ecclesiæ. Vnde in illis capitibus nõ non definitur licere dignus relictis dignioribus, sed tantum confirmantur electiones dignorum. Offert se hic alia quæstio.

CONTROVERSIA IIII.

AN QVANDO ELECTIO à pluribus, vt à capitulo, vel conuentu, aut schola, liceat alicui electorum prætermisso digniori eligere dignum.

Comparamus hic tantum digniorem cum digno, quia indigno nullo modo est suffragandum. Primò, quia cum suffragari indigno sit contra bonum commune, & omni iure prohibitũ, nullo titulo potest honestari. Secundò, quia iste indignus non est nisi malitia sua, vel eligentium introductus in tali oppositione, malitiosè autem introducto nullo modo licet suffragari, quia quicumque illi suffragabitur, etiamsi sit ex vltimis, concurret ad illud malũ.

Hoc constituto, concors est Theologorũ sententia in proposita quæstione, si sint tres oppositores, primus dignissimus, secundus dignus, tertius indignus, vel parum dignus videatur aliquis electorum maiorem partem suffragiorum inclinari omnino in indignum, neque vllo modo suffragatur digniori, posse tũc tuu ire dignum, & alios electores trahere in idem. Ratio est, quia optaret quidẽ ipse eligi digniorem, sed cum id solus non possit, videatque omnes inclinari in indignum, nec alia via posse à tanto malo illos auertere, nisi iuuãdo partes digni, prouidet hac via quantum in ipso est bono communi, quod non modò potest, verum etiam debet. Et confirmatur, cum suffragium vanum, & inutile non sit actus charitatis, tenetur tendum est, & præstandum quod sit vtile, & proficiat, aliter enim agere esset imprudẽtia: sed in hoc casu suffragari digniori est omnino vanum, & inutile, & proficiat, aliter enim agere esset imprudẽtiæ: sed in hoc casu suffragari digniori est omnino vanum, & inutile, suffragari verò digno, vt prætermittatur indignus, est vtile, & maximè expediens bono communi, ergo hoc præstandum.

Secundò, quando dicimus eligendum esse digniorem, intelligendum est ex possibilibus, maximè quãdo per illam electionem prouidetur bono communi, in hoc casu dignior non est possibilis supposita obstinata deliberatione aliorum electorum, sed solum alij duo, ex quibus dignus est dignior indigno, & eo consulitur bono communi, quia impeditur electio indigni, ergo in hoc casu eligere, & iuuare oportet dignum.

Sed obijcies, in ista electione, qui eligit dignum relicto digniori concurrit ad malum, ergo peccat. Probo antecedens; Alij electores, qui trahuntur ab indigno ad dignum, nec volunt fauere digniori, peccant eo ipso quo dimittunt digniorem, & hoc nomine dicuntur concurrere ad malum, ergo, & iste, qui trahit illos ad dignũ, concurrit etiam ad malum.

Secundò, dignior habet ius, vt dentur sibi aliqua suffragia, etiamsi non eligatur, cum, & hoc habeatur in pretio habere aliqua suffragia, & oppositum nemo carere omni suffragio habeatur pro iniuria, ergo quicunque non suffragatur illi, quacumque ratione id faciat, infert illi iniuriam.

Ad primum respondeo, in hoc casu istum non trahere alios electores, vt dimittant digniorem, hoc enim esset malum, sed hoc solum præstare, cũ illi sua malitia nullo modo velint suffragari digniori, sed indigno, conatur, vt illo dimisso eligãt saltem dignum, quod non est concurrere ad malum, sed eniti ne fiat maius malum, sed minus, ac ne eligatur indignus.

Ad secundum respondeo, quando agitur de bono communi, vt in præsenti casu, digniorem non debere habere pro iniuria, quod cedit in bonum commune, ac vt qui omnino decreuerant nullo modo eligere digniorem, sed indignum, saltem relicto indigno eligant dignum. Verum tamen est tenere hunc, si nullo modo posset trahere alios indignum, ad suffragandum digniori.

Sed quid si sint plures electores, & oppositores tantum duo, vnus dignus, & alter dignior, videamque plures electorum inclinati in dignum dimisso digniori, licebit ne mihi etiam suffragari illi digno, licet simpliciter voluissẽ suffragari digniori?

In hac parte Thomistæ varij sunt, quidam volunt in hoc casu suffragari digno esse peccatum mortale,

mortale, alij esse tantum veniale, alii nullum esse peccatum. Sed respondendum est cum distinctione, quando electio est de aliquo prælato, vel gubernatore, nullum esse peccatum in isto casu eligere dignum pluribus in illum conuenientib. quia experientia teste electus communi consensu, & de siderio subditorum multò suauius, & melius gubernat, meliusque & promptius illi obeditur, & cũ suauis, & pacata gubernatio sit vtilior Ecclesiæ, vel Reipub. dignus iste in tali casu est vtilior, & consequenter dignior. Et qui in hoc casu tali electioni se conformat, verè consulit bono communi.

Tum etiam dignior in hoc casu parũ detrimenti patitur ex defectu suffragii huius, cum maior pars in alium inclinaret, nec ipse esset eligendus: Et casu quo pateretur aliquod damnum, debet illud pati pro bono communi; quod sequitur ex electione concordi, & pacatiori gubernatione. Hæc doctrina maximè notanda est in eligendis, prælatis perpetuis, quia exponit se maximo periculo, qui non consentit electioni perpetui, in quam plures cõueniunt, & aliter agentis votum est vanum, & inutile.

Quod si electio fiat de aliqua cathedra, vel canonicatu, tunc etsi maior pars sit propensa in dignũ, suffragandum est digniori, quia tunc nec suffragari digno est vtile bono communi, nec suffragari digniori habet aliquod incommodum, imò in hoc casu dignior iustè, & rationabiliter vult habere aliqua suffragia, etiamsi non obtineat cathedram, vel canonicatum.

Ex his sequitur, maius peccatum esse dimittere digniorem in beneficijs curatis, quàm in simplicibus, quia ratione grauitatis materiæ fit maior iniuria Ecclesiæ, & bono communi, loquor verò de simplicibus quæ non requirunt maiorem dignitatem in ministro, quàm curata, sunt enim tres canonicatus in Ecclesiis cathedralibus. vnus ad explicandam sacram scripturam, vocatur Maestre escuela, alter ad concionandum, vocatur la magistral del pulpito, & tertius, qui dicitur pœnitentiariæ, qui etsi non sint beneficia curata, propter munia tamen illis coniuncta postulant, vt eligatur ad ipsa dignior, non minus quam ad curata.

Secundò sequitur, si elector bona fide, & adhibita debita diligentia eligat quem prudenter iudicat digniorem, licèt deinde non sit dignior, nec debitè exerceat suum munus, non esse imputandum electori, quia tantum tenetur eligere quem tempore electionis prudẽter iudicat digniorem. Sed videamus.

CONTROVERSIA V.

LICEAT NE HABERE PLVra beneficia, vel peccet potius vt iniquus distributor, & committens peccatum acceptionis personarum, qui plura vni tribuit beneficia.

DE hac quæstione, quæ grauissima est, agunt Diuus Tho. quolib. 9. artic. decimoquinto, Adrian. in 4. fol. 67. colum. tertia, Maioris in 4. distinct. 24. quæst. 4. Dionysius Carthusianus in suis opusculis minoribus, tomo primo, tractatu peculiari de pluralitate beneficiorum. Syluest. Beneficium, cap. quarto, Angelus Beneficium, numero 34. 35. 36. Armilla Beneficium à numero quadragesimo secundo, vsque ad quinquagesimum. Caietan. Beneficium, cap. primo. Nauarrus in Manuali, cap. 25. num. 14. & 134. Soto lib. 3. de Iustit. quæst. 6. art. 3. Canonistæ & Glossa in cap. Dudum, el secundo. Extra de electione.

Obseruemus primò, bifariam posse hanc quæstionem tractari, vel in foro exteriori iuxta humana, & Pontificia iura, vel iuxta illius diuinum in foro interiori conscientiæ, prius illud Canonistarum est, posterius vero Theologi, quamuis in re adeo graui vtraque ratione hæc controuersia à nobis tractanda est.

Obseruemus secundò, beneficia varia esse, quædam enim sunt quæ habent annexam curam animarum, alia verò simplicia, quæ nihil tale habent. Rursum hęc simplicia & sine cura animarum, quędam habent vel ex sua institutione, vel alia via annexam residentiam, alia vero nullam habent annexam, vt præstimonia los prestomos, & similia. Beneficia curata, & simplicia prioris generis, quæ habent annexam residentiam dicuntur incompatibilia, simplicia vero posterioris generis dicuntur compatibilia.

Obseruemus tertiò ex D. Tho. loco cit. & communi Theologorum doctrina, actiones humanas in quadruplici esse differẽtia: in primo gradu sunt, quæ dicuntur intrinsecè bonæ, vt diligere Deum, quæ nullo modo possunt malè fieri, in secundo intrinsecè malæ, quæ nullo modo possunt benè fieri, vt mentiri, aliæ in tertio ex genere, & natura sua indifferentes, vt deambulare, aliæ in quarto gradu, quæ habent quidem speciem mali, possunt tamen ex circunstantijs honestari, vt occisio hominis prima facie malè sonat, ac si dicas ministrum iustitiæ occidisse hominem Reip. nociuum. laudabis talem occisionem.

CONCLVSIO I.

Hoc quod est habere plura beneficia collocandum est in hoc quarto, & vltimo gradu.

PAtet, quia non est intrinsecè malum, videmus enim in aliquo euẽtu expedire bono communi, & vtilitati Ecclesiæ, & consequenter licere, neque est intrinsecè bonum quia aliquando est in damnum ecclesiæ, nec licebit, neque est ita ex se indifferẽs, vt nullam habeat speciem mali, imò prima facie habet speciem mali, potest autem ex causis honestari.

Hæc vltima pars quod habeat speciem mali, nec sit ex se indifferens, vt multi arbitrati sunt, ostendenda est. Et probatur, actio ex se indifferens nec præsefert bonitatem, nec malitiam, vt ambulare, at vero habere plura beneficia ecclesiastica absolutè sumptum fert secum multa in cõmoda, & deordinationes, vnde non est indifferens, sed collocandum in vltimo, & quarto gradu. Minor patet experientia, & inductione.

Primò beneficia instituta sũt, vt ministris in suis ecclesiis residentibus cultus diuinus augeatur, habens autem plura beneficia non potest residere in pluribus ecclesijs.

Secundò instituta sunt, vt augeatur numerus sacerdotum, & ministrorum, qui tamen vno habente varia beneficia nõ potest ita augeri: Vnde fraudantur fundatores beneficiorum sua iusta intentione, & ecclesiæ ordo peruertitur, dum vnus plura habet beneficia, vt habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 17.

Tertiò, efficitur hac via, vt ex clericis alii abundent,

dent plusquã deberent, alii egeant, & forsan abundant minus digni, & digniores egent.

Quartò, offertur occasio augendæ cupiditatis, & ambitionis.

Quintò, sequitur deformitas ecclesiæ, vt idem ratione plurium beneficiorum habeat varia officia, & fit uelut multa mẽbra in uno corpore, quod est de forma, vt idem sit oculus, manus, pes.

Quod autem hoc quod absolutè & simpliciter sumptum tot habet incommoda possit aliquando bene fieri patet etiam. Quia cum in omnibus habẽda sit prima, & potissima ratio vtilitaris ecclesiæ, secunda vero decentis status, & victus ministri, quod etiam pertinet ad utilitatem ecclesiæ, quia nisi habeat minister, vnde decenter viuat, non potest commodè ecclesiæ inseruire, quotiescunque vtilitas ecclesiæ, & decentia status ministri, ita exigẽt, erit honestum, & optimum, vt eidem ministro plura benefici a conferatur.

Hæc omnia accipienda sunt stando iuri naturali, & diuino in furo conscientiæ, nam quo ad dispositionem iuris ecclesiastici nil docuit eo luco D. Th. sed tantum attingit aliqua.

Primò dicit quantum ad iura antiqua non esse licitum, imo prohibitum habere plura beneficia, quia iura antiqua considerabant hoc simpliciter, & absolutè. Ita fuit definitum. in 7. Synodo Constantinopolitano, & habetur 12. q. 1. can. Clericus. [Vt vnus clericus non connumeretur in duabus ecclesiis.] Id est non habeat duo beneficia. & can. Sanctorum, d. 7. ait Vrbanus. [Vt in duabus ecclesiis aliquem intitulare non liceat. [& capit. Quia extra de præbendis dicitur. Multitudinem præbendarum canonibus esse inimicam. In eodem sensu dixit B. Chrysost. om. quem ibi citat Diu. Thom. Sicut in veteri lege non cõcedebatur Leuitis, vt qui capiebant primitias in Bethleem, caperent in Hierusalem, ita nec in noua lege concedendum est, vt qui capit. in vna ecclesia, capiat etiam in alia.

Secundò, dicit ibi D. Tho. dari consuetudinem, in contrarium, habendi scilicet multa beneficia, quæ adeo inualuit, vt aliqui Doctores existimauerint tempore D. Thom. iura illa esse iam abrogata per contrariam consuetudinem, quia ius ecclesiasticum, cum humanum sit abrogari potest contraria consuetudine: quamuis alii sentirent non esse abrugara.

Tertiò dicit, probabile esse, consuetudinem istã nõ abrogasse ista iura, quatenus cõtinent id, quod exigit ius naturale, & diuinum, vt vnusquisque suę ecclesiæ, suoq; beneficio deseruiat, nisi aliter eiusdem ecclesiæ vtilitas exigere, videatur, quia ius naturale, & diuinum nullo alio iure, aut consuetudine humana potest abrogari, quamuis potuerint, inquit, abrogati, quatenus continent id, quod est de iure positiuo humano, quæ omnia remittit ibi D. Tho. Iuristis.

Quartò inquit, si ita sit, vt iura illa antiqua sint abrogata per contrariam consuetudinem, neminẽ posse sine dispensatione habere plura beneficia, etiam si occurrant illæ circumstantiæ, quæ secundum ius naturale redderent illam actionem bonam, quia si iura illa manent in suo robore, non potest priuatus homo illa violare, etiam si iustam causam sibi habere videatur, sed pertinet hoc ad superiorem, cuius est iura illa explicate, & in illis dispensare. Si vero abrogata sint, concurrentibus circunstantiis, & causis quibus iuxta ius naturale licet habere plura beneficia, potest quis sine ulla dispensatione illa habere, quia ius humanum id non prohibebit, cum abrogatum sit, nec naturale cum iusta causa, & circunstantia existat ad illa habenda. Vnde si debitæ causæ, vel circunstantiæ nõ occurrant habenda plura, neque cum dispensatione licebit illa habere, quia deficientibus iustis causis prohibet illud ius naturale, in quo nulla humana auctoritas potest dispensare.

Hac nostra tempestate attendendum maximè est quid circa hæc Concilium Trid. decernat, quomodo iuxta huius Concilii decreta explicanda, & accipienda sunt iura antiqua, & sanctorum Patrũ testimonia. Vnde sit,

CONCLVSIO II.

Iuxta iura antiqua nullo modo licebat habere vnum plura benefici., progressu autem temporis id licet, non quidem per contrariam consuetudinem, sed per iura recentiora, quæ ob Ecclesiæ vtilitatem in aliquibus casibus id concedunt.

Prima pars huius conclusionis patet ex locis paulò ante adductis.

Secunda pars est D. Thom. loco cit. Et probatur. Primò, quia consuetudo non tollit vim legis nisi superioribus videntibus, & consentientibus, nullus autem Pont. id consensit, nisi iuxta dispositiones, nouas in vtilitatem ecclesiæ.

Secundò, quia ista iura antiqua præcipiebant quod est maximè consonum iuri naturali, & diuino, ius autem naturale, & diuinum non abrogatur aliqua consuetudine, ergo neque illa iura. Minor pater, quia nisi ecclesiæ vtilitas aliter exigat, ratio naturalis docet, vt vnumquodque membrũ suam habeat propriam actionem, & non actionẽ duorum membrorum. Et in veteri lege (vt docuit D. Chrysost. (vnus Leuita non capiebat nisi in vno populo, vbi ergo vtilitas Ecclesiæ aliter nõ exigit, ista iura retinuerunt semper suam vim.

Tertia pars patet inductione, propositis casibus, in quibus licet per ius Ecclesiæ habere, plura beneficia ex causa iusta.

Primus est, quando præbendæ sunt adeo tenues, vt vnum beneficium non possit commodè sustentare ministrum, tunc enim licet habere plura, quibus honestè sustentetur; ita habetur. 3. q. 10. can. Vnio. vbi dicitur ex Concilio Tolerano. [Si beneficium habeat tot mancipia, præficiatur illi vnus beneficiatus, si minus, iungatur illi alterũ. Quod non solum est intelligendum in beneficiis simplicibus, verum etiam in curatis, imò vt ait Soto, & in Episcopatib. quia minimus. Ecclesiæ debet in suo statu ex redditibus Ecclesiæ habere honestam sustentationem. Vnde 12. quæst. 1. can. Illud, conceditur, vt Archiepiscopus Tarraconensis sit etiam Fundensis ob tenuitatem Episcopatuum. Debet autem attendi, & sumi hæc honesta sustentatio ministri prudenter, non ex appetitu eius, si velit viuere laute, sed ex necessitate Ecclesiæ, vt talem habeat sustentationem, qualis decet prudenter talis Ecclesiæ ministrum, id est qualem decet, vt commodè seruiat in suo ministerio. Idem est dicẽdum in beneficiis, simplicibus, quomodocumque illa se habeant, siue vicina sint, siue distantia, quia non exigunt beneficia simplicia ex sua natura residentiam, at in curatis, & Episcopatibus nõ potest vnus habere plura beneficia quantumuis tenuia, nisi sint vicina, & quibus per se ipsum, & non per vicarium possit commodè inseruire, quia hæc iure diuino exigunt personalem residentiam, & assistentiam.

Secun-

Secundus casus, vel causa est, quando duo beneficia sunt canonicè, id est à Sede Apostolica vnita, & inter se aunexa, vt habetur in cap. Eam te decet. De ætate, qualitate, & ordine præficiendorũ, qua autẽ ratione huiusmodi vniones fieri debeãt, habetur in capit. Quia monasteriorum. De religiosis domibus. Debet autem huiusmodi vnio fieri non in fauorem personæ, vt fit ditior, sed in vtilitatem Ecclesiæ, quia ita expediat Ecclesiæ, ad eius cultũ, vel gubernationem. Vnde si quis habeat duo beneficia, vel duas Ecclesias incompatibiles, & ad vitandum scandalum, vel aliquam litem curat, vt illę vniantur, non propterea manet tutus in conscientia, nisi vtilitas illarum ecclesiarum ita exigat, imò si vtilitas ita exigat, non est necessaria talis vnio, sed sufficit auctoritas superioris: quod si non ita exigat vtilitas Ecclesiæ, nec dispensatio, nec superioris auctoritas reddit illum tutum, quia in his ex vtilitate Ecclesiarum totũ iudicium sumendũ est.

Tertius casus, siue causa est, quando vnum beneficium habetur in titulum, aliud verò in commendam. Vt habetur 21. q. 1. can. Quam plures, qui etiam casus non est licitus, nisi cedat talis commẽda in vtilitatem Ecclesiæ, vt quando non reperitur vtilis, & dignus minister præbendæ vacanti, tunc enim vtile est Ecclesiæ, vt commendetur illa præbenda alicui digno, & si aliam habeat, ad tempus, donec appareat dignus, cui conferatur. Quo fit, vt commendæ perpetuæ non sint licitæ: quia si commendam tantum habet locũ, donec appareat minister dignus, commendare præbendam non ad tempus, donec talis minister appareat, sed simpliciter, & perpetuò, apertè non est in vtilitatem ecclesiæ, sed in fauorem personæ, & consequẽter est illicitum.

Quartus casus, siue causa est paucitas ministrorum, vt habetur 21. quæst. 1. can. Clericus, cuius canonis verba, licet primo aspectu videantur intelligenda de paucitate incolarum, benè autem considerata intelligenda etiam sunt de paucitate ministrorum quæ paucitas ratione ipsa naturali dictante sufficiens causa est: tunc enim vtile est ecclesiæ, vt vnus plura beneficia habeat, cum desint ministri, quibus illa conferantur, sumenda autem hæc paucitas est non ex numero ministrorum, sed ex dignitate, nam indigni, & inutiles perinde sunt, ac si non essent. Vnde pauci reuera sunt, quando pauci sunt digni, meliusque est plures Ecclesias committi vni digno, & vtili, quàm multis indignis, & inutilibus.

Secundus casus est, qui assignatur in c. De multa, De præbẽdis. Quando est persona illustris & litterata. Hic casus antiquitus erat iustior, & magis consonus rationi, saltem quo ad personas illustres, quia cum Ecclesia vexarentur maximè ab hæreticis, & tyrannis, expediebat Ecclesiæ, vt viri litterati, qui hæreticos verbo, & scripto confutabant, & illustres qui illam à tyrannis tuebantur, haberent plures redditus, & plura beneficia, modò verò iam non sic indiget Ecclesia illustribus ad suam defensionem, quamuis indigeat litteratis. Quo fit, non ita licere sicut olim ob sanguinis claritatem habere plura beneficia, licet autem ob litteras, & eruditionem, non quidem solam, sed quando litteratus contra hæreticos, & alios fidei hostes verbo, & scripto laborat, indigetq; ad eos labores, & expensas pluribus redditibus, & beneficijs, tũc enim vtile est, vt vir litteratus sic laborans habeat plura beneficia, totum enim iudicium in his. vt sæpè diximus, sumendum est ex Ecclesiæ vtilitate.

Adducit Soto, & in alijs his quinque causis alias duas, vna est, si quis habeat duo beneficia ex dispensatione Papæ, vt habetur 21. quæst. 1. can. Relatio. vbi dicitur vnus habere duos Episcopatus ex dispensatione Papæ. Altera, quando habentur ex dispensatione Episcopi, vt habetur can. Sanctorum D. Thom. 70. Sed hi duo canones non proponunt causas, quod hic inquirimus, sed solum explicant quibus conueniat facultas dispensandi, conuenit enim (vt dicemus) in quibusdam Papæ, & quibusdam Episcopo.

Ex his causis circa primam, quartam, & quintã nihil addit Concil. Triden. præter ea quæ hic dicta sunt, circa secundam verò, & tertiam dicit multa sessio. 7. de reformatione. In primis cap. 2. ait vt quæcunque persona cuiuscunque dignitatis existat, quæ habuerit duas, vel plures Ecclesias cathedrales, vel Metropolitanas, siue omnes in titulum, siue vnam in titulum, & aliam in commendam, intra sex menses teneatur illas relinquere retenta vna, quam maluerit, aliter censeantur omnes illæ Ecclesiæ ipso iure vacare excepta vltima, quam obtinuit. Vnde vt optimè obseruat hic Soto domini Cardinales habentes Episcopatus, & residentes Romæ, non sunt satis tuti in conscientia, quia aut habent illos in titulum, aut in commendam, si in titulum, agunt contra ius diuinum, & Ecclesiæ non residendo in suis Ecclesijs, nec valet dicere se assistendo Papæ inseruire ecclesiæ vniuersali, quia licèt possit Cardinalis tuta conscientia abesse suæ Ecclesiæ, quando necessitas vniuersalis ecclesiæ exigit, vt in concilijs, & quando à Papa conuocatur, perpetuò tamen abesse maximè cum habeat Papa alios Cardinales assistentes, qui non sunt Episcopi, & possit quotidie de nouo creare, non iudicatur satis secutum, si verò habeant illos in commendam, quod fit frequentius, quia à iure communi Cardinales prohibentur esse Episcopi, ob rationem dictam, neque hoc licet, quia commendæ perpetuæ non sunt in vtilitate ecclesiæ, nec licitæ, vt constat.

Secundò, quia hoc reuera est seruatis verbis legis violare sententiam eius, quod est in fraudem legis: vult lex ecclesiastica ne Cardinales sint Episcopi, vt ne occasione Cardinalatus absint à suis ecclesijs, accipere Episcopatum non in titulum, sed in commendam, vt possint agere Romæ, & non in illa ecclesia, quis non videt esse violare animum, & sententiam legis? Adde quod cum residentia sit necessaria, non ratione nominis, sed ratione officij & necessitatis ouium, quicunque habet Episcopatum siue in titulum, siue in commendam, est verè pastor illius ecclesiæ, cuius præsentia ipsa indiget, & tenetur residere.

Secundò habet Concil. Triden. cap. 4. eiusdem sessionis, vt nullus possit habere plura beneficia, curata, nec plura incompatibilia, neque per viam vnionis, neque per viam commendæ contra tenorem sacrorum canonum, maximè c. illo de multa, aliter si quis plura habeat curata, vel incompatibilia, & illa non reliquerit, retento vno quem voluerit, omnia censeantur ipso iure vacare, nisi sit persona sua nobilitate, vel litteris vtilis ecclesiæ, vt diximus in quinto casu: quòd est sumptum ex isto c. de multa.

Tertiò habet Concil. c. 6. eiusdem sess. vt vniones factæ à 40. annis, & citra examinentur per ordinarios locorum, & quę inuentę fuerint surreptitiæ, declarentur ipso facto nullæ, etiamsi iam obtinuerint suum effectum, quæ vero nondum obtinuerunt suum effectum vel in parte, vel in toto, nisi apparuerit, & constiterit clara ac manifesta

festa causa earum, censeantur etiam nullæ.

Quartò decernit, vt licèt vniones ex rationabili causa videantur factæ, nihilominus beneficia vnita monasteriis visitentur per ordinarios locorum ac si illi videatur, non obstante vnione prouideat ordinarius illi Ecclesiæ de Vicario perpetuo, cui possit assignare tertiam partem fructuum, plus, & minusve pro sua prudentia, & illorum fructuum sufficientia. Quomodo autem hoc intelligendum sit in Ecclesiis curatis, quas habent religiosi, vel militares, accipiendum est ex priuilegiis cuiuscunq; religionis, maximè ex priuilegiis, & motibus proprtis Pij V. & Greg. XIII. concessis ordini S. Ioan, Hierosolymitani.

In his autem omnibus statutis Concil. Trident. potest Summus Pont. dispensare, quando Ecclesiæ vtilitas, vel alia causa iusta postulauerit, siue sit aliqua ex illis quinque assignatis, siue alia, quæ de nouo se offerat Ecclesiæ vtilitatem concernens; quia auctoritas Papæ superat auctoritatem Concilii, estque ipsius in omni iure, & lege Ecclesiastica iusta de causa dispensare, cum ad ipsum pertineat suprema auctoritas, & gubernatio. Reipub. Christianæ.

CONCLVSIO III.

Ad habenda plura beneficia incompatibili, nec sufficit dispensatio superioris sine iusta causa, nec iusta aliqua causa ex assignatis sine dispensatione superioris. Ad habenda autem plura beneficia simplicia compatibilia sufficit causa iusta sine vlla dispensatione.

PRobatur prima pars. Papa vel Episcopi, vt constat, non sunt domini beneficiorum, sed dispēsatores, & administratores tantum, dispensator autem, & administrator ex communi consensu Doctorum (quod & nomen ipsum sonat) cum non sit dominus, non potest pro libito disponere, & distribuere, sed ex iusta causa ad vtilitatem boni sibi commissi, ergo. Et confirmatur, quia ex communi Doctorum sententia dispensatiu intrinsecè dicit, & petit iustam, ac rationabilem causam.

Secūdò, quia distributio facta ab aliquo administratore contra voluntatem veri domini, & fidelitatem illi debitam est mala & iniqua, verus autē dominus beneficiorum est Christus, qui eatenus vult beneficia distribui, quatenus expedit vtilitati suæ Ecclesiæ, & hanc fidelitatem exigit in suis ministris. [Fidelis, inquit, seruus & prudens, &c. Et Pau. Sic nos existimet homo vt ministros, & dispēsatores, &c. hic autem iam quæritur, vt fidelis quis inueniatur.] Ergo qui sine iusta causa, & vtilitate Ecclesiæ habet plura, etiamsi per dispensationem, cum talis dispensatio non sit optima, nec valida in foro animæ, peccauit talis dispensator, & dispensatus non est tutus in conscientia. Vnde qui ante Cōcil. Triden. habebat duo, vel plura beneficia simplicia, vel curata ex dispensatione Papæ, erat quidem securus in foro exteriori, quia interueniente Papæ auctoritate cessabat omnis lis, quæ moueri poterat, sed non in foro interiori, nisi dispensatio illa esset ex causa legitima. Post Concil. verò Trideo. hoc iam sublatum est quia sess. 24. cap. 17. dicitur, vt nullus deinceps habeat duo beneficia incōpatibilia, sed si vnum non sufficiat ad sustentationem, adiungatur illi aliud simplex, quod non exigat residentiam. Et ita post Concil. Trid. obtinens duo beneficia incompatibilia, & requirentia residentiam non est tutus in conscientia, neque in foro exteriori. Debentque ordinarij diligenter examinare omnes dispensationes, quæ post Conc. Trident. fiunt circa pluritatem beneficiorum. Quia etsi Papa cum aliquo dispenset, quod potest ex plenitudine suæ potestatis, & auctoritate, quam habet supra Concilium, nisi existat iusta causa, debēt haberi tales dispensationes surreptitiæ & nullæ, estque procedendum contra sic dispensatum, vt deceptorem Papæ, tenetur que ipse illa beneficia relinquere.

Probatur secunda pars conclusionis, quia est regula generalis, in omnibus, quæ prohibita sunt, si ex aliqua causa concedantur, cognitionem illius causę non pertinere ad priuatum, qui facilè ex cupiditate & ambitione non causam, vt causam iudicabit, sed ad superiorem, & habentem auctoritatem: hoc enim est dispensare, concedere, quæ aliàs erant prohibita ex iusta causa. Secundò, quia iura ipsa, quæ ex causis dictis concedunt alicui plura beneficia, non concedunt illa absolutè & simpliciter, sed ita vt Papa, vel Episcopus possint ex iustis causis illas concedere.

Probatur iam tertia pars conclusionis, quia vt benè ait Soto, ita est in vsu, vt qui habet vnum beneficium omnino simplex, quod nullam exigit residentiam, si aliud simile ei conferatur, liberè recipiat illud, & obtineat, simpliciter que petatur ab ordinario illius collatio nulla interueniente ad id dispensatione. Vnde vbi esset in vsu petere dispensationem etiam ad huiusmodi beneficia simplicissima, esset petenda.

Secundò, quia si habere plura beneficia compatibilia sine dispensatione non liceret, hoc ideo esset, quia aliquo iure prohibetur, at non prohibet illud ius naturale, aut diuinum, quia, vt ipsum nomen sonat, ideo dicuntur compatibilia, quia ex natura ipsorū possunt simul esse. Tum secundò, quia ius naturale, & diuinū id tantum prohibent, quod est in Ecclesiæ nocumentum, habere autem plura simplicia, quando iusta causa existit, non est Ecclesiæ nocumentum. Neque est prohibitum iure humano, quia si aliquod antiquum hoc prohiberet, iam est per contrariam consuetudinem abrogatū, maximè cum Concilium Tridentinum renouauerit omnia iura, quæ circa hæc obseruanda sunt.

Addiderim tamen nulli licere coaceruare plura beneficia simplicia, quibus abundet, & fiat ditior, quia si coaceruet multa sine dispensatione Papæ, potest ordinarius illum aliquibus expoliare relictis necessarijs, cum Concil. Trident. sess. illa 24. cap. 17. statuat, vt qui habuerit beneficium, quod sibi non sufficit, possit habere etiam simplex, quod non exigat residentiam, vt sibi sufficienter prouideatur, vt apertè vult Concilium ea solum beneficia haberi, quib. opus est, vt clericus sibi pro suo statu sufficiat, etiam ex simplicissimis. Quod si coaceruet multa ex sola cupiditate, etiamsi cum dispensatione, dispensatus peccat, & dispensatus in foro interiori non est tutus, quia dispensatio sine iusta causa (vt constat) non est valida in foro animæ: habere autem multa beneficia etiam simplicissima ad abundandum non est iusta causa, cū sola vtilitas Ecclesiæ in his attendenda sit, non clericorum cupiditas.

AD QVEM PERTINEAT dispensare in pluralitate beneficiorum.

NOn est hic quæstio de Episcopatibus, nam hi à solo Papa conferuntur, solusque Papa potest in eis dispēsare, cum ipsi immediatè subiaceant, sed quæstio est de curatis, & alijs incompatibilibus, in quib: (pater illam distinctionem supta positam) quædam sunt maiora, vt dignitates, & canonicatus, alia vero minora, vt beneficia simplicia, quę habent annexam residentiam.

CONCLVSIO I.

In beneficijs curatis, & incompatibilibus maioribus, ut dignitatibus, & Canonicatibus solus Papa potest dispēsare ex iusta causa.

PAtet, Primò ex vsu Ecclesiæ, & consuetudine Romanæ curiæ, iuxta quam etiamsi adsit iusta causa, nullus permittitur habere duo beneficia curata, aut duos canonicatus, nisi interueniente auctoritate, & dispēsatione Rom. Pont. secundò in cā. dudum. extra de electione, & electi potestate, reprehenditur quidam, qui habebat duo beneficia huiusmodi ex sola dispensatione Episcopi. Nec obstat c. Sanctorū, d. st. 70. in quo videtur concedi Episcopo facultas dispensandi, in pluralitate beneficiorum, non distinguendo inter hæc, vel illa beneficia; quia caput istud quo ad hoc iam est reuocatum per illud c. dudum.

CONCLVSIO II.

In beneficijs incompatibilibus minoribus si iusta causa existit, potest episcopus dispensare, vt quis plura habeat, quatenus ecclesiæ vtilitas postulabit.

HAec est Mag. Soto, & recentiorum iudicio multum probabilis.

Primo, quia nullum ius hoc ipsis prohibet, cap. enim illud dudum tantū agit de beneficijs curatis, & de maioribus. In Concil. etiam Triden. nullum est verbum, quod priuet Episcopum hac facultate, & ita est in vsu, maximè in Hispania, & in his standum est vsui, fauendumque Episcopis, quia cum hoc pertineat ad priuatam gubernationem Ecclesiæ, quæ ipsis demandata est, à iure diuino, ac naturali, & simpliciter competit eis hæc facultas, solum ius humanū est quod illam ipsis restringit vnde vbi vsus eam illis tribuit, standum est, vt dixi, vsui, cum consuetudo sit optima legum interpres.

CONTROVERSIA VI.

SIT NE LICITVM CONCEDERE pensiones super beneficijs.

OBseruemus primò pensionem esse quandam cotam, & partem fructuum beneficij Ecclesiastici, quam tenetur beneficiatus soluere, & pēdere alicui personæ ex onere sibi imposito, diciturque persona illa, cui soluitur pēsionarius. Vnde pēsio ex parte pensionarij communiter non est beneficium Ecclesiasticum, sed quoddam ius, quod habet pensionarius, vt soluatur ei illa pars fructuum, & quoddam tributum temporale impositum beneficiato, propter quod non inducit obligationem recitandi horas canonicas, nec deferendi habitum clericalem. Argumentum est primo, quod istæ pensiones ex sola voluntate Papæ habentur, nec conferuntur per collationem ordinarij, sicut beneficia Ecclesiæ. Secundò, quia passim venduntur, & redimuntur ad arbitrium pensionarij, & beneficiati, & conferuntur indifferenter Ecclesiasticis, vel secularibus, propter aliquod obsequium exhibitū Ecclesiæ, sicut architectis, & fabris soluuntur operæ, quia impendunt Ecclesijs. Dixit communiter & per se loquendo, quia (vt videbimus in materia de Symoniæ (aliquæ forsan pensiones sunt, quæ habent effigiem, & indutum rationem beneficij Ecclesiastici.

Obseruemus secundò, dupliciter posse imponi pensionem, aut supra ipsam personam beneficiati, & sic imposita illo beneficiato, mortuo cessat, nec transit cum beneficio ad successorem, vel imponitur supra ipsum beneficium, & sic imposita durat per totam uitam pensionarij, transitque quamdiu ipse viuit, cum beneficio in quemcunque beneficiatum.

CONCLVSIO PRIMA.

Nullus alius præterquam à Sum. Pont. potest imponere pensiones super beneficia.

HAec conclusio non est de iure communi, nam stando iure communi, & naturæ rei, uel iure diuino quiuis Episcopus posset imponere pensionēs super beneficia, quorum præsentatio ad ipsum pertineat, imò & ipse beneficiatus resignās, & renuncians, possetque illas imponere super beneficio quod resignat, quia pensio imponi potest in fauorem eorum, qui aliquod obsequium exhibent Ecclesiæ, quasi præmium illius obsequij, præmiare autem eos, qui Ecclesijs inseruiunt simpliciter, & naturæ rei relictum potest & Episcopus, & quiuis beneficiatus. Ex cōsuetudine autem Romanæ curiæ solus Papa illas concedit, nec aliter ualēt nisi concessæ ab ipso, quæ consuetudo iustè, & sapienter introducta est ad tollendum multorū ambitionem, & prodigalitatem, vt habet Soto li. 9. de Iust. q. 7. art. 2.

CONCLVSIO II.

Papa, si iusta causa adsit, potest constituere pensiones super quacunque beneficia, etiam episcopatus.

QVod possit, patet ex suprema auctoritate, & plenitudine potestatis, qua pollet in beneficijs dispēsandis. Quod verò exigatur iusta causa,

causa, ostendo. Sicut beneficia ordinantur ad vtilitatem, & commune bonum Ecclesiæ, ita & fructus eorum, vnde sicut non est dominus beneficiorum, sed administrator in vtilitate Ecclesiæ, ita & fructuum, sed beneficia non potest pro libito distribuere, sed ex meritis, & iusta causa, ergo nec fructus, & ex consequenti, pensiones, cum pensiones quædam pars fructuum. Est autem rationabilis, & iusta causa sumenda ex ordine ad bonum, & vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis, vel particularis, & ex obsequio spirituali, vel temporali, quod quis impendit Ecclesiæ vniuersali, vel particulari. Vt si quis suis armis defendat Ecclesiam, vel terram fidelium purgauerit, & liberauerit ab infidelibus, quo nomine Reges Hispaniæ possident tertiam partem decimarum suorum Regnorum, similiter si quis defendat suam Ecclesiam in Concilio, vel curia Romana, quo nomine multis procuratoribus Ecclesiarum, & secularibus vel religiosis, dantur pensiones.

Tertiò, si quis in visitandis, aut reformandis Ecclesijs, vel monasterijs laboret, vel sua eruditione, & scriptis hæreticos confutet, & fideles doceat, quo nomine multis religiosis dantur pensiones. Ad hanc causam reducuntur pensiones, quæ olim consignabantur coadiutori Episcopi, vel Parochi, quod est adhuc in vsu, illæ etiam quæ antiquitus consignabantur beneficiatis, qui iam senuerant, nec poterant ministrare, & assistere choro. Denique iusta etiam causa est, quando in lite de beneficio desistit vnus litigantium, accepta aliqua pensione, vt colligitur ex c. si clerici, extra de præbendis, quod est intelligendum, quando lis habet iustum fundamentum, & bona fide litigatur ex vtraque parte. Omnes hæ causæ iustæ sunt, quia omnes respiciunt vtilitatem, & bonum Ecclesiæ vniuersalis, vel particularis, solus autem titulus beneficij non est causa iusta ad imponendam pensionem. Vocatur titulus beneficij, quando habens beneficium, vel quia non vult residere, vel vult mutare statum, vel quia debet illud aliqua de causa, vel præcepto relinquere, confert illud alteri, & ratione huius renuntiationis exigit sibi dare pensionem, hoc inquam non licet.

Primò, quia ratione solius renuntiationis aliquid accipere, quocunque titulo, & colore id vestiatur, est verè Symonia.

Secundò, quia pensio concedi tantum potest alicui ob vtilitatem, & obsequium impensum Ecclesiæ, in hoc autem causa illa beneficiatus nil vtilitatis afferebat, imò huiusmodi sæpè sunt inutiles Ecclesiæ, expeditque, vt relinquant beneficium, & alteri conferant.

CONCLVSIO TERTIA, quæ sequitur ex præcedenti.

In pensionibus quas summus Pontifex concedit supra Episcopatus, vel beneficia ad petitionem Regum, si causa mouens Regem ad illas petendas sit iusta, pensionarij, quibus tales pensiones conceduntur, sunt tuti in conscientia, quod si talis culpa non sit iusta, neque ipsi sunt tuti in conscientia.

DIco, causa mouens animum regis, quia Papa in huiusmodi concessionibus non examinat causam, sed credit, & prudenter regi affirmanti in petitione se habere iustam causam, & sub ea conditione concedit. Hæc conclusio probatur ex dictis, quia si Papa potest concedere pensionem iusta causa existente, efficitur, vt si ea quæ mouet regem sit iusta, pensionarius quoque sit tutus, si minus, nequaquam.

In hac conclusione agimus tantum de iure, quomodo sint tuti pensionarij, si causa sit iusta, nam de facto vnusquisque viderit, qua de causa sibi concedantur: quod dico propter M. Soto. qui huiusmodi pensiones habet suspectas tanquam rem nouam in Ecclesia, & cuius ferè nulla est mentio nisi in vnico loco iuris, nempe in c. Nisi essent, extra de præbendis. Vbi nec imponitur simpliciter pensio, sed cum quidam prior esset senex, & inutilis, datur illi coadiutor durante vita illius, assignaturque in stipendium coadiutoris pensio, quamdiu idem prior viueret. Nihilominus dico pensionarium, qui videt se nullum omnino obsequium præstitisse, aut præstare, vel præstiturum Ecclesiæ, non esse tutum, quia cessat omnino in tali iusta causa, & est in peccato, quamdiu talem pensionem recipiat, teneturque illi restituere, quod si videat, se aliquod obsequium aut exhibuisse, aut exhibere, est tutus, si verò sit dubius, deponat scrupulum & credat, Regem iusta de causa esse inductum ad conferendum illi talem pensionem, etiam si importune eam à Rege obtinuerit. Loquor etiam de pensionibus moderatis, aliquando enim tot in vno coarctantur pensiones, vt reddantur omnes suspectæ, vbi verò moderatæ sunt, æquissimum est, vt qui Ecclesiæ deseruiunt, nec vllos habent redditus, aut maximè tenues, accipiant ab illis qui habent pingues fructus, quasi coadiutores eorum, non enim est alligandum os boui trituranti, cum hoc potissimum nomine, & propter hos sint inuentæ, & introductæ huiusmodi pensiones. Vnde religiosi, quia alias non possunt habere beneficia Ecclesiastica, iustissimè præ omnibus suscipiunt pensiones, si seruiant Ecclesijs, summusque Pont. annuerit.

DE OFFICIIS ET MAGI-*stratibus secularibus possit ne in ipsis committi acceptio personarum, & qua ratione.*

IN hac quæstione obseruemus primò, ex ijs officijs quædam esse quæ habent iurisdictionem in Rep. vt prætores, iudices, & senatores, alia esse velut instrumenta proxima istorum, vt scribæ, & tabelliones causarum, fiscales, & lictores, alia verò velut instrumentum remota, vt custodes carcerum, satellites, & ministri iustitiæ, in quib. requiruntur ex conditionibus, quas diximus necessarias in eligendis ad præbendas Ecclesiæ, duæ illæ nempe probitas vitæ, & scientia ac prudentia: probitas vitæ maximè necessaria est in istis, hoc. n. interest inter ista officia, & alia mechanica, quod hæc cum non ordinentur ad mores, sed ad opera suæ artis, exigunt quidem dexteritatem in conficiendo opere artis, non tamen virtutem, at officia publica, cum sint ordinata ad componendos mores ciuium, extirpanda vitia, quæ Reip. pacem perturbant, constituendam æquitatem, & dicendum ius inter ciues, exigunt, vt Reip. minister bonus sit, & studiosus, improbus enim, & nequissimum illam prestare non valet, imo cum iniquus sit, diliget vitia, suoque exemplo faciet alios sibi similes, sicutum minores exempla maiorum, maximè suorum gubernatorum facilè sequantur. Et confirmatur, quia ex com. Doctorum consensu ad hæc officia exercenda prudentia politica

solet à Deo conferri hominibus, quæ non est fine charitate. Denique regimen Reip. non est quid speculatiuum, sed quid practicum, in practicis autem necesse est deficere multoties existentem in peccato, cum habeat appetitum deordinatum, ac, vt dicebat Arist. [Qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur. Hæc dicta sint potissimè de ijs qui habent administrationem iustitiæ, & gubernat Rempu. nam alios inferiores non exigitur, adeo studiosos esse, & optimos.

Requiritur secundò etiam scientia, & prudētia, quę iuxta sui muneris ministerium necessaria est, sed cum discrimine, nam ex illis tribus generibus officiorum, in primo requiruntur omnia ista, præcipuè ac maximè prudentia, & peritia gubernandi, cum ex ipsis pendeat recta gubernatio, quo fit, vt aliquando minus studiosus propter maiorem prudētiam, & peritiam sit vtilior Reip. & dignior, quàm alius magis studiosus, & probus. In officijs secundi generis requiruntur etiam, quamuis non ita perfectè, vt in primo. In tertio sufficit probitas vitæ, & fidelitas, etiam si desit peritia, & dexteritas, quia habentes illud nil disponunt, sed tantum exequuntur præcepta ab alijs, ad quod sufficiunt probitas vitæ, & fidelitas, ac constantia, ita vt è nemine decipiantur, nec desinant vlla de causa exequi mandata aliorum.

Nec repugnat huic doctrinæ Caiet. in Sum. verbo. Electio quando dicit non esse necessarium, vt eligendus ad ista officia non sit in peccato mortali. Potest enim dupliciter intelligi, vt significet non esse necessariam tantam probitatem vitæ in his officijs, quanta in Ecclesiasticis desideratur, quia qui eligitur ad officium sæculare, nō instituitur pastor animarum, sicut Ecclesiasticus, sed solum custos pacis, ad quod sufficit vir probus, etsi cum aliqua imperfectione, cum tamen prælatum, & clericum omni virtute præditum esse oporteat. Vel voluit significare Caietan. non repugnare, esse illum in aliquo peccato mortali alterius materiæ, modo nullum habeat peccatum suo muneri nociuum. Potest. n. aliquis ita corripi, vel aliqua fragilitate humana laborare, & esse nihilominus verax, iustus, & rectus, quæ virtutes sufficiunt ad suum officium præstandum, licèt perfectius illud exequeretur, si omni vitio careret.

Obseruemus secundò in his omnibus officijs cuiuscunque generis sint, nullo modo licere indignū eligere imò esse peccatū mortale acceptionis personarum ex suo genere eligere indignum, quacunque ratione electio illa fiat siue per donationem, siue per renuntiationem, siue electores plures sint, siue vnus, siue persona conferens sit publica, vt Rex siue particularis, vt quando priuatus suo cēdit officio in gratiam alterius. Quod patet primò, quia cum electio indigni semper sit in damnum aliorū est ex suo genere intrinsecè mala, & prohibita, & consequenter peccatum, & cum sit in re graui, est mortale. Secundò eligens indignum, quicunque ille sit, peccat primo contra charitatem. Secundò cōtra iustitiam legalem. Tertiò contra commutatiuā, ergo peccat mortaliter ex suo genere. Primò contra charitatem, & iustitiam legalem, quia vnusquisque, quicumque ille sit, tenetur ex charitate diligere bonum commune, & ex iustitia legali, quatotum valet consulere bono communi, quod non præstat eligens indignum. Quod verò peccet etiam contra iustitiam commutatiuam, de persona publica patet, quia tenetur talis ex officio curare bonum commune, & illi prouidere vtiles ac sufficientes ministros. De persona vero priuata patet etiam, quia eo ipso quo vult officium sibi commissum alteri conferre, tenetur ex officio prouidere, de persona digna, aut committere superiori, vt ipse prouideat. Et confirmatur primò, quia si vellet ad tempus, quamdiu infirmatur, vel abest, substituere loco sui alium ministrum, tenetur substituere dignum, & sufficientem, ergo multo magis quando absolutè, & per omne tempus transfert in alium. Secundo, quilibet œconomus tenetur eligere ex officio saltem dignos ministros domus domini sui, quilibet autem officialis Reipubl. quatotumuis priuata persona, eo ipso quo est officialis, & minister Reip. est velut œconomus Reip. ergo quando substituit aliū debet saltem eligere dignum.

Adeoque oportet quærere dignos, vt non sufficiat cuius lectori, se nescire illum, quem eligit esse indignum, verum etiam debet scire, & intelligere aut per se ipsum, aut testimonio aliorum fide dignorum esse dignorum esse dignū. Ratio est aperta, quia qui exponit se periculo nocendi, & peccandi, eo ipso peccat mortaliter, qui autem non nouit certo per se ipsum, aut per testes fide dignos hunc quem eligit esse dignum, exponit se periculo eligēdi indignum, & nocendi reip. ac peccandi in tali electione, ergo. Hoc vsque adeo est verum, vt non solū vnus elector, quicūq; ille sit siue publica, siue priuata persona peccet mortaliter eligendo, indignum, verum etiam tota respub. si eligeret sibi indignum similiter peccaret, quamuis cum discrimine, quia tota resp. peccaret contra charitatem tantum, quia tenetur diligere bonum commune, non tamen contra iustitiam, quia iustitia est ad alterū, respu. autem non agit tunc nisi contra se ipsam, & consequenter nec tenetur ad restitutionem, quia tenetur sibi ipsi, particularis autem elector siue vnus, siue plures si eligant indignum, tenetur omnia damna ex tali electione subsequuta restituere communitati, quia ipsi illud ei intulerunt contra iustitiam commutatiuam, vt constat.

His positis antequam explicemus, An his quoq; officijs oporteat eligere digniorem, duo videre oportet, primò,

CONTROVERSIA VII.

AN REGES, ET PRINCIpes, Duces quoque, & alij magnates sint domini officiorum sæcularium.

Adria. in 4. fol. 58. apertè vult neq; Reges, neque vllos magnates esse dominos huiusmodi officiorum, sed meros administratores, quæ sententia, licet ab ipso sine probatione asseratur, ab aliquibus tamen sic probatur. Quam iurisdictionem habet Rex in rep. in temporalibus eandem, nec minorem habet Papa in Ecclesia in spiritualibus, sed Papa non est dominus (vt vidimus) beneficiorum Ecclesiæ, sed merus administrator, ergo neque Rex, est dominus officiorum reip.

Secundo, peccatum acceptionis personarum nō habet locum, in bonis proprijs, quorum quis dominus est, sed solum in communibus, quorum est dispensator, si Rex esset dominus istorum beneficiorū, non peccaret peccato acceptionis personarum conferendo illa quibus vellet, etiā indignis, at omnium consensu peccat grauissimè, si indignis illa conferat, quia agit tunc contra bonum commune reip. & contra benemeritos, ergo est dominus (

Et confirmatur, Quia qui sua bona sine iusta causa & prodigè alteri confert, peccat quidem contra liberalitatem, non autem contra iustitiam, at si rex huiusmodi officia indignis conferat, peccat contra iustitiam legalem, & commutatiuam.

Tertio, si Rex haberet dominium horum officiorum in suo regno, haberent quoque illud magnates in suis terris, at non habent, neque tale illis tribuunt, qui tribuunt Regibus, ergo. Maior patet quia similiter se habēt isti magnates in suis terris, sicut Rex in suo regno. Secūdo, quia quando Rex concedit istis dominium illarum terrarum, & subditorum, transfert in eos ius quod ipse habet, & vtramque iurisdictionem ciuilem, & criminalem, vt patet ex titulis donationum, quas Reges fecerunt, & facere solent magnatibus.

Volunt alij, Regem quidem esse dominum istorum officiorum in suis regnis, Duces vero Comites, & magnates nequaquam, sed esse meros administratores illorum officiorum. Ita Soto libr. 3. de Iust. q. 6. art. 4. ante secundam conclusionē, Caiet. verbo. Venalitas officiorum in solutionibus argumentorum, & recentiores Thomistæ illam tribuūt D. Th. opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ, quamuis reuera D. Th. illam non ita expressè ibi habeat. Volunt ergo hi sicut Papa habet plenitudinem potestatis spiritualis in Ecclesia, quam non habent Episcopi neque in suis diœcesibus, sic Regem habere plenum dominium in omnibus bonis, & officijs sui regni, quam tamen non habent magnates neq; in suis terris.

Quod pertinet ad Reges ita probant primo. Respon. eligens Regem transtulit in ipsum omne ius, & dominium, quod in ipsa erat, habebat autem respon. dominium illorum officiorum, habet ergo, & illud Rex. Maior habetur. l. Quod Principi, ff. de cō sti. princip. Minor patet, quia ista officia sunt bona temporalia ipsius reip. sicut, & quæuis ad alia ipsā pertinētia, nec potest reperiri, aut ex cogitari alius dominus ipsorum, quā ipsa resp. deinde vero Rex ex traditione, & voluntate reip. aut oporteret illa carere dominio, quod est absurdum, cum sint bona temporalia, & precio æstimabilia. Et confirmatur primo, hæc officia sunt veluti quædam actiones communitatis sicut velle, & intelligere sunt actiones personæ, sed quęlibet persona habet dominum suarum actionum, ergo, & resp. istorum officiorum. Confirmatur secundò, Stipendia quæ conferuntur ministris horum officiorum sunt bona reip. ergo. & ista officia. Secundo probant, quia si ista officia Rex ut verus dominus eorum non posset vendere, Reges, qui illa vendunt, & qui illa emunt non essent tuti in conscientia, imo tenerētur qui illa officia emerunt renuntiare, & rex qui vendidit restituere pecuniam acceptam, sicut diximus de re empta ab eo qui non est verus dominus, at nullus Theologus, aut confessarius tale admonuit vel regibus, vel ementibus ista officia.

Quod verò pertinet ad magnates non esse domi nos istorum officiorum, probatur. Quia respō. non transtulit in eos tale ius, & dominium. Patet, quia ipsi non habent suos Comitatus, & Ducatus, ac iurisdictionem quam habent ab illa communitate sibi subiecta, sed a regibus, qui illos constituerunt Duces, & Marchiones, Reges autem non contulerunt Duces, & Marchiones, Reges autem non contulerunt eis tale dominium. Et quādo ita res se haberet, vt aliquis eorum à communitate sibi subiecta esset electus in Ducem, & Marchionem, talis communitas non est perfecta resp. neque habet tale dominium.

Secundo probatur simul quod dictum est de rege, & quod dictum est de istis magnatibus haciatione. Rex potest vendere ista officia, & de facto vendit, vt diximus. Et interrogatus D. Tho. in illo opusculo, posset ne Ducissa illa vendere officia sui Ducatus? Respondit, posse quidem, non tamen expedire, magnates verò isti (quod vsus ipse ostēdit) nec possunt, nec permittuntur illa vendere, ergo rex erit dominus istorum officiorum, magnates autem nequaquam. Probo consequentiam, quia venditio non potest fieri nisi à vero domino, aut de cō sensu, & facultate ipsius.

Tertia opinio Baldi, & communis inter iuristas in l. Barbarius. ff. de officio præto. quam, & nonnulli etiam ex recentioribus Theologis amplectūtur, vult omnes istos, & reges, & magnates habere dominium istorum officiorum. Quod Reges illud habeant, probant argumentis secundæ opinionis, qđ vero magnates, vltimo argumento primæ. Quamuis Theologi illam sequuntur moderatè loquantur dicentes, magnates habere quoddam dominiū non merum, & plenum in istis officijs, sed mixtum, ita vt possint quidem illa dare, & vendere, sed dignis, ita vt in dando, vel vendendo, habeant sed vt domini, sed in dando, vel vendendo huic, vel illi, habeant se vt administratores debentes dare dignis, idemque censent de Regibus.

In hęc quęstione obseruemus primò, bona reipub. duplicia esse, alia verè, & propriè temporalia, & velut diuitiæ, nempè redditus, & fructus ipsius reipub. siue in ærario, siue in vectigalibus, & tributis, alia verò quæ dicuntur quoque tēporalia, quia non sunt spiritualia, nō sunt velut diuitiæ, sed sunt ministeria & officia in vtilitatem, & optimam gubernationem ipsius instituta, quorum omnium dominiū est penes Remp. probaturque apertissimè, Primò, quia omnia ista bona cum sint reuera temporalia, & pretio æstimabilia, necesse est, vt diximus, sub alicuius esse dominio, siue alicuius priuati, siue totius communitatis, & reip. sed non sunt simpliciter, & à prima institutione alicuius priuati, sunt ergo ipsius communitatis, nec vllus est cuius meliori, & æquiori titulo esse possint. Secundò, cōmunis est Theologorū doctrina in materia de clauibus, & potestate Ecclesiæ hoc interesse inter bona spiritualia Ecclesiæ, & tēporalia Reipub. quod dominium illorum residet immediatè in Christo, à quo deriuatur potestas dispensandi illa in Sum. Pont. & ab eo in alios prelatos, & ministros Ecclesiæ: in bonis autem temporalibus cuiuscunque generis, contra dominium eorum, primò, & per se est in Repub. & ab ea est deriuatū per ipsius electionem, & cōsensum in Reges, ita, vt quamdiu Resp. non confert dominium eorum Regi, ille non habeat tale dominium.

Obseruemus secundò, quod licèt Resp. sit domina istorum bonorū, non tamen æqualiter, nec eodem modo, est enim vt supra ex Arist. D. Tho. docuimus, duplex dominium, vnum quod est simpliciter dominium, quod vocatur dominatiuum, diffinitur que ius ad vtendum re pro libito in oēs vsus sibi vtiles, quō vnusquisque est dominus suarū opū aliud verò quod non dicitur simpliciter dominiū, sed gubernatiuū, quales habent parentes in filios, prælati in subditos: habet quidem Resp. redditurū suorum, & prouentuum dominium dominatiū: potest. n. illas pro libito in proprios vsus cōuertere, officiorum autem non habet nisi gubernatiuū, quod patet ex discrimine, quod est inter ista duo genera dominiorū: nā dominatiuū est in proprios vsus priuatos, & particulares, gubernatiū vero in vtilitatē com-

communem,& gubernationem, ista autem officia non sunt instituta in vtilitatem particularem, sed communem,& in gubernationem ciuium. Vnde dominium in talibus officijs necessariò est constituendum gubernatiuum.

Obseruemus tertiò, Remp. transtulisse in Regē, quando illum eligit & iurat, omnem suam auctoritatem,& dominium: Rex enim non est Vicarius Reip. vt Dux Venetus, qui semper pendet à Rep. sed supremus Princeps plenissimam potestatē habens acceptam à Rep. ita vt semel creatus Rex nō possit à Repub. deponi, nec filij eius priuari iure hæreditario regni, nisi iam tyrannicè gubernarēt, quia tunc iure naturæ vim vi repellere licet. Ita docent omnes Doctores Iuristæ maximè Guillermus Benedictus, cap. Raynutius nu. 53. & est lex expresſ ſa. l. 1. ff. de constit. Principum: vbi habetur, populum transtulisse in Regem omnem potestatem, & imperium quod habebat, vbi plena potestas Reip. non stricta, nec limitata Regi tribuitur, ita vt quæcunque potestas & dominium, quæ in Rep. sunt, in Regem sint traslata, quam primum electus est, & pœnes ipsum maneat. Quamuis non ita plenè, sicut penes Rempub. Est enim hoc discrimen, quod Respubl. si bona ista non benè dispenset, peccaret grauiter, vt diximus, contra charitatem, quia tenetur bonum commune diligere, & curare, non tamen contra iustitiam, quia iustitia est ad alterum, Respub. autem malè ista dispensans sibi ipsi nocet: Rex autem, si ista bona maximè officia malè dispēset, cum sint ministeria directè in vtilitatem Reip. instituta, non solum peccabit contra charitatem, & iustitiam legalem, quibus tenetur bonum commune diligere,& curare, verometiam cōtra commutatiuam, qua ex officio ad id tenetur: transtulit enim Resp. omnium consensu dominium, quod ipsa habebat, in Regem hoc fine, & sub hoc pacto implicito & virtuali, vt eius vtilitati in omnib. maximè in gubernatione consulat.

Obseruemus vltimò, Reges concedentes aliquibus magnatibus aliquas terras, non efficere ipsos Reges earum, nec concedere illis in huiusmodi locis plenam potestatem, quam ipse habet circa bona,& officia illorum locorum; argumēto est, quod in audientijs Regiis iudices habent se circa istos magnates,& dominos locorum, quo ad gubernationem,& officia ista, perinde ac si non sint domini, constituendo illis leges, quibus debent gubernare sibi subditos, & priuando illos aliquibus vsibus istorum officiorum, quibus certè non priuarētur, si essent simpliciter domini. Vnde concedit eis Rex dominium, quod ipse habet in illis locis, non plenum, sed moderatum, vt colligant prouentus illorum locorum, & gubernent eos iuxta leges, quæ ipsis assignabuntur, quod non est in Rege; quamuis enim debeat quoque ipse gubernare iuxta leges naturalem & diuinam, legem autem humanam nullus ipsi imponit, cum ipsi incumbat leges subditis constituere.

CONCLVSIO I.

Rex non habet dominium officiorum Reip. absolutum, & dominatiuum, sed gubernatiuum.

HÆc est contra Magist. Soto, & aliquos recentiores Thomistas, qui Regibus plenum, & absolutum dominium concedunt in istis officijs, sicut in redditibus suis & tributis, est tamen Adriani loco cita. & aliorum, & retulimus hic in tertia opinione; imò, vt quæstio sequenti videbimus agentes de venditione istorum officiorum, est etiam D. Thom. opusc. illo 21. Probatur conclusio apertissimè secundo illo argumento Adriani, & eius confirmatione: nam Rex non potest ista pro libito conferre indignis, peccatque contra iustitiam, si illis conferat, quod tamen non esset, si esset absolutè, & simpliciter dominus illorum.

Secundò, duo sunt munera Regis, vt docet ipsemet Soto, ad quæ tenetur ex officio, nempe tueri ciues armis ab externo hoste, & constituere debitos iustitiæ ministros, qui iustitiam custodiant aduersus internos malefactores, in quorum vtróque si deficiat Rex, tenetur ad restituenda omnia damna subsequuta ciuibus, ergo non est dominus officiorum, nam dominus propter malam dispensationem suorum bonorum nulli tenetur restituere.

Denique, concedunt isti Remp. transtulisse suū dominium in Reges, & habere ipsos dominium, quod ipsa haberet, sed Respub. ex secunda obseruatione non habet in istis officijs, nisi dominium gubernatiuum, ergo neque Rex habet in illis nisi gubernatiuum.

Et confirmatur, etiāsi ita esset, vt haberet Resp. in istis officiis simpliciter, & absolutè dominium dominatiuum, Rex nihilominus non haberet nisi gubernatiuum, quia Regi id collatum est à Rep. omnium consensu & Soti,& aliorum cum hoc pacto implicito, & virtuali, & in illis officiis prouideat debitos ministros, nec pro libito, sed pro ipsius Reip. vtilitate.

CONCLVSIO II.

Duces, Marchiones, & alij magnates habent etiam dominium gubernatiuum istorum officiorum in suis terris, non quidem ex concessione Reipub. sicut Reges, sed ex concessione Regia, aut explicita, qualis in multis priuilegijs huiusmodi magnatuum reperitur, aut implicita, & virtuali, explicata per publicam consuetudinem, Regibus illud scientibus, nec reclamantibus obseruatam.

HAec posterior pars huius conclusionis cōstat, quia Resp. nō constituit Duces, aut Marchiones, nec aliqua oppida illis tribuit, sed à Regibus isti magnates instituti sunt ob præclara ipsorū, vel maiorū suorum gesta, & loca eis tributa. Tum etiam, quia loca quæ habent, non sunt perfectæ Resp. quæ valerent Principes sibi eligere, & constituere.

Probatur iam prior pars, vendunt magnates illa officia, ergo sunt domini. Antecedens patet, quia vt videmus, si comes vendat suum oppidum, quod valeret simpliciter, vt 6. quia emēs illud emit simul iurisdictionem, & facultatem constituendi ista officia, emit, vt 8. iam ergo vēdit ista officia. Quod si dicas valeret vt octo, non quia vendat officia, sed ius nominandi officia. Contra, quia nominate officiales est ius gubernatiuum, & consequenter dominium gubernatiuum simile dominio Regis.

Secundò, ista officia sunt pęnes dominium alicuius, ergo aut Regis, aut magnatis, non Regis, ergo magnatis illius. Probatur minor, quia numquam Rex constituit ministros talium officiorum, imò in iniuriam faceret magnati, si id faceret, vnde nil erga illa potest, aut eedo quòd possit, & consequenter non est dominus, vel dominiū ius est omnino inutile, sed dominus est ipse Dux, qui nominat, mutat, constituitque illorum officiorum ministros.

Tertiò isti magnates quando emerunt à Regib. ista loca, emerunt vna cum eis ista officia, sed quiuis particularis, si emit officia a Rege, est illorum dominus, potestque illa vendere, locare, disponere de illis (vt dicemus) in testamento, ergo & isti magnates sunt domini.

Denique habent plenam iurisdictionem in hæc officia, eligunt, & nominant illorũ ministros, sicut & Rex in suo regno, ergo habent quoque dominium gubernatiuum illorum à Regibus acceptũ, quia vna cum iurisdictione, & dominio gubernatiuo, quod accipiunt in suas terras, accipiunt simul iurisdictionem, & dominium gubernatiuũ in ista officia: quamuis non in ea plenitudine potestatis, quam Reges in illa habent. Vnde opinio, quam sequimur, quæ verè est D. Th. si rectè intelligatur, vt proximè sequenti controuersia videbitur, est media inter Adrianum, qui nullum dominium tribuit Regibus in ista officia, & Sotum, qui tribuit illis dominium simpliciter & absolutè: ideo argumenta vtriusque opinionis diluenda sunt.

Ad primum Adria. patet solutio ex dictis in prima obseruatione, ex discrimine, quod est inter bona spiritualia Ecclesiæ, & temporalia Reip. Ex quo apparet, quomodo Papa non sit dominus beneficiorum, Rex autem modo explicato sit dominus istorum officiorum.

Secundum vero Adria. cum sua confirmatione probat (vt diximus) nostram primam conclusionem.

Ad vltimum constat etiam solutio ex modo dictis: aliter enim habent magnates iurisdictionem in suis terris, quàm Rex in suo regno, nec Reges conferunt eis omnem suam potestatem, licet concedant dominium terrarum, quo ad fructus, & officia, sed non cum ea plenitudine, quam ipsi habent.

Ad argumenta pro opinione Soti. Ad primum constat ex dictis in argumentis, quibus probata est conclusio. Rempub. transferre, quidem in Regem omne dominium, quod pœnes ipsam est, cæterum Rempub. non habere in ista officia, nisi dominium gubernatiuum. Et quando daremus ipsam habere etiam in illa dominatiuum, quia videtur posse ipsa pro libito illa distribuere, absque eo quod violet iustitiam, non sequitur ex eo, Reges habere dominium dominatiuum istorum officiorum, sed tantũ gubernatiuum, cum Respub. nõ transtulerit in Regem omne ius, & dominium, quod in ipsa residebat absolutè, & pro libito Regis, sed sub pacto virtuali, vt teneatur ipse prospicere eius vtilitati, & ius illud, ac dominium exercere, quatenus Reip. vtilitas exegerit.

Ad secundum respondeo, Reges posse (vt statim dicemus) ista vendere non pro libito, sed quãdo necessitas Reip. ita postulauerit, & cum cõditionibus, quas dicemus.

Ex quo sequitur non esse absolutè dominos: nã qui simpliciter, & absolutè dominus est, potest liberè res suas vendere, sicut pater, licet possit iure naturæ vendere filios, non ideo est eorum dominus, quia non potest illos vendere, nisi cum magna necessitate sua, & vtilitate ipsorum filiorum.

Et ad confirmationem dico, Reges vendentes ista officia aliter, quam dicemus, non esse tutos in conscientia, & à viris timoratis, & doctis granniter hac de causa reprehendi: ementes verò illa, modo sint digni, esse tutos in conscientia, quia dignus nõ tenetur examinare, an qui confert sibi officium quocunque modo illud conferat, faciat quod debet, ceditque in bonum Republ. vt dignus accipiens officium, etiamsi via venditionis, quidquid sit de peccato vendentis, ipse iure illud habeat, & salua conscientia aliter omnia abundarent litibus nec essent ciues securi in ijs, quæ à ministris huiusmodi officiorum fierent. Videamus ergo.

CONTROVERSIA VIII.

AN LICEAT ISTA OFFICIA vendere.

Circa hanc quæstionem variæ sunt opiniones. Pragmatica est D. Tho. opusculo illo 21. vbi interrogatus de ea à Ducissa Brabantiæ, respondet licere quidem Regibus, & Principibus vendere ista officia, cum quibusdam conditionibus, quas ibi assignat, non autem expedire, ut ista sint venalia, affertque illud B. Paul. 1. Cor. 6. [Multa mihi licent, sed non omnia expediunt.] Et loquitur D. Paul. de ijs, quæ sunt alicui scandalo. Certum autem est, vt videbimus, officia Reip. venalia fieri, esse scandalo, & occasioni multorum malorum ciuium. Frequenter. n. ementes hæc officia sunt in Reipub. peiores, quia si studiosi sint & pauperes, non habent precium, quo talia officia emant, si studiosi, & diuites, non ambiunt illa: ita fit, vt soli diuites, & cupidi, vel honoris, vel augendæ pecuniæ illa quærant, & emant. Ita concludit D. Tho. expedire, ne hæc officia vendantur, sed eligantur ad illa viri studiosi, & probi, quos certum est, & Reip. & Ducissæ magis profuturos.

Secunda opinio est Caye. in Summa, verbo Officiorum venalitas, & Magist. Soto loco citato, speculatiuè, id est, ex natura rei licere vendere ista officia, quia sunt bona temporalia nulli debita, omne autem bonum temporale precio æstimabile, ac nulli debitum vendibile est: practicè autem non licere, quia affert communiter officiorum venditio multa damna Reip. & quo ad praxim iudicandum est secundum ea, quæ communiter eueniũt. Vnde est argumentum. Actiones humanæ, & morales iudicandæ sunt, quo ad praxim licitæ, vel illicitæ secundum ea, quæ communiter fiunt in indiuiduo, & particulari, quod dicitur hic & nunc, sed communiter in maxima damna Reip. prouidẽtur enim hac via non dignioribus, sed ditioribus, & potentioribus, præter alia multa incommoda, quę statim dicemus, ergo practicè hoc non licet. Addunt hi, si necessitas legis nescia compellat aliquando Principem ad illa vendenda, emptores eorum non posse illa iterum vendere, aut in alterum transferre sine licentia Regis, quod si Rex fecerit quidem emptori facultatem transferrendi officium illud in alterum, nulla facta mentione venditionis, posse tunc illum emptorem gratis tale officium alteri dare, non tamen vendere, ita vt si vendiderit, teneatur ad restitutionem precij quia nulli licet vẽdere ista officia nisi soli Regi. Quod si facultatem etiam vẽdendi habuerit, liberabitur quidem ratione illius facultatis à debito restituendi precij, non tamen à peccato, quia talis venditio nunquam sit in vtilitatem Reip.

Tertia opinio est Adria. loco cit. qui simpliciter, & omnino negat posse hęc officia vendi, quia contractus venditionis debet fieri à domino, huiusmodi autem officiorum ex ipso nullus est dominus. Explicat autem Adria. D. Th. vt liceat vendere ista officia non quidem absolutè, sed tantum iustitia facti, id est, si vendantur iusto precio, etiam esse ven-

se venditionem, ita vt qui emit, iustè emerit, nec teneatur ad aliquid restituendum, & qui vendit, iusto precio vendiderit: esse tamen iniustam intuitu iuris, quia qui vendit, vendit non suum, & qui emit, emit à non domino, & ab eo qui non poterat vendere. Vnde infert venditorem peccare vendendo non suum, & ideo addidisse D. Thom. non expedire. Sed nō rectè explicat Adria. D. Tho. quia D. Thom. non fuit interrogatus ab illa Ducissa Brabantiæ de precio officiorum, sed de facultate vendendi illa, an liceret ipsi vendere illa, & cum D. Thom. respondeat cum quibusdam conditionibus id licere, si id nunquam liceret, vt vult Adria. vel non liceret practicè, vt docent Caiet. & Soto, esset illa responsio D. Thom. mala, & perniciosa.

Vnde est vltima opinio communis modo inter discipulos D. Tho. tam practicè, quàm speculatiuè licere vendere ista officia cum conditionibus, quæ vergant in vtilitatem Reipub. quasi dicant, absolutè loquendo tam speculatiuè, quàm moraliter, & practicè nec esse licitum, nec illicitum, sed aliquando licitum, quando necessitas, & vtilitas Reip. postulauerit cum certis conditionibus, illicitum verò, si tales conditiones desint: Et sic reuera est intelligendus D. Thom. Explicatio autem Caiet. & Soti non est admittenda.

Primò, quia in moralibus qualis est cuiuis contractus, maximè hic vendendi, vel dandi, distinguere speculatiuè, vel practicè est ridiculum, cum eo ipso, quo quæro, An talis actio humana, vel contractus sit licitus, loquar moraliter, & practicè, quia quæro, an possint actu, & in effectu licitè fieri, nec est recurrendum ad speculationem, cum quæstio sit de praxi.

Secundò, quia omnes aliæ actiones humanæ, quotquot sunt simpliciter, & secundum se sumptæ eodem modo se habent siue practicè, siue speculatiuè sumantur: possunt quidem ex circumstantia suscipere aliquam mutationem, simpliciter tamen, & secundum se, si speculatiuè sunt licitæ, & practicè: si speculatiuè illicitæ, & practicè, si speculatiuè indifferentes, & practicè.

Hanc sententiam habet Syluest. verbo Dignitas §. 4. & verbo Simonia. §. 6. affirmans licere vendere huiusmodi officia, si publicè pecunia conferatur, sic enim explicat Glossa. in l. Barbarius, ff. de officio prær. Idem sentiunt plerique Iuristę, quamuis alij sequentes Badium maximè Guiller. Bened. in ista lege velint supremum principem posse vendere officia, quia talis venditio non est prohibita iure naturali, aut diuino, sed sole humano in Aurenti. Vt iudices sine quoque suffragio. §. Hæc autem, in quo iure potest supremus princeps dispensare, quamuis alij inferiores non possint.

In hac quæstione obseruemus primò, certum esse apud omnes, cum contractus venditionis non possint fieri nisi à vero domino, vel de consensu illius, magnates, & alios à Regibus non posse communiter vendere aliqua officia, quia cum iurisdictione, quam accipiunt à Regibus in suas terras, communiter non accipiūt plenum dominium officiorum, quale ipsi Reges, habent, sed solam administrationem eorum, & facultatem eligendi dignos, & conuenientes. Vnde si illa vendant, non solum peccant grauiter, quasi exercentes contractum iniquum, verum etiam tenentur ad restituendum precium acceptum, sicut œconomus, cui commissum est prouidere de ministris in domo domini sui, si accipiat precium pro electione huius, vel illius, peccat, & tenetur ad restitutionem. Quo ēt fit, nec posse istos magnates, quando hæc officia alicui conferunt, imponere pensiones, sed teneri ad illarum restitutionem, si quas imposuerunt, cum nec sint domini, nec administratores cum plena potestate, sed cum hac facultate tantum, vt valeant eligere in suis locis ministros, sed nulla pecunia interueniente. Dixi communiter, quia ex peculiari priuilegio Regis posset etiam aliquis multorum iudicio illa vendere.

Obijciens tamen contra hoc, Primò, Duces, & Comites in Italia, & Germania vendere ista officia in suis terris non minus, quàm Regem in suo regno.

Secundò, immemorabilis consuetudo præbet ius etiam in conscientia, sed multi sunt magnates in Hispania, & Aragonia, qui ex immemorabili consuetudine vendunt in suis terris ista officia, ergo licet eis.

Tertiò, pretores, & proreges possunt retinere sibi aliqua officia, & exercere per se, vel famulos suos vt officium sigilli, & similia, possuntque consequenter retinere sibi stipendia, vel partem stipendiorum talium officiorum, ergo poterunt illa vendere.

Ad singula suo ordine. Ad primum respondeo, quæ hic dicimus intelligenda esse de magnatibus Hispaniæ, Franciæ, & similibus, qui subiecti sunt Regibus, nec aliam habent iurisdictionem in suis terris præter eam quam à Regib. acceperunt, nam principes Italiæ, & Germaniæ, vt Dux Florentię, Brabantiæ, Sabaudiæ, & similes, etiam si non habeant nomen, insignia, & inuestituram Regis, habent tamen in suis locis plenam auctoritatem, & dominium, sicut Reges in suis regnis, quia vnaquæque Resp. illarum est perfecta, transtulitque in suum Ducem, & Principem omnem suam auctoritatem, & dominiū, sicut Regnum in Regem.

Ad secundum dico, consuetudinem introductam cum assensu superioris habere vim, quod autem magnates officia vendant, nunquam Reges censerunt, nec talis consuetudo est recepta, vel in vsu de consensu Regum. Vnde damnantur isti domini in audientijs Regijs, & reuocantur tales venditiones ab ipsis factæ. Quod si aliqui sint in Hispania, maximè in Aragonia, qui illa vendant, habent illud ex aliqua regia concessione facta in vtilitatem Reipub. vel præmiom alicuius obsequij Reipub. præstiti à suis maioribus. Ad tertium dico, proreges, & prætores posse quidem aliqua officia sibi retinere, quæ per se ipsos, vel suos famulos exerceant, & accipere stipendia eorum, si talia officia sibi retineant, quia conceditur hoc ipsis à Rege, vel Repu. at si officia illa velint à se alienare, debent conferre dignis iuxta vtilitatem Reip. vendere autem non possunt, sed tenerentur precium restituere, quia non habent vllo modo facultatem vendendi, sed tantum vel retinendi sibi, vel conferendi, dignis.

Quod si demum obijcias magnates vendentes sua oppida vendere illa maiori precio ob facultatem, quam habent conferendi ista officia, & ita habere dominium illorum, ac posse illa vendere. Respondeo, accipere ipsos maius precium pro facultate conferendi ista officia, quia hæc facultas est quoddam ius precio æstimabile, non tamen pro officijs.

Obseruemus secundò, reuocandum esse in memoriam distinctionem illam superius positam, qua diximus actionum humanarum quasdam esse intrinsecè bonas, & licitas, alias intrinsecè malas, & illicitas, alias indifferentes, alias denique, quæ nec sunt intrinsecè bonæ, sed habent simpliciter,

& per

& per se sumptæ speciem mali, possunt tamen ex causa honestari, & licitè fieri, vt occisio hominis, pluralitas beneficiorum, mereatura & similia, &c.

CONCLVSIO I.

Vendere hæc officia ea maximè quæ continent administrationem iustitiæ non est intrinsecè malum, habet tamen speciem mali, & quandam indecentiam, ac turpitudinem.

PRobatur prior pars ex D. Thom. opusc. cit. vbi ait licere, non tamen expedire, vbi vt diximus, adducit illud Diu. Pau. multa mihi licent. At si hoc esset intrinsecè malum, non dixisset licere, sed absolutè respondisset non licere: quemadmodum si quęras, an liceat fornicari? quia hoc est omnino, & intrinsecè malum, & responderet nullo modo licere.

Vtor iam ratione. Hæc officia secundum se sunt vendibilia, ergo vendere illa non est intrinsecè malum. Consequentia est aperta. Probatur antecedens. Ex duplici radice (vt supra vidimus) potest venditio esse illicita, vel quia venditur res, quæ caret omni precio, quo modo spiritualia non sunt venalia, cum iure naturali, & diuino sine precio conferenda sint, vel quia sint debita de iustitia, quomodo iudex proferens sententiam in fauorem habentis ius nil potest accipere, quia debet illud ex iustitia, sed hæc officia non sunt res carentes precio, imo precio æstimabiles, cum sint bona temporalia, & sęcularia, ac Reipu. propria. Nec sunt alicui debita, quia hæc non sunt instituta, vt pręmia ciuium, sed vt ministeria Reipu. propter quod quamuis distributor eorum debeat ea conferre secundum leges distributiuę dignioribus, ad id tamen non tenetur ex distributiua, quasi sint præmia ciuium, sed ex commutatiua, quia tenetur ex officio prospicere vtilitati Reipu. Vnde sunt quidem debita Reipub. non autem alicui ciuium, omne autem temporale, & sęculare bonum nulli debitum precio æstimabile est, & vendibile. ergo.

Secundò, potestas regia potest vendi à Repu. ergo à fortiori, & ista officia quæ iure regio tanto minora sunt, Probatur antecedens. Si aliqua Respu. verbi gratia Ianuensium, vel Venetorum esset oppressa ab hostibus, vel cõstituta in aliqua maxima necessitate famis, aut simili, posset pacisci cum aliquo principe, vel viro potentissimo, defende nos tuis exercitibus, & sumptib. vel libera nos tua annonia, & pecunia ab hac fame, & eris Rex noster, quod pactum cum Rege pecuniæ æquiualet, & in hoc omnes conueniunt, ergo.

Tertiò, facultas eligendi aliquos in ista officia est res tẽporalis æstimabilis precio, propter quod (vt diximus) magnates, quibus talis facultas inest, uendunt sua Oppida maiori precio, quàm venderent illa, si carerent tali facultate, ergo, & officia in quæ ordinatur ista facultas, cum sint eiusdem generis, & ordinis cum ipsa, erunt quoque secundum se precio æstimabilia, & vendibilia.

Quartò, quod est intrinsecè malum nunquam potest bene fieri, at quando esset maxima necessitas Rei. nec Adrian. nec vllus potest negare licere illa vendere, aut locare dignis, cum sint bona ipsius, potestque vnusquisque necessitate exigente suis rectè vti, ergo.

Probatur secunda pars ex varijs detrimentis, quæ experientia teste sequuntur in Reip. venditis ipsius Officijs.

Nam primò hac via ista officia non obtinentur à melioribus, & vtilioribus Reip. sed à ditioribus, quia digni, vt bene considerat Caiet. & quibus debentur pro meritis, non conferent precium, sed indigni, & carentes meritis, supplebuntque merita pecunijs.

Secundo pereunt hac via in Rep. studia litterarum, & virtutis, & offertur occasio cupiditatis, & curandi tantum pecunias, cum videant ciues ista officia, quæ honorifica sunt, non pro meritis dari, sed pecunia emi.

Tertio ementes ista officia, cum emant illa, non vt ministeria Reipu. sed vt hæreditatem sibi vtilem, non exercebunt illa pro vt exiget Reip. vtilitas, sed quatenus postulabunt priuata ipsorum cõmoda, præferentq; suum particularе bonum cuiuis communi, nemo enim est qui pecuniam suam gratis, vel pro bono communi offerat, sed vt sibi consulat: qua ratione dissuasit D. Tho. villanueua Carolo V. ne venderet officia prætorum Castellę, quod multi illi suadebant.

Quarto ementes ista officia in executione deinde eorum multa quæ gratis facere deberent, nolunt nisi accepta pecunia. & quæ merentur stipendia. cum nimio rigore, & carius quàm sint taxata, faciunt dicentes se ea via recuperaturos precium, à quibus omnibus abstinerent. si pro meritis, & nõ oblata pecunia officia accepissent.

Quinto cum ministri pecunia officia emerunt, eidem lucrandæ sint intenti, quam pauperes non valent offerre, sed diuites, consequenter aut causa pauperis non ingreditur ad eos, aut si ius in illa dicere compellantur, fauent potius diuitibus, quam pauperibus. Quod si ad tabelliones, & alios inferiores ministros conuertas oculos, quàm facilè hi corrumpuntur, & veritatem sepeliunt, vt pecunijs acceptis, quas pro suo munere obtulerunt, valeãt recuperare? Denique nullum maius malum potest accipere alicui Reip. quàm vt præmium conuertatur in precium pecuniæ: hæc autem officia quamuis non ex debito iustitiæ, vt diximus, tamen ex debito morali sunt pręmia virtutis. Vnde Romę, quamdiu apud Romanos officia Reipu. distribuebantur ciuibus pro meritis, fuerunt domini totius orbis, postquam vero cęperunt esse venalia, ceciderunt à sua gloria. Quocirca sapientissimus quidam senator, quem iniqui consules, qui pecunia consulatum obtinuerant, miserunt in exilium, cum à Roma recederet, versis in ea oculis clamauit.

O venalem vrbem cui citò ruina paratur.

CONCLVSIO II.

Venditio horũ officiorum potest ex causa, & circumstantijs debitis in ordine ad vtilitatem Reipu. honestari, & esse licita, & benefacta.

HÆc est contra Caiet. & Soto, qui volunt practicè id non licere. est tamen aperta doctrina D. Thom. in illo opusculo vbi postquam dixit illi Duci Brabantiæ licere vendere officia, non autem expedire, addit circumstantias, & conditiones, cum quibus Reip. vtilitate exigente potest id fieri, assignare autem circumstantias, & conditiones, cum quibus aliquid licet facere, ad praxim, & executionem apertè pertinet.

Secundo, non audet negare Soto, imò concedit,

Remp.

Remp. in graui necessitate constitutam posse vendere, vel locare ista officia dignis cum debitis conditionibus, sed Resp. transtulit in Regem omnem suam auctoritatem, & ius eo tantum imposito vinculo, vt in omnibus prospiciat ipsius vtilitati, ergo Rex in vtilitatem Reip. potest cum debitis circumstantijs illa quoque vendere.

Tertiò, actiones humanæ, quæ non sunt intrinsecè malæ licet simpliciter habeant speciem mali, & multa incommoda, ex iusta autem causa, & cum circumstantijs, quibus quantum humana prudentia potest, illis incommodis occurratur, possunt honestari, & licitè fieri, vt constat de pluralitate beneficiorum, docetque D. Thom. infra: quæst. 77. articul. vltimo de mercatura, sed vendere hæc officia non est intrinsecè malum, quamuis habeat secundum se speciem mali, & multa incommoda, ergo potest ex iusta causa seruatis debitis conditionibus honestari. Denique hęc officia sunt quædam bona communia distribuenda ciuibus secundum iustitiam distributiuam, sed oblata necessitate communi potest Resp. priuare ciues sua pecunia ærarij publici illis distribuenda. ergo potest simili ter priuare illos oblata necessitate his officijs, & conferre illa cum debitis conditionibus pro pecunia, qua iuuetur ipsius necessitas.

Sed quæres, quæ sunt istæ conditiones. Dico has esse. Primò, vt vendantur digno ea lege, vt quam primum ipsę, vel filij eius non benè sese gesserint, cesset venditio. Secunda, vt vendantur precio moderatissimo, quod facilè possit ex stipendijs statutis recuperare precium, cum illud emit sine extorsione ciuium. Tertiò vt fiat ex magna necessitate Reip. vel Regis, cui non possit alia commodiori via subueniri. Duæ priores conditiones istarum assignantur à Diu. Thom. apertis verbis in illo opusculo. Tertiam non ita apertè exprimit, sed supponit eam, colligiturque ex verbis ipsius, cum dicat vendenda esse respiciendo semper ad vtilitatem. Reipu.

Sed contra secundam istarum conditionum sic obijci potest. Rex potest instante necessitate imponere ciuibus tributorum onera, ergo licet sit onus ciuium, quod officiales Reip. rigorosè exigāt sua stipendia, poterit rigorosè vendere, & instruere, vt rigorosè quoque exigant ipsi sua stipendia. Neganda est consequentia, quia tributa debent imponi omnibus æqualiter, at in hoc casu onus imponeretur tantum litigantibus, quod non est medium rectè ordinatum ad leuandam communem Reip. necessitatem.

CONCLVSIO III.

Personæ priuatæ, quibus dono, vel venditione collata sunt à Regibus hæc officia Reip. simpliciter, & stando in iure naturæ possent illa vendere dignis moderato, & honesto precio, vel locare, imò possunt ipsi tutius facere, quam Rex.

PRior pars probatur. Stando in iure naturæ potest iste officialis substituere, & subrogare alium (modo sit dignus) loco sui, imponendo illi, vt soluat aliquam partem precij. ergo potest etiam vendere. Antecèdens patet, quia stando iuri naturæ non tenetur per se ipsum illi officio seruire, sed potest per alium dignum. Consequentia vero patet, quia quicunque potest locare rem, vel alteri accommodare accepto precio, potest, & vendere.

Secunda vero pars probatur. Primò, Rex non habet dominium absolutum, sed solum gubernatiuum, nec potest vendere nisi vrgente Reip. necessitate, hic autem qui emit à Rege, cum emerit illud velut quandam hæreditatem sibi fructiferam, habet dominium illius, partim gubernatiuum, quia tenetur vēdere digno, partim dominatiuum, tum quia non tenetur expectare Reip. necessitatem, sed sufficit, vt sibi expediat; Tum etiam quia vendit in suum commodum, cum iure naturæ quicumque dedit pecuniam pro re precio æstimabili, possit illam recuperare ex eadem.

Secundò, quia homo priuatus facilius potest vēdere digno, & quærere dignum, in quo cessent illa incommoda, quæ adduximus, quàm Rex tot negotijs implicatus.

Tertiò, quia Rex tenetur prospicere bono communi, & eligere (vt dicemus) digniorem, priuato vero sat est vendat digno, & sufficienti, & sibi æquali, quemadmodum diximus in beneficijs minus posse Episcopum, quàm resignatorē, quia huic cum non teneatur ex officio consulere vtilitati Ecclesiæ, non competit quærere digniorem, Episcopo autem id conuenit ex officio, quia tenetur ex officio prospicere bono communi.

Diximus in hac conclusione, stando in iure naturæ, quia in iure ciuili tam communi, quam legibus Regni non potest vllus priuatus vendere officia, quæ habent annexam gubernationem, vel administrationem iustitię, etiamsi à Regibus illa emerint, vt officium Prætoris, Consulis, Iudicis, Fiscalis, Tabellionis, & similia: alia verò, quæ nec gubernationem, nec administrationem iustitiæ habent adiunctam, non prohibentur vēdere, vt officium sigilli, ostiarij ciuitatis, ministri senatus, cursoris minoris Regni, & alia minora Reip.

Probatur prior pars ex authentico illo aureo. Vt iudices sine suffragio fiant. Vbi elegantissimè prohibentur à Iustiniano habentes officia illa primi generis ea vendere alicui, quæ lex, etsi à quibusdam intelligatur de solo officio iudicis, intelligenda etiam est de habentibus gubernationem, vel administrationem iustitiæ, cum ibi fiat mētio aliorū, etiam officiorum à iudice, vt tabellionis, & aliorum. Habetur eadem prohibitio. l. hæc les. ff. ad legem Iuliam, de ambitione. Vbi optimè Barto. Vide can. sancimus. 1. q. 7. Idem præcipitur in iure Castellæ lib. 2. ordinationum regalium. tit. 5. l. 2. & libr. 6. tit. 13. 16. & alijs loc. cit. maximè in reperiorio pragmaticarum Caroli V. lib. 7. tit. 1. l. 1. in comitijs habitis Vallisoleti, anno 1584. Quæ vero officia habeāt annexā administrationē iustitiæ Iuristarū dicto, & statutis, ac vsui cuiusq; Regni relinquimus.

Posterior pars patet, quia cum iure naturæ, & simpliciter ista officia vendere possit qui emit illa, modò vendat digno, vbi lex ciuilis id non prohibet, possunt vendi, in officijs autem minoribus nulla est lex, quæ id prohibeat. In nostro Regno Valentiæ, imò & tota Aragonum corona officia, quę habent gubernationem, vel administrationem iustitiæ adiunctam, non est in vsu, vt vel à Rege vendantur, vel aliquis priuatus illa alteri vendat, imò credo id legibus Regni esse prohibitum. Consulantur Iuristæ. Minora autem officia venduntur, & cum facultate iterum vendendi illa, sic enim est in vsu, & cum nulla lege id prohibeatur, consuetudo reddit ementem, & vendentem tutos, modò seruent illas conditiones vendendi digno, & precio moderato.

CON-

CONCLVSIO IIII.

Priuata persona ex licentia Regis expressa benè potest vendere ista officia, quod si tantum habeat licentiam ad transferendum, non potest illa vendere.

PRobatur prior pars, quia ista venditio tantum est prohibita iure humano, & ciuili, in quo Rex pôt dispensare, secunda verò pars paret. Primò contractus iure humano prohibitus est nullus, & inualidus, vt contractus pupilli nullus est, quia iure humano prohibitus, sed iure ciuili, & regio (quod iustum est ad tollendam omnem ambitionem, & cupiditatem) priuatis officialibus est prohibita venditio istorum officiorum, ergo fine licentia Regis non potest fieri. Quod si dicas, habet licentiam ad transferendum. Parum refert, nam istæ sunt licentiæ omnino distinctæ, & ad distinctos effectus. Et confirmatur. Quia in prætorijs, & audientijs regijs, vbi scitur animus, & intentio Regis, declarantur nullæ omnes istæ venditiones factæ cũ sola licentia ad transferendum, quo fit, vt debeat esse expressa, quia in rebus prohibitis desideratur necessariò expressus consensus prohibentis, vt prohibitio iudicetur pro tunc dispensata.

Secundò exigitur, vt in quacunque licentia siue ad transferendum, siue ad vendendum seruentur conditiones appositæ à Rege loci, temporis, vel dierum: vt si dicat patrem posse, dum viuit, transferre officium suum in filium, vel ita, vt post quam transtulit, viuat xx. dies ante mortem, seruandæ sunt hæ conditiones: quoniescunque enim quis consentit sub conditione, ea cessante, & deficiente cessat simul, & deficit consensus, sine quo licentia nulla est.

Sunt autem duo casus, in quibus cum sola licentia transferendi fine formali, & expressa licentia vendendi possunt vendi hæc officia per implicitam, & tacitam licentiam vendendi inclusam in illa transferendi.

Primus est, quando Rex concedit officium cum licentia transferendi ijs, qui sibi in facie assistunt, quos ipsemet Rex nouit, certò illud venditures, nec alio fine postulasse illud officium ab ipso cum tali facultate.

Secundus est, quando conceditur patri licentia transferendi officium in filium quem voluerit, tunc virtualiter cõfertur ei facultas ad quoddam genus venditionis, quia potest obligare illum, cui officium relinquet, vt aliquid conferat alijs filijs, & hæc sunt certa apud omnes Thomistas.

Maior facultas est. An si extra hos casus ille, qui tantum habet facultatem ad transferendum officium, vendat illud, teneatur restituere precium acceptum.

Mag. Ioannes à Peña, qui restabatur idem sensisse Mag. Petrum à Soto, ac nonnulli ex recentioribus dicunt, sic vendentem peccare venialiter, quia vendit contra prohibitionem legis, non tamen mortaliter, nec teneri ad restitutionem: & supponunt istũ habere ius ad transferendum, quia vel emit illud, vel simplici donatiõne accepit à Rege, nam qui nil tale habet, vt qui solum habet officium commissum, si vendat illud, locet, vel transferendum illud, solum potest exercere illud, donec Rex, vel maiores aliter disponant, non autem vendere, nec transferre in alium.

Secundò, supponunt istum vendere cum debitis conditionibus, nempe precio moderato, & viro digno, ac sufficienti, & ea ratione, vt cui auerit occurrere illis incommodis Reip. quæ retulimus.

His suppositis probant isti suam opinionem. Primò, iste habet ius ad transferendum, quod autem transferat donatione, vel venditione, nulli facit iniuriam, ergo nec peccat mortaliter, nec tenetur ad restituendum. Maior supponitur. Probatur minor, si faceret alicui iniuriam, certè vel ementi, vel Reip. non ementi, quia vendit, vt supponimus, precio moderato, & decenti: non Reip. quia vendit digno, & curauit occurrere omnib. incommodis, ergo.

Secundò, quamuis istæ leges humanæ prohibeant istam venditionem, non tamen irritant, & annullant illam, sed tantum uidentur apponere hanc pœnam, vt possint annullari, vnde habent se ad modum legis pœnalis, quæ, vt constat, non obligat ante iudicis cõdemnationem, ergo antequam à iudice annulletur talis venditio, tenet, & emptor tuta conscientia habet officiũ, & venditor preciũ.

Soto, & alij recentiores ipsum sequuti iudicant sic vendentem peccare mortaliter, & teneri ad restituendum precium. Ratio eorum est. Vt precium datum ab emptore possit iustè à vendente retineri, necesse est, habeat illud per aliquem licitũ contractum donationis, commutationis, aut venditionis: at nullo istorum acquisiuit in hoc casu venditor iste precium illud, in primis non donatione, quia emptor non dat gratis, sed pro officio, nec cõmutatione, nam vbi interuenit pecunia, non est commutatio, nec venditione, quia ista est prohibita lege ciuili iusta, quæ obligat in conscientia, in qua non dispensauit Rex per facultatem solam transferendi, cum sint ista omnino distincta posse transferre, aut posse vendere, peccat ergo grauiter, cum accipiat precium pro re, quam non potest vendere, & tenetur illud restituere, quemadmodum vsurarius. Et confirmatur. Contractus prohibitus lege ciuili iusta ex solo defectu solemnitatis testis est nullus in foro conscientiæ, vt vidimus cum Inno. ergo multò potius est nullus, & inualidus, qui simpliciter, & omnino est prohibitus lege iusta ciuili, qualis est huiusmodi venditio.

Peritissimi nostri temporis vtramque opinionem iudicant probabilem, sed multò probabiliorem hanc Mag. Soto, quia negari non potest contractum lege humana ciuili, & iusta prohibitum, nisi à prohibente facultas expressa habeatur ad oppositum, esse reuera in vtroque foro nullum, addunt tamen practicè hanc regulam esse obseruandam, vt antè factum suadeat Theologus, ne vllo modo fiat talis venditio, quia opinio Soti est multò in hac parte probabilior, & omnium cõsensu talis vẽditio saltem est peccatum veniale, quod etiam vitandum est. Post factum verò, si possit consuli Rex de suo animo, standum esse animo, & intentioni Regis in illa licentia, quòd si nequeat consuli, si venditor est diues, emptor verò officij pauper, consulendus est, vt restituat, quia diuiti eo ipso, quo est diues, & non indiget, prudenter iudicandum est non fuisse animum Regis in licentia transferendi concedere licentiam vendendi, si verò venditor est pauper, & emptor diues, non est obligandus ad restituendum precium acceptum, quia tam ex vsu, quàm iuxta prudentiam eo ipso, quo Rex concedit pauperi facultatem transferendi officium, iudicandum est concedere illud in beneficium pauperis, vt inde sibi aliquo precio accepto subueniat. Mihi probatur maximè opinio Soti, cum hac explicatione.

Ad

Ad argumenta Mag. Pena respondeo. Ad primum, vt quis peccet, & teneatur restituere, non esse necesse, vt faciat alicui iniuriam, sat est, vt contractus quo accepit rem, quam debet restituere, sit prohibitus lege iusta & nullus: vt si pupillus sine licentia tutoris vendat rem aliquam, etsi iusto precium, & emptor rem emptam, quia est contractus prohibitus & nullus: sic in proposito, & si nulli iste venditor officij faciat iniuriam, tenetur nihilominus restituere ratione iniquæ acceptionis, quia est contractus prohibitus lege iusta.

Respondeo etiam, factam esse iniuriam ementi, cum acceperit venditor precium, pro re quam non potest vendere, accipit enim precium prohibitum, nec minus prohibitum, quàm si venderet sine licentia transferendi.

Ad secundum dico, leges istas communi vsu, & sensu esse receptas non solum vt pœnales, verum etiam vt annullantes tales venditiones, argumento est, quod re in iudicium delata, iudex non solum declarat restituendum esse precium, verum etiam venditionem illam fuisse nullam omnino, & precium illud non potuisse interuenire, precium autem quod interuenire non potest, restituendum est, sicut in simonia. Quo fit, cum iudex debeat iudicare secundum leges, eo ipso quo declarat venditionem illam fuisse nullam, leges prohibentes venditionem huiusmodi officiorũ, non solum esse pœnales, sed annullantes tales venditiones.

Sed quæres: An habentes ista officia, & volentes illa resignare in fauorem tertij, possint aliquid accipere? Respondeo, precium integrum, & illud in quo prudenter æstimaretur officium, si liceret illud vendere, non posse recipere: posse tamen aliquid accipere, quia resignans officium illud cedit iuri suo, cedere autem iuri alicui temporali, & vtili precio, æstimabile est, & vendibile, nec vllo iure prohibitum, quia istæ leges solum prohibent simplicem venditionem officij.

Contra hanc doctrinam officia ista (sicut per varias conclusiones exposuimus) vendi posse, offerunt se hæc. Primò, hæc officia sunt ciuibus distribuenda pro illorum meritis, ergo non possunt illis vendi. Consequentia patet, quia bona alicui pro suis meritis debita non possunt ipsis vendi. Antecedens verò probatur, quia bona communia sunt distribuenda ciuibus pro ipsorum meritis, hæc autem officia sunt maxima bona Reip.

Secundò, quia actiones morales, & humanæ (quo argumento vtitur Soto confirmans suam opinionem) iudicandæ sunt licitæ, vel illicitæ, secundum ea, quæ communiter fiunt in indiuiduo, communiter autem venditio istorum officiorum fit cum illis damnis Reipub. quæ retulimus, erit ergo illicita.

Tertiò, aut stipendia quæ soluuntur istis ministris sunt iusta, vel iniusta, & excessiua, si iusta, ex iustitia commutatiua debentur ipsis, propter quod nequeunt eis vendi, iniquum enim est vendi alicui, quod iam suo labori, vel muneri debitum est, quia bis illud emeret, & suo labore, & precio: Si verò iniusta sint & excessiua, excessus ille non potest à Rege vendi officialibus, imò restituendus ciuibus, qui illo grauantur cum iniuria.

Ad primum, patet ex dictis, ista officia esse quidem bona Reip. non tamen debita ciuibus, quia non sunt velut opes ærarij communis, sed bona instituta in vtilitatem communem Reip. vnde licet seruanda sit in ipsis (vt videbimus) ratio iustitiæ distributiuæ, quia eligendi vtiliores Reipu. hoc autem non debetur iustitiæ distributiuæ, quasi illa sint bona communia ciuium, sed virtute iustitiæ commutatiuæ, quia tenetur ex officio Rex prospicere vtilitati Reip. in eligendo ministros istorum officiorum.

Ad secundum neganda est maior. Vbi obseruandum est, bifariam posse accidere, vt aliqua actio humana sit, vt plurimum mala, & nociua, vel ex se, & natura sua, vt fornicatio quæ ex se, & natura est in damnum prolis, etiam si aliquando aliter accidat, vel ex malitia, & culpa operantis quia ab ipso vitiatur ex circumstantia; quæ primo modo mala est, est intrinsecè mala, & nunquam licet, quæ verò secundo modo, etiam si habeat speciem mali, non est intrinsecè mala, sed vitio operantis, & ex circumstantia ab eo adhibita, qua sublata, & appositis debitis circumstantijs, & cõditionibus erit bona, & licita. Quomodo se habent, quæcunque habent speciem mali, possunt autem honestari ex causa, ad quod genus pertinet venditio ista officiorum.

Ad tertium respõdeo, ista stipendia officiorum licet videantur excessiua, esse iusta.

Primò, quia officia sunt honorifica, & habentes illa debent simul habere honorificum, ac decentem statum, & consequenter pinguia stipendia, quo fit, vt possit Rex, vel Respu. ad communem vtilitatem reseruare sibi aliquam partem stipendiorum, quod facit cum vendit ista officia: Nec ex eo aliquam iniuriam irrogat ciuibus; potuit enim ista excessiua precia imponere.

Primo, vt hac via videntes graues expensas litium, arceantur à litibus, quod est in pacem, ac quietem Reip.

Secundò, quod est in pacem pro communi, & Reip. necessitate, licet ipsi imponere tributa negotiantibus, ementibus, vel vendentibus, ita & litigantibus. Tum etiam, vt ait Soto, hæc stipendia à principio forsan fuere moderata, deinde vero progressu temporis ita creuerunt, quod augmentum est iustum, quia vtile bono communi. Sed videamus iam,

CONTROVERSIA IX.

AN HAEC OFFICIA SINT conferenda dignioribus, iuxta leges iustitiæ distributiuæ.

Pars in primis affirma. probari potest, quia lex iustitiæ distributiuæ est, vt bona dentur dignioribus, sed hæc officia cũ sint bona Reip. sunt conferenda dignioribus, ergò conferenda iuxta leges distributiuæ.

In oppositum est; Primò, nullum teneri ad dispensanda propria bona iuxta leges distributiuæ; hæc autem officia sunt bona propria Reip. vel Regis, cum in ipsum Respub. transtulerit suum dominium, & ius.

Secundò, Rex concedit magnatibus facultatem vendendi sua Oppida, quibus venditis venduntur simul iurisdictio, & ius gubernãdi illa, nec tamen tenentur isti vendere digniori, sed cui voluerint, & plus danti.

Tertiò, Rex quando vendit ista officia, communiter non vendit dignioribus, sed ditioribus, & plus offerentibus vel confert ea his, qui coniuncti sunt, vel amicis viris Aulicis.

Quartò, ista officia non sunt instituta in præmia ciuium, sed in ministeria Reipu. ergo non sunt distribuenda, iuxta leges distributiuæ. Probo consequentiam, quia ad distributiuam tantum pertinet

bona

bona communia conferenda ciuibus, vt præmia suorum meritorum.

Quintò, quæ dignioribus conferenda sunt debentur illis pro meritis, quæ autem debentur non licet vendere, huiusmodi aũt officia potest Resp. vel Rex vendere, ergo non sunt conferenda iuxta leges distributiuæ.

Denique, ad hæc officia sunt eligendi ex Diuo Paul. contemptibiliores, ergo non digniores.

In hac quæstione obseruemus primò, eligẽdum ad huiusmodi officia nonnunquam debere esse partem illius communitatis, vel Reip. aliquando verò id non esse necessarium, sed posse quoque eligi ex alia prouincia. Rursum huiusmodi electiones aliquando fieri per plura suffragia, aliquando verò ab vno tantum electore.

Obseruemus secundò, ex his officijs quædam habere annexam gubernationem, & administrationem iustitiæ, alia verò esse quorum ministri pẽdent ab ipsis gubernatoribus & iudicibus, suntq; illis subiecti.

CONCLVSIO I.

In officijs quæ non habent annexam gubernationem, uel administrationem iustitiæ, sed eorum ministri sunt mera instrumenta aliorum, ex eorum nutu, & præcepto omnino pendentes, sufficit eligere dignum.

Ratio est, quia in huiusmodi officijs perinde seruiunt digni, & sufficientes sicut digniores, cum vtrique præstent fideliter, quæ à maioribus sibi præcipiuntur.

CONCLVSIO II.

Quando electio fit per plura suffragia, siue eligendus debeat esse pars Reip. ut in consulatu, siue non, ut in iudicatura uel cathedra, eligendus est dignior, aliter committitur peccatum acceptionis personarum.

Probatur primò, Quando officia prouidentur per plura suffragia, ideo vult Resp. vel Rex fieri electionem illam à pluribus, vt multorum iudicijs, & rationibus propositis melius Reip. consulatur, repugnat autem omnino huic fini, & scopo eligere dignum relicto digniori, ergo id non licet.

Secundò, si Resp. ipsa, quæ habet dominium absolutum eligat ad hæc officia, tenetur eligere digniorem, ergo & electores constituti ab ipsa. Consequentia aperta est. Probatur antecedens, quia etsi Resp. sit domina istorum officiorum, cum primum tamen vult illa suis ciuibus distribui, & esse communia, tenetur seruare leges iustitiæ distributiuæ, sicut qui sua bona propria confert communitati distribuenda inter partes ipsius, eo ipso obligat se ad illa distribuenda, tanquam iam communia iuxta leges distributiuæ. Et confirmatur, quia sicut ciues tenetur seruare erga suam Remp. iustitiam legalem, curando bonum illius, ita Respu. erga suos ciues tenetur seruare iustitiam distributiuam, conferendo bona communia ipsius pro meritis.

Tertiò, sicut beneficia Ecclesiastica, licèt sint primò, & per se instituta in ministeriũ Ecclesiæ, quia tamen simul honorifica sunt, debent distribui pro meritis, ita hæc officia licet primò, & per se sunt instituta in ministerium Reipubl. cum tamen honorifica sint, postulatque in eis seruari vtraque iustitia commutatiua, quatenus sunt ministeria, eligendo vtiliores, & distributiua, quatenus sunt honorifica, eligendo digniores, debet ita fieri, & oppositum est peccatum acceptionis personarum, & violare vtramque iustitiam.

Denique, quando commutatiua obligat seruare leges distributiuæ, seruandæ sunt sub pœna peccati acceptionis personarum, sed electores cum hæc officia sint instituta in vtilitatem Reip. & ipsis datum ius eligendi, cum vinculo, & debito consulendi, quãtum commodè poterunt vtilitati Reip. & bono communi, tenentur ex officio, & iustitia commutatiua eligere iuxta leges distributiuæ digniores, imò hoc fine, & causa datur illis hoc ius suffragandi, & plerique ita iurant. Ergo.

Verum nihilominus est, vt sicut in beneficijs, licet aliquando pro bono Ecclesiæ prætermittere digniorem, & eligere dignum, ita etiam pro bono Reipub. licet aliquando eligere ad hæc officia dignum, vel vendere digno, relicto digniori: cum in omnibus potissima ratio habenda sit boni communis, imò (vt dicebamus agentes de beneficijs) dignus, qui vtilior est bono communi, eo ipso est dignior alio.

CONCLVSIO III.

Quando elector est unicus, siue supremus Princeps, siue quiuis alius, peccatum committit acceptionis personarum, si eligat dignum relicto digniori, siue electio sit facienda ex partibus & ciuibus eiusdem Reip. siue possit fieri ex alienis, & extraneis.

Prior pars ab omnibus conceditur, & probatur argumentis precedentis cõclusionis. Et cõfirmatur, quia Respu. transtulit in illum electorem dominium, & ius, cum hac conditione implicita, & virtuali, vt bona illa eo ipso, quo distribuenda sunt in ciues, distribuantur, vt bona communia conferenda ciuibus, quæ omni iure distribuenda sunt iuxta leges distributiuæ, id est, pro meritis.

Et confirmatur secundo, quia ipse Deus, qui omnium bonorum, & gloriæ dominus est, eo ipso quo voluit gloriam omnibus iustis esse communem, distribuit illam iuxta leges commutatiuæ pro meritis.

Secunda pars huius conclusionis est contra sententiam Caiet. in verbo, Electio, & communem recentiorum Thomistarum. Hi enim volunt in electione, quæ non debet necessariò fieri ex partibus eiusdem Reipub. & fit ab vno, licere eligere dignum relicto digniori. Quod probant, quia forma distributiuæ tantum est seruanda necessariò, quando dispensatur aliquod bonum commune, quod ciuibus debetur, sed in electione hac, de qua loquimur, hæc officia non sunt bona communia debita ciuibus, ergo.

Secundò, quia iustitia distributiua dicit ordinem totius ad partes, hæc autem officia publica non dicunt ordinem totius ad partes, sed tantum ordinem ad totum, cum sint instituta in ministerium totius.

Tertiò eligendo dignum in hoc casu nulli irrogatur iniuria, non Reip. cum eligatur dignus, & sufficiens, nec ipsi digniori, quia cum hæc officia non sint instituta in præmium, & vtilitatem digniorum, non debentur ipsis ex iustitia.

Quartò

Quarto resp. constituit Regem, ut supremum ministrum, qui possit eligere reliquos ministros inferiores, sicut constituitur œconomus ad eligēdos operarios in domo domini sui, sed œconomus non tenetur ex iustitia distributiua eligere digniores, ergo nec Rex.

Sed his non obstantibus conclusio posita est verissima saluo meliori iudicio. Ad cuius maiorem intelligentiam, & solutionem horum argumentorum obseruemus, bifariam posse aliquem electorem teneri ad seruandam formam iustitiæ distributiuæ, aut simpliciter & per se, ratione bonorum, quæ distributurus est, quia illa secundum se postulant distribui iuxta leges distributiuæ, quod accidit, quando bona communia sunt debita partibus illius communitatis.

Alio modo non simpliciter & per se, nec ratione bonorum, quæ debet distribuere, sed ratione officij, vel finis, quod accidit, quando licet bona non sint debita, tenetur tamen elector ex officio ad distribuenda illa, propter aliquem finē, & caussam, perinde ac si essent debita. Quando elector est vnicus, & officia distribuenda sunt instituta ad gubernationem, vel administrationem iustitiæ, nō tenetur elector ad seruandam distributiuæ iustitiæ formam primo modo, ratione bonorum, quia talia officia non sunt debita, nec præmia ciuium, tenetur tamen, secundo modo, ratione officij, quo debet prospicere quantum commodè potest vtilitati Reip. & ratione finis, cum hæc sint instituta in vtilitatem Reip.

Vnde est argumentum. Eligēs aliter, quam vtilitas Reip. postulat, nec satisfacit suo muneri, nec fini istorum officiorum, ergo peccat contra iustitiam commutatiuam. Et confirmatur, quia tenetur ex fidelitate (quod omnes concedunt) consulere vtilitati Reip. & aliter agere est infidelitas (quæ cum sit in re graui est peccatum mortale) sed eligendo dignum cum commodè possit digniorem, non prospicit vtilitati Reip. ergo.

Hæc omnia intelligenda sunt, quando officium est alicuius momenti, & excessus grauis inter dignum, & digniorem, quia tunc certè nocetur Reipub. priuando illam, vtilitate quam ex illo digniore reportaret, quod si officium est exigui momenti, etiā si habeat gubernationem, vel iudicaturam, vel excessus exiguus, tunc ex leuitate materiæ, sicut dicebamus in beneficijs non est mortale, sed veniale.

Argumenta Caie. facilè soluuntur. Ad primum patet solutio ex modò dictis. Officia publica etsi non sint bona communia in vtilitatem particularium ciuium, dispensanda esse nihilominus iuxta formam distributiuæ ex cōmutatiua iustitia, quia tenetur ex officio distributor eorum dispensare illa prospiciendo vtilitati Reip.

Ad secundum similis est solutio, iustitiam distributiuam secundū se dicere ordinem totius ad partes, commutatiuam quoq; secundum se dicere ordinem vnius partis ad alteram, nihilominus dicit etiam aliquando commutatiua ordinem totius ad partes, nō quidem secundum se, sed quando talis ordo ex officio debetur toti. Et quia communitati debetur vtilior minister, hac ratione debet etiā ex iustitia commutatiua elector illius talem eligere. Hoc est dictum, licèt hæc officia non sint debita meritis ciuium, vt talia officia, debentur tamen dari pro meritis, quatenus habentes merita sunt necessarij bono Reipub. cuius vtilitati tenetur elector ex officio prospicere. Vnde quando forma iustitiæ distributiuæ simpliciter seruanda est, distribuitur bonum totius in partes, vt partes illius communitatis; quando verò forma distributiuæ seruanda est, non simpliciter, sed quia sic exigit bonum totius, distribuendum est bonum illud in partes digniores, non vt in partes simpliciter, sed tanquam in partes necessarias bono totius.

Ad tertium dico, fieri iniuriam Reip. cuius vtilitati non prospicitur, eligēdo dignum, relicto digniori, qui commodè haberi poterat, in re adeò graui, qualis est ipsius gubernatio, & administratio iustitiæ.

Ad quartum dico, œconomum non teneri eligere digniores, quia eius officium tantum est quærere sufficientes: quod si dominus committeret ipsi, vt consuleret vtilitati domus suæ, quantum commodè posset, peccaret grauissimè, & ageret infideliter contra suum officium, si eligeret dignos, relictis dignioribus quos commodè poterat habere. Et similiter Rex, ac quiuis elector peccat eligēdo dignos, relictis dignioribus quos commodè habere potest, quia nō prospicit vtilitati Reip. ad quod tenetur ex officio, & sub quo vinculo ac pacto suscepit regnum.

Nunc ad argumenta initio huius quæstionis posita. Primum illud quo pars affirmatiua confirmatur fauet nostræ sententiæ, non quidem ea ratione, quasi officia ista bona communia sint, nam ita essent distribuenda, iuxta formam distributiuæ per se, sed quia sunt distribuenda, vt exigit vtilitas Reip. ad quod tenentur electores ex commutatiua.

Ad argumenta verò secundo loco posita, quæ nostræ sententiæ aduersantur. Ad primum dico, hæc officia esse bona propria Reip. vel Regis, non vt opes, & diuitiæ, sed vt ministeria in vtilitatem communem, & propterea distribuenda sicut vtilitas communis exigit, quæ postulat, vt dentur dignioribus, & vtilioribus.

Ad secundum dico, habere magnates istam facultatem vendendi sua Oppida, cum potestate distribuendi ista officia, non pro libito, sed iuxta vtilitatem boni communis, sicut quando vendūt Oppidum, cui annexum est ius patronatus, habent facultatem præsentandi ad beneficia, non tamen pro libito, sed pro meritis iuxta formam iustitiæ distributiuæ.

Ad tertium respondeo, istum vsum tolerari, quia eo ipso quo cedit in vtilitatem Regni, cedit quoque in vtilitatem communem, sed debet istud fieri seruatis debitis circumstantijs, nempe vt detur ditiori, qui simul sit benemeritus, & pretio moderato, ne ad recuperandum pretium inique se habeat in suo officio, similiter quando datur cubiculario, vel familiari, oportet illum esse benemeritum, aliter iste vsus tolerandus nō est, esset enim in damnum Reipub. nec dicendus consuetudo, sed corruptela.

Ad quartum respondeo, licèt officia ista sint instituta in ministerijs, & nō in præmia, nihilominus seruandam esse in eis formā iustitiæ distributiuæ, non quasi præmia sint, vel bona communia ciuibus distribuenda, sed quia instituta in vtilitatē, & gubernationem Reip. quæ exigit ex commutatiua, ut dentur sibi vtiliores.

Ad quintum respondeo constare ex dictis, quo modo absque vlla repugnantia ista officia, & vendi possint, & sint conferenda dignioribus in vtroque enim consulitur bono communi: vendi enim possunt, quando ita cedit in vtilitatem communem, sed vendenda ijs, qui eidem bono communi magis sunt vtiliores.

Ad

Ad vltimũ dico, locum illud Pauli, dupliciter exponi posse; Primò, eligẽdos potius esse in iudices, infimos Christianos, quam quoscunque infideles, qui optimus sensus est; vel vocat contemptibiliores, idest minus spirituales, & magis actiuos, sed ex eis digniores quoque eligendi sunt. Videamus vltimò.

QVOMODO SE DEBEANT *habere prælati Ecclesiæ habentes iurisdictionem temporalem in his electionibus.*

OBseruemus primò, aliquos prælatos præter iurisdictionem spiritualem habere etiam annexam aliquam temporalem, & sæcularem. Rursum ex his nonnulli ita habent iurisdictionem temporalem, vt sint supremi in ea, nec alicui Regi subijciantur, sed ipsi sunt velut Reges, vt Papa in suis Terris, Archiepiscopus Maguntinus in Germania, &c. Alij verò sunt, qui in temporalibus subiiciuntur Regi, & habeot se, velut magnates, vt quidam Archiepiscopi in Hispania, & Gallia.

Obseruemus secundò, officia quæ possunt isti prælati conferre duplicia esse, quædam merè sæcularia, vt Prætorum, & Tabellionum sæcularium, alia mixta, partim sæcularia, partim Ecclesiastica, & sacrata, quia seruientia gubernationi spirituali, & Ecclesiasticæ, vt officium prouisoris, fiscalis, & Notarii suæ curiæ.

CONCLVSIO PRIMA.

Prælati habentes supremam potestatem sæcularem in suis terris, & independentibus omnino in ea ab alio, quo ad officia merè sæcularia, eodem modo debent se habere in eorum distributione, aut venditione, sicut Reges in suis regnis, ita vt in quibus casibus possunt Reges, possint, & ipsi, & quæ Regibus negauimus, negentur & ipsis. Prælati verò, qui non habent potestatem sæcularem supremam, sed subsunt alicui Regi, respectu istorum officiorum sæcularium habẽt se, sicut magnates subiecti Regibus, ita vt nec habeant in illa dominium, nec possint vendere, sed debeant illa distribuere, sicut diximus de illis magnatibus.

PAtet hæc conclusio, quia in his eadem omnino ratio est istorum prælatorum, & illorum dominorum sæcularium.

CONCLVSIO II.

Nulli prælati possunt vendere officia Ecclesiastica, vel ea, quæ licèt in se sint sæcularia, sint tamen adiuncta spiritualibus, & sacra, vt in ordine ad bonum Ecclesiæ.

PAtet, quia cum horum officiorum non sint domini, nec possunt ea vẽdere, vel locare: quamuis in Clementina statutum. De electione concedantur aliqua stipendia prælatis, qui per se ipsos exercent ista officia, & iurisdictionem, (como el que el mismo se es Prouisor) illa tamen debent esse moderatissima. Et similiter huiusmodi officialibus debent ipsi prælati taxare pretia moderata, quia cum hæc officia sint quodammodo sacrata, & ordinentur in conseruationem, & defensionem boni spiritualis, & Ecclesiastici, nõ caret scandalo, & scrupulo, eorum stipendia esse ampla, sicut non caret scrupulo in collatione ordinũ accipi aliqua stipendia, cum debeat Episcopus ex suo officio illos conferre; iudex autem delegatus nõ potest accipere stipendium, vt patet ex cap. statutum. §Notarium, de rescriptis lib. 6.

CONCLVSIO III.

Prælati tenentur ad huiusmodi officia, quæ continent gubernationem, vt Prouisorem, & Fiscalem, eligere digniores, ad alia verò minora sufficiunt digni, id est probi diligentes, & fideles.

POsterior pars huius conclusionis est communis, vt constat ex dictis. Prior est contra nonnullos recẽtiores, sed nihilominus vera. Et probatur iisdem argumentis, quibus probauimus secundã partem tertiæ conclusionis proximè præcedentis.

Et confirmatur, Episcopi tenẽtur fideliter prouidere vtilitati suæ Ecclesiæ, quantum commodè possunt [Fidelis seruus, & prudens, &c.] Sed potens commodè eligere digniores, si eligat dignos, non seruat fidelitatem, nec prospicit vtilitati suæ Ecclesiæ, ad quod tenetur ex suo officio, & iustitia commutatiua, ergo peccat.

Secundò, non minus refert ad vtilitatem ecclesiæ eligere idoneos ad ista officia, quàm ad beneficia Ecclesiastica, imò magis, quia hæc officia pertinent ad gubernationem publicam animarum, ad quam nõ pertinent beneficia, vel certè non ad tantam, sed ad beneficia tenetur eligere digniorem, ergo & ad ista officia.

Nec valet quod respõdent huic argumento, beneficia esse bona communia distribuẽda clericis, velut ciuibus, officia autem ista non esse bona communia, sed ministeria hoc (inquam) parum valet. Primò, quia etiam beneficia in prouincijs, in quibus possunt conferri non naturalibus, non sunt bona communia, & sunt nihilominus distribuenda quoque ibi pro meritis, maximè curata. Secundò, quia potissima ratio, ob quã debet Episcopus conferre beneficium curatũ digniori, non est quia sunt bona communia, sed quia ita exigit vtilitas Ecclesiæ, cui debet Episcopus, & elector ex officio, & iustitia prospicere; exigit autem eadem vtilitas Ecclesiæ, cui etiam in his officiis, & gubernatione diœcesis debet Episcopus maximè prospicere, vt eligat digniorem, non quærendo illum vndecumque, sed ex his, quos commodè habere potest.

ARTICVLVS III.

An in exhibendis honoribus, & reuerentijs habeat locum peccatum acceptionis personarum.

HVic quæstioni respondet D. Th. per tres conclusio.

CON-

CONCLVSIO I.

Primò, & per se honor debetur virtuti.

HAec est Arist. 4, Ethic. c. 3. vbi copiosè docet honorem esse præmium virtutis. Et probatur. Honor est reuerentia, quam exhibemus alicui propter virtutem, quæ in ipso est, sed propter quod vnumquodque tale, &c. ergo.

CONCLVSIO II.

Potest quis, & debet etiam honorari propter virtutem, quæ in alio est, sed ab ipso repræsentatur.

PRobatur. Quia virtus adeò est digna honore, vt non solum sit honoranda in eo, in quo verè est, verum etiam in eo, qui illam repræsentat. Hoc modo sunt honorandi Prælati, & Principes, quamuis mali, quia repræsentant virtutē Dei. Secundò parentes, & domini, quamuis mali, quia repræsentant Deum, qui omnium est pater, & dominus. Tertiò senes, quia senectus, & canities est signum virtutis, & prudentiæ. Denique diuites, & potentes in Repub. quia sunt velut eius nerui, & ossa, ipsiusque patroni, & prouisores.

CONCLVSIO III.

Ex qua colligitur responsio ad titulum quæstionis.

Exhibere honorem diuitibus, sub hac præcisa ratione, quia sunt diuites, est peccatum acceptionis personarum.

PAtet. Peccatum acceptionis personarum consistit in eo, quod est distribuere bona non pro meritis, sed ex alia causa nō iusta, nec debita, diuitiæ, & opes non sunt merita, nec debita causa honoris, sed sola virtus, ergo.

Hæc est doctrina D. Iacobi 2. c. vbi postquam dixit. [Nolite in personarum acceptione habere fidem: subiungit. Si introierit in conspectum vestrum vir annulum aureum habens, &c.] Vbi reprehendit eos, qui honorant diuites solo intuitu diuitiarum. De hac quæstione copiosius D. Thom. quolib. 8. art. 13. & quolib. 10. art. 1 a. & Soto lib. 3. de iust. q. 6. art. 6.

Obseruemus hic honorem duplicem esse, alium exteriorem tantum, vt cum flectimus genua, aperimus caput, salutamus, & exhibemus alicui reuerentiam exteriorem, quæ tamen non proficiscitur ex interiori reuerentia, qua illum animo, & corde veneramur. Alius verò est interior simul & exterior, vt quando reuerentia, quam exterius exhibemus alicui, nascitur ex interiori æstimatione, & reuerentia, quam animo habemus virtuti, & meritis honorari, qui honor est ꝓpriè & perfectè honor, qui si fiat in publicis consessib. & conuentibus hominum, dicitur publicus, si verò extra publicū consessum, & congregationem, dicitur priuatus: vt cū quis afficitur honore in capitulo canonicorum, in senatu, in choro, & vbicunq; est publica cōgregatio, in qua solet cuique pro sua dignitate locus dari, est honor publicus, quando verò salutamus, & honoramus extra tales congregationes amicos, vel alios, vt quos habemus obuios in vijs, in plateis, &c. est honor priuatus.

Hoc supposito est quæst. inter discipulos D. Th.

AN SECVNDA CONCLV. ipsius sit intelligenda de vero honore, vel potius de exteriori tantum.

THomistę communiter volunt D. Tho. loqui de exteriori tātum, ratio eorum est, cum honor sit præmium virtutis, vnusquisque eo modo honorandus est, quomodo habet virtutem, personæ autem honorandæ de quibus secunda conclusio D. Tho. non habent verè virtutem, sed solum repræsentāt illam, ergo non sunt honorandæ, vero, & perfecto honore, sed solum repræsentatiuo, qualis est ille exterior sine interiori.

Dicendum tamen est D. Tho. de vtroque honore tàm interiori, quàm exteriori loqui, & isto honore esse huiusmodi personas quoq; afficiendas.

Primò, quia D. Tho. eodem modo loquitur de honore in prima conclusione, & secunda, sed in prima loquitur omnium consensu, de vero honore, quod res ipsa postulat, quia virtus non solū exterius, verum etiā interius, & corde ęstimanda est, ergo in secunda conclusione loquitur etiam de vero honore. Maior patet ex littera: postquam enim dixit in prima conclusione, verum honorem soli virtuti debeti, subdit non solum esse honorandos illos, qui veram virtutem habent in se, sed etiam eos, qui repræsentant virtutem, quæ est in alio, vbi vtrosque similiter dicit honorādos, nec distinguit modum honorandi inter hos & illos, cum tamen non ignoret D. Th. vt constat ex his, quæ docet in illis quolibetis, hanc differentiam honorum: cum ergo eodem modo loquatur de vtrisque, loquitur de vero honore, qui virtuti debetur.

Secundò eodem modo loquitur D. Th. in secūda, & tertia conclusio. de honore, sed in tertia loquitur de vero, ergo & in secunda. Maior constat ex littera. Probo minorem, quia si in tertia conclusione solum loqueretur de exteriori honore, non diceret esse peccatum acceptionis personarum honorare diuites, & solū ratione, quia diuites sunt, quia honorare illos honore externo, est adeò receptum hominum vsu, vt nullum sit peccatum, imò oppositum esset inurbanitas: vnde loquitur in tertia conclusio. etiam de vero honore.

Et confirmatur benè à Soto, quia D. Tho. in ista tertia conclusione, proponit doctinam illam B. Iacobi: D. autem Iacobus cōdemnat honorantes diuites vero honore, & reuerentia exteriori procedente ex interiore animi æstimatione, cum subiungat. [Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarū?] Quod iudicium apertę ad interiorem animi reuerētiam pertinet.

Tertiò, quemadmodum imagini si sumatur materialiter, vt pictura his, aut illis coloribus affecta, non est exhibenda adoratio, si autem sumatur formaliter, vt imago est, repræsentans verbi gratia Christum, est adoranda eadem adoratione, qua Christus, quia non adoratur tunc res, quæ est imago, sed Christus in ea imagine repræsentatus: est enim tunc (vt docente Arist. & D. Thom. (idem motus quo fertur animus in imaginem, & in rem illa repræsentatam, ita si sumatur hic prælatus, vel gubernator, vel dn̄s materialiter, vt talis persona, cū sit malus, idignus est honore vero, & reuerētia

cordis, quæ soli virtuti debetur, at sumpta huiusmodi persona, quatenus ratione talis offici repræsentat virtutem Dei, aut aliquam aliam virtutem, honoranda est ea reuerentia, quæ debetur virtuti, quam repræsentat, quia tunc non honoratur ipse, sed virtus quam repræsentat, virtus autem quam repræsentat honoranda est vero honore, ergo & ipse, vt illam repræsentans.

Ex quo argumento patet solutio argumenti aliorum. Debetur enim honor virtuti, non eo modo quo quis eam repræsentat, sed eo modo quo ipsa virtus, repræsentata honoranda est, sicut eadem adoratione adoramus imaginem, & rem cuius est imago, vnde etsi personæ, de quibus secunda conclusio D. Tho. non habeant veram virtutem, quia tamen repræsentant veram virtutem, vero sunt honore afficiendæ.

Sed quæres: [Quod iudicium verum possumus habere interius de huiusmodi personis? [Respondeo, de huiusmodi materialiter sumptis non posse nos habere hoc iudicium, quod mereantur honorem, formaliter tamen vt repræsentant veram virtutem, habendum esse hoc iudicium, mereri sub ea ratione verum honorem, sicut dicimus de adoratione imaginis. & 1.2.q.8.art.3. docet D. Thom. eodem actu voluntatis amari finem, & medium necessarium ad illum, medium vt quid, finē verò vt quo mouemur ad amandum tale medium, similiter, eodem modo mouemur in imaginem, & prototypum, in imaginem vt quid, in prototypum verò, vt quo. Et similiter in veram virtutem repræsentatam ab hoc prælato malo & ipsum, in ipsum, vt quid, in virtutem verò, quam repræsentat, vt quo. Denique hæc nostra sententia est aperta doctrina B. Pau. ad Colossen. 3. [Serui obedite dominis vestris, etiam carnalibus,] idest virtute carentibus. [Non ad oculum tantum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. [Vbi non solum exterius, verum etiam interius, [& corde vult Paul. seruos obedire, & honorare dominos suos. Sed offert se tunc quæstio,

CONTROVERSIA I.

AN IN EXHIBENDIS HONORIbus siue publicis, siue priuatis possit committi peccatum mortale acceptionis personarum.

IN hac quæstione Caiet. vult in exhibendis honoribus publicis posse committi peccatum acceptionis personarum, non tamen in priuatis, cuius ratio est, quia hoc peccatū acceptionis personarum tantum habet locum in bonis alteri debitis ex iustitia, honores autem priuati non sunt alicui debiti, sed gratis exhibentur, gratis salutamus, vel assurgimus amico, qui nobis fit obuiam, vnde vult pertinere defectum, & vitium, quod in huiusmodi priuatis honoribus exhibendis committi pōt, non ad iniustitiam, sed ad uitium, quoddam innominatum, quod possumus vocare inurbanitatem, sicut exhibere huiusmodi honores priuatos, non est à iustitia, sed à virtute obseruantiæ, & vrbanitatis, quæ non est pars iustitiæ, licet ad eā reducatur. Fatetur nihilominus Caiet. posse reduci vitium istud quodammodo ad acceptionē personarum, quatenus non confertur honor, cui vrbanè agendo conferendus esset.

Communis verò sententia, quam sequemur, cōuenit quidem cū Caiet. in eo, quod docet quo ad honores publicos, non tamen quo ad honores priuatos.

CONCLVSIO I.

In exhibendis honoribus publicis, vt in capitibus, in senatibus sæcularibus, & congregationibus, in quibus cuique pro sua dignitate certus locus assignatus est, nisi debitus honor cuique detur, est peccatum acceptionis personarum mortale, vel veniale iuxta iniuriam, quam priuatus tali loco, titulo, vel honore sibi debito patitur.

HAec est recepta ab omnibus, & adeò vera, vt tanquam certissima præsupponatur à Caiet. sine probatione: Sed probatur. In huiusmodi consessibus, & congregationibus sunt loci, & honores, cuique pro sua dignitate debiti, ergo si quis illo loco, vel honore data opera priuetur, afficitur iniuria, & peccatur contra ipsum pro qualitate iniuriæ peccato acceptionis personarum, & iniqua distributione honorum. Dixi pro qualitate iniuriæ, quia si sit leuis, erit peccatum veniale, si grauis, & alicuius momenti iudicio prudentum, erit mortale. Dixi data opera, quasi ex obliuione, vel ignorantia id fiat, nō est peccatum. Ita D. Pau. cū non dedisset honorem cuidam sacerdoti, admonitus dixit. [Ignorabā fratres, q̄a sacerdos esset.]

CONCLVSIO II.

In priuatis etiam honoribus, & gratuitis habet locū huiusmodi peccatum acceptionis personarum.

PRobatur conclu. Communi enim hominum consensu, qui non salutat, vel resalutat priuatum etiam hominem, & in loco priuato, vt in via, vel platea, vel exhib et illi minorem honorem, vel quàm par est, irrogat illi iniuriam minus honorando quàm iustum est, & debitum, ergo peccat etiam in isto priuato honore acceptione personarum. Antecedens probatur, quia qui vult vindictā ab alio sumere, vel iniuriam sibi inferre, non salutat, vel resalutat ipsum, aut exhibet illi minorem honorem, quam par est, vnde illa salutatio, vel resalutatio, vel tantus, aut tantus honor est illi debitus, cum eo priuare sit iniuria.

Sed huic argumento respondebit Caiet. in priuatis quidem honoribus debitis, aut ratione amicitiæ, aut aliquo alio titulo verè posse accidere acceptionem personarum, se autem loqui de priuatis honoribus, qui sunt voluntarij, & liberi, & ad quos quis non tenetur. Sed probatur iam secundò nostra conclusio, quia in gratuitis etiam, & volūtarijs licèt illa præstare liberum sit, posito tamen, quod velit quis illa præstare, tenetur modo debito, & sine aliqua iniuria proximi, sicut cū quis non ex obligatione, sed ex deuotione vult recitare preces, aut missam audire, licèt id non faciat ex debito, sed liberè, tenetur nihilominus attentè, & benè id facere. Similiter si quos ad cœnam inuites licèt gratis id facias, teneris, vnicuique in mensa suū locum pro sua dignitate dare, ita in proposito, licèr priuatos honores gratis, & liberè huic vel illi exhibeas, posito tamen quod exhibere velis, teneris cuique debitū suæ dignitati honorem reddere, vel in salutatione, vel in epistolis, aliter peccas mortaliter, vel venialiter pro qualitate iniuriæ, quia non exhibendo illi debitum, & solitum honorem vel in titulo, vel in verbis, vel in loco, aut alio simili irrogas illi iniuriam, & ipse iuste conquæritur quasi de priuatione honoris sibi debiti.

Et

Et confirmatur primò ex vsu recepto in Rep. Ecclesiastica, & ciuili, in quibus sunt iam constituti tituli, & honores certis personis in concilijs, & epistolis, verbi gratia solus Papa vocatur sanctitas, beatitudo, & ipse solos Cardinales Episcopos vocat fratres, solus Rex vocatur Maiestas, solus princeps Celsitudo, habetq; vnusquisque magnatum suos proprios titulos, quos alijs non exhibemus, à Rep. assignatos, vel communi vsu receptos, vnde qui non ex ignorantia, aut obliuione, sed data opera cum alloquitur, vel scribit alteri: non vtitur titulo, vel honore illi à Rep. assignato, vel cómuni vsu recepto, infert illi iniuriam in eo, & peccat pro qualitate iniuriæ acceptione personarum.

Confirmatur secundò, quia si quis titulos honoris qui debētur personis dignioribus in Republica, tribuat alijs inferioribus, infert iniuriam illis dignioribus, quia videtur eos priuare suo honore, & titulo, faciendo illos titulos communes, ergo iam tales tituli, & honores quando priuatus illos alloquitur vel scribit, sunt ipsis quoque debiti, & habet locum in his acceptio personarum. Idem dicendum est de alijs inferioribus, quibus in suo genere, & iuxta suum statum proprius honor, & titulus ex communi consuetudine salutandi eos debitus est, qui si eis non exhibeatur, peccatur similiter pro qualitate iniuriæ.

CONCLVSIO III.

Generaliter loquendo qui indigno exhibet honorem debitum virtuti cum interna reuerentia, qua præferat illum dignioribus, peccat iuxta qualitatem honoris, quē illi indigno exhibet, & iniuriam quam facit dignioribus, quibus illum præfert.

HÆc colligitur ex D. Thom. in solutione tertij. & sic explicat D. August. in loco citato in tertio argumento: Imò hęc conclusio est eadem cum tertia D. Thom. qui condemnat in ea de peccato personarum honorantem diuitem solo intuitu diuitiarum, & non vt adiutorem Reip. quod est virtus. Iuxta hanc conclusionem (vt diximus) est intelligendus D. Iacobus loco cit. [Si introierit apud quos anulum aureum habent, &c. loquitur enim vt diximus de vero honore procedente ex interiori reuerentia, & existimatione, qua præferatur diues pauperi intuitu diuitiarum uerútamen non esset peccatum honorare istos, etsi indignos honore tantum externo, & sine iniuria dignioté, non præferendo ipsos dignioribus, sed suo modo honorando, quia hoc est morem gerere, & accómoda re se consuetudini, & vrbanitati: vt proxima quæstione diximus: Estque aperta sententia. S. Thom. illo quol. 10. art. 12. vbi obseruat duplices esse honores, alios debitos propter virtutem propriam personæ, quod genus honoris est commendatio virtutis, alios verò propter communem locum, & dignitatem quem habent in Rep. qui honor est quædam commendatio officij, vel dignitatis, Vnde quando dicimus diuites posse honorari solo honore externo, non est intelligendum de honore primi generis, quia diues vt diues non est studiosus, nec diuitiæ sunt commendandæ vt virtus, sed est intelligendum de honore externo secundi generis propter dignitaté quam vsu humano habet in Repub. qua filij Hierusalem habitantes in Babylonia debent se accommodare, & morem gerere illis cum quibus viuunt.

Apertè etiam videri D. Thom. in quolib. illo insinuare priorem illam opinionem proximè præcedentis controuersiæ huius artic. esse tamen declaraudum iuxta doctrinam hic positam, vel dicendum melius hic loqui, & se ipsum corrigere in hoc articulo.

ARTICVLVS IIII.

An in iudicijs ferendis possit reperiri peccatum acceptionis personarum.

OBseruemus, cum iudicium sit recta existimatio iusti, atque iniusti, & actus, quo auctoritate publica inter priuatos ciues constituitur æqualitas vel inter datum & acceptum, vel inter præmium, & meritum vel inter delictum, & supplicium, sicut hæc æqualitas potest esse rei ad rem, quæ pertinet ad iustitiam commutatiuam, vt in debitis, & in datis, & acceptis, vel æqualitas proportionis, & rationis, vt inter præmium, & meritum, inter peccatum, & supplicium, quæ pertinet ad iustitiam distributiuam, ita quoque materiam vtriusque iustitiæ esse materiam iudicii, & posse venire in iudicium, actum autem iudicii exerceri secundum formam iustitiæ distributiuæ, quia iudex non iudicat secundum ius, quod actu, & reuera vnusquisque habet, ad secundū ius quod habet ex meritis processus, & probationis, & pro ratione meritorum processus accipit ab vno, & confert alteri qui modus pertinet ad iustitiam distributiuam.

CONCLVSIO I.

In ferendis iuditijs committi potest graue peccatum acceptionis personarum.

PRobatur, committitur hoc peccatū, vel quando non distribuuntur bona pro meritis, sed respicitur ad aliam causam non debitam, sed iudicium est recta existimatio iusti atque iniusti iuxta merita causæ, & processus, & actus institutus ad constituendam æqualitatem inter litigantes pro meritis causæ, ergo quotiescunque non iudicatur iusta merita causæ, & processus, sed attenditur ad amicitiam, & affinitatem. munera, vel quamuis aliam causam indebitam est acceptio personarū. Quam graue autem peccatū sit hoc in iudicibus, patet, primò, quia est maximè nociuum, & scandalosum in Repub.

Secundò, peruertitur in eo ordo naturæ, & cum is qui constitutus est vt regula æqualitatis & iustitiæ inter ciues, ipse sit destructor omnis æqualitatis, & iustitiæ, propter quod adeo abhorret Deus in sacris literis acceptionem personarum in iudicio, vt licèt amicissimus sit pauperum, & pater ac patronus ipsorum, dicat nihilominus Exod. 23. Pauperis non misereatis in iudicio, id est neque intuitu paupertatis est iudicandum contra merita processus. [Displicet enim Deo omnis iniquitas & personarum acceptio, etiam si ex pietate procedat. Circa hunc articulum duplex se offert quæstio. Prior est.

CONTROVERSIA I.

AN IN HIS QVAE LEX relinquit arbitrio iudicis, possit committi ab ipso peccatum acceptionis personarum.

NON est difficultas in his, quæ à legibus, vel præcepto maioris taxata sunt, cum teneatur iudex (vt vidimus) secundum leges scriptas, & decreta maioris iudicare, & aliter agens apertè, & grauiter peccet.

Primò, contra iustitiam legalem, quæ maximè respicit obseruantiam legum.

Secundò, contra distributiuam, cum de meritis causæ iudicandum sit iuxta leges.

Tertiò, contra commutatiuam, qua tenetur ex officio esse custos, & exequutor legum. Quæstio ergo est, an in his quæ non taxantur à legibus, sed relinquuntur arbitrio iudicis, possit ipse committere peccatum acceptionis personarum, v.g. relinquit lex arbitrio iudicis, terminos probationis, audire vel non audire aduocatos, & priuatas narrationes litigantium, quærimus, possit ne iudex citra peccatum concedere maiorem terminum in fauorem amici, quàm in fauorem alterius? vbi idem est meritum causæ. Ratio dubitandi est, quia in liberis & gratuitis, non habet locum acceptio personarum, hæc autem cum sint commissa libertati, iudicis, pendeantque ex eius arbitrio, sunt libera, & voluntaria ipsi. Et confirmatur ex cap. Consuluit, de iudicijs, vbi conceditur libera facultas iudici prorogandi terminos vel coarctandi.

De hac quæstione agunt Iuristæ super l. secunda, ff. de re iudicata, Canonistæ super Regul. 12, de regulis, Soto lib. 3. de iust. quæst. 6. artic. 5. ad 3, & 4. arg. vbi docet multa quæ debent facere iudices, quæ nos infra adducemus agentes de testibus, & iudicibus. Interim notemus, ea quæ relinquuntur prudentiæ, & libertati iudicis, duplicia esse, quædam enim sunt in fauorem, & leuamen ipsius, vt quod possit audire, vel non audire litigantes, die festo, alia verò sunt quæ non conceduntur in fauorem ipsius iudicis, sed in fauorem litigantium, vt appareat veritas causæ: quia cum nequeat lex complecti omnes casus in indiuiduo, committit multa prudentiæ, & arbitrio iudicis, vt melius procedatur, & appareat veritas, & ius causæ: quale est extendere vel restringere terminos probationis, admittere, vel non admittere, hos vel illos fideiussores.

Obseruemus secūdò, iudicem qua iudex est esse personam publicam, qui omnes suos labores, & operas locauit Reip. sicut mercenarius quidā, quo fit, vt non gratis sed ex iustitia debeat præstare ea, quæ decent rectum iudicem, sicut mercenarius ex iustitia tenetur laborare. Sit.

CONCLVSIO I.

In rebus primi generis non committit iudex peccatum acceptionis personarum, si quid concedat vni parti, & non alteri, modo non desit cuique in necessarijs.

PAtet, Quia cum hęc sint commissa libertati iudicis, in fauorem, & leuamen ipsius, potest secluso scandalo cedere iuri suo cum vno litigātium, & non cum alio citra peccatum, & audire in die festo, aduocatum huius, alteri verò dicere vt reddeat alio, die, quid enim magis liberū cuique, quā cedere iuri suo pro libito, vel vti illo? qui autem vtitur iure suo nulli facit iniuriam.

CONCLVSIO II.

In rebus secundi generis, quæ relinquuntur arbitrio iudicis, in fauorem litigantium, & causæ, peccat iudex grauiter, peccato acceptionis personarum, si quid concedat vni parti, quod non concedat alteri, etiam si nullum inde sequatur damnum alterius partis, nisi tam pars illa in id liberè consentiat.

SOto loco citato, vult peccare tantum iudicem, quando sequitur scandalum, vel damnum aliquod alterius partis, vt si ex prorogatione terminorum sine iusta causa augeantur alteri parti expensæ, vel desistat alter a iusta ex molestia prorogationum, aut vendat iudex alteri parti, quod ipsius arbitrio, & libertati relictum est. Communis tamen recentiorum Thomistarum sententia est, committere iudicem acceptionem personarum, quando in ijs quæ arbitrio ipsius relinquuntur in fauorem causæ, & vtriusque litigantis, aliquid cōcedit vni, quod negat alteri (nisi aliqua iusta causa ita exigat) etiam si nullum inde sequatur damnū alteri partium. Et probatur primò, Iudex est publicus minister iustitiæ, imò ipsa iustitia animata, iustitiæ intrinsecè simpliciter, & omnino conuenit seruare æqualitatem inter litigantes, in ijs quæ pertinēt ad processum causæ, esset autem inæqualitas, si iudex in ijs quæ libertati, & prudentiæ eius relicta sunt, non in fauorē ipsius, sed in fauorem litigantium, concederet aliquid vni parti, & non alteri, ergo simpliciter, & absolutè etiā si nullum inde sequatur scandalū, vel damnum alterius partis, peccabit, vbi meritum causæ aliud non exigit, si concedat vni parti, quod non concedit alteri.

Secundò, si nulla esset lex positiua, quæ hanc libertatem concederet iudici, non posset iudex stando in simplici iure naturæ concedere pro suo arbitratu terminos vni quin eosdem concederet alteri, quia iure naturæ seruanda est æqualitas inter litigantes, nisi meritum causæ aliter exigat, sed lex positiua nil statuit, aut tribuit iudici contra ius naturæ in hac parte, ergo nec modo post legem positiuam poterit iudex in his aliquid vni parti, concedere, quin idem simul alteri concedat. Et confirmatur, Quæ lex relinquit arbitrio iudicis non in fauorem ipsius, sed in fauorē causæ, eatenus illius arbitrio relinquit, quatenus causæ merita exigēt, ergo quando vni concedet quod alteri negabit nō iuxta merita causæ, sed intuitu amicitiæ, vel alia de causa indebita, cōmittet acceptionē personarum.

Ad argumentum autem Soti, quod omnia relicta iudicis libertati sunt libera, & voluntaria, in liberis autem, & gratuitis nō habet locum acceptio personarum, patet solutio ex dictis, Concessa in fauorem iudicis esse illi simpliciter, & omnino libera. & in eis non esse acceptionem personarum, vt constat ex prima conclusione, concessa verò ipsi non in fauorē ipsius, sed causæ, & veritatis, atque iustitię non esse omnino libera. Sunt quidem libera, vt pro sua prudentia concedat illa, vel non concedat, tum etiam vt concedat hoc, vel illo modo, hoc, vel illo termino, non tamen sunt ita libera, vt cōcedere illa possit vni parti, alteri, verò non, quia vtraque pars habet ius ad probandam, quantum poterit, veritatem, & iustitiam suæ causæ, essetque inæqualitas, & iniuria, ex hoc aliquid concedere vni parti, quod non concedatur alteri.

Ex

Ex his sequitur, definire aliquam causam, prius quàm aliam antiquiorem, nisi iusta aliqua ratio ita exigat, esse peccatum acceptionis personarum.

Quod enim per leges aliquas municipales, vt in Castella lib. 2. Ordin. reg. tit. 4. lib. 9. & similibus ipsis conceditur, vt possint inuertere ordinem, & antiquiores causas posterius discernere, intelligendum est, si iusta ratio ita postulauerit, quod, & ipsæmet leges satis indicant, si attentè legantur, & ratio naturalis ita docet, debet enim iudex ex iustitia distributiua definire causas prius, vel posterius secundum maiorem, vel minorem earum dignitatem, illæ verò quo ad ordinem temporis digniores sunt, quæ antiquiores, nisi aliqua alia ratio aliter fieri exigat.

CONCLVSIO III.

Si iudici certissimè constet, unum litigantium defendere causam iniustam, nō erit peccatum acceptionis personarum, in omnibus, quæ a lege ipsius arbitrio relinquuntur, fauere alteri.

Ratio est aperta, quia tenetur iudex, quantum sine scandalo poterit, fauere innocenti. Est secundum dubium, & grauius.

CONTROVERSIA II.

Possit ne iudex, si in eodem genere causæ sint variæ opiniones probabiles, sequi liberè, quam uoluerit. Similiter si una sit probabilis, alia uero probabilior, liceat tam iudici, quam cuiuis priuato sequi probabilam relictâ probabiliori.

Sylueſt in verbo opinio. §. 2. ad finem, Caieta. eodem verbo, quem sequitur Soto lib. 3. de iust. q. 6. art. 5. ad 4. volunt teneri iudicem, & quemcumque fidelem, quando variæ existunt opiniones, amplecti illam, quæ iudicio Doctorum probabilior est, nec aliter esse tutum in conscientia.

Probant primò hanc sententiam. Qui ex duabus opinionibus probabilius sequitur, minus probabilem, exponit se periculo errandi, & nocendi proximo, ergo non est tutus, nec securus in conscientia. Consequentia patet. Antecedens probatur a Caie. Qui sequitur opinionem minus probabilem, sequitur regulam dubiam & incertam, sequens autem regulam dubiam, & incertam apertè se exponit periculo errandi, ergo.

Et confirmatur, quia ex cap. iuuenis. de sponsal. & est regula iuris, in dubijs tutior pars eligenda est, quando autem opiniones sunt probabiles probabilior est tutior, minus verò probabilis, minus tuta. Ergo.

Secundò arguit Soto, licèt in scholis vbi res speculatiuè tractantur, liceat Doctoribus tueri opinionem probabilem dimissa probabiliori, quia ex illa disputatione speculatiua nullum nocumētum infertur alicui, at in praxi sequitur minus probabilem, est exponere se periculo nocendi fratri, quod non licet.

Et confirmatur exemplo, si in medicina sit opinio probabilior hoc medicamentum esse mortiferum, minus verò probabilis, non esse noxium, in disputationibus, licèt speculatiuè tueri opinionem minus probabilem, quia tunc nulli nocetur, at in praxi nullo modo licet medico exhibere illud medicamentum infirmo, quia esset vitam illius manifesto periculo exponere: ergo similiter iudex, & quiuis alius, quo ad praxim, & exequutionem non potest sequi opinionem minus probabilem, sed tenetur, vt sit tutus in conscientia sequi probabiliorem.

Tertiò, si circa aliquam formam sacramēti sint duæ opiniones, vna probabilis, alia probabilior, vt in baptismo, probabile est conferri sacramentum in nomine Christi, vt volunt Scotus. & Caieta. 3. p. q. 66. ar. v. probabilius verò, non cōferri, nisi in nomine Patris. & Filij, & Spiritus sancti, tenetur sacerdos ministrare sacramentum iuxta opinionem probabiliorem, (quidquid disputetur in scholis) & peccaret grauiter aliter agens, quia exponeret periculo salutem spiritualem paruuli, ergo similiter iudex tenetur iudicare, secundum probabiliorem opinionem.

Quartò, iudex tenetur iudicare secundum maiora, & potiora merita causæ, sed qui habet in suum fauorem probabiliorem opinionē DD. habet maiora merita causæ, ergo est iudicandum in fauorē ipsius, & consequenter secundum opinionem probabiliorem.

Denique, eo ipso, quo iudex intelligit aliquam opinionem esse probabiliorem, habet hoc iudiciū practicum, securius, & tutius agi secundum illam, & consequenter aliter iudicans agit contra propriam conscientiam, hoc autem non licet, cum sit peccatum agere contra propriam conscientiam, ergo neque licet, relictâ opinione, probabiliori amplecti minus probabilem.

Oppositum videtur innuere D. Thom. quolib. 8. ar. 13. vbi non ait expressè licere iudici iudicare secundum opinionem minus probabilem, videtur tamen id insinuare, cum dicat ibi, licere discipulo sequi opinionem probabilem sui magistri relicta probabiliori aliorum. Habent tamen id expressè D. Anto. 1. par. tit. 9. c. 10. §. 10. vbi citat in hanc sententiam Albertum Magnum, & alios plures, & Doctor Nauarrus in suo Manuali. c. 27. nu. 277. vbi habet, bona conscientia fieri, quod docet opinio alicuius solemnis Doctoris fulcita ratione. Addit tamen in fine, cap. 28. circa nu. 283. oportere, vt qui sequitur opinionem apud alios minus probabilem sequatur eam iudicādo illam apud se probabiliorem, quia aliàs videretur agere contra propriam conscientiam, vt habet vltimum argumentum adductum in oppositum. Eandem sententiam, licere sequi opinionem minus probabilem, & cognitam minus probabilem, sed iudicatam veram, etsi non veriorem, habent multi summistæ, maximè Armilla, verbo Opinio, vbi ait; [Sicut non tenetur semper agere homo, quod melius est, sed sufficit agere, quod bonum est, ita non tenetur iudex, vel alius priuatus sequi semper opinionem meliorem, & probabiliorem, sed sufficit sequatur probabilē, & quam aliqui Doctores periti iudicant veram. Idem docuerunt Salmāticæ F. Petrus à Soto, Mancius, & alii recentiores.

In hac quæstione obseruemus primò, nō esse hic sermonem de opinionibus speculatiuis, & pertinētibus ad solam cognitionem, sed de practicis, & moralibus, & de his, non quatenus tractantur, & disputantur in scholis, in quibus exercendi ingenii gratia multoties defenduntur minus probabilia, sed quatenus exequutioni mandatur, & extra scholas rediguntur ad praxim.

Obseruemus secundò, probabilitatem istam bifariam posse accidere in iudicijs, aut ex parte facti,

cti, quia vtraque pars testibus, & instrumentis æquiualentibus, & æquè probabilius vtitur, aut ex parte iuris, quia lex, secundum quam illa causa iudicanda est, aliter ab aliquibus Doctoribus, & aliter ab aliis intelligitur, & vtraque opinio habet sua fundamenta, & rationes probabiles grauesque Auctores.

Obseruemus tertiò, in his iudicem dupliciter posse se habere: nam aut iudicat vtramque opinionem ex æquo probabilem, aut vnam quidem probabilem, sed aliam probabiliorem, quod bifariam adhuc potest contingere, nam aut videt illā probabiliorem, quidem esse aliorum iudicio, sibi verò æquè probabilem cum opposita, aut forsan oppositam probabiliorem, aut secundo, quæ aliorum iudicio habetur, vt probabilior, ab ipso quoque iudicatur probabilior.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando iudex videt utramque opinionem esse ex æquo probabilem ex parte iuris, & ipse quoque ita iudicat, potest iudicare secundum eam, quam maluerit; imò, & secluso scandalo poterit liberè modo in una causa sequi unam opinionem, in alia uero aliam.

Prior pars patet, quia cum vtraque opinio sit tam ipsius, quàm aliorum iudicio æquè probabilis, non est aliqua ratio, quare potius teneatur ad iudicandum, secundum vnam opinionem, quàm secundum aliam, sed liberum ei est, sequi quam maluerit. Eodem modo probatur secunda pars, quia vbi scandalum non est, cum vtraque opinio sit æquè probabilis; & habeat æqualia fundamenta, quando in vna causa sequitur vnam nititur licito fundamento, quando in alia vero causa sequitur aliam, nititur similiter licito fundamento, & ita in vtroque agit, quod sibi licet.

Sed contra hanc primam concl. antequam ad alias progrediamur, sunt difficilia argumenta.

Primò constituamus disputationis gratia in illa quæstione: An oporteat iudicem condemnare innocentem, probatum tamen iuridicè nocentem? vtramque opinionem D. Th. & Scoti esse ex æquo probabilem. Hoc supposito sic argumentor, Iudex tenetur in conscientia fauere innocenti, & liberare illum quantum potest, sed posita est ista hypothesi potest liberare illum, quia est etiam probabilis opinio Scoti, ergo tenetur in conscientia liberare illum, ergo non potest condemnare, & per consequens, nō poterit sequi aliam opinionem D. Th. quæ etiam probabilis est, quod est contra hanc conclusionem.

Secundò, similiter constituamus in quæstione illa: Possit ne quis in extrema necessitate spirituali constitutus emere sacramentum, vtramque opinionem esse probabilem. Hoc supposito: Pater, qui videt paruulum suum omnino perire, tenetur in conscientia liberare illum a morte æterna, quantū potest, potest autem (cum probabile sit, licere ei in tali necessitate dare pecuniam pro baptismo) liberare illum in hoc casu dando pecuniam ministro: Ergo tenebitur dare, nec poterit sequi aliam opinionem, quæ id negat, quamuis sit probabilis. Similia argumenta fieri possunt, in omnibus quæstionibus in quibus sunt oppositæ opiniones, & probabiles, ac ita vt vna earum sit in fauorem, vel possidentis, vel innocentis, vel pupilli, vel alicuius, cui natura, & recta ratio docent fauendum esse.

Ad primum argumentum ex his respondent aliqui, teneri iudicem ad liberationem innocentem, quando, & vbi oportet, quando autem probatur nocens non id oportere, secundum opinionem D. Thom. Sed hæc solutio non satisfacit. petit enim principium, dicens non oportere, dicet enim alius, imò oportere, cum id possit iuxta aliam opinionem, quæ etiam probabilis est, Alii verò respō dent retorquendo argumentum in contrarium dicentes: Iudex tenetur prouidere bono communi, quando commodè potest, sed potest iuxta opinionem D. Tho. occidendo probatum nocentem, prouidere bono communi, quia pertinet ad bonū commune, & vindictam malorum, timorem que aliorum, ut qui iuridicè probatur nocens, puniatur vt nocens, ergo debet iudex condemnare illū. Sed neque hæc solutio satisfacit.

Primò, quia ducere ad incommodum, & afferre alia inconuenientia, non est diluere argumentū.

Secundò, quia manet hac ratione eadem difficultas contra conclusionem positam. Ostenditur enim isto argumento, ratione boni communis non posse iudicem in ista quæstione sequi opinionem Scoti, etiam si probabilis sit. Vnde ista solutio potius confirmat opinionem D. Thom. quàm diluat argumentum, quod circa nostram conclusionem positum est. Ideo respondent recentiores, & bene in hunc modum distinguendo maiorem, iudex tenetur liberare innocentem, quando commodè potest, distinguo, nisi sit probabilis opinio in opposi- tum: nam si sit non tenetur, sed potest sequi opinionem quam voluerit. Et ita in hoc casu non tenetur liberare illum, sed potest punire sequendo opinionem D. Tho. quam amplecti etiam potest, cum probabilis quoque sit. Quod si dicas tenetur iudex sequi opinionem magis fauorabilem reo: Respondeo verum esse, quando opposita opinio non fauet alicui bono, cui non minus fauendum sit, quàm reo, in hoc autem casu opinio D. Tho. fauet bono communi. Quando enim dicimus opiniones esse æquè probabiles, supponimus habere auctores ex æquo graues, fundamenta & rationes ex æquo probabiles, & vtramque ita fauere diuersis bonis, ut maior fauor, vel pietas unius suppleatur in alia ex alio capite.

Eodem modo soluitur secundum argumentum, distinguendo illam maiorem, parentem teneri ad fauendum paruulo suo, quantum commodè potest simpliciter, & absolutè, at quando est opinio probabilis in contrarium, quæ negat parentem ratione iuris, & modo posse subuenire, non tenetur, sed potest cum vtraque probabilis sit sequi, quam voluerit. Quod si obiicias, sicut contra præcedentem solutionem, sequendam esse opinionem, quæ magis fauet paruulo.

Respondeo, oppositam etiam fauere dignitati sacramenti, vt pro eius collatione nulla pecunia exhibeatur, & ita quod in vna est in fauorem paruuli, in alia est in fauorem sacramenti, sicut in præcedenti, quod in vna est in fauorem innocentis, in alia est in fauorem boni publici.

CONCLVSIO II.

Quando duæ opiniones sunt æquè probabiles ex parte facti, quia uterque ex æquo probat factum suum, in ciuilibus, debet iudex componere partes inter se, uel si res, de qua litigatur, sit diuisibilis, diuidere illam inter partes.

Quod

Quod si causa sit criminalis, debet iudicare in fauorem rei.

PRobatur prior pars, quia quando in facto sunt æqualia fundamenta, & probationes litigantium, sunt etiam æqualia ipsorum iura, vbi autem æqualia iura in rem, si res illa diuisibilis sit, ratio naturalis dictat, vt res illa inter ipsos diuidatur, vel componantur partes. Similiter probatur secunda pars. Quia si æqualia sint fundamenta fisci in accusando, & rei in se defendendo, ratio naturalis dictat, vt reo tanquam debiliori faueamus.

Et confirmatur. Primò, ex regula secunda, de reg. iur. in 6. cum iura partium sint obscura, fauendum est reo.

Secūdo, in criminalibus accusator, vel fiscus habet se, vt aggressor, reus, vt aggressus, ac se defendens, omni autem iure, diuino, naturali, & humano fauendum est illi, quem alius aggreditur. Denique quamdiu aliquis non est probatus nocens, cēsendus est innocens ex regulis quoque iuris, sed in hoc casu hic accusatus non probatur nocens, cum se æqualiter defendat, ergo fauendum est ei, & defendendum ipsius ius.

CONCLVSIO III.

Quando ambæ opiniones sunt ex parte facti probabiles, sed ita, vt vna earum sit probabilior, in ciuilibus tenetur iudex in conscientia iudicare in fauorem probabilioris.

HÆc est communis, & recepta ab omnibus.

Et probatur argumentis initio positis pro prima opinione, maximè argum. 4. quia iudex tenetur iudicare secundum merita causæ, qui verò melius probat factum habet maiora merita causæ.

Et confirmatur, iuxta rectam rationem uidetur iniquum, non iudicare in fauorem partis melius probantis, & vincentis partem contrariā, sed pars, quæ habet meliora testimonia ex parte facti, & probabilius illud ostendit, melius probat, & vincit partem contrariam. Ergo. Dixi in ciuilibus, nā in criminalibus, iudico cum nonnullis recentioribus viris peritis, licere iudici sequi partem probabilem relicta probabiliori accusatoris, maximè quando nullum inde sequitur nocumentum accusatori.

Primò, quia ex regulis iuris, quando iura partiū non sunt clara, sed obscura, licet declinare in fauorem rei, at quando pars rei est probabilis, etiam si pars accusatoris sit probabilior, iura non sunt clara, sed adhuc obscura.

Secundò, quia in criminalibus, ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridiana clariores, at quando fiscus, vel accusator tārum probat probabilius, defensione rei manēte adhuc probabili, probationes istæ contra reum non sunt luce meridiana clariores. Denique vbi est æqualitas opinionis facti, tenetur iudex declinare in fauorem rei ergo quod pars accusatoris probabilior sit, hoc tantū præstabit, vt non teneatur declinare in fauorem rei, non tamen quin possit, si velit.

CONCLVSIO IV.

Quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte iuris, altera tamen probabilior, potest iudex in iudicando, & quiuis fidelis in suis priuatis actionibus, dimissa probabiliori eligere probabilem, quam iudicat etiam veram, vt bene docet Armilla, nec est necesse vt iudicet, vt illam veriorem.

VEram inquam debet iudicare, quia si iudicet falsam, aget contra conscientiam. Probatur iam concl. Quemadmodum se habent in ordine ad salutē media ad illam ordinaria, ita se habent in ordine ad rectum, & debitum iudiciū opiniones, & sententiæ Doctorum, sed in medijs ordinatis ad salutem nemo tenetur eligere quod securius est, sed sufficit eligat quod securum, & tutum est, nemo enim tenetur ingredi religionem, aut facere vitam cælibem, sed sufficit vt seruet mandata, ergo similiter vt iudex rectè iudicet, vel quiuis priuatus bene operetur, non tenetur eligere opinionem probabiliorem, & securiorem aliorum iudicio, sed sufficit vt eligat eam, quam citra odiū, & affectum videt probabilem, & securam, ac probabiliter iudicari verum. Et confirmatur, in alijs operationibus in quibus non habemus iuramentū vel votum, non tenemur facere quod melius est, sed sufficit id, quod bonum est, ergo similiter in opinionibus non tenemur eligere meliorem, sed sufficit eam, quam prudenter possumus iudicare esse bonam.

Secundò, si iudex vel quiuis alius teneretur sequi opinionem probabiliorem, id certe esset quia videtur illi magis declinare in veritatem, in obscuris enim ea semper amplecti debemus, quæ magis ad veritatem accedunt, sed hac ratione, & hoc nomine non tenetur sequi probabiliorem, quia sæpe (vt docet Aristot.) multa falsa sunt probabiliora multis veris, & apparent hominibus ex infirmitate, & imbecillitate humani intellectus magis vera.

Tertiò, confessarius est iudex in foro conscientiæ, sicut alii in foro exteriori, sed tenetur confessarius (vt docet ipsemet Soto in sua. 4. distin. 18. q. 2. art. 5. & alij Thomistæ in additionibus tertiæ partis. q. 9. ar. 2. & 4.) relicta sua opinione probabiliori, sequi opinionem probabilem pœnitentis, nisi quādo apertè, & manifeste sciret illam esse falsam: ergo, & iudex poterit sequi probabilem, quam credit etiam veram.

Patet consequentia, quia si propter pondus maioris, probabilitatis, quam habet probabilior opinio, non liceret iudici amplecti probabilem, nec liceret confessori, cum vterque sit verè iudex in suo foro, & tribunali. Nec valet quod ait Soto, iudicē teneri ad multa, ad quæ non tenetur confessarius, quia confessarius tenetur conformare se pœnitenti in his ad quæ non tenetur pœnitens, iudex autem non tenetur se conformare opinioni probabili litigantis. Hoc inquam non valet, nam cum vterque sit verè iudex in suo foro, si liceret confessario sequi probabilem pœnitentis, liceret, & iudici, aut certè reddat rationem, cur vni liceat, alteri non, quam profectò reddere non poterit. Different ergo iudex, & confessarius hac ratione, vt iudex possit sequi probabiliorem, vel probabilem, quia non tenetur

netur declinare in partem litigantis, huius uel illius, sed in probabilibus est ipse merus arbiter, confessarius autem non est arbiter, sed iudex, qui non potest negare absolutionem nisi malè dispositio, pœnitens verò ex eo quod amplectatur opinionē probabilem, nō est malè dispositus. Imò si opinio Caie. & Soti esset vera, sicut iudex ad rectè iudicandum tenetur amplecti probabiliorem opinionem, ita, & quiuis priuatus in suis negotiis teneretur quoque amplecti illam, deberetque confessarius compellere pænitentem ad probabiliorem opinionem: Quãuis enim pœnitens per ignorantiam inculpabilem excusaretur à peccato, si quid faceret cōtra probabiliorem opinionem, quam primum autem accederet ad confessionem, deberet confessarius iudicare illi opinionem probabiliorem, & compellere illum ad eam amplectendam, nec posset eum absoluere, si materia haberet annexam restitutionem, quin restitueret: cum autem Doctores cōmuniter sentiãt, confessarium ad id non teneri, imò debere se conformare probabili opinioni pœnitentis, sequitur apertè licere pœnitenti sequi probabilem opinionem, & licere confessario iudicare secundum illã. & consequenter id etiam licere iudici.

Quartò, si quæ ratio esset, nū quam non liceret iudicare secundum opinionem probabilem relicta probabiliori, ea certa esset, quia probabilis, habet annexũ dubiũ, & agere secundum illam esset agere secũdũ conscientiã dubiã quod non licet, at hoc falsum est, opinio enim probabilis credita vera nō habet dubium, habet quidem formidinem, non tamen dubium, quod patet, quia assensus dubius est, anceps, & in neutram partem declinans, assensus autem opinionis probabilis non est anceps, sed determinatus in vnam partem, vt sic fiat, vel iudicetur, quamuis cum aliqua formidine, quod parū refert, cum in opinione quoque probabiliori, quæ nō est euidens, vel scita, sit etiam formido, est enim de natura opinionis quantumcumque probabilis, vt habeat annexam formidinem.

Quintò, in scholis Doctores tuta conscientia amplectuntur sæpè, & docent suos auditores opiniones probabiles, quas non ita docent, vt solum intelligãt ea esse probabiles, verum etiam vt liceat eas in praxi amplecti, alioquin non docerent eas esse probabiles, sed falsas, quamuis ab aliquibus asserãtas, vt in multis sæpè accidit, quas vident quidē ab aliquibus Doctoribus haberi, repudiant nihilominus eas vt falsas.

Denique si opinio probabilior esset eligenda, necessariò reiecta probabili, hoc ideo esset, quia securior, at frequenter probabiliores, & a pluribus receptæ sunt minus securæ. verbi gratia videtur ipsi Soto probabilior, & a pluribus Doctoribus recepta opinio illa, Episcopos, & clericos esse dominos suorum redituum, & opposita tamen est tutior, & securior. Probabilior quoque est, idest a pluribus recepta opinio, illum qui retraxit aliquem ab ingressu religionis, non teneri ad ingrediendam illam, sed sufficere, vt suis consiliis illum inducat ad pristinum desiderium, oppositum tamen quis dubitat esse securius? Probabilior quoque, & magis recepta opinio est, licere mutuanti accipere aliquid vltra sortem ratione lucri cessantis, opposita tamen est securior. Et similiter in alijs innumeris opinionibus.

Sed videtur huic quartæ conclusioni pugnare tertia. Dicimus enim in tertia, teneri iudicem sequi opinionem probabiliorem ex parte facti, quia habens probabiliorem opinionem ex parte facti, habet pro se maiora merita causæ, sed similiter qui habet pro se probabiliorem opinionem ex parte iuris, habet etiam pro se maiora merita causæ, ergo, vel hæc quarta conclu. est falsa, vel illa tertia.

Respondeo nomine causæ non intelligi dispositionem, & intelligentiam iuris, sed processum illum quo factum explicatur, & ostenditur, ac ita dicitur ille dicatur habere maiora merita causæ, qui circa factum melius probat suum institutum, nō autem ille, cui probabilior, & communior intelligentia legis fauet iuxta Doctorum opiniones. Vnde leges non decernunt, vt feratur sententia iuxta probabiliorem opinionem Doctorum circa iura, sed in fauorem illius, qui melius probat, & ostendit factũ: Quod verò pertinet ad opiniones Doctorum, leges nil statuunt, sed relinquunt illud arbitrio, & prudentiæ iudicis.

Est hic autem maximè obseruandum, vt opinio aliqua dicatur probabilis, & secura, non sat esse vt habeat illam vnus vel alius doctor, sed esse maximè perpendendum, cuius auctoritatis sint, qui ita opinantur, sint ne viri docti, prudentes, timoratæ conscientiæ, & in illa materia plurimum versati, non enim eo quod aliquis in Theologia, vel iure Canonico sit graduatus, iam opinio eius censenda est probabilis, cum accidat, nonnullos etiam ex his esse imperitos.

Secundò, examinandus est diligenter numerus Doctorum, non enim debemus esse contenti placito vnius, vel alterius Doctoris, etsi grauis, si illi aliorum Doctorum turba repugnet, opinionē enim quæ non solum est communior, sed reuera communis, & a qua paucissimi recedunt relinquere, ac torrenti Doctorum sese opponere, propter onius, vel alterius dictum, etsi grauium virorum, certè periculosum est, nisi illa minus recepta adeo firmis nitatur fundamentis, vt recta ratio dictet, hos pauciores verum attigisse. Propter quod tertiò expendenda maximè sunt fundamenta, & rationes vtriusque opinionis, & consideranda quæ in oppositum obiiciuntur, & incommoda quæ pro vtraq; parte afferuntur: Ex his omnibus colligẽdum, quæ securitas in probabili opinione habeatur. Nam, quæ a multis viris grauibus, & peritis proponitur, & veris fundamentis nititur, ac optimis rationibus confirmatur, & per quas argumenta opposita facilè diluuntur, etiam si opposita habeat plures auctores, & graues, ac optima etiam argumẽta, est censenda probabilis, & secura, & quam tuta conscientia licet amplecti. Nec mirandum quòd in rebus etiam moralibus tot sint opiniones, quia veritas maximè post peccatum abscondita est, lucemque habita inaccessibilem, Hoc tamen supeest solatii in tanta opinionum varietate, vt si quis omni affectu humano secluso, & simplici ac nudo desiderio attigendæ ueritatis, diligenti studio, ac oratione ad Deum (qui omnis ueritatis, & lucis fons est) utatur, & his mediis adhibitis hanc uel illam opinionem probabilem quæ sibi uera uidetur amplectatur, manet tutus in conscientia, etiam si opinio illa à parte rei sit falsa.

Ex quo sequitur, iudicem, qui habet propositum cæteris paribus semper ferendi senteriam pro amicis, regulariter loquendo, esse in periculo peccãdi mortaliter, sicut Episcopus, qui haberet animum conferendi semper beneficia cæteris paribus suis consanguineis: ita sentiunt viri graue, & bene, quia habens hunc animum, & affectum, sæpe merita impatia ob talem affectum (qui facilè iudiciũ perturbat) iudicabit paria, Quod si habeat animũ fauẽdi semper causæ magis iustæ, amicis uero quã do certo constiterit paria iura illos habere, non est

ita in periculo, quia illud propositum fauendi semper causæ magis iustæ, videtur satis purgare affectum.

Obseruandum quoque est, nō sequi ex his vt alii qui volunt, dari duas contradictorias veras. Sic enim obijciūt. Probabilior opinio iudicatur, vera, probabilis etiam quam sequitur iudex iudicatur ab ipso vera, cum non aliter illam amplecteretur, vt diximus, quam creditam veram, possunt autem istæ oppositę opiniones esse inter se contradictoriæ, vt sæpe accidit, iam igitur iudicabit duas contradictorias veras. Neganda est ista illatio, qui enim iudicat vtramque opinionem probabilem, aut alterā probabiliorem, optimè nouit a parte rei, si contradicant, necessario aliam veram esse debere, & aliā falsam, cæterum quia ignoratur, quæ sit vera à parte rei, & quæ falsa, & habet vtraque graues auctores, ac probabiles rationes, vtraque iudicatur probabiliter vera, quod nullum est incommodū. cum probabilitas non dicat veritatem, sed opinionem. Nec est necesse, vt sciat iudex quæ sit vera a parte rei, sed sat est sequatur eam quā moraliter loquendo credit veram, & probabilem adhibitis illis medijs studij, orationis, consultationis, & alijs necessarijs pro qualitate, & dignitate causæ, & negotii.

Vltimò obseruandum est, in rebus dubijs maximè alicuius momenti cōfessarios imò, & Doctores qui minus exercitati sunt, non posse tuta conscientia sequi quamcumque opinionem probabilē, forsan enim legent in uno vel altero Doctore opinionem, quæ poterit eis videri probabilis, quia in illo Doctore reperiatur, quæ tamen in scholis, & apud peritos iam non sit probabilis, sed deprehensa falsa, propter quod isti qui minus callent, tenentur in conscientia consulere viros peritos, & exercitatos in illa materia, & quos nolunt timoratæ conscientiæ, vt ab eis discāt quæ opinio sit probabilior, quę probabilis, & quæ tenenda, qui aliter agunt fidentes suis ingenijs, & summulis non sunt tuti in conscientia.

Nunc ad argumenta pro prima opinione. Ad primum respondeo, sequentem opinionem probabilem creditam verā non se exponere periculo errandi, nec sequi regulam dubiā, quia (vt diximus) iudicat illam veram, eique adhæret, vt optimæ regulæ, quamuis quia opinio est, sit cum aliqua formidine, videlicet speculatiuè sit dubios, quæ nam ex illis sit vera, quia vtraque probabiliter est vera, practicè tamen certus est, licere sibi amplecti illā, quæ probabilis est, & probabiliter credita vera; Sicut mulier quæ dubia est, an iste sit suus vir, speculatiuè dubitat de veritate matrimonii, practicè tamen non dubitat, sed certo nouit, se debere reddere debitum illi viro, quotiescumque ipse postulauerit, vt est definitum cap. Dominus, de secundis nuptiis.

Ad secundum dico, quando dubitatio est a parte facti, non licere in praxi recedere a probabiliori opinione, quando autem ex parte iuris, non modo in scholis, verum etiam in praxi licere recedere ab illa, & sequi probabilem creditam verā. Exemplum autem, quod adducit Soto de medicamento pertinet ad factum, nam quod hoc medicamētum sit vtile, vel noxium huic, vel illi infirmo, hoc ad factum pertinet, & ita malè ageret medicus, si exhiberet infirmo farmacum, quod iuxta probabiliorem opinionem esset potius noxium, quam vtile, quod si controuersia sit in scientia medicinæ, similis dubitationi a parte iuris, vt vires animæ unde fluant? à cerebro an a corde? potest non modo in scholis, verum etiam in praxi sequi opinionem quam volueris. Ad tertium respondeo, in formis sacramentorum non licere sacerdoti sequi opinionem probabilem non ex defectu opinionis, sed quia præcepto Ecclesiæ tenetur vti forma recepta, & vsitata in Ecclesia, & ita peccare si alia forma vtatur, non quia relinquat opinionem probabiliorem, sed quia agit contra vsum communem Ecclesiæ ad quam tenetur ex præcepto, imo non est positum in opinione, nec controuersum an ita agendo peccaret, sed an factum teneret.

Quod si in ipsis sacramentis aliquod dubiū se offerat, circa quod nullum sit præceptum Ecclesiæ, potest relicta opinione probabiliori, sequi probabilem V. g. est quæstio an pœnitens debeat accedere saltim cum attritione existimata contritione? probabilior opinio est, debere ita accedere nec aliter esse absoluendum, probabilis autem, sufficeret attritionem etiam existimatam attritionem, cum circa hoc nulla sit adhuc deffinitio, aut præceptū Ecclesiæ, potest confessarius sequi opinionem probabilem, & absoluere accedentem cum attritione etiam existimata attritione.

Ad quartum constat solutio ex dictis in tertia, & quarta conclusione. Nam illud argumentum procedit ex maiori probabilitate ex parte facti, a quo (vt diximus) sumuntur maiora merita causæ, & ita illud quartum argumentum probat nostram tertiam conclusionem.

Ad vltimum dico, habentem nostram opinionem non habere conscientiam dubiam practicè, sed certam, nempè licere sibi relicta opinione probabiliori sequi probabilem creditam veram, sequi autem probabiliorem tantum esse consilij. Et ita ego semper consulerem, & debemus consulere, vt tam iudices in iudicando, quàm confessarios in foro animæ, & Theologos in suis consultationibus sequantur opiniones probabiliores, nisi iam opposita haberet argumenta, & fundamenta adeo efficacia, vt prudēter debeat iudicari verior, nec propterea condemnandi sunt qui sequuntur probabilem creditam veram, cum multi ac grauissimi Doctores ita sentiant, maximè ex discipulis D. Thom. Vnde possunt, quæ docuimus tandem hac ratione confirmari, Eligenda est opinio, vt alii volunt probabilior, sed quod liceat amplecti probabilem creditam veram, est opinio probabilior, cum habeat plures, & grauissimos auctores, & firmiora fundamenta, quàm opposita, vt ex progressu huius disputationis constat, maximè cum aliorum argumenta facilè soluantur posita non ita, ergo licet sequi probabilem.

In calce huius quæstionis explicanda est difficilis illa controuersia.

CONTROVERSIA III.

AN VIOLATOR IVSTITIAE DIstributiuæ teneatur ad restitutionem.

Circa hanc quæstionem Adria. in 4. materia de restitutione, quæstione de collatione beneficiorum, Cano. in sua lectura, Nau. c. 17. a nu. 69. vsque 74. Couar. Reg. peccatum. p. 2. §. 7. & nonnulli ex discipulis D. Tho. Soto lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. & lib. 4. q. 7. artic. 3. ad 6. statuunt duo: Prius est, hæc munera publica non esse præmia meritorum, sed tantum stipendia ministeriorum, quæ exercentur in utilitatē Ecclesiæ, vel Reipub. quod probant, quia in sacris

litteris

litteris proponuntur hæc, vt merces, & stipendium quod redditur operario. Luc. 10. [Dignus est operarius mercede sua. 1. Cor. 6. Quis vnquam militauit proprijs stipendijs? 1. ad Timoth. 5. [Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, &c. & infra.] Qui altari deseruiunt cum altari participant. Vbi adducit illud Deut. 25. Non alligabis os boui trituranti. In quibus omnibus, & similibus locis proponuntur istæ præbendæ, & beneficia, vt stipendia.

Statuunt hi secundò lædentem solam iustitiam distributiuam non teneri ad restitutionem, sed eum solum qui lædit commutatiuam, vel distributiuam cui coniuncta est commutatiua. Quod ita probant, Actus virtutum non componunt, nec regulant nisi vitia sibi opposita, vt actus temperantiæ intemperantiam, restitutio vt vidimus primò articulo non est actus iustitiæ distributiuæ, sed solum commutatiuæ, quo redditur iniustè ablatum vero domino, ergo restitutio tunc tantum exigitur, quando committitur iniustitia commutatiua, non autem quando læditur distributiua. Secundò per restitutionem redditur res iniustè ablata vero domino, quando violatur sola distributiua non aufertur aliquid vero domino, quia bona communia ante distributionem factam sub nullius sunt dominio.

Addit Soto sitque 3. huius sententiæ fundamentum, in bonis communibus institutis directè in ciuium vtilitatem, ita seruandam esse distributiuã, vt illam violare non solum sit acceptio personarũ sed etiam obliget ad restitutionem; quia cum hæc sint instituta directè in vtilitatem ciuium, non conferre illa illis quibus conferenda sunt nempè dignioribus, est nocere illis, cum iniuria, omne autẽ nocumẽtum cum iniuria, vt sæpè diximus, obligat ad restitutionem, in bonis autem quæ non sunt instituta in vtilitatem singulorum ciuium, sed ipsius Communitatis Ecclesiæ, vel Reip. violare distributiuam non conferendo illa dignioribus esse, quidem peccatum acceptionis personarum, cum postponantur ea ratione digniores, nõ tamen obligare ad restituendum illis qui dimittuntur, cũ hæc bona non sint instituta in vtilitatem particularium, sed communitatis, nec tenetur elector eligere ad illa digniores, propter ipsos, sed propter bonum commune, vnde non ipsis, sed communitati facit iniuriã.

His statutis respondet Soto triplici cõclusione.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui in distributione bonorum communium dimisso digno eligit indignum, peccat contra iustitiam commutatiuam, & tenetur restituere, non illi digno reiecto, sed ipsi Ecclesiæ, vel Reip.

PRobatur prior pars. Distributor ex iustitia commutatiua (vt vidimus) tenetur consulere vtilitati Ecclesiæ, & non dare stipẽdia nisi merentibus illa, eligens indignum nil horum præstat, sed cõtrarium omnino, ergo peccat hic contra iustitiam commutatiuam, & restituere, Probatur.

Secunda pars, cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, illi facienda est restitutio, contra quem violata est iustitia commutatiua, eligens indignũ, non violauit iustitiam commutatiuam contra illũ dignum reiectum, quia hic nondum habet ius acquisitum in beneficio, sed solum merita, quorum consideratio non pertinet ad commutatiuam, sed ad solam distributiuam, committit autem iniustitiam commutatiuam contra Ecclesiam, quia suscepit ius eligendi, vt illius vtilitati consuleret, ac conferret beneficia, & stipendia Ecclesiæ merentibus illa suis ministerijs, & obsequijs, quorum nil omnino præstaret eligendo indignũ, cum indignus sit inutilis, tenetur ergo ipsi Ecclesiæ restituere. Et confirmatur. Distributor iste in Ecclesia habet se, vt œconomus, & procurator vineæ, at si procurator vineæ missus a domino ad cõducendos operarios relictis idoneis, & vtilibus locaret omnino inutiles, non teneretur damnũ illud restituere idoneis operarijs quos dimisit, nec habent ius in illud, sed domino vineæ cui nocuit, & cui debebat ex officio prouidere operarios idoneos, & vtiles, ergo similiter in proposito. Denique inquit Soto hic est communis omnium consensus, vt si eligatur in Episcopum indignus relicto digno, damnum illud restituere elector non in digno quem dimisit, sed Ecclesiæ, cui nocet præficiendo indignum, obligaturque talis elector exhibere suis expensis illi Episcopo indigno, & inutili de sufficiente coadiutore.

CONCLVSIO II.

Eligens dignum dimisso digniori in huiusmodi munerum distributione, peccat quidẽ mortaliter per acceptionem personarum contra iustitiam distributiuam, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem.

PRior pars constat abundè ex dictis art. 1. Posterior probatur; qui non lædit iustitiam commutatiuam non tenetur ad restitutionẽ ex secundo fundamẽto; qui eligit dignum pro ratione præbendæ; sic enim loquitur conclusio, non lædit iustitiam commutatiuam, ergo.

Probatur minor, sicut in recipiẽdis stipendijs nil aliud requiritur ex iustitia commutatiua, nisi vt recipiens illa tantundem laboret, quantum illa valent, ita in eligendis ministris officiorum quæ sunt stipendia, nil aliud exigit commutatiua, nisi vt eligatur minister sufficiens pro quantitate stipendij, & tantum valens præstare, quantum est stipendium. Vg. Dux qui possit eligere milites fortissimos, si illis neglectis eligat imbecilliores, sed sufficiẽtes pro ratione stipendij, quod in tali exercitu soluitur, licet violet distributiuam, non tamen commutatiuam, cum seruet æqualitatem, quam exigit commutatiua in stipendijs, nempè vt pro ratione stipendij illus habeat exercitus sufficientes, & idoneos. Œconomus quoque cui commẽdat dominus vineæ conducere operarios in illam, si dimissis dignioribus, & vtilioribus conducat dignos, & eos qui iuxta quantitatem, & proportionem stipendij, & mercedis accipiẽdæ sufficientes sunt, & idonei, licèt violet distributiuam, non tamen commutatiuam, cum illis electis seruetur æqualitas inter tale stipendium, & labores, ac vtilitatem operarij, sed cum hæc officia, & beneficia nil aliud sint quã stipendia ministeriorum, quæ geruntur in Ecclesia, vel Rep. ex primo fundamento, electo digno pro ratione præbendæ, & muneris, eligitur operarius sufficiens, & proportionatus stipendio, seruaturque æqualitas inter stipendium, & vtilitatem, quam ille valet afferre, ergo electo digno sufficienter manet seruata, & omnino illæsa iustitia commutatiua.

Secundò, conferens alicui sufficienter bonum ipsi debitum nil tenetur restituere, quia seruat æqualitatem, restitutio vero est ad reparãdam inæqualitatem, quam iniustitia aliqua constituit, sed

electio

electo digno & sufficienti, etiam si dimittatur dignior, fit satis, & sufficiēter bono debito Reipub. uel Ecclesiæ, non enim debetur illi maximum bonum quod potest haberi, quia esset intollerabile id exigere ab electoribus, sed sufficit quod est pro portionatum, & moraliter æquale stipendio præbendę, & officij, ergo electo digno, nil tenetur restituere sic eligens ecclesię, vel Reipu. Consequentia patet, quia huiusmodi officia, beneficia, ac munera publica directè, & per se non sunt instituta, nec ordinantur nisi in bonum Ecclesiæ, vel Reip. quod est apertum, quia si Resp. non indigeret ministerio iudicum, & gubernatorum, nō instituisset ista officia, & magistratus, si Ecclesia nō indigeret ministerio sacramentorum, & doctrinæ, non instituisset ista beneficia, & præbendas. Vnde eo ipso quo inferuntur ista officia, & beneficia sufficientibus bono ecclesiæ, quales sunt digni, etiam si possent eligi alij digniores, satisfie sufficienter bono debito ecclesiæ, vel Reip. nec est aliquid ipsis restituendum.

CONCLVSIO III.

Sive eligatur indignus dimisso digno, siue dignus prætermisso digniori, ipsi prætermisso non est facienda restitutio.

Digno non esse faciendam, quando eligitur indignus, constat iam ex prima conclusione. Quod autem neque digniori, quando ipso dimisso eligitur dignus, probatur. Si digniori esset faciēda restitutio; hoc ideo esset, quia beneficium illud debebatur ipsi ex iustitia, nam vt sæpè diximus, vbi iniustitia non est, nec vinculum restitutionis, sed illi non debebatur ex iustitia. Probo. Primò, quia si illi fuisset debitum ex iustitia, teneretur dignus, quam primum sciret illum, qui fuit reiectus esse digniorem, resignare, ac restituere illi illud beneficium, sicut si mihi adiudicaretur fundus, qui ex iustitia debebatur Petro, quam primū nossem iniustitiam Petro illatam, & fundū illum ei iustum ei deberi, tenerer illum ipsi restituere. Eodem enim modo se habent iniqua electio supponens in distributione bonorum communiū, & iniqua sententia iudicis in adiudicādis bonis litigātium, nullos autem Doctorum dignum electū ad præbendam, obligauit ad resignandā illam digniori. Secundò, si digniori deberetur beneficium ex iustitia sequeretur, Episcopum qui contulit Petro beneficium, existimans bona fide illum fuisse digniorem, si deinde videret se deceptum, & fuisse exclusum Ioannem qui reuera erat dignior, teneri ad expoliandum Petrum illo beneficio, & cōferendum Ioanni: quia electio iniqua, sicut, & sententia iniqua sta, quam primum constiterit eius iniustitia, reuocanda est, at nullus episcopus tale facit, nec est talis vsus in ecclesia, nec est consulendum ulli episcopo.

Tertiò, si mihi aliquid ex iustitia debeatur, & alius per lites, aut alia via sit mihi impedimento, licet mihi pecuniā illi conferre, vt desistat, est enim hoc in re iusta, & mihi debita redimere meam vexationem, quod licet, vnde si digniori ex iustitia deberetur beneficium, liceret illi conuenire, cum digno, vt desisteret ab oppositione, & offerre illi aliquam pecuniam, ad redimendam suam vexationem. Quod tamen omnium Theologorum cōsensu iniquum est, & illicitum, hac enim via abundarent omnia simonijs, & ambitionibus, vnoquoque iudicante se dignissimum: offerturque etiam occasio indignis opponendi se, imo, & multi indigni se opponerent sine vlla spe obtinendi beneficiū, sed hoc solo fine accipiendi aliquam pecuniam a dignioribus, vt desisterent.

Quartò, œconomus a nullo Theologorum obligatur ad aliquam restitutionem faciendā dignioribus, & vtilioribus operarijs, eo quod illis dimissis conduxerit dignos, quia illi nullum habebant ius in stipendia nisi adhibito labore, imo nec dignis, vt vidimus prima cōclusione, tenetur aliquid restituere, si conducat indignos, at elector in distributione officiorum, & beneficiorum habet se vt œconomus Ecclesiæ, vel Reip. ergo.

Quintò, si distributor conferat aliud officiū, vel beneficium digniori quem antea prætermiserat, satisfacit illi, omnium consensu, pro iniuria in præcedenti prouisione ipsi illata, ergo non tenebatur ad aliquid ipsi restituendum. Conseq. patet, quia si tenebatur illi restituere, debuisset ex proprijs, & non per beneficium, quod deinde vacauit, quia beneficium illud pertinet ad bona communia, restitutio autem facienda alicui facienda est ex bonis propriis illius, qui tenetur restituere.

Vltimò, dignior qui prætermittitur in collatione beneficij, nullum habet ius ad illud beneficiū collatum digno, ergo non est facienda aliqua restitutio: Conseq. patet: quia si non habet ius, nec passus est iniuriā, aut iniustitiam, vbi autem iniuria, & iniustitia non est, nec vinculū restitutionis. Antecedens verò probatur, Omne ius vel est in re vel ad rem, sed iste dignior neq; habet ius in re neque ad rem, ergo. Maior est axioma iurisperitorum, & verissimum. Probatur minor, Ius in re est possessio rei, quod aperte non habet dignior, cum alteri sit collatum beneficium, & ab illo acto possideatur, ius ad rē est ius ad possessionē rei, ita vt possit agere in iudicio, & illam exigere; pro beneficio aūt iam collato digno, dignior non potest agere in iudicio nec contra ipsum dignum, nec contra collatorē.

Ex horum ergo sententia, cum ista beneficia, & munera instituta sint, non vt præmia meritorum, sed vt stipendia ministrorum, in eorum distributione id potissimum attendendum erit, ne eccles. aut Resp. hac iniuria afficiatur, ut accipiat minus idoneos ministros, quàm exigit stipendium illorū, quod pertinet ad iustitiā commutatiuam, quo fit vt incurratur debitū restituendi, quando violatur ista iustitia, non eligendo idoneum, siq; faciēda restitutio Ecclesiæ, vel Reipub. cui electo insufficienti, & inutili nocetur. Qua verò parte violatur distributiua, non distribuendo pro meritis, eligendo solum dignum, & idoneum, dimisso tamen digniori: committitur quidem peccatum mortale acceptionis personarum, sed sine obligatione restituendi, neque Ecclesię, vel Reip. quia seruata est illi iam iustitia, ad quam elector tenetur, conferendo illi ministrum idoneum, & competentem stipēdio: neque illi digniori dimisso, quia non ordinātur ad eos officia ista, vel beneficia ex iustitia commutatiua, sed ex sola distributiua. In distributionibus autē bonorū quæ institutæ sunt in vtilitatē, & commodum particularium, vt quæ ciuibus dantur ex ærario publico in eorum iuuamē, atque pauperibus in eleemosynam, si non distribuantur iuxta leges iustitiæ distributiuæ, & pro meritis, est à distributore faciēda ipsis restitutio, quia in huiusmodi distributionibus, ordinatur distributor ad singulos pro ratione meritorum, non solum ex iustitia distributiua, sed etiam ex commutatiua, cum in utilitatem particularium illa instituta sint.

Hæc opinio etsi defendi possit vt probabilis, cum habebat auctores graues, & argumenta satis probabilia, nititur tamen falsis fundamentis. Falsum enim est, beneficia, & magistratus esse tantum stipendia ministrorum, quamuis enim primò, & per se sint instituta in vtilitatem, & commodū boni communis, spiritualis Ecclesiæ, & temporalis Reipub. vt propositis, & collatis huiusmodi beneficijs, & officijs habeant Ecclesia, & Respub. idoneos & optimos ministros. Secundario tamen etiam proposita & instituta in præmium, & honorem benemeritorum, vt qui cæteros virtute, literis, & meritis excellunt eosdem præcedant honoris, dignitatisque gradu.

Hanc partem quam negat Soto ostendere placet. Primò ex sacris literis. Electurus dominus in veteri testamento Num. 16. Aaron in sacerdotem, cum potuisset simplici verbo illum designare, voluit vti illa cæremonia, vt ad ostium tabernaculi ipse cum alijs capitibus tribuum venirent, virgas amygdalinas singuli afferentes illaque esset sacerdos, cuius virga floret, iudicans se promeritis, quorum typus fuit virga illi florens, eligere Aaronem.

Vnde sic argumentor meritum, & præmium relata, eligitur Aaron in sacerdotem, & munus illius populi pro meritis, ergo sacerdotis, beneficia, & similia munera non solum sunt stipendia, verum etiam præmia meritorum. primo Regum secundo, cum Eli, & filii eius non bene agerent, retulit illis Deus hanc electionem Aaron dicens: Domū patris tui elegi, vt ministraret mihi in sempiternum.

Nunc autem absit hoc à me, sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, id est seruos meos honorabo sacerdotio, & dignitate, cæteros abijciam, vbi sacerdotia, & beneficia, & hæc munera vocat Deus honorem, & dignitatem. honor autē teste Arist. præmium est virtutis. Et Ecclesiastici 45. excelsum fecit Aaron fratrem eius, statuit & testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum zona, gloriæ, & induit eum stola gloriæ, & infra. Posuit coronam auream super mitram eius expressam signo sanctitatis, & gloriæ sacerdos ille I. ius, vide textum. In Euangelio, vt solo Petri exemplo vtamur, instituerat Christus Petrum eligere in summum Pontif. quam primū enim illum vidit, designauit eum, Tu (inquit) vocaberis Cephas, id est petra vel saxum, fundando ædificio aptissimum. At Matth. 16. prius voluit, vt Petrus illustrem illam fidei suæ confessionem faceret, & ea facta dixit illi in præmium illius? Tu es Petrus, & super hanc petram, &cæt. Vbi Hiero. Mercedem accipit vera confessio.] Ioan. 20. interrogat illum, [Diligis me plus his.] Et cum de eximio Petri amore cæteris constaret, dixit illi in præmium charitatis, & meritorum, quibus cæteros superabat, [Pasce oues meas.] Nescio certè qua ratione neget Soto, cum hæc in vtroque testamento in præmium meritorum proponantur, non esse à sua institutione stipendia simul, & præmia, sed stipendia tantum.

Vtor ratione: Si hæc stipendia tantū essent illa ergo sola beneficia essent in Ecclesia, quæ sunt necessaria ad ministerium sacramentorum, & doctrinæ, in quibus consistit tota gubernatio Ecclesię, at canonicatus, dignitates, beneficia simplicia, pręstimonia, & similia non sunt necessaria ad hæc ministeria, nec propter ipsa instituta, sed ad decorem, & ornatum Ecclesiæ, ac vt viri studiosi, & eruditi his tanquam præmijs suorum laborum ac meritorum fruantur, sintque plures viæ, quibus viri boni alantur, & honerentur, ergo non sunt solum stipendia.

Secundò, si stipendia tantum essent, quod esset discrimen inter illa officia, quæ sunt in Rep. & Ecclesia instituta in mera officia, & obsequia, & quibus ex ære regio, vel communi Ecclesiæ soluuntur stipendia, vt scribæ, sacristæ, seruitores Ecclesiarum, & beneficia ac magistratus? nullum certè: at constat omnibus, aliud esse illa officia, quæ sunt mera seruitia, & aliud illa officia, quæ sunt magistratus, & beneficia.

Tertiò, quia si ista beneficia nil aliud essent quā stipendia, quicquid valent talia beneficia esset clericorum proprium, & sub eorum dominio, nec tenerentur ex iustitia superflua conuertere in opera pia: oppositum videmus Apostolos, & Sanctos patres, ac concilia, vniuersamque Ecclesiam sentire, vt nos volumine sequenti in disputatione de statu Episcoporum copiosè efficacissimeque docebimus.

Denique in his beneficijs, & muneribus aliud est beneficium ipsum, & munus, & aliud stipendium, quod pro illo confertur, beneficium enim, vel munus publicum est propter officium, & vtilitatem Ecclesiæ, vel Reipub. redditus autem, vel stipendium pro alimonia ministri, vt docet Innocen. 3. cap. Cum secundum Apostolum. De præbendis. vnde potest clericus stipendium sibi debitum vendere, locare (Yassi se arriendam) beneficium autē nullo modo. Et confirmatur, ex illo Pau. l. 1. ad Timoth. 5. [Qui benè præsunt presbyteri duplici honore digni sunt.] Vbi nomine duplicis honoris D. August. Hieron. Chrysost. & ferè omnes sancti patres, intelligunt reuerentiam debitam istis officiis, vt honorificis, & præmiis laborum, & commodū in eorum alimoniam, & sustentationem. Vnde D. August. in illud Iacob. 6. Nolite in acceptione personarum, &c. ait: [Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris, gloriæ Ecclesiæ? contempto paupere, instructiore, & sanctiore,] vbi Episcopatum, & pręhendam, nō stipendium, sed sedem honoris gloriæ vocat Diuus Augustinus.

Et est ratio apertissima, cum conferre stipendia laboribus debita non sit distrib. sed commut. conferre autem præmia pro meritis sit distribut. si hęc munera publica, & officia non essent simul præmia laborum, & stipendia ministrorum, sed stipēdia tantum, conferre illa solius commutatiuæ esset non distributiuæ, at omnium consensu, & ipsiusmet Soto ad hæc distribuenda exigitur iustitia distributiua, ergo hæc officia, & munera sunt etiam præmia, & ordinata in bonum partium pro meritis ipsorum.

Et confirmatur, isti fructus munerum quamuis sint stipendia, sunt tamen honorifica stipendia, & plurimum excedentia labores ipsos, imo si solum laborem, & ministerium respicerent, inæqualia, & cum magno excessu, ac consequenter iniusta nisi respicerent quoque dignitatem, & statum, vnde necessariò sunt etiam constituenda in præmium meritorum.

Secundum etiam fundamentum istorum. violationem iustitiæ distributiuæ non obligare ad restitutionem falsum est. Probatur: Omnis inæqualitas per iustitiam reducenda est ad æqualitatem actu restitutionis, hoc enim est reducere in æqualitatem, restituere patienti inæqualitatem quod illi deest, sed quia lædit iustitiam distributiuam,

facit

facit inæqualitatem, eo ipso quo lædit iustitiã, cum omnis iustitia consistat in æqualitate rei ad rem, ergo qui lædit iustitiam distributiuam, ratione ipsius etiam si nulla ei misceatur commutatiua, tenetur ad restitutionem. Minor certissima est. Maior confirmatur, quia, & lædens iustitiam commutatiuam non alio nomine obligatur ad restitutionem, nisi quia facit inæqualitatem.

Secundò, qui violat iustitiam distributiuam nocet fratri cum iniuria, ergo tenetur restituere. Consequentia aperta est ex illo principio, vbi nocumẽtum cum iniuria ibi, & debitum restituendi. Antecedens patet, nam conferre Petro beneficium illi vtilissimum, quis ignorat esset graue nocumẽtum? Et cum iniuria, quia eo ipso quo habet merita habet ius non possessiuum, sed debitum, alioquin nõ violaretur iustitia, si non haberet ius cum obiectum iustitiæ sit ius, & omnis iniustitia siue commutatiua siue distributiua sit violatio alicuius iuris.

Tertiò iustitia commutatiua violata ideo obligat ad restitutionem, quia vnus habet plusquam debet habere, alter verò minus, quæ inæqualitas ipsi repugnat, estque reparãda per restitutionem, sed quando violatur iustitia distributiua, habet quoque unus plusquam debet habere, alter verò minus, vt cum dignus præfertur digniori, ergo violatio distributiuæ eo ipso quo distributiua læditur obligabit etiam ad restitutionem.

Quarto, destribuere tributa, & vectigalia populis, vel ad alendos reges, vel ad necessitates publicas, pertinet omnium consensu ad iustitiam distributiuam, sed qui hanc violaret imponens maiora tributa, quam sint imponẽda, teneretur restituere. Similiter qui imponit pretia rebus communibus, si non seruet æquitatem, violat iustitiam distributiuam, quia ad ipsam pertinet hoc munus imponendi pretia, & tenetur quoque, omnium consensu restituere: Denique, qui non distribuit quod distribuendum est, vel minus distribuit quàm distribuẽdum est, non peccat cõtra commutatiuam, sed contra distributiuam, & tamen tenetur ad restitutionem. Ergo falsum est dictum Soti, & multorum Theologorum iustitiam distributiuam solam non inducere vinculum restitutionis.

Ad argumẽta in oppositum, Ad primum fateor restitutionem non esse actum iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ. Aliud tamen est bene, vel malè distribuere, & aliud reficere nocumentum illatũ, cum iniuria per iniquam distributionem, prius illud est iustitiæ distributiuæ, posterius autem, vt docuit D. Thom. articulo præcedenti ad 3. commutatiuæ: quia quando supposita iniqua distributione, qui malè distribuit reficit nocumentum illatum bene merito, tunc iam non considerat merita, sed quantum nocuit, seruatque æqualitatem rei ad rem, tantum restituens quantum ille bene meritus minus habuit: Et ita ex læsione distributiuæ nascitur vinculum restitutionis, quæ quando fit, est actus commutatiuæ: restitutio enim non solum componit & regulat vitia ipsi commutatiuæ opposita, sed etiã omnia alia vitia iustitiæ opposita, quæ efficiunt inæqualitatẽ, & nocent cum iniuria, quod accidit etiam in iustitia distributiua. Habet enim se iustitia commutatiua in contractibus humanis, sicut charitas in moribus, sicut enim charitas componit & regulat, non solum vitia sibi opposita, verum etiam omnia alia quatenus remouent hominem a dilectione Dei & proximi, ita & iustitia cõmutatiua cuius actus est restitutio, componit & reducit ad æqualitatem omnem iniustitiam, quæ facit inæqualitatem inter proximos, & quæ infert nocumentum cum iniuria, & cum per iniquam distributionem noceatur fratri cum iniuria, hoc etiã nocumentum, & damnum reficit commutatiua suo actu restitutionis.

Ad secundum dico, bene meritum, cui res debetur ex iustitia distributiua, non esse dominum illius beneficii actu & possessione, esse tamen in proxima potentia, & iure, ac merito, vnde non conferens illi, nocent ei contra tale ius, nocens autem cũ iniuria (vt constat ex toties repetito principio) tenetur ad restitutionẽ. Propterea communior Theologorum sententia vult, violantem iustitiam distributiuam in distribuendis bonis publicis, siue illa ordinentur in bonum partium, ut quę conferuntur in iuuamen & vtilitatem particularium, siue in bonum totius, & vtilitatem communem, teneri ad restituendum illi cui iuxta leges iustitiæ distributiuæ, bona illa conferenda erant, nec fuerunt collata. Ita Ricard. & Palud. in 4. distin. 15. quæst. 6. Caiet. vbicunque loquitur de hac re, maximè in his duobus articulis. Et in summa, verbo, Acceptio personarum, Sylu. in verbo, restitutio. cap. 3. §. 12. Victoria in lectura huius articuli. Et plerique recentiores, imò meo iudicio est apertissima sententia D. Thom. in hac quæstio. 63. articu. 1. ad 3. vbi ait: [In recompensatione quam facit distributor ei, cui dedit minus, quàm debet habere, attendendam esse comparationem rei ad rem, vt tantum illi detur quantum minus habet, de eo quod debuit habere,] Vbi apertè constituit D. Thom. illum qui in distributionibus violat iustitiam distributiuam, non conferendo bona communia iuxta merita cuiusque, teneri ad restituendum illi, cui iuxta merita debebat dare: huiusmodi enim est, qui habet minus, quàm debet habere, quo supposito tanquam certò, docet D. Sanctus qua ratione sit facienda restitutio, hac scilicet, vt tantum restituat, quantum ille minus habet, de eo quod debuit habere, in eo enim est læsus, cum iniuria.

Ad inueniẽdam veritatem in quæstione adeò graui, & difficili, hæc omnia necessariò obseruanda sunt.

Primò, bonorum, & beneficiorum, quæ in alios conferuntur, quædam esse propria eius, qui illa confert, vt quæ testamento, vel aliqua donatione vnus alteri exhibet, quædam verò, quorum is, qui illa confert non est dominus, sed distributor tantum, & administrator, vel constitutus a priuata persona, ut qui accipit opes alicuius priuati hominis in Ecclesias, vel pauperes dispensandas, vel constitutus a Repub. vt prælati, principes, & gubernatores, quibus boni publici cura commissa est.

Rursum huiusmodi bona duplicia adhuc sunt, quædam in id tantum instituta, vt distribuantur ciuibus, in eorum iuuamen, & commodum, secundum necessitatem illorum, danturque illis gratis, & non in stipendium alicuids laboris, industriæ, vel officij, ut quæ in nonnullis locis solent diuidi inter ciues, vel quæ in pauperes distribuenda sunt, vt in hospitalibus, in collegijs, in confraternitatibus.

Alia sunt bona cõmunia, instituta primò, & per se, non vt gratis dẽtur, & quasi ex eleemosyna, sed in utilitatem Ecclesiæ, & Reip. & in stipendia eorum, qui deseruiunt bono communi, ac ut aliquod munus exerceant, vt beneficia Ecclesiastica, magistratus sæculares, & munera proposita his, qui aliquam artem docent, vt cathedræ. Horum verò mu

netum quædam sunt mera stipendia, debita laboribus seruientium Reip. in quibusdam officijs, quæ propriè nō sunt munera, nec dignitates nec ad gubernationem, sed ad mera seruitia, vt quæ soluuntur de bonis communibus scribis curiæ regię, cantoribus, & seruitoribus Ecclesiæ. Alia verò sunt, quæ sunt propriè dignitates, & munera publica, & ad gubernationem. Priora illa propriè non pertinent ad iustitiam distributiuam, sed ad commutatiuam, ita vt electo digno, & reddito illi debito stipendio suis laboris satisfaciat: posteriora verò sunt, quæ directè pertinent ad vtramque iustitiā (vt videbimus) & de his est proposita quęstio. In quibus illud prætereundum non est, aliam esse rationem eius, cui ex officio incumbit eorū distributio, & aliam eorum, ad quos id nō spectat. Nam distributor tenetur ex officio facere, vt bona ista communia, & munera publica efficiantur propria actu, & in effectu illis, quib. seruata æquitate conferenda sunt, vt sicut habent in illa ius in meritis, ita quoque habeant illud in actu. Cæteri verò quibus non incumbit munus distribuendi, non tenentur ad id, sed ad hoc solum, ne sint impedimento, quin illis conferantur; habet enim vnusquisque hoc ius natura, ne quis impediat ipsi bonum quod obtinere potest. Vnde electores nō eligendo sicut debent, peccant contra iustitiam, cum ad id teneatur ex officio, & iustitia, cæteri verò, quando tale impedimentum, vel obstaculum ponunt, sicut qui impedit legatario, vel pauperi bonum, quod aliquis vult ei dare.

Obseruemus secundò, bona publica tribus modis distribui posse: Primò, per modum gratuitę donationis, vt cum ex ærario publico conferuntur pauperibus eleemosynæ, in qua distributione (cum sit donatio gratuita) nec habet locum acceptiò personarum, nec de illa est nostra quæstio. Secundus modus distribuendi bona publica est per solam iustitiam commutatiuam, vt cum Resp. confert militibus stipendia, habet se sicut priuatus, qui suis famulis, & operarijs reddit stipendia suorum laborum. Et neque in hoc sensu tractatur præsens quæstio, cum in huiusmodi solutione stipendiorum propriè non interueniat distributiua. Tertius modus est, quando considerata qualitate personarum, iuxta illarum merita distribuuntur illis bona communia. quomodo habet locum propriè distributiua, & violatio eius est acceptio personarum, & de hac inquirimus an obliget ad restituendum.

Obseruemus tertiò, Remp. Christianam in his stipendijs & muneribus publicis duos haberet scopos, & fines, primò consulere suæ vtilitati, & optimæ gubernationi, habendo ratione istorum munerum optimos ministros, secundò proponere præmia benemeritis, quæ in duo sunt ipsi Reip. maximè necessaria. Prius illud, quia sine optimis ministris non potest neque in spiritualibus, neque in tēporalibus, benè gubernari; Posterius verò, quia sicut non potest in pace contineri, nisi extent supplicia iniquis, ita neq; suam tueri dignitatem, nisi sint proposita præmia studiosis, & præstantibus. Vnde celebris illa philosophorū sententia, [Remp. omnem pręmio, & pęna contineri.] Ex quibus duobus finibus, licèt hic secundus sit minus præcipuus, & secundarius seruit nihilominus maximèque necessarius est vtilitati, & optimæ gubernationi Reip. videntes enim ciues hæc munera, & bona communia conferenda esse melioribus, & vtilioribus, vt præmia suorum meritorum, & laborum, curant se ipsos in disciplinis, & virtute diligenter exercere; reddique idonei, & aptissimi ad ista munera publica: quo fit, vt habeant Ecclesia & Resp. multos aptos, & idoneos ad sua ministeria: & valeat inter eos quos viderit aptiores, & præstantiores eligere, sicque præstantissimè gubernari, esseque omni ratione fœlix, & florens. Sequitur ex his, cum ista munera duo habeant, vt sint officia, quædam, & ministeria in bonum commune instituta, & præmia benemeritorum, distributorem talium munerum duo spectare debere, qua parte sunt officia, & ministeria, debet primò, & potissimè spectare vtilitatem, & commodum Ecclesiæ, vel Reip. Eligendo aptum, & idoneum illi muneri gerendo. Et ad hoc tenetur ex iustitia commutatiua.

Primò, quia cum Ecclesia det electo stipendium illud, vel beneficium propter officium, eligere ad tale stipendium, inutilem ad exercendum opus debitum tali stipendio, est apertè violare iustitiam commutatiuam. Secundò quia ipsi quoque electori, datur ius illud, & auctoritas eligendi hac lege, vt non pro suo arbitratu, sed iuxta vtilitatem Ecclesiæ, vel Reip. eligat: vnde conferendo illi ius eligendi, facit illum Ecclesia, vel Respub. eo ipso procuratorem sui commodi, & vtilitatis: vbi autem reperitur do, vt des, facio, vt facias, ibi intercedit iustitia commutatiua. Qua parte verò ista munera sunt præmia benemeritorum, debet distributor attendere merita illorum, inter quos eligit, vt eligat digniorem, & meliorem ad tale munus; quia cum præmia dicant ordinem ad merita, ille habet maius, & potius ius ad premium, qui abundat pluribus meritis: Et consequenter ista munera quatenus præmia sunt, conferenda sunt dignioribus ex iustitia distributiua, cuius est reddere præmia pro ratione meritorum. Quo fit vt tam eligens dignum relicto digno, quā eligens dignum relicto digniori peccent contra vtramque iustitiam, contra commutatiuam, quia tenebantur ex officio; & consequenter ex commutatiua prouidere Ecclesiæ, vel Reip. meliorem, & vtiliorem, quem commodè poterat: contra distributiuam verò, quia nec respexerunt merita, nec iuxta illa, officia vel beneficia distribuerūt. Quod vt apertius intelligatur.

Obseruemus quartò distributorem huiusmodi bonorū duo habere, primò vt sit distributor, qua ratione, tenetur tantum ex iustitia distributiua dispensare bona communia distribuenda ciuib. pro meritis, & dignitate eorum, secundò conuenit illi esse minister publicus, constitutus, vel ab institutore illorum bonorum, vel à Rep. vel ab Ecclesia eo pacto, conuentione, ac lege, vt curet, & vtilitatem Ecclesiæ, vel Reip. & iustè distribuere. Vnde communiter iurant huiusmodi ministri, se nec odio, nec amore quicquam in suo officio acturos, sed iustè, & cum iustè distribuere idē sit quod distribuere iuxta leges, & regulā iustitiæ distributiuæ, quatenus sunt ministri Reip. vel Ecclesiæ, cōstituti ab ipsa ad rectè, & iustè distribuendum, tenentur ex debito sui officij, & eo ipso ex iustitia commutatiua, rectè, & iuxta leges iustitiæ distributiuæ bona illa communia distribuere. Quo fit, in distributione bonorum communium iustitiam commutatiuam coniunctam esse omnino cum distributiua, tam in ordine ad Ecclesiam, vel Remp. cum ratione officij teneatur consulere vtilitati Ecclesiæ, & Reip. quàm in ordine ad digniorem, cum etiam ratione officij teneatur iustè, & benè distribuere: illud enim omne ad quod minister publicus tenetur ratione sui officij, tenetur

ex

ex iustitia commutatiua, cum detur illi officium ea lege, vt seruet omnia ad, quæ obligat tale officium. Et confirmatur, huiusmodi distributores, vt ministri Reip. & custodes boni communis tenentur ex officio, & consequenter ex iustitia commutatiua ad seruandam iustitiam legalem, & commune, ad iustitiam autem legalem pertinet bene, & iustè distribuere, ergo ex iustitia commutatiua tenentur isti dispensatores bonorum communium iustè, & benè, ac iuxta leges iustitiæ distributiuæ illa dispensare. Maior constat ex supra dictis: Minor probatur. Iustitia legalis respicit bonum commune, & includit in se omnes virtutes, sine quibus bonum commune constare non potest, at obseruatio distributiuæ est maximè necessaria ad bonũ commune, cum experientia teste, vbi beneficia, & munera non conferuntur pro meritis malè, & iniquè omnia se se habent, tam spiritualia, quàm temporalia.

Obseruemus quintò in Ecclesia, vel Rep. quædam esse beneficia, non tam ad vtilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ instituta, quàm ad illius ornatum, splendorem, ac dignitatem: vt canonicatus, præstimonia, beneficia simplicia, & quæcumque nullam habent curam animarum, aut obligationẽ gubernandi docendi, vel aliqua ministeria in communem vtilitatem exercendi. Alia verò esse, omnino, & per se instituta, & necessaria ad vtilitatem boni communis, spiritualis, vel temporalis: vt Episcopatus, beneficia curata, magistratus iudicum, prætorum, gubernatorum, & cathedræ vniuersitatem. Rursum ex prioribus illis, quędam habent, vel à fundatoribus suis, vel ab Ecclesia siue Rep. iam assignitas qualitates, & conditiones, quæ exiguntur in eligendo, ita vt illis concurrentibus ipsemet fundator, vel Ecclesia aut Resp. significent se nullas alias exigere, aut nihil tale habent, sed cõmittitur conscientiæ electoris, vt optimè, & rectè eligat, vt in his, quæ sunt ad vtilitatem boni communis, in quibus communiter, & regulariter committitur electori, vt in eligendo nullo affectu humano ducatur, sed eligat iuxta Ecclesiæ vtilitatẽ, & eligendorum merita. Vnde D. Pau. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Et subiungit. Hic iam quęritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur:] Id est, vt fideliter distribuat ista ministeria, vbi alludit ad illud Christi de Episcopo, & distributore bonorum Ecclesiæ. [Fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. [Vbi elegãti metaphora explicat Christus, quòd præcedenti obseruatione dicebamus, iustitiæ distributiuæ coniunctam esse commutatiuam, in hoc enim (inquit) constitutus est Episcopus, vt distributor bonorum Ecclesiæ, vt fideliter distribuat, & iustè, sicut, qui in Rep. constitutus esset, vt iusta mensura distribueret triticum Reip. ciuibus, teneretur ex commutatiua, eo ipso quo à Rep. ad id cõstitutus est, iustè, & cum mensura, id est æquitate distribuere. Vbi non vocat illum fidelem, quasi ex sola fidelitate teneatur rectè distribuere, & non ex iustitia ac debito officij sui, sed quia eo ipso quo accipit tale munus, promittit se illud iustè executurũ, vocaturque fidelis, id est, qui stabit promissis, fidelitas autem, qua promissis standum est ex officio, pertinet ad iustitiam commutatiuam.

Obseruemus vltimò, leges Ecclesiasticas apertissimè velle, vt beneficia hæc in communem vtilitatem, dẽtur dignioribus, & his, qui magis possunt prodesse, similiter leges Reip. in suis magistratibus, & leges vniuersitatum in cathedris litterarijs. Qd spectat ad beneficia Ecclesiastica, Christus ipse est in exemplum, qui non elegit Petrum nisi, vt ceteris digniorem, propter quod interrogauit illum de abundantiori charitate. Et apostoli, qui in electione Matthiæ eum postularunt, quem Deus designat vtiliorem, & aptiorem ministerio Apostolatus: In pragmatica Concilij Basiliensis confirmata à Martino 5. habetur hæc forma iuramenti eligentium. [Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & sancto cuius nomini hæc Ecclesia dicata est, eum eligere, quem credam in spiritualibus, & temporalibus esse meliorem.] Et in Auctentico de Monachis §. Ordinationum habetur. [Ex monachis ille proficiatur in Abbatem, vel pastorem, qui inter alios sanctior, & peritior extiterit.] Hæ leges maximè vigent post cõcilium Tridentinum, vbi præcipitur, vt hæc beneficia non conferantur nisi per oppositionem, & examen. Oppositionem autem, & examen perspicuum est eo tendere, vt appareat quis sit dignior. In chathedris simile est iudicium, cum non sit conferendæ in vniuersitatibus benè gubernatis nisi per oppositionem, & præcedenti rigurosu examine, & adhibito iuramento eligentium, se nec amore, nec odio duci, sed solo intuitu meritorum, & vtilitatis scholæ. In magistratibus secularibus ipsemet Soto confitetur, cum ex ære publico stipendia accipiant, & ad administrandam iustitiam sint instituta, proculdubio ex iustitia dignioribus deberi.

His statutis, vt omnia complectamur.

CONCLVSIO I.

Qui bona illa primi generis instituta in ciuium iuuamen, & priuatum illorum commodum, gratis ipsi conferenda, non distribuit in illos, sed apud se retinet, vel in totum vel in partem, aut distribuit iniustè, præferendo indignos dignis, vel dignos dignioribus, peccat grauissimè contra vtramque iustitiam, & tenetur restituere quantum defraudauit.

HÆc est apertè D. Thom. quæst. 62. art. 1. ad 2. vbi ait expressè: conferentem minus, quam oportuit, teneri ad restituendum illi, cui minus dedit. Et probatur, Qui sic distribuit, violat vtramque iustitiam, distributiuam quidem, cum non respiciat merita, commutatiuam verò, quia distribuit contra statuta, & qualitates constitutas à fundatoribus, & institutoribus talium bonorum, accepitque munus administratoris ea lege, vt distribueret iuxta illa statuta, & ordinationes. Ergo tenetur ad restituendum illis quos ita defraudauit, velut is, qui expoliauit illos re, iure ipsis debita, & nocuit eis cum iniuria. Et confirmatur, quando iustitia distributiua ita violatur, vt vnus habeat minus, quàm debet habere, alter autem magis, inæqualitas ista reducenda est ad æqualitatem per restitutionem, sic autem est in proposito, ergo. In qua conclusione omnes conueniunt tam antiqui, quàm recentiores, præter Adrianum qui in 4. De Restitu. quæst. peculiari de collatione beneficiorum vult nullam violationem iustitię distributiuæ in quocunque genere bonorum illa committatur obligare ad restitutionem. Sed ab omnib. in hac parte eius sententia reijcitur.

CONCLVSIO II.

Qui distribuens bona communia secundi generis, siue sint beneficia simplicia ad ornatum, & decorem Ecclesiæ, siue beneficia, & officia in vtilitatem communem instituta, ea confert indignis prætermissis dignis, peccat contra vtramque iustitiam.

IN primis contra distributiuam, quia non respexit merita, contra commutatiuam verò, quia nec consuluit vtilitati Ecclesiæ, nec eligit in ministeria eos, quibus iustè dentur talia stipendia, cum acceperit ab Ecclesia, vel Rep. ius eligendi, & distribuẽdi sub ea lege, & pacto. Vnde iste tenetur aperte ad restituendum Ecclesiæ vel Reip. cōueniuntque in hac parte cum Soto omnes Doctores.

CONCLVSIO III.

Ad beneficia simplicia in decorem tantum instituta, in quorum institutione fundator explicat qualitates, & conditiones, quas vult reperiri in eligendo, si distributor eligat habentem illas nullam violat iustitiam, nec tenetur ad aliquam restitutionem. Quando verò relinquitur eius conscientiæ, vt eligat iustè, & debitè, si eligat indignum dimisso digno, aut dignum dimisso digniori, peccat contra vtramque iustitiam, & tenetur restituere, & Ecclesiæ, & illi digno, vel digniori prætermisso.

PRobatur prior pars, Quando fundator assignat qualitates distributori, hac sola lege confersur illi ius distribuendi, vt seruet qualitates illas, seruatisque illis adimplet legem, & pactum, ergo, seruat simul iustitiam commutatiuam, & distributiuam. Probo consequentiam, Sicut in omni re denominatio non sumitur ab his, quæ conueniunt rei per accidens, sed ab his, quæ conueniunt illi propriè, & per se, ita in distributionibus, ea tantum merita sunt attendenda, vt dicatur distributio iusta, vel iniusta, quæ sunt merita propriè, & per se, & non per accidens, in ordine ad illud bonum quod distribuendum est, sed quando merita assignãtur ab institutore, & fundatore beneficij, quæ ipse assignat, sunt merita per se, & directè in ordine ad illud beneficiũ, cætera verò per accidens, ergo seruatis illis qualitatibus, & meritis taxatis ab institutore, seruat distributor iustitiam distributiuam, imò, & commutatiuam, cum præster, quod debet ex munere sibi iniuncto, Quod autem alius alia plura habeat per accidens est. Hinc sequitur aperte, sic distribuentem ad nullam teneri restitutionem, quia vbi nulla iustitia violata est nullum est restituendi debitum.

Secunda pars probatur. Quando conscientiæ distributoris dimittitur, vt benè, & iustè eligat, accipit tunc profectò ius distribuendi ea lege, & pacto, vt iustè distribuat, tenetur ergo tam ex iustitia distributiua, cuius est attendere ad merita, quàm ex commutatiua, cum acceperit ius istud cum pacto rectè distribuendi, eligere meliorem, ergo si in tali casu eligat indignum dimisso digno, vel dignum dimisso digniori, vtramque iustitiam violat.

Et confirmatur, quia vbi non sunt taxata merita, omnia merita per se pertinent ad rectam distributionem, ergo non eligens meliorem violat distributiuam, cum præferat habentem minora merita, & commutatiuam, cum non seruet pactum sub quo habet ius eligendi, quod est benè distribuere.

Quod autem teneatur ad restituendum, & Ecclesiæ, & illi dimisso, ostendo; In primis Ecclesiæ, quia cum eo ipso quo illi constitutum est, vt benè eligat, ac iustè distribuat, tenetur prouidere illi meliorem, non eligens digniorem quem commodè potest, priuat ipsam illo vtiliori, ac meliori ministro contra iustitiam, nocetque ei cum iniuria. Digniori verò prætermisso, quia & eo ipso quo fundator vult distributorem à se institutum iustè distribuere, vult meliori beneficium illud conferri: vnde habet iam ille melior ius ad beneficium illud ex voluntate fundatoris, & consequenter priuare illum tali bono, est priuare ipsum re sibi debita, cum iniuria.

Hoc ipsum apertius ostendent argumenta, quæ statim subijciemus de beneficijs, & officijs, quæ sunt in vtilitatem communem.

CONCLVSIO IIII.

Qui in distribuendis beneficijs, vel muneribus institutis in communem vtilitatem Ecclesiæ, vel Reip. maximè in his quæ conferuntur per oppositionem, & præcedenti rigoro examine, confert indigno dimisso digno, vel ipsi digno dimisso digniori peccat cōtra vtramq; iustitiam, & tenetur restituere tàm Ecclesiæ, vel Reip. quàm expoliat præstanti ministro quem poterat habere, quam ipsi meliori prætermisso.

PRobatur prior pars. Quod peccet contra vtramque iustitiam. In primis de distributiua est certum, nec id audent negare Soto, vel vllus D. quia sic eligens non respicit merita, vbi autem non dantur bona ista pro meritis, violatur apertè distributiua.

Et confirmatur, quia si sic distribuens non violaret distributiuam, sequeretur Episcopum conferentem beneficium digno prætermisso digniori, non peccare mortaliter, cuius oppositum docent ipse Soto, & omnes Theologi. Consequentia autem patet, quia Episcopus iste sic conferens digno prætermisso digniori, cum ex ipsomet Soto, & communi Theologorũ consensu, contra duas virtutes possit peccare, aut contra iustitiam, aut contra fidelitatem, necessariò si non peccat contra iustitiam, peccabit solum contra fidelitatem, uiolatio autem solius fidelitatis cui nõ miscetur aliqua iniustitia, non obligat ad mortale: Ergo Episcopus iste sic conferens digno prætermisso digniori, nõ peccabit mort.

At omnium consensu peccat mort. Ergo necessariò dicendus est violare in tali casu iustitiam distributiuam. Minor illa peccantem contra solam fidelitatem, cui non miscetur aliqua iniustitia non peccare mortal. est D. Thomas infra quæstio. 133. ar. vltim. ostenditurque exemplo procuratoris, qui potens adducere operarios meliores, si non conducat nisi sufficientes, quando dominus non præcepit ei, vt meliores locaret, non peccat mortaliter, quia in tali casu nullam committit iniustitiam, sed solam infidelitatem.

Quod autem & cõmutatiuam violet probo. Distributor iste, vt minister Ecclesiæ, vel Reipub. & custos.

custos,ac procurator boni communis,ex prima ob seruatione,tenetur ex iustitia commutatiua consulere vtilitati Ecclesię,quando id commodè potest, & rectè distribuere,electo indigno, & excluso digno,vel electo digno,& excluso digniori, nec consulit vtilitati Ecclesiæ,nec rectè distribuit,cum nõ distribuat pro meritis;ergo violat ẽt cõmutatiuã.

Secundo, quando institutor assignat qualitates necessarias in eligendo, non eligere secundum illas, & secundum leges, & statuta fundatoris, est contra iustitiam commutatiuam, cum hac lege dẽtur illi ius eligendi, vt seruet in eligendo illa statuta & ordinationes,sed in beneficijs, & muneribus de quibus loquimur,ius eligendi datur distributoribus hac lege,vt eligant meliores,& vtiliores bono communi, quod apertè demonstrant leges Ecclesiæ,& vniuersitatum,de quibus in tertia obseruatione,& omnium efficacissimè, quod præcipiatur non dari talia bona, nisi per oppositionem, & præcedenti rigoroso examine, ergo aliter distribuens, quàm conferendo meliori,& digniori, violat apertè iustitiam commutatiuam,& est infidelis suo muneri,& Ecclesiæ,& Reipub.ea infidelitate, quæ pertinet ad iustitiam commutatiuam.

Probatur iam secunda pars conclusionis, in primis, quod teneatur restituere Ecclesiæ, vel Reip. probo sic.Ecclesia,vel Resp.non habet in hoc casu omne bonum sibi debitum, imò minus quàm debet habere,ergo tenetur illi restituere.Conseq.patet ex doctrina D.Tho.ar. I.quæstionis præced. ad vltimum.Vbi ait. [Quando in distributione habet aliquis minus quàm debet habere, iniquum illum distributorem teneri ad restituendum illi, quod minus habet.] Antecedens ostendo, Ecclesia confert ius eligendi,vt prouideatur illi præstãtior minister, qui tempore oppositionis potest commodè haberi;hoc enim fine fit oppositio,& examen, ergo debetur illi ex iustitia, & officio distributoris, melior minister, qui tempore electionis potest haberi,ergo quando talem non habet, omne bonum sibi debitum.

Secundò ex Soto,& alijs in probatione, Secundæ conclusionis ab ipsis positæ,quando eligitur indignus dimisso digno,restitutio facienda est Ecclesiæ,quia contra ipsam commissa est iniustitia commutatiua,sed quando dimisso digniori eligitur dignus, committitur quoque contra ipsam Ecclesiã iniustitia commutatiua, quia nec consulitur eius vtilitati,nec seruantur leges eius, ad quæ tenetur distributor ex iustitia commutatiua, ergo tenetur distributor ex iustitia commutatiua, ergo tenetur ipsi in hoc casu restituere.

Denique non eligens meliorem priuat Ecclesiã vtilitatibus,quas ex illo meliori reportaret, quod negari non potest esse maximum Ecclesię nocumẽtum,& cum iniuria,cum ex iustitia teneatur eligere iuxta Ecclesię vtilitatem,quorum commodè potest, vbi autem nocumentum cum iniuria, vt constat,& ibi debitum restituendi,ergo. Et confirmatur.Quia redditus Ecclesiæ cum sint adeo optimi, & honorifici,vbi dignior reperitur,dignus non est æqualis tunc,nec proportionatus tanto,& tam honorifico stipendio,sed dignior, qui tunc occurrit. Vnde,& ratione stipendij exercet inæqualitatem, & iniustitiam commutatiuam contra Ecclesiam sic distribuens.

Quod autem,& illi prætermisso fit etiam facienda restitutio (quia in hoc est maior controuersia) pluribus ostendam. Primò,lege, iustæ (vt supra vidimus) possunt abdicare dominium ab vno,& cõferre alteri, voluntas quoque veri domini potest abdicare à se dominium,& conferre alteri, sed leges Ecclesiæ, quæ decernunt qualiter fit facienda distributio horum beneficiorum, applicant dominium eorum dignioribus,cum præcipiant conferri præcedente oppositione,& examine,vt ea ratione,& via quæratur melior,& vtilior:Resp.quoque quæ est vera domina magistratuum, & munerum ciuilium,fundatores vniuersitatum,qui sunt legitimi institutores cathedrarum, abdicant à se dominium istorum bonorum, & munerum, & transferunt in digniores secundum leges ab ipsis statutas ergo qui dignioribus non confert, tenetur eis restituere perinde ac si ipsos rebus non confert,tenetur eis restituere perinde ac si ipsos re sua expoliasset,Patet conseq.Primo non minorem vim habent hæ leges in huiusmodi bonis, quàm testamenta in bonis testatoris sed si quis mandaret legata cognatis sibi magis coniunctis, qui illa conferret minus coniunctis, tenetur in cõscientia restituere illi magis coniunctis, perinde ac si ipsos re sua expoliasset,ergo similiter in proposito, Confirmatur secundò si quis daret pecuniam œconomo suo distribuẽdam in pauperiores, ille verò existentibus, pauperrimis conferret illam minus indigentibus, teneretur in conscientia ex suis restituere illis pauperrimis quos dimisit.

Secundò violatio iustitiæ distributiuæ cum dãno proximi (vt contra secundum fundamentum magistri Soto probatum est) obligat ad restituendum illi qui minus habet quã debet habere, quia est apertè in æqualitas iniusta,& infertur fratri nocumentum cum iniuria,sed quãdo excluso digniori eligitur dignus,vel excluso digno eligitur indignus,violatur apertè iustitia distributiua cũ damno exclusi,habetque ille exclusus minus, quam debet habere, & recipit apertè nocumentum cum iniuria ergo est ipsi quoque restitutio facienda ab illo iniquo distributore.

Tertiò Episcopus eligens dignũ dimisso digniori peccat contra iustitiã,ergo debebatur illi digniori beneficium illud ex iustitia : consequentia est aperta; nam vbi non est debitum ex iustitia nec peccatum contra iustitiam.

Antecedens verò ostendo,talis Episcopus,vt docet hic D.Tho.ar. 2.est acceptator personarum, in quo conueniunt cum D. Tho. omnes Theologi,& ipse Soto cum suis, acceptatio autem personarum omnium consensu non habet locum nisi ubi est debitum ex iustitia, quo nomine docent omnes Theologi apud Deum non esse acceptionem personarum,quia Deus nulli quicquam debet ex iustitia,ergo beneficium illud erat debitum illi digniori ex iustitia,ergo tenetur illi restituere.Probo consequẽtiam,quia hoc argumento vtuntur Soto, Couar. & cæteri, vt probent non teneri ad restitutionem eligẽtem dignum dimisso digniori, quia non est illi debitum ex iustitia.

Quartò,qui impedit beneficiũ ne detur digniori (ex D.Tho.hic ad 4.) tenetur ad restituendum ipsi digniori,ergo qui non eligit digniorem tenebitur etiam illi restituere.

Probo consequentiam, quia impediẽs curat quidem ne detur, non autem est causa præcipua, vel efficax,voluntas autem distributoris est efficacior causa damni omnium consensu,ergo ad restituendum,& maiori iudice.

Huic arg.respondent,qui contra sentiunt intelligendum esse D. Tho. quando impediens impedit per vim,& fraudẽ, qui verò eligit dignum ex suo beneplacito, & libera voluntate, nullam exercet vim,vel fraudem.

Sed

Sed hæc solutio non est satis apta, quia D.Tho. nullomodo meminit, nec curat vis, vel fraudis, sed quomodocumque quis impediat bene meritum, obligat impedientem ad restitutionem, propter damnum quod illi infert, quia sic impeditus habet minus quam debet habere, quod etiam præstat iniquus distributor. Et confirmatur, si impediens bene meritum ideo teneretur restituere, quia impedit per vim, vel fraudem, & inde oriretur obligatio restituendi ex illa vi, & fraude, profectò, & qui impediret dignum per vim, vel fraudem, vt daretur digniori, teneretur restituere, quod nec somniauit D.Th. imò oppositum. Soto respondet impedientem teneri ad restitutionem, quia vnusquisq; habet actu ius, ne impediatur à re, quam licitè potest obtinere, at qui impedit aliquem à consequutione beneficij, expoliat fratrem illo iure, & ita à consequutione beneficij, expoliat fratrem illo iure, & ita tenetur restituere, sicut qui impediret, ne diues conferret eleemosynam, quam volebat pauperi, quia pauper habet a natura, & actu ius, ne impediatur ei eleemosyna; at quando distributor nō confert digniori, non expoliat illum rem, quā actu habebat, quia ante distributionem res illa communis adhuc actu non habetur. Sed neque hæc responsio tollit vim argumenti. Imò sic argumentor, impediēs tenetur ad restitutionem, quia impedit ius quod habet benemeritus, non conferens digniori similiter agit contra ius quod habet benemeritus, cum non conferatur illi quod meretur ex iustitia, quam ipse distributor tenetur seruare, ergo similiter tenebitur restituere. Et multò magis probo, cum restitutio sit ad reficiendum nocumentum illatum, ille tenetur maiori vinculo ad restituēdum, qui magis nocet, sed plus nocet, qui non dat rem mihi debitam, quam qui impedit, quia impediens non est totalis causa, nec efficax, sicut qui non dat, ergo tenetur, qui non dat, multò magis ad restituendum.

Quintò vna virtus non minuit vim alterius, imò confirmat, & auget, vnde fatetur ipse Soto, uiolantem iustitiam distributiuam quando ipsi coniungitur commutatiua teneri ad restitutionem, vt qui in distributione ærarij publici inter ciues non benè distribueret, quia ex iustitia commutatiua cum id faciat ex officio, & vt minister publicus Rep. tenetur benè distribuere, & seruare æqualitatem in illa distributione, sed distributor beneficiorum, & munerum quæ dantur per oppositionem ad vtilitatem boni communis, tenetur illa benè distribuere ex officio, & eo ipso ex iustitia commutatiua, ergo tenetur restituere illi cum quo non seruauit leges iustitiæ distributiuæ.

Sextò, qui aufert bona quæ possideo, tenetur mihi illa restituere, sed qui in distributione huiusmodi bonorum excludit digniorem, non minus damnum infert illi, quàm si expoliaret eum bonis proprijs, quæ iam possideret, & ita communiter dicimus quando non confertur melius merēti. (Señor como si le quitaran la capa que lleua.) Ergo. Et cōfirmatur: quia quæ mihi iustè debita sunt, perinde sunt mea, ac si illa actu haberem. Vnde est regula: [Quod parum distat, nil distare videtur.] Quæ regula in his in quæ habemus maximum, & notoriū ius, est efficacissima, nam cum sint iam nobis debita, perinde iudicantur nostra, ac si illa actu iam haberemus, cum nihil aliud restet, nisi vt ius illud per æquum, & iustum distributorem redigatur in actum. Vnde communiter Theologi, & optime, simpliciter iudicant, & obligant ad restitutionem, siue fiat iniuria in bonis proprijs, siue in bonis iustè debita iam iudicantur velut propria illius, cui iustè debentur.

Septimò contra vtranque iustitiam agit, & tenetur ad restituendum, qui ex officio tenetur reddere præmia, quæ exigunt merita, sed hęc officia non solum sunt stipendia, verum etiā præmia, ergo qui non reddit illa pro meritis, eligens digniorem, sed dignum, tenetur illi omnino restituere. Imò etiā si ita res haberet, vt solum essent stipendia, iniquus distributor maneret obnoxius restitutioni. Probo, qui impediret artificem contra iustitiam, ne lucretur sua opera, & arte, quæ lucrari potest, tenetur illi ad restituenda omnia damna, & lucra cessantia in integrum, (vt uidimus quæst. præced.) Qui non confert beneficium digni actu, & non reuera impedit illum à lucro, quod illo beneficio vel munere poterat optimè habere, & debuit iure meritorum habere, impeditque illum contra iustitiam distributiuam, & contra ius quod vt benemeritus, habet ad tale beneficium, uel munus ergo.

Ex his patet falsam esse illam regulam D.Soto: quando distributio intendit pręcipuè ipsam distributionem bonorum in ciues, quæ nos dicimus bona in iuuamen, & commodum particularium, tunc violationem iustitiæ distributiuæ obligare ad restitutionē, quando autem distributio intendit potissime vtilitatem Ecclesiæ vel Reipub. & minus præcipuè commodum particularium, tunc non obligare ad restitutionem. Nam in omnibus tam distributionibus, quam commutationibus cuiuscunque generis, obligatio restituendi ortum habet ex violata æqualitate, siue in eo contractu intendatur iustitia pręcipuè, siue minus pręcipuè, dummodo violetur ęqualitas cum damno proximi: nec aliud dici potest, cum proprius, & directus finis restitutionis, sit reducere illam inæqualitatem ad æqualitatem. Vnde D.Th. in loco allegato qu. præced. art. 1. ad 3. non distinguit, quid distributio præcipuè intendat, sed in vniuersum docet, faciendam esse recompensationem, & restitutionem ab iniquo distributore, quando in distributione habet frater minus quàm debet habere.

Nunc ad argumenta in oppositum. In prima conclusione conuenimus cum Soto in priori particula, non autem in posteriori. Vnde ad argumenta quibus probat, ipsi digno excluso per electionē indigni nihil esse restituendum.

Respondeo. Ad primum veram esse maiorē, & falsam minorem: nam qui distribuit ista bona ut minister constitutus à Rep. (tenetur vt vidimus) ex officio, & eo ipso ex iustitia commutatiua consulere vtilitati Ecclesiæ, & seruare leges iustitiæ distributiuæ, vnde peccat contra iustitiam commutatiuam in ordine ad vtrumque, teneturque propterea vtrique restituere, & Ecclesiæ, & illi digno uel digniori dimisso.

Ad secundum dico, non esse commodum exemplum nā œconomus conducens operarios non est distributor, sed emptor laboris, & operis ab illis operarijs faciendi, locatio enim (vt uidebimus) pertinet ad emptionem, propter quod tenetur qui dē restituere domi, cuius pecuniam dedit in rem vtilem, operarijs autem optimis quos nō locauit non tenetur restituere, cum ab illis nil emerit, at in distributione, quando eligitur indignus, nocet talis elector, & cum iniuria dignis quos excludit & ita tenetur illis restituere.

Ad tertium dico, in isto casu communiter fieri restitutionem Ecclesiæ quæ defraudata est optimo ministro, alijs verò qui poterant illi rectè præesse non fieri, quia nec se opposuerunt, nec tale benefi-

ciuin

stulo postularunt, quo fit, vt & si haberent ius, proinde tamen iudicentur ac si noluerint illo vti, vnde nulla est ipsis facta iniuria.

Ad argumenta quibus confirmat Soto secūdam conclusionem,

Ad primum pro priori parte conclusionis respōdeo, violari vtramque iustitiam quando dimisso digniori eligitur dignus in beneficijs quæ oppositione conferuntur, vt constat ex dictis. Ad probationem verò, constat etiam ex dictis; hæc beneficia, & munera non esse mera stipēdia, sed præmia quoque virtutum, & posito illa essent stipendia, non valet ratio.

Primò, quia sunt adeo pinguia, & honorifica, vt quando se offert dignior, & dignus non sit operarius proportionatus illis. Secundò quia leges Ecclesiæ & Reip. volunt ista dari melioribus, vnde tenetur illis restituere sicut qui violauit leges distributiuæ, ad quas tenetur ex officio. Ad exemplū de œconomo, constat œconomum non distribuere, sed locare operas, casu verò quo dominus diceret œconomo, vt conduceret vtiliores, si ipse locaret vtiles tantum, teneretur restituere, & domino, & ipsis, si ea die nō laborassent, quia ex officio tenebatur locare illos, nocuitque illis cum iniuria. Idem iudicium est de duce exercitus, stipendia enim illa quę conferuntur militibus pro suis laboribus, propriè non pertinēt ad iustitiam distributiuam, imò sunt solutio suorum laborum, & in solutione sufficit ut reddatur pretium pro valore laboris, secus est quādo militibus veteranis redduntur præmia ex ærario publico, & bonis communibus, tunc enim est verè distributio, in qua distributor constitutus à rege, nisi benè distribuat, & pro meritis, ac dignitate violaret vtramque iustitiam, & teneretur ad ad restituendum.

Ad secundum respondeo, veram esse maiorem, & minorem falsam; quia non confert Ecclesiæ, & Reip. ministrum ipsis debitum, conferens dignum, quando potest digniorem, cū ipsa exigat per suasque leges oportet habere meliorem, & vtiliorem, qui commodè haberi potest. Nec est intolerabile, & laqueos conscientijs iniicere, nec obligare electores ad summam vtilitatem, & ad excellētissimos ministros. Quia differunt hæc plurimum, quærere excellentissimos ministros, aut ex oblatis eligere & amplecti præstantiores, prius illud esset intolerabile, ad quod nō dicimus electores teneri: ad posterius vero, cum sit illis facilè, & officium quod exercent ita exigat, tenentur. Ad confirmationē, fateor non esse instituta huiusmodi officia, & beneficia nisi in commune bonum, nihilominus eo ipso quo in hūc finem instituta sunt, debent bene distribui, & pro meritis, quia hic secundus finis vt vidimus iuuat & deseruit illi priori.

Ad argumenta quibus probabant tertiam conclusionem.

Ad primum respondeo, verissimum esse, digniori (vt probatum est) deberi ex iustitia officium vel beneficium.

Et ad primam instantiam respondeo, dignū electum non teneri ad resignandum beneficium sibi collatum, quia cum ipse, nec sit elector, nec impedierit digniorem, sed tantum curauerit sibi prodesse, receperitque beneficium illud bona fide, nec digniori nocuit cum iniuria, nec occupat iura illius, nam dignior tantum habet ius ad beneficiū, quamdiu existit illud inter bona communia, post quam autem digno collocatum est, habet iā dignus actu possessionem, & ius illius, digniori vero cessat ius, quod ante habebat, sicut, & beneficiū desinit esse bonum commune sicut antea erat: manet uero illi ius in bona iniqui distributoris, titulo restitutionis.

Ad secundam instantiā dico, nō esse simile, quia fundus Petri adiudicatus Ioanni per iniquam sententiam numquam est Ioannis; sed semper manet Petri; quia sententia iniusta non transfert dominiū in foro interiori, & ita Ioannes, tenetur illum restituere, quam primum nouerit illius sententiæ beneficium collatum digno est actu ipsius, cessatque (vt diximus) ius dignioris in illud, quam primum cessauit illud esse bonum commune.

Ad secundum respōdeo, Episcopum bona fide credentem Petrum esse digniorem, etsi deinde intelligat esclusum fuisse digniorem, non teneri ad expoliandum Petrum, & conferendum illud beneficium excluso, quia ad iustam distributionem sufficit, vel elector illi conferat, quem bona fide tempore electionis credit meliorē, sicut iurant electores in illa dragmatica Concilii Basiliensis.

Ad tertium respondeo ex D. Thom. infra q. 100. ar. 2. ad 5. licere redimere vexationem per pecuniā, quando iam habetur titulus beneficii, uel possessio eius, & alter mouet iniquam litem, quia tunc propriè nō acquiro beneficium per pecuniam, sed acquisitum retineo, molestiam autem quæ mihi iniustè infertur conor reiicere per pecuniam, vt ante quam beneficium actu, & titulo habeatur, etiam si habeatur ius meritorum ad illud, non licet dare pecuniam, quia cum beneficium non sit acquisitū sed acquiratur, quamdiu acquiritur dare pecuniā, esset dare illam ad obtinendum beneficium, & consequenter symonia.

Ad quartum respondeo ex iam dictis, œconomum conducentem operarios non distribuere, sed emere operas illorū, & ideo posse dimittere quos voluerit, & adducere quos voluerit, modo adducat utiles, & quorum opere sint proportionatæ, & æquales stipendio accipiendo, nec operarii dimissi habent ius aliquod in stipendium illud, sed illi tantum qui laborant, in bona verò communia habent digniores ius, quod non habent digni, & ita est illis facienda restitutio.

Ad quintū respondeo, digniori qui fuit in priori prouisione defraudatus, conferendum esse in secunda beneficium, nec propterea alteri etiam digniori qui in eadem secūda prouisione illud quoque postulat, fieri iniuriam, cum non habeat potius, vel maius ius ad illud, quam prior ille cui dicimus conferendum, tanquam nullum adhuc beneficium habenti: cæterum tenetur nihilominus Episcopus in foro animæ, alia damna ex propriis ei reficere, alia inquam quæ passus est præter expoliationem beneficii prioris, damno enim quod recepit ex beneficii expoliatione iam satis fit per collationem subsequentis. Et quod dicitur restitutionem faciendam esse ex propriis, intelligitur de restitutione quę fit propter violatam iustitiam commutatiuam per se, & directè, quando autem restitutio orta est ex violatione distributiuæ primò & per se, potest satis fieri etiam ex communibus.

Ad sextum dico, digniorem non habere ius in re, quia nondum illam actu possidet, habere tamen ius ad rem in merito, & iusta spe: vnde fit illi iniuria contra hoc ius. Quod autem non possit agere in foro exteriori ratione huius iuris, nec contra electum, nec contra electorem, non ex eo est, quia in foro conscientiæ non habet ius, sed quia ad uitandas lites expedit bono communi, vt ratione huius iuris non detur dignioribus actio in iudicio: esset enim oceanus litium, si digniores possent agere de suo iure in iudicio.

Sed dices, iste dignior exclusus, quo ad actum possidendi non habet modò minus quàm antea habebat, ergo nihil est illi restituendum. Dico in primis restitutionem non solum requiri quando quis habet minus, quàm antea actu haberet, verum etiam (vt dicit D. Tho.) quando habet minus, quàm antea debuit habere. Dico secundò, licet non habeat in actu minus quam antea haberet, habet tamen minus quàm antea habebat in spe & in iure, quod sufficit vt teneatur distributor restituere, ratione scilicet huius iniuriæ illi illatæ. Sicut qui infert dãnum habenti segetes in herba, nõ infert damnum in re, quæ est in actu, sed in re quæ tantum est in spe, & proxima potentia, & ideo tenetur restituere damnum illatum, perinde ac si intulisset in re illa iam existente in actu; quia sufficit vt res sit in debita spe, & proxima potentia, vt tenetur lędens in illa restituere totum damnum.

Quæres, [Quo ratione restituet iste iniquus distributor?] Dico Ecclesiæ vel Reipub. ita esse restituendum, vt comparetur inter se vtilitas quam ille exclusus poterat præstare, nam illa erat tunc debita, & insufficiẽtia electi, ac minor vtilitas ipsius, & tunc ad arbitrium prudentis tantum restituat, quantum Ecclesia deprehenditur habere minus vtilitatis. Similiter considerentur fructus Ecclesiæ illius, & quas expensas facturus esset exclusus in illius Ecclesię administratione, quid labori suo respondeat, & his deductis, quod amplius est in fructibus, ad arbitrium etiam prudentis iuxta facultatem suã restituat; hac enim via habebit vnusquisque id quod in distributione minus habuit, quam debuit habere.

Quęres de electoribus in cathedris, [Qua ratione se debeant habere?] Dico primò hos teneri ad seruandam æqualitatem iustitiæ distributiuæ, sunt enim veri iudices, & electores, & sic qui dimisso digniori eligit minus dignum, tenetur sicut expositum est restituere. Dico secundo teneri istos electores ad seruanda statuta vniuersitatum, cum iurent iuxta illa se electuros, quibus non seruatis, digniori propter vota aliorum excluso tenentur ad restituendum, quia iniquè illum expoliarũt illa cathedra ipsi iustè debita. Vnde qui non est matriculatus, & vouet, etiam si fiat ex consensu oppositorum, qui est matriculatus in libro Theologorum et vouet in cathedra Iurisprudentię, qui fictè & simulatè bis, aut ter ingreditur ad ferendum votum in eadem cathedra. Qui accipit munera ab aliquo oppositore, qui detulit instrumenta bellica prohibita statutis vniuersitatis, omnes isti, & similes agentes contra statuta vniuersitatis sunt periuri, quia iurãt se iuxta illa ferre suffragium, & tenentur ad restituendum, si ob eorum vota non obtinet cathedram, qui illam obtinuisset ipsis non vouentibus, quia per fraudem, & iniquitatem eorum alter impeditus est à bono, quod obtinuissent. Tenenturq; restituere ipso facto ante iudicis sententiã, primò quia qui nocet proximo cum iniuria, ipso facto ex natura sui actus tenetur restituere, non expectata iudicis sententia, quo modo nocent isti.

Secundò, quia lex priuatiua (vt diximus) ipso facto obligat ante omnem iudicis sententiam, vt lex quæ priuat clericorum bonis paternis, sine vlla sententia obligat tales filios, si illa acceperunt ad restituendum, & cum istæ leges priuent huiusmodi scholasticos suffragio, faciantque illos omnino inhabiles ad suffragandum, ipso facto tenentur restituere illi, cui suo suffragio nocuerunt.

QVAESTIO LXIIII. De Homicidio.

EXplicatis vitijs quæ iustitiæ distributiuæ repugnant agit nunc D. Thom. de his quæ opponuntur commutatiuæ, illa verò sunt quæ cedunt in damnum priuatum proximorum, corporis, bonorum, vel famæ, vnde optima methodo agit nunc de damnis, quæ corpori inferri possunt incipitque tanquam à maiori & potissimo ab homicidio de quo Doctores in 4. d. 15 Summistæ in verbo Homicidium, Iuristæ titulo de Homicidio. Soto lib. 5 q. 1. Victoria in sua erudita Relectione de homicidio.

ARTICVLVS I.

An liceat occidere quæcunque viuentia?

HVnc articulum propter D. Thom. propter Manichæos. Qui (vt refert D. Aug. libr. 1. de ciuit. Dei cap. 20. vnde sumptus est locus quem habet hic D. Thom. in argumento in contrar. & libr. de Hæresibus ad quod vult Deum hæresi. 45. & lib. 6. contra Faustum c. 5. & 6. lib. 2. de moribus Manich. c. 14. & 15. lib. 3. confess. c. 3. vbi deplorat, se habuisse aliquando hunc errorem) dicebant non licere scindere, nec vellere herbas, quas vt habentes vitam & sensum dicebant tollere, & naturam ista creasse vt viuant propter quod damnabant agriculturam, & agricolas vt occisores herbarum, & inimicos naturæ: Idem dicebant de animalibus vt refert D. August. locis cit. contra Faustum: Putabant enim animam animalis esse partem Dei, & ideo non licere priuare animal anima sua, quo nomine damnabãt sacrificia veteris legis, vocabãtque Deum Vet. Testam. malum, & impium Deum sanguinum, amicũque occisionum. Contra quem errorem sit catholica conclusio de fide.

CONCLVSIO I.

Simpliciter & absolutè licet euellere herbas in vsum animalium, & occidere animalia in vsus hominum.

PRobatur. Diuina ordinatione, & iure, homo est dominus animalium, & herbarum, potestque illis liberè vti in suum cibum, & sustentationem, Gen. 1. [Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa lingua, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ.] Et Genes. 9. [Omne quod mouetur, & viuit erit uobis in cibum.]

cibum.] Vniuersaque Sacra scriptura testatur omnia quæ sub cœlo sunt in hominũ vsus esse a Deo creata. Psa. 9. [Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.] Quod dominium nil aliud est quam ius ad accipiendum ista in proprios vsus, non potest autem homo vti animalibus ad proprios vsus, & in suum cibum, & escam nisi occidendo illa, ergo.

Probatur etiam demonstratione naturali qua vtitur hic D. Tho. sumpta ex Arist. 1. Polyt. Nil magis consonum naturæ, quàm vti vnaquaque re in finem, ad quem est ordinata, sed in hoc vniuerso imperfectiora sunt propter perfectiora, ergo licet vti eis in commodum perfectiorum, sunt autem viuentia imperfectiora sentientibus, sententia imperfectiora vtentibus ratione, ergo licet vti viuentibus in commodum sentientium, vt herbis in vsum iumentorũ, & sentientibus, vt brutis in vsum hominum, laborando vel vescendo illis.

Errorem Manichæorum significat Pau. 1. ad Timoth. 4. iam quosdam habuisse, quos repræhendit dicens. Non oportet abstinere a cibis, quos Deus creauit, ad percipiẽdum, cum gratiarum actione. Vnde Act. 10. Cum Petro fuissent ostensa multa animalia, & inter ea aliqua quę lex vetus iuxta suas cæremonias edere prohibebat, formidaretque Petrus, an omnibus illis vesci posset, dictum fuit licere iam ex omnibus vesci omniaque esse mundata a Deo. Et Christum Dominum Agnum Paschalẽ, ac pisces comedisse testantur Euangelistæ.

CONTROVERSIA I.

AN VENATIO SIT LICITA.

Contra hanc doctrinam est obiectio, Si liceret animalia occidere, venatio, & aucupiũ licita essent, at ea illicita sunt, maximè viris Ecclesiasticis, ergo non licet occidere animalia. Maior cum consequẽtia aperta est. Minor probatur ex D. Aug. in Psal. 102. & refertur d. 86. can. Qui venatoribus. vbi venationem vocat artem nequissimam. Et ca. sequenti ait idem Aug. Qui venatores vident & delectantur, videbunt saluatorem, & tristabuntur. Et Diu. Hieron. in illis verbis psalm. 90. Ipse liberabit me de laqueo venantium. Et habetur eadem dist. can. Esau. ait: Esau fuisse malum, quia venator. Et addit, In sacris litteris nullum sanctum patrem legimus venatorem, plures autem piscatores. De personis autem Ecclesiasticis extat specialis prohibitio dist. 34. can. Episcopum, & can. Quorundam, & cap. primo. Ne clerici, vel monachi. Et cap. fin. de clerico Venatore.

Ad solutionem huius dubitationis obseruemus venationem, seu aucupium ex duplici capite esse prohibita.

Primò ratione loci, quia locus ille sit alicuius Communitatis, vel Principis, aut personæ, cui venando in tali loco infertur damnum, de quo ac restitutione illi debita egimus iam abundè supra q. 62. artic. 3. Potest secundò esse prohibita venatio ex natura actus, vel quia fit actus ex se malus, vel quia ex parte personæ venantis fit ei aliquo iure interdictus. Et hoc modo videndum est nunc, an sit licita venatio.

CONCLVSIO PRIMA.

Venatio simpliciter & secundum suam naturam omnibus est licita, & ex consequenti recreationis causa licet animalia occidere.

Ita Arist. 1. Polyt. c. 5. & lib. 7. c. 2. & D. Thom. 1. p. q. 96. art. 2. & lib. 2. De regimine princip. ca. 6.

Et confirmatur vsu omniũ nationum, & ratione. Venatio secundum se est vti animalibus in suos vsus, homo autem est omni iure dominus animalium, potestque illis vti in suos usus, ergo secundum se licita est.

Secundò licet homini aliquando ludere recreationis causa, imò est actus virtutis seruatis debitis circũstantijs, sed venatio est quidam ludus recreationis causa sumptus, ergo. Vnde quãdo in Sacra Scriptura fit mentio eius, non damnatur secundum se, imò videtur approbari, nam Isaac præcepit filio suo Esau, vt ex venatione aliquid ei afferret, vt ei benediceret, & Salomõ ex venatione scribitur magnam copiam auium, & animalium habuisse, eo adhuc tẽpore quo sapientia, & Dei amicitia fruebatur.

CONCLVSIO II.

Venatio quamuis secundum se licita sit, ex circunstantijs tamen potest reddi mala, & illicita.

Patet, nam mala est si fiat sine circumspectione, & cum periculo lædẽdi proximo, occidendo animalia aliena vel conculcando segetes, aut vineas, eritque mortale grauius aut læuius, secundum defectum circumspectionis, & periculum cui se exponit inferẽdi damnum. Potest etiam vitiari ex alijs circũstantiis communibus, quibus alia opera de se licita possunt & solent vitiari, vt si se exponat periculo non audiendi missam, aut non conferendi panem pauperibus vt conferat canibus.

CONCLVSIO III.

Monachis & clericis propter decentiã sui status prohibita est venatio à iure.

Patet ex capitibus citatis in argumento, nõ tamen sub mortali si ea fiat sine temeritate, cõtumacia, scandalo, & contemptu statuti Ecclesiastici. Ita Armilla in verbo venatio, & Cayet. in verbo peccata clericorum, & Sylu. in verbo venatio, vbi ait venari nullum esse peccatum in clericis vel monachis, si fiat cum quiete & modestia. Estque communis inter Canonistas in ca. cit. Et est ratio apertissima. Quæcunque præcipiuntur Ecclesiasticis ratione decẽtiæ sui status sine censura, aut præcepto obediendi, tantum obligant, quantum exigit decentia sui status, actus autem venandi in quo nullum est scãdalum, nec perturbatio, aut immodestia, non repugnat decentiæ sui status, ergo ista statuta Ecclesię, quibus prohibetur Ecclesiasticis venatio, quando sine scandalo & cum quiete & modestia illã exercent, non obligat saltim ad mortale. Vndę illa decreta intelligenda sunt de venantibus cum strepitu, immodestia, & scandalo, sæcularium, & con. firmatur ex illo can. Episcopum: vbi non absolutè damnantur clerici venatores, sed qui hac voluptate sæpius detenti desunt suo officio. Et in Concil. Trident. sess. 24. capitu. 12. De reformatione præcipitur canonicis abstinere ab illicitis venationibus, vbi cum non dicatur absolutè à venationibus, aut ab omnibus venationibus, sed ab illicitis, supponitur apertè aliquas esse ipsis licitas,

Deni-

Denique patet ex communi consensu peritorum, viri enim timorati & periti ex eo quod videant clericos venari nullum patiuntur scandalum, nec habent scrupulum si ipsimet venentur; modo id fiat cum conditionibus dictis. Et quod est considerandum, Ordinarij non prohibent venantes sine scandalo, & cum modestia, nec aliquibus pœnis propterea ipsos afficiunt, quos certè punirent, si aliquod venando committerent peccatum.

CONCLVSIO IIII.

Piscatio nullo iure est prohibita clericis, aut monachis.

VNde vt benè obseruat D. Gregor. post Christi resurrectionem Apostoli redierunt ad piscandum, vt rem licitam, Mat thæus verò non rediit ad Toletanum, vt rem maximè periculosam. Ita Sylu. & Armilla in verbo piscatio. Ratio est, quia hæc cōmuniter fit cum maxima quiete. Estque licita non solum alijs diebus, verum etiam in festis, quando fit ob recreationem, non autem ob lucrū, quia hoc fine piscari est opus seruile; nisi interueniat necessitas, vel quando eo die adueniunt pisces statim recessuri. Per dies autem festos intelligunt Doctores dies Dominicos, & alia festa communia, non autē festa maximè solemnia, vt Natiuitatem Domini, primum diem Paschæ, Assumptionē B. Mariæ, &c. nam in his nullo modo licet piscari, & adducitur pro his c. Licet extra de feriis.

Ad loca illa D. Aug. & Hier. dico, Augustinū condemnare ibi quandam venationē, quæ dicitur arenaria. Fit. n. mentio in iure triplicis venationis. Prima dicitur oppressiua hominum, de qua Gen. 10. Erat Nembroth robustus venator coram Domino. Idest non solum feras, sed etiam homines venatione opprimens, & interimens. Et hæc est omni iure illicita, de qua dist. 6. can. Non est. Secunda dicitur arenaria, eratque in vsu apud aliquas gentes, quæ descendebat homo in arenam cum aliqua bestia dentata, quæ etiam est illicita, de qua agitur in illo c. Qui venatoribus, vt patet ex progressu capitis, & communi intelligentia Canonicorum. Licet Caie. explicet in Sum. Hier. & Aug. de venatione illicita ex circunstantiis, sed præstat expositio posita. Vide D. Aug. in prologo ps. 147. Ex quo sequitur primò, venationem quæ dicitur Monteria quæ venantur vrsos, & apros, ac feras clericis esse illicitam, cū hæc non possit fieri sine strepitu, & perturbatione, & indecentia sui status: sæcularibus verò erit licita, si fiat cum maxima circumspectione, & prudentes occurratur periculis quæ ex feritate bestiarū euenire possunt, sequitur, secundo licere agitare tauros, qui iudicantur prudentes, non feroces esse, nec nociturus, at vbi feroces esse solent, & constituere homines in discrimine vitæ, illicita est huiusmodi taurorum agitatio, & merito prohibita à Pio V. Peccantque grauiter gubernatores Reip. illā permittentes, & qui cum huiusmodi tauris in arenam descendunt, cum voluntariè ac temere exponant se periculo vitæ, & clerici qui illis intersunt manēt excommunicati. Tertia venatio dicitur saltuosa, quæ fit in saltibus, & syluis sine vllo periculo pariédi, vel inferendum damnum alicui, vt qui venātur ceruos, cuniculos, aues, & similia animalia, & hæc est licita, de qua extra de decimis. c. Non est in potestate. vbi videnda est glossa. Alia controuersia hic se offert.

CONTROVERSIA II.

AN ESVS CARNIVM ANIMAlium fuerit licitus, & in vsu ante diluuium.

DIsputatur hæc quæst. ab expositorib. Sacræ Scripturæ Gen. 9. ab scholasticis uerò in materia de temperantia, vel Ieiunio in 4. D. 15. à discipulis D. Tho. à qui busdā 1. 2. q. 103. ar. 2. ab alijs loco quos imitati cam hic tractabimus.

In hac quæst. tres sunt præcipuè opiniones, Prima est ante diluuium fuisse præceptum de non comedendis carnibus, & obseruatum toto illo tempore, ita Lyranus in c. 9. Gene. Abulen. in 1. c. Gene. q. 34. & in c. 9. q. 2. vbi adducit illud Boetij lib. 2. de consolatione, Metro. 5.

Fælix prior ætas contenta dulcibus aruis,

Idem docuerunt ex antiquis Theodoretus, Rabanus, Rupertus Abbas, Ricardus de S. Victore, & Dionysius Cartusia in cap. 9. Gen. quos refert Lipomanus in idem c. D. Chrys. Homil. 17. in Ge. & Oncala in idem c. Vbi refert D. quoque Isidorum pro hac sententia. Docent hi omnes esum carnium nō fuisse in vsum ante diluuium: quod fuerit prohibitus habent tantum expresse D. Chrys. & Abulen. locis cit. Quod si quæras quando fuit prohibitus? Respondit Abulen. Gen. 1. quando primo pareti solas herbas & fructus arborum proposuit Deus in cibū vnde argumētantur. Gen. 1. solas herbas & fructus assignauit Deus hominibus in cibum, post diluuiū verò dixit Noë. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum. Ergo apertè ex Sacra Scriptura ante diluuium solus vsus herbarum erat permissus, vsus verò carnium post diluuium cœpit esse concessus. Probo cōsequentiam, quia sitam antea fuisset concessus, frustra tunc concederetur Noë & filijs ipsius. Et confirmatur ex eo quod subdit Deus: habet enim primo ibi. Quasi olera virentia tradidi vobis. q. d. iuxta communem Sanctorum Patrum interpretationem, quemadmodum ab initio concessi primis parentibus olera virentia in eorum cibum, ita nunc concedo vobis carnes animalium: Habet secundò. Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Ex quo sic argumentor. Si ante diluuium iam homines vtebantur carnibus, percunctor an illas cum sanguine, idest crudas, comedebant, aut secus? si prius dederis, cur tam horridum facinus per annos ferè 1600. non prohibuit Deus, si verò iam sine sanguine illas comedebant, vt quid de nouo præcipitur? certè id frustra tunc præciperetur. Vnde dicendum est, fuisse tunc concessum hominibus vsum carnium, ac vt in re noua docuisse illos Deus, & admonuisse, ne aderent carnes crudas vt bestiæ, sed elixas, vel assas. Hoc enim significat sine sanguine. In hanc opinionem declinat etiam D. Th. quamuis illam non apertè, habet namque 1. 2. q. 103. art. 1. ad 4. art. Distinctio animalium mundorum ab immundis nō fuit ante legem quo ad esum, sed tantum quo ad sacrificia, cū Genes. 9. post diluuium dictum sit, omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum, quasi tunc omnia animalia sine distinctione tradita sint hominibus in cibum. Et qu. 102. art. 6. ad 2. ait. Esus plantarum & terræ nascentium fuit apud homines etiam ante diluuium, sed esus carnium videtur esse post diluuium introductus: dicitur enim Gen. 9. quasi olera virentia. Simile habet Rom. 14. lect. 1. in illis verb. Qui autem infirmus est olus manducabit.

Secun-

Secunda sententia est Caiet. in 9. c. Gen. vbi sentit esum quidem carnium non fuisse in vsu ante diluuium, non tamen fuisse tunc prohibitum. Priorē partem probat argumentis adductis pro prima opinione. Et confirmat quia ante diluuium, cum adhuc terra non esset salsedine aquarum diluuii sua illa primæua fæcunditate, & virtute priuata, herbæ & fructus arborum erant tanti saporis, & virtutis, vt homines etsi peccatores & impij non appeterent alios cibos, nec aliis indigerent. Posteriorem verò partem probat, quia ab initio fuit hominibus concessum dominium animalium, nec videtur ad alium commodiorem vsum tale dominium concessum, nisi vt illa occidere, & comedere possent, si vellent.

Tertia opinio est ante diluuium non fuisse prohibitum esum carnium imò fuisse iam in vsu, ita iudicat probabilissimum Soto lib. 5. de iust. q. 1. artic. 1. In eandem videtur declinare Victoria in sua Relect. de temperantia nu. 3. licèt non expressè, quia videtur etiam fauere primæ opinioni. Sotum sequuntur nonnulli recentiores Thomistæ, alii verò primæ tanquam probabiliori subscribūt. Probat autem Soto suam opinionem. Primò si ante diluuium homines nō comederunt carnes, hoc fuit, vel quia prohibitum, vel quia ignorabant tūc saporem carnium, vel quia non erat tunc necessarius cibus. Sed nulla ratio ex his hoc suadet, ergo. Non prima, non enim existit tota Sacra Scriptura talis prohibitio expressa, nec est indita mentibus humanis; quia ita natura inclinasset ad abstinentiam carnium, cum tamen inclinent potius ad illas, tanquam ad cibum cōmodiorem saluti, & gustui, estque testimonio Medicorum esus carnium hominibus maximè naturalis. Nec secunda, quia non est credibile, vt per 1600. annos qui decurrerunt ab initio mundi vsque ad diluuium, ignorauerint homines tàm practicè, quàm speculatiuè (quorum ingenia acutiora tunc erant,) carnes suauiores, & sapidiores esse quibusuis herbis, & fructibus.

Nec tertia quia, licet in natura integra, & statu innocentiæ, hæc consequentia esset bona, hic cibus non est necessarius, ergo nec in vsu, propter rectitudinem appetitus: in natura tamen lapsa nihil valet, quia ex deprauato appetitu solent homines appetere etiam cibum non quod tunc quidem poterant, maximè prope diluuium, quo tempore, [Corruperat omnis caro viam suam,] Et tantum studebant homines voluptati & luxui. Quis autem credat homines libidinosos, & lasciuos, ac voluptatibus deditos abstinuisse à carnibus, & gula ? cum luxus & gula non sit in herbis, sed in carnibus.

Secundò Deus tradidit statim ab initio hominibus dominium omnium animalium & similiter vsum, sed sunt quædam animalia, quorum nullum omnino potest homo habere vsum, nisi comedendo illa, vt perdix, gallina, ergo.

Tertiò ante diluuium fuere iam multa sacrificia animalium, de sacrificio autem iure gentium, & vsu omnium nationū ab origine mundi comedit sacrificans, ergo saltim fuit aliquis esus carniū animalium quæ sacrificabantur. Quod si dixeris, eo tempore de sacrificio animalis tantum cedere in vsum Sacerdotis pellem & lanam: contra inquit Soto. Gen. 4. dicitur sacrificium Abel magis acceptum Deo, quàm Cain, at si solam pellem & lanā Sacerdos inde acciperet, non autem carnes, exigui valoris erat quod tunc offerebatur, nec erat cur sacrificium Abelis dicatur magis acceptum.

Et confirmatur quia tunc partim ob sacrificia, partim vt ex pellibus & lana eorum indumenta sibi homines pararent, excoriabantur multa animalia, nec est credibile vt propter solam pellem excoriarentur, aut vt tot animalia excoriata carnibus voluoribus relinquerentur: Imò est maximè probabile inquit Soto, vt igni admouerent carnes illorum, saporemque illorum gustarent, sicut igne panem & oleta virentia apparabant.

Quod si dixeris contra Soto, fuisse tunc herbas accommodata stomacho & calori naturali, carnes verò cum plurimum excederent herbas in virtute, non esse calori naturali proportionatas, & ita illas comedisse, sicut modò infirmus non comedet carnem bouinam, etiam si illi sapida appareat, quia non est proportionata calori ventriculi infirmi. Respondet Soto, nō habere locum hoc immodum, quia sicut tunc virtus carnium erat maior, ita quoque virtus caloris naturalis ventriculi.

Denique cum venatio (vt constat) sit iure naturali concessa, fuit etiam in vsu apud primos illos homines ante diluuium tempore legis naturę, nam & Lamech communiter dicitur venatione, & casu occidisse quendam hominem, quem Hæbræi volunt fuisse Cain, venatio autem incœpit ad capienda animalia, & comedendas eorum carnes.

In hac quæst. conueniunt omnes, in statu naturæ integræ, & toto tempore quod durasset fœlicitas illa, homines sine dubio non vsuros carnibus, partim quia herbæ, & fructus paradisi terrestris erant maximæ virtutis, & nutrimenti, excellentissimique saporis. [Vidit enim mulier quod lignum vitæ esset pulchrum visu, & ad vescendum delectabile,] Partim quia appetitus hominis esset rectus, & maximè compositus rationi, nec desideraret vllo modo cibum non necessarium, qualis erat carnium, fructuum ad nutrimentum, & saporem, adeò excellentium abundantia. Quibus accedit, vt sicut modò ad reficiendas vires infirmitate vel senectute labefactatas viuntur viri & abstinētes, ac religiosi carnibus, ita tunc haberent homines in paradiso lignum vitæ, cuius fructus erat eximię virtutis ad reficiendas vires, & tuendam vitam in ęternum. Quæst. ergo tota est in [illegible] natura lapsę vsque ad diluuium: In qua exclusa opinione Caiet. quæ parum habet probabilitatis, cum non rectè sequatur, erat homo dominus animalium, ergo poterat licitè vti ab initio carnibus eorum, nā Iudæi post legem erant domini animalium, cum tamen multis carnibus eorum vti non possent, vt suillis & similibus: pupillus quoque est dominus suorum bonorum, nec potest illis liberè vti, vsque ad præfinitum tempus, vel à lege.

Hac ergo exclusa opinione, ex alijs duabus dico vtramque esse probabilem, sed primam probabiliorem, nititur enim illi loco Sacræ Scripturæ, Gen. 9. ex quo quamuis non sequatur necessariò ista opinio, quia potest dici (vt dicit Soto) ibi non esse hominibus concessum de nouo vsum carniū, sed tantum explicatum modum comedendi illas sine sanguine, idest coctas vel assas, quia ante diluuium hōies [illegible]eri, & crudeles, & omni genere virioris pleni comedebant carnes crudas, cōtra præceptum naturale, abhorret n. natura ipsa in hominibus à tali cibo cōis tamen expositio sanctor[illegible] cui maximè in legitimo sensu Sacræ Scripturæ standū est, ita intelligit, vt tunc de nouo concessus fuerit hominibus vsus carnium, quia terra aquis diluuii, & earum salsedine (durarunt enim supra terrā fe-

rè per integrum annum (labefactata, herbæ & fructus desinerunt habere cum saporem, & virtutem, quam habebant ante diluuium, sicut modò videmus quando abundant pluuiæ fructus putrescere, & reddi insipidus, ac in locis montuosis, & aridioribus produci sapidiores. Communiter etiã omnes historiæ tàm Ecclesiasticę, quam seculares hoc videntur supponere tanquam certum, homines ante diluuium solis herbis, & fructibus vsos.

Secundò si aliqui homines tunc fuissent vsi carnibus, certè alicubi Sacra Scriptura id explicasset, vel aliquo modo significasset, at nihil tale videmus, imò oppositum colligunt ex Sacra Scriptura Doctores.

Tertiò dicere Gen. 9. fuisse tantum hominibus explicatum modum comedẽdi illas, quia ante diluuium comedebant crudas, hoc repugnat ipsimet Soto, quia ait in confirmatione sui tertij argumenti non esse probabile, quin homines tot animalia excoriantes, amouerent igni carnes eorum, vt sic earum saporem gustarent, sicut igne cibaria, & olera sibi apparabant. Denique ex vitijs hominum non benè colligitur tunc esus carnium, quia tẽporibus ieiuniorum in quibus non est vsus carnium, nõ desinunt & viri sancti, & maximè abstinentes a propria concupiscentia plurimũ & vehementer solicitari. Adde quod Abel pius & sanctus fuit pastor ouiũ, Cain impius, & iniquus agricola, etsi ob vitia carnium vsum appetiissent improbi, iusti verò herbas, & fructus, contra oportuisset accidere, vt Cain impij fuissent pastores ouiũ, iusti verò agricolæ herbas & fructus curãtes.

Vnde ad argumenta Soti respõdeo, Ad primũ, homines abstinuisse ab esu carnium quia non fuit eis confessus, vsque ad diluuium, sicut habet communis expositio sanctorum, vel si concedamus nõ fuisse prohibitum cum Caiet. dicemus non fuisse toto illo tempore vsum carnium, quia primi homines filij Adæ illas non comederunt, & similiter posteri, vt imitarentur maiores suos, quod si qui illas essent comesturi erant descendentes ex Cain, quos vocat ibi Sacra Scriptura filios hominũ, qui erant Idolatræ, & impii, hi autem habebant exẽplum Cain, qui eas non comedit, sed terræ nascentia, propter quod nõ fuit pastor ouium sicut Abel, sed agricola. Quantum autem in his valeant exẽpla maiorum cõstat, etenim quia emarcuerat neruus fœmoris Iacob, Israelitæ amplius non comederunt neruum fœmoris animalis. Recabitæ suũ patrem Recab sequuti non bibebant vinũ, & modò Æthiopes subditi presbytero Ioanni ducti exẽplo maiorum, comedunt carnes crudas & non ob voluptatem. Apud Iapones non est vsus carnium, vt refertur, nec apud Sarracenos vsus vini ob exẽplum maiorum, cum tamen omnes isti sint viri perditissimi, & innumeris vitijs, ac turpissimis abundent.

Ad secundum respondeo, sufficere homini ad dominium animalium, vt posset vti carnibus eorum, tempore quo sibi à Deo concederetur, in statu enim naturæ integræ erat homo verus & perfectus Dominus animalium, nec tamen in eo statu carnibus eorum vt constat fuisset vsus, sicut pupillus est verus dominus suorum bonorum; nec potest illis liberè vti vsque ad præfinitum tempus.

Ad tertium dico, sufficere sic vt lana, & pelles essent in vsum sacrificantis, non enim erat necesse vt sacrificans comederet de carne sacrificij, neque hoc includit in se ratio sacrificii. Abraham enim nisi Deus occurrisset, verè sacrificasset filium suum, de cuius carnibus non erat manducaturus. Et in præstantissimo sacrificio quod vocabatur holocaustum, nil sibi retinebat sacrificans, sed tota hostia comburebatur. Et ad replicam ex sacrificio Abel sumptam, dico illud sacrificiũ non fuisse Deo magis acceptum, quia caro eius cederet in alicuius vsum, sed quia sacrificans fuit Deo gratior, [Respexit enim Deus ab Abel & munera eius.] Prius ad Abelis fidem, animum, & pietatẽ, & ratione horum ad munera eius. Ad aliam confirmationem dico, sufficere vt excoriarẽtur ad vestes & indumenta, nam cum duplex hominis necessitas sit, victus, & indumẽti, ad victum vtebantur herbis, & fructibus, ad indumẽta pellibus animalium, quæ certè tunc non erant multa, nam cũ iusti, & pij essent pauci, pauca quoque erant sacrificia, & pauca animalia quæ hac de causa excoriarentur, vnde in Sacra Scriptura non legimus eo tẽpore fieri mentionem nisi sacrificij Abel, & Noe egredientis ex arca.

Ad quartum patet solutio ex dictis, sufficiebat enim eis ad suas libidines sapor, & virtus herbarum, ac fructuum ante diluuium, nec curarunt comedere carnes suos maiores imitati.

Ad vltimum dico, venationem esse homini naturalem in hoc sensu, vt sit consentanea eius naturæ, ex quo non sequitur, vt statim primo illo tempore eam exercerent: Dico secundo eos, qui tunc venarentur, id facere gratia recreationis, & exercitij, non ad comedendas animalium carnes, sicut modò in multis venatorib. videmus, & sicut multi exercitij gratia incumbunt ludis militaribus, nunquam tamen militaturi.

Quod si cui placet opinio Soti, quia multum etiam probabilis est; & satis rationi consona potest argumenta alterius ita diluere.

Ad primum dicendo in illo loco Gen. 1. nõ fuisse quidem approbatum esum carnium ante diluuium, sed nec fuisse prohibitum, est enim affirmatio illa simplex. [Ecce dedi vobis omnem herbã, & ligna in escam,] in qua tamen non continetur negatio, non comedetis carnes. Nam quãdo Deus ita aliquid concedit, & affirmat, vt oppositum neget, illud exprimit, sicut eodem ca. de Adæ. [De ligno quod est in Paradiso comedes, de ligno autẽ scientiæ boni, & mali ne comedas.] In hoc autem casu concessit quidem vsum herbarum, non autẽ prohibuit, aut negauit vsum carnium, cum sit cibarium magis conueniens gustui, & saluti, & ad quod habet homo à natura ius, & quandam inclinationem post naturam lapsam. Post diluuium verò fuit dupliciter necessariũ, primò quia fructus terræ minoris saporis, & virtutis erant, secundò quia homines ipsi imbecilliores, & infirmiores, quæ necessitas fuit explicata Gen. 9. simulque traditus modus comedẽdi carnes, sine sanguine, idest coctas, quia fortè ante diluuium homines efferi comedebant illas crudas, contra præceptum naturale quo prohibetur peccatũ bestialitatis, quod est mortale & grauissimum, committeretq; illud modò, qui comederet carnes crudas, sicut qui multo tempore reperiret. Vide Caie. ver. Bestialitas.

Eodem modo soluuntur duæ illæ confirmationes, nam quod dicitur, sicut olera virentia, significat concesseram antea vobis olera, carnis nec cõcesseram nec prohibuerã, modò illas quoque vobis concedo, hac lege, vt coctas vel assas illa comedatis.

Et ad argumentum quod sumitur ex isto loco, [Non comedetis carnes cum sanguine] dico vel explicari modum vnà cum ista concessione, vel prohiberi quod antea efferi, & impii præstabant.

Quod

Quod autem per tam longum tempus id Deus non prohibuerit, negarem, credendus enim est prohibuisse, licet Sacra Scriptura id nõ exprimat.

Ad argumenta deinde à nobis facta quando diximus primam opinionem esse probabiliorem dico, primò sanctos ita docuisse, vt rem suo tempore communiter receptam, nec multum disputatã, forsan enim si in disputationem fuissent vocati, aliter sensissent.

Ad secundum dico ex vtrisque & pijs & impijs quosdam fuisse pastores, quosdam agricolas, etiã si Cayn fuerit agricola, non enim dicimus secundum hanc opinionem statim primos filios Adæ comedisse carnes, sed sequutos deinde ante diluuiũ, quando cœperunt vitia abundare, & libidines atque turpitudines.

Ad tertium respondeo, non dicere magistrum Soto, omnes homines illius tẽporis carnes comedisse igni appositas, sed incœpisse experiri illarum saporem apponendo igni, deinde verò postquam illarum sapore cognito eis vsi sunt, crescente eorum feritate & impietate cœpisse aliquos eorum crudas etiam comedere, quod deinde prohibuit Deus.

Ad vltimum dico, posse quidem vtentes solis herbis, & fructibus luxuriari, nihilominus esum carnium esse magis accommodatum, redderéq; homines vegetiores, & proniores ad luxum.

ARTICVLVS II.

Vtrum liceat peccatores & malefactores occidere?

Conclusio est affirmans.

Probatur à D. Thom. Ideo licet animalia occidere, quia sunt propter hominẽ, & in ipsum ordinata, sicut imperfectius in id quod perfectius est, sed in corpore huius Reip. humanæ vnusquisque, vt pars ordinatur in bonum totius, ergo licebit priuatum hominem occidere quando bonum commune ita exiget: Rursum in corpore humano secatur membrum putridum, quando ita exigit salus totius, salus autem & bonum commune Reipub. exigit vt malefactores tollantur è medio, & occidantur, alîter namque experientia teste & recta ratione dictante non potest, Resp. in pace, & quiete manere, ergo licitum est imò & necessarium malefactores occidere.

Circa hunc articulum est grauis dubitatio, Præcepta decalogi negatiua prohibent quod intrinsecè malum est, & nulla auctoritate, aut ratione potest benefieri, quę huiusmodi enim præceptis prohibentur, cum sint etiam iure naturali prohibita, non sunt mala quia prohibita, sed prohibita quia mala, sicut quod ius naturæ negat, ideo negat, quia intrinsecè & sua natura malum est. Sed quintum præceptum decalogi generaliter proponitur omnibus hominibus, omnumq; hominum in vniuersum occisionem prohibet, vox enim Hebræa Rasach. qua vtitur ibi textus, propriè sonat generali quadam prohibitione, nõ occides hominem, ergo nulla ratione, aut auctoritate licet aliquem occidere, vel potest benefieri, etiam si malefactor sit. Et confirmatur. Hoc præceptum est iuris naturalis, & diuini, ergo in eo nulla potestas dispensare, diximus enim hæc præcepta esse omnino indispensabilia, ergo iniquæ sunt leges humanæ, quæ statuunt pœnam capitalem malefactoribus.

Secundò etiam si hoc præceptum esset dispensabile, solus Deus posset in eo dispensare, & ita illos tantum malefactores liceret occidere, quos Deus exciperet ab ista prohibitione generali, vel in sacra Scriptura, vel speciali aliqua reuelatione: aut sunt aliqui malefactores, vt fures, quos Deus non excepit à lege generali non occides, quos tamen leges humanæ occidunt, ergo saltim circa hos leges humanæ erunt iniquæ. Hæc argumenta quærunt accuratam explicationem quinti præcepti, Non occides.

CONTROVERSIA I.

QVID PROHIBEATVR quinto præcep. Non occides.

De hoc Victoria in Relectione de homicidio à nu. 11. vsque 21. Soto loco cit. art. 2. D. Th. 3. contra gen. c. 146. & opusc. 4. in expositione quinti præcepti. Sunt autem variæ huius præcepti expositiones.

In primis Vualden. vt referunt Guido & Castro contra hæreses in verbo Occidere hæresi 1. docebant nullo modo licere iudicibus, aut principibus occidere malefactores. Primò, quia in isto præcepto quinto nõ occides generaliter prohibetur omnibus iure naturali, & diuino omnino indispensabili occisio cuiuscunque hominis. Secũdò Matth. 13. in parabola illa zizaniorum, dicentibus se ituros ad eradicandã zizania, idest, tollendos peccatores dixit Dominus, [Nequaquã sed sinite vtraque crescere.] Idest sinite viuere impios cum pijs, tempore messis, idest iudicij separabuntur zizania & impij, & punientur. Tertiò, cum omnis potestas à Deo deriuetur, debent iudices & principes imitari Deum, [Deus autem non vult mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat.] Ezech. 18. Contra hunc tamen errorem sit.

CONCLVSIO VNICA.

De fide est, licere iudicibus, & gubernatoribus occidere maleficos.

Habetur enim apertè in sacris litteris: In primis cũ Exo. 20. dixisset: [Non occides.] Subiungit deinde c. 22. [Maleficos non patieris viuere.] Vbi apertè docet Deus, in illo præcepto non occides, nõ prohiberi occisionem malefactorum. Et Deut. 21. & 22. homicidas, blasphemos, & adulteros præcipit occidi. Quod si illo præcepto non occides, omnis occisio prohiberetur, & malefactorum, vt volebant isti hæretici, & docebat quidam Nicolaus Galechus Boemus, qui fuit legatus Boemorum in Concil. Basilien. profectò Deus pugnantia, & contraria præciperet, quod est blasphemia de Deo, etiam suspicari. Et confirmatur. Math. 5. vbi Christus legem veterem à Pharisæis, & Scribis deprauatam & corruptam in suo vero sensu exponens, ait: [Audistis quia dictum est antiquis nõ occides, ego autem dico vobis, quicumq; irascitur fratri suo, reus erit, &c.] Putabant Pharisæi solos actus externos, & homicidium externum esse peccatum, interna verò odia minimè: ait Christus etiam internum odium est peccatum, imò & homicidium ideo est peccatum, quia procedit ex ira & odio: quasi dicat. Quod nõ procedit ex ira, & odio, sed ex iusta causa non est peccatum, nec prohi-

prohibitum: talem autem esse occisionem malefactorum constat ex necessitate boni communis, & pace Reip. Psal. 100. [In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.] Actor. 5. Petrus quia ita oportebat ad bonum commune fidelium, occidit Ananiam & Saphiram, qui sibi mentiti fuerant.

Et confirmatur hæc catholica doctrina à Diuo Tho. optimè lib. 3. contra gen. c. 146. rationibus naturalibus præter eam quæ hic habetur: Cum iniqui homines sensum sequuti, non timeant pœnas æternas futuras, oportet vt timeant, vt pœnis etiã præsentibus & corporalibus efficiantur. Experientia autẽ teste malefactores & perturbatores Reip. omnes alias pœnas præter capitalem paruipendũt, ergo nec esse est ad bonum commune, vt hac quã solam timent, afficiantur.

Secundò Resp. omnium prudentum consensu præmio & pœna continetur, quorum exequutores à Deo constituti sunt principes, & iudices, nullus autem qui ordinem diuinæ prouidentiæ exequitur, peccat, ergo nec principes peccant puniẽtes malos, illos verò non punirent sufficienter, nisi eos etiam occiderent, vt constat ex primo argumento. Ergo.

Tertiò, medium directè & per se ordinatum ad bonum, non est malum (dixi directè, nam Indirectè & per accidens, ex malis aliquando sequuntur aliqua bona) sed occisio malefactorum est medium per se & directè ordinatum ad tantum bonum, quale est pacatus Reipub. status, & securitas ciuium, ergo non est mala, neque illicita, aut prohibita, sed bona.

Denique sicut medicus tollit membrum putridum vt totum corpus viuat, & bono particulari præferendum est cõmune, ita quia bonum, & pax Reipub. vitaque pacata huius mystici corporis sic exigit, iustum est, vt iniqui particulares tanquam membra putrida tollantur. Quo argumento vtitur D. Pau. 1. Cor. 5. vbi agens de quodam malefactore ait: [Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrũpit?] Et subdit, [Auferte ergo malum ex vobis ipsis.] Rom. 13. ait de potestate secuları: [Si malum feceris time, non enim sine causa gladiũ portat, Dei enim minister est, & vindex in iram ei qui malè agit.] 1. Pet. 2. [Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis in vindictam malefactorum, laudem verò bonorũ.] Denique ipse Moises, qui legem à Deo in tabulis acceperat, licet in eis vidisset scriptum: [Non occides:] mentemque Dei probè nosset, descendens de monte occidit idolatras, & malefactores, quos reperit: Quod argumentum etiam est efficacissimum, vt videbimus contra Scotum.

Reiecta hac hæresi: Ex catholicis Scotus in 4. d. 15. q. 3. art. 2. vult eo præcepto in vniuersum prohiberi omnem occisionem hominis, præterquam eorum quos ipsemet Deus exciperet, & cum excepit ipse in lege Deuter. 22. & Leuit. 20. homicidas, blasphemos, adulteros, idolatras, & malè dicentes patribus suis, hos licuisse occidere in veteri lege; In noua autem licere quoque occidere homicidas, & blasphemos, quia hoc non est reuocatum à Christo in Euang. adulteros autem iam non licere occidere, quia est reuocatum Ioan. 8. quando dixit Christus illi mulieri adulteræ, [Neque ego te condemnabo:] & eam licèt deprehensam in adulterio liberam dimisit. Et confirmatur ex D. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei c. 21. dicente. [Hoc præceptum, Non occides, generaliter intelligendum est de omni occisione hominis, illis solum inde exceptis, quos Deus, vel lege lata, vel expressa, reuelatione particulari iusserit interfici.] Vnde colligit Scotus, primò, iniquas esse aliquarum prouinciarum leges, quæ morte puniunt adulteros, vel furẽ diurnum, qui non est aggressor. Neque adhuc visa est (inquit Scotus) bulla de celo, quæ huiusmodi cõcedat occidi. De fure agemus inferius. q. 66. art. 6. controuer. 4.

Nunc verò, quod spectat ad omnes malefactores in vniuersum, Scoti opinio falsa est, & quæ à viris peritis iudicatur periculosa, & quamuis auctor catholicus, & religiosissimus fuerit, erronea. Et cõfutatur apertè. Primò (vt supra vidimus in præceptis naturalibus quæ sunt primæ apertæ, & necessariæ consequentiæ deductæ ex primis principijs iuris naturalis, qualia sunt præcepta negatiua decalogi non cadit vlla dispensatio, neq; Dei ipsius, quia quæ prohibent sunt adeò intrinsecè mala, vt implicet contradictionem aliquando bene fieri, sicut homini ita est intrinsecum esse rationalem, vt implicet esse hominem, & nõ esse rationalem. Hoc quintum præceptum est huiusmodi, cũ sit decalogi & negatiuum, ergo neque Deus potest in eo dispensare, ergo si contineretur in eo generalis prohibitio occidendi quemcunque hominem, neque Deus posset ab eo aliquos excipere, & concedere, vt occiderentur.

Secundò, magistratus sæculares & pagani habent gladium ad occidendos homicidas, & malefactores, & ante legem, quã primùm fuerunt Respub. hominum in mundo, & post legem, nã de his loquitur Petrus & Paul. locis cit. cum tempore eorum plerique gubernatores, & iudices, ac principes essent pagani: at cum huiusmodi magistratibus Deus non dispensauit, quia lex Moysi ad eos non pertinebat; nec eis data fuit, sed soli populo Hebræorum, ergo hi non poterunt homicidas occidere, si illo præcepto, Non occides contineatur generalis illa prohibitio, quam vult Scotus, cum ante legem nondum essent isti casus excepti, post legem verò lex non loquatur ipsis paganis. Hoc consequens est erroneum & contra doctrinam B. Petri & Paul. qui docent eos iuste gladium portare in vindictam malefactorum, ergo.

Tertiò, iuxta Scotum non liceret occidere incendiarios, hæreticos, committentes crimen læsæ maiestatis, proditores Reip. cum hi & similes non sint excepti in diuina lege.

Quartò, oporteret omnes blasphemos pœna capitis plectere, quia ista statuit diuina lex vetus.

Quintò, nõ liceret modò vllos malefactores occidere: Probo, nam aut illa præcepta occidẽdi homicidas, blasphemos, & adulteros erãt iudicialia, & legalia pertinentia ad illũ populum Hebræum, & gubernationem ipsius, sicut alia multa quę fuere illi tradita à Deo, aut naturalia, & explicata à Deo, sicut ipsa præcepta decalogi. Si prius dixeris, cum omnia legalia tam iudicialia, quàm cæremonialia cessauerint in passione Christi: cessarũt quoque necessariò istæ exceptiones occidendi homicidas, blasphemos, & adulteros positæ in lege, & ita principes Christiani, quibus iam lex illa vetus omnino abolita est, non possent contra præceptũ vniuersale hominem occidendi, occidere homicidas: Si dixeris secundum, iam non erunt exceptiones illius præcepti vniuersalis, sed præcepta naturalia, dictante recta ratione naturali, ad bonũ commune illos occidi, vt perturbatores boni communi.

Qua ratione nō solum istos, quos Deus expressit, sed alios quoscunque graues, & noxios perturbatores boni communis, & quietis Reip. licebit principibus sæcularibus occidere, & præter communem modum occidendi, qui fit vel iugulatione, vel suffocatione, excogitare varios modos atrociores, & varia genera pœnarum, quæ recta ratio naturalis dictauerit necessaria, vt malefactores timeāt, & à suis audacijs, ac flagitijs arceātur.

Sextò, iuxta Scotum nemini liceret cum debita tutela occidere inuasorem, cum hic casus non sit exceptus in lege: Quod si dixeris occidentem inuasorem non intendere occisionem eius, sed suā tantum defensionem, quæ ei licet, hoc parum refert. Nam quando finis est licitus, & medium ad illum necessarium licitum est: si ergo licet se tueri ab inuasore, licebit & illum occidere, quando aliter aggressus se tueri non potest, non autem liceret iuxta Scoti doctrinam.

Denique confutatur hæc opinio ex communi vsu omnium principum & nationum, cum apud omnes occidantur malefactores, recta ratione dictante id omnino necessarium esse ad bonum cōmune: Essetque durissimum condemnare omnes leges ciuiles quæ ita statuunt: Primò, quia à sapiētissimis, & prudentissimis conditæ sunt, & non sine diuina prouidentia, iuxta illud Prouerbiorū 8. [Per me legum conditores iusta decernunt.] Secundò, quia lex Pontificia in re adeò graui, si leges istæ ciuiles essent iniquæ, eas emendasset, moderasset, aut abrogasset, vt videmus in alijs legibus ciuilibus factum, quando aliquid à recta ratione, aut æquitate alienum continent, at potius videntur confirmatę in Iure Canonico. 23. q. 4. maximè Can. Inuenitur. & Cano. Quæsitum & 23. q. 5. Can. Res sanguinis. Can. De occidendis. Can. Miles, vbi congerit Gratianus varia testimonia Sanctorum & Pontificum docentium ęquissimum esse malefactores occidi, maximè illud Hieronymi in 22. ca. Hieremiæ: [Homicidas, & sacrilegos, & veneuarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

Quod autem dicit de adultera, non benè colligit Scotus ex Euangelio. Christus namque eo loco neque agit iudicem neq; in lege veteri dispensatione aliqua vtitur, sed tanquam doctor priuatus consultus an illa esset lapidanda, (quod simultate quærebant (dolo eorū occurrit, dicens oportere, vt vnusquisque iudiciū culparum à suis proprijs inchoaret: & tandem relictus solus agit cum illa priuatim, vt Rex cœli, & Redemptor, verecundiamque quam passa erat, & dolorem peccati sui loco pœnitentiæ suscipiens, ei condonat, quæ priuata misericordia non tollit legē, si illa obligaret.

Secunda explicatio quorundam est, prohiberi illo quinto præcepto occisionem innocentis, ita vt illud præceptum, Exodi 20. [Non occides,] explicetur per illa verba, Exodi 23. [Insontem & iustum non occides.] Sed neque explicatio hæc est optima, imò falsa, & periculosa, quia cum hoc præceptum respiciat vnumquemq; priuatum, & vnicuique priuato detur, si eo tantum prohiberetur occisio innocentis, liceret cuique priuato occidere sua propria auctoritate nocentem, & malefactorem, & absque inculpata tutela sui: tantumque reuerentur homines ab occisione innocentiū abstinere, quod est falsum & cōtra fidem: nulli enim licet sua propria auctoritate alium occidere quātumuis nocentem, nisi in sui defensione, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Consequentia verò patet, quia nullum aliud est præceptum quo prohibeatur occisio nocentis priuatis hominibus, si hoc præceptum intelligatur prohibere tantum occisionem innocentis.

Tertia explicatio est, & vsque ad nostra tempora communis ac recepta à multis, prohiberi hoc præcepto occisionem, quæ fit auctoritate priuata, non autem illam quæ fit auctoritate publica, imò eam licere. Sed hoc quoque falsum est, nam ita sequeretur iudicem occidentem in iudicio innocentem, vel occidentem in iudicio nocentem, sed contra ordinem iuris, non peccare contra hoc pręceptum, quod tamen est falsum & error, cum iste iudex sic agens verè committat homicidium, omne autem homicidium prohibeatur hoc præcepto: consequentia verò patet, quia in vtraque occisione agit iste iudex auctoritate publica.

Secundò, sequeretur illum qui occidit suum inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, si sit persona priuata, peccare contra hoc præceptum, & esse homicidam: patet, quia exercet istam occisionem sua priuata auctoritate, hoc autem est falsum & error. Nam quod aliqui respondent huic argumento, occidente inuasorem occidere illum auctoritate publica cōncessa sibi à iure naturę, est ridiculum: sicut enim Ius naturæ concedit, vt possit occidere inuasorem ad tuendam propriam vitam, ita disponit idem ius naturæ, vt teneat sumere cibum ad eam sustentandam, vnde sicut ridiculum esset asserere, quando sumo cibum ad vitam sustentandam, me id facere auctoritate publica, ita quoque ridiculum est dicere, occidentem inuasorem suum cum inculpata tutela, id facere auctoritate publica, maximè quia aliud est quærere, cui liceat alium occidere? habenti ne auctoritatem publicam? an cuiuis etiam priuato? & aliud, quem hominem liceat occidere? quod hic inquirimus: nam cui id liceat articulo sequenti videtur.

Et ita nostræ quæstioni non satisfacit hæc tria explicatio, quamuis in communi sermone, quando non agitur ex professo, & diligenter de propria significatione huius quinti præcepti, solet in aliquibus casibus propter breuitatem dici, hanc vel illam occisionem non esse homicidium prohibitum, quia fiat auctoritate publica, vt quando Abraham voluit occidere filium suum, &c. at si ex professo, & accuratè res tractetur, hoc præceptum non prohibet (vt constat ex modò dictis) occisionem auctoritate propria, sed aliquid aliud.

Vltima expositio est, prohiberi tantum illo præcepto omnem occisionem hominis, quæ est dissona rationi naturali, non autem eam, quæ illi consona est: ita Victoria, & Soto locis citatis, & est cōmunis inter discipulos D. Tho. Ad quam intelligēdam obseruemus, præcepta iuris naturalis, cū sint cōclusiones deductæ ex primis principijs iuris naturalis, sicut illa prima principia. Quod tibi non vis, &c. Et quod tibi vis, &c. intelliguntur iuxta dictamen rectæ rationis, ita quoque, & conclusiones ex illis deductæ, hinc sequitur præceptorum decalogi maximè negantium (cum sint cōclusiones immediatæ, & proximæ deductæ ex istis principijs) genuinum, & proprium sensum esse, secundum dictamen rectæ rationis, vt apparet in singulis. [Nolite iurare omnino,] præceptum est, sed intelligitur nisi recta ratio aliud exigat, nam vbi recta ratio iurare exigit, non agitur contra istud præceptum: Similiter præceptum est, [Non furaberis,] id est, non accipies alienū, nisi recta ratio aliud exigat: ita qui in extrema necessitate alienū accipit, non furatur, nec agit contra istud præceptum, quia recta ratio dictat tunc accipi posse alienū; Sic

præceptum istud non occides intelligendum est, nisi recta ratio aliter exigat, vel non occides, nisi iuxta dictamen rectæ rationis. Hunc sensum tradit D. Tho. 1. 2. q. 100. art. 8. vbi ait: [Homicidium, quod in decalogo prohibetur habere rationem indebiti,] id est, prohiberi in decalogo, eam occisionem, quæ iure naturæ indebita est, & aliena recta ratione. Et hoc articulo, eo nomine probat licere occidere malefactores, quia ita exigit bonũ commune, q. d, quia dictat recta ratio, vt bonum priuatum pro bono communi exponatur.

Hæc explicatio vitat omnia incommoda, quæ sequuntur ex alijs expositionibus. Et probatur ratione: Præceptum, non occides, est iuris naturalis, ius naturale nihil aliud est quam dictamen rectæ rationis, ergo hoc præcepto nihil aliud prohibetur, quàm occisio; quæ est contra rectam rationem.

Secundò, quod prohibetur hoc præcepto, non est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia intrinsecè malum, occisio autem hominis in vniuersum, & generaliter sumpta non est intrinsecè mala (cum aliquando possit bene fieri) sed illa tãtum est intrinsecè mala quæ repugnat rectæ rationi, ergo hoc præcepto hæc tantum prohibetur. Ita fit vt sicut hoc præcepto omnes illæ occisiones prohibentur, quæ sunt dissonæ rectæ rationi, ita quoque non pertineant ad hoc præceptum, nec eo prohibeantur, quæ sunt consonæ rectæ rationi, & cõsequenter nec sint exceptiones huius præcepti: quod enim in aliquo præcepto simpliciter sumpto non comprehenditur non dicitur ab illo deinde excipi, sed excipitur à lege, vt dicunt DD, quod in illa capiebatur.

Ex his sequitur primò, priuatã occisionem aggressoris in propriam tutelam, & eam qua iudex occidit malefactores seruato ordine iuris, non esse exceptiones huius præcepti, cum vtramque dictet recta ratio. Sequitur secundò, cum hoc præceptum non sit iuris positiui, sed naturalis, prohibens eam occisionem quam recta ratio dictat esse malam, æquale semper fuisse atque idem in omni lege, quia præcepta naturalia sunt immobilia, sicut & natura ipsa semper sibi similis est. Vnde quẽ aliquando licuit occidere semper licebit, & quem aliquando non licuit, nec deinde licebit. Sequitur tertiò, exercentes occisiones quas dictat recta ratio non esse homicidia, non esse vocandos homicidas, quia homicidium est intrinsecè malũ, & prohibetur omnino isto quinto præcepto, vt constat. Sequitur quartò, casus illos antiquæ legis quibus præcipiebantur occidi homicidæ, adulteri & similes non esse exceptiones, nec merè legales, sed quasdam interpretationes iuris naturalis, cum illos dictaret recta ratio, licet modus puniendi, & occidendi fuerit legalis & iudicialis, pertinens ad illum populum; vt quod lapidarentur adultera blasphemos, & similes.

Sed contra fundamentum sumptum, homicidium ideo esse prohibitum, quia malum, posset aliquis sic obijcere, si nulla esset lex prohibens homicidium, illud non esset peccatum, ergo nõ ideo prohibitum, quia malum, sed cõtra, ideo malum, quia prohibitum. Antecedens patet, quia ex Diuo Augustino libro 22. contra Faustum capite 29. tomo 6. [Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam,] Si ergo non esset lex Dei illud prohibens, non esset peccatum, nam tunc non esset contra legem Dei, in quo ex Augustino consistit ratio peccati. Et confirmatur ex Diuo Ambrosio, libro de Paradiso, cap. 8. vbi ait: [Peccatum est inobedientia diuinorum præceptorum.] Vnde si non extaret diuinum præceptum, neque inobedientia esset, neque peccatum, & D. Paul. ad Rom. 4. ait: [Vbi autem non est lex, nec præuaricatio, nec præceptum.]

Secundò, D. Thom. 1a. q. 75. art. 3. ad 4. habets [Quando dicitur non omne peccatum esse peccatum, quia prohibitum hoc dictum esse accipiendum, quantum ad prohibitionem iuris positiui, quod si istud dictũ referatur ad ius naturale, omne peccatum ideo peccatum, quia prohibitum.]

Respondeo ad hæc, homicidium esse malum, uim contra ius naturale, & eo iure prohibitum, quod non repugnat nostro fundamẽto, nam cum dicimus, illud quod est prohibitum, quia malum esse intrinsecè malum, intelligimus prohibitum lege positiua, vt in loco citato, docet Diuus Thomas, nam si de iure naturali loquamur, illud etiã quod est malum quia prohibitum iure naturali, est etiam intrinsecè malum, idem enim est iure naturali esse prohibitum, ac esse contra dictamen rectæ rationis. Et hoc modo intelliguntur omnes illæ definitiones peccati adductæ ex Diuo Augustino, Diuo Ambrosio, & Diuo Paulo, peccatum esse contra legem æternam Dei, & naturalem, & hoc modo homicidium est malum, non quia prohibitum lege aliqua positiua, sed iure naturali illud prohibente, vt rem intrinsecè contra rectam rationem, & consequenter intrinsecè malam.

Dico secundò, supposito nullam esse legem naturalem prohibentem homicidium, sed solam, positiuam (quæ hyphotesis est impossibilis) tunc homicidium & esse peccatum, & nõ esse peccatũ: non esse, quia contra nullam legem, vt ostendunt argumenta facta, & esse quia quocunque modo haberet Deus odio homicidium & homicidam condemnaret pœna æterna, nec posse beatus in tali statu homicida. Nec mirandum quod statuamus has duas contradicentes veras, esse peccatũ, & nõ esse peccatum, posita enim hypotesi impossibili possunt sequi, & colligi alia impossibilia, vt duo contradicentia vitia.

Ex his omnibus infertur apertè differentia inter homicidium & occisionẽ hominis, nam illud cum sit occisio hominis contra rectam rationem, est intrinsecè malum, occisio autem hominis simpliciter sumpta, licèt primo aspectu sonet malum, & habeat speciem mali, potest tamen ex causa legitima honestari, cùm non sint intrinsecè mala. Hanc differẽtiam colligunt Theologi ex D. Aug. lib. 1. de liber. arbit. cap. 4.

Nunc ad argumenta initio posita; Primum ex dictis manet solutũ, constat enim illo quinto præcepto, non occides, non prohiberi in vniuersum quamcunque occisionem hominis, sed eam tantũ, quæ rectæ rationi dissona est, & ita non prohibetur occisio malefactorum, quam maximè exigit, & dictat recta ratio ob bonum commune.

Patet etiam solutio secundi, nã neque hoc præceptum est diuinum positiuum, sed naturale, neq; casus, quos Deus assignat in lege sunt dispẽsationes, vel exceptiones huius præcepti, sed præcepta quoque iuris naturalis: ita vt sicut dictat recta ratio non occidi innocentes, ita quoque dictat occidi nocentes, qui Reipublicæ pacem, & securitatẽ perturbant.

Ad argumenta verò Vualdensium facilis est solutio, primum illorum est idem cum primo modo soluto. Ad secundum respondet hic Diuus Thomas, quando occisio malefactorum non potest esse sine graui damno bonorum, vt quando maior,

vel

vel bona pars ciuitatis esset perturbanda, & cum iniquis iusti affligendi, tunc dissimulandum esse cum iniquis, quoadusque commodius fieri possit, quod indicat eadem parabola, habet enim: [Sinite, ne forte cum zizanijs eradicetis etiam & triticum.] Quia cum malorum punitio fiat ob bonum Reipublicæ, quaodo illi nocebit, dimittenda est vsque in tempus commodius, & opportunius.

Tertium soluitur euatu hic à Dno Thoma, vide illum.

Argumentum primum Scoti solutum quoque manet ex dictis, cum hoc quintum præceptum nō sit generalis prohibitio cuiuscumque occisionis hominis, sed illius tantum, quæ rectæ rationi disso na est, & ita casus assignati in lege (vt modò dicebamus) non sunt exceptiones; sed explicationes quoque eiusdem iuris naturalis, vnde sicut istos licet occidere quos lex indicat, quia Reipublicæ perturbatores, ita possunt leges humanæ occidere alios quoscunque perturbatores, & malefactores, quorum occisionem recta ratio dictauerit necessariam bono communi. Ad confirmationem ex D. Aug. respon. D. Aug. eodem loco seipsum explicare cum appellet ibi leges quibus licet malefactores punire iustissima rationis imperia, vnde iuxta eundem August. cum malefactor occiditur, lege lata à Deo occiditur, non quidem positiua, sed naturali.

Circa solutionem secundi argumenti Vualdensium vide Diuum Thomam loco citato contra gentes, & quæ eius interpretes docent supra. quæst. 11. artic. 3. vbi agitur de punitione hæreticorum, vbi explicatur quomodo illa parabola zizaniorum sit intelligenda, nec prohibet combustionem, & punitionem hæreticorum, Quo modo etiam liceat cum nocentibus occidere innocentes in bello, nec in eo contradicatur huic parabolæ facilè deducitur ex quæst. 40. de bello artic. 1.

Iam cum occisio malefactorum licita sit imò & necessaria, videamus.

CONTROVERSIA II.

AN IVDEX QVI VIDET MALEFActorem si occidatur certò damnandum, si verò condonetur ei vita pœnitentiam acturum, & saluandum, debeat illi concedere vitam.

PARTEM affirmantem probāt hæc argumenta. Ex diuina institutione in homine priuato vita corporis, & omnia bona temporalia eius ordinatur in vitam spiritualem ipsius, sed in hoc casu ex hypotesi posita vita corporea huius malefactoris est necessaria ad salutem spiritualem ipsius, ergo in hoc casu condonanda est ei vita corporis, vt spiritualiter saluetur.

Secundò, iudex tenetur ex præcepto charitatis velle huic homini vitam spiritualem, at si tuoc occidat eum, non vult ei vitam spiritualem, imò priuat ipsum illa, agit ergo contra illud præceptum.

Tertiò, pœnæ huius vitæ hoc distant ab æternis alterius sæculi, quod illæ non sunt medicinales, sed merè punitiuæ, at pœnæ huius vitæ sunt medicinales, & ordinatæ in bonum patientis illas, at si in casu posito iudex occidat illum reum, pœna ista non est medicinalis, imo contra, ergo. Sed nihilominus sit.

CONCLVSIO I.

In tali casu iudex iustè potest, & debet occidere malefactorem, etiam si sciret ex diuina reuelatione statim damnandum.

DEbet quidem iudex admonere, ac instam mare illum per se, & per alios idoneos viros ad pœnitentiam, & concedere illi tempus commodum ad confitendum, & recipienda sacramenta, pro qualitate delinquentis, cæterum quia maneat ille impœnitens non est cessandum ab eius punitio ne, nec quia videat iudex illum damnandum.

Primò, quia si aliter iudices agerent, & ita esset in vsu, omnes malefactores fingerent se impœnitentes, vt sic euaderent supplicia, manerentque peccata impunita in maximum damnum Reipublicæ.

Secundò, huiusmodi pœna non ordinatur in bonum malefactoris, sed Communitatis, vnde iudex non infligit illi pœnam ex odio ipsius, sed ex amore boni communis, & iustitiæ cuius est custos ex officio, bonum autem commune præferendum est cuicunque particulari, ergo cum ad bonum commune huius occisio necessaria sit, occidendus est, quidquid sit de damno particulari ipsius.

Tertiò, illa pœna est ei medicinalis, & vtilis, quia patienter illam ferens, ac Deo offerens meretur, & satisfacit pro delicto suo, quod si id non faciat, non iudici, sed ipsi imputandum est. Est etiam medicinalis Reipublicæ, cum per huiusmodi punitiones alij timeant, & cessent à peccatis, proficiatque saluti spirituali aliorum. Vnde verè seruant naturam, & rationem pœnarum huius vitæ.

Denique Deus ipse, cuius reliqui Principes, & iudices ministri sunt, & quem imitari debent, post quam concessit commodum tempus malefactoribus ad pœnitendum, punit eos etiam si videat eos damnandos.

Ad argum. in oppositum. Ad primum respond. malefactorem qui non est noxius Reipublicæ, & cuius occisio non est necessaria bono communi, & cui vita corporalis est simpliciter, & absolutè necessaria ad salutem animæ, non esse à iudice occidendum, in nostro autem casu, occisio huius est necessaria ad salutem animæ, cum concedatur ei sufficiens, & commodum tempus ad pœnitendum.

Ad secundum respondeo, teneri iudicem ex charitate ad volendum bonum spirituale huius simpliciter quidem, at si bonum commune aliter exigat, tenetur ex charitate etiam & iustitia, velle magis bonum commune, ad quod ordinatur occisio illius, quàm bonum particulare ipsius, tum quia ex ordine eiusdem charitatis bonum commune præferendum est cuicunque particulari, tum etiam, quia debet ex officio prouidere bono communi: & licet ex suo genere bonum spirituale huius diuinius sit, & altioris ordinis, quàm bonum temporale Reipublicæ, adeò tamen excedit bonum commune, hoc spirituale, & particulare huius vt debeat illud huic præferre, maximè quod non punitis malefactoribus, non solum sequuntur in Republica multa damna temporalia, verum etiam innumera spiritualia.

Denique iam sufficienter iudex vult salutem spiritualem huius, cum illum admoneat vt pœniteat, sufficiensque tempus ad recipienda sacramenta ei concedat, vnde vita corporalis non est ei simpliciter

citer necessaria ad salutem spiritualem, cum possit commodè conuerti, & pœnitere, ac Sacramenta recipere, quod si non vult sibi imputetur.

Ad vltimum patet solutio ex tertio argumento. Altera dubitatio est.

CONTROVERSIA III.

POSSIT NE IVDEX OCCIDERE eum, qui modò innocens est, prudenter tamen & vehementer timetur futurus, deinde noxius Reip.

Abulensis in cap. 21. Deut. habet partem affirmantem. Primò, quia bonum commune est præferendum particulari, & diligenter curandum à ministris iustitiæ, præueniendo damna quæ possunt Reipub. accidere, sed in hoc casu bonum commune periclitatur vehementer, ergo via præuentionis, & vt Hispanè dicunt de gouierno, licebit iudici hunc occidere, imò debebit.

Secundò, si tyrannus velit destruere ciuitatem, nisi tradatur ei innocens existens in illa, potest ciuitas, imò & debet tradere illum innocentem, ne tota ciuitas pereat, adeò vt peccarent grauiter ait Abulen. gubernatores illius ciuitatis, nisi illum traderent, vt liberarent totam ciuitatem à tanto periculo, sed periclitatur similiter in hoc casu Resp. passura damna ab isto, qui prudenter cognoscitur futurus esse maximè noxius. Ergo occidendus.

Oppositum docet communis Theologorum schola, & ita est tenendum.

Primò, quia iustitia & gubernatio humana debet assimilari diuinæ, nullum autem puniuit Deus vnquam, aut punit pro peccato futuro.

Secundò occidere innocentem simpliciter, & absolutè est intrinsecè malum, nec potest aliqua ratione vel fine bene fieri, iste modò actu & teuera est innocens, ergo nullo titulo potest licitè occidi.

Tertiò, Non sunt facienda mala, neque vt inde eueniat bona, neque ad vitanda alia damna, occidere actu innocentem est malum omnino, & contra præceptum, Non occides, & omnino dissonum rectæ rationi, ergo nullo modo faciendum, neque ad vitandum aliquod damnum. Denique huic communi damno quod timetur, non est necessarium medium occisio huius hominis, cum possit ei occurri recludendo illum, vel aliquo alio medio, quod prudentia dictabit absque eius morte.

Ad argumenta proposita, Ad primum respondeo, prouidendum quidem esse bono communi à gubernatoribus Reipub. & vitanda damna imminentia, sed medijs licitis, quia non sunt agenda mala, vt inde veniant bona, occisio autem innocentis est intrinsecè mala.

Secundo dico, bono communi esse prouidendum, cum detrimento particularis personæ, quando alia via ei prouideri non potest: in casu autem proposito potest prouideri bono communi sine morte istius hominis, mittendo illum in exilium, vel in custodiam.

Ad secundum dico, dubitari plurimum à Doctoribus de maiori illius argumenti, an in eo casu, sit tradendus innocens? de quo infra articu. 6. sed quicquid sit de ista maiori, neganda est consequentia, quia in casu istius maioris, ex hypotesi quæ ponitur, non potest prouideri bono communi illius ciuitatis alia via, quàm tradendo innocentem, at in hoc casu hoc casu potest prouideri (vt explicatum est) alia via quàm occidendo illum. Est tertia Dubit.

LICEAT NE IVDICI occidere filios innocentes ob peccata parentum?

Hæc fauent parti affirmanti. Primò, iustitia humana debet imitari diuinam, at Deus punit, & occidit filios propter peccat parentum, Exod. 20. [Ego Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem parentum in filios, vsque in tertiam, & quartam generationem.] Cui consonat illud, Matth. 23. [Vt descendat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, &c.] idest, Vt condemnemini & puniami propter homicidia iniusta quæ fecerunt patres vestri. Idem exequutus est Deus præcipiuque fieri in varijs locis S. Scripturæ: Vt in diluuio, in incendio Sodomæ. Exod. 12. Ob peccata Ægyptiorum occiduntur omnes primogeniti Ægypti. Similiter Iosue. 7. Ob peccata parentum occiduntur omnes paruuuli Hierico, & 1. Reg. 14. Omnes paruuli, & infantes Amalech, & grauissima peccata Regum Israel puniuit Deus in filijs eorum. Ob adulterium Dauid moritur filius, qui ei natus fuerat ex Bethsabe: Ob Idololatriam Salomonis recesserunt à filio eius Roboam 10. tribus 3. Regum 11. Homicidium Nabot, quod perpetrauit Acab, punit Deus in filio ipsius.

Secundò iustitia humana punit aliquando filios ob delicta parentum pœnis grauissimis, quæ possunt æquari, morti, vt infamia, confiscatione bonorum, exilio perpetuò, ignominia perpetua, vt sæpe accidit in crimine hæresis, & læsæ maiestatis.

Denique ille locus Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, explicatur communiter à Theologis & Doctoribus quo ad pœnam spiritualem & æternam, non tamen de pœna temporali. Vt videre est apud D. Tho. 1. 2. q. 87. art. vlt. vbi refert D. Hier. in Epistola ad Auitum, & D. Aug. q. 8. ca. 8. Iosuæ, ergo cum ablatio vitæ sit pæna temporalis, poterit iudex in grauissimis criminibus etiam occidere filios propter peccata parentum.

CONCLVSIO I.

Deus potest occidere filios etiam innocentes pro peccatis parentum, & è conuerso.

Patet, quia vtitur re sua, pro libito, nullique facit iniuriam, cũ sit dominus vitæ, & mortis, iuxta illud Ro. 14. Siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, domino morimur. Hinc sequitur occisionem innocentis non esse intrinsecè malam simpliciter sumptam, quia aliter non posset Deus illam facere, sicut nec potest mentiri, quia est intrinsecè malum. Sequitur secundò, Deum quando occidit aliquem etiam innocentem, non dispensare in quinto præcepto decalogi, tum quia habens dominium vitæ om-

omnium nulla indiget dispensatione ad eam tollendam, tum etiam quia præcepta decalogi sunt indispensabilia, vt vidimus.

CONCLVSIO II.

Iudex humanus non potest occidere filium pro peccatis patris sine speciali Dei reuelatione.

ITa D. Aug. in cap. 8. Iosue. q. 8. & in Deut. q. 42. tom. 4. Ita intelligitur locus ille, Deut. 24.] Filius non occidetur pro patre, sed vnusquisque pro peccatis suis morietur.

Nunc ad argumenta Abul. in oppositum. Ad primum dico, illa loca probare nostram primam conclusionem, vel potius intelligenda esse de filijs imitantibus peccata parentum: ita D. Thom. 1. 2. quæst. 87. artic. vltimo ad primum, & colligitur apertè ex contextu. Nam Exod. 20. postquam dicitur: [Visitans peccata parentum, &c.] addit. [His qui oderunt me.] & Matth. 23. [Implete mensuram patrum vestrorum.] Ad alia loca quæ in eodem argumento primo afferuntur, respondeo ex prima conclus. maximum esse discrimen inter nos & Deum, quia Deus cum sit dominus vitæ & mortis, potuit occidere illos paruulos pro peccatis parentum, quod nobis qui non sumus domini vitæ aliorum non licet.

Ad secundum respondeo posse Remp. de omnibus bonis temporalibus suorum ciuium disponere ob bonum commune; ad quod pertinet punitio delinquentium, & ita potest in punitionem parentum mittere filios in exilium, & expoliare eos suis bonis, & honore; quia bonum patris est bonum totius, vitæ autem filij nec pater nec Resp. habet dominium, & ita non potest priuare filium vita pro peccato patris. Vel respondeo secundò propriè loquendo filium non puniri in bonis proprijs, in crimine hæresis, vel læsæ maiestatis sui patris, sed in bonis proprijs patris, quæ ipse erat deinde habiturus iure hæreditario, vnde si haberet ipse filius aliqua bona propria, non posset in eis puniri.

Ad vltimum respondeo, occisionem filij innocentis pro peccato patris esse contra rectam rationem, & loca adducta in secunda conclusione, etiam si non sit contra illum locum Ezechielis.

ARTICVLVS III.

An liceat occidere malefactores priuata auctoritate.

CVm occisio malefactorum licita sit quærit modò D. Thom. cui ea liceat? num cuiuis homini an soli principi, & iudici?

CONCLVSIO VNICA.

Soli principi, & personæ publicæ licet malefactores occidere.

HÆc est de fide ex Pau. enim Rom. 13. soli magistratus & ministri iustitiæ portāt gladium, & sunt vindices malefactorum. Et est ratio. Cum occisio malefactorum eo nomine licita sit, quia illa exigit bonum commune, ad eum tantum pertinebit malefactores occidere, ad quem pertinet ex officio curare bonum commune, hoc autem tantum pertinet ad publicam potestatem, ergo. Vnde D. August. 1. de ciuit. Dei ait: [Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur, & tantò amplius, quantò sibi potestatem à Deo non concessam vsurpare non timuit.] Circa hunc articulum est grauis dubitatio.

CONTROVERSIA I.

AN VNICVIQVE LICEAT INTERficere tyrannum.

DIu. Thom. in 2. d. 44. quæst. 2. artic. 2. ad vltimum. Et 2. de Regim. Princip. capit. 6. videtur sentire licere cuiuis priuato ciui occidere tyrannum, ait enim: [Quando non est recursus ad superiorem laudabiliter occiditur tyrannus qui per violentiam se fecit dominum,] Probat illud ex S. Scriptura, Iudic. 3. vbi commendatur Aioth, qui interfecit Eglon regem Moab, qui tyrannicè præerat Israeli, in historijs etiam prophanis commendatur Brutus, eo quod liberauerit populum Romanum à Tyrannide Tarquiniorum. Et Cicero in officijs laudat interfectores Cæsaris, qui per tyrannidem occuparat imperium.

In hac quæst. obseruemus cum D. Thom. loco cit. duplicem esse tyrannum, alium sola gubernatione, qui tyrannicè ciues gubernant, omnia in suam vtilitatem, & cum damno communi referens per fas & nefas, quamuis legitimo titulo possidere inceperit. Alius vero est Tyrannus titulo, & inuasione, quia per vim, & tyrranidem obtinuit regnum, & durante eadem vi gubernat, dico durante eadem vi, quia si deinde Respub. in illum consentiat, quamuis tyrannicè introductus sit, per illum consensum Reipub. desinit iam esse tyrannus, & incipit esse legitimus princeps, ac possidere optimo titulo.

Tyrannum primo modo nulli priuato licet occidere, quia cum ille habet iustum titulum, non est deponendus, nec puniendus, quin prius audiatur & iudicetur, vel à superiore habēte auctoritatem ad id, vel ab ipsa Repub. quando deest superior. Et in hoc casu loquitur Concilium Constans. sess. 15. quando damnat de hæresi asserentes licere cuilibet occidere tyrannum; damnatur enim ibi hæc propositio Ioā. Hus: quilibet tyrannus licitè potest à quocunque subdito interfici: Tyrannum autem secundo modo, quando non est recursus ad superiorem, qui illum proijciat, & impediat, quilibet priuatus vt defensor suæ Reip. potest occidere, sicut incendiarium Reip. qui alia via quam morte impediri non potest, quilibet priuatus vt defensor suæ Reip. potest occidere. Et ratio est, quia vnicuique à natura conceditur ius repellendi vim, quam patitur sua Resp. cum patiente illa patiatur & ipse vim, qui illius pars & membrum est. Secundò, quia vnusquisq; habet ius ad defendēdā suā Remp. bello defensio iusto, contra inuadentē illam bello offensiuo iniquo siue explicito, siue implicito, iste autem tyrannus secundo modo saltem implicitè infert bellum offensiuum, & iniquum Reipub. Et de hoc tyranno loquitur D. Thom. locis adductis: talesque fuere Iulios Cæsar, & Eglon, de quo Iudic. 3. quamuis si benè expendatur locus iste in textu Sacræ Scripturæ, Aioth non occidit Eglon, vt persona priuata, sed auctoritate publica, vt electus à Deo, & missus à populo Israel ad illum repellendum,

dum,

dum, & occidendum. Quo modo autem debeat se habere Resp. vt se defendat à tyranno, docet optimè Diu. Thom. liber. 1. de Regimi. princip. cap. 5.

CONTROVERSIA II.

AN VIR DEPREHENDENS *vxorem in adulterio possit illam auctoritate propria interficere.*

LEges ciuiles id videntur concedere vt l. Marito ff. de adulterijs. & l. Gracchu. C. ad l. Iuliam eodem tit. quod autem auctoritate legis fit, licitè fit. In oppositum est doctrina huius artic. iuxta quam nemini licet propria, & priuata auctoritate aliquem interimere.

Hæc controuer. solet copiosè tractari in additionibus ad 3. p. D. Thom. quæst. 60. artic. 1. Interim dico maritum bifariam posse occidere vxorem adulteram, vel ante sententiam iudicis, vel illa iam lata, si ante sententiam, etiam si in crimine fragante eam occidat, peccat mortaliter omnium Doctorum iudicio, vocaturque homicida à Nicolao Papa can. Interfectores. 33. qu. 2. Leges autem quæ hoc illi concedunt, tantum sunt permissiuæ in foro exteriori, non ad liberandum illum à culpa, sed à pœna tantum iudiciaria, quia deprehendentem vxorem in adulterio iudicat lex passione tam vehementi tunc opprimi, vt vix aliud potuerit, sicut in cap. facere Alma mater, De sententia excommunicationis, liberatur non à culpa, & homicidio in foro Dei, sed ab excommunicatione, & irregularitate, & alijs censuris clerici occidentes, quos deprehendunt cum sua matre, sorore, aut filia: vt ibi Doctores maximè Couarru. An autem post latam sententiam peccet illam occidendo aliqui dubitarunt, quia iudex non præcipit marito, vt eam occidat, sed vt possit, si velit, vnde cum in eius libertate relinquatur occidere illam, homicidium potius videtur & vindicta quàm punitio iuridica. Nihilominus dico: [virum occidentem vxorem adulteram condemnatam, à iudice non peccare, nec esse homicidam, si id faciat ex zelo iustitiæ, & non ex liuore vindictæ, aut odio.

Patet, quamuis iste non instituatur necessarius minister, vt carnifex, constituitur tamen minister, quamuis liber istius punitionis, occiditque auctoritate publica, auctoritate autem publica licet occidere malefactorem, ergo.

Secundò, si hoc marito non licet, peccaret grauiter princeps, vel iudex, qui illam marito traderet, faciens eum ministrum rei illicitæ, essetque iniqua lex, quæ ita sanciuit, at nullus Doctorum talem legem, vel iudicem vnquam condemnauit, quia sicut licet legi, & iudici vti alio carnifice ad illam adulteram puniendam, ita & viro maximè cum occisio adulteræ non sit reuocata à Christo, vt vidimus contra Scotum. Nec valet quod dicitur illum esse ministrum liberum, possetque vti misericordia in illa quia quamuis sit minister liber, verè tamen minister est, & auctoritate publica agit. Nam & ipsimet iudices in multis possunt vti clementia, vel rigore, nec peccant, si dimissa clementia vtantur rigore, quando id non faciunt ex odio personæ, sed ex zelo iustitiæ.

Sed quæres hic, si mulier accumbens cum viro inueniat sub puluinari gladium paratum à viro ad eam occidendam quam primum fuerit excitatus, possitne ipsa sua propria auctoritate occidere illum, & ea ratione occurrere morti sibi imminenti, quàm aliter euadere non potest? Respondeo in eo casu opus esse magna prudentia, quia si omnibus cõsideratis mulier ista nullo modo possit euadere mortem, nisi occidendo virum, potest illum occidere, quia id non est præuenire inimicũ, quod non licet, sed tueri, ac defendere se ipsam à vero aggressore, à quo aliter se liberare nõ valet, quod si vel fugiendo, vel clamando, vel occultando pugionem, & resistendo, aut alia quacumque via possit ipsa euadere, non potest illum occidere, quia tunc non esset se ipsam tueri, aut defendere cum inculpata tutela, sed præuenire inimicum quod non licet.

CONTROVERSIA III.

AN LICEAT ADMITTERE DVELlum ad vitandum proprium dedecus, & tuendum proprium honorem, quando quis ab alio prouocatur.

DE duello an licitum sit differunt Alens. 4. p. quæst. 8. memb. 4. Summistæ verbo Duellum, Lyranus quoque. 1. Reg. 16. & ibidem Dionys. Cartusian. & Abulen. Iuristæ verò in can. Monomachiam. 2. quæst. 4. Caietan. infra quæstio. 95. artic. 8. & in Sum. Vbi initio obseruandum est duellum quantum ad Etymologiam vocis idem esse quod duorum bellum. In iure etiam vocatur Monomachia, à Munos quod est vnum, & à machia, idest pugna, quasi vnus pugna: est enim singulare certamen, & ita potest duellum quantum ad quid hominis diffiniri pugna vnius cõtra alterum: sed quantum ad quid rei potest dupliciter accipi, largè, vel propriè, largè pro conuentione, seu concertatione duorum, siue cum periculo occisionis, siue non, vt in ludo, qui Hispanè dicitur esgrima, propriè verò, pro concertatione duorum cum periculo occisionis, vel mutilationis, aut vulneris, & ita accipitur hic.

Obseruemus secundò, duellum propriè sumptum posse tripliciter fieri, primo modo, eo animo vt Deus illo medio ostendat veritatem, & sumat vltionem de aliquo afferente falsum.

Secundo modo ad ostendendas proprias vires, vt solet fieri en los desafios y campos de Italia, quando aliqui descendunt in arenam ad singulare certamen.

Tertio modo, quando fit non ob aliquem ex his duobus finibus, sed in defensionem propriæ vitæ, vel ad vitandum notabile detrimentum in proprio honore, & fama, vel bonis temporalibus.

His positis tria hic tractanda sunt, Primò liceat ne prouocare & indicere tale duellum?

Secundò, liceat ne illud acceptare, siue liberè siue coactè?

Tertiò, An liceat præbere facultatem ad tale duellum, vel illud permittere?

CON-

CONCLVSIO I.

Duellum propriè sumptum, & eo fine initum, vt Deus illo medio ostendat veritatem, est grauissimum peccatum mortale.

IN hac conueniunt omnes Doctores citati. Et patet, quia illud est tentare Deum, sicut tentaretur per iudicia aquæ feruentis, vel ferri candentis, esset enim petere miraculum, vt ostenderetur veritas, quod non licet.

Et confirmatur, quia videtur contra rectam rationem, vt ad veritatem manifestandam sumatur tanquam medium, quod non est medium imò quod posset conuerti in damnum veritatis, & confirmationem mendacij, cum possit accidere, vt qui defendit veritatem succumbat in certamine, & qui mendacium sequitur euadat victor.

CONCLVSIO II.

Duellum propriè sumptum, quod fit ad ostendendas proprias vires, peccatum quoque mortale est.

HOc modo peccauit Goliath prouocans Israelem ad singulare certamē, Dauid autem non peccauit illud admittens, quia id præstitit peculiari instinctu Spiritus sancti, cum non descenderit in illam arenam ad ostendendas proprias vires, sed vt Deo obediret, vt eius causam ageret. Ratio huius conclusionis est aperta, quia temerarium est, & contra rectam rationem ad solam virium ostensionem offerre se periculo mortis.

CONCLVSIO III.

Duellum propriè sumptum, neque ad defensionem propriæ vitæ, neque ad vitandum detrimentum aliquod in proprio honore, fama, vel bonis, licet vllo modo indicere.

PRobatur primò. Si ad defensionem propriæ vitæ, vel honoris, aut bonorum liceret indicere duellum, vt cum quis falsò accusatur apud iudicem de crimine, propter quod periclitatur de vita, honore, vel bonis, id certè esset, quia in isto casu hic accusator, & calumniator verè, & actu inuadit illum innocentem, quamuis non proprio gladio, gladio tamen iudicis, & cum possit inuasus tueri se inuasore occidendo illum, poterit sic calumniatus occidere illum in duello, vt suum inuasorem, sed hac ratione non licet, sequeretur enim primum ex ea, vt si quis ignorantia inuincibili bona fide alium falsò accusasset, possit accusatus prouocare illum in duellum, & ibi eum occidere, quod est falsum, & mille incommodis plenum, & ab omnibus negatum. Patet, quia secundum illam rationem in hoc etiam casu accusator iste inuadit accusatum, inuasus autem potest occidere inuadentem, etiam si id faciat ex ignorantia inculpabili.

Secundò, si dominus mittat seruum, vt me aggrediatur, & occidat, ego quidem seruum illum possum occidere, non autem dominum, licet verè & actu dominus ille sit, qui me vult occidere gladio serui sui, ergo similiter licet calumniator inuadat me per gladium iudicis, ego non possum illum aggredi.

Tertiò sequitur, vt si quis accuset alium falsò ex qua accusatione immineat amissio famæ, vel bonorum, possit accusatus occidere accusatorem, & se propria auctoritate, & manu vindicare, quod est falsum, & in magnam perniciem Reipub. Consequentia autem patet, quia si quis inuadat me in honore, & diuitijs, & qui vult me alapa cædere, aut bona rapere, & cum me defendam infert vim, & per vim vult me percutere, & expoliare, possē illum occidere tanquam inuasorem, sed secundum oppositam sententiam accusator inuadit accusatum in hoc casu in honore, & fama, ergo liceret eum occidere. Hæc conclusio est omnium Doctorum, & Caieta. Vnde falluntur aliqui recentiores Thomistæ, qui in explicatione huius art. putant Caiet. infra. quæst. 95. artic. 8. sentire, licere innocenti, cui falsò imponitur capitale crimen coram iudice offerre duellum suo calumniatori, vt ea via se defendat, & in eo reprehendunt Caiet. cum in illo artic. 8. quæst. 85. & in sum. solum doceat, licere acceptare duellum sibi oblatum, nunquam tamen dicat licere illud indicere.

Sed an hoc liceat acceptare controuersum est apud Doctores. Conueniunt quidem omnes communiter non licere acceptare, duellum propriè etsi oblatum, quando illud acceptans non est propriè defendens, sed vtrius; consensu initur duellum. An autem liceat in aliquo speciali casu illud acceptare non conueniunt, sed abeunt in tres sententias.

Prima habet, sicut in nullo casu licet offerre duellum, neque in causa ciuili, neque in criminali, neque pro defendenda vita, honore, vel fama, ita neque illud vllo modo, vel titulo licere acceptare. Ita Abulen. vbi supra, & citat in hanc sententiam Hostiensem in sum. tit. de clericis, & quendam Henricum, & Alanum, atque esse communem. Eandem sequitur Syluester num. 2. & deinde quæst. 2. nume. 4. atque hanc esse opinionem Doctorum, non solum iuris ordinis, verum etiam aliorum. Probatur primò. Absolutè & omnino prohibetur tàm in iure canonico, quàm ciuili duellū, & sine vlla distinctione, ergo in omni casu est illicitum. Conseq. patet. Quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Antecedens verò probatur, in iure ciuili, ex l. unica, C. de gladiatoribus, quæ lex recipitur in Castella in lege vnica, tit. 9. lib. 4. ordinat. Rega. & habetur in noua capitulatione. p. 2. lib. 8. tit. 5. l. 10. In iure canonico, c. Monomachiam. 2. q. 4. vbi vide Turrecremata. Et cap. Cura suscepti, eat. De purg. vulgari. & Concil. Trid. sess. 25. decreto de Reformatione, vbi in vniuersum prohibetur duellum sub grauissimis pœnis tàm ipsis pugnantibus, & eorum patronis, quā principibus id permittentibus, quam aliis quibuscus suo consilio, vel auxilio concurrentibus, siue quo ad ius, siue quo ad factum.

Secundò, si in aliquo casu speciali duellum esset licitum ex parte acceptantis, maximè quando aliter nequit vitare propriam mortem, vel infamiam, vel amissionem suorum bonorū, at in hoc casu non licet, ergo in nullo.

Probatur minor, si tunc liceret, certè id esset, quia sic acceptans non est aggreor, sed solum defensor sui, & suorum, sed est verè tūc quoque aggressor, & non defensor solum. Probo, quia licet primus, qui offerd duellum, sit simpliciter, & apertè aggressor, hic nihilominus qui liberè acceptat, cum posset non acceptare, est quoque interpretatiuè aggressor, vel saltim congressor.

Et confirmatur, defendere seipsum cum moderata

tata tutela (quod licet) ille tantū dicitur, quem alter inuitum aggreditur, nec potest vllo modo vitare bellum, sed tenetur vel perire, vel cum gra-ui dedecore fugere, vel inuasorem occidere. at iste acceptans duellum potest vitare bellum, nec est dedecus, cum agat vt Christianus, nisi iam seruare legem Christi habeatur pro dedecor, ergo iste non est defensor, sed potius congressor.

Secunda opinio est, in duplici euentu licere acceptare duellum: primò, in causa criminali, quando nequit accusatus alia via vitare propriam mortem. Secundus est in causa ciuili, quando non potest alia via defendere bona propria, in hanc sententiam refert idem Abulen. vbi supra, Guillerm. & Lyra. in cap. 17. primi Reg. & hanc sequuntur aliqui recentiores Thomistæ supposita auctoritate principis.

Ratio horum est, quia acceptans duellum in his casibus non est aggressor, sed tantum defensor sui, & suorum cum inculpata tutela.

Tertia opinio, vult in vno tantum casu licere acceptare duellum, nempe in primo casu huius secundæ opinionis, quando verè innocenti alius coram iudice imponit falsum crimē propter quod est capite plectendus: si in hoc casu (inquiunt) iste innocens negaret crimen, alter verò offerret ei duellum, sic oblatum potest ab isto innocente acceptari, & hac via attentare sui defensionem, quā do nulla alia via ei pateret defensio. Ita Caiet. infra. quæst. 95. artic. 8. & in summa, Duellum.

Ratio eius est, quia in hoc casu iste innocens nec aggressor est, nec congressor, sed verè aggressus, & defensor sui, parum enim, inquit, ad hoc propositum facit, an alter hunc innocentem propria manu, vel aliena, id est, iudicis aggrediatur. Aliqui ante Concilium Tridentinum volebant hanc opinionem esse optimam, at post Concilium reijcienda in ex prohibitione Concilij.

Attamen mea sententia etiam ante Concilium Trid. prima illa opinio Abul. est censenda verior, & probabilior, [In nullo casu licere acceptare duellum:] Argumenta enim quibus vtitur efficacissima sunt, maximè vltimum, illum solum dici defensorem, qui inuitus cogitur ab actuali aggressore cum illo pugnare, qui verò prouocantur in duellum, quacunque ratione id fiat, non sunt defensores sui, sed saltem congressores.

Ad argumenta secundæ opinionis patet solutio ex probationibus primæ, Ad argumentum verò tertiæ quod est. Caiet. Respondeo illum tantum esse dicēdum inuasum ab alio, quem alter propria manu ita aggreditur, vt necesse ipsi omnino sit aut pugnare, aut perire: quod in hoc casu non accidit, cum prouocatus possit ab illa pugna abstinere, quod si nulla alia via ei maneat ad se purgandum ab illo crimine, sibi falso imposito, patienter ferat mortem, sicut innocens per probatos nocens per falsos testes. Quo ad tertiam quæstiunculam sit.

CONCLVSIO I.

Post Concilium Triden. non licet principi alicui, vel Reip. in aliquo casu permittere duellum, tantum abest, vt liceat facultatem, & licentiam ad illud concedere.

HÆc conclu. addit aliquid supra communem sententiam doctorum, qui præcesserunt Concilium Tridē. qui oēs concedebant licere principibus in aliquo casu, non quidem dare licentiam ad duellum, sed illud tantum permittere. Patet tamen hæc conclus. ex Concilio Triden. loco cit. vbi expressè excommunicantur permittētes duellum, sicut, & congrediens in illud, ita vt qui in duello obierit, careat Ecclesiastica sepultura, sicut etiam excommunicantur quoquo modo concurrentes, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, Doctores verò, qui præcesserunt hoc Concilium, eo ipso quo illud antecesserunt sunt excusati.

Ex his sequitur quantum errent, qui ad honestandam iniquitatem duelli ita argumentantur. Licèt mihi recuperare bona, quæ mihi aliquis iniquè abstulit ea via qua potero, ergo, & honorem, sed honorem meum recuperare non valeo, cum quis me iniuria affecit, nisi occidendo illum in duello, ergo licebit prouocare illum in duellum.

Secundò, furem inuadentem bona mea possum occidere, ergo, & calumniantem me in iudicio, suaque calumnia constituentem me in discrimine honoris, & vitæ, vt iniuria, quàm mihi infert, cesset, licebit prouocatum in duellū occidere.

Ad primum ex his respondeo, plurimum interesse inter recuperantem bona propria, & volentem vindicare suum honorem, vel iniuriam sibi illatam.

Primò, quia ille recuperat quod suum est, & sine præiudicio alterius, tam illius priuati à quo rem accipit, cum ille non expolietur re sua, sed aliena, quàm iniquè detinebat, quod est iustum, quam sine scandalo, aut præiudicio Reip. vt suppo nimus. At occidens alium propria auctoritate ad vindicandam propriam iniuriam, non recuperat quod suum est, sed expoliat illum vita, quæ illius, qui occiditur est. Vnde agit cum præiudicio tertij, & cum scandalo, ac perturbatione Reip. Differunt secundò, quia pecuniæ meæ, quas alter iniquè detinet, non sunt mihi debitæ, vt pœna aliqua, sed vt res meæ propterea possum mea propria auctoritate illas accipere, quando alia via recuperate non possum. Vindicta autem alterius non est mihi debita, vt res mea, sed vt pęna, & ideo inferenda à iudice. Quo fit, vt qui sua priuata auctoritate illam infert, faciat iniuriam, & patienti illam, & iudici, cuius auctoritatem, & iudicium iniquè vsurpat.

Ad secundum dico, tàm pallium à latrone, qui non est actu inuasor, quàm famam à calumniatore esse tuenda non occidendo illum, sed alia via meliori: Ita apparet, quàm iustum, sit illud diuinum præceptum: [Mihi vindictam, & ego retribuam.] Est enim præceptum iuris naturalis explicatum à Deo, vt nemo proprias vindicet iniurias, quod dictat recta ratio, primò, quia nemo est æquus iudex in propria causa.

Secundò, quia iudicium est actus rationis ab omni affectu & perturbatione liber, qui verò iniuriam passus est habet iudicium rationis obscurum, & perturbatum proprio affectu, & odio alterius, [Impedit enim ira animum, ne possit cernere verum.] Vnde, vt obseruauit Arist. 5. Ethic. capit. 6. nec ipsis iudicibus commissum est in rebus grauioribus iudicium pænarum, sed à legibus definitæ sunt, & taxatæ.

Tertiò, quia si propriam iniuriam unicuique uindicare, & punire liceret, ultra condignum, & multò atrocius, & grauius puniret, quàm exigerent delicta, ut experiētia docet in uindictis, quas filii huius sæculi exercent, verbum enim molestiæ vindicant percussione graui alapam morte. &c.

CON

CONTROVERSIA IV.

POSSIT NE PRINCEPS, AUT LEX concedere facultatem priuatæ personæ occidendi malefactorem.

OBseruemus bifariam posse concedi huiusmodi facultatem, aut absolutè, ita vt nulla expectata iudicis sententia possit occidi, aut secundò sub conditione, vt postquam iudicis sententia dānatus est ad mortem, concedatur, vt a quocumque priuato possit illa sententia mandari exequutioni.

CONCLVSIO I.

Non potest rex, vel Resp. conducere legem, vt absolutè, & ante iudicis sententiam possit malefactor occidi ab aliquo priuato.

PRimò est contra ius naturale, vt quis in auditus condēnetur, ergo nisi prius audiatur malefactor a iudice, non potest dari facultas, vt occidatur. Et confirmatur, quia condemnationem iuridicā debet præcedere cognitio iuridica. Estque consentaneum S. Scripturæ, Act. 25. [Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquā is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat.

Secūdò, ex tali lege sequeretur totius Reip. ruina, daretur enim occasio prauis hominib. occidendi alios, & vnusquisque sub prætextu puniēdi malefactores vindicaret se a suis priuatis odiis, & inimicis, omniaque essent plena homicidijs. Intelligenda hæc conclusio est, nisi esset publicus Reip. vel regis hostis. Tunc enim licet cuiq; priuato nulla expectata sententia, sed cum sola euidētia facti illū inuasorē repellere, & occidere, sicut diximus de tyranno, qui titulo tyrānus est. Et casu quo priuata persona posset malefactorem occidere tali lege, non esset hoc contra conclus. D. Th. qui loquitur tantū de authoritate priuata, qui. n. occideret aliquem tali lege, iam ageret authoritate publica.

Sed contra hanc conclusionem est lex illa quæ habetur Num. 35. vt propinqui occisi possent occidere occisorem. Respondent quidam, Deum, cum sit dominus vitæ, & mortis, potuisse cōdere illam legem, & concedere, vt & ante iudicis sententiam occideretur ille malefactor, homines autē quantumuis principes, cum non sint domini vitę aliorum, non posse id concedere, cum neget recta ratio, vt non auditus condemnetur, & non condemnatus occidatur. Caiet. respondet & nonnulli, illā legem tantum fuisse permissiuam, ita vt qui ita facerent non punirentur in foro exteriori, sicut dixinus de virō occidente vxorem deprehēsam in adulterio, nihilominus in foro animæ illos peccare mortaliter, & esse homicidas. Lyranus & alij dicunt illam legem fuisse concessiuam, & habuisse vim in foro etiam interiori, non tamen ante iudicis sententiam, sed ea lata, & declarante iudice occisorem propinqui dignū morte tunc licuisse propinquis occisi sine vlla culpa mādare ex sequutioni sententiam illam, & occidere occisorem sui cognati, colligiturque ex textu, cum dicatur ibi esse prius examinandum, occideritne homicida illum defunctum ex odio, vel passione, quia si fuerit ex odio, concedítur illa facultas propinquis, quod si non ex odio, sed ex passione, vel graui occasione sibi a defuncto ablata, non conceditur talis facultas: hoc autem examen ad iudicem pertinet, vnde iuxta hunc sensum non simpliciter, sed præcedente iudicis sententia hoc illis cōceditur. Vide Abulensem. q. 13. id istum locum.

CONCLVSIO II.

Potest rex constituere legem, qua post sententiā iudicis concedatur facultas priuatis hominibus occidendi malefactores in aliquibus casibus.

PRimus est, vt liceat cuique declaratos per iudicem inuasores itinerum, & assassinos, vel alios perturbatores Reip. occidere: ita colligunt Sylue. & alij Doctores, ex c. Pro humani De homicidio voluntario, vbi datur facultas cuilibet necandi illos, qui occidunt Christianos per assassinos, i. qui a iudicibus declarari sunt inimici, & homicidæ Christianorum, & dare pecuniā occidentibus Christianos. Et ratio est, quia in fine illius c. vocantur isti homines diffidati: diffidatus verò dicitur in iure, qui potest a quocumque occidi, vt Piratæ infideles, & Turcę inuasores nostri.

Secundus casus est, quando vbi per sententiam iudicis condemnatus est ad mortem aliquis homicida, conceditur cōsanguineis occisi, vt possint necare homicidam, vbicūq; eum inuenerint. Sed hic casus ita moderandus est, vt primò hoc tātum possit concedi a principe, vel rege, & non ab aliis iudicibus, quia cum sit modus puniendi nimis extraordinarius, nec contentus in lege, concedēdus non est, nisi ab eo, qui habet supremā potestatē. Secundò, vt rex non cōcedat hoc nisi rarissimè, & ex grauissimis causis, quæ cedant in bonum cōmune, quando. f. homicida ille condemnatus nō desinit malè agere, & molestus esse cognatis defuncti, vel alijs, quia tunc potest concedi, vt quiuis cū occidat velut publicum perturbatorem Reip. & qui capi facilè a ministris iustitię nequit, aliter nisi bonum commune ita exigat non est cōcedenda ista facultas peccareq; rex illam concedens, quia cōmuniter consanguinei occisi non puniunt occisorem ex zelo iustitiæ, sed ex liuore vindictæ experientiaq; teste occidunt illū sine confessione facramentali, & atrociter plusquā par est, quæ omnia in eo qui nec est inuasor itinerū, nec assassinus, & perturbator Reip. sed solū priuatus quidā homicida sui inimici, indigna sūt homini Christiano, nec vlli homini concedenda, i. nō ipsos inuasores itinerum, & perturbatores Reip. qui commodè capi possunt, non est concedendum vt a quocumq; occidantur, ne pereant sine confessione, quia debet index quomodo patiatur bonum cōe cōcedere reis locum, & tempus ad recipienda sacramenta.

Sic explicata conclusio probatur. Licet regi ad puniēdos malefactores vti ministro quo voluerit, quando autem concedit facultatem his, vel illis, vt occidant malefactores, vtiutur illis tamquam ministris non enim agūt tunc auctoritate propria, & priuata, sed publica, & accepta a lege, vel rege nec sequuntur tunc sicut conclusio explicata est, incommoda, quę in prima cōclusione, ergo id licet.

Sed an stante tali lege, & facultate malefactor possit se defendere, vel resistere illi, qui vt minister legis, vel regis potest ipsum occidere, dubium est, quidā volunt posse illū fugere, non tamē resistere, alij volunt posse ipsum vtrumque, Prior opinio est probabilior, & tenenda.

ARTICVLVS IIII.

An liceat clericis occidere malefactores?

QVæstio hæc potissimè pertinet ad clericos constitutos in dignitate, & habentes publicam potestatem, quales sunt Episcopi, Abbates, &c. nã clericis priuatis constat satis ex præcedenti art. id non licere, cum nullæ priuatæ personæ id liceat. De clericis autem in dignitate positis duplex est quæstio; vna an id liceat habentibus solam potestatem spiritualem, alia an id liceat habentibus præter spiritualem etiam temporalem. D. Thom. constituit hanc conclusionem omnibus clericis communem.

Non licet clericis occidere malefactores.

Probatur Ecclef. 10. Sicut iudex populi ita, & ministri eius, clerici sunt ministri Christi, qui nullum percussit, imò vt ait D. Petrus, [Cum percuteretur, non percutiebat,] nec vllius sanguinẽ fundit, imò proprium in aliorum salutem, ergo. Secũdò, sunt ministri templi, & altaris, templum autẽ, & altare adeo adhorrent ab effusione sanguinis, vt eo pollantur, reddanturque suo modo irregulares, & indigeant reconciliatione, & mandatione, ergo & ministri horum debent omnino adhorrere ab effusione sanguinis. Tertio debent se conformare legi Euangelicæ, cuius sunt ministri, lex autem Euangelica non constituti pœnas occisionis, aut mutilationis, sicut lex vetus, quæ erat lex seruitutis.

Hæc conclusio intelligenda est simpliciter, & absolutè, non considerando dispensationes, aut priuilegia, & facultates, quas in his aliqui possunt habere, vnde oportet viueamus.

CONTROVERSIA I.

QVO IVRE SIT PROHIBIta clericis occisio malefactorum, & an possit circa hoc cum ipsis dispensari.

CONCLVSIO I.

Hæc prohibitio non est de iure naturali.

PRimò, quia nec recta ratio id prohibet, neque est aliqua dissonantia cum iure naturali, vt episcopus occidat malefactorẽ sibi subditum dignũ morte. Secundò si ius naturæ id prohiberet, cũ ius naturæ sit semper vnũ, & idem apud omnes, nec sacerdotes veteris legis potuissent occidere malefactores, at Moyses factus sacerdos occidit idolatras. Exod. 33. Phinees etiam sacerdos occidit fornicantem cum infideli, Num. 25. Samuel occidit Regem Amalech. 1. Reg. Elias occidit sacerdotes beliaf. 3. Reg. ergo hoc non est contra ius naturæ, Deniq; ius naturæ nil dictat de sacerdotio nouæ legis, de quo loquitur hic D. Tho. & ita ex iure naturali nullo modo petendum est quid possint clerici, & quid non,

CONCLVSIO II.

Neque est de iure diuino huiusmodi prohibitio.

NAm ius diuinum constat, vel ex Sacra scriptura, vel ex traditione Ecclesiæ, at nullus est locus S. Scripturæ, in quo id sacerdotibus prohibeatur, nulla Ecclesiæ traditio quæ doceat id præcepto Dei prohiberi.

Sed obijcies 1. ad Tim. 3. præcipit D. Pau. vt Episcopus nõ sit percussor, quo testimonio vtitur hic D. Th. ad probandam suam conclus. iam igitur cõtinetur hæc prohibitio in S. Scriptura. Secundò, clerici id tantum possunt quod a Christo acceperunt, Christus aũt cum nõ habuerit aliquod dominium temporale, nec aliquam potestatem tẽporalem, non contulit eis hanc potestatem ad occidendũ, aut iudicandum in causa sanguinis, imò oppositum docuit, dicens Petro, conuertere gladiũ tuũ vbi apertè negauit illi, cæterisq; Apostolis, & eorũ successorib. gladium temporalẽ, ergo iure diuino, & ex Christi institutione hoc est illis prohibitum.

Ad primum respondeo, loqui ibi D. Pau. non cũ omnib. clericis, sed cum solo Episcopo, & cum episcopo, non vt persona publica, sed vt priuata, describit. n. ibi mores, & conditiones Episcopi, quæ omnes, vt ex contextu apparet pertinent ad priuatam personam ipsius, neque est ibi sermo de omni persequutione, sed de attroci, & crudeli, qua vtuntur aliqui domini, & principes sæculares, percutẽtes quoscumque sibi molestos, etiã proprios famulos D. autem Th. adducit istũ locum Pau. nõ quasi præceptum diuinum, sed vt congruentiam quãdã, & admonitionem Pauli, cum. n. Pau. admoneat, ne Episcopus sit percussor, cõgruè statuit Ecclesia ne occidat aliquẽ, imò, & argumenta, quæ posuimus congruentiæ sunt, non rationes necessariæ. Ad secundum dico, non bene sequi, Christus hoc nõ habuit, aut non contulit, ergo clerici id non possunt habere, Christus non habuit vxorem, at habuerũt illas aliquãdo clerici, Christus nullius rei omnino voluit habere dominium, sed summã paupertatẽ, at clerici possunt habere dominiũ suorum bonorum patrimoniallum, & ex Ecclesiasticis eorũ, quę sunt necessaria suo statui: vnde licet non acceperint a Christo clerici potestatem sæcularẽ, non tamen prohibuit quin illã possent habere, & accipere a principibus, & regibus, qui ex deuotione Ecclesiæ illã concederent. Respondeo secundo illo argumento, tantũ probari clericos, qua clerici sũt & titulo ordinis, vel dignitatis Ecclesiæ non hẽre hanc facultatẽ, & potestatem temporalem, non tamen inde sequitur, quin illam possint habere, & habeant ex commissione, & donatione principis temporalis. Ad illud D. Petri constat ex contextu, Christum loquutum ibi fuisse illi, vt priuatę personæ. Petrus enim tunc non gerebat personam publicam, nec agebat, vt minister iustitiæ, sed vt priuatus vim vi repellere volens.

CONCLVSIO III.

Hæc prohibitio est a iure humano Pontificio, ob decentiam status.

ITa statuit Ecclesia, vt videre est dist. 45. can. Neminem. can. Episcopum, & ca. Sententiã. Extra ne clerici, vel monachi. Et toto titulo de clerico percussore. Ex qua conclusione sequitur, posse Papam dispensare, & facere facultatem clericis, vt iudicent in causa sanguinis, & occidant malefactores, quia in ius humanum Pontificium habet Papa suppremam, & plenissimam potestatẽ: vnde nec clericis priuatis licebit ex authoritate principis occidere aliquem malefactorem bene autem ex authoritate Papæ.

CONCLVSIO IIII.

Nomine clerici intelligendi sunt, non solum constituti in sacris ordinibus, verum etiam in minoribus.

De

DE cõstitutis in sacris nullus vnquam dubitauit, de constitutis verò in minoribus colligitur eo titulo de clerico percusore, vbi fit mentio Acoliti, & cum Acolito id ibi prohibeatur, consequenter prohibetur, & alijs existentibus in minoribus, sed cum hoc discrimine iuxta communem doctorum sententiam, vt constituti in sacris si sine peculiari priuilegio, & dispensatione Papæ audeant dicere iudicium in causa sanguinis, peccent mortaliter, quia grauem inferunt irreuerẽtiam sacro ordini, & violant cum graui in obedientia præcepta & prohibitiones Ecclesiæ, quod ostendunt pœnæ, quæ in iure imponuntur tale facientibus, excõmunicantur. n. & subijciuntur alijs pænis quas Ecclesia non solet imponere nisi pro peccato mortali: constituti autem in minoribus peccant tantum venialiter, quia cum ordines isti sint minores, nõ inferunt eis grauẽ iniuriam, sed quandam tantũ indecentiam, nec Ecclesia imponit his pænas graues & eas quas alijs, imò vbi consuetudo fuerit initiatos minoribus indistinctè sicut, & alios meros sæculares eligi in ministros iustitię, & ad alia officia sæcularia, nec venialiter peccabunt, quia talis consuetudo liberabit eos omnino a lege iure Eccles.

An autem hoc loco nomine clerici sit etiam intelligendus habens primam tõsuram, dubium est, quia communiter tonsuratus gaudet priuilegio Ecclesiastico: communior tamen opinio est, non intelligi, quia prohibitiones sicut, & odia restituẽda sũt nullo autem loco ex his in quibus habetur in iure huiusmodi prohibitio, fit mentio habẽtis primam tonsuram, De irregularitate, & censuris clericorum, qui iudicant in causa sanguinis, vel eã quacumque via effundunt agemus, art. 8.

Circa solutionem tertij argumenti D. Tho. Videamus nunc.

CONTROVERSIA II.

AN PRAELATI HABENTES IVrisdictionem temporalem, possint ferre iudicium & sententiam in causa sanguinis per seipsos?

RAtio dubitandi est, quia D. Tho. non tribuit huiusmodi prælatis in solutione tertij argumenti, vt possint seipsos iudicare in causa sanguinis, sed solũ, vt possint eligere iudices sæculares ad huiusmodi causas: In oppositum autem est huiusmodi prælatos habere eandem iurisdictionem, eandẽq; plenitudinem potestatis temporalis, quam alii domini sæculares, propter quod concedendum est, posse ipsos iudicare, ac ferre sententias, tam in ciuilibus, quã in criminalibus, sicut possunt alii domini sæculares.

Caiet. habet eandem sententiam, quàm hic D. Tho. Huic autem argumento respondet, quando duæ potestates sunt coniunctæ, præstãtiores, & superiorem trahere ad se minus præstantem, & inferiorem, ita vt inferior seqoatur modum, & induat rationem superioris: ideo dominos sæculares cum habeant solum iurisdictionem temporalem posse per seipsos iudicare, & in ciuilibus, & in criminalibus, prælatos verò Ecclesiæ, cum habent vna cũ iurisdictione temporali, potestatem etiam spiritualem, quæ tanquam prestantior, & superior trahit ad se inferiorem, debent propterea exercere temporalem, quatenus exigit decenta, & natura spiritualis, ad quam pertinet abstinere a iudicio sanguinis, & ita possunt eligere iudices, qui ista iudicia exerceant, ipsi autem per seipsos non possunt ea exercere.

Contra Caiet. tamen obiiciunt aliqui Primò, aut loquitur de prælatis Ecclesiasticis, ut sunt prælati Ecclesiastici, aut ut sunt domini temporales, si primo modo, sicut non possunt iudicare in causa sanguinis, ita nec possunt eligere sæculares iudices, neque ad causam sanguinis, neque ad alias causas mere sæculares, neque vẽdere officia, quia nil horum pertinet ad potestatem spiritualem, quam tantum habent ut prælati: unde omnia ista debuisset Caiet. negare prælatis: Si verò loquitur secundo modo, sicut possunt vendere officia, eligere iudices, poterunt & per se ipsos iudicare in causa sanguinis. Probatur consequentia, quia sicut includũtur illa in potestate sæculari, ita & iudicium sanguinis, quo circa sicut potest illa, qua dominus temporalis, poterit eodem modo ferre iudicium sanguinis.

Secundò, si prælatus nõ potest iudicare in sanguine, quia potestas spiritualis à qua alienum est iudicare de sanguine, tanquam supesior trahit ad se sæcularem, similiter etiam est aliena a spirituali potestate vendere officia sæcularia, constituere iudices ad res mere sæculares, & ita neque posset prælatus hæc facere, sed deberet etiam quo ad hæc potestas spiritualis trahere ad se sæcularem.

Tertiò, si indecorum est, ac prohibitum prælato iudicare in causa sanguinis, quia hoc modo cõcurrit ad eius effusionem, eligens iudicem qui de ea cognoscat, cõcurrit quoque ad effusionem sanguinis illius: quis enim tradit hũc subditum huic iudici ab eo damnandum nisi hic prælatus?

CONCLVSIO I.

Possunt prælati habẽtes dominium temporale ex priuilegio, & concessione Papæ per se ipsos ferre iudicium in causa sanguinis.

PAtet, hæc prohibitio est ex solo iure Ecclesiastico, in quod potest Papa dispensare, (de quo nullus dubitat) ergo si huiusmodi prælati habeant priuilegiũ Sedis Apostolicę, ad exercenda omnia monia, & officia requisita in iurisdictione temporali, & cum clausula generali non obstantibus quibuscumque decretis, vel statutis conciliorum, aut iuris Pontificij, possunt habentes tale priuilegium ferre sententiam occidẽdi malè factorem sibi subditum, cum per tale priuilegium hoc eis concedatur. Si verò solum habeat priuilegium habendi iurisdictionẽ temporalem, nec exprimatur in eo ad omnia officia in illa iurisdictione requisita, non potest per se ipsum iudicare de sanguine, quia tunc tantò conceditur ei iurisdictio temporalis iuxta decreta iuris communis, quo prohibetur per seipsum talia iudicia facere.

CONCLVSIO II.

Quicumque prælati, siue sint suppremi domini, nullũ agnoscentes in temporalibus superiorem, Principem, vel Regẽ, vt multi prelati Germaniæ, siue sint inferiores alicui Regi, vel Principi, vt in Hispania, et Gallia, possunt sine ullo peccato, vel irregularitate eligere iudices ad causas sanguinis, per se autem ipsos non possunt illas iu-

dicare, nisi per speciale, & expressum priuilegium ipsis concedatur.

PRior pars patet ex iure communi, ex c. Episcopus. Ne clerici, vel monachi. Vbi cōceditur prælatis habentibus dominium temporale, vt absque vlla irregularitate possint eligere iudices sæculares ad omnes causas suorum vasallorum. Ea quo sequitur, nec peccare. Quia si peccarent eligendo tales iudices, id certè esset, quia per talem electionem concurrerent ad effusionem sanguinis sibi illicitam, & cōsequenter essent homicidæ, ad irregulares cuius oppositum ibi definitur. Hæc docta est communis inter omnes tàm Iuristas quàm Theologos, & desumpta ea Glossa in ca. Clericis Eatta ne clerici, vel monachi: Quo fit, huiusmodi prælatos sine vllo priuilegio Papæ, sed à iure communi, eo ipso quo sunt domini temporales, & vna iurisdictio alteri coniuncta est, habere potestatem hanc designandi huiusmodi iudices, potestatem, ambo dictat hoc recta ratio: cum per se ipsos non possint exercere ista iudicia esse exercenda per alios, quis ergo illos eliget? certè si alius à prælato, deesset ipsi cum sit verus dominus illius loci, præcipua pars dominii, & iurisdictionis, qualis est designare iudices subditorum.

Secundo, quia iudices designati ab alio, & non ab ipso non obedirent illi sicut par est, quod esset in perniciem suæ Resp.

Secunda, pars conclus. constat ea dictis. Ex quo sequitur, clericos priuatos ferentes sententiam in causa sanguinis ea facultate principis, peccare grauiter, & esse sanguinareos, & homicidas, & irregulares, cum dictet recta ratio, vt nemo occidat malefactorem, quando iure superioris sui sibi prohibitum est. De aliis verò clericis, qui prælati non sunt, iure autem hæreditario, vel alia via habent alicuius loci dominium temporale, idem sentiendū est, quod de prælatis modo diximus. Et in hoc sensu loquuntur D. Tho. & Caiet.

Ad argumenta verò contra Caiet. respondeo.

Ad primum loqui Caiet. De his prælatis, vt sunt domini temporales, qui vt tales possunt vendere officia, eligere iudices, quia hoc non est eis prohibitum, sed concessum, vt constat locis citatis, nec hoc infert irreuerentiam suo statuto, imò est necessarium ad debitam gubernationem, ad quam tamen non est necessarium, vt per seipsos ferant sententiam sanguinis, sed est illis indecorum, & incedens, ac prohibitum.

Ad secundum similis est solutio, potestati spirituali non repugnare, nec esse indecens eligere iudices, sed necessariū optimè gubernationi. Et ideo circa hoc potestatem spiritualem non trahere ad se temporalem, ferre autem per seipsum sententiā sanguinis esse indecens, & indecorum, & quodam modo repugnans potestati spirituali, & ideo quantum ad hoc oportere, vt potestas temporalis conformet se spirituali.

Ad tertium dicunt aliqui, Prælatos non peccare, nec concurrere ad sanguinem eligendo iudices, quia per illam electionem (inquit) solum designāt eos, non tamen dant eis facultatem ad iudicandum, sed ipsi iudicant iuata leges, & quicquid faciunt authoritate legum: quemadmodum Cardinales eligentes Sum. Pont. eligunt quidē ipsum, non tamen dant illi potestatem plenissimā, quàm habet in Ecclesia. Sed hæc solutio non est, optima quia isti iudices ab aliquo debent habere authoritatem immediatè, non à rege, vel principe sæcularium, qui omnem suam potestatem, transtulit in prælatum illum, nec elegit rex talem iudicem, multo minus a Papa, aut ab aliquo alio, ergò ab ipso prælato. Secūdò isti Prælati, qui sunt domini temporales, maximè supremi, possunt condere leges, secundū quas iudices designati ferant sententiam in causa sanguinis, ergo ab ipsis sumunt authoritatem indicantes secundum illas leges, & ita negari non potest, quin ab ipsis huiusmodi iudices electi accipiant authoritatem. Respondeo ergo ad arg. concurrere, quidem ipsos, sed non per seipsos, sed per iudices, tribuentes authoritatem, qua ratione rectè possunt concurrere, cum hoc non sit eis prohibitum, sed cōcessum, & necessarium, per se autem ipsos concurrere non possunt, quia est, illis prohibitum a iure, a quo petendū est, & penes quod existit, quid possint, & quid nō possint. Quando verò aliquid vlterius agunt, quam designare iudices, & præstant aliqua in quibus videntur concurrere ad effusionem sanguinis, censendum est ipsos habere priuilegium ad id, uel expressum, vel interpretatiuum ea vsu, & consuetudine sui loci, vsus enim in his est optima iuris interpretatio.

Ex quo patet, licitè Episcopos ob delicta in iure assignata degradare clericos, & tradere eos brachio sæculari, absque vllo scrupulo peccati, vel irregularitatis, quia ad hoc habent facultatem a iure, in titulis de clerico percursore, & de clerico degradato. Similiter Inquisitores hæreticæ prauitatis sine vllo scrupulo peccati, vel irregularitatis tradunt hæreticos, & relapsos brachio sæculari cōburendos, quia hoc est concessum in iure cōmuni in fauorem fidei cap. Ad abolendam de Hæreticis.

ARTICVLVS V.

Liceat ne alicui seipsum occidere.

COnclusio est negans. Probatur. Quicumq; agit contra naturalem amorē, & inclinationem, quam dictat recta ratio, peccat grauissimè contra ius naturale, at vnusquisque natura duce, & recta, ratione dictante diligit propriam vitam, & inclinantur in cōseruationem sui, contra quam inclinationem, & amorem agit, qui seipsum occidit, ergo. Dicens contra amorem, & inclinationem, quàm dictat recta ratio, sunt enim in nobis variæ inclinationes, ad quas non ducimur recta ratione, vt appetitu sensitiuo, quatum multæ vost peccatum repugnāt rectè rationi, iuxta illud D. Pau. Inuenio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ, contra huiusmodi agere non est peccatum, contra eas verò, quas recta ratio dictat, peccatum est.

Secundò nemini licet expoliare Remp. re sua sine graui iniuria ipsius, vnusquisq; ciuium est pars, & membrum Reip. vnde qui seipsum occidit expoliat Remp. sua parte, & consequenter grauem illi infert iniuriam.

Tertio, qui occidit seruum alienum iniuriam infert domino illius, & qui occidit subditum alienum iniuriam infert iudici illius, vsurpatque iudicium alienum: nemo aūt est dominus suæ vitæ, necq; iudex in seipsum, sed Deus solus. Deus est dominus vitæ, & mortis, infert ergo qui seipsum occidit iniuriā Deo, perinde ac, qui occideret seruum alienū, vel vsurparet alienū iudiciū. Ex his rationib. patet occidentē se ipsum peccare grauissimè, & cōtra charitatem, & cōtra iustitiam, contra charitatem, quia agit contra naturalem dilectionem sui ipsius, ad quam

quàm non minus tenetur, quàm ad dilectionem proximi, contra iustitiam verò, quia infert iniuriá, & Deo, & Reip.

Circa hunc articulum fuerunt olim duæ hæreses. Primò quorundã hæreticorum, quos D. Aug. lib. de Hæresib. vocat circumceliones, Philaster verò circuitores, quia nullibi sistebant, sed circuibant omnia loca. Docebant hi quemcunque hominem voluntariè se occidentem, aut committentem alteri, ut ipsum occideret, quacumque de causa, esse martyrem. Hæc hæresis confutatur ibi a D. Aug. primò quia præceptum illud. Non occides, prohibet quamcumque occisionem repugnãtem rectè rationi, nil autem magis rectè rationi aduersum, quàm occisio sui ipsius. Vnde dominus, vt ait idem Aug. tract. 51. in Ioan. diabolo suadente, ut seipsum præcipitem daret, respondit, [Non tentabis dominum Deum tuum,] Et Petro martyrium illi indicans dixit, [Alius cinget te, &c.] Acto. 16. quando custos carceris accepto gladio volebat se ipsum occidere, existimans vinctos aufugisse dixit Paul. Nil tale feceris, vniuersi enim hic sumus:] Quod non prohibuisset Pau. si occidens se ipsum esset martyr. Denique condẽnatus est Saul, quia seipsum occidit.

Secunda hæresis est quorundam Donatistarum contra quos agit D. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei a cap. 17. vsque ad 27. qui docebant pœnitentẽ detestantem sua peccata, si ex maxima contritione, & pœnitudine seipsum occideret, non modo non peccare, verum etiam esse martyrem. Quæ hæresis reijcitur apertè Matth. 27. vbi Iudas dicitur pœnitentia ductus retulisse triginta argenteos, & seipsum suspẽdisse, quem damnatum esse, est de fide: quia de fide est illa verba psalm. 108. Cum iudicatur, exeat condemnatus, & episcopatum eius accipiat alter. Ad litteram intelligi de Iuda, vt docuit B. Pet. Acto. 1. & Christus, nisi condemnatus esset Iudas, nõ dixisset de ipso; [Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus nõ fuisset, &c. Contra hunc errorem agit copiosè D. August. loco cit. Gratianus 23. q. 5. vbi inducit multa testimonia sanctorum. Contra eundem agunt Arist. lumine naturali 5. Ethic. cap. 11. & libr. 6. capitulo 7. Cicero 1. Tusculana, & de somno Scipionis.

Confirmaturque hæc doctrina catholica præter argumenta D. Thom. hac ratione naturali, Occidere hominem nunquam licet, nisi aut per accidens, ad defensionem propriam, tunc enim non intẽditur mors inuasoris, sed propria tutela; aut per se propter bonum commune, ad tollendũ perturbatorem Reip. vel puniendam malefactorem, ut timeant cæteri, quod pertinet ad iudices, vt custodes boni communis, sed in occisione sui nulla istarum rationum, & causarum existit, occisio enim sui ipsius neque valet ad propriam defensionem, & tutelam, imò directè ei aduersatur, neque pertinet ab bonum commune, quia vel iste, qui se occidit est vir studiosus, vel nequam, si prius cum sit optima pars Reip. nocet ei occidendo seipsum, & priuando Remp. parte sua, si nequam, vel sunt vitia eius ipsi tantum nocentia, vel alijs, si ipsi tantũ, per pœnitentiá fiet studiosis, & vtilis Reip. nõ per mortem imò occidens se aufert sibi opportunum tempus ad pœnitendum, si nociua alijs, & perturbantia Remp. non debet esse iudex in propria causa, sed relinquat id iudicibus, & custodibus boni communis. Ex hac doctrina sequitur primò nec ob amorem cælestis patriæ, & citius perueniendi ad gloriam licere alicui se occidere, neq; ad vitanda peccata, quæ committi possunt viuendo, tum quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona, tum quia vt ait D. Tho. non est dominus sui in ijs, quę pertinent ad hanc vitam, quia est dominus per liberum arbitrium, cui tantum subsunt, quæ pertinent ad hanc vitam, non tamen est dominus transitus ad aliam vitam, neque eorum, quæ pertinent ad illam, neque vitæ, vel mortis, cum hæc nõ subsint eius arbitrio. Nec licet se occidere ad vitãdas miserias, & labores huius vitæ, cum omnium laborum, & calamitatum maximum, & terribilissimum sit mors, nec sit subeunda maiora damna ad euadenda multo minora.

CONTROVERSIA I.

AN LICEAT IN ALIQVO EVENtu seipsum occidere.

CONtra doctrinam huius articu. varia sese offerunt. Primò uidetur impossibile, vt quiuis se ipsum voluntariè occidat: frustra ergo quęritur, an liceat. Antecedens patet Voluntas non fertur nisi in bonum aut uerum, aut saltem apparens: occidere se ipsum, & non esse neque est bonum, neque potest habere rationem boni, ergo. Minor patet, quia omnia duce natura appetunt esse. Et confirmatur nullus potest appetere non esse beatum, vt docet D. August. 13. de Trinitate. c. 3. sed esse si quis appeteret non esse, eo ipso appeteret non esse beatum, quod est impossibile, ergo Secũdò. Occidere se ipsum ad uitandam turpem, & infamem vitam iudicatur actus fortitudinis, actus autem fortitudinis, & cuiusuis virtutis licitus est, ergo. Maior probatur. Hoc enim nomine commendantur in historiis sapientum Lucretia, Portia, Brutus, & similes Romani. Et inter fideles primo Machab. 6. cõmendatur Eleazarus qui ad liberandũ populum suum se ipsum morti tradidit sub elephante. 2. Machab. 14. laudatur Razias, qui se ipsum interfecit, vbi habet textus. [Eligens potius notabiliter mori, quã iniquorum fieri subditorũ. Iudic. 16. Sanson se ipsum cum alijs occidit, quem B. Pau. Hebræ. 11. recenset inter sanctos ueteris testamenti, multos etiam, martyres quos ueneratur ecclesia legimus; se ipsos coram tyrannis morti tradidisse B. Apollonia se ipsam iniecit in ignem, Beatus Vincentius vltroneus conscendit machinam tormentorum.

Tertiò eodem omnino præcepto, quo prohibetur quis se ipsum occidere, prohibetur, & alios, vt docet D. Aug. 1. de ciuit. Dei. cap. 17. & habetur 23. q. 5. can. Si non licet. Vbi ait. Si non licet priuata potestate hominem occidere, etiã qui se occidit homicida est. Et paulò post. Præstat, ut ita de homine intelligamus illud quod dictũ est, nõ occides, vt neque alterum, neque se, nam neque aliũ, quam hominẽ occidit, qui se ipsum occidit, Sed occidere alium non est intrinsecè malum, cum id aliquando liceat, ut uidimus, ergo neq; erit intrinsecè malum, se ipsum occidere, & ita aliquando licebit. 4. ignorantia inuincibilis excusat à peccato, sed potest aliquis ignorare inuincibiliter non licere se ipsum occidere ad uitandam turpẽ, & infamem vitã, ac existimare id esse honestũ, & laudabile ut multi romani viri sapientes, & similiter Græci existimarunt, ergo saltem qui cum hac ignorantia inuincibili se occideret, non peccaret.

Quintò eodem præcepto quo tenemur non occidere nosipsos, tenemur propriam vitam tueri, & conseruare, at licet in multis casibus non tueri propriam uitam, sed illam exponere, ut cum inimicus me aggreditur, possum desistere à propria defensione. & pati, vt me interficiet, pro amico etiam licet mortē appetere, vt in naufragio, in quo vnica tantum est tabula ad euadēdum, licet illam amico relinquere, & petire, licet nauigare, cū periculo vitæ, bellare, licet seruire infirmis laborantibus peste, vbi vita maxime exponitur. Et quod videtur fortius, licet cōdemnato vt moriatur, fame, non sumere cibum, etiam si sibi offeratur, licet cōdemnato ad bibendum venenum illud sumere, & condemnato ad mortem, etiam si carcer pateat, non fugere, & uelle pati mortem.

Sexto legimus multas illustres fœminas ad custodiendam propriam pudicitiam, ne paterentur stuptum, seipsas interemisse. Sic refert B. Ambr. 3. lib. de virginibus, quandam illustrem fœminam nomine Pelagiam cum filiabus suis uirginibus Mediolani, cum ciuitas illa ab hostibus fuisset capta, & milites quidam eas stuptare uellent, finxisse lætitiam, & postulasset, vt concederetur eis prius aliquas ducere coreas, illosque ducēdo per murū se ipsas dedisse præcipites in profundum fluminis alienum commendatque illas maximè B. Amb. ac ut sanctas laudat. Lege historiam ecclesiasticam lib. 6. cap. 21. D. quoque Hiero. tom. 5. in c. Ionæ, & habetur 23. q. 5. can. Non est nostrum ait. Non licet in persequutionibus propria perire manu absque vbi castitas periclitatur. Denique qui se occidit nulli infert iniuriam, ergo non peccat: non Deo, quia inter hominem & Deum non habet locum iustitia, & consequenter neque injuria: non sibi, quia scienti, & uolenti non fit iniuria: non Reip. quia teneretur illi restitutionem, si ei noceret cum iniuria.

Et confirmatur, tum quia Respu. non est domina vitæ suorum ciuium, vt supra uidimus, tū quia bona temporalia ciuis non sunt minus Reip. quā vita illius, at non infert iniuriam, Reip. ciuis, quando dissipat, & prodigit sua bona, ergo neq; quando adimit sibi vitam. Quæstio hæc celebris fuit apud antiquos, de qua vide Arist. 3. Ethic. c. 7. & li. 5. cap. 11. Cicero 1. q. Tuscul. & 5. in lib. de somno Scipionis refert illud Pythagoræ, [Sicut militi nō licet sine iussu imperatoris a sua statione descendere, ita nec licet homini ab vita discedere sine Dei voluntate. Plato in Phædone, ait inter alia, Sic irrascitur Deus, cum quis se occidit, sicut dominus cum seruum suum, videtir se occidērem. Vide orationem Iosephi de hac re lib. 3. de bello Iudaico, c. 21. D. Aug. Epist. 61. & lib. 2. contra epist. Gaudētij tom. 7. & potissimè l. 1. de ciu. Dei c. 17. & per 10. sequentia cap. extat de hac re erudita relectio Mag. Victoriæ de homicidio.

Ad diluenda verò argumenta proposita contra doctrinam huius art. obseruemus bifariam posse aliquem seipsum interficere, vno modo directè, vt cum habens hanc voluntatem, volo me ipsum interficere, suspendit se, quod sine dubio nunquam licet, vt rectè probat hic D. Th. secundo modo indirectè, quod accidit, cum potest quis, & tenetur vitam suam tueri, nec vult. Dico potest, & tenetur multoties enim potest; non tamē tenetur, certum namque est melius conseruari vitam carnibus, quam piscibus, nec propterea tenetur homo comedere carnes, vt vitam cōseruet. Potest Christianus vitam suam tueri, ac defendere se a tyranno volēte ipsum occidere propter Christum, non tamen tenentur, sed potest permittere, vt ab eo occidatur, sicut Christus, qui cum potuisset euadere manus Iudæorum, & ab illis se defendere, si voluisset, oblatus tamen est, quia ipse voluit.

His positis argumenta adducta suo ordine diluamus.

Primum illud postulat quæstionem illam, An aliquando non esse sit melius, quàm esse, de qua Thomistæ variis in locis, quidam 1. p. q. 5. ar. 2. Alij in hac 2. 2. q. 34. art. 1. Alii & proprius in additionibus tertiæ partis q. pen. art. 3. In qua non desunt, qui existiment nullo titulo præferendum esse non esse ipsi esse. Probant primò, cum non esse sit maximum omnium malorum, nulla in eo est, aut potest apparere ratio boni, in ipso autem esse, etiam si sit miserum, est aliqua ratio boni, nempe ipsum esse, ergo quocumque modo sumatur esse, est præferendum ipsi non esse.

Et confirmatur ex D. Aug. qui lib. 3. de Libero arbit. c. 7. & 8. ait: Considera quantum bonum est esse, quod, & beati, & miseri volunt. Secundo præelectio, qua vnum alteri præfertur, supponit electionem, sed non esse, nō est eligibile, cum nullam habeant rationem boni, ergo nunquam præeligēdum, aut præferendum ipsi esse.

Oppositam tamen sententiam docet Hier. in illud Hier. 20. Maledicta dies, in qua natus sum, ubi ait: Melius est non esse, quam malè esse. Et confirmatur. Ex sacra scriptura malis, & damnatis melius fuisset non esse natos, sic enim Christus de Iuda, Melius erat ei, vt natus non fuisset homo, &c. Ibi autem per natum non intelligit mortuum in vtero matris, sed nunquam fuisse ne conceptum, nec natum, ergo. Vnde Apoc. 9. dicitur de damnatis, Desiderabunt mortem, idest annihilationem, & fugiet ab eis, idest, non conceditur eis tale bonum. Et Eccles. 30. Melior est mors, quàm vita amara. Ratio huius sententiæ est, quia non esse, licèt simpliciter, & absolutè nullam habeat rationē boni, nec ita sit eligibile, quia est merum nihil, in damnatis tamen, & patientibus grauissimas calamitates est remedium, quo ab illa summa miseria eripiantur, quomodo habet reuera ratione boni iuxta illud Arist. 5. Physi. carere malo quoddā bonum est, similiter esse, licèt simpliciter, & absolutè sit bonum, esse tamen in summa miseria, & calamitate est malum, & quod natura fugit, quo fit vt, in his in quibus esse summam miseriam *habet* comitem, melius sit non esse, cum hoc tamē discrimine: nam non esse, aut potest esse per annihilationē ad euadendam miseriam æternam, aut per mortē in hoc seculo ad euadēdas calamitates huius vitę, vel citius fruendū Deo, non esse primo modo, quale desiderant damnati reuera melius est, quā esse eorū, cum tanta miseria, vt probatum est, & docet non esse autem per mortem melius quoque est, quam esse in calamitatibus De mortem inferente, quando misero expedit ad salutem spiritualem eius. In quo sensu dicitur Ecclesi. 41. O mors, quā bonum est iudicium tuum indigenti. Et ita licet desiderare mortem cum conditione, vt eam inferat Deus, quando saluti animæ expedit, sibi autē illam inferre ob tales fines non licet, nec tale non esse est tūc melius, quia maior calamitas est mors, quam quæuis alia temporalis, imo temporales sunt materia meriti, mors autem est desperatio, & priuatio uitæ.

Ad argumenta in oppositum patet solutio, non esse simpliciter nullā habere, rationem boni, nec esse eligibile, at quando est medium ad euadēdā summā miseriam, habere rationē boni, & esse eligibile.

gibile. Nunc ad argumentũ præcipuum, quod fuit occasio huius quæstionis Respondeo voluntatem non solum ferri in uerum bonum, uerum etiam aliquando in apparens, non esse, & mori aliquando est bonum sine errore, & deceptione, vt in damnatis, aliquando cum deceptione, vt in his qui se præsenti uita priuant, iudicant enim melius sibi esse mori: quam pati mala huius seculi. Ad confirmationem dimissa solutione Victoriæ, & aliorum dico, cum duo includat beatitudo remotionem mali, & consequutionem boni, bifariam posse aliquã appetere beatitudinem, primò vt remotionem mali, quod patitur, vult enim à se repelli, & cũ in motu non sit necesse, ut terminus a quo perseueret, potest quis desiderare beatitudinem hoc modo, id est remotionem pœnæ absque eo quod ipse sit, imo cum obiectum talis, appetitus, & desiderij propriè non sit beatitudo, & fælicitas, sed pati, non torqueri, nec possit haberi hoc ab illis, qui ad perpetuam miseriam damnati sunt, quamdiu sunt, rectè desiderant non esse, idque iudicant sibi commodum, & fælicissimum esse.

Secundo vero modo potest quis appetere beatitudinem actu prosequutionis, & amoris, ut actu positiuo optando consequi fælicitatem positiuè, quo modo vtitur se ipso vt termino quem, & quia terminus ad quem necessario debet esse in motu, nec potest hoc modo esse beatus, quin sit, non potest appetere beatitudinem hoc modo, quin simul appetat esse, de qua beatitudine hoc secundo modo loquitur D. Aug. damnati autem appetunt beatitudinem illam primo modo, quæ propriè non est beatitudo, sed remotio miseriæ, & ita possũt rectè desiderare non esse.

Secundum argumentum postulat percurramus omnia illa exempla, quæ adducuntur, In primis actus illi Romanorum non fuere, vt docet D. Aug. 1. de ciuit. Dei loco cit. actus fortitudinis, sed pusillanimitatis, quia Cato, Brutus, & similes nõ potuerunt ferre dominatum, Cęsaris, vis enim, & fortitudo animi non consistit in occisione sui, sed in tollerantia laborum: similiter Lucretia ex pusillanimitate se occidit, quia ferre infamiam non ualuit, arguitque optimè contra ipsam D. Aug. nam aut non consenserat, sed restiterat quantum potuerat adultero, & per vim sine vllo ipsius consensu accesserat Tarquinus ad ipsam, vel consenserat si prius, non fuit vitiata, nec corrupta, nec digna morte, si secundum non debet esse sui ipsius iudex, sed pęnitentia delere commissum. Factum Eleazari ab aliquibus repræhenditur temeritatis, sed probabilius est illud fuisse fortitudinis; quia pro bono cõmuni perijt: Videns enim in turri lignea, quam deferebat elefans, existere duces hostilis exercitus, & inde nocere suis, & ea proiecta, & contrita duces illos perituros, ob bonum communa sui populi ingressus infra bestiam eam occidit, & simul ibi perijt, sicut miles, qui ad liberandam suam Remp. accederet ad locum cum certissimo periculo videns certam esse Reip. liberationem ea via D. Tho. hic ad 4. sequutus. D. Aug. vult illud factum instinctũ Spiritus sancti. Factum Raziæ nititur tueri Lyranus vt actum etiam fortitudinis, condemnant tamen illud D. August. libr. 2. contra epist. suadenti, cap. 23. D. Thom. hic ad quartum Abulen. in 5. capit. Matth. quæstio. 112. & iure. Nam neque ob bonum commune se occidit, neque amore veræ virtutis.

Primum patet, quia ipse sua morte nec erat liberaturus populum suum, cum iam essent capti, nec liberauit.

Secundum quoque patet, quia si amore uirtutis, id est ne contaminaretur cibis gentium, expectasset mortem sibi inferri a tyranno, quemadmodum legimus de Machabæis, quod autem ait scriptura eligens potius nobiliter mori, &c. explicat existimationem, & opinionem, quam habuit ipse Raizas de illa morte, quia iudicauit nobiliter facere se occidendo, sed in eo maximo deceptus fuit. Sansonẽ D. Th. & communiter omnes Doctores vindicant à peccato sequuti in hoc D. Aug. cum enim coma, & capilli capitis, in quibus habebat Sanson vim suam, miraculosè, rursum illi creuerint, eo miraculo intellexit diuino quoque, & interiori instinctu, vt arreptis columnis maximi templi, in quo principes Philisteorum aderant, occideret in bonum sui populi, & se cum ipsis, quia aliter non poterat eos opprimere, vnde ille ausus Sansonis vocatur à D. Aug. & D. Thom. supernaturalis, & non humanus, quod etiam ostendit oratio, quæ præcessisset, qua se Deo commendans vires ab eo, & animum ad actum illum postulauit è cœlo. Simile iudicium habendum est de martyribus, & sanctis, quos Ecclesia colit, aut sancti patres vocant sanctos, quando in testimonium fidei, aut ad vitandum stuprũ vel similem turpitudinem se se igni mari, vel præcipitio tradiderunt, fecerunt. n. hoc diuino instinctu, & secreta reuelatione, propter quod talia facta, vt ait Hier. laudanda sunt. & admiranda, non tamen imitanda.

Ad tertium respõdeo prohiberi præcepto. quinto mortem, & occisionem hominis contra rectam rationem.

Et prohibetur tam mors propria, quàm aliena, propria semper, & vbique, quia nunquam dictabit recta ratio, vt aliquis seipsum occidat, aliena uero non semper, & vbique quia nunquam dictabit recta ratio, vt proximus interficiatur, nisi quãdo ita exigitur vel ad bonum commuoe, uel ad propriã tutelam.

Quartum argumentum quærit, An possit dari ignorantia inuincibilis huius doctrinæ non licet se ipsum vllo modo occidere, nec pro bono fine, Victoria in sua relectione de homicidio nu. 37. quem sequuntur nonnulli recentiores Thomistæ, vult non posse hoc inuincibiliter ignorari neque ab infidelibus, quia præcepta Decalogi sunt conclusiones immediatæ quæ deducuntur ex primis principijs practicis naturalibus adeo omnibus per se notis, vt a nullo possint ignorari, hoc autem præceptum. Non occides, sequitur ex illa maiori, quod tibi non vis, &c.

Et ex illa minori, non velles te priuari, unde sicut est maior per se nota, & quæ non potest inuincibiliter ignorari, ita, & minor.

Secundò quia si huius doctrinæ datur ignorãtia inuincibilis, illi pagani qui se occiderent excusandi essent, ac condemnantur à B. Aug. & alijs sanctis patribus.

Alij vero Thomistæ oppositum sentiunt, Soto in lectura. 1. 2. q. 76. art. 4. & est modo communis inter ipsos.

Probatur. Quia licet ista doctrina Inferatur ex principijs naturæ, non tamen ita clarè, & aperiè, quin ignorari à multis possit, maximè a rusticis, sicut ex principijs quoque naturæ sequitur non licere sumere vindictam de propria iniuria, fornicationem simplicem esse malam, at multi ex infidelibus rusticis, id ignorarunt inuincibiliter.

Secundò. In his præceptis non est maior difficultas, quam in alijs diuinis maxime pertinentibus ad actus cordis, vt non concupisces, & hæc à multis paga-

ganis sunt inuincibiliter ignorata, imo, & ab ipsis Iudęis fidelibus, propter quod oportuit dari à Deo distincta præcepta in decalogo quædam pertinentia ad opus externum, & quædam pertinentia ad opus internum, & actus cordis.

Ita ducent hi posse dari ignorantiam inuincibilem huius doctrinæ non licere se occidere, neque ob bonum finem, non tamen inculpabilem, quia habentes illam si facerent quod in ipsis est, seruando, alia præcepta iuris naturalis, quæ ignorari non possunt, liberati fuissent ab ignorantia aliorum. Vnde potuerunt illam haberi per aliquod tempus non tamen semper sine eorum culpa. Ita docet B. Pau. Rom. 1. asserens paganos, qui non coluerunt Deū iuxta ea quę ex creaturis manifestissima sunt, nec seruauerunt præcepta legis naturalis per se nota propter duritiam cordis sui, & in pœnam aliorū criminum traditos esse in reprobum sensum, ita ut ignorent culpabiliter quæ ad bonos mores sunt necessaria, & lumine naturali facto prudēti discursu potuissent intelligere, quale est hoc de non occidendo se ipsum. Arist. enim lumine naturali ductus apertè testatur. 3. Eth. c. 7. non esse magnanimi, sed abiecti, & timidi se occidere.

Hinc facile soluuntur argumenta pro opinione victoriæ.

Ad primum dico, maiorem illius syllogismi esse omnibus per se notam, & minorem in hoc sensu, nolles te ab alio occidi, & ita nec debes velle aliū occidere, in illo tamen sensu nolles te vita priuari aliquando, neque a te ipso, non esse omnibus per se notam, imo iudicarem mihi id aliquando expedire, & licere velle, quia non est per se notum neminem esse dominum suæ vitæ sed solum Deum, saltem ad tempus posset aliquis ita inuincibiliter opinari.

Ad secundum patet solutio ex dictis, paganos illos excusari, etsi ita ignorauerint, quia per totum vitæ tempus non potest id ignorari, nisi culpabiliter, eo quod non seruentur alia præcepta.

Hinc sequitur, si mundò rusticus, & simplex ignorans hanc doctrinam iudicaret licere sibi ob bonū finem se occidere, non posse nos statim hanc ignorantiam condemnare ut culpabilem, cum per aliquod tempus haberi sine culpa possit, & esse inuincibilis, sed audiendam esse eius confessionem, & videndas particulares circunstantias personæ, & mores eius, & ex his ferendum esse iudicium.

Ad sextum respondeo bifariam posse aliquem se ipsum occidere, primò modo directè, & per actū positiuum iniiciendo sibi manus, vel per hūc actū volo me occidere vel volo facere hoc, aut dimittere, ut me occidam, vt moriar, quod nullo modo licet, vt obseruauimus.

Nam si mutilatores suorum membrorum etiam prætextu virtutis sicut fertur de Origene, damnantur in multis concilijs, quantò magis occisores sui ipsius directè, & voluntariè.

Secūdo modo potest quis occidere se indirectè non per actum positiuum, sed negatiue nō conseruando propriam, vitam hoc aliquando licet: non enim tenetur homo apponere semper omnia media ad vitam tuendam, sicut ex obseruatione posita constat.

Et ratio huius discriminis est quia non occidere secum fit negatiuum obligat pro semper, & ita in nullo euentu licet se occidere, conseruare autem vitam est affirmatiuum, quod non obligat pro semper, & ita licet aliquando illam non tueri. Quod si dixeris, tenetur vnusquisq; vitam fratris tueri quocumque potest, ergo, & propriam.

Respondeo primum negato antecedenti, non enim teneor semper defendere proximum à morte, etiā si ipse sit innocens, & ego possim vt in eo qui se offert martyrium.

Respondeo secundò negata consequentia, quia ego possum credere meo iuri, non autem iuri alterius, vt patet in bonis temporalibus possum prodigere mea bona, quamuis ea commodè tueri possū, non autem possum bona proximi, quando ea commode possum conseruare.

Vnde licet vitā exponere pro amico non sumendo panem illi necessarium, aut relinquendo tabulam qua euadat in mari, quia hoc non est me actu positiuo occidere, sed cedere iuri meo, & non tueri propriam uitam: licet non occidere inuasorem, sed cessare a defensione propria, & pati, mortem, licet cum periculo vitæ seruire infirmo laboranti peste, licet bellare pro patria cum periculo vrgenti: nauigare cum manifesto periculo pro bono Reipub. quamuis non pro solo lucro: quia hæc omnia non sunt me occidere actu positiuo, sed non seruare uitam pro fine honesto, aut eam exponere. De condemnatis ad mortem fame aut poculo veneni dicemus suo loco infra. q. 69. art. 4.

Ad sextum respondeo fœminas sanctas, quas Ecclesia, & sancti patres iudicant sanctas, ut Pelagiā, & socias id fecisse peculiari instinctu spiritus sancti, sicut diximus de Sansone, alias vero, quæ sine tali peculiari admonitione id facerent, temeritatis, esse arguendas.

Ita D. Augustin. 1. de ciuit. Dei loco citat. quia ad tuendam pudicitiam, & virginitatem, quæ uirtus est, & quæ potissimè curanda est, non est medium accommodatum, sed iniquum occisio sui ipsius, medium est non consentire fornicario.

Vnde mulier vel puella non consentiens animo, retinet suam pudicitiam iuxta illud dictum B. Luciæ. [Non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Et quamuis in foro conscientiæ tantum teneatur non consentire, nec peccet mortaliter nō resistendo, modo non consentiat. est tamen periculosum non resistere, sed debet studiosa resistere, clamare, cum inferre volenti eam contaminare; quia periculosum est posito actu venereo non consentire, etiam si ante coitum dissenserit. Secundo, quia in foro exteriori. & iudicio prudentum quæ potuit clamare, aut resistere, nec fecit, iudicatur cōsensisse, vnde Deut. 22. præcipiebatur, vt si puella esset oppressa in agro obrueretur lapidibus oppressor, non autem ipsa, quia iudicatur clamasse, & non fuisse auditam, aut non clamasse, quia nullus adesset potens ferre illi opem, oppressa autem in ciuitate lapidibus obrueretur vna cum oppressore, quia tacuerat.

Tertiò, quia resistens per vim sua vi, & resistentia sibi animos faciet ad fortius dissentiendum, & detestandum illud scelus, etiamsi opprimatur.

Et vltimò quia resistenti pro sua pudicitia, & honestate tuenda, adderit Deus vires super naturales suppeditans in quo sensu potest intelligi illud Cantic. 8. Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea, cum murus sit defensio ciuitatis, & propugnacula maior defensio, significans sponsa nostra est murus ad tuendam honestatem, exhibeamus ei maiores vires ad eam tuendam, sicut propugnacula iuuant murum.

Ad illud dictum B. Hier. respondent aliqui D. Hier. ex nimio affectu, quo prosequutus est virginitatem habuisse illam opinionem, quæ tamen nō est recepta, inter Doctores. Alij verò defendunt

D. Hier.

D. Hier. hac ratione in sacra scriptura inquiunt hę voces absque, præter, & similes, nō semper sumuntur exclusione, vt ipsæ videntur sonare, sed aliquādo inclusiuè verbi gratia, Cant. 4. & 6. Vbi agitur de pulchritudine spōsæ dicitur. Pulcherrima es absque eo quod intrinsecus latet, id est, cum his quæ intrinsecus latent, quasi dicat pulcherrima, es omni ex parte interius, & exterius. Et B. Pau. cum agit de suis laboribus, ait præter ea quæ exterius sunt, solicitudo omnium Ecclesiarum, id est patior magnos labores, & curas, vna cum eis solicitudinem omnium Ecclesiarum, eodem inquit modo vsum Hiero. eo loco ista voce absque, non exclusiue. Nō licet inquit in persequutionibus se ipsum interimere absque, vbi castitas, id est etiam quando castitas periclitatur.

Ad vltimum respondeo, satis ex dictis petere occidentem se ipsum magnam inferre iniuriam, & Deo, qui solus est dominus vitæ, & mortis, & Reip. vt optimè docent argumenta, D. Tho. in prodigendis vero pecunijs, non est ita, quia vnusquisque est dominus suarum pecuniarum.

ARTICVLVS VI.

An licet occidere innocentem.

OBseruemus initio, cū duplex sit innocens alius in vtroque foro, qui non modo re ipsa est innocens, verum etiam nullis testibus probatur nocens, alius autem re vera quidem innocens, sed in foro exteriori secundū allegata, & probata conuincitur nocens non esse, hic sermonem de innocente hoc secundo modo, de hoc enim agemus, qu. 67. art. 2. in q. illa celebri An, iudex teneatur semper iudicare secundum allegata, & probata, vnde quæstio præsens est de innocente, qui verè est innocens, nec de eo oppositum probatur.

CONCLVSIO PRIMA.

Ex diuino præcepto licet sic innocentem occidere.

PAtet, quia cum Deus sit dominus vitæ, & mortis potest sine vlla iniuria præcipere ut innocens priuetur vita, disponens enim de re sua nulli facit iniuriam, & consequenter qui ex diuino præcepto innocentem occideret, benè ageret, quia præcepto superioris licito, & honesto obedire bonum est: ita commendatur Abraham Genes. 22. qui vt diuino præcepto obediret, non pepercit vitæ filii sui, quamuis innocentis.

CONCLVSIO II.

Seclusо tali diuino præcepto, nulli licet ullo titulo, aut ratione occidere innocentem.

PAtet, non licet occidere hominem aliquem, nisi aut per se, id est propter bonum cōmune, aut per accidens, ideſt, in sui defensionem, innocens neque nocet bono communi, imò illi est vtilis, neque aliquem aggreditur nam ita iam non esset innocens, ergo nullo titulo licet eum occidere. Hęc est de fide: habetur. Exod. 23. Insontem, & iustum non occides. Quod præceptum non fuit datum illi populo, vt iudiciale pertinēs ad particularem gubernationem illius populi, sed vt morale, & naturale.

Circa hunc articulum offert se Quæst. An detur casus in quo liceat propter bonum commune occidere innocentem, sunt enim tres casus, in quibus hoc quæri potest an tunc liceat.

Primus est in bello iusto, quando alia via victoria obtineri non potest, nisi occisis innocentibus, & de hoc non est dubiū licere seruatis debitis circumstantijs, vt constat. q. 40. de bello.

Secundus est quando aliquis vult occidere innocentem, liceat ne id permittere, vel teneamur potius iuuare, & liberare illum, de quo est etiam certum teneri ex præcepto charitatis ad liberandum innocentem, quādo sine magno, & graui nocumēto nostro id ualemus, in hoc enim casu intelligitur illud Ecclesi. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Et illud Prouer. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Et ratio est aperta. Quia si tenemur ex nostris bonis facere eleemosynam patiēti extremam necessitatem famis, imo & grauem, quantò magis constitutum in aperto, & certo discrimine vitæ ex iniquitate aggressoris? Dixi, sine magno detrimento nostro, quia si magnum detrimentum quis ad tuendum fratrem subire cogatur, ut amissionem honoris, aut omnium bonorū, uel maximæ partis illorum, non tenetur, ut constat ex disputatione de charitate. An autem liceat ad defendendum innocentem occidere aggressorem illius, articulo sequenti uidebitur. Tertius casus est difficilior, cuius hic proprius locus est.

CONTROVERSIA I.

An quando tyrānus uel latrones sicarij obsidentes ciu. cum aliquem postulant innocentem, qui ibi existit, & eo tradito recedent, sin minus deuastabunt omnia liceat tradere illum ob bonū commune, & liberandam totam comminitatem ab illo tyranno, uel sicarijs.

VIctoria in lectura huius art. & in sua relectione de homicidio, quem sequūtur plerique recentiores Thomistæ, docuit in hoc casu licere, tradere innocentem tyranno imò, & gubernatores illius ciuitatis id deberet quia si licet, debēt, in casu enim tantæ necessitatis tenentur gubernatores ad omnia media licita, ut suam Remp. liberent. Probatur hæc sententia primò Resp. potest exponere partes politicas, & ciues suos claro, & euidenti periculo mortis pro se tuenda, ut in bello iusto, etiā si tale bellum non sit necessarium, nisi ex malitia tyranni, potest Dux exponere milites euidenti, & certissimo periculo mortis, uerbi gratia si nōn habeat arbores, currus, & similia, ex quibus componat murum, & vallem exercitū, potest componere ex militibus, quod hispanè dicitur, hauer una trinchea de hombres, quos eo ipso euidentissimo periculo mortis esse expositos certissimum est, ergo potest ob similem necessitatem boni communis, qualis est id nostro casu, tradere illum ciuem, quamuis innocentem, & exponere euidentissimo periculo vitæ.

Et confirmatur. Quis totum naturale exponit partem etiam sanam pro salute totius, quod debet imitari totum politicum, & Resp.

Secun-

Secundò, si Resp. hoc non posset, certè id esset, qua uel talis traditio non est medium ordinatum ad sui defensionem, vel tradere illum innocentē esset perinde, ac illum actu occidere, quod nulli licet neque ob bonum commune, neque ob alium finem, at nulla harum rationum hoc prohibet: non prior, quia cum ipse innocens in eo casu teneatur se ipsum tradere, omnium consensu, certè est medium ordinatum neque posterior. quia si tradere innocentem esset illū occidere, innocens quoque quando traderet se ipsum perinde esset, ac se ipsum occideret, quod cum nulli liceat, neque liceret ei se ipsum tradere, quod tamen licet.

Tertiò ad ea, ad quæ ciuis tenetur ex charitate, in extrema, vel graui necessitate, iudex potest compellere, quo nomine docent Theologi, iudicem posse compellere diuites, vt faciant eleemosynas existentibus in extrema necessitate, imò, & in graui, si Respond. aliquod damnum pati periclitetur propter graues necessitates ciuium, sed innocens tenetur omnium consensu se ipsum tradere propter bonum commune, existitque extrema necessitas quia deuastabitur, ciuitas, nec alia est via, ut supponimus ad illam tuendam, & repellendum tyrannum, ergo potest compellere eum, vt se tradat, & tradere, si noluerit.

Et confirmatur. Ad ea quæ quis tenetur ex iustitia legali potest compelli à publica potestate, sed iste innocens tenetur ex iustitia legali se ipsum in hoc casu tradere tyranno, ergo potest compelli, imò tradi, si ipse non præstet.

Maior patet ex ipso nomine iustitiæ legalis, idē enim est debere ex iustitia legali, quod debere ex lege bono communi, ad ea autem, ad quæ quis tenetur ex lege, nullus dubitat posse compelli, à iudice, qui est custos legis, & eius executor. Minor vero probatur, quia iustitia legalis ordinat omnia bona personę particularis, & singulorum ciuiū vitam, pecunias, &c. ad bonum commune, maximè in casu necessitatis communis.

Quartò Resp. non tenetur istum innocentem defendere, imo potest aperire portas, & concedere, vt à tyranno comprehendatur. hoc autem perinde est, ac tradere, ergo potest tradere.

Maior ab omnibus conceditur, quia si non tenetur particularis defendere innocētem cum magno detrimento suo, vt modo dicebamus, quāto magis Resp. cum tanto damno communi non tenebitur? Minor verò probatur, quia si clericus, vel monachus, aperiat iudici portas Ecclesiæ, vel domus, ad quam confugit reus, qui captus ab illo iudice plectetur morte, maneret irregularis, & reus illius homicidij, perinde enim iudicatur in iure hic clericus aperiens portas in hoc casu, ac si tradidisset illum reum, & sicut maneret irregularis tradēdo, ita aperiendo portas.

Quintò, si tyrannus minetur mihi mortem, nisi offeram illi linguam, vel manum abscindendam, licet offerre ad tuendam vitam, sicut licet eleuare manum volēti percutere caput, & offerre manum vulneri, imo, & abscissioni ad tuendum caput ergo licebit tradere, & offerre ciuem innocentem tyranno ad vitandum totius Reip. perniciem. Denique licet occidere innocentem pro bono cōmuni, quando scilicet probatur nocens per testes, tunc. n. nulla alia de causa licet occidere ipsum, nisi quia si iudex non iudicaret secundum allegata, & probata, sequeretur scandalum, & maxima Reip. perturbatio, ergo cum in hoc casu tantam perturbationem patiatur Resp. à tyranno, & tantum damnum ei immineat, nisi tradat innocentem, licebit illum tradere innocentem pro bono communi; aut quæ est ratio, cur hoc non liceat, illud verò liceat, cum vtrūque exigat bonum commune?

Oppositum docent Soto lib. 5. de iust. q. 1. art. 7. & nonnulli cum ipso. Quod ita probant. Primo ab solutè, & simpliciter est intrinsecè malum occidere innocentem, de cuius innocentia constat, vt docet hic D. Th. sed tradere innocentem, quem certo scimus occidendum, perinde est ac illum occidere quo nomine clericus, qui traderet iudici reū, quē certo sciret occidendum, esset ipso facto irregularis & reus homicidij, quia idem est tradere occidēdum, quod occidere, ergo sicut non licet occidere innocentem neq; pro bono communi, ita nec tradere illum occidendum tyranno.

Secundò ad media quę non sunt necessaria per se. sed per accidens, & ex malitia alterius, non tenemur, sed tradere innocentem in hoc casu non est medium per se. & directè ad liberandam Rēp. sed per accidens, & ex iniquitate illius tyranni, ergo. Maior patet exēplo, si publicus latro dicat viatori, occidā te, nisi dederis mihi 100. aureos, ego teneor quidem defendere illum viatorem à latrone, quantum possum, quia hoc est medium per se ordinatum ad liberandum inuasum, dare autem latroni 100. aureos, vt dimittat illum, non teneor etiam si uideam in summo, & certo periculo vitæ illum existere, quia 100. aurei non sunt medium per se ordinatum ad subleuandam illam necessitatem, nisi ex malitia latronis. Minor patet, quia ad tuendam Remp. à tyranno, & sicatis medium per se ordinatum est defensio eius, & vis armorum, Vnde potest Resp. compellere quemcumque ciuē quantumuis innocentem, ut pugnet, & resistat, & cum apertissimo periculo uitæ, tradere autem tyranno non est medium per se, nisi ex malitia, & iniquitate illius tyranni. Et confirmatur, Quia cum occisio innocentis non sit per se bona, nunquam licet vti illa, aut tradere occidendum illum, nisi quādo est medium necessarium simpliciter, & per se ad bonum commune non autem quando est medium necessarium ex malitia tyranni.

Tertiò illa similitudo de parte naturali ad totum, qua vtitur opposita sententia, est nimium dissimilis, quia pars naturalis corporis non habet esse per se seorsum, & distinctum, a toto, nec est capax iuris, aut iniuriæ per se ipsam, sed est ad esse totius, ius quoque, vel iniuria totius sunt ipsius, pars aūt politica, & quiuis priuatus ciuis est quoddam suppositum per se distinctum, ab esse totius politici, & per se capax iuris, & iniuriæ, & cum fiat illi maxima iniuria, si tradatur tyranno, talem iniuriam non potest illi Resp. irrogare, quia tunc tantum, ut constat, potest eius uitam exponere, quando est medium per se, & directè ordinatum ad bonum ipsius, quod non est in hoc casu, sed per accidens, & ex iniquitate tyranni, & ita licet quidem partem naturalem exponere, vel tradere abscindendam pro vita totius, partem autem politicam aliter, quàm pugnando, & in bello contra tyrannum non licet.

Quartò, ad ea, ad quæ quis non tenetur ex iustitia, sed solum ex charitate, non potest compelli à iudice, aut à Rep. sed in hoc casu hic innocens nō tenetur ex iustitia tradere se tyranno, sed ex sola charitate, ergo. Maior certa est, quia iudex non est executor præceptorum charitatis, sed custos tantum iustitię, & executor legum, & ita non potest compellere ad ea, quæ ex sola charitate debētur. Minor probatur, in hoc casu: innocens ea lege tenetur se tradere, quia tenetur ad tuendum bo-

num

num commune, curare verò bonum commune illi soli tenentur ex iustitia, quibus incumbit ex officio, alij priuatim ex sola charitate, qua debent illud diligere, & suis priuatis bonis præferre, ergo innocens iste ex sola charitate, non autem ex iustitia tenetur se tradere & confirmatur. Quia vt constat ex q. 32. art. 2. quando dicimus dandum esse in extrema necessitate etiam ex necessarijs statui, intelligitur, quando illa necessitas est ab intrinseco, vt ex fame, non autem quando est ab extrinseco, & ex malitia alterius in hoc autem casu ista necessitas. Resp. est ab intrinseco & ex malitia tyranni, ergo non tenetur quis pro ea vitam exponere tradendo seipsum, sed solum bellando, quia bellum defensiuum in eo casu est medium necessarium. Confirmatur, Secūdò quia in necessitate extrema non est succurrendum cum simili necessitate, & damno.

In hac q. ex his quæ apud omnes certa sunt, colligendum est quid in ea dicēdum sit, imprimis certum est apud omnes non teneri Rempu. in eo casu defendere istum nocentem cum tanto damno suo, cum neque particularis teneatur illum defendere cum graui detrimento suo. Secundò certum est si tyrannus peteret a gubernatoribus: occidite istum innocentē, & tradite mihi caput eius, alioquin uos omne igne, comburam neque id licere, etiamsi tantum damnum immineret, quia occisio actualis innocentis est adeò intrinsecè mala, ut propter nullū bonum finem sit licita, esset enim per se, directè, & proprio actu exercere homicidiū innocentis, quod non licet, sicut non licet ministris iustitiæ, quando sententia iudicis continet intolerabilem errorem, illam exequi, & occidere innocentem, vt docet hic D. Thom. ad tertium quicquid iudices illi ministris minentur, qua ratione non licebat ministris tyrannorum occidere martyres. Sed obijcies, Occidere innocentem non est intrinsecè malum, nam alioquin Deus non posset id præcipere, sicut nō potest præcipere fornicari, aut mentiri, quæ sunt intrinsecè mala, quod autem non est intrinsecè malum, potest aliquando bene fieri, & honestati ex circunstātia, maximè finis ergo ob tam honestum finem qualē est bonum commune, licebit occidere innocentem in tanta necessitate. Sed hæc ratio parum vrget nam occidere innocētem auctoritate eius, qui est dominus vitæ, & mortis, neque est intrinsecè malum, neque malum at fornicati, mentiri, &c. ita sunt intrinsecè mala, vt nulli, liceat similiter occidi innocentem ab alio quam à Deo, vel sine præcepto ipsius ita est intrinsecè malum, vt à nullo vlla ratione, vel sine possit fieri.

Tertio, certum est apud omnes saltem ex charitate, qua bonum commune præferendum est cuius particulari, teneri innocentem ad tradendum se ipsum illi tyranno, vt liberet suam Remp. sicut dixit Ionas c. 1. Propter me orta est hæc tempestas mitti te me in mare, & cessabit vobis.

Vltimo certum etiam est posse Rempu. condere legem, vt quoriescunque talis necessitas se obtulerit, debeat innocens ad liberandam Rempu. & pro bono communi tradere se tyrāno, & imponere pænam capitis transgredienti talem legem, sicut Dux in bello iusto potest constituere legem, ut hic uel ille miles maneat in tali attio, in quo mors certissimo, imminet, quando ita exigit bonum commune exercitus, & imponere pænam capitis transgredienti illam legem. Et probatur, quia Respon. habet auctoritatem ad condendas leges, quæ respiciant bonum commune, & in quibus præcipiatur ciuibus quę sunt licita, & honesta, huiusmodi autē lex respicit maximè bonum commune, & patriæ liberationem, præcipiturque in ipsa innocenti non modo res licita, & honesta, uerum etiam ad quam innocens in tali casu tenetur saltem ex præcepto charitatis, In his quatuor omnes conueniunt, & aucto res vtriusque opinionis.

His positis dico utramque opinionem posse defendi ut probabilem sed nihilominus vtramque sua reprehensione dignā esse, quia ex doctrina D. Tho. in duobus tantum casibus licet aliquem occidere, uel tradere occidendum aut per se, aut per accidens, per se perturbantem bonum commune, per accidens ad sui defensionem, extra quos nullo modo licet, in casu autem de quo loquimur nil hoc rum habet locum, quia neque innocens perturbat Remp. sed malitia illius tyranni, qui eum odio habet, quæ non est imputanda huic ad culpam, cum sit innocens, neque per accidens, cū ipse innocens non inuadat Rem p. sed tyrannus ille. Tum secundò, quia tradere innocentem tyranno certo occidendum idem est omnino, quod illum condemnare innocentem autem re, & iure nullo modo licer condemnare ad mortem, vnde reuera negari non potest, quin fiat ei iniuria Respu. enim pōt quidē vti bonis ciuium in suum commodum, quia tunc est illorum domina, sicut ob bonum commune potest transferre dominia, uitam autem eorum vbi nulla culpa est, non potest vti in suum commodū, cum ipsa nō sit domina vitæ, & mortis ciuium, sed solus Deus, præterquam in bello iusto opinio quoque Soti non caret sua animaduersione, quia negare illam similitudinem partis naturalis ad totum cum parte politica ad bonum commune Reip. est infirmare omnes rationes, quas habet hic D. Tho. quæ nituntur huic similitudini, & est expressè cōtra D. Thom. supra. q. 62. ar. 3. & 12. q. 90. art. 5. imo D. Pau. & sancti patres ex his quæ natura cōstituit in partibus, & toto, colligunt quid iudicādum sit de ciuibus in ordine ad Rep. Et vtor ratione, etiā si demus partem polyticam habere suum distinctum, est nihilominus præferendum ipsi bonum commune, estque exponenda pro bono communi, quemadmodum aqua, & si habeat suum esse proprium, & distinctum ab esse totius vniuersi, nihilominus propter bonum totius uniuersi, ne detur vacuum, relicta sua inclinatione, & motu sibi naturali, & proprio ascendit, quæ inclinatio naturalis in omnibus rebus necessariò constituenda est.

Vnde dico sicut Resp. non potest ad leuandas necessitates extremas, uel graues, quæ cedunt in damnum commune, accipere bona diuitum, sed solum potest præcipere, vt ipsimet diuites exhibeant, quod si non fecerint, tunc ut rebelles præcepto iusto, & quod respiciebat bonum cōmune, potest in pœnam suæ crudelitatis, & inobedientiæ ab eorum domibus pecunias, & bona accipere & succurrere indigentibus, ita in hoc casu, de quo quærimus, non potest potestas publica occidere illum innocentem, quia neque est malefactor, neque inuasor, neque simpliciter, & absolutè tradere tyranno, quia neque potest illum offerre morti sine ulla culpa, sed cum ipse nocens teneatur ex præcepto charitatis, imò, & iustitia legali præferre bonum commune propriæ uitæ, & tradere se ipsum in eo casu ad liberandam patriam, potest, & debet hoc illi præcipere, quod si nō obedierit, tūc ut reum iam, & inobedientē iusto præcepto poterit eum tradere tyranno. Hac uia euadimus omnia illa incommoda opinionum Victoriæ, & Soti, & offerimus gubernatoribus locorum viam extra omnem

omnem dubitationem licitam, qua possint suas Respon. liberare.

Quod autem hoc liceat, & tale præceptum iustum sit, & licitum, & per consequens innocens ille, non obediens fiat iã nocens, & reus patet. Quicquid potest ub necessitatem, vel bonum commune præcipi ciuibus per legem, potest adueniente necessitate pręcipi priuato fine lege, imò hoc interest inter legem, & mandata superiorum, quod lex con ceditut propter communitatem, & respicit omnes, mandata autem superiorum particulares, sed potest condi lex ex omnium consensu, quæ in isto casu hoc præcipeeet innocenti, & sub pęna capitis, ergo potest id ipsum adueniente necessitate præcipere prætor.

Et confirmatur. Quia pluta requiruntur ad legem, quam ad mandatum superioris, nam ad mandatum sufficit, ut sit res honesta, ad legem autem exiguntur multæ circunstantiæ, & solemnitates. Secundò, superior potest præcipere inferiori, ad id quod iam tenetur, tenetur autem innocens in hoc casu ea charitate, & iustitia legali tradere se ad liberandam patriam, ergo, potest illi præcipi, & mãdato ad hoc ipse compelli.

Tertio sicut Resp. non est domina vitæ ciuium, ita nec bonorum eorum omnino, nisi quatenus exigit bonum commune, ergo sicut non potest accipere bona, potest autem præcipere diuiti, ut det quãdo tenetur, ita licet non possit ipsa priuare ciuem vita, potest præcipere vt offerat se morti, quando bonum commune exigit, sicut dux si bonum commune exigat, potest præcipere militi, vt maneat in studio, in quo certo morietur, atq; si non obediat eum punire ut reum. Denique si argumẽta pro opinione Victoriæ, quæ iudicantur ab omnibus recentioribus, probabiliora, benè considerentur, huic nostræ sententiæ maxime fauent, imò illam reuera probãt, vt ea solutionibus singulorum apparebit.

Ad primum igitur argumentum pro opinione Victoriæ respondeo Remp. posse exponere ciues pro communi, & eorum bona, ac vitam, sed modo debito, & licito, nec aliter, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona. Vnde quamuis in hoc casu occidere innocentem esset medium ad liberãdam Rempub. eo tamen non liceret vti, quia est ex se illicitum, ita cum tradere illum sine culpa sit reuera inferre illi iniuriam, & velut condemnare insontem, ac tradere carnifici, non potest Respu. hac uia illum exponere. Ea autem via, quam nos assignamus, exponet illum pro bono communi, liberabitur Respub. a suo damno medio licito, cum præcipere illi ad quod tenetur liceat, & nisi obediat, tradere tunc eum vt nocentem, & reum, ac rebellem sit etiam licitum.

Ad secundum respondeo, neutrum istorum esse medium per se ordinatum ad defensionem Reip. nec tradere, eum, nec tradere seipsum, sed illã bello tueri, ac vim repellere, & ita nec debet Resp. tradere illum, nec tenetur ipse ad se tradendum, quasi medium, sed ex lege tantum charitatis, & iustitiæ legalis. Vel dico, neutrum istorum esse mediũ per se, & simpliciter, posita tamen ista hypothesi sicut illa necessitas est extrema per accidens, & ex malitia tyranni, ita quoque traditio huius innocentis est medium non quidem per se ordinatum sed per accidens, & ab extrinseco adhibendumque nũ est à Rep. quæ neminem sine culpa potest aut occidere, aut tradere morti sed ab ipsomet, quia cũ possit tradere se ipsum pro liberãda Rep. sicut, & pro vita amici posset, sitque talis traditio in hoc casu adeo necessaria, tenetur ad illam, potestque, ac debet ei præcipi, & cum instas si Resp. non potest eũ tradere, quia perinde est sicut occidere, neque poterit se ipsum tradere, sicut nec se occidere. Respõdeo maximè differre. Resp. enim non habet ius ad priuandum nocentem vitam, innocẽs uero in hoc casu tradens se ipsum cedit iuri proprio, quod potest, & pro amico, & tenetur supposita necessitate Reip. sicut cum quærunt Doctores, an liceat pro fratre vitam exponere, docent pro amico priuato licere, non tamen teneri, pro illo verò, cuius uita necessaria est bono communi, non modo licere, verum etiam teneri quia pro bono communi omnia bona præter spiritualia sunt exponenda.

Ad tertium sunt, qui respondent posse Rep. accipere diuitias, quia in ea necessitate sunt iam cõmunes, neq; fieri vllam iniuriam diuiti, uitam verò innocentis nunquã reddi communem, nec habere in eam Remp. aliquod ius. Est optima solutio iuxta opinionem Soti, iuxta quam potest iudex habentem superflua compellere ad succurrendum extremæ necessitati, non autem illum qui similem patiatur, sicut in hoc casu iste innocens, qui patitur etiam extremam, sicut & sua Respondent secundò diuitem compelli posse ad largienda sua bona, quia eleemosyna est medium per se ordinatum ad leuandam necessitatem fratris, traditiò autem innocentis non est medium per se ordinatum ad leuandam necessitatem fratris, traditio autem innocentis non est medium per se ordinatum ad liberandam Remp. sed ex malitia tyranni. Sed iuxta nostram sententiam dico probari illam isto argumento fatemur enim iudicem posse compellere in hoc casu innocentem, ut tradat se ac si retinuerit, posse tunc vt rebellem tradere illum, sicut potest compellere diuitem, ut succurrat extremè indigenti, & nolenti, ut rebelli posse auferre pecunias, & eo renitente dare illas indigenti. Ad quartum dico isto etiam argumento probari nostram sententiam, quia ex iustitia legali tenetur iste innocens se tradere, & consequenter potest compelli, ac nisi obediat, tunc tradi, vt noxius.

Ad quintum respondeo plurimum differre id quod est defendere, & id quod est aperire portas, & tradere, nam illud licet, quando innocens non potest defendi sine magno detrimento *proprio*, posterius nullo modo. Ad illud clerico *dico licere* etiã clerico non defendere, sed aperire *portas* Ecclesiæ, quando ipsi uel Ecclesiæ magnum immineret damnum, ut quotidie fit sine *ullo* reatu homicidij, aut irregularitatis, non posset tamen tradere, quin maneret irregularis.

Ad sextum dico mihi nõ licere abscindere propriam manum, uel linguam, sicut nec licet me occidere, quicquid tyrã nus minetur, licet autem tradere abscindenda in tanto discrimine, quia est cedere iuri proprio iusta de causa.

Ad septimum respondeo licere Iudici, ut uidebimus infra. q. 67. ar. 2. occidere innocentem iuridicè probatum nocentem non solum propter bonum commune, sed quia cum non iudicet, ut persona priuata, sed publica, debet iudicare secundum notitiam, & scientiam publicam, & iuridicã quam habet secundum quam nocens est, & reus, qui talis probatur, & si à parte rei sit innocens, at in nostro casu hic innocens, & re & iure est sine vlla culpa.

Nunc ad argumenta M. Soto: Ad primum qui sequũtur opinionem Victoriæ negat idem esse occidere seipsum & tradere se occidendum, cum innocens neque in hoc casu possit se occidere, possit autem, & debebat tradere se occidendum. Vnde

volunt

volunt tradere se ipsum solum esse se ipsum exponere, quod licet pro bono communi, sicut natura docet exponere partem pro toto. Nos vero respōdemus iuxta nostram sententiam idem esse, in hoc casu tradere, quem certo scimus statim occidendum, & occidere, & vtrumque esse illicitum Reip. attamē cum ipse teneatur, se occidere, quod concedunt ipsemet Soto, & omnes potest Resp. illum compellere, vt præstet ad id quod tenetur in tanta necessitate, & nisi faciat, punire illum vt reū.

Ad secundum respondens Victo. & sui Rempu. sicut habet potestatem per se ad exponendum ciuem pro bono communi in necessitate per se, ita quoque habere potestatem per accidens exponendi illum pro bono commui in necessitate extrinseca, & per accidens, qualis est hæc, maximè cum in casu præsenti licet innocens non fuerit causa huius mali, quod imminet ciuitati, fuit tamen occasio & ideo tollendus e medio, vt cesset tempestas. Sed hæc solutio patitur calumniam, quia nullus negat Remp. posse illum expone modo licito, vt in bello iusto, tradere autem non est medium sicut Dux non tradit milites occidendos, quamuis exponat illos pro bono communi sui exercitus, quando haze trinchea dellos, Nos ergo secundum nostram respondeamus Remp. non posse vti isto medio tradendi innocentem non quia non sit medium ordinatum per se, sed quia est illicitum tradere morti, quem omni culpa scis carere etenim si licitum esset, etiamsi non sit ordinatum per se, possent gubernatores, imò, & tenerentur illo vti, quando esset omnino necessarium quocunque necessitatis genere, in moralibus enim, vt quis obligetur ad aliquod medium, sat est teneri illum ad finem, & medium esse necessariū ac licitum, ideo diues non tenetur dare 100. aureos latroni, vt liberet viatorem, quia non tenetur simpliciter ad defensionem viatoris nec ex officio, sed sola ex charitate, quæ non obligat cum tanto detrimento, at gubernatores tenentur simpliciter ex officio liberare quacumque via suam Remp. & quocumque medio necessario, modo licitum sit, nec tenetur inquirere, sit ne per se ordinatum vel non, differūt quoque ista, quia viatoris salus, quando latro aggreditur non est bonum commune, hic vero agitur de bono communi, quod quacumque uia licita tenentur gubernatores tueri.

Ad tertium patet solutio ex dictis, nam quamuis pars politica habet suum esse distinctum, tenetur nihilominus exponere suum esse pro esse totius, potest ad id compelli, quemadmodum diximus de partibus huius vniuersi & aquaque, licèt grauis sit, ascendit pro bono cōi, ne detur vacuū.

Ad quartum, & vltimum respondeo falsum esse, innocentem in eo casu ex sola charitate teneri ad se tradendum, probatum enim est teneri etiam ex iustitia legali, imo etiam si non teneretur, nisi ex sola charitate, cum talis actus charitatis sit tunc necessarius bono communi, cuius gubernatores custodes sunt, ex officio, possent compellere illum ad talem actum, sicut diximus iudicem posse compellere illum ad talem actum, sicut diximus iudicem posse compellere diuites ad dandas eleemosynas in grauibus etiam necessitatibus, quæ vergunt in damnum commune, quia potestas publica, & iustitia legalis omnes actus aliarum virtutum ordinant ad bonum, cōmune, quando est necessarium. Ad confirmationem dicet vtraque necessitas sit extrema tam istius innocentis, quàm Reip. debere nihilominus se ipsum tradere, quia illa regula, Paciens extremam necessitatem non tenetur subuenire similem patienti, intelligitur cæteris paribus, & inter personas priuatas, at quando una necessitas est publica, & alia priuata, sicut bonum commune præferendum est particulari, ita communis necessitas extrema priuatæ, etiam extremæ, nam & pro persona publica, cuius vita Reip. necessaria sit, exponenda est vita à quouis priuato.

ARTICVLVS VII.

An liceat occidere inuasorem defendendo se ipsum.

VT quæstioni huic satisfaciat D. Th. duo statuit. Primū est, ut sicut in omni actu possunt reperiri duo effectus, vnius intentus ab agente, alius præter intentionem agentis: vt dum quis fodiēs terrā ad plantandam inuenit thesaurū huius actus sunt duo effectus, vnus præcipuus, & intentus à fodiente, nempè plantare vineam, à quo actus ille, sicut quiuis mortalis, suscipit speciem, & rationem, vnde fodientem ad plantandā vineam dicimus plantare vineam alius verò nempè inuentio thesauri præter eius intentionem, à quo non suscipit actus ille speciem, non enim sic fodiens dicitur quæsisse thesaurum, sed casu inuenisset; ita in actu, & bello priuato, quo quis se defendit ab inuasore sunt duo effectus, unus præcipuus, & intentus à defendente, nempè, conseruatio vitæ, à quo hic actus suscipit speciem, & denominationem, cum hic sit finis totalis illius defensionis, alius verò occisio inuasoris, quem non intendit defensor, sed consequitur actum illum, & bellum defensiuum.

Statuit, secundò, sicut aliæ actiones secundum se licitæ, & honestæ possunt viciari vel ex circumstantia, vel per aliquem excessum, aut defectum ita, & defensionem sui, quam ius naturale omnibus animalibus concessit, posse vitiari aut ex circumstantia alicuius malæ intentionis admixtæ, vt in eo qui gauderet se inuadi ab inimico suo, vt ita posset defendendo se ipsum illū occidere, & vindicare se de illo, vel si vtatur excessu, vt qui sine vrgenti necessitate occideret inuasorem, aut vteretur maiori violentia, quam exigitur ad se tuendum, quia tunc non esset propriè vim vi repellere, sed potius vim inferre, quod non licet: tueri autem se cum debitis circumstantijs vtpotè exercendo bellum defensiuum contra inuasorem sine vllo liuore vindictæ, sed solo animo conseruandi vitam, & necessitate exigente, quia aliter illā tueri non valet, ac sine vllo excessu violentiæ, sed ea tantum, quæ ad vim repellendam tunc necessaria est, vocatur moderamen inculpatæ tutelæ.

CONCLVSIO I.

Non licet inuasorem, nisi necessitate omnino exigente, ita vt aliter vita conseruari non possit idque sine vllo liuore vindictæ, sed solo fine conseruandi vitam.

PRior pars perspicua est, negat enim recta ratio inuasorem occidere non existente tali necessitate, & ita esset homicidium. *Secundò*, homo non pōt occidi nisi aut per se, aut per accidēs: sed inuasor non potest occidi per se vt malefactor, quia hoc tantum pertinet ad potestatem publicā, neque per accidens in sui defensionem, cum non sit talis necessitas, ergo. Denique ius naturale,

dicare, nisi per speciale, & expressum priuilegium ipsis concedatur.

PRior pars patet ex iure communi, ex c. Episcopus. Ne clerici, vel monachi. Vbi côceditur prælatis habentibus dominium temporale, vt absque vlla irregularitate possint eligere iudices sæculares ad omnes causas suorum vasallorum. Ex quo sequitur, nec peccare. Quia si peccarent eligendo tales iudices, id certè esset, quia per talem electionem concurrerent ad effusionem sanguinis sibi illicitam, & cõsequenter essent homicidæ, ad irregulares cuius oppositum ibi definitur. Hæc docta est communis inter omnes tàm Iuristas quàm Theologos, & desumpta ex Glossa in ca. Clericis Extra ne clerici, vel monachi: Q. 10 fit, huiusmodi prælatos sine vllo priuilegio Papæ, sed à iure communi, eo ipso quo sunt domini temporales, & vna iurisdictio alteri coniuncta est, habere potestatem hanc designandi huiusmodi iudices, imò dictat hoc recta ratio: cum per se ipsos non possint exercere ista iudicia esse exercenda per alios, quis ergo illos eliget? certè si alius à prçlato, deesset ipsi cum sit verus dominus illius loci, præcipua pars dominii, & iurisdictionis, qualis est designare iudices subditorum.

Secundo, quia iudices designati ab alio, & nnn ab ipso non obedirent illi sicut par est, quod esset in perniciem suæ Relp.

Secunda, pars conclus. constat ex dictis. Ex quo sequitur, clericos priuatos ferentes sententiam in causa sanguinis ex facultate principis, peccare grauiter, & esse sanguinareos, & homicidas, & irregulares, cum dictet recta ratio, vt nemo occidat malefactorem, quando iure superioris sui sibi prohibitum est. De aliis verò clericis, qui prælati non sunt, iure autem hæreditario, vel alia via habent alicuius loci dominium temporale, idem sentiendũ est, quod de prælatis modo diximus. Et in hoc sensu loquuntur D. Tho. & Caiet.

Ad argumenta verò contra Caiet. respondeo.

Ad primum loqui Caiet. De his prælatis, vt sunt domini temporales, qui vt tales possunt vendere officia, eligere iudices, quia hoc non est eis prohibitum, sed concessum, vt constat locis citatis, nec hoc infert irreuerentiam suo statuto, imò est necessarium ad debitam gubernationem, ad quam tamen non est necessarium, vt per seipsos ferant sententiam sanguinis, sed est illis indecorum, & indecens, ac prohibitum.

Ad secundum similis est solutio, potestati spirituali non repugnare, nec esse indecens eligere iudices, sed necessariũ optimè gubernationi. Et ideo circa hoc potestatem spiritualem non trahere ad se temporalem, ferre autem per seipsum sententiã sanguinis esse indecens, & indecorum, & quodam modo repugnans potestati spirituali, & ideo quantum ad hoc oportere, vt potestas temporalis conformet se spirituali.

Ad tertium dicunt aliqui, Prelatos non peccare, nec concurrere ad sanguinem eligendo iudices, quia per illam electionem (inquit) solum designãt eos, non tamen dant eis facultatem ad iudicandum, sed ipsi iudicant iuxta leges, & quicquid faciunt authoritate legum: quemadmodum Cardinales eligentes Sum. Pont. eligunt quidẽ ipsum, non tamen dant illi potestatem plenissimã, quàm habet in Ecclesia. Sed hæc solutio non est, optima quia isti iudices ab aliquo debent habere authoritatem immediatè, non a rege, vel principe sæculari, qui omnem suam potestatem, transtulit in prælatum illum, nec elegit rex talem iudicem, multo minus a Papa, aut ab aliquo alio, ergò ab ipso prælato. Secũdò isti Prælati, qui sunt domini temporales, maximè suppremi, possunt condere leges, secundũ quas iudices designati ferant sententiam in causa sanguinis, ergo ab ipsis sumunt authoritatem iudicantes secundum illas leges, & ita negari non potest, quin ab ipsis huiusmodi iudices electi accipiant authoritatem. Respondeo ergo ad arg. concurrere, quidem ipsos, sed non per seipsos, sed per iudices, tribuentes authoritatem, qua ratione rectè possunt concurrere, cum hoc non sit eis prohibitum, sed côcessum, & necessarium, per se autem ipsos concurrere non possunt, quia est, illis prohibitum a iure, a quo petendũ est, & penes quod existit, quid possint, & quid nõ possint. Quando verò aliquid vlterius agunt, quam designare iudices, & præstant aliqua in quibus videntur concurrere ad effusionem sanguinis, censendum est ipsos habere priuilegium ad id, uel expressum, vel interpretatiuom ex vsu, & consuetudine sui loci, vsus enim in his est optima iuris interpretatio.

Ex quo patet, licitè Episcopos ob delicta in iure assignata degradare clericos, & tradere eos brachio sæculari, absque vllo scrupulo peccati, vel irregularitatis, quia ad hoc habent facultatem a iure, in titulis de clerico percursore, & de clerico degradato. Similiter Inquisitores hæreticæ prauitatis sine vllo scrupulo peccati, vel irregularitatis tradunt hæreticos, & relapsos brachio sæculari côburendos, quia hoc est concessum in iure cõmuni in fauorem fidei cap. Ad abolendam de Hæreticis.

ARTICVLVS V.

Liceat ne alicui seipsum occidere.

COnclusio est negans. Probatur. Quicumq; agit contra naturalem amorẽ, & inclinationem, quam dictat recta ratio, peccat grauissimè contra ius naturale, at vnusquisque natura duce, & recta, ratione dictante diligit propriam vitam, & inclinantur in cõseruationem sui, contra quam inclinationem, & amorem agit, qui seipsum occidit, ergo. Dixi contra amorem, & inclinationem, quàm dictat recta ratio, sunt enim in nobis variæ inclinationes, ad quas non ducimur recta ratione, sed appetitu sensitiuo, quarum multæ post peccatum repognãt rectè rationi, iuxta illud D. Pau. Iquenio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ, contra huiusmodi agere non est peccatum, contra eas verò, quas recta ratio dictat, peccatum est.

Secundò nemini licet expoliare Remp. re sua sine graui iniuria ipsius, vnusquisq; ciuium est pars, & membrum Reip. vnde qui seipsum occidit expoliat Remp. sua parte, & consequenter grauem illi infert iniuriam.

Tertio, qui occidit seruum alienum iniuriam infert domino illius, & qui occidit subditum alienum iniuriam infert iudici illius, vsurpatque iudicium alienum: nemo aũt est dominus suæ vitæ, neq; iudex in seipsum, sed solus. Deus est dominus vitæ, & mortis, infert ergo qui seipsum occidit Iniuriã Deo, perinde ac, qui occideret seruum alienũ, vel vsurparet alienũ iudiciũ. Ex his rationib. patet occidentẽ se ipsum peccare grauissimè, & cõtra charitatem, & cõtra iustitiam, contra charitatem, quia agit contra naturalem dilectionem sui ipsis, ad quam

quam non minus tenetur, quàm ad dilectionem proximi, contra iustitiam verò, quia infert iniuriá, & Deo, & Reip.

Circa hunc articulum fuerunt olim duæ hæreses. Primò quorundã hæreticorum, quos D. Aug. lib. de Hæresib. vocat circumceliones, Philaster verò circuitores, quia nullibi sistebant, sed circuibant omnia loca. Docebant hi quemcunque hominem voluntariè se occidentem, aut committentem alteri, ut ipsum occideret, quacumque de causa, esse martyrem. Hæc hæresis confutatur ibi a D. Aug. primò quia præceptum illud. Non occides, prohibet quamcumque occisionem repugnãtem rectè rationi, nil autem magis rectè rationi aduersum, quàm occisio sui ipsius. Vnde dominus, vt ait idem Aug. tract. 51. in Ioan. diabolo suadente, ut seipsum præcipitem daret, respondit, [Non tentabis dominum Deum tuum.] Et Patro martyrium illi indicans dixit, [Alius cinget te, &c.] Acto. 16. quando custos carceris accepto gladio volebat se ipsum occidere, existimans vinctos aufugisse dixit ei Paul. Nil tale feceris, vniuersi enim hic sumus:] Quod non prohibuisset Pau. si occidens se ipsum esset martyr. Denique condẽnatus est Saul, quia seipsum occidit.

Secunda hæresis est quorundam Donatistarum contra quos agit D. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei a cap. 17. vsque ad 27. qui docebant pœnitentẽ detestantem sua peccata, si ex maxima contritione, & pœnitudine seipsum occideret, non modo non peccare, verum etiam esse martyrem. Quæ hæresis reijcitur apertè Matth. 27. vbi Iudas dicitur pœnitentia ductus retulisse triginta argenteos, & seipsum suspẽdisse, quem damnatum esse, est de fide: quia de fide est illa verba psalm. 108. Cum iudicatur, exeat condemnatus, & episcopatum eius accipiat alter. Ad litteram intelligi de Iuda, vt docuit B. Pet. Acto. 1. & Christus, nisi condemnatus esset Iudas, nõ dixisset de ipso; [Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus nõ fuisset, &c. Contra hunc errorem agit copiosè D. August. loco cit. Gratianus 23. q. 5. vbi inducit multa testimonia sanctorum. Contra eundem agunt Arist. lumine naturali 5. Ethic. cap. 11. & lib. 6. capitul. 7. Cicero 1. Tusculana, & de somno Scipionis.

Confirmaturque hæc doctrina catholica præter argumenta D. Thom. hac ratione naturali. Occidere hominem nunquam licet, nisi aut per accidens, ad defensionem propriam, tunc enim non intẽditur mors inuasoris, sed propria tutela; aut per se propter bonum commune, ad tollendũ perturbatorem Reip. vel puniendum malefactorem, ut timeant cæteri, quod pertinet ad iudices, vt custodes boni communis, sed in occisione sui nulla istarum rationum, & causarum existit, occisio enim sui ipsius neque valet ad propriam defensionem, & tutelam; imò directè ei aduersatur, neque pertinet ab bonum commune, quia vel iste, qui se occidit est vir studiosus, vel nequam, si prius cum sit optima pars Reip. nocet ei occidendo seipsum, & priuando Remp. parte sua, si nequam, vel sunt vitia eius ipsi tantum nocentia, vel alijs, si ipsi tantũ, per pœnitentiã fiet studiosis, & vtilis Reip. nõ per mortem imò occidens se aufert sibi opportunum tempus ad pœnitendum, si nociua alijs, & perturbantia Remp. non debet esse iudex in propria causa, sed relinquat id iudicibus, & custodibus boni communis. Ex hac doctrina sequitur primò nec ob amorem cælestis patriæ, & citius perueniendi ad gloriam licere alicui se occidere, neq; ad vitanda peccata, quæ committi possunt viuendo, tum quia non sunt facienda mala, vt inde veniant bona, tum quia vt ait D. Tho. non est dominus sui in ijs, quę pertinent ad hanc vitam, quia est dominus per liberum arbitrium, cui tantum subsunt, quæ pertinent ad hanc vitam, non tamen est dominus transitus ad aliam vitam, neque eorum, quæ pertinent ad illam, neque vitæ, vel mortis, cum hæc nõ subsint eius arbitrio. Nec licet se occidere ad vitãdas miserias, & labores huius vitæ, cum omnium laborum, & calamitarum maximum, & terribilissimum sit mors, nec sit subeunda maiora damna ad euadenda multo minora.

CONTROVERSIA I.

AN LICEAT IN ALIQVO EVENTU *seipsum occidere.*

Contra doctrinam huius articu. varia sese offerunt. Primò uidetur impossibile, vt quiuis se ipsum voluntariè occidat: frustra ergo quęritur, an liceat. Antecedens patet Voluntas non fertur nisi in bonum aut uerum, aut saltem apparens: occidere se ipsum, & non esse neque est bonum, neque potest habere rationem boni, ergo. Minor patet, quia omnia duce natura apperunt esse. Et confirmatur nullus potest appetere non esse beatum, vt docet D. August. 13. de Trinitate. c. 3. sed esse si quis appeteret non esse, eo ipso appeteret non esse beatum, quod est impossibile, ergo Secũdò. Occidere se ipsum ad uitandam turpem, & infamem vitam iudicatur actus fortitudinis, actus autem fortitudinis, & cuiusuis virtutis licitus est, ergo. Maior probatur. Hoc enim nomine commendantur in historiis sapientum Lucretia, Portia, Brutus, & similes Romani. Et inter fideles primo Machab. 6. cõmendatur Eleazarus qui ad liberandũ populum suum se ipsum morti tradidit sub elephante. 2. Machab. 14. laudatur Razias, qui se ipsum interfecit, vbi habet textus. [Eligens potius notabiliter mori, quã iniquorum fieri subditorũ. Iudic. 16. Sanson se ipsum cum alijs occidit, quem B. Pau. Hebræ. 11. recenset inter sanctos ueteris testamenti, multos etiam, martyres quos veneratur ecclesia legimus se ipsos coram tyrannis morti tradidisse B. Apollonia se ipsam iniecit in ignem, Beatus Vincentius vltroneus conscendit machinam tormentorum.

Tertiò eodem omnino præcepto, quo prohibetur quis se ipsum occidere, prohibetur, & alios, vt docet D. Aug. 1. de ciuit. Dei. cap. 17. & habetur 23. q. 5. can. Si non licet. Vbi ait. Si non licet priuata potestate hominem occidere, etiã qui se occidit homicida est. Et paulò post. Præstat, ut ita de homine intelligamus illud quod dictũ est, nõ occides, vt neque alterum, neque se, nam neque aliũ, quam hominẽ occidit, qui se ipsum occidit, Sed occidere alium non est intrinsecè malum, cum id aliquando liceat, ut uidimus, ergo neq; erit intrinsecè malum, se ipsum occidere, & ita aliquando licebit. 4. ignorantia inuincibilis excusat à peccato, sed potest aliquis ignorare inuincibiliter non licere se ipsum occidere ad uitandam turpẽ, & infamen vitã, ac existimare id esse honestũ, & laudabile ut multi romani viri sapientes, & similiter Græci esistimarunt, ergo saltem qui cum hac ignorantia inuincibili se occideret, non peccaret,

r : Quintò eodem præcepto quo tenemur non occidere nosipsos, tenemur propriam vitam tueri, & conseruare, at licet in multis casibus non tueri propriam uitam, sed illam exponere, ut cum inimicus me aggreditur, possum desistere à propria defensione, & pati, vt me interficiet, pro amico etiam licet mortē appetere, vt in naufragio, in quo vnica tantum est tabula ad euadēdum, licet illam amico relinquere, & perire, licet nauigare, cū periculo vitæ, bellare, licet seruire infirmis laborantibus peste, vbi vita maxime exponitur. Et quod videtur fortius, licet cōdemnato vt moriatur, fame, non sumere cibum, etiam si sibi offeratur, licet cōdemnato ad bibendum venenum illud sumere, & condemnato ad mortem, etiam si carcer pateat, non fugere, & uelle pati mortem.

Sextò legimus multas illustres fœminas ad custodiendam propriam pudicitiam, ne paterentur stuprum, seipsas interemisse. Sic refert B. Ambr. 3. lib. de virginibus, quandam illustrem fœminam nomine Pelagiam cum filiabus suis uirginibus Mediolani, cum ciuitas illa ab hostibus fuisset capta, & milites quidam eas stuprare uellent, finxisse lætitiam, & postulasset, vt concederetur eis prius aliquas ducere coreas, illosque ducēdo per murū se ipsas dedisse præcipites in profundum fluminis alienum commendatque illas maximè B. Amb. ac ut sanctas laudat. Lege historiam ecclesiasticam lib. 6. cap. 21. D. quoque Hiero. tom. 5. in c. Ionæ, & habetur 23. q. 5. can. Non est nostrum ait. Non licet in persequutionibus propria perire manu absque vbi castitas periclitatur. Denique qui se occidit nulli infert iniuriam, ergo non peccat: non Deo, quia inter hominem & Deum non habet locum iustitia, & consequenter neque iniuria: non sibi, quia scienti, & uolenti non fit iniuria: non Reip. quia teneretur illi restitutionem, si ei noceret cum iniuria.

Et confirmatur, tum quia Respu. non est domina vitæ suorum ciuium, vt supra uidimus, tū quia bona temporalia ciuis non sunt minus Reip. quā vita illius, at non infert iniuriam, Reip. ciuis, quando dissipat, & prodigit sua bona, ergo neq; quando adimit sibi vitam. Quæstio hæc celebris fuit apud antiquos, de qua vide Arist. 3. Ethic. c. 7. & li. 5. cap. 11. Cicero 1. q. Tuscul. & 5. in lib. de somno Scipionis refert illud Pythagoræ, Sicut militi nō licet sine iussu imperatoris a sua statione descendere, ita nec licet homini ab vita discedere sine Dei voluntate. Plato in Phædone, ait inter alia, Sic irrascitur Deus, cum quis se occidit, sicut dominus cum seruum suum, viderit se occidērem. Vide orationem Iosephi de hac re lib. 3. de bello Iudaico. c. 21. D. Aug. Epist. 61. & lib. 2. contra epist. Gaudētij tom. 7. & potissimè l. 1. de ciu. Dei c. 17. & per 10. sequentia cap. extat de hac re erudita relectio Mag. Victoriæ de homicidio.

Ad diluenda verò argumenta proposita contra doctrinam huius art. obseruemus bifariam posse aliquem seipsum interficere, vno modo directè, vt cum habens hanc voluntatem, volo me ipsum interficere, suspendit se, quod sine dubio nunquam licet, vt rectè probat hic D. Th. secundo modo indirectè, quod accidit, cum potest quis, & tenetur vitam suam tueri, nec vult. Dico potest, & tenetur multoties enim potest; non tamē tenetur, certum namque est melius conseruari vitam carnibus, quam piscibus, nec propterea tenetur homo comedere carnes, vt vitam cōseruet. Potest Christianus vitam suam tueri, ac defendere se a tyranno volēte ipsum occidere propter Christum, non tamen tenentur, sed potest permittere, vt ab eo occidatur, sicut Christus, qui cum potuisset euadere manus Iudæorum, & ab illis se defendere, si voluisset, oblatus tamen est, quia ipse voluit.

His positis argumenta adducta suo ordine diluamus.

Primum illud postulat quæstionem illam, An aliquando non esse sit melius, quàm esse, de qua Thomistæ varijs in locis, quidam 1. p. q. 5. ar. 2. Alij in hac 2. 2. q. 34. art. 1. Alij & proprius in additionibus tertiæ partis q. pen. art. 3. in qua non desunt, qui existiment nullo titulo præferendum esse non esse ipsi esse. Probant primò, cum non esse sit maximum omnium malorum, nulla in eo est, aut potest apparere ratio boni, in ipso autem esse, etiam si sit miserum, est aliqua ratio boni, nempe ipsum esse, ergo quocunque modo sumatur esse, est præferendum ipsi non esse.

Et confirmatur ex D. Aug. qui lib. 3. de Libero arbit. c. 7. & 8. ait: Considera quantum bonum est esse, quod, & beati, & miseri volunt. Secundo præelectio, qua vnum alteri præfertur, supponit electionem, sed non esse, nō est eligibile, cum nullam habeant rationem boni, ergo nunquam prælligēdum, aut præferendum ipsi esse.

Oppositam tamen sententiam docet Hier. in illud Hier. 20. Maledicta dies, in qua natus sum, ubi ait: Melius est non esse, quam malè esse. Et confirmatur. Ex sacra scriptura malis, & damnatis melius fuisset non esse natos, sic enim Christus de Iuda, Melius erat ei, vt natus non fuisset homo, &c. Ibi autem per natum non intelligit ortum in vtero matris, sed nunquam fuisse ne conceptum; nec natum, ergo. Vnde Apoc. 9. dicitur de damnatis, Desiderabunt mortem, idest annihilationem, & fugiet ab eis, idest, non concedetur eis tale bonum. Et Eccles. 30. Melior est mors, quàm vita amara. Ratio huius sententiæ est, quia non esse, licèt simpliciter, & absolutè nullam habeat rationē boni, nec ita sit eligibile, quia est metum nihil, in damnatis tamen, & patientibus grauiter mas calamitates est remedium, quo ab illa summa miseria eripiantur, quomodo habet reuera ratione boni iuxta illud Arist. 5. Physi. carere malo quodā bonum est, similiter esse, licèt simpliciter, & absolutè sit bonum, esse tamen in summa miseria, & calamitate est malum, & quod natura fugit, quo fit vt, in his in quibus esse summam miseriam habet coniunctam, melius sit non esse, cum hoc tamē desiderini ne: nam non esse, aut potest esse per annihilationē ad euadendam miseriam æternam, aut per mortē in hoc seculo ad euadēdas calamitates huius vitæ, vel citius fruendū Deo, non esse primo modo, quale desiderant damnati reuera melius est, quā esse eorū, cum tanta miseria, vt probatum est, & decet non esse autem per mortem melius quoque est, quam esse in calamitatibus. De mortem inferente, quando misero expedit ad salutem spiri ualem eius. In quo sensu dicitur Eccles. 41. O mors, quā bonum est iudicium tuum indigenti. Et ita licet desiderare mortem cum conditione, vt eam inferrat Deus, quando saluti animæ expedit, sibi autē illam inferre ob tales fines non licet, nec tale non esse est tūc melius, quia maior calamitas est mors, quam quæuis alia temporalis, imo temporales sunt materia meriti, mors autem est desperatio, & priuatio uitæ.

Ad argumenta in oppositum patet solutio, non esse simpliciter nullā habere rationem boni, nec esse eligibile, at quando est medium ad euadēdā summā miseriam, habere rationē boni, & esse eligibile.

gibile. Nunc ad argumentũ præcipuum, quod fuit occasio huius quæstionis Respondeo voluntatem non solum ferri in uerum bonum, uerum etiam aliquando in apparens, non esse, & mori aliquando est bonum sine errore, & deceptione, vt in damnatis, aliquando cum deceptione, vt in his qui se præsenti uita priuant, iudicant enim melius sibi esse mori: quam pati mala huius seculi. Ad confirmationem dimissa solutione Victoriæ, & aliorum dico, cum duo includat beatitudo remotionem mali, & consequutionem boni, bifariam posse aliquã appetere beatitudinem, primò vt remotionem mali, quod patitur, vult enim à se repelli, & cũ in motu non sit necesse, ut terminus a quo perseueret, potest quis desiderare beatitudinem hoc modo, idest remotionem pœnæ absque eo quod ipse sit, imo cum obiectum talis appetitus, & desiderij propriè non sit beatitudo, & fælicitas, sed pati, non torqueri, nec possi habeti hoc ab illis, qui ad perpetuam miseriam damnati sunt, quamdiu sunt, rectè desiderant non esse, idque iudicant sibi commodum, & fælicissimum esse.

Secundo vero modo potest quis appetere beatitudinem actu prosequutionis, & amoris, ut actu positiuo optando consequi fælicitatem positiuè, quo modo vtitur se ipso vt termino quem, & quia terminus ad quem necessario debet esse in motu, nec potest hoc modo esse beatus, quin sit, non potest appetere beatitudinem hoc modo, quin simul appetat esse, de qua beatitudine hoc secundo modo loquitur D. Aug. damnati autem appetunt beatitudinem illam primo modo, quæ propriè non est beatitudo, sed remotio miseriæ, & ita possũt rectè desiderare non esse.

Secundum argumentum postulat percurramus omnia illa exempla, quæ adducuntur, In primis actus illi Romanorum non fuere, vt docet D. Aug. 1. de ciuit. Dei loco cit. actus fortitudinis, sed pusillanimitatis, quia Cato, Brutus, & similes nõ potuerunt ferre dominatum, Cęsaris, vis enim, & fortitudo animi non consistit in occisione sui, sed in tollerantia laborum: similiter Lucretia ex pusillanimitate se occidit, quia ferre infamiam non ualuit, arguitque optimè contra ipsam D. Aug. nam aut non consenserat, sed restiterat quantum potuerat adultero, & per vim sine vllo ipsius consensu accesserat Tarquinius ad ipsam, vel consenserat si prius, non fuit vitiata, nec corrupta, nec digna morte, si secundum non debet esse sui ipsius iudex, sed pęnitentia delere commissum. Factum Eleazari ab aliquibus reprehenditur temeritatis, sed probabilius est illud fuisse fortitudinis, quia pro bono cõmuni perijt: Videns enim in turri lignea, quam deferebat elefans, existere duces hostilis exercitus, & inde nocere suis, & ea proiecta, & contrita duces illos perituros, ob bonum commune sui populi ingressus infra bestiam eam occidit, & simul ibi perijt, sicut miles, qui ad liberandam suam Remp. accederet ad locum cum certissimo periculo videns certam esse Reip. liberationem ea via D. Tho. hic ad 4. sequutus. D. Aug. vult illud factum institutũ Spiritus sancti. Factum Raziæ nititur tueri Lyranus vt actum etiam fortitudinis, condemnant tamen illud D. August. libr. 2. contra epist. Gaudenti, cap. 23. D. Thom. hic ad quartum Abulen. in 5. capit. Matth. quæstio. 112. & iure. Nam neque ob bonum commune se occidit, neque amore veræ virtutis.

Primum patet, quia ipse sua morte nec erat liberaturus populum suum, cum iam essent capti, nec liberauit.

Secundum quoque patet, quia si amore uirtutis, id est ne contaminaretur cibis gentium, expectasset mortem sibi inferri a tyranno, quemadmodum legimus de Machabæis, quod autem ait scriptura eligens potius nobiliter mori, &c. explicat existimationem, & opinionem, quam habuit ipse Raizas de illa morte, quia iudicauit nobiliter facere se occidendo, sed in eo maximo deceptus fuit. Sansonẽ D. Th. & communiter omnes Doctores vindicant à peccato sequuti in hoc D. Aug. cum enim coma, & capilli capitis, in quibus habebat Sanson vim suam, miraculosè, rursum illi creuerint, eo miraculo intellexit diuino quoque, & interiori instinctu, vt arreptis columnis maximi templi, in quo principes Philisteorum aderant, occideret in bonum suũ populi, & se cum ipsis, quia aliter non poterat eos opprimere, vnde ille ausus Sansonis vocatur à D. Aug. & D. Thom. supernaturalis, & non humanus, quod etiam ostendit oratio, quæ præcessisset, qua se Deo commendans vires ab eo, & animum ad actum illum postulauit è cœlo. Simile iudicium habendum est de martyribus, & sanctis. quos Ecclesia colit, aut sancti patres vocant sanctos, quando in testimonium fidei, aut ad vitandum stuprũ vel similem turpitudinem se se igni mari, vel præcipitio tradiderunt, fecerunt. n. hoc diuino instinctu, & secreta reuelatione, propter quod talia facta, vt ait Hier. laudanda sunt. & admiranda, non tamen imitanda.

Ad tertium respõdeo prohiberi præcepto. quinto mortem, & occisionem hominis contra rectam rationem.

Et prohibetur tam mors propria, quàm aliena, propria semper, & vbique, quia nunquam dictabit recta ratio, vt aliquis seipsum occidat. aliena uero non semper, & vbique quia nunquam dictabit recta ratio, vt proximus interficiatur, nisi quãdo ita exigitur vel ad bonum commune, uel ad propriã tutelam.

Quartum argumentum quærit, An possit dari ignorantia inuincibilis huius doctrinæ non licet se ipsum vllo modo occidere, nec pro bono fine, Victoria in sua relectione de homicidio nu. 37. quem sequuntur nonnulli recentiores Thomistæ, vult non posse hoc inuincibiliter ignorari neque ab infidelibus, quia præcepta Decalogi sunt conclusiones immediatæ quæ deducuntur ex primis principijs practicis naturalibus adeo omnibus per se notis, vt a nullo possint ignorari, hoc autem præceptum. Non occides, sequitur ex illa maiori, quod tibi non vis, &c.

Et ex illa minori, non velles te priuari, unde sicut est maior per se nota, & quæ non potest inuincibiliter ignorari, ita, & minor.

Secundò quia si huius doctrinæ datur ignorãtia inuincibilis, illi pagani qui se occiderent excusandi essent, ac condemnantur à B. Aug. & alijs sanctis patribus.

Alij vero Thomistæ oppositum sentiunt, Soto in lectura. 1. 2. q. 76. art. 4. & est modo communis inter ipsos.

Probatur. Quia licet ista doctrina inferatur ex principijs naturæ, non tamen ita clarè, & apertè, quin ignorari à multis possit, maximè a rusticis, sicut ex principijs quoque naturæ sequitur non licere sumere vindictam de propria iniuria, fornicationem simplicem esse malam, at multi ex infidelibus rusticis, id ignorarunt inuincibiliter.

Secundò. In his præceptis non est maior difficultas, quam in alijs diuinis maxime pertinentibus ad actus cordis, vt non concupisces, & hæc à multis paga-

ganis sunt inuincibiliter ignorata, imo, & ab ipsis Iudęis fidelibus, propter quod opportuit dari à Deo distincta præcepta in decalogo quædam pertinen tia ad opus externum, & quædam pertinentia ad opus internum, & actus cordis.

Ita ducent hi posse dari ignorantiam inuincibilem huius doctrinæ non licere se occidere, neque ob bonum finem, non tamen inculpabilem, quia habentes illam si facerent quod in ipsis est, seruan do, alia præcepta iuris naturalis, quæ ignorari non possunt, liberati fuissent ab ignorantia aliorum. Vnde potuerunt illam haberi per aliquod tempus non tamen semper sine eorum culpa. Ita docet B. Pau. Rom. 1. asserens paganos, qui non coluerunt Deū iuxta ea quę ex creaturis manifestissima sunt, nec seruauerunt præcepta legis naturalis per se no ta propter duritiam cordis sui, & in pœnam aliorū criminum traditos esse in reprobum sensum, ita ut ignorent culpabiliter quæ ad bonos mores sunt necessaria, & lumine naturali facto prudēti discur su potuissent intelligere, quale est hoc de non occi dendo seipsum. Arist. enim lumine naturali ductus apertè testatur. 3. Eth. c. 7. non esse magnanimi, sed abiecti, & timidi se occidere.

Hinc facile soluuntur argumenta pro opinione victoriæ.

Ad primum dico, maiorem illius syllogismi esse omnibus per se notam, & minorem in hoc sensu, nolles te ab alio occidi, & ita nec debes velle aliū occidere, in illo tamen sensu nolles te vita priuari aliquando, neque a tè ipso, non esse omnibus per se notam, imo iudicarem mihi id aliquando expedire, & licere velle, quia non est per se notum neminem esse dominum suæ vitæ sed solum Deum, saltem ad tempus posset aliquis ita inuincibiliter opinari.

Ad secundum patet solutio ex dictis, paganos il los excusari, etsi ita ignorauerint, quia per totum vitæ tempus non potest id ignorari, nisi culpabiliter, eo quod non seruentur alia præcepta.

Hinc sequitur, si modò rusticus, & simplex igno rans hanc doctrinam iudicaret licere sibi ob bonū finem se occidere, non posse nos statim hanc ignorantiam condemnare vt culpabilem, cum per aliquod tempus haberi sine culpa possit, & esse inuin cibilis, sed audiendam esse eius confessionem, & videndas particulares circunstantias personæ, & mores eius, & ex his ferendum esse iudicium.

Ad seatum respondeo bifariam posse aliquem se ipsum occidere, primò modo directè, & per actū positiuum inijciendo sibi manus, vel per hūc actū uolo me occidere vel volo facere hoc, aut dimittere, ut me occidam, vt moriar, quod nullo modo licet, vt obseruauimus.

Nam si, mutilatores suorum membrorum etiam prætextu virtutis sicut fertur de Origene, damnatur in multis concilijs, quantò magis occisores sui ipsius directè, & voluntariè.

Secūdo modo potest quis occidere se indirectè non per actum positiuum, sed negatiuè non conseruando propriam vitam hoc aliquando licet: non enim tenetur homo apponere semper omnia media ad vitam tuendam, sicut ex obseruatione posita constat.

Et ratio huius discriminis est quia non occidere secum sit negatiuum obligat pro semper, & ita in nullo euentu licet se occidere, conseruare autem vitam est affirmatiuum, quod non obligat pro sem per, & ita licet aliquando illam non tueri. Quod si dixeris, tenetur vnusquisq; vitam fratris tueri quo tiescumque potest, ergo, & propriam.

Respondeo primum negato antecedenti, non n teneor semper defendere proximum à morte, etiā si ipse sit innocens, & ego possim vti in eo qui se offert martyrium.

Respondeo secundò negata consequentia, quia ego possum credere meo iuri, non autem iuri alterius, vt patet in bonis temporalibus possum prodigere mea bona, quamuis ea commodè tueri possū, non autem possum bona proximi, quando ea com mode possum conseruare.

Vnde licet vitā exponere pro amico non sumen do panem illi necessarium, aut relinquendo tabulam qua euadat in mari, quia hoc non est me actu positiuo occidere, sed cedere iuri meo, & non tueri propriam uitam: licet non occidere inuasorem, sed cessare a defensione propria, & pati, mortem, licet cum periculo vitæ seruire infirmo laboranti peste, licet bellare pro patria cum periculo vrgen ti, nauigare cum manifesto periculo pro bono Rei pub. quamuis non pro solo lucro: quia hæc omnia non sunt me occidere actu positiuo, sed non serua re uitam pro fine honesto, aut eam exponere. De condemnatis ad mortem fame aut poculo veneni dicemus suo loco infra. q. 69. art. 4.

Ad seatum respondeo fœminas sanctas, quas Ec clesia, & sancti patres iudicant sanctas, ut Pelagiā, & socias id fecisse peculiari instinctu spiritus sancti, sicut diximus de Sansone, alias vero, quæ sine tali peculiari admonitione id facerent, temeraritis, esse arguendas.

Ita D. Augustin. 1. de ciuit. Dei loco citat. quia ad tuendam pudicitiam, & virginitatem, quæ uir tus est, & quæ potissimè curanda est, non est medium accommodatum, sed iniquum occisio sui ip sius, medium est non consentire fornicario.

Vnde mulier vel puella non consentiens animo, retinet suam pudicitiam iuxta illud dictum B. Luciæ. [Non inquinatur corpus, nisi de consen su mentis. Et quamuis in foro conscientiæ tantum teneatur non consentire, nec peccet moraliter nō resistendo, modo non consentiat, est tamen periculosum non resistere, sed debet studiosa resistere, clamare, nam inferre volenti eam contaminare; tū quia periculosum est posito actu venereo non con sentire, etiam si ante coitum dissenserit. Secundo, quia in foro exteriori, & iudicio prudentum quæ potuit clamare, aut resistere, nec fecit, iudicatur cōsensisse, vnde Deut. 22. præcipiebatur, vt si puel la esset oppressa in agro obrueretur lapidibus oppressor, non autem ipsa, quia iudicatur clamasse, & non fuisse auditam, aut non clamasse, quia nullus adesset potens ferre illi opem, oppressa autem in ciuitate lapidibus obrueretur vna cum oppressore, quia tacuerat.

Tertiò, quia resistens per vim sua vi, & resistentia sibi animos faciet ad fortius dissentiendum, & detestandum illud scelus, etiamsi opprimatur.

Et vltimò quia resistenti pro sua pudicitia, & ho nestate tuenda, adderit Deus vires super naturales suppeditans in quo sensu potest intelligi illud Cantic. 8. Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea, cum murus sit defensio ciuitatis, & propugnacula maior defensio, significans sponsa nostra est murus ad tuendam honestatem, ea hibeamus ei maiores vires ad eam tuendam, sicut propugnacula iuuant murum.

Ad illud dictum B. Hier. respondent aliqui D. Hier. ex nimio affectu, quo prosequutus est virginitatem habuisse illam opinionem, quæ tamen nō est recepta, inter Doctores. Alij verò defendunt

D. Hier.

D. Hier. hac ratione in sacra scriptura inquiunt hę voces absque, præter, & similes, nō semper sumuntur exclusione, vt ipsæ videntur sonare, sed aliquādo inclusiuè verbi gratia, Cant. 4. & 6. Vbi agitur de pulchritudine sposę dicitur. Pulcherrima es absque eo quod intrinsecus latet, id est, cum his quæ intrinsecus latent, quasi dicat pulcherrima, es omni ex parte interius, & exterius. Et B. Pau. cum agit de suis laboribus, ait præter ea quæ exterius sunt, solicitudo omnium Ecclesiarum, id est patior magnos labores, & curas, vna cum eis solicitudinem omnium Ecclesiarum, eodem inquiūt modo vsum Hiero. eo loco ista voce absque, non exclusiue. Nō licet inquit in persequentibus se ipsum interimere absque, vbi castitas, id est etiam quando castitas periclitatur.

Ad vltimum respondeo, satis ex dictis petere occidentem se ipsum magnam inferre iniuriam, & Deo, qui solus est dominus vitæ, & mortis, & Reip. vt optimè docent argumenta, D. Tho. in prodigendis vero pecunijs, non est ita, quia vnusquisque est dominus suarum pecuniarum.

ARTICVLVS. VI.

An licet occidere innocentem.

OBseruemus initio, cū duplex sit innocens alius in vtroque foro, qui non modo re ipsa est innocens, verum etiam nullis te stibus probatur nocens, alius autem re uera quidem innocens, sed in foro exteriori secūdū allegata, & probata conuincitur nocens non esse, hic sumenus de innocente hoc secundo modo, de hoc enim agemus. qu. 67. art. 2. in q. illa celebri An, iudex teneatur semper iudicare secundum allegata, & probata, vnde quæstio præsens est de innocente, qui verè est innocens, nec de eo oppositum probatur.

CONCLVSIO PRIMA.

Ex diuino præcepto licet sic innocentem occidere.

PAtet, quia cum Deus sit dominus vitæ, & mortis potest sine vlla iniuria præcipere ut innocens priuetur vita, disponens enim de re sua nulli facit iniuriam, & consequēter qui ex diuino præcepto innocentem occideret, benè ageret, quia præcepto superioris licito, & honesto obedire bonum est: ita commendatur Abraham Genes. 22. qui vt diuino præcepto obediret, non pepercit vitæ filii sui, quamuis innocentis.

CONCLVSIO II.

Secluso tali diuino præcepto, nulli licet ullo titulo, aut ratione occidere innocentem.

PAtet, non licet occidere hominem aliquem, nisi aut per se, id est propter bonum cōmune, aut per accidens, idest, in sui defensionem, innocens neque nocet bono communi, imò illi est vtilis, neque aliquem aggreditur nam ita iam non esset innocens, ergo nullo titulo licet eum occidere. Hęc est de fide: habetur. Exod. 23. Insontem, & iustum non occides. Quod præceptum non fuit datum illi populo, vt iudiciale pertinēs ad particularem gubernationem illius populi, sed vt mortale, & naturale.

Circa hunc articulum offert se Quæst. An detur casus in quo liceat propter bonum commune occidere innocentem, sunt enim tres casus, in quibus hoc quæri potest an tunc liceat.

Primus est in bello iusto, quando alia via victoria obtineri non potest, nisi occisis innocentibus, & de hoc non est dubiū licere seruatis debitis circumstantijs, vt constat. q. 40. de bello.

Secundus est quando aliquis vult occidere innocentem, liceat ne id permittere, vel teneamur potius iuuare, & liberare illum, de quo est etiam certum teneri ex præcepto charitatis ad liberandum innocentem, quādo sine magno, & graui nocumēto nostro id valemus, in hoc enim casu intelligitur illud Ecclesi. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Et illud Prouer. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Et ratio est aperta. Quia si tenemur ex nostris bonis facere eleemosynam patiēti extremam necessitatem famis, imo & grauem, quantò magis constitutum in aperto, & certo discrimine vitæ ex iniquitate aggressoris? Dixi, sine magno detrimento nostro, quia si magnum detrimentum quis ad tuendum fratrem subire cogatur, ut amissionem honoris, aut omnium bonorū. uel maximæ partis illorum, non tenetur, ut constat ex disputatione de charitate. An autem liceat ad defendendum innocentem occidere aggressorem illius, articulo sequenti uidebitur. Tertius casus est difficilior, cuius hic proprius locus est.

CONTROVERSIA I.

An quando tyrānus uel latrones sicarij obsidentes ciuitatem aliquem postulant innocentem, qui ibi existit, & eo tradito recedent, sin minus deuastabunt omnia liceat tradere illum ob bonū commune, & liberandam totam comminitatem ab illo tyranno, uel sicarijs.

VIctoria in lectura huius art. & in sua relectione de homicidio, quem sequūtur plerique recentiores Thomistæ, docuit in hoc casu licere, tradere innocentem tyranno imò, & gubernatores illius ciuitatis id deberet quia si licet, debet, in casu enim tantæ necessitatis tenentur gubernatores ad omnia media licita, ut suam Remp. liberent. Probatur hæc sententia primò Resp. potest exponere partes politicas. & ciues suos claro, & euidenti periculo mortis pro se tuenda, ut in bello iusto, etiā si tale bellum non sit necessarium, nisi ex malitia tyranni, potest Dux exponere milites euidenti, & certissimo periculo mortis, uerbi gratia si nō habeat arbores, currus, & similia, ex quibus componat murum, & vallem exercitis, potest componere ex militibus, quod hispanè dicitur, hauer una trinchea de hombres, quos eo ipso euidentissimo periculo mortis esse expositos certissimum est, ergo potest ob similem necessitatem boni communis, qualis est id nostro casu, tradere illum ciuem, quamuis innocentem, & exponere euidentissimo periculo vitæ.

Et confirmatur. Quis totum naturale exponit partem etiam sanam pro salute totius, quod debet imitari totum politicum, & Resp.

Secun-

Secundò, si Resp. hoc non posset, certè id esset, qua uel talis traditio non est medium ordinatum ad sui defensionem, vel tradere illum innocentē esset perinde, ac illum actu occidere, quod nulli licet neque ob bonum commune, neque ob alium finem, at nulla harum rationum hoc prohibet: non prior, quia cum ipse innocens in eo casu teneatur se ipsum tradere, omnium consensu, certè est medium ordinatum neque posterior. quia si tradere innocentem esset illū occidere, innocens quoque quando traderet se ipsum perinde esset, ac se ipsum occideret, quod cum nulli liceat, neque liceret ei se ipsum tradere, quod tamen licet.

Tertiò ad ea, ad quæ ciuis tenetur ex charitate, in extrema, vel graui necessitate, iudex potest compellere, quo nomine docent Theologi, iudicem posse compellere diuites, vt faciant eleemosynas existentibus in extrema necessitate, imò, & in graui, si Respond. aliquod damnum pati periclitetur propter graues necessitates ciuium, sed innocens tenetur omnium consensu se ipsum tradere propter bonum commune, existitque extrema necessitas quia deuastabitur, ciuitas, nec alia est via, ut supponimus ad illam tuendam, & repellendum tyrannum, ergo potest compellere eum, vt se tradat, & tradere, si noluerit.

Et confirmatur. Ad ea quæ quis tenetur ex iustitia legali potest compelli à publica potestate, sed iste innocens tenetur ex iustitia legali se ipsum in hoc casu tradere tyranno, ergo potest compelli, imò tradi, si ipse non præstet.

Maior patet ex ipso nomine iustitiæ legalis, idē enim est debere ex iustitia legali, quod debere ex lege bono communi, ad ea autem, ad quæ quis tenetur ex lege, nullus dubitat posse compelli, à iudice, qui est custos legis, & eius exequutor. Minor vero probatur, quia iustitia legalis ordinat omnia bona personę particularis, & singulorum ciuiū vitam, pecunias, &c. ad bonum commune, maximè in casu necessitatis communis.

Quartò Resp. non tenetur istum innocentem defendere, imo potest aperire portas, & concedere, vt à tyranno comprehendantur. hoc autem perinde est, ac tradere, ergo potest tradere.

Maior ab omnibus conceditur, quia si non tenetur particularis defendere innocētem cum magno detrimento suo, vt modo dicebamus, quāto magis Resp. cum tanto damno communi non tenebitur? Minor verò probatur, quia si clericus, vel monachus, aperiat iudici portas Ecclesiæ, vel domus. ad quam confugit reus, qui captus ab illo iudice plectitur morte, manet irregularis, & reus illius homicidij, perinde enim iudicatur in iure hic clericus aperiens portas in hoc casu, ac si tradidisset illum reum, & sicut maneret irregularis tradēdo, ita aperiendo portas.

Quintò, si tyrannus minetur mihi mortem, nisi offeram illi linguam, vel manum abscindendam, licet offerre ad tuendam vitam, sicut licet eleuare manum volēti percutere caput, & offerre manum vulneri, imo, & abscissioni ad tuendum caput ergo licebit tradere, & offerre ciuem innocentem tyranno ad vitandum totius Reip. perniciem. Denique licet occidere innocentem pro bono cōmuni, quando scilicet probatur nocens per testes, tunc. n. nulla alia de causa licet occidere ipsum, nisi quia si iudex non iudicaret secundum allegata, & probata, sequeretur scandalum, & maxima Reip. perturbatio, ergo cum in hoc casu tantam perturbationem patiatur Resp. à tyranno, & tantum damnum ei imminueat, nisi tradat innocentem, licebit illum tradere innocentem pro bono communi; aut quæ est ratio, cur hoc non liceat, illud verò liceat, cum vtrūque exigat bonum commune?

Oppositum docent Soto lib. 5. de iust. q. 1. art. 7. & nonnulli cum ipso. Quod ita probant. Primo absolutè, & simpliciter est intrinsecè malum occidere innocentem, de cuius innocentia constat, vt docet hic D. Th. sed tradere innocentem, quem certo scimus occidendum, perinde est ac illum occidere quo nomine clericus, qui traderet iudici reū, quē certo sciret occidendum, esset ipso facto irregularis & reus homicidij, quia idem est tradere occidēdum, quod occidere, ergo sicut non licet occidere innocentem neq; pro bono communi, ita nec tradere illum occidendum tyranno.

Secundò ad media quę non sunt necessaria per se. sed per accidens, & ex malitia alterius, non tenemur, sed tradere innocentem in hoc casu non est medium per se, & directè ad liberandam Rēp. sed per accidens, & ex iniquitate illius tyranni, ergo. Maior patet exēplo, si publicus latro dicat viatori, occidā te, nisi dederis mihi 100. aureos, ego teneor quidem defendere illum viatorem à latrone, quantum possum, quia hoc est medium per se ordinatum ad liberandum inuasum, dare autem latroni 100. aureos, vt dimittat illum, non teneor etiam si uideam in summo, & certo periculo vitæ illum existere, quia 100. aurei non sunt medium per se ordinatum ad subleuandam illam necessitatem, nisi ex malitia latronis. Minor patet, quia ad tuendam Remp. à tyranno, & sicarijs medium per se ordinatum est defensio eius, & vis armorum. Vnde potest Resp. compellere quemcumque ciuē quantumuis innocentem, ut pugnet, & resistat, & cum apertissimo periculo uitæ, tradere autem tyranno non est medium per se, nisi ex malitia, & iniquitate illius tyranni. Et confirmatur, Quia cum occisio innocentis non sit per se bona, nunquam licet vti illa, aut tradere occidendum illum, nisi quādo est medium necessarium simpliciter, & per se ad bonum commune non autem quando est medium necessarium ex malitia tyranni.

Tertiò illa similitudo de parte naturali ad totum, qua vtitur opposita sententia, est nimium dissimilis, quia pars naturalis corporis non habet esse per se seorsum, & distinctum, a toto; nec est capax iuris, aut iniuriæ per se ipsam, sed est ad esse totius, ius quoque, vel iniuria totius sunt ipsius, pars aūt politica, & quiuis priuatus ciuis est quoddam suppositum per se distinctum, ab esse totius politici, & per se capax iuris, & iniuriæ, & cum fiat illi maxima iniuria, si tradatur tyranno, talem iniuriam non potest illi Res. irrogare, quia tunc tantum, ut constat, potest eius uitam exponere, quando est medium per se, & directè ordinatum ad bonum ipsius, quod non est in hoc casu, sed per accidens, & ex iniquitate tyranni, & ita licet quidem partem naturalem exponere, vel tradere abscindendam pro vita totius, partem autem politicam aliter, quàm pugnando, & in bello contra tyrannum non licet.

Quartò, ad ea, ad quæ quis non tenetur ex iustitia, sed solum ex charitate, non potest compelli à iudice, aut à Rep. sed in hoc casu hic innocens nō tenetur ex iustitia tradere se tyranno, sed ex sola charitate, ergo. Maior certa est, quia iudex non est exequutor præceptorum charitatis, sed custos tantum iustitię, & exequutor legum, & ita non potest compellere ad ea, quæ ex sola charitate debētur. Minor probatur, in hoc casu innocens ea lege tenetur se tradere, quia tenetur ad tuendum bonum

num

num commune, curare verò bonum commune illi soli tenentur ex iustitia, quibus incumbit ex officio, alij priuatim ex sola charitate, qua debent illud diligere, & suis priuatis bonis præ ferre, ergo innocens iste ex sola charitate, non autem ex iustitia tenetur se tradere & confirmatur. Quia vt constat ex q. 32. art. 2. quando dicimus dandum esse in extrema necessitate etiam ex necessarijs statui, intelligitur, quando illa necessitas est ab intrinseco, vt ex fame, non autem quando est ab extrinseco, & ex malitia alterius in hoc autem casu ista necessitas. Resp. est ab intrinseco & ex malitia tyranni, ergo non tenetur quis pro ea vitam exponere tradendo seipsum, sed solum bellando, quia bellum defensiuum in eo casu est medium necessarium. Confirmatur, Secūdò quia in necessitate extrema non est succurrendum cum simili necessitate, & damno.

In hac q. ex his quæ apud omnes certa sunt, colligendum est quid in ea dicēdum sit, imprimis certum est apud omnes non teneri Rempu. in eo casu defendere istum nocentem cum tanto damno suo, cum neque particularis teneatur illum defendere cum graui detrimento suo. Secundò certum est si tyrannus peteret a gubernatoribus: occidite istum innocentē, & tradite mihi caput eius, alioquin vos omne igne, comburam neque id licere, etiamsi tantum damnum immineret, quia occisio actualis innocentis est adeò intrinsecè mala, ut propter nullū bonum finem sit licita, esset enim per se, directè, & proprio actu exercere homicidiū innocentis, quod non licet, sicut non licet ministris iustitiæ, quando sententia iudicis continet intolerabilem errorem, illam exequi, & occidere innocentem, vt docet hic D. Thom. ad tertium quicquid iudices illi ministris minentur, qua ratione non licebat ministris tyrannorum occidere martyres. Sed obijcies, Occidere innocentem non est intrinsecè malum, nam alioquin Deus non posset id præcipere, sicut nō potest præcipere fornicari, aut mentiri, quæ sunt intrinsecè mala, quod autem non est intrinsecè malum, potest aliquando bene fieri, & honestati ex circunstātia, maximè finis ergo ob tam honestum finem qualis est bonum commune, licebit occidere Innocentem in tanta necessitate. Sed hæc ratio parum vrget nam occidere innocētem auctoritate eius, qui est dominus vitæ, & mortis, neque est intrinsecè malum, neque malum at fornicari, mentiri, &c. ita sunt intrinsecè mala, vt nulli, liceat similiter occidi innocentem ab alio quam à Deo, vel sine pręcepto ipsius ita est intrinsecè malum, vt à nullo vlla ratione, vel sine posse fieri.

Tertio, certum est apud omnes saltem ex charitate, qua bonum commune pręferendum est cuius particulari, teneri innocentem ad tradendum se ipsum illi tyranno, vt liberet suam Remp. sicut dixit Ionas c. 1. Propter me orta est hæc tempestas mitti te me in mare, & cessabit vobis.

Vltimo certum etiam est posse Rempu. condere legem, vt quoties cunque talis necessitas se obtulerit, debeat innocens ad liberandam Rempu. & pro bono communi tradere se tyrāno, & imponere pœnam capitis transgredienti talem legem, sicut Dux in bello iusto potest constituere legem, ut hic uel ille miles maneat in tali atrio, in quo mors certissimo, imminet, quando ita exigit bonum commūne exercitus, & imponere pænam capitis transgrediēti illam legem. Et probatur, quia Respon. habet auctoritatem ad condendas leges, quæ respiciant bonum commune, & in quibus præcipiatur ciuibus quę sunt licita, & honesta, huiusmodi autē lex respicit maximè bonum commune, & patriæ liberationem, pręcipiturque in ipsa innocenti non modo res licita, & honesta, uerum etiam ad quam innocens in tali casu tenetur saltem ex pręcepto charitatis. In his quatuor omnes conueniunt, & auctores vtriusque opinionis.

His positis dico utramque opinionem posse defendi ut probabilem sed nihilominus vtramque sua reprehensione dignā esse, quia ex doctrina D. Tho. in duobus tantum casibus licet aliquem occidere, uel tradere occidendum aut per se, aut per accidens, per se perturbantem bonum commune, per accidens ad sui defensionem, extra quos nullo modo licet, in casu autem de quo loquimur nil horum habet locum, quia neque innocens perturbat Remp. sed malitia illius tyranni, qui eum odio haber, quæ non est imputanda huic ad culpam, cum sit innocens, neque per accidens, cū ipse innocens non inuadat Rem p. sed tyrannus ille. Tum secundò, quia tradere innocentem tyranno certo occidendum idem est omnino, quod illum condemnare innocentem autem re, & iure nullo modo licet condemnare ad mortem, vnde reuera negari non potest, quin fiat ei iniuria Respu. enim pōt quidē vti bonis ciuium in suum commodum, quia tunc est illorum domina, sicut ob bonum commune potest transferre dominia, uitam autem eorum vbi nulla culpa est, non potest vti in suum commodū, cum ipsa nō sit domina vitæ, & mortis ciuium, sed solus Deus, præterquam in bello iusto opinio quoque Soti non caret sua animaduersione, quia negare illam similitudinem partis naturalis ad totum cum parte politica ad bonum commune Reip. est infirmare omnes rationes, quas habet hic D. Tho. quæ nituntur huic similitudini, & est expressè cōtra D. Thom. supra. q. 6a. ar. 3. & 12. q. 90. art. 5. imò D. Pau. & sancti patres ex his quæ natura cōstituit in partibus, & toto, colligunt quid iudicādum sit de ciuibus in ordine ad Rep. Et vtor ratione, etiā si demus partem polyticam habere suum distinctum, est nihilominus præferendum ipsi bonum commune, estque exponenda pro bono communi, quemadmodum aqua, & si habeat suum esse proprium, & distinctum ab esse totius vniuersi, nihilominus propter bonum totius uniuersi, ne detur vacuum, relicta sua inclinatione, & motu sibi naturali, & proprio ascendit, quæ inclinatio naturalis in omnibus rebus necessariò constituenda est.

Vnde dico sicut Resp. non potest ad leuandas necessitates extremas, uel graues, quæ cedunt in damnum commune, accipere bona diuitum, sed solum potest præcipere, vt ipsimet diuites exhibeant, quod si non fecerint, tunc ut rebelles præcepto iusto, & quod respiciebat bonum cōmune, potest in pœnam suæ crudelitatis, & inobedientiæ ab eorum domibus pecunias, & bona accipere & succurrere indigentibus, ita in hoc casu, de quo quærimus, non potest potestas publica occidere illum innocentem, quia neque est malefactor, neque inuasor, neque simpliciter, & absolutè tradere tyranno, quia neque potest illum offerre morti sine ulla culpa, sed cum ipse nocens teneatur ex præcepto charitatis, imò, & iustitia legali præferre bonum commune propriæ uitæ, & tradere se ipsum in eo casu ad liberandam patriam, potest, & debet hoc illi præcipere, quod si nō obedierit, tūc ut reum iam, & inobedientē iusto præcepto poterit eum tradere tyranno. Hac uia euadimus omnia illa incommoda opinionum Victoriæ, & Soti, & offerimus gubernatoribus locorum viam extra omnem

voluut tradere se ipsum solum esse se ipsum exponere, quod licet pro bono communi, sicut natura docet exponere partem pro toto. Nos vero respōdemus iuxta nostram sententiam idem esse, in hoc casu tradere, quem certo scimus statim occidendum, & occidere, & vtrumque esse illicitum Reip. attamē cum ipse teneatur, se occidere, quod concedunt ipsemet Soto, & omnes potest Resp. illum compellere, vt præstet ad id quod tenetur in tanta necessitate, & nisi faciat, punire illum vt reū.

Ad secundum respondens Victo. & sui Rempu. sicut habet potestatem per se ad exponendum ciuem pro bono communi in necessitate per se, ita quoque habere potestatem per accidens exponendi illum pro bono commui in necessitate extrinseca, & per accidens, qualis est hæc, maximè cum in casu præsenti licet innocens non fuerit causa huius mali, quod imminet ciuitati, fuit tamen occasio, & ideo tollendus e medio, vt cesset tempestas. Sed hæc solutio patitur calumniam, quia nullus negat Remp. posse illum expone modo licito, vt in bello iusto, tradere autem non est medium sicut Dux non tradit milites occidendos, quamuis exponat illos pro bono communi sui exercitus, quando haze trinchea dellos, Nos ergo secundum nostram respondeamus Remp. non posse vti isto medio tradendi innocentem non quia non sit medium ordinarium per se, sed quia est illicitum tradere morti, quem omni culpa scis carere etenim si licitum esset, etiamsi non sit ordinatum per se, possent gubernatores, imò, & tenerentur illo vti, quando esset omnino necessarium quocunque necessitatis genere, in moralibus enim, vt quis obligetur ad aliquod medium, sat est teneri illum ad finem, & medium esse necessariū ac licitum, ideo diues non tenetur dare 100. aureos latroni, vt liberet viatorem, quia non tenetur simpliciter ad defensionem viatoris nec, ex officio, sed sola ex charitate, quæ non obligat cum tanto detrimento, at gubernatores tenentur simpliciter ex officio liberate qnacumque via suam Remp. & quocumque medio necessario, modo licitum sit, nec tenetur inquirere, sit ne per se ordinatum vel non, differūt quoque ista, quia viatoris salus, quando latro aggreditur non est bonum commune, hic vero agitur de bono communi, quod quacumque uia licita tenentur gubernatores tueri.

Ad tertium patet solutio ex dictis, nam quamuis pars politica habet suam esse distinctum, tenetur nihilominus exponere suum esse pro esse totius, potest ad id compelli, quemadmodum diximus de partibus huius vniuersi & aquaque, licèt grauis sit, ascendit pro bouo cōi, ne detur vacuū.

Ad quartum, & vltimum respondeo falsum esse, innocentem in eo casu ex sola charitate teneri ad se tradendum, probatum enim est teneri etiam ex iustitia legali, imo etiam si non teneretur, nisi ex sola charitate, cum talis actus charitatis sit tunc necessarius bono communi, cuius gubernatores custodes sunt, ex officio, possent compellere illum ad talem actum, sicut diximus iudicem posse compellere illum ad talem actum, sicut diximus iudicem posse compellere diuites ad dandas eleemosynas in grauibus etiam necessitatibus, quæ vergunt in damnum commune. quia potestas publica, & iustitia legalis omnes actus aliarum virtutum ordinant ad bonum, cōmune, quando est necessarium. Ad confirmationem dicet vtraque necessitas sit extrema tam istius innocentis, quàm Reip. debere nihilominus se ipsum tradere, quia illa regula, Patiens extremam necessitatem non tenetur subuenire similem patienti, intelligitur cæteris paribus, & inter personas priuatas, at quando una necessitas est publica, & alia priuata, sicut bonum commune præferendum est particulari, ita communis necessitas extrema priuatæ, etiam extremæ, nam & pro persona publica, cuius vita Reip. necessaria sit, exponenda est vita à quouis priuato.

ARTICVLVS VII.

An liceat occidere inuasorem defendendo se ipsum.

VT quæstioni huic satisfaciat D. Th. duo statuit. Primū est, ut sicut in omni actu possunt reperiri duo effectus, vnius intentus ab agente, alius præter intentionem agentis: vt dum quis fodiēs terrā ad plantandam inuenit thesauū huius actus sunt duo effectus, vnus præcipuus, & intentus à fodiente, nempè plantare vineam, à quo actus ille, sicut quiuis moralis, suscipit speciem, & rationem, vnde fodientem ad plantandā vineam dicimus plantare vineam alius verò nempè inuentio thesauri præter eius intentionem, à quo non suscipit actus ille speciem, non enim sic fodiens dicitur quæsisse thesaurum, sed casu inuenisset ita in actu, & bello priuato, quo quis se defendit ab inuasore sunt duo effectus, unus præcipuus, & intentus à defendente, nempè, conseruatio vitæ, à quo hic actus suscipit speciem, & denominationem, cum hic sit finis totalis illius defensionis, alius verò occisio inuasoris, quem non intendit defensor, sed consequitur actum illum, & bellum defensiuum.

Statuit, secundò, sicut aliæ actiones secundum se licitæ, & honestæ possunt vitiari vel ex circumstantia, vel per aliquem excessum, aut defectum ita, & defensionem sui, quam ius naturale omnibus animalibus concessit, posse vitiari aut ex circumstantia alicuius malæ intentionis admixtæ, vt in eo qui gauderet se inuadi ab inimico suo, vt ita posset defendendo se ipsum illū occidere, & vindicare se de illo, vel si vtatur excessu, vt qui sine vrgenti necessitate occideret inuasorem, aut vteretur maiori violentia, quam exigitur ad se tuendum, quia tunc non esset propriè vim vi repellere, sed potius vim inferre, quod non licet: tueri autem se cum debitis circumstantijs vtpotè exercendo bellum defensiuum contra inuasorem sine vllo liuore vindictæ, sed solo animo conseruandi vitam, & necessitate exigente, quia aliter illā tueri non valet, ac sine vllo excessu violentiæ, sed ea tantum, quæ ad vim repellendam tunc necessaria est, vocatur moderamen inculpatæ tutelæ.

CONCLVSIO I.

Non licet inuasorem, nisi necessitate omnino exigente, ita vt aliter vita conseruari non possit idque sine vllo liuore vindictæ, sed solo fine conseruandi vitam.

PRior pars perspicua est, negat enim recta ratio inuasorem occidere non existente tali necessitate, & ita esset homicidium. *Secundò*, homo non pōt occidi nisi aut per se, aut per accidēs: sed inuasor non potest occidi per se vt malefactor, quia hoc tantum pertinet ad potestatem publicā, neque per accidens in sui defensionem, cum non sit talis necessitas, ergo. Denique ius naturale,

quo licet vim vi repellere, non concedit hanc facultatem, nisi quando vis illata aliter repelli non potest, quam per similem vim.

Secunda pars constat, quia actus exterior sequitur bonitatem, vel malitiam interioris, & cum appetere vindictam sit peccatum mortale, occidere inuasorem ex appetitu vindictæ, etiam si fiat at in sui defensionem, est mortale: in quo sensu dixit B. Pau. Rom. 12. Nō vos defendentes charissimi, sed date locum iræ, id est ne vos defendatis ex ira, & liuore.

CONCLVSIO II.

Necessitate exigente licet occidere aggressorem, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ.

PRobatur, cum actus morales, & humani sumant speciem, & denominationem à fine, si finis est licitus, actus quoque licitus est secundum, se, nisi ex circumstantia vitietur: bellum defensiuum, quo occiditur inuasor ab inuaso necessitate exigente, habet propriè, & directè pro priam vitam tueri, quod adeo licet, vt omnibus animalibus illud natura concedat, quod autem occidatur inuasor, est præter intentionem defendentis: nec vitiatur ex circumstantia, constituimus enim fieri cum debitis circumstantijs, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergo est licitus actus iste.

Secundò, si occisio, de qua hæc secunda conclusio, esset illicita, maximè, quia priuatur proximos vita sua, sed vnusquisque in necessitate extrema, potius tenetur prouidere vitæ suæ, & illam tueri quàm alienam, ergo potest inuasus cum damno vitæ inuasoris propriam tueri, cum ab ipso sit in ea necessitate constitutus, sicut iure naturæ potior est ratio patientis iniuriam, quàm inferentis.

CONCLVSIO III.

Personæ priuatæ non licet occidere inuasorem ex intentione, sed id solum licet potestati publicæ.

ID est priuatus homo aggressus, quando occidit inuasorem, non potest habere animum, neque intentionem aliquam occidendi inuasorem, sed solum nudum animum tuendi se. persona autem publica, vt iudex, si illum aggrediatur reus, vel miles in bello iusto, si illum aggrediatur aduersarius, potest defendendo se ita illum occidere, vt non solum habeat animum defendendi se, verum etiam occidendi illum non ex odio, vel liuore vindictæ, sed vt malefactorem, & aduersarium. Probatur conclusio. Habere animum, & intentionem occidendi est occidere per se, occidere autem per se, non licet nisi propter bonum commune, & personæ publicæ, ergo soli personæ publicæ licet occidere aggressorem non solum animo defendendi se, verum animo, & intentione occidendi: personæ verò priuatæ licebit occidere aggressorem solo animo defendendi se, quia non potest occidere, nisi per accidens, occidere autem per accidens dicit solum defensionem, & tutelam sui.

CONTROVERSIA I.

AN LICEAT OCCIDERE inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

CIrca hunc articulum illud in primis se offert. An interficere liceat aggressorem cum debito moderamine. Abulen. in cap. 11. Iosue, quæstio. 11. habet non solum licere occidere aggressorem ad defendendam vitam cum isto moderamine, verum etiam teneri vnumquemq; ad id, ita vt si aggressus aliter faciat, debeat iudicari hostis sui ipsius, & peccasse mortaliter.

Primò, quia ordo charitatis in re graui obligat sub mortali, ordine autem charitatis tenemur pro priam vitam præferre alienæ: vnde D. Thom. ait hic, quod tenetur homo magis vitæ suæ prouidere, quam alienę.

Secundò, ius naturale, & lex charitatis similiter, & eodem modo pertinent ad omnes, si quis principem vel personam publicam aggrederetur, persona publica non solum potest, verum etiam tenetur se ipsam defendere, & cum illius aggressoris occisione, quando potest se tueri, ergo similiter tenebitur quiuis alius.

Tertiò, tenetur vnus quisquę per media licita conseruare vitam suam, sed est medium licitum, & per se ordinatum ad illam tuēdam occidere aggressorem cum tali moderamine, ergo tenetur aggressus in tali casu illum occidere.

Quartò, si liceret aggresso non defendere se ipsum, id certè esset propter periculum spirituale alterius, quia occidendo tunc illum damnabitur, ac incertum est illum saluandum, etiamsi maneat superstes, non ergo licebit aggresso non defendere se ipsum.

Eandem sententiam repetit, quamuis paulò mitius etiam ferè accedentem ad secundam conclus. D. Th. in c. 5. Matth. q. 109.

Oppositum habent Gerson tractatu de Eucharistia, Augustinus de Ancona opusculo 1. de auctoritate Ecclesiæ q. 52. art. 3. Ricard. de Sancto Vict. opusc. de charitate, Almayn. in eadem materia, Erasmus in annotationi. noui testamen. illa verba Matth. 5. Ego autem dico vobis non resistere malo: & in illud Luc. 22. Cōuerte gladium tuum, &c. Et ex Iuristis Accursius, & Glossa super l. Vim vi ff. de Iustitia, Et Iure, docent hi non licere occidere aggressorem neque cum moderamine posito à nobis.

Probant primò ex D. August. qui lib. 1. de libero arbitr. cap. 5. ait. Qui occidunt, ne ipsi occidantur, quomodo impolluti esse queant, non uideo. Et infra. Quomodo apud diuinā prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro ijs rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?] Vocat autem res, quas contemni oportet, temporales, inter quas connumeratur etiam vita. Adducitque ibi D. Aug. contra se leges oppositum docentes, & respō det illas esse permissiuas. Et in epist. ad Publicolam ait: [Consilium de occidendis hominibus, ne ipsi occidantur, non placet.]

Secundò ex lege, & præcepto charitatis magis tenemur in casu necessitatis vitam diligere spiritualem proximi, quam nostram corporalē, quia vita spiritualis est perfectior, & finis, ad quē omnia tēporalia destinantur, at aggressor est in extrema,

&

& summa necessitate spirituali animæ, quia si tunc occidatur, discedet apertè in peccato, & peribit in æternum, ergo ne pereat, exponenda est tunc vita corporalis ab aggresso. Et confirmatur, quia eodem præcepto charitatis tenetur vnusquisque ponere vitam corporalē propriam pro spirituali fratris, quando peccat ille ex ignorantia, vel ex infirmitate, & passione, sed communiter aggressor peccat ex passione, ergo.

Quod si dixeris, posse in hoc casu aggressum occidere suum aggressorem, & cum periculo aperto damnationis æternæ, quia ipsemet aggressor constituit se in eo discrimine culpa sua, hæc ratio non valet, quia hoc modo nunquam teneretur aliquis exponere vitam corporalem pro proximo existente in necessitate spirituali, quod est falsum, vt constat ex disputatione de charitate. Consequentia verò patet, quia nunquam proximus est in necessitate spirituali, nisi culpa sua, cum omnis necessitas spiritualis sit ratione alicuius peccati, peccatum autem omne voluntarium sit.

Tertiò ex D. Thom. supra quæstio. 26. articu. 4. ad 2. tenetur homo pati detrimentum in temporalibus propter amicum, id est proximum, inter tem poralia verò computatur vita, ergo tenetur illam exponere, pro proximo, saltem in hoc casu, ne pereat in æternum.

Quartò si liceret occidere ad se defendendum, liceret occidere ex intentione, quod est apertè contra D. Thom. consequentiam vero probo, quod licet facere licet & velle, licet per te occidere inuasorem, ergo licet etiam velle eius mortem, quod est occidere ex intentione.

Quintò ex opposita sententia sequitur, vt si vir inueniat adulterum cum vxore, velitque illos punire inflicto vulnere, quod leges concedunt viris, possit adulter præter iniuriam, quam infert viro, occidere quoque illum ad se defendendum. Similiter si lacessitus conuitijs, & iniurijs velit iniuriam tem percutere, vel ei necē inferre propter illa conuitia, poterit conuitiator defendendo se occidere iniurijs affectum, & lacessitum, hoc autem videtur alienum à ratione, vt qui dedit adeò grauem occasionem, & causam aggressori possit illum occidere in sui defensionem.

Sexto, licet pro defensione vitæ occidere aggressorem, licebit & pro defensione eorum, quæ ad hanc vitam transigendam sunt necessaria, quia accessorium sequitur naturam, (vt dicunt) sui principalis, sunt autem diuitiæ, & honor maximè necessaria ad honestè, & decenter transigendam hanc vitam, ergo licebit occidere aggredientem bona nostra, vel honorem nostrum, quod videtur manifestè repugnare ordini charitatis, secundum quem præstat vita spiritualis proximi nostræ corporali, & corporalis proximi nostris bonis temporalibus.

Et confirmatur, quia non videtur seruari moderamen inculpatæ tutelæ, vt pro bonis, & honore occidatur frater, & pro damno temporali nostro noceamus ei in vita, & anima: nam certè non æquatur in hoc casu vna necessitas alteri, quod exigit moderamen inculpatæ tutelæ.

Tertia opinio est D. Nauar. c. 25. Manu. num. 7. & cap. fin. 14. quæst. 6. num. 15. vbi citat pro se D. Antoninum 3. par. titu. 5. cap. 8. §. 1. volunt hi distinguendum esse ita de aggresso, vt vel dabat operam rei licitæ, nec obtulit culpa sua occasionem aggressori, aut dabat operam rei illicitæ, & sua culpa occasionem illam aggressori obtulit. Prior ille, inquiunt, cum sine culpa sua ipsum alter aggrediatur, potest occidere aggressorem in sui defensionem, vt docent argumenta D. Thom. posterior verò, vt adulter deprehensus à viro, vel qui conuitijs alium prouocat ad iram, cum sua culpa eam occasionem dederit aggressori, non potest eum occidere, sed tueri se quantum valebit sine occisione aggressoris, qui occasione accepta, & prouocatus ab illo eum aggreditur.

Sed propter hæc non est recedendum à doctrina Diui Thomæ.

CONCLVSIO I.
contra Abulen.

Potest qui patitur vim, & inuaditur non se defendere.

Patet primò, exemplo Christi, qui cum potuerit se defendere ab occisoribus, noluit, sed voluit pati mortē. Et Apostolos misit, vt oues in medio luporum, qui licèt possent nō tamen se defenderent. 2. Matth. 5. habetur apertè maximè in illis verbis. [Ego autem dico vobis non resistere malo] & in illis. [Esto consentiens aduersario tuo,] interprætantur multi ex Sanctis Patribus. Esto aduersario tuo beneficus, & beneuolus neque illi noceas, etsi ipse tibi noceat. Rom. 14. [Non reddentes malum pro malo.]

Tertiò actus virtutum sunt boni, & liciti, fortitudinis autem sunt hi duo actus aggredi aduersarios pro bono communi, & sustinere, ac pati damna ad aduersarijs illata sine resistentia.

Quartò, ordo charitatis tantum exigit, vt spiritualia propria anteponamus spiritualibus alienis: maxima enim illa: Ordo charitatis incipit à se ipso, intelligitur in spiritualibus: in temporalibus enim licet postponere temporalia propria alienis, imò est actus charitatis, & supererogationis tueri bona aliena, cum detrimento meorum, nisi mea temporalia necessaria sint, vel bono communi, vel meæ familiæ, inter temporalia autem connumeratur vita, ergo.

Vnde ad maiorem intelligentiam huius conclusionis, quod benè obseruat his Soto, distinguēdum est de aggressoribus, & aggressis, nam si aggressus sit persona publica, vel necessariò bono cō muni, aggressor autem nequaquam, tenetur tunc aggressus omnino se defendere, & aggressorē occidere, si aliter non valeat se tueri, quia licet possit vnusquisq; renunciare iuri suo, non aūt necessitati boni cōis, & iuri, quod in ipsum habet Respub. Contra verò, si aggressus sit persona priuata, & aggressor publica, & necessaria bono communi, non potest aggressus occidere aggressorem, sed debet pati mortem, tanquam pro bono communi, pro quo omni iure tenetur exponere vitam: quod si æquales sint, ac eiusdem ordinis, nec vnus magis necessarius bono communi, quàm alter potest aggressus tuendo seipsum occidere aggressorem eo iure naturæ, quo licet vim vi repellere, quod si nolit vti isto iure, potest permittere se occidi, cum liceat vnicuique cędere iuri suo.

Ex quo etiam sit posse aggressum, etsi persona priuata sit, aggressorem suum, quamuis personam publicam, occidere, si aggressor ille non sit necessarius Reip. quia non debet aggressus cædere iuri, quod habet à natura tuēdi se, nisi pro bono cōi, qđ in hoc casu non habet locum, cum hic aggressor,

vt supponimus, non sit necessarius bono communi.

Ex his soluuntur facilè argumenta Abulensis. Primum, nullam habet vim, quia ordine charitatis tenetur quidem vitam spiritualem propriam cuiuis alienæ præferre, corporalem verò, nequaquam cum maxima illa: Ordine charitatis præferenda esse propria alienis, in spiritualibus tantum intelligenda sit, non in temporalibus.

Ad secundum similiter patet solutio, Principē & personam necessariam Reipub. debere se defendere, non quia ius naturale omnes ad id obliget, cum iuri, quod vnusquisque à natura habet tuendi se, possit cedere ex honesto aliquo fine, sed ratione boni communis, quod omnibus præferendum est, & cui nullo modo potest renuntiare.

Ad tertium neganda est maior, constat enim, cum præceptum tuendi vitam sit affirmatiuum, obligare pro semper, nec teneri homines ad illam tuendam in omni euentu, sed posse illam exponere, & quando illam tueri possunt, vt in martyrio, quod martyr poterat euadere.

Ad quartum respōdeo, aggressum, qui permitteret se occidi, ne aggressor discederet in illo statu peccati, sufficienter cōcedere alteri locum pœnitentiæ, & salutis, quod si alter non conuertatur, ipsi imputandum esse. Addo in casu, quo permitterem me occidi ab inuasore, tunc me non diligere vitam alterius, magis quàm meam, sed me ipsum potius diligere, cum eligam mori pro bono virtutis charitatis, quod mihi simpliciter vtilius est, quàm ipsa vita.

CONCLVSIO II.

Licet vnicuique, quando aliter se ab aggressore tueri non potest, illum occidere, etiam si aggressus daret operam rei illicitæ.

PRior pars huius conclusionis habetur apertissimè in vtroque iure, In ciuili l. 1. ff. de vi, & vi armata. l. vt vim. ff. de iustit. & iur. Vbi dicitur: Iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. L. iniuriarum. ff. de iniur. l. sed etsi. ff. ad legem Aquiliam. Vbi expressè habetur. [Qui alium ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse. [Et ratio harum legum est, quia qui vtitur iure suo, nemini infert iniuriam, qui autem occidit inuasorem, à quo aliter se liberare non potest, vtitur iure, quod habet à natura conseruandi vitam propriam, & vim vi repellendi. In iure etiam canonico. dist. 1. can. Ius naturale. Extra de homicidio, c. significasti, el secondo, Extra de sententia excommunicationis, c. si verò. el primero. Vbi dicitur: Vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittunt. Cicero in oratione pro Milone ait: Hæc lex non facta, sed innata est, nō eam suscepimus, sed à natura arripimus. Et ita est ius omnium gentium, & nationum recta ratione dictante receptum, vt vim vi quisque ad se, vitamque se tuendam repellat.

Vnde opposita sententia est forsan temeraria, tot textibus & communi omnium ferè Doctorum placitis repugnans, vtor iam ratione. Lex Dei cōsona rationi est, & iugum suaue, recta autem ratio dictat, vt cum vnus patitur iniuriam ab alio, si alter eorum debeat necessariò perire, pereat ille, qui infert, quia iure naturæ potior est ratio patientis iniuriam, quàm inferentis, in hoc autem casu aggressus patitur iniuriam ab aggressore, ergo.

Et confirmatur, quia esset intolerabile, & acerbum, vt vitam rem adeò preciosam propter malitiam alterius inuadētis me, deberem ego amittere, vt ipse viueret: Quando agitur causa fidei, vt si tyrānus inuadat me, vt fidelem, tunc pro fide moriendum est, at quando hostis ex sua sola malitia me aggreditur, non teneor, vt ipse viuat, ego perire, quia tunc non agitur de fide, sed de tuenda tantum vita.

Tertiò, si non liceret in hoc casu vim vi repellere, periret tota Respub. iniqui enim, & scelerati homines scientes non licere viris iustis, & timenti bus Deum se defendere cum occisione aggressoris, securè eos aggrederentur, & occiderent: sicut 1. Mach. 2. [Pagani videntes Iudęos ob reuerentiā Sabbathi nolle pugnare, ac se defendere in Sabbathis, occidebant eos aggredientes eos in Sabbathis, quod videntes duces, & sacerdotes inito Concilio decreuerunt etiam in Sabbathis pugnare. Hæc conclusio intelligenda quoque est de clericis, & religiosis, quia priuilegio naturali propriæ defensionis, & vim vi repellendi omnes homines gaudēt cuiuscunque status, & ordinis sint, nec eo aliqua lege humana expolientur, vt docet hīc D. Tho. ad 3. An autem incurrant irregularitatem videbitur articulo sequenti.

Secunda pars huius conclusionis, etiam si inuasus dederit operam rei illicitæ, & occasionem obtulerit inuasori, est contra Azpilquetam. Et probatur. Qui iniquè ab alio inuaditur, potest iure naturæ ad se defendendum inuadentē occidere, sed quando quis dat operam rei illicitæ, & cum iniuria alterius, vt adulter, vel contumelijs proximum afficiens, licèt peccet grauiter, & ratione delicti, quod committit, & ratione illius occasionis, quam obtulit, nihilominus, qui illa iniuria, vel contumelia afficitur, non acquisiuit ius per peccatum alterius ad eum occidēdum sua priuata authoritate, sed solum hēt ius ad repellendam illam iniuriam, & contumeliam ordine iuris. Vnde iniquè illum peccatorem aggreditur, ergo licèt huic sic aggressio etsi peccauerit, & occasionem dederit, vim vi repellere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ suum aggressorem interimere.

Secundò, licèt quis sua malitia constitutus sit in extrema necessitate, existenti tamen verè in ea teneor, quantum possum, subuenire: sed in hoc casu, licèt is, qui dabat operam rei illicitæ sua malitia sit constitutus in ea necessitate, & discrimine dando alteri occasionem, quamprimum autem alter eum aggreditur, existit in vera necessitate, ergo potest sibi, quantum valebit, subuenire, ac si ab illo non potest aliter se eripere, poterit occidere aggressorem suum.

Tertiò, propterea quod dederit occasionem, & operam rei illicitæ, non desinit, quando constitutus est in aperto periculo vitæ ab aggressore, appetere sui conseruationem, & ad eam vim vi repellere, habere talem appetitū est naturale, & bonum qui autem agit iuxta talem appetitum, licitè agit, ergo. Et confirmatur, quia in illo discrimine constitutus non tenetur minus sibi prospicere, ac prouidere, quàm aggressori; Vnde iura, quæ concedunt licere vim vi repellere, non distinguunt, fuerit ne aggressus in causa, vel non fuerit, dederit ne occasionem, vel non dederit, sed indifferenter, & in vniuersum loquuntur, & vbi lex non distinguit, vt ait Innoc. de Regulis iuris, neque nos distinguere debemus.

CON-

CONCLVSIO III.

Vt liceat inuasorem occidere, requiruntur hæ quatuor conditiones.

Prima, vt aggressio sit vera aggressio, & per vim, quia ius naturale tantũ concedit uim vi repellere. Vnde si iudex per iniquũ processum, vel falsi testes per calumniam me vita expoliare conentur, non possum eos occidere, quia iniquitas istorum est quidem calumnia, non autem vis, & vera aggressio: a calumnia autem nemo potest se defendere per vim, sed per cõtrarios testes, & ordine iuris, quod si id nequeat ferat patienter mortem, sicut innocens, qui condẽnatur, vt nocens secundum allegata, & probata. Et ratio est, quia si in his casibus liceret, iniquum indicem, vel falsos testes per vim repellere, & proprias iniurias vindicare, perturbaretur maximè Respu. cum omnes iudices, & asserant, etiamsi iustè puniãtur se iniquè opprimi, & per calumnias.

Secunda conditio est, vt sit vera, & actualis defensio, propulsatioque vis illatæ, non præuentio: si quis enim eo, quod suspicetur alium ad se occidendum accedere, illum prius occidat, peccat grauissimè, & committit homicidium, quia talis occisio nõ est verè defensio, & propulsatio iniuriæ, sed præuentio.

Vnde in his est opus maxima prudentia, sicut diximus de muliere inueniente pugionẽ in lecto sub puluinari viri, prudenterque indicandum est, sit ne verè actualis aggressio, nam credita tãtum, uel suspecta non sufficit.

Vbi offert se dubium, quod affert hic Soto. Existat quis reclusus in aliquo oppidulo, vel domo, vi deatque inimicum expectare exitum ipsius, ut eũ interimat, licebit ne huic obsesso, antequam inimicus enim actu aggrediatur, interimere illum, ac prænenire? Videtur enim id licere, quia in hoc casu sic obsessus nulla alia via potest vitam suam tueri.

Respondet Soto in hoc casu, occisionem huius inimici, si sit defensio, esse licitã, si verò sit præuentio, non esse licitam.

Sed hæc solutio non tollit difficultatem, nam nemo dubitat præuentionem illicitam esse, solamq; defensionem licere: quod autem quærimus est: An sit defensio, vel præuentio. Affirmant quidam esse licitam, quia qui ex hypothesi huic sic obsesso nulla alia via manet ad vitam tuendam, & cum uiolẽtia illa sit iam actu parata, debet talis occisio iudicari defensio, & propulsatio iniurię. Addit Soto nõ posse certa lege definiri, sed arbitrio prudentis cõfessarij esse relinquendum, qui pensatis omnib. circunstantijs iudicabit prudenter, fuerit ne præuentio, an defensio, & propulsatio iniuriæ. Res hæc periculosa est, probabiliusque iudicarem, numquam licere præuenire inimicum quantumuis paratum, donec actu inuadat, & aggrediatur.

Primò, quia mille vijs potest animus illius mutari, & periculum illud quãtumuis imminẽs cessare.

Secundò, quia iure naturæ solum licet vim vi repellere, quod ab omnibus Doctoribus intelligitur in actuale conflictu, qui vero præuenit inimicum, quantumuis paratum, nondum patitur uim, neque adhuc est in reali conflictu. Et confirmatur ex illo c. si verò extra de sent. exc. vbi dicitur: Si incontinẽti vim repellat. Denique qui vim vi repellit, quod concedit ius naturæ, nullo vtitur genere insidiarũ, qui vero præuenit inimicum, quantumuis paratum extra actualem conflictum, omnium iudicio dicetur, si illum occidat, occidisse per insidias.

Vnde sit tertia conditio, vt occisio aggressoris fiat in ipso actu aggressionis, & defensionis, & non postea interueniente aliquo interuallo, & postquã cessauit aggressio, vt definitum est in illo ca. significasti. de homicid. Vnde sequitur, ut si aggressor sentiens se deficere viribus desistat, vel fugiat, uel durante rixa dicat quacunque de causa, ut desistant, nec se velle amplius rixari, non potest tũc aggressus illum occidere, qui cessauit iam uiolentia, nec est tũc necessaria talis occisio ad propriam defensionem, nec potest eum occidere propter illatam violentiam, quia hoc iam nõ est defensio, quæ licet, sed punitio, quæ ad solum iudicem pertinet. Sequitur secundo, percussum ab aggressore cessante actu illo aggressionis non posse eum repercutere, quamuis poterat, quamdiu durauit uiolentia, quia hac cessante iam non est defensio, sed potius vindicta damni accepti.

Quarta conditio est, vt defensio sit moderata, & nil excedat eorum, quæ requiruntur ad necessariam defensionem, quæ vocatur inculpata tutela, in quibus est maximè utendum legibus prudẽtiæ. Hæc conditio habetur in illo cap. significasti. & in c. olim, de restit, spoliat. Diximus autem non debere excedere mudũ iuxta regulas prudẽtiæ, quia si aggressus potest commodè fugere, aut clamare, & implorare auxilium, debet, quod si dum hęc cõsiderat, possit ne fugere, vel clamare, videat se exponi graui periculo inuasore illum opprimente, non est, quod in his considerandis se occupet, sed vt se eum occisione etiã inuasoris defendat, quia semper est melior ratio patientis iniuriam.

Nunc ad argumenta in oppositum pro secunda opinione.

Ad primum ex verbis D. August. sumptum. Respondeo D. Augu. in illis locis, vt ex contextu orationis apparet, loqui de eo, qui ex intentione occidit inuasorem, quod diximus non licere priuatæ personæ. sic exponit D. Aug. & D. Thom. hic ad primum.

Ad secundum respondeo, teneri nos ad exponẽdam vitam nostram corporalem pro fratre existẽte in vera, & absoluta necessitate spirituali, vt si videam mulierem volentem recedere a fornicatione non posse, nisi me opem illi ferente, aut aliquem decipi ab hæretico, nec posse illũ ab ea deceptione liberari, nisi mea doctrina, tunc teneor etiam cum periculo vitæ mulierem illam iuuare, vt recedat a fornicario, & simplicem illum docere, ne ab hæretico decipiatur, in hoc autem casu iste aggressor non est in extrema necessitate spirituali absolutè, sed voluntariè, & ex malitia sua, desistendo enim ab aggressione, quod est in facultate eius, cessabit omnino illa necessitas, existenti autem in extrema necessitate spirituali voluntariè, & ex malitia sua ego non teneor subuenire, cum damno meo, vt si quis dicat suspendam me, nisi dẽtur mihi centum aurei, non teneor dare, ne se suspendat quia illa propriè non est necessitas, sed malitia, & iniquitas illius, aliter daretur occasio iniquis hominibus perpetrandi multa peccata, & nocendi proximis, ac rapiendi bona aliena sub hoc prætextu, vt liberarentur a necessitate spirituali, in qua seipsos sua iniquitate constituerent.

Ad confirmationẽ dico, debere nos ponere animas nostras pro fratrib. vt a necessitate spirituali liberẽtur, quãdo peccãt ex ignorãtia, vel passione simpliciter, ita ut sit illa vera ignorãtia, vel passio,

non autem voluntaria, & ex malitia, aut iniquitate ipsorum, vt in hoc casu, in quo aggressor, licet agat ex iracundia, agit tamen ex malitia, & iniquitate sua, cum ipse fratrem suum voluntariè aggrediatur, & iniquè: quamuis prouocatus conuitio aliquo, vel iniuria, cum ex peccato alterius non acquirat ipse ius ad illum occidendum propria authoritate. Ad instantiam, quæ deinde fit, similis est solutio, quamuis enim quicunque peccat, peccet ex malitia sua, nec reperiatur communiter necessitas spiritualis sine cõsensu propriæ voluntatis, cum omne peccatum sit voluntarium, & omnis necessitas spiritualis sit per peccatum, nihilominus datur necessitas spiritualis sine malitia existentis in ea, vt in paruulo, quem vellet quis occidere sine baptismo, & in muliere, cui obstat fornicarius, ne conuertatur, & in simplici, quem hæreticus dolo decipit, & pro huiusmodi necessitate spirituali fratrum debemus animas nostras ponere, quia est medium ordinatum ad liberandos eos ab ea necessitate, ad libertandum verò aggressorem, aut alium ex voluntaria iniquitate, & malitia peccantem, & in necessitate spirituali se constituentem, à qua liberè potest se exuere, si velit, non est medium ordinatum ponere animas nostras, aut aliquod damnum pro huiusmodi pati, sed propria eorum resipiscentia, cum sit eis adeò libera.

Eodem modo soluitur tertium D. Tho. non decere pro amico, aut proximo existente in extrema necessitate voluntaria, & ex iniquitate sua, à qua liberè potest se eximere, debere nos pati detrimenta aliqua, neque in corpore, neque in diuitijs, sed pro amico, aut proximo existente in necessitate simpliciter, & absolutè, à qua aliter liberari non potest.

Ad quartum respondeo, occidentem fratrem ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ non occidere illum ex intentione, neque vt statim dicemus contra Sotum cum Caiet. eligere illam occisionem, vt medium, sed solum eligere illam, vt effectum subsequutum ex propria defensione, quam tantum intendit.

Ad quintum constat ex dictis, aggressum posse defendere se, etiam si ipse suo peccato, vel conuitijs occasionem obtulerit aggressori. Sextum argumentum quærit,

CONTROVERSIA II.

LICEAT NE TVERI DIVITIAS, honorem, & alia temporalia etiam cum occisione aggressoris.

Augustinus de Ancona, Gerson locis citatis, & Abulen. in c. 5. Matth. quæst. 11. putant non licere, voluntq; D. August. in ea sententia esse, cum dicat, cap. 5. lib. 1. de libero arbit. [Pro his rebus, quas contemnere oportet, & (idest temporalibus) Non esse occidendum inuasorem.] Idem videtur docere in cap. si perfodiens de homicidio: habet enim licere occidere latronem nocturnum, quia non est exploratum veniat ne ad occidendum, an verò ad furandum. Ex quo sequitur, vt si constet illum accedere tantum ad furandum, non posse occidi, vt in diurno, & ita non licere occidere pro defensione bonorum.

Et confirmatur, quia eodem cap. ait August. licet occidere furem diurnum, quando armis se defendit, ergo, quando non se defendit armis, sed tantum rapit bona, non licebit occidere illum pro sola inuasione bonorum. Et confirmatur ex lege diuina. Exod. 22. vbi apertè habetur. [Qui occiderit furem nocturnum, non erit reus homicidij, si verò occiderit, orto iam sole, imputabitur ei ad homicidium.

Denique fauet huic sententiæ, cap. suscepimus, ex homicid. vbi duo fratres comprehenderunt latrones volentes illos expoliare, eosque fortiter ligauerunt, cumque abijsset vnus ad consulendum Abbatem, alio in eorum custodia manente, interim qui mansit occidit illos, qui volebant vincula confringere, timens ne ab ipsis occideretur, consultus Papa docet illos fuisse irregulares, quia expediebat potius relinquere, etiam pallium, quàm pro tuendis rebus temporalibus illos occidere.

Oppositum docent D. Thom. hic ad secundum, & tertium, & apertius Caieta. in commento huius articuli, quos sequemur.

CONCLVSIO I.

Licet in defensione bonorum (modo sint alicuius momenti) occidere latronem.

Dico alicuius momenti, quia pro exigua pecunia, vel bono temporali nõ est priuandus vita, sicut nec à iudice pro læui furto, vt dicemus, morte puniendus. Dixi latronem, hoc enim interest inter furem, & latronem, quod ille clam & occultè rapit, non illata vi, imo quamprimum videt sibi resisti aufugit, & relinquit prædam: latro verò est, qui apertè, & illata vi rapit, & rapta nititur secum deferre, nec patietur, vt recuperentur. Vnde fur, cum sine eius interitu licet defendere bona, nõ est occidendus pro bonis, latronem autem licet occidere, quia infert vim, nec ab eo licet bona propria tueri, aut recuperare, nisi etiam per vim.

Probatur iam conclusio sic explicata. Cum ratio mediorum sumenda sit ex fine, cui licet procurare finem, licet & media ad illum ordinata, & quibus vijs licet tendere in finem, licet & adhibere media, diuitiæ, & bona temporalia, quæ sunt alicuius momenti, sunt media necessaria, & ordinata ad tuendam vitam, ergo licet defendere illa, sicut & vitã, licet autem resistere cum vi volenti auferre vitam per vim, ergo licet, & cum vi defendere bona à latrone, cum vi illa inuadente.

Secũdò, latro cum rapiat per vim, infert bellum iniquum; in bello autem iniquè illato licet hostem percutere, & occidere, ergo & latronem per vim rapientem.

Tertiò, non differunt latro domi mea bona inuadens noctu, vel die, & latro euadens mea in itinere, hunc autem licet omnium consensu occidere, quando alia via mea bona in itinere tueri non valeo, ergo & illum.

Denique licet ex ordine charitatis magis debeã diligere vitam proximi, quam mea bona, non est tamen mihi commissa vita illius, nisi in casu necessitatis, cum tamen cura meorum bonorum mihi absolutè, & simpliciter commissa sit, sed ille aggressor, & latro non patitur, tunc necessitatem extremam, sed ex iniquitate sua vult rapere bona mea, ergo licet mihi in eo casu curare magis bona mea, quàm vitam illius. Vnde Cicero pro Milone: Hæc lex nõ est scriptura, sed naturalis, vt latrones, & insidiatores viarum in defensionem bonorũ occidere possimus. Et Quintil. lib. 5. instit. c. 10. Estq; communis sententia discipulorum D. Th.

Et do-

Et definita in vtroque iure, in ciuili. l. furem, ff. ad l. Cornel. de sicar. vbi dicitur: [Furem nocturnum si quis occidet, impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit,] id est, sine suo damno, & ff. ad legem Aquiliam libro quarto. Et in iure canonico, c. interfecisti. De homicidio, vbi habetur: [Si sine odii meditatione te tuaque liberando huiusmodi membra diaboli interfecisti, si ieiunare volueris, bonum est tibi:] quasi dicat: si volueris, bonum est, non tamen teneris.

Ex his sequitur primò, cum pro defensione bonorum liceat occidere latronem, id licere, quamdiu durat defensio, durat autem, non solum quando latro actu, & per vim rapit, verum etiam quando secum defert, toto enim eo tempore est in fraganti delicto, & ita non modo, quando actu rapit, verum etiam quando defert, nisi alia via recuperari possit, licet eum occidere: quamprimum autem in aliquem locum tutum se recepit, non licet eum occidere, quia tunc iam desinit esse inuasor, & inferre vim, sed solum est iniquus detentor, natura autem non concedit, vt iniquum detentorē possimus occidere, sed iniquum tantum inuasorem. Sequitur secundò, vt, si dñs bonorũ certò intelligat certitudine morali se alia via posse bona sua defendere, aut recuperare, q̃ occidendo latronē, non possit illũ occidere, quia tunc iã non esset inculpata tutela. Vnde dicitur l. sed et si. ff. ad leg. Aquil. [Si quis cum furem apprehendere possit, maluit occidere, iniuriam fecisse videtur.] Et in isto c. interfecisti in secunda parte c. definitur, vt qui iuridicè, vel alia via sua recuperare potest, non possit occidere. Dixi, certò, quia si sit dubius, in dubiis potior est ratio patientis iniuriã, & ita, quando est dubius, potest occidere: Et sic sunt intelligendæ leges, quæ videntur docere non posse aliquem priuata authoritate recuperare, vel defendere bona sua, intelligendæ enim sunt, quando alia via potest.

Testimonia verò illa D. August. nil aliud docẽt, quam non licere latronem, quando nil aliud præstat, quàm furari, nec aliqua vi, vel armis vtitur in sua rapina, agit enim de fure, qui tantum est fur, & non per vim: latro autem & inuadens bona per vim, iam non est simplex fur, sed inuasor bonorũ, & per vim rapiens, contra quem non negat D. August. licere vti armis, & vi, & vsque ad eius occisionem. Ad c. illud, suscepimus.

Respondeo, fratres illos excessisse moderamen, cum potuerint alia via se tueri, maximè secundũ, qui poterat illis dimissis, cum iam res suas saluas haberent, recedere, vel quamprimum vidit illis velle confringere vincula, potuit fugere, neque enim monacho infamia est fugere ab hoste. Panorm. & Ioan. And. dicunt fuisse illos in culpa, quia fuit vnus relictus in custodia duorum.

Alij respondent, & satis optimè clericis, & religiosis non licere omnia, quæ licent sæcularibus, cum debeant præstare mansuetudine, & ita licerè quidem eis ad se, vitamq; tuendam occidere aggressores, non autem ad tuenda temporalia, quæ iam multo renuntiarunt.

Ex hac doctrina sequuntur multa: Primò licere interficere inuasorem pro defensione amici, vel innocẽtis cum eodem moderamine inculpatæ tutelæ, quia licet, vt constat, pro bonis, inter bona verò preciosum, & maximum est amicus maximè innocens. Ita est definitum in cap. dilecto filio. de senten. excomm. in sexto. Quod si obijcias. Exo. 2. Quando occidit Moyses Ægyptium inuadentem proximum suum Hebræum non excusatur, quia occiderit in defensionem innocentis, sed quia id id fecit diuina reuelatione, & occidit illum Ægyptium, vt hostem communem suæ gẽtis, & nationis. Sic B. Amb. in lib. de Moyse. & D. Stephanus, Act. 7. ergo non licet occidere priuata authoritate in defensionem fratris. Tum etiam, quia defendere fratres non est priuati hominis, sed publici ministri iustitiæ.

Respondeo Moysen id fecisse diuino instinctu, vt docuit B. Stephanus. Tùm etiam iure naturę, quo fauendum est patienti iniuriam, & defendere innocentes, quacunque ratione patiantur damnum siue per vim, siue per calumniam ad solos iudices pertinere, defendere autem quãdo actu per vim inuaduntur ad omnes pertinere.

An autem liceat mihi occidere inuadentem bona proximi mei dubium est. Sed probabilior opinio est licere iuuando fratrem, ne suis expolietur, latronem occidere, quando scilicet, video latronẽ resistere, nec proximum habere vires ad illum superandum, vel saltem probabiliter dubito, an habeat tales vires, quia iure naturæ semper est potior ratio patientis iniuriam, & ei fauendum.

Sequitur secundò, licere occidere aggressorem cum dicto moderamine ad defendendum proprium honorem, vel famam, quia si licet pro bonis, maius bonum est honor, & fama, quia si licet pro bonis, maius bonum est honor, & fama, quàm alia quęvis res familiaris, & maximè necessaria ad sustentandam virtutem, & vitam tranquillè transigendam. Vnde si quis aggreditur virum nobilē, quamuis possit fuga se liberare ab illo aggressore, non tenetur fugere, sed potest illum se tuendo occidere. Quia viro nobili fugere est maximũ dedecus, & infamia, secus est de viro plebeio, qui nil ea fuga amittit honoris, similiter de clerico, vel religioso.

Et ratio est, quia in nobilibus honor eorum cõsistit in armis, quod non est in plebeis, & personis Ecclesiasticis. similiter si quis aggrediatur nobilem, vel virum honestum non ad occidẽdum, sed ad percutiendum arundine, vel baculo, aut alio percussionis genere, quod cedit in maximam infamiam potest aggressus ne ea infamia afficiatur, aggressorem dicto moderamine occidere. Sed obijcies: Ergo licebit acceptare duellum, & ibi inimicum occidere, quia illud non admittere in nobilibus, quorum honor in armis consistit, est maximum dedecus, & infamia.

Secundò liceret occidere illũ qui vult per fraudem, & calumniam auferre mihi honorem.

Tertiò licebit occidere eum, qui me aliquo vulnere affecit, si ea eo vulnere mihi dedecus sequatur, quia sic repellitur illud dedecus, & infamia.

Ad primum vidimus, iam quid sentiendum sit de duello.

Ad secundum dico, licet honor, & fama sæpenumero sita sint, in hominum opinione defensionem tamen, vel recuperationem honoris, & famæ, quo ad modum recuperandi, & defendendi non esse sitam in hominum opinione, sed sumendam ex natura rei, natura autem rei hoc docet, vt vim vi repellamus, fraus autem, & calumnia non sunt vis, & ita nec repellendæ per vim, sed alijs vijs iuridicis, & honestis, sequeretur enim, vt supra diximus, si per vim liceret repellere fraudẽ, vel calumniam, maxima Reip. perturbatio.

Ad vltimum dico constare iam ea dictis licere occidere aggressorem volentem inferre vulnus, quia tũc infert vim, licetque similiter illam vi repelle-

tibus, quos capere nullo modo potest, qui infestè præliatur, potest nunc comburere locum illum & innocentes cum nocentibus occidere, velleque mortem innocentium nun vt finem, neque ut medium, sed tantum vt effectum consequutum, sed similiter se habet aggressus occidens aggressoré, quem aliter euadere non potest, ergo.

Secundo D. Thom. distinguit hic inter iudicem & priuatum ciuem, vt huic non liceat intendere mortem sui aggressoris, iudici vero liceat intendere, mortem malefactoris, si loquamur de huiusmo di occisione, vt fine, neque iudex potest illam intendere, sed solum, vt medium necessarium bono communi, ergo, vt ab illo differat priuatus, asserẽdum est iuxta D. Tho. priuato aggresso, neque licere velle illam vt medium, sed solum, vt effectũ consequutum, ita vt habeat hunc animum: Ego volo me defendere etiam si ex mea defensione sequatur mors.

Hæc sententia est multo probabilior, argumentum vero Soti solutum manet ex secunda obseruatione, media directè, & natura sua ordinata ad finem honestum honesta esse, & appeti posse, quæ verò talia non sunt, sed secundum se mala, non honestati ex fine, neque esse appetenda, vt media occisio aggressoris non est medium ordinatum ad se defendendum, sed solum bellum, & ita non licet illam velle, vt medium, sed solum, vt effectum subsequutum.

Cæterum licet hæc sententia Caiet. speculatiuè sumpta, & in scholis probabilior sit, difficillimum est homini in actuali conflictu, & in periculo vitæ constituto animaduertere, ne velit mortem sui aggressoris, vt medium, sed solum vt effectum, & vti ista distinct. quam ferè nullus alius à Theologis nouit, esset; reuera illaqueare conscientias, obligare omnes fideles ad tantam peritiam. Vnde dico sufficere aggresso, ut habeat hunc animum, nullo modo vellem hũc occidere, sed aliquam mi hi patere viam, vt me tueri possem sine ipsius occa sione, quia tamen nulla alia patet, necesseque est vel illum, vel me perire, præstat ipsum perire, qui mihi iniquè iniuriam infert, & propterea illum oc cidam, siue id velit, ut medium necessarium, siue vt effectum: possumus enim dicere occisionem ag gressoris simpliciter non esse medium ordinatum & per se, in hoc tamen casu homini ad tales angu stias redacto esse medium ordinatum ex iniquita te aggressoris æquiualereq; in hoc casu istas duas propositiones, volo hunc occidere, cum aliter nõ valeam me defendere, & volo me defendere, etsi inde sequatur huius mors.

ARTICVLVS VIII.

An qui casu alium occidit incurrat homicidij reatum.

OBseruemus initio nomine reatus tria significari.

Primò culpam ipsam. Secundo vinculum luendi pœnam illi culpæ debitam. Tertio pœnam ipsam. Agit D. Thom. de primo, & tertio, nempe quam culpam committat homicida, & quam pœnam incurrat per homicidium, de quibus consulendi sunt idem D. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 5. & q. 87. ar. 1.

Obseruemus secundo casuale nõ accipi hoc loco eo modo quo sumitur ab Arist. 2. Phys. pro eo, quod accidit omnino præter intentionem agentis, estque omnino inuoluntariũ, sed pro eo, quod quacumque ratione euenit præter intentionem, & voluntatem agentis, vnde cum voluntarium sit duplex, aliud simpliciter & directè, nempe quod per se, & absolutè intendit agens, aliud indirectè, & redactiuè, quod per se, & simpliciter non vult, dicitur autem velle, qui potuit impedire, nec impediuit: efficitur quantum ad præsentem disputationem, ut homicidium sit triplex quoddam volũtarium omnino, & simpliciter, quod directè, & per se intenditur ab agente, aliud casuale omnino & simpliciter, quod omnino accidit præter intentionẽ agentis, aliud verò medium inter hæc, quod directè, & per se non intenditur ab agente, potuit tamen impedire causam, qua illud homicidium accidit, nec voluit impedire.

Ex his fit, vt aliquod homicidium dicatur verè casuale in genere moris, nec imputetur ad culpam aliquam ei, qui occidit, requiri hæc quattuor.

Primò, vt non sit directè intentum, & volitum ab occidente, nam aliter iam esset voluntarium, & non casuale.

Secundò, vt verè sequatur mors ex ipsa actione, & non aliunde: verbi gratia, si dominus corrigẽs, ac puniens famulum afficiat illum vulnere, quod ex se lethale non est, culpa autem percussi, vel negligentia chirurgi ille moriatur, in hoc casu non est imputanda mors illa ad homicidium illi domi no, quia hæc mors verè, & propriè non est sequuta ex illa punitione, sed aliunde, culpa scilicet infirmi, vel chirurgi, deber autẽ mors, vt percutienti imputetur ad homicidium sequi verè, & propriè ex actione percutientis, vt definitum est in c. ad audientiam. in c. Presbyterum, ca. Ioannes: de homicid. Est autem illa percussio lethalis, & illud vulnus læthale, ex quo homines communiter moriuntur, in dubijs consulendi sunt periti Medici, vel Chirurgi, & standum dicto illorum: Quo fit, vt quemadmodum non est iudicãdus homicida, qui nõ intulit vulnus læthale, etiam si percussus aliun de moriatur, ita quoque in foro animæ sit iudican dus homicida, & incurrere culpam homicidij, qui intulit vulnus ex se læthale, quãuis percussus non moriatur.

Tertiò, requiritur ad homicidium casuale, vt qui occidit alium fortuito actu, non teneretur illũ impedire, quamuis potuerit, quia in moralibus, vt aliquid imputetur ad culpam, non sat est potuerit operans vitare illud opus, sed exigitur etiam, vt re neretur. Verbi gratia, si dum quis venatur emissa sagitta aliquem casu occidit, & adhibuit prius debitam diligentiam, non est illi hæc mors imputan da ad homicidium, quia etsi potuerit abstinere à venatione, non tamen tenebatur.

Vltimo exigitur, vt non det operam rei illicitæ, adhibeatque omnem diligentiam, & circumspectionem, quę prudenter adhibenda est, ne mors alicuius sequatur. Quid intelligatur nomine rei illicitæ explicabitur inferius. Interim voco rem illicitam, quæ in se periculum continet homicidii, vt ludus gladiatorum, torneamentorum, & similia. Debita autem diligentia, & circumspectio sumen da est ex circumstantiis, loci, temporis, & personarum, ac qualitate negotii.

CONCLVSIO PRIMA.

Homicidium casuale, qua casuale est, non est peccatum, qua parte verò aliquid habebit voluntarij, peccatum esse potest.

Patet

PAtet ex definitione peccati, quam habet D. Aug. contra Faustum, peccatū enim ideo peccatum, quia voluntarium.

CONCLVSIO II.

Dans operam rei licitæ, omnemque adhibens diligentiam, ne cui noceat, si aliquem casu occidat, neque peccat, neque est homicida.

PAter, quia sic occidens neque directè, neque indirectè, neque per se, neque per accidens cō sentit in illam mortem, sed est omnino, & merè casualis, vbi autem nullo modo interuenit consensus, nulla est culpa.

CONCLVSIO III.

Dans operam rei illicitæ, quamuis non adhibeat debitam diligentiam, si aliquem occidat, contrahit culpam homicidij.

PAtet, quia sic occidens indirectè, & reductiuè consentit in illam mortem.

Circa hanc vltimam conclusionem statuit hanc regulam Caiet. vt quando aliquis dicitur incurrere culpam homicidij, quia occidit, vel dādo operam rei illicitæ; vel ex negligentia, homicidiū illud, talis culpa sit qualis fuit, quam commisit in sua causa, nempe vel in exercenda re illa illicita, cui dabat operam, vel in negligentia. Vnde si exercendo rem illam illicitam nō peccabat nisi venialiter, homicidium subsequutum veniale tantum est, quod si res illa erat mortalis, homicidiū mortale erit. Idem iudicium faciendum est de negligētia, ita habetur in cap. dilectus: extra de homicidio, vbi cum quidam clericus, dum equitaret laxis habenis, occidisset puerum, quia æquum detinere non valuit, consultus Pontifex. An homicidium illud esset imputandum illi clerico ad mortale.

Respondit, non, sed ad veniale tantum, quia clericum æquitare, veniale tantum est. Hæc regula Caietani est. Beati Augustini libro 2. cōtra Faustum, capit. 44. & habetur 15. quæstio. prima, cano. Inebriauerunt, vbi ait agens de incestu Loth, culpandus est Loth non quantum incestus ille, sed quantum ebrietas illa meretur, quasi dicat peccatum subsequutum præter intentionem agentis de aliqua causa eiusdem esse grauitatis, & culpæ cuius est causa ipsa.

Circa hunc articulum agendum est, de pœnis quas incurrunt homicidæ quarū aliæ ciuiles sunt, aliæ verò Ecclesiasticæ, de ciuilibus disputent iuristæ, de Ecclesiasticis pertinet ad nos agere, continentur autem hæ nomine irregularitatis, propter quod de ea agendum est. De qua disputant Theologi in quarta distin. 25. Thomistæ in additionibus tertiæ partis, Diuus Thomas q. 39. Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 4. & 9. Alphonsus de Castro lib. 2. de lege pęnali. c. 14. conclus. 1. & cap. 15. concl. 3. Doctor Nauar. in suo Manuali. c. 27. a nume. 209. vsque ad 240. Et in c. Finali. 14. q. 9. a num. 13. vsque in finem, Couarru. in Clementina si furiosus, De homicidio. p. 2. & 3. Canonistę in decretis dist. 50. In decretalibus ti. de Homicidio, in decretalibus in sexto, & in Clementinis, Summistę in verbo, Homicidium, Irregularitas. Mutilatio.

In hac disputatione obseruemus primò, Irregularitatem tam à Theologis, quam à Iuristis definiri, impedimentum iure positiuo introductum, quo prohibetur susceptio ordinum, vel eorum vsus, Dicitur iure positiuo introductum, quia iuxta cōmunem sententiam Doctorum nulla irregularitas habetur modo iure naturali, aut diuino introducta, non iure naturali, quia ratio naturalis nil circa hæc præscribit, neque iure diuino, quia omne ius diuinum aut constat ex Sacra Scriptura, aut ex doctrina Ecclesiæ, sed nullus est locus in Sacra Scriptura, in quo quis prohibeatur à susceptione, vel vsu ordinum neque vllibi docet Ecclesia Deum id præcipere, Vnde à solo iure Ecclesiastico est, & ita sunt in iure varij tituli de hac re: Ne clerici, vel Monachi, de homicidio, de clerico percussore, &c. Quod si obijcias, in lege veteri haberi aliquos irregulares, quibus non licebat fungi sacerdotio, tū etiam in canonibus Apostolorum impediri bigamos, & homicidas.

Respondeo quæ continebantur in lege veteri fuisse cæremonialia, & iudicialia pertinentia ad illum populum, quæ iam cessarunt omnino, canones vero Apostolorum, omnium consensu pertinere ad ius positiuum, sicut, & constitutiones eorundem, fuerunt enim conditi ab ipsis in concilio quoddam Hierosolymitano, antequam diuiderentur in vniuersum orbem ad prædicandum Euangelium, condideruntque illos non quasi explicantes aliquod diuinum præceptum à Christo acceptum, sed vt Episcopi statuentes quæ illis videbātur magis congrua Ecclesiæ, ac fidelium gubernationi.

Ex hoc fundamento sequitur in nullo casu constituendam esse irregularitatem, nisi quando fuerit in iure expressa, in quo omnes conueniunt. Et probatur primò, quia cum non sit à iure naturali, aut diuino, sed ex solo humano pontificio, tunc tātum contrahitur, quando ius illā applicat, & imponit, sicut ea quæ non sunt natura sua, & intrinsecè mala, sed eo solo nomine quia prohibita, tunc tantum mala sunt, quando prohibentur præcepto aliquo, Secundo quia cum irregularitas, sit impedimentum, & prohibitio res odiosa, consequenter restringenda est, nec imponenda nisi quando expressè habeatur in iure, colligitur que apertè ex. c. Is qui de sententia excommunicationis in 6. vbi dicitur celebrantem coram excommunicatis, vel in Ecclesia polluta semine, vel sanguine non incurrere irregularitatē, & assignat rationem, quia non habetur talis irregularitas in iure. Vbi obiter obseruā corrigendum esse locum D. Soto loco cit. ar. 4. siue sit culpa Authoris, siue Typographi, vbi ait effundentem, semen vel sanguinem in Ecclesia in notabili quantitate incurrere irregularitatē, hoc enim est falsum, quia vt bene notat Nauar. illo capit. 27. num. 194. non habetur id in iure, imo in vniuersum dicitur in illo c. Is qui non esse irregularem celebrantem in Ecclesia polluta, nec distinguit in quantitate magna, vel exigua. Et vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus maxime in odiosis. Vnde cum celebrans in tali Ecclesia nō sit irregularis, neque polluens illam erit irregularis, cum minus sit effundere semē, vel sanguinem in Ecclesia, quam celebrare in illa.

Obseruemus secundò duplicem esse irregularitatem, alia quæ contrahitur sine vllo peccato, uel culpa, sed ex solo defectu significationis, vt quæ contrahitur ex bigamia, quia deficit in bigamo repræsentatio dispensationis Christi cum vnica, & sola Ecclesia, & vnionis verbi cum humanitate: similiter quæ contrahitur ex homicidio voluntario iusto, vt in iudicibus, deficit enim in eis repræsentatio

ctatio lenitatis Christi, & quę contrahitur ex fœditate, & turpitudine mēbrorum, quia deficit in eis repræsentatio pulchritudinis Christi, & dignitatis Sacramenti eucharistiæ, ad quam ordinantur omnes gradus, & ordines ecclesiastici, dicitur, hæc irregularitas significationis. Alia est quæ contrahitur ex peccato, vt quando excommunicatus ex communicatione maiori suscipit ordines, vel in eis celebrar, vel ministrat, quæ dicitur irregularitas in pœnam peccati, agendum est hic potissimè de ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, vel casuali. Vbi obseruandum est quotiescunque in iure decernitur irregularitas pro aliquo actu intelligendum esse de actu externo, per actum enim internum solum nō incurritur irregularitas, quia est pœna ecclesiastica, ecclesia autem non iudicat de internis, neque punit nisi solos actus externos, internos vero nunquam, nisi procedant ad externos, & opere compleantur, His positis videamus primo,

CONTROVERSIA I.

AN PER QVAMLIBET OCcisionem, siue iusta sit, siue iniusta, siue voluntaria, siue casualis contrahatur irregularitas.

Plurimum obseruāda est hæc quæstio propter varia iura, in quibus omnes occisores, & mutilatores, imo omnes percussores, vel sumentes arma decernuntur irregulares, vt patet Can, episcopum. d. 45. c. Aliquantos. d. 51. & 23. quæst, 8. can. 1. & can. Clerici. & can. Quicunque de homicidio voluntario, c. De cæterum. & c. ad Audientiam, & alijs multis in locis, quæ affert Sylu. Homicidium tertiò, cum tamen reuera, & iuxta omnes Doctores nō sint censendi irregulares, nisi qui actu occidunt, & mutilant, Vnde accuratè oportet intelligere, qui sint ob homicidium, vel mutilationem irregulares. & textus qui ob solam percussionem vel effusionem sanguinis, aut sumptionem armorum videbuntur imponere irregularitatem, explicandi sunt in sano sensu, quando ex ea percussione mors vel mutilatio fuerit actu sequuta.

Vnde supposita illa diuisione homicidij iam explicata in aliud omnino simpliciter ac formaliter voluntarium, aliud omnino, & simpliciter casuale, aliud verò directè casuale, sed indirectè, & reductiuè, ac implicitè voluntarium, obseruemus, licèt propriè, & in rigore loquendo latius pateat occisio hominis quàm homicidium, quia occisio dicitur de quacumque occisione tam inculpabili, & iusta, quam culpabili, & iniqua, homicidium verò de ea tantum, quæ iniusta est, & contra rectam rationem, in hac tamen disputatione confunduntur sæpe istæ voces in iure, & à Doctoribus, ac D. Thom. vocant enim homicidium hic quamcumque occisionem, siue iustam, siue iniustam, siue voluntariam, siue casualem.

Obseruemus secundò duplicem esse irregularitatem ex homicidio voluntario aliam, quæ cōtrahitur ex homicidio iusto, & sine peccato, vt in iudice, & aliam, quę contrahitur ex homicidio iniusto, & peccato vt in vero, & culpabili homicida, in quibus hoc per se requirit irregularitas, vt homicidium sit voluntarium, quod verò cum peccato sit, aut sine eo, per accidens est respectu irregularitatis, non enim contrahitur ex homicidio, quia peccatum est nam ita ex omni peccato contraheretur, sed quia deficit per homicidium significatio, & repræsentatio Christi, vt vidimus art. 4. qui defectus non reperitur, nisi quia in homicidium aliquo modo consentiunt.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando ex percussione, & vulnere non sequitur actu mors, etiamsi vulnus lethale fuerit, & percussus miraculosè illam euaserit, non incurritur irregularitas.

Hæc est communis apud omnes, & confirmatur, quia in iure non decernitur irregularitas, nisi pro homicidio reuera, & actu subsequuto, vt optimè obseruat Panorm. in illo can. Clerici. 23. quæst. 8. vbi ait sola sanguinis effusio non inducit irregularitatem. Et idem Glos. in Clementina vnica de homicidio, imò est aperta doctrina eiusdem Clementinæ: habetur enim ibi illum esse irregularem, qui occidit, vel mutilat, sola autem percussio, nisi actu sequatur mors, vel abscissio membri, non est occisio, nec mutilatio.

Et confirmatur, quia odia sunt restringenda. Ex quo sequitur deceptos esse quosdam iudicantes percussores clericorum, si ita percutiant, vt incidant in cano. Si quis suadente diabolo, manere irregulares, hoc falsum est, quia in illo canone, si quis suadente, &c. percussores clericorum solum excommunicantur, & nullus est textus, qui huiusmodi, nisi sequatur mors, vel mutilatio, discernat irregulares, nec sunt confundendæ censuræ excōmunicationis cum irregularitate. Quod si dicas, irregularitas est imposita homicidæ, infligens autem vulnus læthale est verè homicida, ergo.

Respondeo istum esse quidem homicidam in foro animæ, & imponendam illi à confessario pœnitentiam, vt homicidæ, in foro autem exteriori non esse homicidam, quo ad irregularitatem, cū hæc à iure solum imponatur verè occidenti, aut mutilanti. Et cum irregularitas sit à iure, non est imponenda, nisi exprimatur, vt diximus, in iure.

CONCLVSIO II.

Si accidat quidem mors, non tamen sequatur ex vulnere percutientis, sed aliundè, vt ex culpa infirmi, vel ex ignorantia, aut negligentia chirurgi, non incurritur irregularitas.

Oppositum sentit Couarr, in Clemen, si furiosus. p. 2. §. 2. nu. 9. sequutus Héricum, & Guillelmum: quod ita probat. in cap. fin. de Homicidio voluntario, iussit quidam dominus famulo suo, vt verberaret seruum, accidit, vt famolus il le modum excedens occideret seruū illum, interrogatus Pontifex, an dominus ille, qui ita iussit, maneret irregularis, respondit affirmatiuè, manere. Ex quo sic arguit Couarru. Cum ille dominus imposuerit modum in sua iussione, ne occideretur verberandus, mors illa non est sequuta ex sola iussione domini, sed aliunde ex illo excessu verberantis, & nihilominus manet irregularis, ergo quando sequitur mors, etiamsi sequatur aliunde, incurritur irregularitas. Conclusio tamen posita est communis inter discipulos D. Thom. & est expressa in cap. ad audientiam. & cap. Presbyterum, extra de homicidio, in cap. enim Presbyterum declaratur

clararur irregularis, qui casu quendam percussit, & occidit, quia non adhibuit debitam diligentiã, & ex illa percussione ille occisus est. Vnde à contrario sensu, si non fuisset ille mortuus ex illa percussione, sed aliunde, non fuisset ille irregularis.

Et confirmatur, quando vulnus non est lęthale, etiam si sequatur aliunde mors, quia illud dedit, vt diximus, nõ est homicida, ergo neque irregularis, quia ex homicidio non contrahitur irregularitas, quin illam contrahens iudicetur etiam homicida. Denique irregularitas, cũ sit res odiosa, est restringenda, in iure autem expresse non iudicatur irregularis, nisi qui occidit, vel mutilat, quando autem ex vulnere solo non fuisset sequuta mors, nisi interuenisset, culpa infirmi, vel negligentia chirurgi, qui vulnus illud dedit, reuera non occidit, ergo.

Ad argumentum Couarr. respondeo, latum esse discrimen inter casum illius textus, & nostram cõclusionem, affirmamus enim nos non esse irregularem, quando ex actione non sequitur mors, sed aliunde, in casu autem illius textus, licèt dominus non iusserit occidi, iussit tamen verberationem, ex qua sequuta est mors, nam quamuis non præceperit illum excessum, iusserat tamen verberationem, in qua adhibitus est ille excessus, & ex qua est sequuta mors.

Ex isto cap. fin. sequitur, vt quando vulnus est reuera læthale secundum se, & percussus moritur, etiamsi interuenerit simul aliqua culpa infirmi, vel negligentia Medici, eum qui vulnus illud dedit esse irregularem, quia in hoc casu ex tali percussione (etiamsi illi aliorum quoque culpa accesserit) sequitur mors, non enim tenetur infirmus, aut præstantissimum Medicum quærere, aut omnem diligentiam adhibere.

CONCLVSIO III.

Qui occidit hominem voluntariè, & directè, siue iustè, siue iniustè hoc faciat, incurrit irregularitatem.

HÆc est communis & expressa in iure, in decre. dist. 45. can. Episcopum, dist. 51. can. Aliquantos, vbi fit etiam mentio eorum, qui se exercent in causis forensibus, 23. q. 8. ca. Clerici. & can. Quicũque ex clero, In decretalib. c. 1. & 2. extra de homic. & c. de cætero: In quibus textib. duo notanda sunt. Primò hæc capita, licèt in eis videatur sermo esse de Clericis, & Episcopis, iuxta communem tamen omnium Doctorum tàm Theologorum, quàm Canonistarum sensum de omnibus etiã laicis intelligẽda esse, vt benè obseruat Sylu. Secundò, licèt in aliquibus ex istis textibus (vt initio huius quæstionis diximus) videatur imponi irregularitas pro sola percussione, aut effusione sanguinis, non esse id intelligendum ex sola percussione, aut effusione sanguinis, nisi sequuta morte ex tali actione, quia hic etiam est communis, & receptus sensus omnium Doctorũ, & explicatus per alia apertiora iura, maximè in illa Clementina, de homicid.

CONCLVSIO IIII.

Si homicidium sit omnino inuoluntarium, & casuale, quia sequutum omnino præter intentionem agentis, qui dabat operam rei illicitæ, & adhibuit omnem diligentiam, nullã incurritur irregularitas.

ITa habetur extra de homicidio. cap. lator. cap. dilectus filius. cap. Significasti el primiero c. ex Literis, primo & 2. Et est ratio, quia irregularitas non contrahitur, nisi ea homicidio sequuto cum aliquo consensu directo, vel indirecto, in casuali autem nullus est consensus. Secundò irregularitas non incurritur nisi pro humano opere, homicidiũ omnino casuale in genere homicidij non est opus, & actus humanus, sed solum actus hominis, Ex hac conclus. quarta sequitur infirmorum custodes, & seruitores mouentes infirmum, vt aptius sumat cibum, vel quiescat, si mors ex eo accidat, non incurrere irregularitatem, nisi talis esset iactatio, & motus infirmi, vt prudenter iudicaretur nimia, & periculosa, quia tunc ex ea sequeretur mors.

CONCLVSIO V.

Homicidium directè casuale, sed indirectè, & reductiuè voluntarium, quia commissum dando operam rei illicitæ, & periculosæ, vel non adhibita debita diligentia, inducit irregularitatem.

ITa habetur c. Presbyterum. Et cap. Ad audientiam, extra de homicidio, quia ad tale homicidium interuenit consensus voluntatis.

Ex his conclusionibus sequitur omnes actiuè concurrentes in causa criminali ad punitionem capitalem, aut mutilationem alicuius mẽbri, ex quo sequatur alicuius rei mors incurrere irregularitatem. Vnde sunt irregulares iudices, fiscales, testes, tabelliones, & actor, siue accusator, ministri iustitiæ capientes, vel ducentes ad patibulũ, quia omnes isti actiuè concurrunt, & per se ad illius rei punitionem. Custodes carcerum, qui circa huiusmodi reos nil aliud egerunt, quam eos custodire, non sunt irregulares, quia ex eorum actione non est sequuta mors, sed aliunde, nisi quando reus fugiens ab ipso custode captus est, & iterum inclusus, & se quatur deinde illius mors quia in tali casu cõcurrit etiam actiuè ad illius mortem, sicut, & ministri quærentes, vel capientes reos plectendos capite.

Sequitur similiter omnes actiuè concurrentes ad aliquod homicidium, vt mutuantes arma, aut comitantes, aut parantes, vel iuuantes ad parandũ tossicum esse irregulares, nisi quando laborarunt ignorantia inculpabili, quia tunc nullo modo con senserunt, tollit enim talis ignorantia omnem rationem voluntatij.

Quæres de actore aduersus aliquem furem, vel debitorem, sit ne irregularis si fur ille, vel debitor morte afficiatur. Dico clericum, qui de aliquo malefactore conquæritur apud iudicẽ præmissa protestatione iuridica apud illum, se id non facere ad vindictã, vel occisionem malefactoris, sed vt rem suam recuperet, non incurrere irregularitatem, etiam si certò sciat illum occidendum, ita est expresse definitum, in C. Prælatis de homicidio voluntario lib. 6. vbi vt bene notat Couarru. loco cit. §. 5. nu. 2. sequutus Felinum, & Andræam, per eam protestationem liberatur, talis clericus ab irregularitate, etiam si desideret interius, & animo, vt malefactor ille suspendatur, quia irregularitas non incurritur nisi per actum exterorum homicidij, à quo liberatur hic clericus illa protestatione. Quo fit, sæcularem qui eadem protestatione vteretur esse quoque liberum ab irregularitate, quia si clericus, qui minus id videtur posse postulare, ea protestatione est liber, multò magis sæcularis.

Hæc

Hæc autem protestatio non habet locum nisi in ciuilibus, vbi exigitur restitutio debiti, vel furti, nam in criminalibus ridiculum esset accusare aliquem de crimine capitali, & protestare, se nolle mortem illius. In his conclusionibus, ferè in omnibus conueniunt Doctores maximè in prima, secunda, & tertia, oriuntur tamen citra eas nonnul læ dubitationes optimæ. In primis circa quartam.

CONTROVERSIA II.

AN QVI IN SVI, VEL SVORVM bonorum defensionem occidit inuasorem, sit irregularis.

HAbet multa in hac quæstione Coutr. in illa selecti. in c. Furiosus p. 3. §. vnico, nume. 4. & seq. sed omissis aliorum opinionibus.

CONCLVSIO I.

Qui occidit inuasorem seruato illo moderamine inculpatæ tutelæ in defensionem propriæ vitæ, non incurrit irregularitatem.

HAbetur expressè in Clementina vnica de homicidio. Hanc Clementinam, Nauar. cap. 27 nume. 209. non vult esse nouam definitionem Ecclesiæ, sed declarationem antiqui, & semper obseruati iuris. Sed pace tanti Doctoris probabilius est antiquitus occidentem aliquem in suam defensionem fuisse irregularem, quia ad eam sufficit homicidium voluntarium sine vllo peccato, vt in iudice. Et probatur ea D. Thom. qui art. præcedenti ad tertium ait clericum occidentem aliquē etiam in sui defensionem esse irregularem, quod non dixisset D. Thom. vt benè in commento obseruat Caietan. si suo tempore extitisset ista Clementina, aut illos ex[i]piens.

Obiicies tamen contra hanc conclusionem, in Concil. Trid. sess. 14. de reformatione cap. 7. habetur si homicidium committatur vim vi repellendo in defensionem propriæ vitæ, dispensationem committendam esse ordinario, ergo contrahitur irregularitas, quia aliter quid opus est dispensatione?

Respondeo concilium loqui in re dubia quando dubitatur, An ille qui vim vi repellit, excesserit modum inculpatæ tutelæ. Etenim si nullo modo excessit, nulla opus est dispēsatione, si verò est dubium, & maneat aliquis scrupulus, ad maiorē cautelam dispenset Ordinarius.

Hæc etiam conclus. intelligenda est, quando alioter vitam tueri non valuit nisi occidendo inuasorem, nam si potuit se tueri fugiendo, & non fugit, quamuis non teneretur fugere, irregularis est, habet enim Clementina ista illum non esse irregularem, quando aliter euadere non potuit.

Et confirmatur, quia virum nobilem eo nomine dicimus non teneri ad fugiendum, sed posse inuasorem occidere, quia fuga nocet grauiter honori ipsius, & potest occidere inuasorem in defensionem honoris, at quamuis liceat occidere in defensionem honoris, qui tamen ita occideret, vt sta tim dicemus, esse irregularis, ergo qui occidit inuasorem, ne fugeret, cum posset fugere, verè est irregularis, quia perinde est, ac si occiderit in defensionem honoris.

Ea conclus. posita sequitur eum qui occidit inuasorem, vt se defendat, ne membrum aliquod sibi abscindatur: non esse irregu arem, quia idem est quod se tueri, & aliter euadere non posse, & in hoc omnes conueniunt, vt docet Couar. loco cit. Et allegat Syluest. Homicidium. 3. q. 4. & Cardinalem in illa Clementina Si furiosus. Sed quid quando quis occidit inuasorem, ne recipiat ab illo aliquod vulnus graue, vel deformē huiusmodi iudicant nonnulli recentiores, & viri periti non incurrere irregularitatem, quia sic se defendens reuera tenetur se ipsum, cum omnia ista pertineāt ad vitæ consistentiam. Maior difficultas est de occidente alium in defensionem proprij honoris, diuitiarum, vel amici, quod eum dupliciter accidere possit, vel ita vt potuerit quis occidere inuasorem suorum bonorum honoris, vel amici, non tamen tenebatur ad id ea præcepto, sed poterat pati detrimentum in illis, vel ita vt non potuerit tale detrimentum pati, sed tenebatur ea præcepto honorem suū vel bona tueri, vt necessaria suæ familiæ, vel amicum, de vtroque videamus oportet.

AN OCCIDENS INVASOREM pro defensione diuitiarum, honoris, vel amici, quando ad talem defensionem non tenebatur ex præcepto, sit irregularis.

COuatr. in illa Clementina Si furiosus, par. 3 §. vnico, num. 4. ait tria.

Primò inuasum, quādo potest fugere, teneri ad fugiendum, etiam si ei tali fuga sequatur infamia, nec posse tunc occidere inuasorem, quod etiam docet in eadem Clement. Modernus Parisiensis.

Ait secundò occidentem aggressorem in defensionem proximi, vel amici, aut diuitarum non esse irregularem, in quo sequitur Fortunium in l. vt vim vi. ff. de iure. Primum dictum Couarru. constat ex supra dictis falsum esse, quia si pro diuitijs, quod etiam concedit Couarru. licet liceat etiam pro honore, & fama tuenda, quæ adeò præstant diuitijs, vt benè docet Syluest. verbo Bellum secundo no. 11. secundum dictum quod est huic quæstioni proprium probat Couarr. Primò ex. cap. Secundo extra de homicidio voluntario, vbi dicitur Clericum occidentem inuasorem, vt defendat vitam, & res, non esse deponendum: interpretatur nec excommunicatum, nec irregularem.

Secundò, Maxima est communis inter omnes Iuristas, vt qui occidit aliquē actione licita, id est dando operam rei licitæ, non sit irregularis, sed qui occidit aggressorem in defensionem bonorū, vel proximi dat tunc operam rei licitæ, ergo.

Tertio tale homicidium non est voluntarium, ergo per illud non incurritur irregularitas. Antecedens patet, quia sic occidens, cum vtatur debito moderamine, non vellet illum aggressorem occidere, imò homicidium illud, vt diximus, iuxta probabiliorem opinione neque est volitum vt finis, neque vt medium.

Quartò, ea commoni sententia Doctorum in illo can. Si quis suadente diabolo: si quis percutiat clericum ad defendendum proximum non incurrit excommunicationem, ergo neque irregularitatem.

Oppositum docent Sylo. loco citato, & verbo, Excōicatio. 6. n. 6. & Caie. in sum. Excōmunicatio. c. 10. Et omnes ferè discipuli D. Thom. Vnde fit.

vt supponimus, non sit necessarius bono communi.

Ex his soluuntur facilè argumenta Abulensis. Primum, nullam habet vim, quia ordine charitatis tenetur quidem vitam spiritualem propriam cuiuis alienæ præferre, corporalem verò, nequaquam: cum maxima illa: Ordine charitatis præferenda esse propria alienis, in spiritualibus tantum intelligenda sit, non in temporalibus.

Ad secundum similiter patet solutio, Principē & personam necessariam Reipub. debere se defendere, non quia ius naturale omnes ad id obliget, cum iuri, quod vnusquisque à natura habet tuendi se, possit cędere ex honesto aliquo fine, sed ratione boni communis, quod omnibus præferendum est, & cui nullo modo potest renuntiare.

Ad tertium neganda est maior, constat enim, cum præceptum tuendi vitam sit affirmatiuum, obligare pro semper, nec teneri homines ad illam tuendam in omni euentu, sed posse illam exponere, & quando illam tueri possunt, vt in martyrio, quod martyr poterat euadere.

Ad quartum respōdeo, aggressum, qui permitteret se occidi, ne aggressor discederet in illo statu peccati, sufficienter cōcedere alteri locum pęnitentiæ, & salutis, quod si alter non conuertatur, ipsi imputandum esse. Addo in casu, quo permitterem me occidi ab inuasore, tunc me non diligere vitam alterius, magis quàm meam, sed me ipsum potius diligere, cum eligam mori pro bono virtutis charitatis, quod mihi simpliciter vtilius est, quàm ipsa vita.

CONCLVSIO II.

Licet vnicuique, quando aliter se ab aggressore tueri non potest, illum occidere, etiam si aggressus daret operam rei illicitæ.

PRior pars huius conclusionis habetur apertissimè in vtroque iure, In ciuili l. 1. ff. de vi, & vi armata. l. vt vim. ff. de iustit. & iur. Vbi dicitur: Iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. L. iniuriarum. ff. de inior. l. sed etsi. ff. ad legem Aquiliam. Vbi expresè habetur. [Qui alium ferro se petentem occiderit, non videtur iniutia occidisse. [Et ratio harum legum est, quia qui vtitur iure suo, nemini infert iniuriam, qui autem occidit inuasorem, à quo aliter se liberare non potest, vtitur iure, quod habet à natura conseruandi vitam propriam, & vim vi repellendi. In iure etiam canonico. dist. 1. can. Ius naturale. Extra de homicidio, c. significasti, el secondo, Extra de sententia excommunicationis, c. si verò. el primero. Vbi dicitur: Vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittunt. Cicero in oratione pro Milone ait: Hæc lex non facta, sed innata est, nō eam suscepimus, sed à natura arripimus. Et ita est ius omnium gentium, & nationum recta ratione dictante receptum, vt vim vi quisque ad se, vitamque se tuendam repellat.

Vnde opposita sententia est forsan temeraria, tot textibus & communi omnium ferè Doctorum placitis repugnans, vtor iam ratione. Lex Dei cōsona rationi est, & iugum suaue, recta autem ratio dictat, vt cum vnus patitur iniuriam ab alio, si alter eorum debeat necessariò perire, pereat ille, qui infert, quia iute naturæ potior est ratio patientis iniuriam, quàm inferentis, in hoc autem casu aggressus patitur iniuriam ab aggressore, ergo.

Et confirmatur, quia esset intolerabile, & acerbum, vt vitam rem adeò preciosam propter malitiam alterius inuadētis me, deberem ego amittere, vt ipse viueret: Quando agitur causa fidei, vt si tyrānus inuadat me, vt fidelem, tunc pro fide moriendum est, at quando hostis ex sua sola malitia me aggreditur, non teneor, vt ipse viuat, ego pereire, quia tunc non agitur de fide, sed de tuenda tantum vita.

Tertiò, si non liceret in hoc casu vim vi repellere, periret tota Respub. iniqui enim, & scelerati homines scientes non licere viris iustis, & timentibus Deum se defendere cum occisione aggressoris, securè eos aggrederentur, & occiderent: sicut 1. Mach. 2. Pagani videntes Iudęos ob reuerentiā Sabbathi nolle pugnare, ac se defendere in Sabbathis, occidebant eos aggredientes eos in Sabbathis, quod videntes duces, & sacerdotes inito Concilio decreuerunt etiam in Sabbathis pugnare. Hæc conclusio intelligenda quoque est de clericis, & religiosis, quia priuilegio naturali propriæ defensionis, & vim vi repellendi omnes homines gaudēt cuiuscunque status, & ordinis sint, nec eo aliqua lege humana expoliantur, vt docet hic D. Tho. ad 3. An autem incurrant irregularitatem videbitur articulo sequenti.

Secunda pars huius conclusionis, etiam si inuasus dederit operam rei illicitæ, & occasionem obtulerit inuasori, est contra Azpilquetam. Et probatur. Qui iniquè ab alio inuaditur, potest iure naturæ ad se defendendum inuadentē occidere, sed quando quis dat operam rei illicitæ, & cum iniuria alterius, vt adulter, vel contumelijs proximum afficiens, licēt peccet grauiter, & ratione delicti, quod committit, & ratione illius occasionis, quam obtulit, nihilominus, qui illa iniuria, vel contumelia afficitur, non acquisiuit ius per peccatum alterius ad eum occidēdum sua priuata authoritate, sed solum hēt ius ad repellendam illam iniuriam, & contumeliam ordine iuris. Vnde iniquè illum peccatorem aggreditur, ergo licēt huic sic aggressio etsi peccauerit, & occasionem dederit, vim vi repellere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ suum aggressorem interimere.

Secondò, licēt quis sua malitia constitutus sit in extrema necessitate, existenti tamen verēin ea teneor, quantum possum, subuenire: sed in hoc casu, licēt is, qui dabat operam rei illicitæ sua malitia sic constitutus in ea necessitate, & discrimine dando alteri occasionem, quamprimum autem alter eum aggreditur, existit in vera necessitate, ergo potest sibi, quantum valebit, subuenire, ac si ab illo non potest aliter se eripere, poterit occidere aggressorem suum.

Tertiò, propterea quod dederit occasionem, & operam rei illicitæ, non desinit, quando constitutus est in aperto periculo vitæ ab aggressore, appetere sui conseruationem, & ad eam vim vi repellere, habere talem appetitū est naturale, & bonum qui autem agit iuxta talem appetitum, licitè agit, ergo. Et confirmatur, quia in illo discrimine constitutus non tenetur minus sibi prospicere, ac prouidere, quàm aggressori; Vnde iura, quæ concedunt licere vim vi repellere, non distinguunt, fuerit ne aggressus in causa, vel non fuerit, dederit na occasionem, vel non dederit, sed indifferenter, & in vniuersum loquuntur, & vbi lex non distinguit, vt ait Innoc. de Regulis iuris, neque nos distinguere debemus.

CON-

CONCLVSIO III.

Vt liceat inuasorem occidere, requiruntur hæ quatuor conditiones.

Prima, vt aggressio sit vera aggressio, & per vim, quia ius naturale tantū concedit uim vi repellere. Vnde si iudex per iniquū processum, vel falsi testes per calumniam me vita expoliare conentur, non possum eos occidere, quia iniquitas istorum est qoidem calumnia, non autem vis, & vera aggresio: a calumnia autem nemo potest se defendere per vim, sed per cōtrarios testes, & ordine iuris, quod si id nequeat ferat patienter mortem, sicut innocens, qui condēnatur, vt nocens secundum allegata, & probata. Et ratio est, quia si in his casibus liceret, iniquum iudicem, vel falsos testes per vim repellere, & proprias iniurias vindicare, perturbaretur maximè Respu. cum omnes iudices, & afferant, etiamsi iustè puniātur se iniquè opprimi, & per calumnias.

Seconda conditio est, vt sit vera, & actualis defensio, propulsatioque vis illatæ, non præuentio: si quis eum eo, quod suspicetur alium ad se occidendum accedere, illum prius occidat, peccat grauissimè, & committit homicidium, quia talis occisio nō est verè defensio, & propulsatio iniutiæ, sed præuentio.

Vnde in his est opus maxima prudentia, sicut diximus de muliere inueniente pugionē in lecto sub puluinati viri, prudenterque iudicandum est, sit ne verè actualis aggressio, nam credita tātum, uel suspecta non sufficit.

Vbi offert se dubium, qood affert hic Soto. Existat quis reclusus in aliquo oppidolo, vel domo, vi deatque inimicum expectare exitum ipsius, vt eū interimat, licebit ne huic obsesso, antequam inimicus enim actu aggrediatur, interimere illum, ac præuenire? Videtur enim id licere, quia in hoc casu sic obsessus nulla alia via potest vitam suam tueri.

Respondet Soto in hoc casu, occisionem huius inimici, si sit defensio, esse licitā, si verò sit præuentio, non esse licitam.

Sed hæc solutio non tollit difficultatem, nam nemo dubitat præuentio nem illicitam esse, solamq; defensionem licere: quod autem quæritur est: An sit defensio, vel præoentio. Affirmant quidam esse licitam, quia cū ex hypothesi huic sic obsesso nulla alia via maneat ad vitam tuendam, & cum uiolētia illa sit iam actu parata, debet talis occisio iudicari defensio, & propulsatio iniuriæ. Addit Soto nō posse certa lege definiri, sed arbitrio prudentis cōsessatij esse relinquendum, qui pensatis omnib. circunstantijs iudicabit prudenter, fuerit ne præuentio, an defensio, & propulsatio iniuriæ. Res hæc periculosa est, probabiliusque iudicarem, uumquam licere præuenire inimicum quantumuis paratum, donec actu inuadat, & aggrediatur.

Primò, quia mille vijs potest animus illius mutari, & periculum illud quātumuis imminēs cessare.

Secundò, quia iure naturæ solum licet vim vi repellere, quod ab omnibus Doctoribus intelligitur in actuale conflictu, qui vero præuenit inimicum, quantumuis paratum, nondum patitur uim, neque adhuc est in reali conflictu. Et confirmatur ex illo c. si verò extra de seut. exc. vbi dicitur: Si incontinēti vim repellat. Denique qui vim vi repellit, quod coucedit ius naturæ, nullo vtitur genere iosidiarū, qui vero præuenit inimicum, quantumuis paratum extra actualem conflictum, omnium iudicio dicetur, si illum occidat, occidisse per insidias.

Vnde fit tertia conditio, vt occisio aggressoris fiat in ipso actu aggressionis, & defensionis, & non postea interueniente aliquo interuallo, & postquā cessauit aggressio, vt definitum est in illo ca. significasti. de homicid. Vnde sequitur, ut si aggressor sentiens se deficere viribus desistat, vel fugiat, uel durante rixa dicat quacunque de causa, ut desistant, nec se velle amplius rixari, non potest tūc aggressus illum occidere, qui cessauit iam uiolentia, nec est tūc necessaria talis occisio ad propriam defensionem, nec potest eum occidere propter illatam violentiam, quia hoc iam nō est defensio, quæ licet, sed punitio, quæ ad solum iudicem pertinet. Sequitur secundo, percussum ab aggressore cessante actu illo aggressionis non posse eum repercutere, quamuis poterat, quamdiu durauit uiolentia, quia hac cessante iam noo est defeusio, sed potius vindicta damni accepti.

Quarta conditio est, vt defensio sit moderata, & nil excedat eorum, quæ requiruntur ad necessariam defensionem, quæ vocatur inculpata tutela, in quibus est maximè utendum legibus prudētiæ. Hæc conditio habetur in illo cap. significasti. & in c. olim, de restit, spoliator. Diximus autem non debere excedere modū iuxta regulas prudētiæ, quia si aggressus potest commodè fugere, aut clamare, & implorare auxilium, debet, quod si dum hęc cōsiderat, possit ne fugere, vel clamare, videat se exponi graui periculo inuasore illum opprimente, non est, quod in his considerandis se occupet, sed vt se eum occisione eriā inuasoris defendat, quia semper est melior ratio patientis iniuriam.

Nunc ad argumenta in oppositum pro secunda opinione.

Ad primom ex verbis D. August. sumptum, Respondeo D. Augu. in illis locis, vt ex contextu orationis apparet, loqui de eo, qui ex intentione occidit inuasorem, quod diximus non licere priuatæ personæ, sic exponit D. Aug. & D. Thom. hic ad primum.

Ad secundum respondeo, teneri nos ad exponēdam vitam nostram corporalem pro fratre existēte in vera, & absoluta necessitate spirituali, vt si videam mulierem volentem recedere a fornicario uon posse, nisi me opem illi ferente, aut aliquem decipi ab hæretico, nec posse illū ab ea deceptione liberari, nisi mea doctrina, tunc teneor etiam com periculo vitæ mulierem illam iuuare, vt recedat a fornicario, & simplicem illum docere, ne ab hæretico decipiatur, in hoc autem casu iste aggressor non est in extrema necessitate spirituali absolutè, sed voluntariè, & ex malitia sua, desistendo enim ab aggressione, quod est in facultate eius, cessabit omnino illa necessitas, existenti autem in extrema necessitate spirituali voluntariè, & ex malitia sua ego non teneor subuenire, cum damno meo, vt si quis dicat sospendam me, nisi dētur mihi centum aorei, noo teneor dare, ue se suspendat quia illa propriè non est necessitas, sed malitia, & iniquitas illius, aliter daretur occasio iniquis hominibus perpetrandi multa peccata, & nocendi proximis, ac rapiendi bona aliena sub hoc prætextu, vt liberarentur a necessitate spirituali, iu qua seipsos sua iniquitate constituere ot.

Ad confirmationē dico, debere nos ponere animas nostras pro fratrib. vt a necessitate spirituali liberētur, quādo peccāt ex ignorātia, vel passione simpliciter, ita ut sit illa vera ignorātia, vel passio,

non autem voluntaria,& ex malitia, aut iniquitatate ipsorum, vt in hoc casu, in quo aggressor, licèt agat ex iracundia, agit tamen ex malitia,& iniquitate sua, cum ipse fratrem suum voluntariè aggrediatur,& iniquè: quamuis prouocatus conuitio ali quo, vel iniuria, cum ex peccato alterius non acquirat ipse ius ad illum occidendum propria authoritate, Ad instantiam, quæ deinde fit, similis est solutio, quamuis enim quicunque peccat, peccet ex malitia sua, nec reperiatur communiter necessitas spiritualis sine cōsensu propriæ voluntatis, cum omne peccatum sit voluntarium, & omnis necessitas spiritualis sit per peccatum, nihilominus datur necessitas spiritualis sine malitia existentis in ea, vt in paruulo, quem vellet quis occidere sine baptismo, & in muliere, cui obstat fornicarius, ne conuertatur, & in simplici, quem hæreticus dolo decipit,& pro huiusmodi necessitate spirituali fratrum debemus animas nostras ponere, quia est medium ordinatum ad liberandos eos ab ea necessitate, ad liberandum verò aggressorem, aut alium ex voluntaria iniquitate, & malitia peccantem,& in necessitate spirituali se constituētem, à qua liberè potest se exuere, si velit, non est medium ordinatum ponere animas nostras, aut aliquod damnum pro huiusmodi pati, sed propria eorum resipiscentia, cum sit eis adeò libera.

Eodem modo soluitur tertium D. Tho, non decere pro amico, aut proximo existente in extrema necessitate voluntaria, & ex iniquitate sua, à qua liberè potest se eximere, debere nos pati detrimenta aliqua, neque in corpore, neque in diuitijs, sed pro amico, aut proximo existente in necessitate simpliciter, & absolutè, à qua aliter liberari non potest,

Ad quartum respondeo, occidentem fratrem, ad sui defensionem cum moderamine in culpatæ non occidere illum ex intentione, neque vt statim dicemus contra Sotum cum Caiet. eligere illam occisionem, vt medium, sed solum eligere illam, vt effectum subsequutum ex propria defensione, quam tantum intendit.

Ad quintum constat ex dictis, aggressum posse defendere se, etiam si ipse suo peccato, vel conuitijs occasionem obtulerit aggressori, Sextum argumentum quærit,

CONTROVERSIA II,

LICEAT NE TVERI DIVITIAS, honorem, & alia temporalia etiam cum occisione aggressoris,

AVgustinus de Ancona, Gerson locis citatis,& Abulen, in c. 5. Matth, quæst. 31. putant non licere, voluntq; D August. in ea sententia esse, cum dicat, cap. 5. lib. 1. de libero arbit. [Pro his rebus, quas contemnere oportet,& (idest temporalibus) Non esse occidendum inuasorem.] Idem videtur docere in cap. si perfodiens de homicidio: habet enim licere occidere latronem nocturnum, quia, non est exploratum veniat ne ad occidendum, an verò ad furandum. Ex quo sequitur, vt si constet illum accedere tantum ad furandum, non posse occidi, vt in diurno, & ita non licere occidere pro defensione bonorum,

Et confirmatur, quia eodem cap. ait August. licet occidere furem diurnum, quando armis se defendit, ergo, quando non se defendit armis, sed tantum rapit bona, non licebit occidere illum pro sola inuasione bonorum. Et confirmatur ex lege diuina. Exod. 22. vbi apertè habetur. [Qui occiderit furem nocturnum, non erit reus homicidij, si verò occiderit, orto iam sole, imputabitur ei ad homicidium.

Denique fauet huic sententiæ, cap. suscepimus, ex homicid. vbi duo fratres comprehenderunt latrones volentes illos expoliare, eosque fortiter ligauerunt, cumque abijsset vnus ad consulendum Abbatem, alio in eorum custodia manente, interim qui mansit occidit illos, qui volebant vincula confringere, timens ne ab ipsis occideretur, con fultus Papa docet illos fuisse irregulares, quia expediebat potius relinquere, enam pallium, quàm pro tuendis rebus temporalibus illos occidere.

Oppositum docent D. Thom. hic ad secundum, & tertium,& apertius Caieta. in commento huius articuli, quos sequemur,

CONCLVSIO I.

Licet in defensione bonorum (modo sint alicuius momenti) occidere latronem.

DIco alicuius momenti, quia pro exigua pecunia, vel bono temporali nō est priuandus vita, sicut nec a iudice pro læui furto, ut dicemus, morte puniendus. Dixi latronem, hoc enim interest inter furem,& latronem, quod ille clam & occultè rapit, non illata vi, imo quamprimum videt sibi resisti aufugit,& relinquit præda: latro vero est, qui apertè,& illata vi rapit,& rapta nititur secum deferre, nec patitur, ut recuperentur. Vnde fur, cum sine eius interitu licet defendere bona, nō est occidendus pro bonis, latronem autem licet occidere, quia infert vim, nec ab eo licet bona propria tueri, aut recuperare, nisi etiam per vim.

Probatur iam conclusio sic explicata. Cum ratio mediorum sumenda sit ex fine, cui licet procurare finem, licet & media ad illum ordinata, & quibus vijs licet tendre in finem, licet & adhibere media, diuitiæ,& bona temporalia, quæ sunt alicuius momenti, sunt media necessaria,& ordinata ad tuendam vitam, ergo licet defendere illa, sicut & vitā, licet autem resistere cum vi volenti au ferre *vitam* per vim, ergo licet,& cum vi defendere bona à *latrone*, cum vi illa inuadente.

Secūdò, latro cum rapiat per vim, infert bellum iniquum; in bello autem iniquè illato licet hostem percutere, & occidere, ergo & latronem per uim rapientem,

Tertiò, non differunt latro domi mea bona inuadens noctu, vel die, & iatro euadens mea in itinere, hunc autem licet omnium consensu occidere, quando alia via mea bona in itinere tueri non valeo, ergo & illum.

Denique licet ex ordine charitatis magis debeā diligere vitam proximi, quam mea bona, non est tamen mihi commissa vita illius, nisi in casu necessitatis, cum tamen cura meorum bonorum mihi absolutè, & simpliciter commissa sit, sed ille aggressor,& latro non patitur, tunc necessitatem extremam, sed ex iniquitate sua vult rapere bona mea, ergo licet mihi in eo casu curare magis bona mea, quàm vitam illius. Vnde Cicero pro Milone: Hæc lex nō est scriptura, sed naturalis, ut latrones, & insidiatores viarum in defensionem bonorū occidere possimus. Et Quintil. lib. 5. instit. c. 10. Estq; communis sententia discipulorum D. Th.

Et de-

Et definita in vtroque iure, in ciuili. l. furem, ff. ad l. Cornel. de sicar. vbi dicitur: [Furem nocturnum si quis occiderit, impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit,] id est, sine suo damno, & ff. ad legem Aquiliam libro quarto. Et in iure canonico, c. interfecisti. De homicidio, vbi habetur: [Si sine odii meditatione te tuaque liberãdo huiusmodi membra diaboli interfecisti, si ieiunare volueris, bonum est tibi:] quasi dicat: si volueris, bonum est, non tamen teneris.

Ex his sequitur primò, cum pro defensione bonorum liceat occidere latronem, id licere, quamdiu durat defensio, durat autem, non solum quando latro actu, & per vim rapit, verum etiam quando secum defert, toto enim eo tempore est in fraganti delicto, & ita non modo, quando actu rapit, verum etiam quando defert, nisi alia via recuperari possit, licet eum occidere: quamprimum autem in aliquem locum tutum se recepit, non licet eum occidere, quia tunc iam definit esse inuasor, & inferre vim, sed solum est iniquus detentor, natura autem non concedit, vt iniquum detentorẽ possimus occidere, sed iniquum tantum inuasorem. Sequitur secundò; vt, si dñs bonorũ certò intelligat certitudine morali se alia via posse bona sua defendere, aut recuperare, q̃ occidendo latronẽ, non possit illũ occidere, quia tunc iã non esset inculpata tutela. Vnde dicitur l. sed et si. ff. ad leg. Aquil. [Si quis cum furem apprehendere possit, maluit occidere, iniuriam fecisse videtur.] Et in isto c. interfecisti in secunda parte c. definitur, vt qui iuridicè, vel alia via sua recuperare potest, non possit occidere. Dixi, certò, quia si sit dubius, in dubiis potior est ratio patientis iniuriã, & ita, quando est dubius, potest occidere: Et sic sunt intelligendæ leges, quæ videntur docere non posse aliquem priuata authoritate recuperare, vel defendere bona sua, intelligendæ enim sunt, quando alia via potest.

Testimonia verò illa D. August. nil aliud docẽt, quam non licere latronem, quando nil aliud præstat, quàm furari, nec aliqua vi, vel armis vtitur in sua rapina, agit enim de fure, qui tantum est fur, & non per vim: latro autem & inuadens bona per vim, iam non est simplex fur, sed inuasor bonorũ, & per vim rapiens, contra quem non negat D. August. licere vti armis, & vi, & vsque ad eius occisionem. Ad c. illud, suscepimus.

Respondeo, fratres illos excessisse moderamen, cum potuerint alia via se tueri, maximè secundũ, qui poterat illis dimissis, cum iam res suas saluas haberent, recedere, vel quamprimum vidit illis velle confringere vincula, potuit fugere, neque enim monacho infamia est fugere ab hoste. Panorm. & Ioan. And. dicunt fuisse illos in culpa, quia fuit vnus relictus in custodia duorum.

Alij respondent, & satis optimè clericis, & religiosis non licere omnia, quæ licent secularibus, cum debeant præstare mansuetudine, & ita licerè quidem eis ad se, vitamq; tuendam occidere aggressores, non autem ad tuenda temporalia, qui iam multo renuntiarunt.

Ex hac doctrina sequuntur multa: Primò licere interficere inuasurem pro defensione amici, vel innocẽtis cum eodem moderamine inculpatæ tutelæ, quia licet, vt constat, pro bonis, inter bona verò preciosum, & maximum est amicus maximè innocens. Ita est definitum in cap. dilecto filio. de senten. excomm. in sexto. Quod si obijcias. Exo. 2. Quando occidit Moyses Ægyptium inuadentem proximum suum Hebræum non excusatur, quia occiderit in defensionem innocentis, sed quia id id fecit diuina reuelatione, & occidit illum Ægyptium, vt hostem communem suæ gẽtis, & nationis. Sic B. Amb. in lib. de Moyse. & D. Stephanus, Act. 7. ergo non licet occidere priuata authoritate in defensionem fratris. Tum etiam, quia defendere fratres non est priuati hominis, sed publici ministri Iustitiæ,

Respondeo Moysen id fecisse diuino instinctu, vt docuit B. Stephanus. Tùm etiam iure naturę, quo fauendum est patienti iniuriam, & defendere innocentes, quacunque ratione patiantur damnum siue per vim, siue per calumniam ad solos iudices pertinere, defendere autem quãdo actu per vim inuaduntur ad omnes pertinere.

An autem liceat mihi occidere inuadentem bona proximi mei dubium est. Sed probabilior opinio est licere iuuando fratrem, ne suis expolietur, latronem occidere, quando scilicet, video latronẽ resistere, nec proximum habere vires ad illum superandum, vel saltem probabiliter dubito, an habeat tales vires, quia iure naturæ semper est potior ratio patientis iniuriam, & ei fauendum.

Sequitur secundò, licere occidere aggressorem cum dicto moderamine ad defendendum proprium honorem, vel famam, quia si licet pro bonis, maius bonum est honor, & fama, quia si licet pro bonis, maius bonum est honor, & fama, quàm alia quęvis res familiaris, & maximè necessaria ad sustentandam virtutem, & vitam tranquillè transigendam. Vnde si quis aggreditur virum nobilẽ, quamuis possit fuga se liberare ab illo aggressore, non tenetur fugere, sed potest illum se tuendo occidere. Quia viro nobili fugere est maximũ dedecus, & infamia, secus est de viro plebeio, qui nil ex fuga amittit honoris. similiter de clerico, vel religioso.

Et ratio est, quia in nobilibus honor eorum cõsistit in armis, quod non est in plebeis, & personis Ecclesiasticis. similiter si quis aggrediatur nobilem, vel virum honestum non ad occidẽdum, sed ad percutiendum arundine, vel baculo, aut alio percussionis genere, quod cedit in maximam infamiam potest aggressus ne ea infamia afficiatur, aggressorem dicto moderamine occidere. Sed objcies: Ergo licebit acceptare duellum, & ibi inimicum occidere, quia illud non admittere in nobilibus, quorum honor in armis consistit, est maximum dedecus, & infamia.

Secundò liceret occidere illũ qui vult per fraudem, & calumniam auferre mihi honorem.

Tertiò licebit occidere eum, qui me aliquo vulnere affecit, si ex eo vulnere mihi dedecus sequatur, quia sic repellitur illud dedecus, & infamia.

Ad primum vidimus, iam quid sentiendum sit de duello.

Ad secundum dico, licet honor, & fama sæpenumero sita sint, in hominum opinione defensionem tamen, vel recuperationem honoris, & famæ, quo ad modum recuperandi, & defendendi non esse sitam in hominum opinione, sed sumendam ex natura rei, natura autem rei hoc docet, vt vim vi repellamus, fraus autem, & calumnia non sunt vis, & ita nec repellendæ per vim, sed alijs vijs iuridicis, & honestis, sequeretur enim, vt supra diximus, si per vim liceret repellere fraudẽ, vel calumniam, maxima Reip. perturbatio.

Ad vltimum dico constare iam ex dictis licere occidere aggressorem volentem inferre vulnus, quia tũc infert vim, licetque similiter illam vi repelle-

pelle-

tibus, quos capere nullo modo potest, qui iustè præliatur, potest tunc comburere locum illum & innocentes cum nocentibus occidere, velleque mortem innocentium non vt finem, neque ut medium, sed tantum vt effectum consequutum, sed similiter se haber aggressus occidens aggressorẽ, quem aliter euadere non potest, ergo.

Secundo D. Thom. distinguit hic inter iudicem & priuatum ciuem, vt huic non liceat intendere mortem sui aggressoris, iudici vero liceat intendere, mortem malefactoris, si loquamur de huiusmodi occisione, vt fine, neque iudex potest illam intendere, sed solum, vt medium necessarium bono communi, ergo, vt ab illo differat priuatus, asserẽdum est iuxta D. Tho. priuato aggresso, neque licere velle illam vt medium, sed solum, vt effectũ consequutum, ita vt habeat hunc animum: Ego volo me defendere etiam si ex mea defensione sequatur mors.

Hæc sententia est multo probabilior, argumentum vero Soti solutum manet ex secunda obseruatione, media directè, & natura sua ordinata ad finem honestum honesta esse, & appeti posse, quæ verò talia non sunt, sed secundum se mala, non honestari ex fine, neque esse appetenda, vt media occisio aggressoris non est medium ordinatum ad se defendendum, sed solum bellum, & ita non licet illam velle, vt medium, sed solum, vt effectum subsequutum.

Cæterum licet hæc sententia Caiet. speculatiuè sumpta, & in scholis probabilior sit, difficillimum est homini in actuali conflictu, & in periculo vitæ constituto animaduertere, ne velit mortem sui aggressoris, vt medium, sed solum vt effectum, & vti ista distinct. quam ferè nullus alius a Theologis nouit, esseq; reuera illaqueare conscientias, obligare omnes fideles ad tantam peritiam. Vnde dico sufficere aggresso, ut habeat hunc animum, nullo modo vellem hũc occidere, sed aliquam mihi patere viam, vt me tueri possem sine ipsius occisione, quia tamen nulla alia patet, necesseque est vel illum, vel me perire, præstat ipsum perire, qui mihi iniquè iniuriam infert, & propterea illum occidam, siue id velit, ut medium necessarium, siue vt effectum: possumus enim dicere occisionem aggressoris simpliciter non esse medium ordinatum & per se, in hoc tamen casu homini ad tales angustias redacto esse medium ordinatum ex iniquitate aggressoris, æquiualereq; in hoc casu istas duas propositiones, volo hunc occidere, cum aliter nõ valeam me defendere, & volo me defendere, etsi inde sequatur huius mors.

ARTICVLVS VIII.

An qui casu alium occidit incurrat homicidij reatum.

OBseruemus initio nomine reatus tria significari.

Primò culpam ipsam. Secundo vinculum luendi pœnam illi culpæ debitam. Tertio pœnam ipsam. Agit D. Thom. de primo, & tertio, nempe quam culpam committat homicida, & quam pœnam incurrat per homicidium, de quibus consulendi sunt idem D. Tho. 1. 2. q. 72. ar. 5. & q. 87. ar. 1.

Obseruemus secundo casuale nõ accipi hoc loco eo modo quo sumitur ab Arist. 2. Physi. pro eo, quod accidit omnino præter intentionem agentis, estque omnino inuoluntariũ, sed pro eo, quod quacunque ratione euenit præter intentionem, & voluntatem agentis, vnde cum voluntarium sit duplex, aliud simpliciter & directè, nempe quod per se, & absolutè intendit agens, aliud indirectè, & reductiuè, quod per se, & simpliciter non vult, dicitur autem velle, qui potuit impedire, nec impediuit: efficitur quantum ad præsentem disputationem, ut homicidium sit triplex quoddam voluntarium omnino, & simpliciter, quod directe, & per se intenditur ab agente, aliud casuale omnino & simpliciter, quod omnino accidit præter intentionẽ agentis, aliud verò medium inter hæc, quod directè, & per se non intenditur ab agente, potuit tamen impedire causam, qua illud homicidium accidit, nec voluit impedire.

Ex his fit, vt aliquod homicidium dicatur verè casuale in genere moris, nec imputetur ad culpam aliquam ei, qui occidit, requiri hæc quattuor.

Primò, vt non sit directè intentum, & volitum ab occidente, nam aliter iam esset voluntarium, & non casuale.

Secundò, vt verè sequatur mors ex ipsa actione, & non aliunde: verbi gratia, si dominus corrigẽs, ac puniens famulum afficiat illum vulnere, quod ex se lethale non est, culpa autem percussi, vel negligentia chirurgi ille moriatur, in hoc casu non est imputanda mors illa ad homicidium illi domino, quia hæc mors verè, & propriè non est sequuta ex illa punitione, sed aliunde, culpa scilicet infirmi, vel chirurgi, debet autẽ mors, vt percutienti imputetur ad homicidium sequi verè, & propriè ex actione percutientis, vt definitum est in c. ad audientiam. in c. Presbyterum. ca. Ioannes. de homicid. Est autem illa percussio læthalis, & illud vulnus læthale, ex quo homines communiter moriuntur, in dubijs consulendi sunt periti Medici, vel Chirurgi, & standum dicto illorum: Quo fit, vt quemadmodum non est iudicãdus homicida, qui nõ intulit vulnus læthale, etiam si percussus aliunde moriatur, ita quoque in foro animæ sit iudicandus homicida, & incurrere culpam homicidij, qui intulit vulnus ex se læthale, quãuis percussus non moriatur.

Tertiò, requiritur ad homicidium casuale, vt qui occidit alium fortuito actu, non teneretur illũ impedire, quamuis potuerit, quia in moralibus, vt aliquid imputetur ad culpam, non sat est potuerit operans vitare illud opus, sed exigitur etiam, vt teneretur. Verbi gratia, si dum quis venatur emissa sagitta aliquem casu occidit, & adhibuit prius debitam diligentiam, non est illi hæc mors imputanda ad homicidium, quia etsi potuerit abstinere à venatione, non tamen tenebatur.

Vltimo exigitur, vt non det operam rei illicitæ, adhibeatque omnem diligentiam, & circumspectionem, quę prudenter adhibenda est, ne mors alicuius sequatur. Quid intelligatur nomine rei illicitæ explicabitur inferius. Interim voco rem illicitam, quæ in se periculum continet homicidii, vt ludus gladiatorum, torneamentorum. & similia. Debita autem diligentia, & circumspectio sumenda est ex circumstantiis, loci, temporis, & personarum, ac qualitate negotii.

CONCLVSIO PRIMA.

Homicidium casuale, qua casuale est, non est peccatum, qua parte verò aliquid habebit voluntarij, peccatum esse potest.

Patet

PAtet ex definitione peccati, quam habet D. Aug. contra Faustum, peccatũ enim ideo peccatum, quia voluntarium.

CONCLVSIO II.

Dans operam rei licitæ, omnemque adhibens diligentiam, ne cui noceat, si aliquem casu occidat, neque peccat, neque est homicida.

PAtet, quia sic occidens neque directè, neque indirectè, neque per se, neque per accidens cõsentit in illam mortem, sed est omnino, & merè casualis, vbi autem nullo modo interuenit consensus, nulla est culpa.

CONCLVSIO III.

Dans operam rei illicitæ, quamuis non adhibeat debitam diligentiam, si aliquem occidat, contrahit culpam homicidij.

PAtet, quia sic occidens indirectè, & reductiuè consentit in illam mortem.

Circa hanc vltimam conclusionem statuit hanc regulam Caiet. vt quando aliquis dicitur incurrere culpam homicidij, quia occidit, vel dãdo operam rei illicitæ; vel ex negligentia, homicidiũ illud, talis culpa sit qualis fuit, quam commisit in sua causa, nempe vel in exercenda re illa illicita, cui dabat operam, vel in negligentia. Vnde si exercendo rem illam illicitam nõ peccabat nisi venialiter, homicidium subsequutum veniale tantum est, quod si res illa erat mortalis, homicidiũ mortale erit. Idem iudicium faciendum est de negligẽtia, ita habetur in cap. dilectus: extra de homicidio, vbi cum quidam clericus, dum equitaret laxis habenis, occidisset puerum, quia æquum detinere non valuit, consultus Pontifex. An homicidium illud esset imputandum illi clerico ad mortale.

Respondit, non, sed ad veniale tantum, quia clericum æquitare, veniale tantum est. Hæc regula Caietani est. Beati Augustini libro 2. cõtra Faustum, capit. 44. & habetur 15. quæstio. prima, cano. Inebriauerunt, vbi ait agens de incestu Loth, culpandus est Loth non quantum incestus ille, sed quantum ebrietas illa meretur, quasi dicat peccatum subsequutum præter intentionem agentis de aliqua causa eiusdem esse grauitatis, & culpæ cuius est causa ipsa.

Circa hunc articulum agendum est, de pœnis quas incurrunt homicidæ quarũ aliæ ciuiles sunt, aliæ verò Ecclesiasticæ, de ciuilibus disputent iuristæ, de Ecclesiasticis pertinet ad nos agere, conrentur autem hæ nomine irregularitatis, propter quod de ea agendum est. De qua disputant Theologi in quarta distin. 25. Thomistæ in additionibus tertiæ partis, Diuus Thomas q. 39. Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 4. & 9. Alphonsus de Castro lib. 2. de lege pœnali. c. 14. conclus. 1. & cap. 15. concl. 3. Doctor Nauar. in suo Manuali. c. 27. a nume. 209. vsque ad 240. Et in c. Finali. 14. q. 9. a num. 13. vsque in finem, Couarru. in Clementina si furiosus, De homicidio. p. 2. & 3. Canonistę in decretis dist. 50. In decretalibus ti. de Homicidio, in decretalibus in sexto, & in Clementinis, Summistę in verbo, Homicidium, Irregularitas. Mutilatio.

In hac disputatione obseruemus primò, Irregularitatem tam à Theologis, quam à Iuristis definiri, impedimentum iure positiuo introductum, quo prohibetur susceptio ordinum, vel eorum vsus, Dicitur iure positiuo introductum, quia iuxta cõmunem sententiam Doctorum nulla irregularitas habetur modo iure naturali, aut diuino introducta, non iure naturali, quia ratio naturalis nil circa hæc præscribit, neque iure diuino, quia omne ius diuinum aut constat ex Sacra Scriptura, aut ex doctrina Ecclesiæ, sed nullus est locus in Sacra Scriptura, in quo quis prohibeatur à susceptione, vel vsu ordinum neque vllibi docet Ecclesia Deum id præcipere, Vnde à solo iure Ecclesiastico est, & ita sunt in iure varij tituli de hac re: Ne clerici, vel Monachi, de homicidio, de clerico percussore, &c. Quod si obijcias, in lege veteri haberi aliquos irregulares, quibus non licebat fungi sacerdotio, tũ etiam in canonibus Apostolorum impediri bigamos, & homicidas.

Respondeo quæ continebantur in lege veteri fuisse cæremonialia, & iudicialia pertinentia ad illum populum, quæ iam cessarunt omnino, canones vero Apostolorum, omnium consensu pertinere ad ius positiuum, sicut, & constitutiones eorundem, fuerunt enim conditi ab ipsis in concilio quoddam Hierosolymitano, antequam diuiderentur in vniuersum urbem ad prædicandum Euangelium, condiderũtque illos non quasi explicantes aliquod diuinum præceptum à Christo acceptum, sed vt Episcopi statuentes quæ illis videbãtur magis congrua Ecclesiæ, ac fidelium gubernationi.

Ex hoc fundamento sequitur in nullo casu constituendam esse irregularitatem, nisi quando fuerit in iure expressa, in quo omnes conueniunt. Et probatur primò, quia cum non sit à iure naturali, aut diuino, sed ex solo humano pontificio, tunc tãtum contrahitur, quando ius illã applicat, & imponit, sicut ea quæ non sunt natura sua, & intrinsecè mala, sed eo solo nomine quia probibita, tunc tantum mala sunt, quando prohibentur præcepto aliquo, Secundo quia cum irregularitas, sit impedimentum, & prohibitio res odiosa, consequenter restringenda est, nec imponenda nisi quando expresse habebitur in iure, colligiturque apertè ex. c. Is qui de sententia excommunicationis in 6. vbi dicitur celebrantem coram excommunicatis, vel in Ecclesia polluta semine, vel sanguine *non* incurrere irregularitatẽ, & assignat rationem, quia non habetur talis irregularitas in iure. Vbi obiter obserua corrigendum esse locum D. Soto loco cit. ar. 4. siue sit culpa Authoris, siue Typographi, vbi ait effundentem, semen vel sanguinem in Ecclesia in notabili quantitate incurrere irregularitatẽ, hoc enim est falsum, quia vt bene notat Nauar. illo capit. 27. num. 194. non habetur id in iure, imo in vniuersum dicitur in illo c. Is qui non esse irregulatem celebrantem in Ecclesia polluta, nec distinguit in quantitate magna, vel exigua. Et vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus maxime in odiosis. Vnde cum celebrans in tali Ecclesia nõ sit irregularis, neque polluens illam erit irregularis, cum minus sit effundere semẽ, vel sanguinem in Ecclesia, quam celebare in illa.

Obseruemus secundò duplicem esse irregularitatem, alia quæ contrahitur sine vllo peccato, uel culpa, sed ex solo defectu significationis, vt quæ contrahitur ex bigamia, quia deficit in bigamo repræsentatio disponsationis Christi cum vnica, & sola Ecclesia, & vnionis verbi cum humanitate: similiter quæ contrahitur ex homicidio voluntario iusto, vt in iudicibus, deficit enim in eis repræsentatio

tatio lenitatis Chriſti, & quę contrahitur ex fœditate, & turpitudine mēbrorum, quia deficit in eis repræſentatio pulchritudinis Chriſti, & dignitatis Sacramenti euchariſtiæ, ad quam ordinantur omnes gradus, & ordines eccleſiaſtici, dicitur, hæc irregularitas ſignificationis. Alia eſt quæ contrahitur ex peccato, vt quando excommunicatus excommunicatione maiori ſuſcipit ordines, vel in eis celebrat, vel miniſtrat, quæ dicitur irregularitas in pœnam peccati, agendum eſt hic potiſſimè de ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, vel caſuali. Vbi obſeruandum eſt quotieſcunque in iure decernitur irregularitas pro aliquo actu intelligendum eſſe de actu externo, per actum enim internum ſolum, nō incurritur irregularitas, quia eſt pœna eccleſiaſtica, eccleſia autem non iudicat de internis, neque punit niſi ſolos actus externos, internos vero nunquam, niſi procedant ad externos, & opere compleantur, His poſitis videamus primo,

CONTROVERSIA I.

AN PER QVAMLIBET OCciſionem, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, ſiue voluntaria, ſiue caſualis contrahatur irregularitas.

PLurimum obſeruāda eſt hæc quæſtio propter varia iura, in quibus omnes occiſores, & mutilatores, imo omnes percuſſores, vel ſumentes arma decernuntur irregulares, vt patet Can, epiſcopum. d. 45. c. Aliquantos. d. 51. & 23. quæſt, 8. can. 1. & cau. Clerici. & can. Quicunque de homicidio voluntario, c. De cæterum. & c. ad Audiētiam, & alijs multis in locis, quæ affert Sylu. Homicidium tertiò, cum tamen reuera, & iuxta omnes Doctores nō ſint cenſendi irregulares, niſi qui actu occidunt, & mutilant, Vnde accuratè oportet intelligere, qui ſint ob homicidium, vel mutilationem irregulares. & textus qui ob ſolam percuſſionem vel eff[u]ſionem ſanguinis, aut ſumptionem armorum videbuntur imponere irregularitatem, explicandi ſunt in ſano ſenſu, quando ex ea percuſſione mors vel mutilatio fuerit actu ſequuta.

Vnde ſuppoſita illa diuiſione homicidij iam explicata in aliud omnino ſimpliciter ac formaliter voluntarium, aliud omnino, & ſimpliciter caſuale, aliud verò directè caſuale, ſed indirectè, & reductiuè, ac implicitè voluntarium, obſeruemus, licèt propriè, & in rigore loquendo latius pateat occiſio hominis quàm homicidium, quia occiſio dicitur de quacunque occiſione tam inculpabili, & iuſta, quam culpabili, & iniqua, homicidium verò de ea tantum, quæ iniuſta eſt, & contra rectam rationem, in hac tamen diſputatione confunduntur ſæpe iſtæ voces in iure, & à Doctoribus, ac D. Thom. vocant enim homicidium hic quamcumque occiſionem, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, ſiue voluntariam, ſiue caſualem.

Obſeruemus ſecundò duplicem eſſe irregularitatem ex homicidio voluntario aliam, quæ cōtrahitur ex homicidio iuſto, & ſine peccato, vt in iudice, & aliam, quę contrahitur ex homicidio iniuſto, & peccato vt in vero, & culpabili homicida, in quibus hoc per ſe requirit irregularitas, vt homicidium ſit voluntarium, quod verò cum peccato ſit, aut ſine eo, per accidens eſt reſpectu irregularitatis, non enim contrahitur ex homicidio, quia peccatum eſt nam ita ex omni peccato contraheretur, ſed quia deficit per homicidium ſignificatio, & repræſentatio Chriſti, vt vidimus art. 4. qui defectus non reperitur, niſi quia in homicidium aliquo modo conſentiunt.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando ex percuſſione, & vulnere non ſequitur actu mors, etiamſi vulnus Lethale fuerit, & percuſſus miraculosè illam euaſerit, non incurritur irregularitas.

HÆc eſt communis apud omnes, & confirmatur, quia in iure non decernitur irregularitas, niſi pro homicidio reuera, & actu ſubſequuto, vt optimè obſeruat Panorm. in illo can. Clerici. 23. quæſt. 8. vbi ait ſola ſanguinis effuſio non inducit irregularitatem. Et idem Gloſ. in Clementina vnica de homicidio, imò eſt aperta doctrina eiuſdem Clementinæ: habetur enim ibi illum eſſe irregularem, qui occidit, vel mutilat, ſola autem percuſſio, niſi actu ſequatur mors, vel abſciſſio membri, non eſt occiſio, nec mutilatio.

Et confirmatur, quia odia ſunt reſtringenda. Ex quo ſequitur deceptos eſſe quoſdam iudicantes percuſſores clericorum, ſi ita percutiant, vt incidant in cano. Si quis ſuadente diabolo, manere irregulares, hoc falſum eſt, quia in illo canone, ſi quis ſuadente, &c. percuſſores clericorum ſolum excommunicantur, & nullùs eſt textus, qui huiuſmodi. niſi ſequatur mors, vel mutilatio, diſcernat irregulares, nec ſunt confundendæ cenſuræ excōmunicationis cum irregularitate. Quod ſi dicas, irregularitas eſt impoſita homicidæ, infligens autem vulnus læthale eſt verè homicida, ergo.

Reſpondeo iſtum eſſe quidem homicidam in foro animæ, & imponendam illi à confeſſario pœnitentiam, vt homicidæ, in foro autem exteriori non eſſe homicidam, quo ad irregularitatem, cū hæc à iure ſolum imponatur verè occidenti, aut mutilanti. Et cum irregularitas ſit à iure, non eſt imponenda, niſi exprimatur, vt diximus, in iure,

CONCLVSIO II.

Si accidat quidem mors, non tamen ſequatur ex vulnere percutientis. ſed aliundè, vt ex culpa infirmi, vel ex ignorantia, aut negligentia chirurgi, non incurritur irregularitas.

OPpoſitum ſentit Couarr, in Clemen, ſi furioſus. p. 2. §. 2. nu. 9. ſequutus Hēricum, & Guilelmum: quod ita probat. in cap. fin. de Homicidio voluntario, iuſſit quidam dominus famulo ſuo, vt verberaret ſeruum, accidit, vt famulus ille modum excedens occiderit ſeruū illum, interrogatus Pontifex, an dominus ille, qui ita iuſſit, maneret irregularis, reſpondit affirmatiuè, manere. Ex quo ſic arguit Couarru. Cum ille dominus impoſuerit modum in ſua iuſſione, ne occideretur verberandus, mors illa non eſt ſequuta ex ſola iuſſione domini, ſed aliunde ex illo exceſſu verberantis, & nihilominus manet irregularis, ergo quando ſequitur mors, etiamſi ſequatur aliunde, incurritur irregularitas. Concluſio tamen poſita eſt communis inter diſcipulos D. Thom. & eſt expreſſa in cap. ad audientiam. & cap. Presbyterum, extra de homicidio, in cap. enim Presbyterum declaratur

Hæc autem protestatio non habet locum nisi in ciuilibus, vbi exigitur restitutio debiti, vel furti, nam in criminalibus ridiculum esset accusare aliquem de crimine capitali, & protestare, se nolle mortem illius. In his conclusionibus, ferè in omnibus conueniunt Doctores maximè in prima, secunda, & tertia, oriuntur tamen citra eas nonnullæ dubitationes optimæ. In primis circa quartam.

CONTROVERSIA II.

AN QVI IN SVI, VEL SVORVM bonorum defensionem occidit inuasorem, sit irregularis.

HAbet multa in hac quæstione Couarr. in illa relecti. in c. Furiosus p. 3. §. vnico, nume. 4. & seq. sed omissis aliorum opinionibus.

CONCLVSIO I.

Qui occidit inuasorem seruato illo moderamine inculpata tutelæ in defensionem propriæ vitæ, non incurrit irregularitatem.

HAbetur expressè in Clementina vnica de homicidio. Hanc Clementinam, Nauar. cap. 27. nume. 209. non vult esse nouam definitionem Ecclesiæ, sed declarationem antiqui, & semper obseruati iuris. Sed pace tanti Doctoris probabilius est antiquitus occidentem aliquem in suam defensionem fuisse irregularem, quia ad eam sufficit homicidium voluntarium sine vllo peccato, vt in iudice. Et probatur ea D. Thom. qui art. præcedenti ad tertium ait clericum occidentem aliquē etiam in sui defensionem esse irregularem. quod non dixisset D. Thom. vt benè in commento obseruat Caietan. si suo tempore extitisset ista Clementina, aut illos ea cipiens.

Obiicies tamen contra hanc conclusionem, in Concil. Trid. sess. 14. de reformatione cap. 7. habetur si homicidium committatur vim vi repellendo in defensionem propriæ vitæ, dispensationem committendam esse ordinario, ergo contrahitur irregularitas, quia aliter quid opus est dispensatione?

Respondeo concilium loqui in re dubia quando dubitatur, An ille qui vim vi repellit, excesserit modum inculpatæ tutelæ. Etenim si nullo modo excessit, nulla opus est dispēsatione, si verò est dubium, & maneat aliquis scrupulus, ad maiorē cautelam dispenset Ordinarius.

Hæc etiam conclus. intelligenda est, quando alitet vitam tueri non valuit nisi occidendo inuasorem, nam si potuit se tueri fugiendo, & non fugit, quamuis non teneretur fugere, irregularis est, habet enim Clementina ista illum non esse irregularem, quando aliter euadere non potuit.

Et confirmatur, quia virum nobilem eo nomine dicimus non teneri ad fugiendum, sed posse inuasorem occidere, quia fuga nocet grauiter honori ipsius, & potest occidere inuasorem in defensionem honoris, at quamuis liceat occidere in defensionem honoris, qui tamen ita occideret, vt statim dicemus, esse irregularis, ergo qui occidit inuasorem, ne fugeret, cum posset fugere, verè est irregularis, quia perinde est, ac si occiderit in defensionem honoris.

Ex conclus. posita sequitur eum qui occidit inuasorem, vt se defendat, ne membrum aliquod sibi abscindatur: non esse irregularem, quia idem est quod se tueri, & aliter euadere non posse, & in hoc omnes conueniunt, vt docet Couar. loco cit. Et allegat Syluest. Homicidium. 3. q. 4. & Cardinalem in illa Clementina Si furiosus. Sed quid quando quis occidit inuasorem, ne recipiat ab illo aliquod vulnus graue, vel deforme? huiusmodi iudicant nonnulli recentiores, & viri periti non incurrere irregularitatem, quia sic se defendens reuera tenetur se ipsum, cum omnia ista pertineāt ad vitæ consistentiam. Maior difficultas est de occidente alium in defensionem proprij honoris, diuitiarum, vel amici, quod eom dupliciter accidere possit, vel ita vt potuerit quis occidere inuasorem suorum bonorum honoris, vel amici, non tamen tenebatur ad id ea præcepto, sed poterat pati detrimentum in illis, vel ita vt non potuerit tale detrimentum pati, sed teneabatur ex præcepto honorem suū vel bona tueri, vt necessaria suæ familiæ, vel amicum, de vtroque videamus oportet.

AN OCCIDENS INVASOrem pro defensione diuitiarum, honoris, vel amici, quando ad talem defensionem non tenebatur ex præcepto, sit irregularis.

COuarru. in illa Clementina Si furiosus par. 3 §. vnico, num. 4. ait tria.

Primò inuasum, quādo potest fugere, teneri ad fugiendum, etiam si ex tali fuga sequatur infamia, nec posse tunc occidere inuasorem, quod etiam docet in eadem Clement. Modernus Parisiensis.

Ait secundò occidentem aggressorem in defensionem proximi, vel amici, aut diuitiarum non esse irregularem, in quo sequitur Fortunium in l. vt. vim vi. ff. de iure. Primum dictum Couarru. constat ea supra dictis falsum esse, quia si pro diuitijs, quod etiam concedit Couarru. licet licebit etiam pro honore, & fama tuenda, quæ adeò præstant diuitijs, vt benè docet Syluest. verbo Bellum secondo no. 12. secundum dictum quod est huic quæstioni proprium probat Couarr. Primò ex cap. Secundò extra de homicidio voluntario, vbi dicitur Clericum occidentem inuasorem, vt defendat vitam, & res, non esse deponendum: interpretatur nec excommunicatum, nec irregularem.

Secundò, Maxima est communis inter omnes Iuristas, vt qui occidit aliquē actione licita, id est dando operam rei licitæ, non fit irreghlaris, sed qui occidit aggressorem in defensionem bonorū, vel proximi dat tunc operam rei licitæ, ergo.

Tertio tale homicidium non est voluntarium, ergo per illud non incurreretur irregularitas, Antecedens patet, quia sic occidens, cum vtatur debito moderamine, non vellet illum aggressorem occidere, imò homicidium illud, vt diximus, iuxta probabiliorem opinione neque est volitum vt finis, neque vt medium.

Quartò, ex communi sententia Doctorum in illo cau. Si quis suadente diabolo, si quis percutiat clericum ad defendendum proximum non incurrit excommunicationem, ergo neque irregularitatem.

Oppositum docent Sylu. loco citato, & verbo, Excōicatio, 6. n. 6. & Caie. in sum. Excōmunicatio, c. 10. Et omnes ferè discipuli D. Thom. Vnde fit,

CONCLVSIO PRIMA.

Qui occidit inuasorem in defensionem proprij honoris, diuitiarum, aut alicuius proximi est irregularis.

PRobatur, sicut non est ponenda irregularitas, nisi habeatur in iuri, ita nec negãda, si existat in iuri, nisi quando aut per aliud ius reuocatur, vel sit aliqua exceptio, sed in iure imponitur irregularitas contra omnes volũtarias occisiones siue iustas, siue iniustas, vt constat ex quarta conclus. ex proposita, à qua lege communi non excipiuntur in eodem iuri nisi ij tantum, qui occidunt inuasorem in defensionem propriæ vitæ, quando aliter euadere non possunt, vt apparet ex illa Clementina vnica de homicidio, ergo. Hæc est communis sententia omnium Doctorum tam Theologorum, quàm Canonistarum præter Couarru. & nonnullos, quos adduximus.

Ad primum argumentum ipsius respondeo verba illius textus intelligenda esse copulatiuè, si occidat in defensionem sui, & rerum suarum, Vel dico depositionem aliquid amplius continere, quã contineat irregularitas, textus verò ille non ait, vt maneat irregularis, sed vt deponantur.

Ad secundum dici illam maximam esse veram de homicidio casuali, quando occidens dat operam rei licitæ, & adhibuit omnem diligentiã, at si homicidium voluntarium sit, etiamsi fiat actione licita, & debita, esse obnoxium irregularitati, vt in iudice.

Ad tertium dico tale homicidium non esse volitum directè, & per se vt finem vel medium, esse tamen volitum indirectè, vt effectum subsequutũ, quod sufficit ad irregularitatem, cũ non excipiatur in iure: Ad vltimum respondeo cum Sylu. & Caie. locis ci. verbo Excommunicatio non esse simile de excõmunicatione, & irregularitate, percutiens enim clericum in eo casu non est excommunicatus, quia tali percussio fuit licita, & iusta, excommunicatio autẽ non incurritur, nisi per peccatum mortale, irregularitas autem per quodcunque homicidium quouis modo voluntarium, etiã si iustum, & debitum, vt in iudice. Videamus,

AN OCCIDENS INVASOREM ob defensionem sui honoris, diuitiarum, vel proximi, quando tenetur ista defendere ex præcepto, maneat irregularis.

TRes sunt in hac quæstione opiniones. Prima omnino negatiua, huiusmodi nõ manere irregularem, necessario. n. debet sic sentire Couarru. & qui illum sequuntur, quia si irregularis non est, qui pro huiusmodi defendendis occidit inuasorẽ, quando non tenetur ex præcepto illa tueri, multò minus erit irregularex, quando tenetur ad eorum defensionem ex aliquo præcepto: potestq; sic hæc opinio probari. Irregularitas est duplex, alia quæ incurritur ex defectu significationix, alia verò, quæ incurritur ob aliquam culpã, in hoc casu non incurretur ob aliquam culpam, cum ad id teneatur ex præcepto, neq; ex defectu significationis, Probo, defectus hic in eo consistit, quod non retineatur mansuetudo Christi, sed sic occidens nõ occidit ex defectu mansuetudinis, sed quia ad id tenetur ex præcepto, ergo. Et confirmatur. Hic exercet actum iustitię, vna autem virtus non contrariatur alteri, ergo hic actus non contrariatur mansuetudini, quæ etiam virtus est, sicut iustitia.

Secundò, nullus debet prohiberi ab exequutione sui officij, vel impediri, quominus ad altius munus ascendat, ex eo qđ obseruet pręceptum aliquod diuinũ, & naturale, ad quod tenetur, ergo.

Tertiò nullus potest per ius positiuum impediri ad obseruantia pręcepti diuini, & naturalis, sed si imponatur irregularitas huiusmodi occisoribus per talem censuram, retrahuntur & quasi impediuntur ab obseruantia huiusmodi defensionis, ad quam tenentur iure naturali, & diuino, ergo.

Secunda sententia est omnino opposita, irregularem esse eum, qui ita occidit aggressorem, etiã si occidet pro defensione totius Ecclesiæ, vel Reipub. Christianæ. Hæc est communis inter Thomistas q. 40. art. 2. quam sequitur Nauar. in illo c. 27. nu. 7. ratio est eadem qua probata est opinio quã sequimur præcedenti quæstione, quia in iure decernitur irregularis quicunque voluntarie occidit, à qua irregularitate nullus excipiendus est, nisi ab ipsomet iure excipiatur, à iure autem is solum excipitur, qui occidit in defensionem proprię vitæ, quam aliter tueri non potest. Quæ ratio efficacissima est, cum in his standum sit omnino iuri positiuo, neque aliud defini ẽdum præter id, quod est iure definitum, Secundò, irregularitas quæ cõtrahitur ea homicidio, non nascitur ex eo quod tale homicidium sit culpa, sed ex eo quod sit volũtariũ, vt in iudice, ergo ẽt si fiat sine vlla culpa, imò cum debito, & præcepto, vt accidit in ipso iudice, qui ex officio, & præcepto naturali, & diuino tenetur occidere malefactores, si sit voluntarium, inducit irregularitatem, huiusmodi est homicidium, de quo agimus, ergo isti sunt irregulares à iure, cum in eodem iure non excipiantur.

Tertia opinio quæ modò placet multis viris peritis, media est inter istas duas, habet hæc sæcularem siue religiosum nondum promotum ad aliquem sacrum ordinem, occidentem aliquem in defensionem honoris, vel diuitiarum, etiam si ad talem defensionem teneatur, manere *irregularẽ*, quia nondum promoto ad ordines sacros irregularitas non est pœna, sed inhabilitas quædam significationis, qua impeditur, vt non possit promoueri ad sacros ordines quam potest sine culpa cõtrahere, sicut iudex iuste iudicans, quod est primum argumentum secundæ opinionis, quod si is qui alium occidit pro defensione honoris, &c. sit iam constitutus in sacris, non manet, inquiunt, irregularis non modò occidendo aggressorẽ, quando tenetur occidere, verum etiamsi occidat aggrediendo, quãdo tenetur aggredi ex præcepto, quia in constituto in sacris irregularitas est pęna, & priuatio exequutionis officij, quæ non potest incurri citra culpam, qui verò in hoc casu aggressorẽ occidit, vel illum aggreditur, nullam committit culpam, cum faciat, vt constituimus, id ad quod tenetur. Et confirmatur suspensio ab ordine per aliquod tempus est pœna, & grauissima, licèt sit tantum priuatio quędam temporalis exequutionis officij, ergo à fortiori irregularitas in habente ordines est pœna, cum sit priuatio perpetua ab exequutione officii.

Secundò, persona cõstituta in sacris per huiusmodi occisionem non incurrit irregularitatem ratione culpæ, quia nullam cõmittit, nec ex defectu

repræ-

repræsentationis lenitatis Christi, ergo non manet irregularis. Quod nullam committat culpam, constat: quod nec desinat repræsentare Christi lenitatem, ostendo, quia per votum annexum sacris ordinibus, quo firmiter se dicauit muneri Ecclesiastico, ità vt nullo modo possit iam citra mortalem culpam exercere officium, vel iudicium sanguinis, repræsentat satis illam lenitatem, quæ nō est in laicis, hi namque cum non habeant tale votum, nec præceptum, possintque liberè, & absque necessitate exercere iudicium sanguinis, non repræsentant istam lenitatem, quando occidunt aliquem, etiamsi id faciant ex præcepto.

Ex his opinionib. hæc tertia opinio placet multis recentioribus, mihi tamen magis probatur secunda, quæ inter Thomistas communior est, quia primum illud argumentum quo probatur efficacissimū est. Ex regula toties statuta irregularitatem incurrere quemcunque occisorem voluntarium, nisi in iure excipiatur, in iure autem nō excipitur, nisi iste tantum, qui occidit in defensionē propriæ vitæ, quando aliter euadere non potest.

Secundò quia est doctrina D. Thom. q. 40. de bello. ar. 2. & communis est inter Thomistas, irregularem esse clericū nullum, qui occidit aliquem in defensionem etiam suæ patriæ, quando clericus ille vitam suam aliter tueri potest.

Tertiò, quia iuxta istam distinctionem, quā habet hæc tertia opinio, debet concedere constitutum in sacris non incurrere irregularitatem, nisi occisio, quam exercet sit peccatum mortale, quia vult hæc opinio irregularitatem in constituto in sacris esse pœnam, quæ non est imponenda, nisi pro peccato mortali cum sit adeò grauis, iuxta quam sententiam clericus quoque occidēs aggressorem pro defensione sui honoris, vel diuitiarum, quando non tenetur ex præcepto, sed potest cædere suo iuri, & pati illud damnum, non esset irregularis, quia tunc non peccat mortaliter, cum liceret illi ita occidere, quando tamen est contra communem sententiam, & contra Authores quoque oppositæ sententiæ.

Vnde ad argumenta primæ opinionis respondeo. Ad primum in hoc casu contrahi irregularitatem ex defectu significationis, sicut in iudice iustè condemnante latronem, quia licèt clericus habeat votum implicitum non exercendi officium sanguinis, eo autem ipso, quo effudit sanguinē, & occidit, etsi actu iusto, & debito, deficiat iam in eo repræsentatio lenitatis Christi, qui nec occidit, iudicauit ad sanguinem, nec occidit, aut in iudicio, aut extra iudicium. Vnde sicut nondum promotum oportet non promoueri ad ordines, quia effudit sanguinem, quamuis sine culpa, ita decet, vt iam promotus nō exerceat, aut ministret in suo ordine, cum effuderit quoque sanguinem, licèt sine culpa illum fuderit.

Ad secundum respondeo nullum esse incommodum, vt per actum virtutis reddatur aliquis inhabilis ab exequutione officij, & ministerij Ecclesiastici.

Primò, quia vt Authores eiusdem opinionis cōcedunt, qui occidit, quando non tenetur illa defendere, redditur irregularis, at occidere inuadentem proximum innocentem actus charitatis est.

Secundò, quia in irregularitate non attenditur fuerit ne actus virtutis, aut vitij, sed deficiat ne repræsentatio debita, & cum in quacūque occisione deficiat ista repræsentatio lenitatis Christi, etiam si occisio illa sit actus virtutis, contrahitur per illā irregularitatis, nisi in iure excipiatur, in quo tantum excipitur, quando fit in defensionē vitæ propriæ, quam aliter tueri non licet.

Ad tertium respondeo, legem istam positiuam non impedire præceptum naturale, aut diuinum, sicut iudex non impeditur ab obseruatione præcepti, quo tenetur condemnare malefactores, propterea quod reddatur irregularis, cum irregularitas in his non sit pœna alienius culpæ, sed inhabilitas tantum ex defectu significationis.

Ad argumen. quo probatur secunda pars tertiæ opinionis: respōdeo ex his, quæ modo dicebamus in solutione primi argumenti homicidium voluntariū, tàm in ordinato, quàm in nō ordinato habere defectum significationis eo ipso, quo est homicidium voluntarium siue iustum sit, siue iniustū, siue debitum, siue non, cum eo ipso, quo est homicidium voluntarium, sit effusio sanguinis repugnans lenitati Christi, nec est admittenda illa differentia, irregularitatem in clericis esse pœnā. & in laicis inhabilitatem: repugnat enim communi doctrinæ, citra vllum namq; peccatū sacerdos potest occidere inuasorē sui honoris, & quando non tenetur ad illum tuendum, & nihilominus manet tunc, vt vidimus irregularis, qđ non esset, si in clerico semper esset pœna, quia vbi nulla est culpa, nō habet locum pœna. Vnde dēi hac opinio, sicut diximus, sentire clericū non incurrere irregularitatem, nisi in actu, quo illam incurrit, cōmittat peccatum mortale, quod est contra communem. Vltimò circa homicidiū volūtariū explicare oportet.

CONTROVERSIA III.

AN SACERDOS QVI ALIQVEM percussit, nec occidit, maneat irregularis, si eundem hominem, quem ipse percussit, alij deinde occidant.

HVnc casum continet c. significasti, el secundo, extra de homic. & quamuis quid in eo tenendum sit ibi explicet Pontifex, manet nihilominus adhuc res sub dubio inter Doctores, vt videre est apud Couarr. in c. illud si furiosus. p. a. nos iuxta doctrinam, quam ibi tradit Innoc. dicimus primò, si certò constiterit vulnus receptum ex percussione sacerdotis, iuxta peritorum iudicium non fuisse læthale, nec illos, qui deinde superuenerunt, & occiderunt consilio, vel aliqua ratione iuuasse sacerdotem illum, nō esse irregularē. Quod si certò constet vulnus illud læthale fuisse, & prudentum iudicio percussum ex eo, etiamsi alij nō superuenissent, moriturum, esse irregularē si verò res sit prudenter dubia, cuius percussione ille mortuus sit, sacerdotis ne an eorum, qui superuenerunt, & addiderunt vulnera, tunc omnes manere irregulares, & sacerdotem illum, qui primò percussit, & alios, qui superuenerunt, ac verò percusserunt. Hæc habet apertè Innoc. in illo cap.

Ex quibus sequitur, vt rectè colligit Couarru, loco cit. quando multi concurrunt ad homicidiū, quod vnico tantum vulnere peractum est, nec cōstat, quis eorum vulnus illud intulerit, omnes manere irregulares. Sed quæres. An quando varia vulnera simul idem homo recipit, & ita alia post alia, vt primum quidem ipsi illatum læthale sit, nō tamen ex eo percussus moriatur, sed ex alijs posterioribus, sit ne qui primum illud intulit irregularis. Ioan. And. Panor. in istud c. significasti, & Villadiego tract. de irregularitate. c. de percussore, sentiūt esse irregulare, videturq. manifestè colligi ex

ex eodem cap. cum ibi Summ. Pont. hoc nomine excuset sacerdotem ab irregularitate, si certò cõstet percussionem iam modicam fuisse, vt non foleat esse ad mortem, vnde à contrario sensu si foleat esse ad mortem, vel id non certò constet, manebit irregularis. Couarru. tamen loco cita. iudicat probabilius multò oppositum, asseritque esse hanc communem sententiam.

Et probatur ratione. Irregularitas non incurritur, nisi ex percussione illata sequatur apertè mors percussi, aut certè dubitetur an sit ex tali percussione sequuta, sed in hoc casu, licet prius il lud vulnus fuerit secundum se lethale, non est tamen ex illo sequuta mors, nec dubitatur, sed constat apertè ex alijs posterioribus fuisse sequutam, ergo qui illud intulit non manet irregularis. Neque rectè colligitur oppositum ex illo cap. Significasti cum in illo cap. apertè habeatur maior huius rationis qua probatur hæc sententia Couarru.

Cęterum sit ne irregularis qui infligit primum illud vulnus animo occidendi propter talem animum, dubitari solet, eo quod Summ. Pont. in illo cap. significasti habet, si percussor voluntatem non habuit occidendi. Nihilominus communis sententia est, non esse irregularem cum solus animus, nisi mors ex vulnere illato apertè sequatur, vel saltim dubitetur, non faciat irregularem, verba enim ista Pont. accipienda sunt coniunctim, ita vt sit irregularis qui habuit animum occidendi, & cum tali animo consilio suo, vel mandato, alij contra occisum processeront. Habet hic Couarru. irregularem esse eum, qui cum animo occidendi alium percussit, nec occidit, sed à superuenientibus ac occidentibus potuit liberare, nec liberauit, quia videtur per illam omissionem vna cum animo, quem à principio habuit concurrisse cum illis homicidis.

Sed hoc admittendum non est, quia non obstans, vt vidimus quæstione 62. non dicitur causa, nec concurrere nisi quando tenetur ex officio obstare, ex iure verò ille solum est irregularis, qui occidit actu, vel ita concurrit ad homicidium, vt vere aliquo modo sit causa illius, vt colligitur ex dicto cap. Significasti & cap. Sicut dignum §. Qui verò & §. Final. de Homicidio. Hactenus de his quæ pertinent ad homicidium voluntarium. Expendamus iam quæ ad casuale spectant.

AN QVI ALIVM CASV occidit maneat irregularis.

IN hac quæstione duo in primis constituenda sunt certissima. Vnum est, homicidium simpliciter, & absolutè, ac omnino casuale, quale fecit qui dans operam rei licitæ, & adhibita aliqua diligentia hominem occidit nullam inducere irregularitatem. Constat apertè, ex cap. Laiæ, & c. Literis cap. Dilectus filius, & alijs dist. 50. vide Sylu. in verbo Homicidium.

Tertiò alterum occidentem alium non adhibita debita diligentia etsi dederit operam rei licitæ, manere irregularem, quod etiam habetur apertè cap. Continebatur, & cæt. Ad audientiam de Homicidio, vnde tota difficultas consistit in duobus prius est.

AN QVI ADHIBVIT QVIdem debitam diligentiam, occidit tamen aliquem dans operam rei illicitæ, efficiatur irregularis.

SVnt tres in hac quæstione, & omnes grauissimorum doctorum opiniones. Prima habet irregularem esse quemcunque aliû casu occidentem, si dabat operam rei illicitæ, quæ sit peccatum, etiam si adhibuerit omnem diligentiam. Hanc videtur habere D. Tho. in additionibus ad tertiam partem q. 56. art. 4. ad 3. vbi ait, dantem operam rei licitæ si vtatur debita diligentia, non esse irregularem, vbi à côtrario sensu videtur innuere, dantem operam rei illicitæ esse irregularem. Et 1. 2. q. 73. art. 8. ait si quis alium occidat dans operam rei illicitæ, imputandum esse illi ad pœnam homicidij, non ait ad culpam, quia forsan adhibuit debitam diligentiâ, sed ad pœnam, vel reatum, id est irregularitatem, quia dedit operâ rei illicitæ. Et omnium apertissimè in hoc art. in quo duos casus constituit in qui bus qui casu occidit, incurrit irregularitatê: Prior est si dabat operam rei illicitæ, posterior si nô adhibuit debitam diligentiam. Vbi apertè ita distinguit inter ista duo capita, vel duos euentus, vt in priori sufficiat ad incurrendam irregularitatem dedisse operam rei illicitæ, quicquid sit de diligêtia adhibita, in posteriori verò sufficiat negligentia, etiam si dederit operam rei licitæ. Sequuntur hanc sententiâ Sylu. Homicidium c. 4. §. 1. Regul. 3. q. 18. vbi ait. ¶ Si quis scindens arborem alienâ, quam furatur, aliquem casu occidat, etiam si adhibuerit diligentiam debitam, irregularis est, si verò scindat arborem suam, non est irregularis. Et c. 1. regu. 6. idem videtur habere, idê sentit Contradus 1. 2. q. 73. art. 8. Caiet. hic, & Victoria in comment. huius arti. Estque communis inter Iuristas.

Et probatur, in iure Homicidium casuale eximitur ab irregularitate, quando illud exercês dabat operam rei licitæ, ergo à contrario sensu, si illud exercês dat operam rei illicitæ quæ sit peccatum, incurrit irregularitatem. Côsequentia patet, cum eo solo nomine occidentes casu liberetur ab irregularitate, quia dabant operam rei licitæ. Antecedens verò patet. Nam primò in cap. Dilectus filius clericus ille qui currente equo, quem non valuit detinere, occidit puerum, excusatur ab Innoc. 3. quia dabat operam rei licitæ: ascenderat enim illum equum, & currebat consilio medici, & sanitatis gratia. In c. Ex litteris el secôdo habetur apertè occidentem casu aliquem, si dabat operam rei licitæ, nec fuit negligens, non esse irregularem in c. Tua nos extra de homicidio. Quidam monachus peritus chirurgię pietate doctus ad curandû guttur fęminæ aperuit vulnus quoddâ in eo, admonuitq; diligenter illam, ne egrederetur de domo, sed caueret sibi à vento, illa tamen eggressa è domo vulnus illud inflictû à monacho intumuit, & sequuta est mors, interrogatus Inn. 3. an monachus ille esset irregularis, Respôdit esse, sed ira, vt quia pietatis, non quæstus causa id fecit, possit cû eo post pęnitentiam dispensari. In hoc casu monachus ille manet irregularis, non ex negligentia, quia admonuit diligenter mulierem, ergo ex eo quod dederit operâ rei sibi illicitę, quia est prohibitum clericis, & monachis officium chirurgiæ,

cap. Sententiam sanguinis. Ne clerici vel monachi.

Quartò, apertissimè inquit Sylu. definitur in c. Suscepimus &c. Ec cætero &c. Continebatur &c. presbyteri, &c. Finali de Homicidio occidentem dando operam rei illicitæ, & sibi aliqua ratione prohibitæ manere irregularem.

Quintò si aliqua ratione sic occidens non maneret irregularis, ea certè esset, quia cũ adhibuerit debitam diligentiam ad vitãdum homicidiũ, quamuis casu occiderit exercens aliquod peccatum, alienum tamen ab homicidio, non est iudicandus homicida: at hæc ratio non valet nam nec iudex iustè condemnans est iudicandus homicida nihilominus manet irregularis.

Sextò, si hic qui dat operam rei illicitæ non est irregularis nisi deficiat in debita diligentia. Eodẽ quoq; modo dans operam rei licitæ non est irregularis, nisi deficiat etiam in debita diligẽtia. Vnde nullum esset discrimen inter occidetem dando operam rei illicitæ, & occidentem dando operam rei licitæ, quod videtur absurdum.

Septimò, occidens dando operam rei illicitæ vult indirectè homicidium, quia tenebatur impedire illud opus, cum sit illicitũ, quo impedito nec fuisset sequuta mors, & ita volens illud opus indirectè voluit homicidium illud, sed indirecta voluntas sufficit ad contrahendam irregularitatem, ergo.

Vltimò in his quæ pendet ex iuris dispositione standum est sententiæ communi, & receptæ inter Iuristas, quibus incumbit iuris intelligẽtia, sed in hac quæstione Iuristæ omnes, aut maior eorũ pars sentiunt esse irregularem quemcunque alium occidentem, si dabat operam rei illicitæ, quæ esset peccatum, & prohibita in genere moris, ergo.

Secunda sententia est omnino opposita, nempe occidentem alium casu, si adhibuit debitam diligentiam, ne sequeretur homicidiũ, cuicunque rei illicitæ dederit operam non manere irregularem, sed esse homicidium illud omnino, & simpliciter casuale. Hanc docuit Salmanticæ Cano, quem sequuti sunt magister Peña, & nonnulli recẽtiores. Probatur. Bonifacius 8. in c. Finali de Homicidio sexto definit quendam esse irregularem, qui occidit alium, quia non cogitauit, quo modo non sequeretur illa occisio, id est non adhibuit debitam diligentiam, quomodo non sequeretur mors, vbi apertè Papa ob defectum diligentiæ iudicat illũ irregularem, non quia dederit operam rei illicitę, secundò Irregularitas, vt sæpe diximus non est ponenda nisi in casibus apertè expressis in iure quia res odiosa, est restringẽda, at nullibi habetur expressè in iure, vt efficiatur quis irregularis ex eo solum, quod occiderit casu dando operam rei illicitæ, si adhibuit debitam diligentiam, ergo. Maior certa est: Probatur minor, quia authores isti primæ opinionis nullum adducunt textum vbi id expressè habeatur, sed tantum argumentantur à contrario sensu, quia in illis textibus non condẽnantur de irregularitate, qui dabant operam rei licitæ, & adhibuerunt debitam diligentiam, Argumentum è contrario sensu præter quam quod frequenter infirmum est, non est à textu expresso.

Tertiò, Irregularitas, non incurritur nisi per homicidium aliquo modo volitum directè, vel indirectè, sed in hoc casu homicidium, nullo modo est volitum, ergo. Maior constat, quia si nullo modo sit volitum omnino, & simpliciter est casuale, & consequenter immune ab irregularitate.

Minor verò patet, quia qui adhibet omnem diligentiam, quam prudenter potest, ne sequatur mors, nullo modo vult occidere, nec directè, nec indirectè, imò quia vult omnino oppositum, adhibet omnem illam diligentiam.

Et confirmatur. Tunc dicitur aliquis velle aliquem effectum, & cõsentire in illum, quando vel illum directè intendit, uel quando, cum potuerit, & debuerit prohibere, non prohibuit. In hoc casu hic occidens non uoluit, nec intendit mortem, quia casu occidit, nec desijt prohibere quantum potuit, cum adhibuerit omnem diligẽtiam, ergo. Quod si dixeris, quamuis illam adhibeat, saltim erit irregularis, si exercuit opus cõtinens aliquod periculum homicidij, contra dicebat Cano. licet opus aliquod ex suo genere sit periculosum adhibita autem omni diligentia prudenti ne periculũ illud exeat in actu, desinit iam esse opus periculosum hic nunc, quia illa prudens diligentia sufficit ad tollendum periculum hic, & nunc, & ita si occidens nec defecit in debita diligentia, nullo modo nec directè, nec indirectè dicendus est velle illud homicidium, aut esse irregularis.

Tertia opinio est media inter istas, quæ constituit dupliciter posse sequi homicidium ex opere illicito, primo modo, ex opere illicito, & prohibito, quia sit de se periculosum ad homicidium, vel mutilationem, quo nomine est prohibitum clericis mittere bombardam ad arcem, aut sagittam, vel lanceam in exercitu, & officium chirurgi incisoris, Est quoque prohibita ipsis venatio aprorum, & vrsorum, & aliorum animalium, quæ dentibus, vnguibus, vel carnibus possunt vitam ducere in discrimen.

Secundò modo potest sequi homicidiũ ex opere illicito, & prohibito, non eo titulo quia sit, de se periculosum ad homicidium sed aliunde, vel quia non decet talem statum, vel quia est in iniuriam tertij, vel alio modo, quo nomine est prohibita clericis, venatio clamorosa, & cum strepitu etsi animalium mansuetorum, quia non decet illorum statum, est prohibitum furtum, adulteriũ, quia sunt in aliorum iniuriam. Inter hæc hoc inquiunt discrimen vt qui exercet opus ex se periculosum ad homicidium, eo ipso quo exercet tale opus, vult illud indirectè, & quasi in sua causa, ex illa regula, Qui causam damni dat, &c. Nec tollitur talis consensus implicitus, & indirectus per diligentiam quæ adhibetur, si opus sit ex su, & natura sua periculosum, quia nostræ industriæ aut diligentiæ non valent mutare naturas rerũ. Quosi si in aliquo casu opus ita ex suo genere periculosum, vt diligentiæ adhibitæ valeant omne periculum remouere, & reducere illud ad genus non periculosi, tunc illud iudicandum est velut nõ periculosum, communiter tamen quæ ex se periculosa sunt non desinunt esse talia, quia vt dictum est nostræ industriæ non mutant naturas rerum. Qui verò exercet opus quod ex se nõ est periculosum ad homicidium licet sit alia via illicitum, si adhibet omnem prudentem diligentiam ne sequatur mors, si fortuito sequatur, non est censendus illã voluisse, nec in se, & directè, cum illam non intenderit, nec indirectè, vel in sua causa, cum opus illud ex se non esset periculosum, & adhibuerit omnem diligentiam.

Ex hoc fundamento colligit hæc opinio exercẽtem opus illicitum, & prohibitum, quia periculosum ex se, & ex genere suo ad homicidium, quamcunque adhibeat diligentiam, manere irregularem, exercẽtem, verò opus ex se nõ periculosum, quamuis alio titulo prohibitum, si adhibuit

omnem debitam diligentiam, non manere irregularem. Ita Mag. Soto lib. 5. de iust. q. 1. art. 9. Castr. li. 2. de legem pœnali c. 14. Couarru. in Clementina si furiosus p. 2. §. 4. nu. 10. vbi allegat in eãdem sententiam Soncinam, Francum, & Ancharanum. Nauarr. in cap. fin. 14. q. 6. circa fin. Et addit non solum esse intelligendum, quando opus regulariter, & vt plurimum est periculosum, verum etiam quando aliquando, licet rarò, periculosum est, modo sit ex se periculosum.

Probant opinionem hanc ratione. Irregularitas de qua modo loquimur, non contrahitur, nisi per homicidium aliquo modo voluntarium, vel directè, & in se, vel indirectè, & in sua causa, quia vt hic docet D. Tho. homicidium quod nullo modo neque directè, neque indirectè est volitũ, est omnino, & simpliciter casuale, & immunè ab irregularitate, sed homicidium, quod sequitur ex opere illicito, & natura sua periculoso, est voluntariũ saltem in sua causa, eo ipso quo exercetur opus ita periculosum. quando autem exercetur opus nullum continens periculum homicidij, licet alia ratione illicitum, & adhibetur debita diligentia, homicidium quod inde casu sequitur, nec est volitũ in se, neque in sua causa, sed omnino, & simpliciter, tam directè, quam indirectè præter voluntatẽ agentis, ergo quando exercendo opus periculosũ homicidij quis aliquem occidit, erit irregularis, quando verò non est periculosum, estque simul adhibita debita diligentia, non incurretur irregularitas. Maior certa est. Colligitur ex illis textibus initio positis. Minor habet duas partes. Prior probatur, quia cum illud opus illicitum ex se, & natura sua tendat ad homicidium, eo ipso quo vult quis tale opus exercere, implicitè, & reductiuè consentit in omnia damna, quæ opus illud natum est, vel potest secundum se inferre, & consequenter & consentit implicitè in illud homicidiũ in sua causa.

Et confirm. quoniam si quæ ratio posset tollere hunc assensum implicitum, certè videretur illum tollere diligentia illa quæ adhibetur, at nostræ industriæ, & diligentiæ, vt diximus, sicut non valẽt mutare naturas rerum, sic nec efficere, quin opus ex se & natura sua periculosum non sit periculosum, & quin consentiendo illi operi consentiatur etiam implicitè, & indirectè periculo, & damno, quod inde sequetur, vnde nulla diligentia potest tollere hanc rationem voluntarij, nisi ea sola, vt non exerceatur tale opus imò eo ipso quo quis tale opus exercet, iam non adhibet omnem diligentiam, quam debet.

Hęc sententia colligitur apertè ex cap. vltimo de Homicidio in 6. Vbi Bonifacius declarat quendam irregularem, quod præceperit alium verberare, & subdit rationem eum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare.

Et confirmatur. Iura illam occisionem potissimè instituũt punire irregularitate, quæ est culpabilis, sed qui occidit exercens opus periculosum homicidij non potest excusari a culpa talis homicidii. Vnde ait hic D. Thom. qui non remouet ea, ex quibus homicidium sequitur, si debet remouere, dicitur homicida voluntarius. Et 1. 2. q. 20. art. 5. ait, effectus consequutus per se ex aliquo actu reddit illum bonum, vel malum, licet sit præter intentionem operantis. Denique cum irregularitas, sit odium & pœna, omnia iura, quæ loquuntur de huiusmodi pæna debent, ita restringi, vt ille tantum ratione homicidij casualis sit irregularis, qui dabat operam rei illicitæ, & prohibitæ propter periculum homicidii. Secundam partem minoris probant, quia cum tale opus non sit ex se periculosum homicidij, exercens illud nullo modo vult homicidium neque in se & in effectu, neq; in sua causa: Non in se, cum non intendat illud neque in sua causa.

Probatur. In causa dicitur quis velle homicidium, quando vult opus quod habet in se periculum homicidii, ut quando ex parte operantis potuit, & debuit prohiberi, neque fuit prohibitum, sed in hoc casu opus non est ex se periculosum, licet alio nomine illicitum, & ex parte operantis est adhibita omnis diligentia, ergo.

Et confirmatur, quia tale opus exercens, & adhibens omnem diligentiam habet actum voluntatis positiuum nullo modo occidendi aliquem, actus autem explicitus vnius contrarii tollit omnino actũ voluntatis implicitum, vel reductiuum alterius contrarij.

Hanc partem probant etiam argumenta adducta pro secunda opinione maxime cap. Dilectus, & ca. Ex litteris el secondo, De Homicidio, in quibus excusatur clericus ille, qui occidit puerum æquitando equo effteno, & diaconus, qui deponẽs campanam interfecit puerum, quia non dabant operam rei illicitæ, nec periculosæ homicidij, iuxta circumstantias talis actus, prout ab eis exercebatur.

Et confirmatur, quia si efficeretur irregularis, qui casu occidit dans operam rei quacumque ratione, & titulo illicitæ, sequeretur, vt qui venaretur in proprio nemore venatione, quę non est periculosa, & adhibita omni diligentia aliquem casu occiderat non esset irregularis, qui verò in nemore alieno, esset irregularis. Conseq. patet, quia hic exercet opus illicitum, ille verò non. Similiter qui in die festo exercens opus seruile aliquem occidere, etsi adhibuerit debitam diligentiam, esset irregularis, qui verò alio die, in quo licet exercere opera seruilia, non esse irregularis, concedit Sylu. in verb. Homicidium dub. 6. hæc & similia, sunt tamen maxima incommoda. Nam cum eodẽ modo sese habeat quo ad occisionem in omnib. istis casibus, qui alium occidit, profectò si unus eorum est irregularis, & alius. Vbi quod ait Caie. tam clericum, quam sæcularem qui venando aliquem casu occiderit, similiter excusari ab irregularitate, distinctione eget, quia si clericus exercet venationem, quę non est ex se prohibita tanquam periculosa, verum dicit, si verò uenatio illa erat prohibita tanquam periculosa homicidii, vera non loquitur, qui enim venatione prohibita ob periculũ homicidij aliquem occideret, censendus esset irregularis.

Addit his D. Nauarr. inducentem alium ad opus aliquod illicitum ex intentione, ex quo opere sequatur mors, manere irregularem, verbi gratia si Petrus inducat Ioannem, vt furetur vuas ex vinea aliena, & dum Petrus eas furatur, occiditur à cane custodis, manere Ioãnem irregularem, quia illud opus illicitum, ex quo fuit sequuta mors Petri, fuit intentum a Ioanne. Hoc tamen admittendum non est, hac enim ratione quicumque induceret alium ad opus illicitum, si ex eo, casu aliquo, & aliunde sequeretur mors, maneret irregularis, quod communiter negãt Doctores, nisi intelligat Azpilqueta, quando induxit ad opus periculosum homicidii, & eo fine ut exponeretur ille morti tunc enim cum ex illa inductione sequatur mors, & cum consensu inducentis, est homicidium simpliciter volitum.

Ex

Ex his opinionibus, prima licet in eam reuera ut deatur declinare D. Th. reijcitur a recentioribus, confutatur enim apertissimè argumentis, secundę, & tertiæ opinionis.

Et confirmatur, quia omnium consensu, si clericus in adulterio deprehensus ad se defendendum à marito illum occidat cum debito moderamine, dabat quidem operam rei illicitæ, non tamen est irregularis, quia licet illud adulterium sit illicitū & volitum, occisio tamen illa, qua se tuetur, non fuit volita, sed velut coacta, in quam non consensit neque vt medium, sed vt effectum subsequutum.

Secunda opinio est satis probabilis, maximè cū irregularitas sit res odiosa & restringenda.

Tertia tamen est multo verior, & probabilior, quia licet verum sit quod habet secūda opinio adhibentem omnem diligentiam videri nolle omnino homicidium, attamen si exercet opus periculosum eo ipso vult illud implicitè, nec hęc repugnāt. Sicut qui ingreditur domum periculosam committendi aliquod peccatum cum deliberatione non committendi illud, peccat mortaliter exponendo se illi periculo, quia licet reuera, & explicite statuat apud se non committeret illud, implicitè tamen, eo ipso quo exponit se periculo probabili committendi illud, vult illud.

Vnde diluamus argumenta aliarum opinionū. Ad argumenta primæ. Ad auctoritatem D. Tho. dico D. Th. licet videatur hic loqui in vniuersum de quacunque re illicita, intelligendum tamen esse de periculo homicidij, quia ex eodem D. Tho. irregularitas non contrahitur per homicidium, nisi sit aliquo modo directè, uel indirectè voluntarium, vbi autem opus illicitū non est ex se periculosum, nec desuit debita diligentia, homicidia subsequutum nullo modo est voluntarium, nec directè, nec indirectè.

Ad primum argumentum respondeo primo, argumentum à contrario sensu infirmum esse, quia est velut arguere ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis.

Dico secundò in hac materia potissime, tale argumentum non habere locum, cum non sit ponenda irregularitas, nisi habeatur expresse cum iure; collectio autem à contrario sensu non est expressa iuris decisio. Dico tertio in illo textu vtroque nomine excusari clericum illum, quia non exercebat rem illicitam, & quia adhibuit omnem diligentiā, ne quem haberet obuiam in eo cursu, & potissime quia adhibuit debitam diligentiam: quando autē apponuntur duæ causæ, arguere ab una tantum & debiliori à contrario sensu non est efficax collectio, est enim argumentum à totali, & adæquata causa.

Eodem modo soluitur secundum cum sit etiam à contrario sensu. Tum quia in illo cap. Ex litteris. Innocentius non tantum liberat monachum illum ab irregularitate, quia faciebat rem licitam, sed quia faciebat rem non periculosam, ait enim quia deponebat campanam in loco, in quo aliquē transire nō crederet, vel existere, vel venire. Vnde etiā si id egisset contra præceptum sui prælati, suisserque opus illicitū in genere obedientiæ iuxta istud caput.

Ex litteris, cum non fuerit periculosum, non induxit irregularitatem, similiter soluenda sunt alia capita, in quibus iudicatur irregularis dans operā rei illicitæ, intelligenda enim sunt de re illicita periculosa homicidij.

Ad tertium Mag. Soto respondet illud cap. Tua nos, fauere suæ sententiæ, & in eo definiri monachum illum non esse irregularem.

Sed pace tanti Doctoris oppositum habet textus, imò vult ibi Innocentius esse dispensandum cum illo facile adhibita pœnitentia, & satisfactione, quia curabat ex pietate, non ex quæstu, qui verò dispensatione eget, irregularis est. Vnde dico illum iudicari à Papa irregularem non quia dabat operam rei illicitæ, & prohibitæ simpliciter, sed prohibitæ quia periculosæ, vulnus enim, quod illi fœminæ intulit in gutture ad curādum tumorem, fuit opus ex se periculosum & ideo subsequuta morte, quamuis etiam culpa etiam mulieris, induxit irregularitatem. Et hæc est communis expositio Canonistarum in isto cap. Tua nos. Quod vero respondent alij illum non mansisse irregularem, sed tumque imponi illi pœnitentiam, quia egit contra præceptum de non curando, nō quia fecerit homicidium, cum iam adhibuerit debitam diligentiam vt illa mulier sibi caueret, parum refert, quia cum ibi dicatur, vt quia ex pietate illā curare cępit post satisfactionem misericorditer cum illo agi posset, vt valeat diuina celebrare, aliter inter dicendam esse illi suorum ordinum executionem apertè declaratur mansisse irregularis, sed cum quo facile possit dispensari.

Ad quartum respondeo, capita illa nobis non repugnare, nec aliquid minus confirmare, quàm primam opinionem quia in cap. Suscepimus declaratur irregularis frater, qui pro re temporali defendenda occidit quosdam latrones, vt sup̄ra vidimus: In cap. De cætero iudicatur irregularis diaconus, qui causam dederat cuidam homicidio, In cap. Continebatur iudicatur etiam irregularis clericus, qui saltens cum alio occidit illum, quia dabat operam rei periculosæ, eum enim deferret secum falcem, vel gladium, vtebatur eo genere saltationis, vel ludi, quo facile gladius ille alium uulnerare potuit in cap. Presbyterum iudicatur etiā irregularis presbyter qui verberans puerum ita percussit illius corpus, vt vulnus illud fuerit periculosum, ita vt ex eo sit sequuta mors. In cap. Finali & vltimo vidimus vtroque nomine liberari clericum ad irregularitate, tum quia dabat operam rei licitæ, tum quia adhibuit tantam diligentiam, vt res illa, quantum fuit in clerico, ratione illius diligentiæ non esset periculosa.

Ad tertium respondeo, primò non semper esse necesse ad incurrendam irregularitatem, vt occisor sit homicida, vt apparet in iudice, in homicidio tamen casuali sufficere ad irregularitatem, vt qui occidit ex tali homicidio casuali sufficit ad cōtrahēdā irregularitatem, vt interuenerit consensus, homicidium autem, ex quo quis iudicatur homicida, non est sine consensu. Respondeo secundò ad irregularitatem, sicut non attenditur, fuerit, ne occisio peccatum, vel nō, sed fuerit ne cum consensu, ita quoque non attendi ad eam fuerit ne occisor homicida, an non, sed an aliquo modo consenserit directè, vel indirectè, sicut explicatum est.

Ad sextum respondeo, maximum esse inter illos discrimen: dans enim operam rei licitæ, ac nullo modo prohibitæ, quæcunque illa sit, modò adhibeat debitam diligentiam est liber ab irregularitate, dans verò operam rei illicitæ, quicquid sit de diligentia, quam adhibet, si res illa non sit periculosa homicidij, non est irregularis, si verò sit periculosa, efficitur irregularis. Septimum eodem modo soluitur dantem operam rei illicitæ, & prohibitę, tanquam periculosæ homicidij, indirectè voluisse

voluisse homicidium, dantem verò operam rei illicitæ quidem aliquo nomine, non tamen illicitæ ratione homicidii, non velle illud neque directè, neque indirectè eo ipso, quo adhibet debitam diligentiam, vt constat ex dictis.

Ad vltimum dico, multos Canonistas petitissimos sequi nostram opinionem, vt D. Nau. Couar. & alios, quos ipse citat, & quamuis omnes Canonistæ oppositum sentirent, non est propterea recedendum à nostra opinione, quia in hac materia standum est decisioni iuris, in iure autem ille tantum est irregularis, qui aliquo modo consentit in homicidio casuali, consentit verò ille, qui vel exercebat rem periculosam ad homicidium, vel non est vsus debita diligentia, quod si eam adhibuit, nec exercebat rem sic periculosam, nullo modo, vt ex dictis constat consensit in homicidium subsequutum.

Nunc ad argumenta secundæ opinionis. Ad primum respondeo Bonifacium in illu cap. finali censere irregularem illum, qui mādauit alium verberare, quia mandato illo consensit in opus periculosum, debuissetq; cogitare, ac timere illud periculu n. Vnde non iudicat illum irregularem, quia non adhibuit diligentiam, vt vult Cano. sed quia non cogitauit periculum, quod secum afferebat actus ille, quod fauet nostræ opinioni.

Ad secūdum dico nostram sententiam non colligi à contrario sensu, sed ex expressa iuris definitione: habetur enim expressa, irregularem esse illum, qui aliquo modo saltem implicitè, & indirectè consentit in homicidium, constat autem non adhibentem debitam, diligentiam, aut dantem operam rei periculosæ implicitè consentire.

Ad tertium dico expressè haberi in iure esse irregularem, eum, qui in homicidio casuali aliquo modo consentit, cōsentit autem saltem indirectè, & implicitè ille, qui vel non adhibet diligentiam, vel exercet rem periculosam, vt satis constat. Ad replicam dico vnà tum dissensu non occidendi, quem præsefert illa diligentia, stare cōsensum implicitum volendi occidere, cum exponat se illi periculo, sicut in ingrediente domum periculosam fornicandi, vnà cum animo illo deliberato non fornicandi stat implicitus consensus fornicandi, eo quod exponit se tali periculo.

Ad vltimum dico, per diligentiam non effici, vt hic, & nunc non sit periculosa res, quæ ex se periculosa est, cum nostræ diligentiæ non valeant mutare naturas rerum, quemadmodum opus habens speciem mali potest quidem ex circumstantia honestari, opus autem ex se malum non potest, ita si opus tantum esset, quod haberet speciem periculi, posset ex diligentia liberari ab illo periculo, at hic loquimur de opere ex se periculoso, quod nostra diligentia non potest efficere, quin sit periculosum. Aliud caput ad incurrendam irregularitatem est negligentia, circa quam videndum est.

QVAE NEGLIGENTIA exigatur, vt quis per homicidium casuale efficiatur irregularis.

Glossa in c. Significasti el primo de Homicidio habet sufficere eam culpam, quam supra quæstione 62. vocauimus leuissimam. Nam nonnulli Iurist in eodem c. Docent sufficienter eam, quàm ibi vocauimus leuem & qui ita docent diuiduntur inter se, quidam enim eorum dicunt requiri culpam lęuem commissionis, alij verò sufficere culpam lęuem omissionis. Cęterum cum istę negligentiæ, vel culpæ, & lęuis, & lęuissima possint contingere sine vlla culpa mortali, aut veniali deberent concedere auctores isti posse incurri homicidij reatum, id est irregularitatem sine vlla culpa mortali, aut veniali, quod est absurdum, quia irregularitas non incurritur quin sit aliquis consensus, vbi verò aliquis consensus est in homicidium, necessariò debet reperiri culpa mortalis, aut venialis, & communiter mortalis.

Hac reiecta opinione. Caiet. hic & nonnulli recentiores volunt sufficere ad irregularitatem incurrendam, negligentiam, quæ sit peccatum veniale: probat primò ex D. Tho. qui ait hic: Eum, qui non remouet homicidij causam, quam remouere debet, incurrere reatum homicidij, id est irregularitatem, sed qui committit negligentiam etiam venialem non remouet causam homicidij, quàm debet remouere, ergo. Patet minor, quia si non debet remouere id per quod est venialiter negligens, nullum committit peccatum nec veniale, quia vbi nullum debitum neq; vlla culpa mortalis, aut venialis, & econuerso.

Secundò si clericus constitutus in minoribus exerceat iudicium sanguinis, incurrit irregularitatem, & tamen hic, vt diximus tantum peccat venialiter, ergo sufficit peccatum veniale ad contrahendam irregularitatem.

Tertiò, vt ex homicidio contrahatur irregularitas sufficit, vt illud sit aliquo modo voluntarium, sed si quis peccet venialiter in non remouendo causam, illud homicidium sequutum est aliquo modo voluntarium, quia aliquin non esset peccatum veniale, cum peccatum veniale eo ipso quo est peccatum, sit voluntarium, ergo.

Soto, & alij loco cit. iudicant probabilem hanc opinionem Caiet. sed oppositam probabiliorem, vt ex defectu diligentiæ debitæ non contrahatur irregularitas, nisi negligentia illa sit mortalis.

Ratio eius est, quia quamuis irregularitas, quæ contrahitur ex homicidio directè, & simpliciter voluntario, non sit pęna, sed sola inhabilitas, vt in iudice, atque contrahitur ex homicidio formaliter casuali, & indirectè voluntario, vel quia fuit negligentia, est quædam censura, & pœna ob culpam, quæ committitur, vel offerendo se periculo occidendi, vel non prospiciendo diligenter. Et cum sit pœna, & grauis, non est imponenda pro culpa adeo lęui qualis est negligentia venialis.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus in alijs materijs peccatum mortale ex suo genere posse fieri veniale ex imperfectione actus, vel ex leuitate materiæ, vt in furto, quod ex suo genere mortale est, ex leuitate tamen rei quæ accipitur, fit veniale, aut ex imperfectione actus voluntatis, & consensus in furtum: leuis enim consensus non pertingit ad mortale in hac autem materia homicidium non potest esse veniale ex lęuitate materiæ, quia ablatio vitæ humanæ semper est materia grauis, & sufficiens ad peccatum mortale, potest autem esse veniale aut ex imperfectione actus voluntatis imperfectè deliberātis, ac leuiter consentientis, vt in homicidio mentali, cui obiter ac maximè imperfectè quis consentit, aut quia culpa, vnde sequutum est, erat venialis, vt in casuali, potest enim casuale homicidium veniale esse, vel quia sequutum ex actu prohibito, & periculoso venialiter, aut quia negligentia, propter quam sequutum est, fuit venialis.

Hoc posito dico, opinionem magistri Soto, & recen-

recentiorum esse veriorem, vt irregularitas non incurratur in homicidio casuali sequuto e xnegligentia, nisi negligentia illa perueniat ad peccatum mortale.

Primò ob rationem Soti, quæ est efficax, quia irregularitas, quæ in homicidio casuali contrahitur est reuera pœna, cum imponatur pro culpa, durum autem est, vt tam grauis pœna imponatur pro culpa veniali, debet enim pœna proportionari culpæ.

Secundò, leges nunquam puniunt actus imperfectos, & leues, culpa autem venialis est leuis, & imperfecta in genere culpæ, & peccati.

Tertiò, irregularitas non est imponenda nisi expressè habeatur in iure, nunquam autem in iure imponitur irregularitas quando habet rationem pœnæ, nisi pro culpa graui, vt pro celebratione in excommunicatione & similibus.

Quartò, & vltimò in cap. Quæsitum de pœnitentijs, & remissionibus habetur clericos Græcos non esse irregulares, si aliquando eorũ negligentia infantes ipsorum in cunis mortui reperiantur, nisi negligentia eorum fuerit studiosa, & affectata, quæ certè grauis est, & peccatum mortale, ergo per negligentiam venialem, & leuem non incurritur irregularitas.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo verbum illud D. Thom. debet, in eo loco esse intelligendum de debito perfecto obligante ad mortale.

Ad secundum dico, constitutos in minoribus exercentes iudicium sanguinis incurrere irregularitatem, non ratione alicuius peccati quod tunc committant, sed ex defectu significationis, sicut & cęteros iudices, qui iustè, & sine vlla culpa iudicant, quia illud homicidium est voluntarium etsi sine vlla culpa.

Ad tertium respondeo reperiri quidem in peccato veniali voluntatem, sed adeo imperfectam, & leuem, tàm in genere voluntarii, quàm in genere culpę, vt pro ea pęna adeo grauis, qualis irregularitas, non sit imponenda. Nunc super est videamus quis possit dispensare in Irregularitate contracta ex homicidio voluntario, vel casuali. De Sum. Pont. nulla est difficultas posse, cum sit irregularitas à mero iure humano Ecclesiastico, quando autem Episcopi, & Ordinarij possint, statim dicemus.

CONTROVERSIA IV.

AN PER BULLAM CRUCIATAE iubileum, vel priuilegium alicuius religionis concedens confessario, vt possit absoluere pęnitentem ab omni censura, & pęna Ecclesiastica liceat illi simul absoluere, & dispensare in irregularitate.

D. Nauar. in manua. c. 27. num. 194. tenet partem negantem sequutus sententiam cuiusdã Villadiego in suo tracta. de irregularitate. Eandem tribuunt quidam Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. artic. 4. cum tamen Soto eo loco non loquatur de omni irregularitate, sed de ea tantum, quæ est significationis, vt de ea, quæ contrahitur ex bigamia, vel homicidio voluntario, & iusto, vt in iudicce. Probatur hæc opinio, primò in illa clausula bullæ, vel iubilei tantum datur facultas absoluendi, non dispensandi, vt patet ex ipsa bulla, irregularitas autem non absoluitur, sed tollitur, vel dispensatur in ea, ergo.

Secundò, absolutio datur in confessione sacramentali, vt in foro animæ liberetur pęnitẽs à censuris impedientibus effectum absolutionis, & receptionis Eucharistiæ, quales sunt excommunicatio, & interdictum, irregularitas autem tollitur in vtroque foro, nec impedit absolutionem, aut Eucharistiam.

Et cõfirmatur tertio. In religionibus in quibus ex priuilegio possunt superiores in solemnitatibus præcipuis absoluere inferiores suos à censuris, & dispensare cum eis in irregularitatibus, superiores non miscent ista, sed distinguunt: finita enim absolutione à censuris dicunt deinde, Et eadem auctoritate dispenso vobiscum super macula irregularitatis si quam contraxistis, vbi apparet euidenter irregularitatem non absolui, sed tolli tantum, & dispensari in ea.

Quartò iuxta vsum curiæ Romanæ nunquam dicitur absolui aliquis ab irregularitate, sed dispẽsari cum illo, nec oratores in ea curia postulant ab solutionem, sed dispẽsationem, nec per datarium dicitur fieri à Romano Pont. cum aliquo irregulari absolutio, sed dispensatio. Et quando conceditur alicui facultas tollendi irregularitatem, non dicitur concedo tibi facultatem absoluendi ab irregularitate, sed concedo tibi facultatem dispensandi in irregularitate.

Quintò in huiusmodi bullis, vel priuilegijs tantum datur facultas absoluendi à censuris, irregularitas non est censura, ergo. Maior patet ex verbis bullarum. Minor probatur ex cap. Quærenti. De verborum significatione, vbi ait Inno. [Nomine censuræ Ecclesiasticæ non solum interdictum, verum etiam suspensio, & excommunicatio valent intelligi] Nec tamen meminit ibi irregularitatis, quàm certè, si censura esset, adhibuisset, quia ibi connumerat Pont. omnes species irregularitatis.

Sextò, in his quæ pendent à iure consuetudo est optima legum interpres, hæc materia de irregularitate pendet omnino à iure, consuetudo autem & stilus Romanæ curiæ est, vt non intelligatur in aliqua bulla, vel priuilegio facultas ad tollendam irregularitatem, nisi fiat expressa mentio irregularitatis, modò autem in bullis nõ habetur talis expressa mẽtio, imò videtur tolli, nam in bullis Pij V. successorum datur quidem facultas absoluendi à censuris, non autem à pęnis Ecclesiasticis, vt olim dicebatur in bullis prædecessorum, vt apparet in bulla Pij IV. anno 1561. Nec valet dicere virtute præcedentium bullarum, in quibus habebantur ista coniunctim, vt liceret absoluere ab omnibus censuris, & pęnis, id licere, quia omnes præcedentes bullæ fuerunt omnino reuocatæ à Pio V. & in sequentibus tam ipsius Pij V. quam aliorum successorum non habetur talis facultas. Vltimò in bulla originali Pij V. expressè reseruatur facultas absoluendi ab irregularitate ipsi Cõmissario generali, & cum hac limitatione, vt non dispenset in irregularitate contracta ex bigamia, vel ex homicidio voluntario. Vnde confessarius particularis virtute bullæ non habet facultatem absoluendi ab aliqua irregularitate, alioquin non fieret illa reseruatio commissario generali. Nec valet dicere reseruari commissario generali irregularitates, quæ contrahuntur absque peccato, & sunt meræ inhabilitates, vt quæ ex bigamia, & homicidio voluntario iusto, quasi istæ quę excipiuntur, indicent quales sint, quę ipsi reseruantur, quia in il-

in illa clausula prohibetur etiam cōmissarius dispensare in irregularitate cōtracta per peccatum, vt quæ contrahitur per ordinem malè susceptum, per apostasiam, vel hæresim.

His argumentis non solum Canonistæ, verum etiam nonnulli ex Theologis iudicant probabiliorem hanc opinionem. Alij verò, vt Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Cano. & multi recentiorum in lectura huius artic. volunt irregularitatum quasdā esse censuras, & pęnas Ecclesiasticas, & in his posse dispensare confessarium, cui conceditur aliquo indulto, vel priuilegio, vt possit absoluere à censuris, & pęnis Ecclesiasticis, alias, verò esse meras inhabilitates, quæ sine vlla culpa contrahuntur ex solo defectu significationis, vt in homicidio iusto, & in bigamia, & in has non posse dispensare, qua hæ nec censuræ sunt, nec pęnæ Ecclesiasticæ, facultas verò illa tantum se extendit ad censuras, & pęnas Ecclesiasticas, quæ opinio est communior, & verior.

Ad cuius intelligentiam obseruemus primò. Non esse dubium, quin aliqua irregularitas sit propriè, & verè dicenda pura pœna, & censura, velut illa quam contrahit celebrans in excommunicatione maiori. Ita Soto, & Cano locis cit. patetque ex verbis, quæ habentur in multis bullis, & priuilegiis religionum, vt videre est in bulla Pij IIII. anni 1561. in qua conceditur confessario facultas absoluendi ab excommunicatione suspensione, & interdicto. Et subditur, y de todas las demas censuras y penas Ecclesiasticas, vnde cum præter illas tres excommunicationem scilicet, suspensionem, & interdictum constituantur à Pontifice aliæ, necessario concedendæ sunt aliquæ prę ter illas, nam aliter falsò diceret Papa expressis illis tribus, y de qualier otras censuras, sicut falso, & hæreticè diceret quis credo in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & alias diuinas personas, cum non sint vllæ aliæ diuinæ personæ. Modo sic. Est aliqua aliqua alia censura, & pœna Ecclesiastica præter illas tres, at non, potest reperi præter illas tres aliquid quod sit censura, vel pęna Ecclesiastica, nisi irregularitas quæ incurritur in pęnam peccati, ergo.

Et confirmatur. Censura Ecclesiastica omnium consensu, vt patet ex ipso nomine, nil aliud est, quàm correctio seu animaduersio, & punitio Ecclesiastica in pœnam alicuius delicti, huiusmodi autem sunt irregularitates quæ imponuntur in iure pro peccato celebrandi in excommunicatione maiori, & similes, ergo.

Obseruemus secundò, concedendum quoque necessariò esse, dari aliquas irregularitates, quæ non sunt censuræ, & pęnæ Ecclesiasticę, sed meræ tantum inhabilitates propter defectum significationis, vt bigamia & homicidium iudicis iustè iudicantis. Probatur eadem ratione. Quia censura, & pęna Ecclesiastica, cum sit correctio, & animaduersio in peccatum, nō incurritur nisi ob aliquod delictum, sed istę irregularitates incurruntur sine vlla culpa & peccato, imò quandoque cum merito, ergo non sunt censuræ. Et est communis consensus omnium Doctorum in quibusuis priuilegiis, & litteris Apostolicis nomine censuræ & pęnæ Ecclesiasticæ nunquam intelligi irregularitates, quæ sine vllo peccato contrahuntur.

Obseruemus tertiò, similiter esse aliquas irregularitates, quæ simul sunt censuræ, & pęnæ Ecclesiasticæ, & inhabilitates ex defectu significationis, huiusmodi sunt omnes, quæ contrahuntur ex homicidio culpabili vel voluntario, qua parte homicidium illud culpabile est, sunt censuræ & pęnæ illius culpæ, qua parte verò est homicidium & effusio sanguinis, est inhabilitas ex defectu significationis.

CONCLVSIO I.

Ab irregularitate quæ est purè pęna, & contrahitur ex solo peccato, potest confessarius absoluere virtute bullæ, & indulti, in quo habetur clausula, vt possit absoluere à censuris, vel pęnis Ecclesiasticis.

Dico à censuris, vel pęnis, nō enim necesse est, vt istæ duæ voces censuræ & pœnæ simul & coniunctim in bullis reperiantur, sat est alteram vocum reperiri, nam licèt multæ sint pœnæ temporales, vel pecuniariæ, quę à iure, vel prelato pro aliquibus delictis imponuntur, spirituales verò pœnæ pro delictis impositæ à iure censurę sunt & è conuerso. Hanc habet Soto in 4. loco cit. nec repugnat his quæ docet lib. 5. de iustit. quæst. 1. artic. 4. nec mutauit sententiam, quia in 4. loquitur de irregularitate, quæ tantum incurritur per peccatum quæ (vt constat) est censura & pœna in opere autem de iust. loquitur de ea quę incurritur sine vllo peccato ex solo defectu significationis. Probatur iam conclu. In bullis habetur vt possit confessarius absoluere ab omni censura, vel pœna Ecclesiastica, irregularitas, de qua prima conclu. est verè censura & pœna, cum incurratur per solam culpam, ergo.

Et confirmatur primò, quia quicquid sit de censura, negari non potest, quin huiusmodi irregularitas sit pęna, cum incurratur per culpam, & non aliàs.

Secundò, quia habetur in quibusdam bullis, & priuilegiis, vt possit confessarius absoluere ab omni censura, & pœna Ecclesiastica excepta irregularitate homicidii voluntarii, & bigamiæ vbi apertè aliæ irregularitates includuntur in nomine censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, alioquin stultè & frustra adderetur talis exceptio, & in aliquib. bullis, vt in bulla anni 1563. conceditur facultas absoluendi ab omni censura, & pœna Ecclesiastica & additur (Aunque por general confession no puedan ser comprehendidas) quæ verba fortè addita sunt propter irregularitatem quæ est pœna, quia iuxta communem sententiam Iuristarum potestas absoluendi ab irregularitate non venit intelligenda sub generali concessione.

CONCLVSIO II.

Ab irregularitate, quæ contrahitur ex defectu significationis, non potest aliquis absolui per talem clausulam vel priuilegium.

Ratio est aperta, quia huiusmodi irregularitas non est pęna, aut censura, sed mera inhabilitas, bulla autem, vel priuilegium tantum concedunt, vt possit confessarius absoluere à pœna, vel censura.

Secundò patet ex vsu & communi consuetudine Ecclesiæ, quæ est optima iuris interpres nullus enim est Theologus, aut Canonista, qui bigamū, vel iudicem, qui iustè aliquem condemnauit, sentiat dispensatum per huiusmodi clausulas vel priuilegia, sed dicat huiusmodi necessariò indigere dispensatione à sede Apostolica obtēta. Denique

Com-

Commissario generali cruciatæ non conceditur, vt possit dispensare in irregularitate ex bigamia, vel homicidio iusto cõtracta, quanto ergo minus id poterunt alij confessores. Et hanc probant omnia argumenta primæ opinionis.

Maior difficultas est de irregularitate tertij generis, quæ simul est censura, & pœna, ac inhabilitas ex defectu significationis, qualis est quæ contrahitur ex homicidio iniusto & culpabili, quia iu dicarunt multi Thomistæ ab ista posse etiam confessarios absoluere, quia huiusmodi irregularitas, quamuis sit quoque inhabilitas, est tamen simul censura & pœna, & cum in bulla concedatur facultas absoluendi à pœna, & censura, poterit quoque ab ea absolui, maximè quia materia hæc de irregularitate est odiosa, facultas verò absoluendi fauorabilis, & ex regulis iuris restringẽda sunt, fauores autem ampliandi.

Alij verò ex recentioribus, licèt hanc opinionem iudicent probabilem, cum eam aliqui Iurisperiti amplectantur, oppositam tamen iudicant probabiliorem, & in praxi aiunt hoc esse obseruandom, vt quando crimen vel homicidium est publicum, nullo modo qui irregularis manet, ex illo absoluatur per bullam, vel priuilegium aliquod, quia præterquam quod communiter sequeretur graue scandalum, nunquam visum est aliqui etiam ex Doctoribus, qui aliter sentiunt absoluere huiusmodi homicidas, quando verò occultum est, ita distinguendum esse, vt si persona illa facilè obtinere possit dispensationem nullumque sequatur scandalum ex eo quod nõ celebret, non absq; speciali dispẽsatione, vel facultate Romani Pont. quod si nequeat facilè consequi dispensationem, & sequatur probabiliter scandalum, nisi celebret, tunc probabilissimum esse opinionem eorum qui iudicant huiusmodi absoluendum, quam opinionem nos amplectendam duximus.

CONCLVSIO III.

Simpliciter & absolutè loquendo ab irregularitate, quæ simul est inhabilitas, & censura, ac pœna non potest quis absolui per bullam cruciatæ, vel priuilegium aliquod.

PRobatur primò, quia quando impedimentum seorsum sumptum indiget dispensatione superioris, etiam si illi additum possit dispensari ab inferiori, per dispẽsationem minoris impedimenti, non manet dispensatum cum maiori, verbi gratia, vult Ioannes ducere Mariam, est illi consanguineus in tertio gradu, & simul affinis in secundo habeatque legatus facultatem dispensandi in gradibus affinitatis, dispensetque de facto cum illis, per huiusmodi dispensationem nõ manet dispẽsatum cum eis in impedimento consanguinitatis, quia est distinctum impedimentum, quod indiget maiori aoctoritate, sed in nostro casu irregularitas contracta ex homicidio culpabili dupliciter impedit & vt censura, & vt inhabilitas ex defectu significationis, per bullam, vel indultum potest quidem confessarius dispensare in censura, non tamen in illa inhabilitate ex defectu significationis, quia hæc requirit maiorem facultatem, ergo per huiusmodi bullam, vel priuilegium non potest absolui ab hac irregularitate tertij generis, de qua modò agimus.

Secundò hæc irregularitas non minus est inhabilitas ex defectu significationis, quàm illa quæ reperitur in iudice, peccatum enim non reddit eam leuiorem, aut faciliorem, imò grauiorem, quia culpa nemini patrocinatur, sed in ea quam cõtrahit iudex, non potest confessarius dispensare, ergo neque in hac.

Et confirmatur, quia propterea quod simul sit censura, non mutat naturam inhabilitatis.

Tertiò est alienum à ratione, vt possemus per bullam, vel priuilegium absoluere irregularem propter homicidium flagitiosum, & non eum, qui est irregularis ex homicidio iusto, & necessariò Reip. Denique Romæ, & in cotia Pont. facilius dispensatur cum iodice, quam cum huiusmodi homicida. imò cum illo facilè, cum hoc vix, imò ne vix quidem, non est igitur mens Pont. vt talem irregularem, per bullam liceat absoluere.

CONCLVSIO IIII.

Quando homicidium flagitiosum voluntarium, vel casuale ita se habet, ut qui ratione illius irregularis est, si abstineant ab usu suorum ordinum, sequatur graue scandalum & cum periculo uitæ ipsius, uel graui iactura sui honoris, & dignitatis, non tenetur in conscientia abstinere ab usu suorum ordinum, sed eos potest exercere quantum prudenter exigitur, ne illud scandalum, & periculum incurrat.

RAtio est aperta, qnia leges Ecclesiæ, & humanæ non obligant cum periculo vitæ, aut graui iactura honoris, & dignitatis ioxta communem sententiam Doctorum. Quod si dicas, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas vitæ relinquatur. Respondeo hanc regulam ita esse accipiendam, vt præstet scandalum nasci, quam legem Dei violare, aut contra conscientiam aliquid agere, sicut vtilius est mortem subire, quam obligans legẽ Dei violare, leges autem humanæ non obligant cum scandalo, cui coniunctum est graue periculum vitæ, vel grauis iactura honoris, & dignitatis. Debet autem hic omni diligẽtia, & quibusuis expensis dispensationem secreto procurare, & interim quantum citra scandalum, & pericula, quæ dicimus poterit, ab vsu suorum ordinum abstinere.

VLTIMA CONCLVSIO.

Ab anno 1563. quo anno fuit promulgatum Concilium Triden. et deinceps habent Episcopi facultatem dispensandi in irregularitate contracta ex delicto occulto, ut in eo, qui est occulte excommunicatus, et celebrauit, non tamen possunt cum irregulari ex homicidio culpabili etiam si fuerit omnino secretum, neque in his, quæ ducuntur ad forum exterius.

ITa constat ex Concil. Triden. sess. 24. sub Pio 4. cap. 6. de reformatione. Ita fit non posse ipsos dispensare cum irregularitate, quæ contrahitur ex bigamia, vel sine peccato, cum illæ tantum irregularitates concedantur ipsis dispensandæ, quæ contrahontur ex peccato occulto. Quod si dicas. Ergo maiorem facultatem habebit aliquis confessarius particularis aliquando quam Episcopi, cum Episcopus tantum possit in ea irregularitate, quæ contrahitur ex peccato occulto, priuatus autem confessarius cum quacunq; contracta

tra, & ta ex peccato, & in pœnam sui delicti, quæ est altera censura. Respondeo hoc non esse incommodum, quia particularis confessarius habet id ex priuilegio Papæ, Episcopus autem à iure communi, quale est Conc. Triden. sicut ex priuilegio Cruciatæ potest priuatus confessor absoluere à quacunque censura Papali præter eas, quæ habentur in bulla in cœna Domini, quod tamen non potest ordinarius, & stando in iure communi, priuilegium enim superat ius commune.

Nunc ad argumenta initio posita pro opinione Canonistarum. Ad primum respondeo posse, etiam proprie dici, irregularitatem absolui, quia hæc vox absoluere non solum significat remittere, verum etiam liberare, quo modo extenditur etiam ad pœnas, & censuras. Ita dicunt confessarij Absoluo te à sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, id est libero te ab istis censuris. Et in eodem sensu dicitur, absoluo te ab irregularitate, id est libero te ab ea.

Ad secundum dico irregularitatem non impedire susceptionem absolutionis, & Eucharistiæ, impedire tamen vsum ordinum, à quo tenetur quis aliquando in vtroque foro abstinere, vt cum res est publica, aliquando verò in foro tantū conscientiæ, vt cum res est occulta, & ita potest absolui ab irregularitate, sicut, & ab alijs censuris, aliquando in vtroque foro, quādo res aperta est, aliquando verò sufficit absoluatur in foro interiori, vt in occultis: non enim omnis irregularitas pertinet ad forum exterius, & contentiosum, sed solæ publicæ, & manifestæ, sicut non omnis excommunicatio, aut suspensio, sed solæ manifestæ.

Ad tertium dico, prælatus religionum vti illa forma verborum duplici causa: Primò, quia habēt illam facultatem, & exercent eam extra cōfessionem, & in foro exteriori, in quo obtinuit vsus, & communis stylus Ecclesiæ, vt tollatur irregularitas per verbum dispenso, quod non est in confessione sacramentali, in qua, cum facultas data confessario sit ab eo exercēda non alias, quam in absolutione sacramentali, vtitur in omnibus, quæ tunc remittit, vel tollit voce ista. Ergo te absoluo tanquam præcipua in forma absoluendi, sicut in alijs sermonibus, & orationibus, quibus homines vtuntur sumitur communiter denominatio à potiori. Quod si vellet confessarius vti hac voce dispenso, & separatim dicere absoluo te à sententia excommunicationis, & suspensionis, si qua teneris, & dispenso tecum in censura irregularitatis, si quam contraxisti, & eadem authoritate absoluo te ab omnibus peccatis, liberum illi esset. Communiter tamen omnia complectitur sub voce absolutionis cum hæc ad omnia extendatur, & in forma cōfessionis sit potiori voce vtendum, qualis est hæc, absoluo.

Dico secundò. Prælatos religionum vti illa voce dispenso, quià habent facultatem erga suos inferiores liberandi eos non solum ab irregularitate, quæ est censura, verum etiam ad ea quæ est defectus significationis præter homicidium voluntarium, & bigamiam, vt in defectu natalium. Et quia potest aliquis ex suis inferioribus habere aliquam irregularitatem, quę non sit censura sed inhabilitas illa, vt omnes complectatur, vtuntur illa voce, dispenso, confessarius vero, cum tantum tollat eas quæ sunt censuræ, ad quas etiam se extendit vox absoluo ea vtitur.

Ad quartum respondeo, cum bulla dicat posse confessarium absoluere ab omni censura, & pœna Ecclesiastica, non repugnare nostræ sententiæ stylum Romanæ Curiæ, quia bullæ valent quod sonant, alioquin deciperētur fideles à Papa, quod nefas est suspicari, & irregularitates de quibus loquimur sunt censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ.

Dico secundo curiam Romanam vti illa voce, dispenso, quia ea quæ in illa curia conceduntur, communiter respiciat vtromque forum, tam interius, quam exterius, in exteriori, vt diximus, est communis stylus, & consuetudo, vti voce dispenso, in interiori autem sufficit, vox, absoluo.

Ad quintum respondeo aliquam irregularitatem, vt docuimus, esse quoq; cēsuram, & pœnam. Ad illud Quærenti dico nō benè sequi, eo quod Innoc. illas tantū ibi enumerauerit, nō esse alias, quia institutū esse fuit contra ignorantiā aliquorū docere non solum inter dictū esse censurā, sed dari præter ipsum aliquas censuras, ad quod docendum satisfuit aliquas alias proponere, quamuis non omnes, nec inde sequitur fuisse ibi diminutum, quia ibi instituit nominare eas censuras, quæ solum sunt pœnæ, & secundum omnem suā speciem, & totam suam latitudinem sunt censuræ, quales sunt illæ, quas ibi apponit, irregularitas, autem secundum omnem sui partem, & speciem, & secūdum totam suam latitudinem non est pœna, & censura, cum dentur aliquæ irregularitates, vt vidimus, quæ nec pœnæ sunt, nec censuræ, sed solum inhabilitates ex defectu significationes.

Quod si dicas, cur non recensuit saltem eam irregularitatem, quæ est ex peccato, & censura. Dico id consultò fecisse, quia agit ibi de his censuris, & pœnis, quæ sunt à iudice & ab homine, & per quas possunt iudices, & prælati compellere inferiores ad obseruanda sua mādata, quales sunt illæ tres, irregularitas autem non est censura à iudice vel homine imponenda, sed à iure imposita, quod autem loquatur de illis, qua à superioribus imponendæ sunt patet aperte ex ipso contextu c. Habetur enim ibi, nisi discretus iudex rerum, & personarum circumstātiis indagatis viderit aliud magis expedire.

Ad sextum respondent quidam satis experte, & expressè concedi facultatem absoluendi ab irregularitate, quæ est censura, & pœna per illa verba, vt possit confessarius absoluere ab omni censura, & pœna Ecclesiastica. Addunt tamen post bullam Pii Quinti non licere confessariis absoluere neq; ab ista irregularitate, à qua diximus in prima conclusione licere t Ratio eorum est quia post illam bullam Pij IIII. & prædecessorum, in bullis deinde Pii V. & successorum tantum habetur vt possit confessarius absoluere à censuris non tamē additur vox illa à pœnis Ecclesiasticis, & cum sit adhuc inter Doctores dubium, ac sub iudice, an istæ irregularitates sint censuræ, licet sint pęnæ, non esse modo absoluendas cum tanto periculo conscientiæ in re adeo graui, maximè quia Doctores, qui sentiebāt per bullam Pii IIII. & prædecessorum licere absoluere ab huiusmodi irregularitatibus, nitebantur illi clausulæ, quæ dabatur facultas absoluendi non solum à censuris, verum etiam à pęnis Ecclesiasticis, quæ modo non habetur in bullis Pii V. & successorum. Vnde non poterunt virtute bullæ cruciatæ absolui modo clerici sæculares ab irregularitatibus quas diximus, imò neque in Iubileo plenissimo in quo non apponetur vox illa, à pęnis, sed tantum concedetur facultas absoluendi à censuris. Poterunt autem dicūt, prælati religionum suos subditos ab eis absoluere, quia per sua priuilegia possunt absoluere ab omnibus censuris, & pęnis, quæ priuilegia non

sunt

sunt eis sublata per bullas Pij V. vt ipsemet explicat in eis.

Sed pace horum Doctorum nostra conclusio non solum antiquitus, verum etiã modo post bullas Pij V. & successorum habet locum, possuntq; virtute bullæ confessarij absoluere ab huiusmodi irregularitatibus, quas diximus, etiam si in bulla tantum concedatur facultas absoluendi à cēsuris, nec fiat mentio pœnarum, quia vt constat ex prima obseruatione, huiusmodi irregularitates reuera sunt censuræ, quamuis enim non habeat suum robur vlla ex antiquis bullis, argumentum tamen, quo vsi sumus ex bulla Pij IIII. & contextu verborum ipsius, certissimum est, quia verba Pontificum in suis bullis, cum sit res adeo grauis, & illas concedant vt Pontifices, valent quod sonant, nec possunt fideles decipere, cum ergo ipse expresse in sua bulla dixerit posse confessarium absoluere ab excommunicatione, & inter dicto, y de ottas qualesquiet censuras y pęnas, nec possit reperiri præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum aliqua alia censura, quam irregularitas, nullo modo potest negari irregularitates aliquas esse censuras, sicut argumentati sumus. Adde qđ per bullã cruciatæ conceditur confessarijs, qđ possint in his quæ possunt Episcopi, Episcopi aũt possũt absoluere ab huiusmodi irregularitatibus.

Ad vltimũ dico Commissario generali illa concedi, quia facultas eius extēditur ad forum etiam exterius, in quo facultas ipsi soli inest dispensandi in irregularitatibus præterquam in illis ex bigamia, & homicidio voluntario, quæ facultas non datur confessarijs, hi enim solum possunt in foro interiori, & sacramentali confessione. Dico secundo, quicquid fit de commissario generali, cum bullæ id valeant quod sonant, & in ipsis detur facultas absoluendi à censuris, sintque irregularitates de quibus loquimur, censuræ, posse confessarium ab eis absoluere.

Obseruandum Deniq; hic est Caiet. in sua sum. verbo irregularitas docere habentem authoritatem dispensandi in quauis irregularitate citra homicidium voluntarium posse dispensare in irregularitate quæ contrahitur ex occisione licita & iusta, vt in iudice, tum etiam in irregularitate ex homicidio casuali, etiam si sit indirectè volitum, & aliquo modo culpabile. Primum probat, quia nomine homicidij inter Doctores non intelligitur nisi occisio iniqua, quæ est peccatum, vnde qui occidit alium iustè, & licitè non committit homicidium, neque irregularitas ipsius nascitur ex homicidio, sed ex sola occisione. Secundum verò probat, quia homicidium casuale opponitur voluntario, & ita non est dicendum voluntarium, nec ita appellatur in iure. Sed hæc Caiet. doctrina, licet aliquibus placeat, aliis tamen viris peritis displicet, & merito quo ad priorem partem, quia ius canonicum (vt supra admonuimus) non tantum vocat homicidium, quod est culpabile, & peccatum, sed quamcunque occisionem hominis, etiam illam quam exercet iudex iustè, & ex officio, & eam quæ fit casu ac sine vlla omnino culpa, vt apparet ex titulo de homicidio casuali, & voluntario, similiter, occisionem hominis in sui defensionem cum debito moderamine vocant etiam Doctores homicidium, vt videre est in Clemētina vnica de homicidio, cum tamen talis occisio nullo modo sit culpa, aut peccatum. Vnde non potest per illam clausulam absolui, qui alium voluntarie occidit, quamuis iustè fecerit, vt iudex, & ita obseruat vniuersalis Ecclesiæ consuetudo.

Secunda pars huius doctrinæ Caiet. satis probabilis est, quia homicidium casuale reuera in iure distinguitur à voluntario, vnde qui potest per aliquam bullam, vel priuilegium absoluere ab omni irregularitate præter eam quæ incurritur ex homicidio voluntario, reuera posset absoluere ab irregularitate sequuta ex homicidio casuali, idest non formaliter, & directè volito, sed indirectè tantum, & implicitè, vel quia dabatur opera rei illicitæ, & periculosæ, vel quia non fuit adhibita debita diligētia. Quamuis probabilius iudicem etiam ab homicidio casuali, & culpabili non licere absoluere per talem clausulam, quia in iure quando distinguitur homicidium voluntarium à casuali, nomine casualis intelligitur omnino, & simpliciter casuale, quodcunq; autem culpabile vocatur voluntarium in iure.

QVAESTIO LXV. DE MVTILATIONE membrorum.

ARTICVLVS I.

Liceat ne mutilare aliquem in aliquo casu.

CONCLVSIO I.

Authoritate publica potest aliquis mutilari suo membro, non autem authoritate priuata.

Probatur prior pars. Præstat vita corporis totius, integritati singulorum membrorum, nec minus ordinantur membra in bonum commune, quam totum corpus, sed potest Resp. priuare vita malefactores propter eorum delicta, quando ita exigit bonum commune, ergo poterit similiter mutilare illos suis membris iuxta eorum delicta pro bono etiam communi. Similiter potest Resp. in bello iusto exponere vitam suorum ciuium, pro bono communi, poterit ergo, & ipsorum membra. Pro batur secunda pars, si authoritate priuata posset quis alium mutilare, vel authoritate ipsiusmet mutilantis, aut ex consensu eius cui membrum amputatur, non prius, quia nullus priuatus habet authoritatem in vitam, vel membra alterius, sed sola Resp. Vnde infert talis iniuriam Reip. priuans illam integritate ciuis suis. Neque posterius, constat enim ex dictis nullum esse dominum suæ vitæ, vel membrorum, vnde non potest facere facultatem alteri ad illa abscindenda, nec alter ex consensu huius potest excusari, quia ad disponendum de aliqua re inutilis est consensus illius, qui non est dominus illius rei.

(.·)

CONCLVSIO II.

Quando vita, vel salus corporis ita omnino exigit, vt alia via tueri non possit, licet aliquem mutilare mēbro.

PAtet quia bonum pars iuxta dictamen rectæ rationis exponendum est pro bono totius. Dixi quando alia via salus, & vita corporis tueri non potest, quia si aliter possit, non licet, iuxta dictamen enim rectæ rationis non sunt adhibenda media acria, & dura, nisi quando suauiora non sufficiunt. Vnde illud B. Cypriani. Cum dolore scindenda sunt vulnera, quæ leniter curari non possunt. Ex his conclusionibus patet in duobus tantum casibus posse mutilari aliquem nēpe, vel pro bono communi Reip. vel ad tuendam propriam vitam, vel salutem, quæ aliter tueri non potest. Circa hunc articulū nonnullę se se offerunt quęst. Prima est.

CONTROVERSIA I.

An in aliis casibus ab his duobus liceat mutilare aliquem.

RAtio dubitandi est, quia si ad salutem animæ expediat auferre sibi oculum, videtur id licere ex dicto Christo Matth. 19. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c. Si manus tua scandalizat te. Et confirmatur exemplo B. Marci, qui dicitur in historijs amputasse sibi policem, vt effectus ea ratione irregularis non fieret sacerdos. Et de Origene habetur in historia Ecclesiastica l. 5. c. 6. præscidisse sibi virilia vt melius Deo inseruiret, iuxta illud Christi Matth. 16. sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: pro salute autem spirituali se mutilare non cōtinetur in aliquo ex illis duobus casibus. Secundò si quis habeat in manu sex digitos, & sine periculo salutis possit sibi amputare illū sextū, ex omniū Doctorū consensu licet. Tertiò, si tyrannus minetur mihi mortē, nisi mihi ipsi manū abscindā, nō licet mihi illā abscindere, quia est intrinsecè malū agere in me ipsum, & mihi ipsi nocere, intrinsecè aūt malum nec metu mortis exercendum est. Quartò si quis detineatur à bestia volēte illum occidere, nec aliter possit euadere quam abscindēdo membrum quo detinetur ab illa, potest illud abscindere. Similiter si occlusus in cubiculo, & accenso igne non possit aliter euadere cum vita, nisi egrediatur per fenestram, potest egredi, & cum periculo fractionis pedis, vel manus. Similiter si ab aliquo iniquè detineatur ligatis manibus, vel pedibus cum certo, vel probabili periculo mortis, nec illud valeat euadere, nisi abscindendo sibi membrum quo tenetur ligatus, vel vinctus, potest illud sibi abscindere, iam ergo licet extra illos duos casus se mutilare. Hæc suo ordine diluamus.

Propter primum argumētum aliqui antiqui, vt Origenes, & eius discipuli iudicarunt licere mutilare se ipsum, quando saluti animæ videtur expedire. Sed hic error damnatus est in Cōcilio primo Niceno cap. primo, & condemnantur omnes sibi aliquas sui corporis partes abscindentes. Et refertur dist. 55. Can. Si quis à medicis, & in Conc. Arelatensi. 4. & in canonib. Apostolorum 22. & 23. & ratio est, quàm assignat hic D. Thom. ad 3. quia ad finem aliquē iuxta rectam rationem non licet vti medijs arduis, & acribus, nisi quando sunt omnino necessaria, & ad illum per se ordinata, ad salutem corporis est aliquando per se, & directè necessaria abscissio alicuius membri, & ita licet, ad salutem autem animæ, vt ad turpes cogitationes, motus carnis, & incentiua libidinis reprimenda, non sunt omnino necessaria, vt ad simpliciter ordinata abscissiones membrorum, sed orationes ieiunia, & diligenter tollere occasiones, & pericula. Vnde dictum Christi si oculus tuus, vel manus tua scandalizat te tolle, &c. non intelligitur de corporea, & actuali abscissione membri, sed spirituali, sic enim explicat Hier. Aug. & Chrysost. & alij sancti patres, si quis tibi occasioni peccandi est, etiam si tibi ita coniunctus sit dilectus, vel necessarius, vt oculus, vel manus, repelle eum à te, longe fac illum à te, de vitandis amicis, & familiaribus, qui occasio sunt peccandi, loquitur ibi Christus, locus verò ille de Eunuchis, spiritualiter quoq; intelligitur à sanctis Patribus Aug. li. vnico de virginitate cap. 23. & 24. & Basilio l. de Virginitate, & Chrisost. in Homil. & comment. istius loci, vocat ibi Christus Eunuchos propter regnum cœlorum, qui voto virginitatis, vel castitatis carnem suam Deo consecrarunt. Vnde factum illud D. Marci tribuitur à Doctoribus diuinæ reuelationi, nam aliter non fuisset laudabile, nec actus humilitatis, sed temeritatis, ostenditurq; diuina reuelatione factum, cum miraculosè fuerit illi deinde restitutus pollex. Factum originis damnatur ab omnib. lege D. Hyeron. in Epist. ad Pamachium rom. 2. vbi laudat quidem in Origene zelum castitatis, condemnat autem factum illud.

Ad secundum respondeo verum illud esse nec nobis repugnare, quia D. Thom. & conclusiones positæ tantum intelliguntur de partibus, & membris, quæ componunt totum in sua decentia, & integritate naturali, non autem de partibus superfluis, & monstruosis. Ad tertium, & quartum respondeo simul, doctrinam D. Tho. intelligendam esse to secunda conclusione de periculo salutis, & vitæ, quod est ab intrinseco, & ex ægritudine, vel ex damno inhærente, & proximè efficiente, vt quando sequitur ex vinculis, vel apprehensione feræ, quamuis enim vincula extrinseca sint, constrictio verò natura ex vinculis est inhærens, similiter morsus feræ, & ignis vrens, non est autē intelligenda de periculo vitæ, quod est ab extrinseco, & malitia alterius, ob malitiam enim alterius non licet mihi amputare membrum mihi ipsi, sed pati, vt ipse damnum quod voluerit inferat, cum ei nō possim resistere. Et ita soluitur Tertium argumentum in casibus quoque argumēti periculum illud quod in omnibus reperitur est, vel ab intrinseco, vel ex damno proximo, vel inhærente, & ita licet in illis casibus ad vitandū tale periculum, & tuendam vitam amputare sibi membrum. 2. quæst. est.

CONTROVERSIA II.

An expediat saluti corporis membrum abscindere, si id infirmus renuat, possit Resp. prælatus, vel pater ad illud compellere præcepto, cui resistere sit peccatum mortale.

REspondeo iudicem in primis aut Remp. in posse, quia Respub. non habet auctoritatem, vel ius in corpus, & membra ciuium in or-

in ordine ad bonum aliquod particulare, sed tantum in ordine ad bonum commune, in hoc autem casu talis abscissio tantum est necessaria, vt supponitur, ad bonum particulare, & salutem infirmi. Dico secundò nec prælatum suos subditos, nec parentes suos filios posse præcepto obedientiæ obligare ad similes abscissiones, licèt possint obligare ipsos ad sumenda medicamenta saluti necessaria, quæ commodè sumi possunt.

Ratio est, quia si possent tale præceptum imponere, Id certè esset, vel quia ille infirmus tenetur pro vita, & salute dolorem illum subire, vel quia licet eis tali infirmo quodcunque medium præcipere, sed neutrum horum verū est, non prius, quia salus, & vita corporis non est tantū bonum, vt teneatur quis pro ea quisquis dolores etiam grauissimos subire. Vnde illud cuiusdam Romani. Non est tanto dolore digna salus. Nec posterius est verum, quia superiores non possunt omnia licita, & honesta præcipere, sed ea tantum quæ moderata sunt, maximè autem difficilia, & quæ habent se ve lut actus heroicus, vt grauissimos pati dolores nō cadunt sub hominum obedientia, & ita non possunt tale quid præcipere.

Hęc intelligenda sunt quādo ille infirmus non ēt necessarius Reip. Nam si sit ita necessarius, vt eo mortuo non inueniatur alius similis, & ferè æquiualēs bono communi, & per eam abscissionē, vel dolorem probabiliter credatur euasurus mortem, tenetur ipse dolorem illum pati, & potest à Rep. & superioribus ad id compelli pro bono cōmuni, nam si teneretur ille ex charitate, & iustitia legali exponere vitam pro bono communi, quanto magis pati illam abscissionem membri, & dolorem, quamuis vehementem pro eodem bono communi?

Hinc sequitur licere quidem parentibus filij, quos voce plurimum Ecclesijs profuturos sperāt, amputare virilia, & efficere Eunuchos, sed ita, vt fiat fine periculo vitæ, & de eorum consensu, quia licet huiusmodi Eunuchi vtiles etiam sint bono communi Ecclesiarum, non tamen necessarij, tum etiam, quia postquam sunt facti Eunuchi, non manet eis facultas ad quemcunque statum, cum à iure clerici esse nō possint, nec ex cōstitutione Sixti V. coniugati. Electio autem status libera est, circa eam habent ius parentes in filios, quo fit neminem faciendum esse Eunuchum, nisi consentiat. Nunc videamus tertio.

CONTROVERSIA III.

QVANDO INCVRRAT irregularitatem qui mutilat alium.

DE mutilatione distinguendum est sicut de homicidio distinximus, ita vt quædam sit simpliciter, & absolutè voluntaria, & intenta, alia verò casualis, casualis verò quædam omnino casualis, & inuoluntaria, velut ea, quæ efficitur præter intentionem agentis dando operam rei licitæ, & nullo modo ex se periculosæ, adhibitaque debita diligentia, aut casualis quidem, & inuoluntaria directè, quia præter intentionem agentis, indirectè tamen, & implicitè voluntaria, quia sequuta, vel ex defectu debitæ diligentiæ, vel quia dabatur opera rei illicitæ, & periculosæ.

CONCLVSIO I.

Mutilans alterius membrum, siue mutilatione directè voluntaria, siue casuali quidem, sed indirectè voluntaria, & cum consensu implicito, qui perueniat ad culpam mortalem, sicut diximus de homicidio casuali, est irregularis.

ITa Syluest. Homicidium 3. q. 3. Couarru. in illa Clementi. si furiosus. par. 3. num. 8. Soto lib. 5. de iust. p. 2. artic. 1. Nauat. cap. 27. num. 206. Et patet ex ista Clementina, in qua similiter agitur de mutilante, & occidente, quia, vt ait Glosa, mutilans membrum illius occisor est, Et can. Aliquātò dist. 51. cap. Is qui, de homicidio in 6. & alijs textibus. Ne clerici, vel monachi.

CONCLVSIO II.

Qui mutilat membrum alterius, vel ad tuendam propriam vitam, vel mutilatione omnino, & simpliciter casuali, ita vt nec directè, nec indirectè consenserit, non manet irregularis.

HAbetur hæc à Doctoribus cit. & apertissimè in eadem Clementina, vnde in casibus in qui bus sufficit consensus, vt homicida sit irregularis, illis similiter mutilans est irregularis, & in casibus, in quibus homicida aut ex inculpata tutela, aut ex defectu consensus non est irregularis, in illis quoque mutilans non est irregularis.

CONCLVSIO III.

Qui mutilat membrum alterius gratia sanitatis, vt medicus, vel chirurgus, non est irregularis.

ITa Syluest. loco cit. Nauar. c. 27. num. 208. Ratio est quia hi reuera, & in iure non dicuntur propriè mutilare, sed curare, Et cum hæc tes sit odiosa, illi tantum iudicandi sunt mutilatores quo ad irregularitatem, qui propriè mutilant.

CONCLVSIO IIII.

Qui non abscindit membrum alterius, sed tantum debilitat, & enervat reddens illud mancum, vel deforme, non manet irregularis.

HÆc est contra Panormit. in cap. Cum illorum de sententia excommunicationis in 6. Et Syluest. loco cit. Et Angel. Homicid. 5. §. 5. habent tamen hāc conclusio. nostram Couar. Soto, Nauar. locis cit. & est comunis inter Canonistas, Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi expreßè in iure habeatur, vt constat ex dictis, & ex cap. illo Is qui, de sententia excommunicationis in 6. sed in iure, vt in Clementina illa ille tantum decetnitur irregularis, qui mutilat alterius membrum, mutilare autem non dicitur, qui solum debilitat, vel eneruat, sed qui verè abscindit illud, & pertruncat, ergo.

Ex quo sequitur percutientem aliquem in oculo, etiam si visu illum priuet, si tamen nō extrahat oculum eius non manere irregularem. Et confirmatur ex cau. Si Euāgelica, dis. 55. vbi Gelasius eo

nomine declarat quẽdam irregularem, quia eruit alterius oculum, duo ille præstiterat, percusserat, & eruerat oculum, non affirmat illum irregularẽ, quia percussit, sed quia eruit.

Sed contra hanc quartam conclusionem argumentantur auctores oppositæ sententiæ. Debilitatus, vel defędatus, & citra detruncationem manet irregularis, vt constat dist. 55. ex multis capitibus, ergo multo potius est censendus irregularis, qui alium debilitat, etsi non abscindat membrum aliquod. Respondeo negando illationem vi illius regulæ, qua sæpè vsi sumus, non esse constituendã irregularitatem, nisi habeatur expresſè in iure, in iure autem non est necessaria hæc illatio, nec habetur, vt si debilitatus est irregularis, qui illum debilitauit sit similiter irregularis. Addo istos plurimum differre, debilitatus enim efficitur irregularis, quia est ineptus ad decenter celebrandum, ad quod sufficit debilitatio illa, mutilator verò est irregularis, quia mutilat, qui autem solum debilitat, & verè, & propriè, qua ratione loquendum est maximè in odiosis, non mutilat.

CONTROVERSIA IV.

QVANDO MVTILATVS aliquo membro maneat irregularis.

CONCLVSIO I.

Quicunque habet in aliqua parte sui corporis notabilem aliquam deformitatem, vt maculam in oculo, deforme vulnus, vel cicatricem in facie, est irregularis.

ITa habetur apertè can. c. dist. 55. & cap. 1. de corpore vitiatis. Estque communis sententia omnium Doctorum.

CONCLVSIO II.

Quicunque aliquo membro mutilatus, & truncatus, est, vel aliqua parte sui corporis, ita vt non possit tali mẽbro, vel parte destitutus sine scandalo, & irreuerentia, ac indecentia sacrosanctam Eucharistiam attingere, irregularis est siue casu, siue à natura, siue ex infirmitate tali membro, vel parte mutilatus sit.

HAbetur hæc conclu. quo ad priorem partem de mutilatis membro, vt manu, vel oculo dist. 55. can. si Euangelica, Et c. Exposuisti de corpore vitiatis. Quo ad secundam vero partem cap. 1. & vltim. de corpore vitiatis. Vnde, licèt quiuis peculiaris digitus, vt videbimus, nõ sit membrum, sed tota manus, est tamen quiuis dignus pars corporis. Et propterea attendendum in ipsis, qui deseruiant Eucharistiæ, ita vt eorum defectus esset scãdalum, & irreuerentia, qui verò nõ, nam defectus priorum, vt pollicis, & indicis inducit irregularitatem. vt habetur capit. primo & vltimo de corpore vitiatis, Defectus autem posteriorum, vt auricularis non inducit eam, vt habetur can. Latot d. 55. similiter si ex pollice, vel indice aliqua pars deficiat, cuius defectus non inducat scandalum, vel indecentiam, incurritur irregularitas ex tali defectu, vt explicatur istis cap. Primò, & vltimò de corpore vitiatis, iuxta quem sensum intelligendi sunt canon. Qui partem, & canon. Pęnitentes dist. 55.

CONCLVSIO III.

Eunuchi sic nati ex vteris maternis, aut, sic effecti ex infirmitate, vel à tyranno, aut inuasore non sunt irregulares, qui verò se ipsos castrauerint, vel ab alijs sic effecti sunt ex ipsorum consensu, quod perinde est, irregulares manent.

PRior pars huius conclu. habetur can. Si quis à medicis, can. Eunuchus dist. 55. Secunda verò pars habetur can. Hi qui, can. Si quis absciderit eadem dist. Et cap. Significauit de corpore vitiatis, Ex vtraq; part. can. Si quis pro ęgritudine d. 55. Et c. ex parte primò, & secũdò de corpore vitiatis.

Ex prima concl. hic posita sequitur ex deformitate exigua non sequi irregularitatẽ, quæ verò sit grauis deformitas, quæ lęuis, & exigua, secundum prudentiam iudicandum est. Ita Alexander. 3. cap. Cũ de tua de corpore vitiatis, prudẽtiæ Archiepiscopi Cantuariensis relinquit, vt videat quid iudicandum sit de macula cuiusdam in oculo. Circa secundam verò conclu. lege Soto l. 5. de iust. qu. 2. art. 1. vbi optimè docet quam decens sit, & rationi consonum, vt altari ministraturus non sit cæcus, truncus, aut deformis. Vide etiam Malach. Primò vbi animalia deformia, aut cęca non vult Deus sibi offerri, quanto magis ministros cæcos, & truncos? Restat, vt ad pleuam horum intelligentiam videamus.

QVID SIT INTELLIGENdum nomine membri, quando in iure dicitur mutilans, qui præscindit membrum.

NEcessaria est maximè hæc quæstio, vt intelligamus, qñ dicatur quis propriè mutilans, & eo nomine manere irregularis. Obseruemus primò corpori humano concessa esse à natura varia genera partium. Primi generis sunt, quæ tantum pertinent ad decorem, & ornamentum corporis, vt capilli, & barba. Secundi quæ non tantum pertinent ad integritatem, & consistentiam totius integri verum etiam habent propriam, & peculiarem operationem, & officia inter se distincta, vt oculos, pes, manus. Tertij generis sunt, quæ non solum ad decorem, & ornatum corporis pertinẽt verum etiam ad eiusdem integritatem, & perfectionem non tamen habent propriam, & per se distinctam actionem ab alijs, sed coniunctam, & accessoriam cum aliqua parte præcipua, vt digiti pedis, & manus. Concors est omnium doctorum sententiia partes primi generis non esse membra, partes verò secundi generis esse membra, adeò, vt soleant huiusmodi vocari membra præcipua, Tota autem quęstio est de partibus tertij generis an includantur in nomiue membri, ita vt abscindens digitum dicatur mutilasse membrum.

Caiet. hic Soto lib. 5. de iust. q. 2. art. 1. asserunt huiusmodi partes verè esse membra, & inducere irregularitatem. Probant primò, quia membrum iuxta communem sermonem idem est quod pars, ex qua integratur totum corpus, huiusmodi aũt sunt digiti, & mẽbra accessoria, ergo. Secundò, in his standum est iuri: in iure autem non solum numerantur inter membra, quæ habent actum, & officium distinctum ab alijs, sed etiã illa, quę habent

bent actum, & officium accessorium. Maior certa est. Minor probatur, quia Eunuchi in iure, vt patet ex textibus cit. dist. 55. & tit. de corpore vitiatis, sunt irregulares ex defectu membrorum: partes tamen illæ non habent proprium, & per se distinctum officium, sed accessorium. Hinc inferunt abscindentem alicui quemcunque digitum etiam auricularem esse irregularem tanquam mutilatorem membri.

Syluest. verb. homicidium 3. quæst. 3. sentit ex huiusmodi membris accessorijs non omnia dicenda esse æque membra, quoniam neque omnia habent æqualem operationem, neque æquè necessariam, maximè in ordine ad ministerium altaris, sed vocanda esse membra, aut illa, quæ præcipua sunt, & habent propriam, & distinctam operationem ab alijs, vt pes, manus, aut quæ licet sint minus præcipua, sunt tamen necessaria ad debitū, & decens altaris ministerium, vt pollex, & index, & ita qui alicui pollicem, vel indicem abscinderet, maneret irregularis, qui autem auriculam, nequaquam.

Primò, quia cum nec dicant ordinem ad ministerium altaris, nec habeant proprium, & distinctam actionem, non sunt dicenda membra, nec simpliciter, nec in hac disputatione.

Secundò, cum in mutilatione tota culpa sit in mutilante, non autem in mutilato, quia hic patitur iniuriam, ille vero infert, minor causa sufficit in mutilante ad incurrendam irregularitatem, quàm in mutilato, sed mutilans parte necessaria ad debitum altaris ministerium, vt pollice vel indice, est irregularis, ergo, & mutilator pollicis, vel indicis censendus est etiam irregularis.

Addunt aliqui hanc opinionem sequentes digitum quoque medium esse dicendum membrum in hac disputatione, & mutilantem illum esse irregularem, quia habet speciale munus in ministerio altaris: nempe, vt cum eo fiant quoque signa benedictionum in formam crucis super hostiam & calicem, sed quæ hi addunt de digito medio ab omnibus excluduntur communiter, quia signa fiunt tota manu extensa ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quod si aliqui vtantur huiusmodi signis solo indice, & medio id parum refert, cum illa sit Ecclesiæ Romanæ consuetudo, cui in his standum est.

Tertia opinio est nullam ex his partibus tertij generis esse membrum, neque simpliciter, neque iure in ordine ad irregularitatem, & ita scindentes huiusmodi partes, & membra accessoria non incurrere irregularitatem. Ita Nauar. Et Couar. loc. cit. & est communis inter canonistas, & modo recepta inter discipulos D. Thom. quam etiam nos sequemur.

CONCLVSIO I.

Propriè, & in rigore loquendo, illæ tantum partes, quæ habent proprium, & specialem actum distinctumque officium ab alijs, sunt dicenda membra corporis.

ITa docet Aristo. 1. lib. de partibus animalium, cap. 5. Et. 4. lib. Metheororum, cap. vltim. Et habetur in iure ciuili. l. Non fiot liberi. ff. de statu hominum, vbi ferè omnes iurisconsulti idem docēt, maximè Barto. in l. Officiorum. ff. de officijs publicis, & Bald. l. seruis ff. de seruis fugiuis. Idem insinuat D. Paul. 1. Corint. 12. dicens: Membra corporis non habere eundem actum, constituitque exemplum in oculo, & pede. Idem repetit Rom. 12. Membra corporis non habere eundem actum, quem locum explicans D. Greg. can. Singula, dist. 89. Fauet maximè huic sententiæ, quia Apostolus dicens membra corporis non habere eundem actum, apertè insinuat, illam tantum partem corporis propriè dici membrum, quæ habet suum proprium, ac peculiarem, & distinctum actū ab alijs.

CONCLVSIO II.

Non est mutilator, neque irregularis, qui præscindit membrum aliquod accessorium, sed ille solus, qui præscindit membrum aliquod principale.

PRobatur. Ius constituens irregularitatem contra mutilantes membra est pęnale, ergo restringendum ad ea, quæ propriè, & in rigore sermonis dicuntur membra, at membra accessoria Physice, & propriè nō sunt membra, sed sola illa, quæ sunt principalia, ergo. Et confirmatur, quia hac quoque ratione auctores oppositæ sententiæ dicunt non esse irregularem eum, qui eneruat, aut debilitat membrum alterius, quia cum irregularitas sit tes pęnalis, & imponatur mutilantibus, est restringenda ad id quod est propriè mutilare, debilitare autem, vel eneruare mēbrum, nisi actu, & tenera præscindatur, non est mutilare.

Secundò irregularitas, vt sępè diximus non est ponenda, nisi habeatur expresè in iure, at non habetur expresè in iure, vt sit irregularis mutilans membrū accessorium, aut mutilans mēbrū quocunque modò dicatur membrum, sed simpliciter mutilans membrum, membrum autem simpliciter, & propriè nō est nisi illud quod vocamus principale. Tertiò habetur expresè in iure, vt ille, cuius membrum abscinditur, maneat irregularis, docent autem ipsimet Caiet. & Soto illum cuius abscinditur non manere irregularem nisi per illā abscissionem incurrat notabilem deformitatem, vel impotētiam in ordine ad ministerium altaris, ergo digitus non est membrum. Probo consequentiam, quia cū in iure illud statuatur, si digitus esset membrum; sola abscissio digiti induceret irregularitatem, quācunque esset deformitate, vel impotētia, at sola abscissio non inducit, vt ipsi fatentur, & est communis sententia, nisi sit illa deformitas, & impotentia, ergo digitus nō est membrum. Ita sit, vt quemcunque digitum quis præscindat siue auricularem, siue indicem, siue pollicem, siue medium, non sit irregularis cum digitus non sit, cuam rom ad præsentem disputationem, membrum, differunt enim hic plurimum pars, & membrum, exigitur que plus ad membrum, quàm ad partē, quicquid. n. componit totum est pars, membrum aūt non est nisi sit pars habens suam propriam actionem, & officium distinctum ab alijs.

Et per hæc patet solutio ad primum argumentum Mag. Soto quamuis enim in communi sermone sumantur promiscuè, & pro eodem pars, & mēbrum, propriè tamen, sicut diximus, differunt. Et in hac materia, cum sit odiosa, restringendæ sunt voces ad suas proprias significationes. Ad secundum respondeo, maxime Eunuchos, qui suo consensu castrantur irregulares, siue illa parsque eis abscinditur, sit membrum, siue non, quia ita est decretum in iure, quemadmodum qui sibi ipsi voluntariè abscindit partem digiti, manet irregularis, vt habetur, Can. Qui partem, dist. 55. Et cap. primo de corpore vitiatis, pars autem digiti omnium consensu nō est membrum. Vnde sicut huius irregula-

galatiratis non possumus aliam assignare causam, nisi voluisse ius ita punire huiusmodi mutilarores suarum partium, ita quoque huius irregularitatis Eunuchorum nō est alia ratio nisi voluisse ius ita punire consentientes in talem abscissionem.

Ad argumenta Sylueft. Respondeo, Non esse simile de mutilante, & mutilato, Nam mutilatus, siue pars quæ ipsi abscinditur, sit membrum, siue non, si incurrat per illam abscissionem indecentiam, vel impotentiam in ordine ad ministerium altaris, manet irregularis, mutilans verò non, nisi mutilet partem, quæ sit mēbrum propriè loquendo, quia ita definitur in iure, cui in his standū est. Nec hòc debet esse mirum, vt mutilatus maneat aliquando irregularis, mutilans verò non, nam ipsimet Soto, & Sylueft. ac omnes concedunt, eum cuius manus debilitata est, & eneruata, esse irregularem, cum tamen ille, qui debilitauit, & eneruauit, si non abscindit, non fit irregularis, similiter, qui actu omnino casuali dans operam rei licitæ, & non periculosæ adhibitaque omni diligentia alium brachio, vel manu priuaret, non maneret irregularis, cum tamen ille sic mutilatus esset irregularis ob deformitatem, & impotentiam. Vnde qui alium priuaret pollice, vel indice non manet irregularis, cum hi digiti propriè non sint mēbra, ille verò qui pollice, vel indice priuaretur, manet irregularis ob deformitatem, & indecentiam, ac quandam impotentiam ad debitum ministeriū altaris. Quo fit, vt chirurgus, qui digitum alteri præscindit gratia sanitatis, duplici nomine sit liber ab irregularitate, primò quia id facit sanitatis gratia. Secundò, quia non præscindit membrum propriè, Vnde regula illa Sylueft. est falsa, leuiorem causam sufficere, vt percutiens incurrat irregularitatem, quàm percussus.

ARTICVLVS II.

An liceat parentibus verberare suos filios, & dominis suos seruos.

CONCLVSIO I.

& est affirmatiua.

Licet parentibus, dominis, prælatis, & magistris suos inferiores verberare, non tamen mutilare.

Probatur, cum ratio mediorum sumenda sit à fine, Et parentibus dominis, prælati, & magistris incumbat quidem corrigere, ac emendare sibi subditos, non autem punire, vt malefactores, quod sit solius potestatis publicæ, possunt exercere in eos, quæ iuxta rectam rationem sunt accommodata ad correctionem, & emendam, non autem ea, quæ pertinent ad iustitiam vindicatiuam, verberare, & flagellare sunt quandoq; accommodata media ad correctionem, & emendam, per dolorem, qui verberibus incutitur, mutilare autem iuxta eandem rectam rationem non est medium ad emendam, sed potius iustitiæ vindicatiuæ, cum per mutilationem inferatur nocumentum irreparabile, poterunt ergo parentes, domini, prælati ac magistri verberare sibi subditos, eadem auctorita te qua possunt eos corrigere, mutilare autem nequaquam.

Et confirmatur, cum mutilatio in iure sit quædam occisio membri, ille solus habet ius in partes corporis, qui habet in vitam totius corporis, sed haec autem potestas publica habet hanc auctoritatem, & ius, illa ergo solum potest mutilare. Hæc doctrina obseruanda est propter aliquos Dominos crudeles in suos seruos emptitios.

Circa hunc articulum sunt nonnulla dubia. Primum est.

AN QVANDO NONDVM erant Resp. vt initio mundi antequam genus humanum cresceret, vel vbi modo homines turmatim viuerent, & sine Rep. posset pater punire filium occisione, vel mutilatione.

Respondeo, parentibus, vt parentes sunt nunquam licuisse nec modò licere filios quātumuis malefactores ita punire. Dico, vt parentes sunt, quia si pater non solum sit pater, verum etiā aliquibus hominibus quantumuis paucis in vnum congregatis Princeps, & caput inter illos, tunc iā non agit, vt pater, sed tanquam habens potestatem publicam, at si nullum aliud habeat ius, nisi domesticum, & œconomicum, quale solent habere parentes in filios, qua patres sunt, non possunt eos punire morte, aut mutilatione.

Ratio est, quia talis punitio, cum sit actus iustitiæ vindicatiuæ, exigit processum iuridicum, in quo productis testibus, audito reo, & consideratis omnibus feratur sententia, quę omnia pertinēt ad potestatem publicam, esseque iniquè bonorum saluti, & gubernationi consultum, si quiuis domi suæ sine tali processu, aut cum solo processu domesticorum posset filium suum occidere, vel mutilare.

Secundò repugnat rectæ rationi, vt quilibet pater, cum tot sint inter parentes, qui parum ingenio valent, posset facere processum, & illius merita expendere ac iudicare.

Tertiò ius paternum tantum se extēdit ad educandos filios, & benè instituendos, horret autem natura, vt parentes sint vindices in filios punire autem morte, aut mutilatione est esse vindicem iustitiæ, iuxta illud Pauli de gubernatoribus, & Iudicibus. [Non sine causa gladium portat vindex, enim Dei est, &c.] ergo. Ita sit, vt licet Caim meruerit, vt homicida suplicium mortis, Adam tamen non potuisset illum occidere, quia erat quidem Adam dominus orbis terrarum quo ad vsum omnium rerum, non tamen iudex, vel princeps in suos filios, sed deinde, postquam genus humanum creuit, & in varias Resp. diuisum est, iure gentium, habet vnaquæque suum principem, qui has punitiones exerceat, nunquam autem parentibus id licuit.

AN VIRI POSSINT VERberare vxores suas.

Dico aliquandò licere. Quia vir est caput vxoris, & ipsa sub viri potestate, non tamen id licet, nisi grauissima necessitate exigente, & cū certa spe emendæ, aliter barbarum est, & minus politicum vxori manus iniicere, cum sint vna caro, dataque sit viro non in ancillam, vel famulam, sed in so-

in sociam, & adiutricem gubernationis domesticæ.

AN FRATER MAIOR *natu possit verberare minores.*

Respondeo simpliciter id non licere. Quia primogenitura non dat ius in posterius genitos, licebit autem quando minores sunt pupilli, & ipse maior, vel testamento patris, vel decreto iudicis est institutus illorum tutor, vel quando mater habet curam filiorum sub sua tutela, & maior illorum gubernat domum, estque in ea velut pater familias, quia in his casibus frater maior est superior ad minores, viuente autem patre, vel si fratres habeant suos tutores, non licet fratri maiori verberare minorem, quamuis si verberet, non ita grauiter peccabit, sicut alia persona extranea. In his omnibus attendendæ semper sunt circumstantiæ delicti, & personæ puniendæ, vt correctio, & castigatio sit proportionata, & debita faciendaque ex desiderio emendæ, non ex odio, aut appetitu vindictæ, vel impetu iræ, quia tunc iam esset peccatum, aut veniale, aut mortale iuxta rationem odij, & iræ, & quantitatem verberum. Videamus.

VTRVM LICEAT SVPErioribus *verberare sibi subditos constitutos in sacris, absque eo quod incidant in can. si quis suadente diabolo.*

De Prælatis tam Ecclesiasticis, quam Religiosis, non est dubium hoc licere, nec ex eo incidere in can. illum, vt patet in Decretis, dist. 45. per totam, debent autem punire eos modo consueto, in sua diœcesi, vel religione. Quod si vtantur modo non consueto, vt qui iuste velit percutere, certè incidet in illum can. quia talis modus non est verberatio, nec castigatio, quæ ipsis permittitur, sed percussio, & iniuriosa læsio, similiter si in verberatione aliquo modo excedat etiam vsque ad alicuius sanguinis effusionem, nec incidit in can. nec est irregularis, quia non potest superior, maximè in culpa graui ita esse mansuetus, quin aliquo modo excedat, cum tamen id accidat præter eius intentionem, ita ve animus eius non fuerit excedere, aut sanguinem illius fundere, sed grauiter pro culpa graui verberare, quod si excessus sit nimius (quod attendendum est partim ex grauitate culpæ, partim ex verberatione, & eius effectu) ita, vt prudentum iudicio ex odio, & ita talis verberatio proficisci credatur, tunc incidit in illū can. & manet propter talem sanguinis effusionem irregularis.

Sed contra hæc obijcio. Eo ipso quo excedunt, iniciunt manus violentas in suum subditum ergo peccant mortaliter, & incidunt in illum can. Secundò, si quis cum eo excessu defendat se à clerico inuasore, peccat, & incidit in illum can. quia non seruauit moderamen inculpatæ tutelæ, ergo similiter quicunque excessu punit clericum.

Ad primum respondeo, totam illam actionem esse vnam castigationem, quæ licet aliquo modo excedat, non est temeraria, nec violenta supposita grauitate delicti, vt expositum est. Ad secundū dico, illum esse irregularem, quia tantum ei licet se tueri, non tamen cum excessu, nisi excessus ille esset maximè læuis, at prelatos potest punire acriter in culpa graui, & excessus ille continetur intra limites acris punitionis. Aliter aperiretur ianua multis, & innumeris scrupulis Prælatorum, dareturque ansa iniquis, vt cum castigarētur, imponerent facile Prælatis suis illos excessisse. In his omnes conueniunt.

Quæstio autem posita est de aliis superioribus, maximè parentibus, & magistris. Panor. in c. Cum voluntate de sententia excommunicationis ita distinguit, vt liceat parentibus, & magistris verberare sibi subditos constitutos in minoribus, non autem constitutos in sacris. Sic enim videtur colligi ex isto c. cum voluntate §. si verò. Syluest. Excommunicatio. 6. §. 4. & Caiet. Excommunicatio. c. 8. indicant idem posse parentes in filios, & magistros in discipulos, quod Prælati in suos subditos. Soto lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 2. reprehendit hanc sententiam quia Prælati, cum habeant iurisdictionem & auctoritatem publicam in suos subditos, possunt etiam in sacris constitutos punire verberibus citra illam excommunicationem, at cæteri, vt parentes, & magistri non habent talem auctoritatem, & ita non esse idem eis concedendum, quod Prælatis, sed in his standum esse vsui.

Dico tamen primò, nec parentibus nec magistris, nec vllis aliis à Prælatis licere verberare presbyteros, tum quia recta ratio docet id esse cū maxima iniuria sacerdotij, tum etiam quia dignitas sacerdotalis præstat dignitati generationis naturalis, & magisterij.

Dico secundò constitutos in minoribus tam parentes, quàm magistros posse verberare debito modo, & pro qualitate delicti, In quo omnes conueniunt, & constat ex illo c. Cum voluntate, constitutos verò in sacris, vt diaconos, & subdiaconos parentes posse verberare pro re grauissima, & cum certa spe emendæ, quia donec fiant presbyteri semper sunt parentibus suis inferiores, & habent in eos parentes auctoritatem. De magistris verò an id possint, hac parte habet locum dictum M. Soto standum esse vsui loci, nam vbi id fieri cō sueuit, non sit iniuria ordini, & videtur ita expedire, vbi autem non consueuit fieri, fit iniuria ordini.

ARTICVLVS III.

An liceat alium incarcerare.

CONCLVSIO I.

Publica potestas tam Ecclesiastica, quam ciuilis potest malefactores incarcerare.

Probatur ratio mediorum, sumenda est ex fine, ad publicam potestatem pertinet, & malefactores punire, & malis obuiare, ad punicdum verò malefactorem necesse est custodire illum in carcere, donec feratur sententia, similiter ad vitanda aliqua mala in Rep. expedit aliquos malefactores, aut cognitos tales, aut prudenter suspectos in carcere detinere, ergo licet auctoritate publica alios incarcerare.

CON-

CONCLVSIO II.

Contra ordinem iuris non licet, nec potestati publicæ, aliquem incarcerare.

PAtet, quia eo ipso quo id fieret contra ordinẽ iuris, esset inferre damnum proximo cum iniuria, cum in carcere priuetur homo re tanti pretij, qualis est libertas, & liber usus suorum mẽbrorum. Ex hoc artic. sequitur licere iudicibus in carcerare aliquos.

Primò, quando eorum custodia est necessaria, uel ad ipsorum punitionem, uel ad uitanda aliqua damna imminentia.

Secundò, vt custodiantur donec feratur sententia.

Tertiò, vt ea via compellantur ad soluenda debita alias non soluturi, Ita tamen, vt in his omnibus seruetur ordo iuris: Extra hos casus Iudex tradens aliquem carceri tenetur ad restituendas illi omnes expensas, omnia lucra cessantia, & omnia damna, quæ ille incarceratus passus est, nec aliter sunt absoluendi huiusmodi iudices.

CONCLVSIO III.

Sicut potest authoritas publica incarcerare, ita quoque mittere in exilium, quando pro qualitate delictorum uel ad vitanda aliqua damna imminentia iuxta rectam rationem ita expedierit.

SEd in his peccaret quoque grauiter iudex, qui non seruaret ordinem: vt si quis mitteretur in exilium sine processu, & inauditus.

CONCLVSIO IIII.

Parentes possunt quidem per aliquod tempus domi sua recludere, & detinere suos filios, vt corrigantur, & ab aliquo malo abstineant, maximè si volunt indecenter nubere, aut ludis, & libidine bona consumunt, incarcerare tamen eos nequeunt.

QVia illud prius est medium ad emendam, quam tenentur parentes curare, posterius verò est medium, vel ad punitionem iutidicam, vel ad punitionem iutidicam, vel ad bonum commune Reip. quę tantum pertinent ad potestatem publicam, non autem ad parentes priuatos.

ARTICVLVS IIII.

An peccatum quod committitur, vel occidendo, vel mutilando, vel verberando sit grauius ex eo, quod recipiens talia damna habeat aliquos coniunctos.

CONCLVSIO PRIMA.

Cæteris paribus grauius peccat, qui infert ista damna habenti personas coniunctas, vt consanguineos, affines, vel domesticos, quam qui ea infert non habenti aliquos coniunctos.

RAtio est aperta, quia omnes isti coniuncti consequenter læduntur, & iniuria consanguineo suo illata, in ipsos quoque refunditur, damnum autem, & iniuria, quod in plures deriuatur, & plures afficit, grauior culpa est. Dixi cæteris paribus, quia ratione personæ, aut damni potest grauius peccare, qui nocet nullum coniunctũ habẽti, quàm habenti multos: grauius peccat occidens Episcopum, etiamsi nullum habeat consanguineum, vel affinem, quàm occidens priuatum hominem, etiamsi habeat multos coniunctos: similiter grauius peccat, qui occidit hominem nullum habentem consanguineum, quàm mutilans membrum alterius, etiam si mutilatus multos habeat coniunctos.

QVAESTIO LXVI. DE FVRTO.

QVAMVIS damna quæ in corpore inferuntur proximè sequantur damna, quæ nocent honori & famæ, quia grauiora sunt illis, quæ fiunt in bonis, nihilominus Diuus Thomas prosequitur prius ea quæ opere & actu exercentur, quam quæ sermone & verbo, & ita explicatis damnis, quæ inferuntur corpori agit de furto, & rapina, quæ nocent bonis temporalibus.

ARTICVLVS I.

An possessio rerum temporalium sit naturalis homini?

IN rebus temporalibus duo reperiuntur: natura earum, ad quam reducuntur proprietates illam consequentes, & vsus earum.

CONCLVSIO I.

Rerum temporalium quantum ad earum naturas, & proprietates solus Deus est Dominus, potestque earum naturam, & proprietates rerum immutare.

CONSTAT ex mille locis Sacræ Scripturæ.

CONCLVSIO II.

Rerum temporalium quo ad earum vsum, homo est dominus, ac possessor iure naturali & diuino.

ORdine enim naturæ imperfectiora sunt propter perfectiora, & Gen. 1. Faciamus hominem &cæt. & præsit volatilibus cœli, & bestijs terræ, &c.

ARTICVLVS II.

An liceat hominibus possidere rem aliquam, vt propriam.

CONCLVSIO EST AFFIRM.

Licere: imò fuisse necessariam rerum diuisionem, & appropriationem.

PRimò, vt agri diligentius colantur. Secundò, vt hæreditates distinctæ distinctos quoque & varios fructus proferat iuxta varia hominum ingenia. Tertiò vt tolleretur occasio litium, & dissensionum. Sed hæc ita sunt appropriata, vt nihilominus debeant diuites & potentes indigentibus facilè tribuere. Quæ circa hos duos articulos disputanda sese offerebant copiosè explicauimus in illo tractatu de dominio.

ARTICVLVS III.

An sit hæc optima definitio furti, occulta acceptio rei alienæ.

DIuus Tho. statuit furtum, cum sit quædam iniustitia respicere alienum, sicut iustitiæ est reddere vnicuique suũ. Deinde cum alienum sit corpus proximi, membra eius, & res temporales nempe honor, & fama, & diuitiæ furtum non potest respicere corpus, aut membra, quia est vitium distinctum ab adulterio, homicidio, & mutilatione, quæ respiciunt corpora, & membra aliena, neque respicit honorem, vel famam, quia est vitium etiam distinctum ab infamia, & detractione, quæ versantur circa honorem, & famam. Vnde solas respicit res temporales, idest, diuitias. Denique si res temporales accipiantur domino consentiente, nulla est iniquitas cum ergo furtum iniquitas sit, erit vsurpatio rerum alienarum occulta, legitimo domino dissentiente: vnde optimè definitur occulta acceptio rei alienæ.

De hac materia agunt DD. Theologi in 15. d. Canonistæ in Decre. Tit. de furto. Legistæ C. & ff. de furtis, Summistæ in verbo furtum, & Rapina. Io~n. Med. C. de rebus restitu. à q. 4. vsque ad 10. Soto lib. 5. de iusti. q. 3. Nauar. cap. 17. in Manual. & c. final. 14. q. 6. Couar. in regula peccatum.

Cum variæ sint furti definitiones, non desunt qui alias amplectentes hac D. Th. reprehendant. Iuristæ quasi ad ipsos propriè pertineant disputatio de contractibus, & de vitijs quæ in ipsis committuntur, volunt propriam definitionem furti esse illam Pauli Iurisçon. quę habetur. ff. de furtis, & Institut. de obligatio. quæ ex delicto nascuntur vbi definitur furtum, Contrectatio fraudulenta rei alienæ, corporalis, & mobilis, vel vsus, & possessionis eius animo lucrandi. Medina q. 4. citata definit furtum acceptionem rei alienæ inuito domino quæ definitio est cõmuniter recepta in scholis. vnde illa D. Thom. videtur minus accommodata, argumentatúrque contra illam nonnulli.

Primò vsura, cambium iniquum, iniusta emptio, vel venditio, acceptiones sunt iniquæ & occultæ rei alienæ at nec D. Th. nec vllus Doctorum vocat eas furta, sed pertineut ad alias species iniqui contractus.

Secundò, filius accipiens à patre, & vxor à viro occultè accipiunt alienum, nec tamen iudicantur fures, aut puniuntur vt tales.

Tertiò qui domino sciente & vidente rem eius ipso inuito accipit, verè furatur, at illa acceptio non est occulta.

Quartò accipiens vxorem vel filiam alienam, grauissimum committit furtum, at vxor & filia non computantur in rebus alienis, neque in definitione furti intelliguntur per res personæ, sed bona temporalia. Denique ex communi omnium consensu & D. Thom. hic ad secundum detentio rei alienæ inuito domino pertinet ad speciem furti, attamen talis detentio nõ est occulta acceptio, potuit enim (vt quotidie fit) domino consentiente, & voluntatiè accommodante rem illam accipere, quam deinde iniquè detinet.

Sed propter hæc arg. non est recedendum à D. Thom. doctrina, Doctor. n. sanctus benè nouerat omnes istas definitiones & alias plures, habuit tamen semper de more sanctorum patrum vestigijs inhærere, & quoniam hæc definitio furti legitur apud D. Isid. lib. 9. Ethym. cap. de verbis incipientibus à litera F. ideo eam amplectitur. Tùm etiam quia definitio eo est præstantior, quo breuius naturam rei explicat, & quidquid aliæ multis verbis proponunt, hæc paucioribus continet: Sed singulas expendamus: In primis illa Iurisconsũ. in multis vitiosè redundat in alijs nihil habet quod hęc D. Thom. non contineat. Principio non vtitur proprio genere, quia contrectatio propriè est actus, quo rem aliquam attingimus, furtum verò cum sit vitium, habet se per modum habitus. Vox illa, fraudulenta potest tria significare, Primò, fraudem & dolum in contractu. Secundò, vim aliquã, & violentiam. Tertiò, ignorantiam, dissensum veri domini. Si Iurisc. sumat hic vocem fraudulenta in primo significatu non conuenit furto, sed pertinet ad vsuras, cambia, & alios contractus dolosos, species (vt videbimus) distinctos à furto. Si in secundo, tantundem, vis enim & violentia non conueniunt furto, sed constituunt speciem distinctam ab eo, scilicet rapinam, vt videbimus artic. seq. vnde debet vti ea in tertio significatu, pro ignorantia & dissensu dicunt, quod aptius explicat D. Th. voce occulta. Vox illa (rei corporalis & mobilis) est falsa & impertinens: falsa, quia furtum etiam versatur circa immobilia. Verè enim qui fundum, vel domum alienã iniquè occupat, committit furtum, impertinens verò, quia nomine rei alienæ omnia bona temporalia, mobilia vel immobilia continentur.

Similiter redundat vox illa vsus, vel possessiones, quia nomine rei alienæ omnes temporales, & earum vsus & possessiones intelliguntur: Multò magis redundat vltima vox (animo lucrandi) primò quia natura furti non est sumenda ex fine furantis, sed ex propria ratione furti, quæ consistit in iniqua acceptione rei alienæ, quocunq; fine fiat: secundò, quia acci piens occultè rem alienam, vt destruat, vel comburat, non accipit animo lucrandi, nihilominus verè furtum committit.

Communis Theologorũ definitio, quam adeò probat Medina, non differat ab hac D. Thom. per vocem enim illam (inuito domino) aut intelligitur aliqua vis domino illata, aut ignorantia & dissensus: Primum, non habet locum in furto, quia est proprium rapinę, quæ specie ab ipso differt: vnde sumetur in secundo sensu, quomodo, vt cõstat, continetur optimè in voce (occulta.)

Nunc ad arg. proposita. Ad primum respondeo, vsuram, cambia iniquam, &c. esse quidem iniustas

acce-

acceptiones, non tamen furta, quia non sunt acceptiones occultæ eo modo quo sumatur hic à D. Tho. occultum, sumitur namq; pro inuoluntario, quod vocat Arist. 3. Ethi. per ignorantiam & non consensum: vsura autem cambia, &c. fiunt cum consensu, & voluntate domini, quamuis illud voluntarium possit appellari mixtum. Differunt etiā, quia de ratione furti nō est aliquis dolus, vel fraus, quæ vt videbimus reperitur in vsura, cambijs, & similibus contractibus iniquis.

Ad secundū respondeo, filios, si in exigua quantitate aliquid accipiant parentibus ignorantibus non committeret furtum, quia parentes iudicātur probabiliter tales acceptiones permittere, vt diximus in materia de ludo: similiter si parens crudelis sit, & cum possit deficiat in necessarijs, potest tunc filius tentatis prius facilioribus vijs, occultè accipere sibi necessaria absque furto. In quo ne tāquam impropria causa iniquè iudicet, debet vti consilio prudentis confessarij. Simile iudicium est de vxoribus, possunt sine furto accipere exigua, & ea quæ sibi & domui suæ prudenter iudicauerit necessaria, potest etiā, si vir vel filij in peccato existāt, moderatè aliquid accipere ad faciendas eleemosynas, & offerendum pro illis sacrificium, vt à Domino conuertantur, sicut commendatur Abigail. 3. Reg. 15. quæ ignorante viro multis muneribus placauit Dauidem, vt virum suum ab imminenti interitu liberaret.

Quæres hac occasione: Quando filij vel vxores præter casus hic positos aliquid à parentibus vel viris accipiunt, cum tunc reuera sit furtum, si pater vel vir obtineat à superiori edictum, quo sub censura præcipiatur, vt quicunque habeant aliqua bona occulta eorum, teneātur illa manifestare, tenebuntur ne isti?

Respondeo, si in edicto habeatur expressè, vt teneantur omnes manifestare quantumuis coniūcti, teneri etiam istos, quia huiusmodi sermone indicatur, esse animum & eius qui instat, & superioris illius, domesticos etiam obligare, quod si tantū proponantur in genere, nec exprimatur ista clausula, non tenentur; tùm quia odia sunt restringenda, tum quia quando solum vtuntur illa clausula generali, nec adhibetur illa exprimens cōiunctus, quæ potuit & solet aliquando adhiberi, prudenter iudicandum est, neque eius qui instat, neq; superioris animum esse obligare illos: Tenebitur tamē filius si habeat bona castrensia, vel alia libera, restituere patri non minus, quàm extraneo, vel aliqua via obtinere remissionem à patre, vel si nihil horum præstitit, moriente patre ex parte suæ hæreditatis alijs fratribus compensare accepta. Similiter vxor, si habet bona parafernalia, vel libera, debet restituere viro, sin minus quando locuta fuerit de sua dote.

Ad tertium respondeo, accipientem alienum domino vidente, occultè etiam accipere, in eo sensu, quo sumitur hic occultum, idest, domino non consentiente, hoc enim est quod est de ratione furti, quod enim videat, vel non, per accidens.

Ad quartum dico, accipientem vxorem vel filiā alterius non committere furtum, & hoc probari isto argumēto, sed committere alterius speciei peccatum, nam si accipiat ipsis consentientibus, ad libidinem, est luxuria: si ipsis reclamantibus vel fuerit ad eas vendendas, aut tradendas alicui, & est captiuitas, vel ad recludendas, vt consentiant in aliquod matrimonium, & est incarceratio, vel ad libidinem, & est priuata quædam spes luxuriæ quę dicitur raptus, &c.

Ad vltimū respondeo, iniquam detentione esse verè furtum, & occultam acceptionem rei alienæ, quamuis enim aliquādo res à proprio domino ipso consentiente accipiatur, quàm primum autem illam quis incipit iniustè detinere, tunc dicitur eam occultè sibi accipere, cum eam velit apud se habere sine domini consensu. Et in foro animæ est verè fur, & tenetur in conscientia restituere omnia dāna subsecuta: in foro autem exteriori non iudicatur fur, nec punitur vt talis, quia forum exterius præsumit non iniquè, sed vel obliuione, vel impotentia, vel aliquo alio titulo rationabili detinuisse.

Circa hoc vltimum argumentum multa philosophatur Caietanus hic, quibus non indigemus, sed vidēda sunt, quæ supra diximus, de restitutione, agentes de mutuatorio & depositorio.

ARTICVLVS IIII.

An furtum, & rapina differant specie?

IVristæ faciunt furtum genus quoddam ad rapinam, & alias iniquas acceptiones rei alienæ, vt videre est apud eos, l. si vendidero. ff. de furtis, & §. Qui vi, Insti. De vi bonorum rapto, quibus subscribebāt aliqui veteres Theologi adducti auctoritate D. Augu. qui serm. 19. de verbis Apostoli, & habetur 14. q. 5. Can. si quid. ait, [Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.] Vbi rapinam vocat furtum, quia retinere alienum inuentum, furtum est. Idem videtur docere in lib. 2. quæst. in Exo. quæst. 71. & habetur 14. q. 5. Ca. Pœnali, vbi rapinam & quamcunq; iniquam vsurpationem alieni vocat furtum, ait enim: [Non permittit rapinam, qui furtum prohibuit, sed aptè in furto totum voluit intelligi, idest, omnem iniquā acceptionem: vnde Doctores isti diuidebant furtum in fraudulentum, quod committitur in vsuris, & aliis dolosis contractibus, occultum, quod vocamus communiter furtum, & violentū, quod est rapina.

D. Th. & communis nunc Theologorum schola facit furtum, & rapinam vitia specie distincta, sub iniqua acceptione alieni tanquam suo genere: ita vt furtum sit acceptio occulta idest sine consensu domini, nulla tamen adhibita violentia, rapina verò non solum sine consensu, verum autem etiam adhibita violentia: quæ est aperta doctrina Arist. 5. Ethico.

Ad intelligentiam huius ar. obseruemus primò: Sicut iustitię est reddere vnicuiq; suum, ita iniustitiæ esse vsurpare alienum, & cum iniustitia non reperiatur, nec patiatur quis iniustum (vt docet ibidem Arist.) nisi inuitus, quia scienti & volenti non fit iniuria: acceptionem alieni eo nomine esse iniquam & iniustam, quia fit contra voluntatem domini: contra voluntatem autem domini dicitur aliquid fieri bifariam, vel quia fiat occultè idest eo ignorante, ac sine ipsius consensu, vel quia fiat apertè & manifestè, ipso tamen reclamante, & illata aliqua violentia, vel armis, vel reclusione ipsius, vel fractione, & ruptione domus. Quod apertè docet Arist. 3. Ethic. vbi constituit duplex inuoluntarium, aliud per ignorantiam quod vocamus occultus, aliud verò per vim, quod vocatur manifestum idest domino vidente, vel sciente, sed reclamante.

Obseruemus secundò, cum fraus & dolus constituant etiam quoddam inuoluntarium, vt docet

ibidem Arist. Illum qui cum fraude aliqoid admittit, & consentit, pati inuoluntarium, & disscotite, vel absolutè & simpliciter, quando, scilicet detecta fraude non consensisset, vel saltim quodammodo, quando etsi prudens & sciens illam fraudē admittat, compulsus tamē aliqua necessitate, quia tunc ille consensus est mixtus ex voluntario, & inuoluntario, quod vocamus voluntarius mixtum, quale reperitur in eo qui ꝓijciet merces in mare.

Obseruemus vltimo, quod sequitur ex his cum iniustitia commutatiua consistat in eo quod est vsurpare alienum contra voluntatem legitimi domini, qua parte consistit in eo quod est vsurpare alienum, quod est velut materia alicuius iniustitiæ, esse constituendum necessariò genus quoddā iniquam vsurpatioonem, & acceptionem rei alienæ, qua parte verò malitia huius iniustitiæ sumitur ex inuoluntario domini, quod est velut formale, hoc genus distribuendum esse in uarias species iuxta uarios modos quibus res accipitur contra voluntatem domini. Constat enim ex Logicis genus esse id quod commune est & sumi ex eo quod habet se velut materia, & respondere materiæ, differentias verò & species quæ illis constituuntur sumi ex eo quod habet se velut forma, ac respondere formæ: Ita fit, vt iniqua acceptio sit genus ad omnes actiones quibus alienū iniustè vsurpatur, huius verò generis primæ & propriæ species sint duæ, furtum, & rapina.

CONCLVSIO PRIMA.

Furtum & rapina sunt duæ species formaliter distinctæ, sub iniqua acceptione alieni, tanquam sub genere.

Probatur. Malitia per quam acceptio alieni constituitur iniqua & iniusta nascitur ex eo quod fiat contra voluntatem domini, & ideo ea dominus inuoluntarium patiatur, inuoluntarium est duplex, aliud occultum idest, per ignorantiam & aliud manifestum & per violentiam, quæ duo specie & formaliter distinguuntur, ergo acceptio alieni occultè, & per ignorantiam, quæ est furtum, & acceptio alieni apertè, cum violentia, quæ est rapina, specificè etiam & formaliter distinguentur.

Hanc differentiam non solum D. Th. & Theologi Arist. quoque & Philosophi morales verum etiam peritissimi Iurisconsulti constituunt, vt videre est in l. Sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis. & Vlpianus. l. fur. ff. de furtis. Ex hac doctrina sequitur, non distingui furtum & rapinam, quia illud occultè, idest, in tenebris, & noctu fiat, aut absente domino, rapina verò apertè, idest in luce diei, & domino vidente, vel sciente: quasi fur nocturnus sit propriè fur, diurnus verò raptor & latro: potest enim furtum etiam fieri & domino præsente, si dominos non consentiat, sed nihilominos ob suam modestiam, vel honorem, aut alia de causa taceat, propter quod fur sine vlla resistentia accipiat, similiter potest quis exercere, rapinam domino absente, vt si ingressus domum, dominum alliget, aut recludant in loco, ne videat furta, vel clamet, aut armis, & metu compellat illum abire, & recedere, vel tacere, aut eo absente per vim domum irrumpat: quocumque modo ex his vim inferat rapinam exercet, etiamsi domino absente accipiat, Vocator ergo furtum acceptio occulta, rapina verò acceptio manifesta, vt videre est iu locis adductis & l. 2. de furtis, vbi proponuntur duo furtorum genera, aliud occultum & aliud manifestum, in eo sensu quem exposuimus: Quamuis dicatur etiam occultum quando non probatur, manifestum verò quando fur in fraganti delicto accipitur, in quo sensu vtitur etiam lex ista secunda de furtis, sicut explicatur deinde l. 3. eodem titulo.

Ad argumēta autem initio proposita ex D. August. Glossa in illud cap. Pœnale. arbitratur rapinā & furtum materia tantum distingui, ita vt rapina quædam pars furti: constat autem oppositum distingui forma & specie: vnde dico primo, sæpe auctores Latinos confundere ista nomina, furtum & ita facere illis locis Iurisconsultum, & D. August. in illo Can. Si quid inuenisti, hic autem in scholis, vbi proprijs vocibus vtimur, ista distingui specie, vt constat.

Ad secundum locum D. August. respondeo, ibi D. Augustinum non docere rapinam esse quandā speciem furti, furtum verò genus, vel quoddam totum, & commune ad rapinam: sed vult furtum & rapinam esse partes, iniustæ acceptionis, & similiter prohiberi illo præcepto septimo, vnde cum dicit: [Qui furtum prohibuit non permittit rapi.] Perinde est, ac si apertè dicat, qui furtum prohibuit, non quia hac sola voce vsus est, alias iniquas acceptiones permisit, sed omnes simul prohibuit, sicut cum dixit, non mœchabetis, non permisit alios iniquos concubitus, quia solam mœchiam expressit: eodem enim præcepto stuprum & similes prohibuit: quo ergo præcepto prohibuit furtum, prohibuit & rapinam, quia utraque est iniqua acceptio. Hunc esse D. Aug. sensum eo loco, patet, quærit ibi quo præcepto prohibeatur fornicatio, an aliquo decalogi, & respondet prohiberi eodē quo mœchia sicut eodem præcepto prohibetur rapina quo furtum.

ARTICVLVS V.

An furtum sit peccatum?

Conclusio est affirmatiua. Probatur primò ex diffinitione peccati: Peccatum enim est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, præcipit autē Deus, Exo. 20. [Non furtum facies.] Ergo. Secundò, omnis iniustitia est peccatum, furtum cum sit iniqua acceptio alieni est iniustitia, ergo. Tertiò: Omnis dolus, fraus, & iniuria in fratrem peccatū est, in furto autem præterquam quod accipitur alienum, est in eo aliqua fraus, & iniuria, cum occultè & quasi per insidias rem alienam fur accipiat, ergo.

Circa hunc articulum nulla est difficultas, Solutiones autem argumentorum D. Thom. sunt maximè notandæ. In solutione proximi explicat, an filij Israel vasa aurea, & argentea Ægyptiorum sine eorum consensu retinentes peccauerint. Magister Senten. in 3. distinct. 37. sentit ex Iudæis viros sapientes, & optimos non peccasse, rudiores autē & infirmos peccasse, quia cupiditate quadam bona illa acceperunt. D. autem Tho. hic, & commonis Theologorum schola iudicat factum illud nullo modo fuisse peccatum, ita habetur in cap. Gaudemus. Ext. de diuortijs, & est sententia D. Augustin. quæst. 39. in Exod. quam probat hic D. Thom. ex illo Sap. 10. [Iusti tulerunt spolia impiorum:] Si in illo namque facto peccassent, quomodo vocarentur iusti. Et Exo. 12. dicitur: [Filij Israel fecerunt sicut Dominus præceperat Moysi:] Quod domino præcipiente fit nequit peccatū esse. Iustè

ergo

ergo tulerunt Israelitæ bona Ægyptiorum vna ex his quattuor causis, vel propter omnes simul.

Prima est, Domino Ægyptios puniente, & priuante illos bonis suis propter eorum delicta, & peccata, applicanteque illa Israelitis: sicut ob crimen hæresis, vel læsæ maiestatis priuantur homines suis bonis, & applicantur illa fisco: Qua etiam ratione terra promissionis fuit sublata Chananæis, alijsque nationibus ob eorum idololatriam, & delicta, & tradita Hebræis.

Secunda ratio est, quam reddit hic D. Thom. & 1.2.q.100.art.8.ad tertium: Quia filij Israel seruierant Ægyptiis multis annis in operibus lateris, & luti, pro quibus laborib. nullam mercedem ab eis acceperant, Deum vt iustum iudicem præcepisse illud, velut sua sententia adiudicantem illa bona Israelitis, tāquam iustè ipsis debita, quod insinuatur, Sap. 10. [Reddit iustis Deus mercedem laborum suorum, &c. & transtulit per mare.]

Tertia ratio est, quam reddit idem D. Tho. 1.2. q.95.art.5.ad secundum. Quia furtum est acceptio rei alienæ inuito domino, & cū Deus sit dominus omnium rerum, Israelitas ex præcepto Dei tanquā veri domini illorum bonorum, illa accipientes nō commisisse furtum.

Quarta ratio est, quam habent Clemens Alexādrin. 1. lib. Stromatum, & Epiphanius in lib. Ancoratus, Quia filij Israel ea noctè qua Ægypti suffocati sunt, habuerunt cum eis velut bellum iustum, domino pro eis pugnante, & cum in bello iusto liceat expoliare inimicos, quæ mutuo acceperunt retinuisse tanquam spolia illius belli: Quam rationem habet quoque loco cit. Sap. 10. vbi post verba modò adducta subiungit: [Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, &c.] Soto lib.2. de iustitia, q.3, ar. 8. Cano. de locis Theol. lib.2.c.4.

[An autem iudex possit fisco, vel creditori concedere facultatem, vt bona alterius secretò accipiat, & retineat. [Dico cum Soto lib. 5. quæst.3. art.3. iudicem vbi publicè potest per suam sententiam compellere debitorem ad redendum bona sua fisco, vel creditori debita, non posse concedere vt secretò id fiat. Quod si constet iudici certissimo, de culpa, vel debito creditoris, non tamen potest compellere illum ad soluendum citra scandalum, & damnum publicum, simulque intelligat fiscum & creditorem facultatem illam fideliter exe cuturos, ita vt nil vltra iustum debitum sint accepturi, tunc potest seruatis his conditionibus concedere vt secretò bona illius, à fisco vel creditore accipiantur. Ratio est, quia si omnium cōsensu potest priuatus creditor (vt vidimus) rem suam, vel iustè sibi debitam secretò accipere, quādo alia via recuperare non potest, quātò magis poterit iudex id sua sententia concedere seruatis illis tribus cōditionibus.

DE REBVS INuentis.

IN solutione secundi argumenti D. Tho. agit de rebus inuentis, circas quas obseruemus, Res quæ inueniuntur triplices esse, Primi generis sunt, quæ nunquam habuerunt dominum, vt gemmæ preciosæ, quæ sunt in littore maris, quibus similes sunt minertalia, & mettalia fossilia: Secundi generis sunt, quæ aliquando habuerunt dominum, quando tamen inueniuntur, probabiliter iudicantur iam nullum habere, cuiusmodi est thesaurus absconditus in visceribus terræ, vel commuai loco occultosqui deinde inueniuntur: Tertij generis sunt, quæ in viis, vel aliis locis inueniuntur perditæ à veris dominis, & ratione loci temporis, & aliarum circumstantiarum quando inueniuntur indicantur veros habere dominos.

De rebus primi generis, vt gemmis, & lapillis, quæ inueniantur in littore maris producta à natura (nam de mineralibus, & metallis deinde dicemus) communis est Theologorum, & Iuristarum sententia esse inuentoris, stando in iure naturæ, & iure communi, ita habetur Institut. de rerum diuision. §. Item lapilli. & ff. de rerum diuis. l. Item lapilli. Et est ratio, quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius sunt primo occupantis iure naturæ, & cōmuni, vt patet in aucupio, venatione, & piscatione, & habetur Instituta de rer. diuis. §. Feræ: sed huiusmodi gemmæ & lapili producti sponte naturæ, aut in similibus locis, nunquam fuere in bonis alicuius, ergo. Ita Arist. 1. Polyt. statim à principio: Quia littora maris, & quidquid in eis nascitur, remanserunt iure gentium inter communia, & sicut & mare ipsum Ita D. Thom. hic, & Caietan. D. Antonin. 2. part. 1. cap. 15. §. 2. Couarru. Reg. peccatum. par. 3. §. 1. num. 1. Nauar. in suo Manual. cap. 17. numer. 170. Soto lib. 5. quæst. quæst. 3. art. 3. ad secundum.

Sed obiicies, leges iustæ obligant in conscientia, at per Reges Hispaniæ sunt editę leges in repertorio pragmaticarum, ne quis eat ad quærendas gemmas, vel lapides preciosos in littore maris occidentalis, ergo illorum inuentores non manent domini.

Respondent quidem iure naturæ, & communi gemmas istas inuentoris esse, priuatis tamen legibus Regni posse id prohiberi ob bonum commune. Et ita Reges Hispaniæ, vt principes illarum prouinciarum prohibuisse nis legibus solicitam in quisitionem gemmarum, non tamen quin si casu & furtuito aliquis eas inueniat, maneat illarum do minus.

Respondent alij, leges istas esse pœnales, & ita non obligare nisi adueniente sententia iudicis, gēmas illas repetente ab inuentore, ante sententiam verò tuta conscientia inuentorem posse illas sibi retinere. Soto & nonnulli volunt doctrina positā intelligendam esse, quando littus, seu mare in quo inueniuntur lapilli, est quoque commune inuentori, tanquam incolæ, & vicino illius, vnde colligit, alienigenas, & exteros non posse quærere, nec retinere, inuenta in aliena prouincia, etiam sponte naturæ producta, nisi vicini prouinciæ, in qua bona illa inueniuntur, consentiant, vel illa habeant pro derelictis. Quia licet ista bona à principio & iure naturæ sint communia, at postquam iure gentium regiones, & prouinciæ diuisę sunt, & singulæ earum suis vicinis, & incolis appropriatæ, non licet verbi gratia, Gallis accedere ad nos, ad quærendas margaritas in nostris littoribus, quia bona huius prouinciæ iam sunt propria Hispanis, quāuis inter ipsosmet Hispanos communia sunt, posseque Hispanos condere leges, quibus prohibeāt Gallis, & quærere, vel accipere.

Hac ratione cum littora Indiarum sint alterius prouinciæ distinctæ ab Hispania, optimè Reges Hispaniæ, vt Indiarum protectores, & vtriusque prouinciæ principes prohibuerunt, ne quis in illo mari quærat lapides preciosos.

Hęc solutio & doctrina Soti haber verum, & ita qui eo iret ad lapides quærendos, cum hæc lex sit iusta, & obliget in conscientia, non acquireret eorum

rum dominium, qui verò casu & fortuito inueniet, cum non agat contra hanc legem, nec fuerit mens Regis, huiusmodi prohibere, quia id expressisset, potest inuentus sibi retinere.

DE THESAVRIS ABSconditis.

DE rebus verò secundi generis, vt thesauris reconditis & occultis, quæ postea inueniuntur. Paludan. in 4. dist. 15. q. q. 2. conclus. 5. cui videtur subscribere D. Anto. 2. p. tit. 1. c. 15. §. 2. docet huiusmodi iam ex consuetudine esse principum. Syluest. in verbo, inuentũ. §. 13. & Soto lo. cit. hãc sententiam Palud. damnãt vt falsam. Primò, quia in nulla Republica bene instituta, quales sunt Christianorum, reperitur talis consuetudo, vt patet apud Hispanos, Gallos, &c. Quod si apud Turcas, vel aliquos paganos, ita vsu introductum sit, est (inquit) contra ius naturæ, & gentium, iure cõmuni explicatum, quod statuit, vt thesauri sint inuenientis illos eo modo, quo dicemus. Habetur enim instituta. De rer. diuis. §. Thesauros. [Adrianum Imperatorem (cuius est ista lex) naturalem æquitatem sequutum, concessisse thesauros ei, qui inuenit et:] & C. de thesauris. l. vnica. dicitur: Inuentori thesauri liberam tribuimus facultatem, ne vlterius Dei beneficium inuidiosa calumnia prosequatur.

Ad intelligentiam huius quæstionis obseruemus duplicem esse thesaurum, alium qui propriè dicitur thesaurus, alium verò, qui impropriè: Thesaurus propriè est, quædam vetus depositio pecuniæ, vel diuitiarum in aliquo loco, cuius nõ extat memoria, ita vt iam dominum non habeat, vt definitur. ff. De acquirend. rerum domin. l. nunquam. §. Thesaurus: Et Cod. de thesauris. l. vnica, & Institut. de rer. diuisione. §. Thesaurus. Impropriè verò Thesaurus est, vt ex eisdem textibus colligitur, depositio alienius pecuniæ, vel diuitiarum in aliquo certo loco, vel lucri faciendi gratia, vel metus, vel custodiæ, vel honoris, vt in sepulchris defunctorum, vel alia de causa: quæ depositio ex circumstantijs, vel aliqua alia probabili ratione appareat à quo facta sit, habetque dominium, vel ipsummet qui ibi deposuit, vel ipsius successores & hæredes, etiam si ita facta fuerit, vt dominus ibi deponẽs timuerit nil se deinde ibi inuenturũ.

Obseruemus secũdò, thesaurum primi generis qui propriè thesaurus, aliquando inueniri in proprio fundo, & agro, aliquando in alieno: rursus in alieno, aliquando cum industria & arte, aliquando casu & fortuito, rursus tàm in proprio agro quàm in alieno, aliquando diligentia & industria debita, aliquando verò, iniqua & illicita, vt arte magica.

CONCLVSIO I.

Thesaurus impropriè dictus, & secundi generis non est inuentoris, sed totus est domini qui deposuit illum, vel hæredis.

PAtet, quæ in nullius bonis sunt, quidem inuentoris, quæ vero in bonis alicuius sunt, nõ sunt inuentoris, sed tenetur inuentor restituere illa vero domino, aut successoribus, sed iste thesaurus secundi generis est in bonis alicuius, nõ. n. habetur pro derelicto, nec poterit omnino memoria eius qui illum deposuit, cum ex circumstãtijs vel aliqua via, vt supponimus intelligatur, quis illi deposuerit, aut quos successores habeat, ergo est restituendus vero domino, aut trãsit cum iure hæreditatis ad hæredes eius, qui illud deposuit, & abscondit.

Hinc sequitur Hispanos, qui spoliauerũt apud Indos sepulchra plena diuitijs, teneri ad eas restituendas successoribus illorum defunctorum. Fuit enim mos antiquitus apud omnes gentes etiã nõ barbaras, condendi in sepulchris simul cum corporibus Defunctorum preciosiorum partem diuitiarum eorum, putabant forsan illa bona secum deferri mortuos in suos vsus, vel propter splendorem suorum, aut recondebant ibi tanquam in loco tutiori, quia locus sepulturæ fuit semper apud omnes gentes intactus, & inuiolatus ratione religionis, denique vt si quando Respublica indigeret illis thesauris, posset illis vti, huius vetustissimæ cõsuetudinis meminit Sacra Scriptura, Iob. 3. [Quasi effodientes thesaurum, delectanturq; vehementer cum inuenerint sepulchrũ.] & Ioseph. lib. 7. & 13. historiæ Iudaicæ, cap. 15. & 16. refert Salomonem recondidisse in sepulchro patris sui Dauid magnas diuitias, quibus postea Iudæi oppressi ab Antiocho vsi sunt, atque fuisse tantã copiam, vt Hircanus Sum. Pont. post 1050. annos volens euadere obsidionem, non habuerit aliunde pecuniã, sed aperto & reserato sepulchro Dauid extraxerit inde 300. talẽta auri, quorum vna parte data Antiocho cessauit obsidio alia verò subuenit populo, additq; Ioseph. post multum tempus Herodem aperuisse alium locum eiusdem sepulchri Dauid, magnamque inde copiam pecuniæ quoq; extraxisse: Sic Indi habebãt sepulchra suorum plena auro, gemmis, & diuitijs, quæ sui ibi deposuerunt, qui illa sustulerunt, tenentur restituere. Patet, isti thesauri impropriè dicti habent verum dominũ, vel successorem, vt supponimus, ergo non sunt inuentoris. Aperta est consequentia, quia nullus potest rem alterius vsurpare, nisi aut voluntate, & consensu ipsiusmet domini, aut lege id ei concedente, sed in hoc casu nihil tale consentiunt veri domini, nec leges, imò leges priuant in uẽtorem tali dominio, vt patet ex illa l. Nunquam iam citata, vbi dicitur: [Si quis pecuniam suam, vel bona deponat lucri causa, metus, vel custodiæ, nõ est thesaurus eius, qui inuenit, sed eius qui deposuit, ita vt si accipiatur furtũ fiat.] Secundò, quia ita est iure gentium, ab omni natione receptum, vt pecuniæ, vestes, vasa, & quæcunque recondentur in sepulchris mortuorum, non possint inde extrahi, quin plurimum violetur religio, & cultus sepulturæ, quod habetur apud omnes pro grauissima culpa, & mortali, vnde inde extracta aut ibidem recondenda sunt, aut restituenda legitimis successoribus, vt veris dominis: sicut quãdo apud nos sepelitur clericus cũ ornamentis, & vasis altaris, si illa essent preciosa, & quis illa à sepultura defuncti auferret, peccaret grauissimè, & teneretur aut illa ibidem reddere, aut veris successoribus illius clerici restituere.

CONCLVSIO II.

Thesaurus propriè dictus inuentus arte magica non est inuentoris, sed totus est applicandus fisco, stando in iure communi, ciuili.

Ita habetur illa l. vnica. C. de Thesauris lib. 10. in Volum. & l. Nemo. Cod. de Maleficis & Mathem. idem seruatur in Hispania lib. partitionum partita 3. tit. 28. lege 44. Quamuis D. Nauarrus c. 27. num. 176. & multi viri docti sentiant has leges cum sint pœnales in odium, & detestationem magiæ, non obligare nisi adueniente iudicis condẽnatione, & ita crederem, cum constet leges pœnales non obligare antea.

CONCLVSIO III.

Thesaurus propriè dictus inuentus sine vlla arte magica, aut illicita stando in iure naturæ, & communi ciuili, si inueniatur in loco, qui ad nullius particulare dominium pertineat, totus est inuentoris.

Patet, quia cum talis thesaurus in nullius bonis sit iure naturæ & communi, est primò occupantis, & inuenientis.

CONCLVSIO IIII.

Thesaurus propriè dictus, stando in eodem iure naturæ, & communi ciuili, inuentus in proprio fundo, totus est inuentoris. Inuentus in agro alieno cum industria, & diligentia, totus est domini fundi. Inuentus autem in agro alieno casu & fortuito, æqualiter diuidendus est inter dominum agri, & ipsum inuentorem.

Hæc conclusio quo ad omnes sui partes, est cõmunis inter DD. ita D. Tho. hic Turrecrem. in cap. Si quid inuenisti. 14. q. 5. Syluest. verb. inuentor. §. 3. habetur que locis citatis. Institutа, de rerum diuision. §. Thesauros. C. de Thesau. l. illa vnica, & in antiquo iure Castellæ loco citato, lib. partition. part. 3. tit. 28. l. 44. Dico in hac conclus. iuxta ius naturæ, & cõmune ciuile, & Antiquum Hispaniæ, nam iuxta iura noua, vel potius receptam consuetudinem statim dicemus quid sentiendum est.

In prima parte huius conclusionis de inueniente thesaurũ in proprio fundo omnes conueniunt, circa secundam verò quoad inuenientem in agro alieno adhibita industria, sunt qui velint non teneri talem inuentorem ad restituendum totũ thesaurum domino agri, sed posse sibi retinere medietatem, sicut dicemus de inueniente casu, Ratio eorum est quia, ll. illæ decernentes vt talis inuentor totum restituat domino agri, videntur pœnales, & punire audaciam ac temeritatẽ eius qui sine licentia domini voluit laborare, & exercere suam industriam in agro alieno, & ita nõ obligare ante iudicis sententiam, sed alijs videtur oppositum, quia hic habet se perinde ac qui seminat in agro alieno, certum est si Petrus seminet in agro Ioannis, sine eius licentia fructus omnes deductis expensis esse Ioannis. Vtraque pars probabilis est, inclinarem autem in hac parte in priorem. lege Syluest. loc cit. & Nauar. in Manual. cap. 17. num. 162. Quod ad inuenientem autem casu in agro alieno: sunt etiam aliqui auctores graues, qui volunt leges istas tribuentes medietatem thesauri inuenti domino agri, esse quoque pœnales, & ita non obligare, nisi adueniente iudicis, sententia, nec teneri inuentorem ante illam ad exhibendã illam medietatem domino agri, attamen Soto loco citato, & Recentiores probabilius multo volunt leges istas quo ad hanc partem non esse pœnalis, cum nullam culpam puniant, neque in inuẽtore thesauri, neque in domino agri, cum nulla in eis culpa possit reperiri: sed esse institutas ad componendam pacem, & quietem inter inuentorem, & dominum fundi: possct enim oriri inter eos discordia, inuentore allegante pro se fælicem successum & ius inuentionis, cui ius naturæ, & gentium maximè videtur fauere, domino, verò agri allegante pro se dominiũ fundi, & ius ciuile, quod omnia, quæ in agro aliquo sunt tribuit domino ipsius: Ad quas lites tollendas, & ipsos secundum quandam æquitatem componendas, statuit lex, & optimam, vt Thesaurus ille æqualiter inter ipsos diuidatur: Et ita tenetur iste inuẽtor, & ante oẽm iudicis sententiã medietatem dño agri exhiberẽ.

Est etiam obseruandum in hac quarta conclusione vocari dominum fundi, habentem propriũ, & verum dominium illius, nam si habeat conductum, vel locatũ, non est dominus, ita Sylu. & Angelus verbo inuentum. Nauar. c. 17. nu. 173. Vnde optimè colligunt, habentem agrum in pignus nõ posse retinere sibi totũ thesaurum inuentũ, quia non est dominus fundi, sed solam medietatem, sicut qui inuenit in agro alieno. Similiter tenetur maritus si ager sit ex dote vxoris quia ipsa est vera domina. Vocatur. n. verus dominus iuxta iuristas, qui habet proprietatem, & dominiũ rei, etiã si alius habeat vsum, vel administrationem illius, vnde dominus directus in hac materia non est dominus, nec debetur ei pars thesauri solo titulo dominij directi, nec qui habet solum vsumfructum, quia iste quoque vsufructuarius non est dominus. Hæc quarta conclusio sic explicata est D. Tho. hic ad secundum, & communis inter DD. habẽt enim illam D. Anton. p. 2. tit. 1. c. 15. §. 2. Syluest. in verb. inuentum. Turrecremata, & Glos. in Can. Si quid inuenisti. 14. q. 5. Couar. in regul. peccatum, par. 3. vbi in eadem refert plurimos, Obseruatque Turrecremata nomine loci alieni (quod etiam docet Soto) intelligendum esse locum sacrum, vel religiosum, qui est proprius alicuius Ecclesiæ, religionis vel prælati, quia de inueniente thesaurum in tali loco idem est dicendum, quod de inueniẽte in loco alieno qui esset alicuius particularis laici, Vnde dicitur Insti. de rer. diuis. §. thesauros, inueniente thesaurum in loco sacro acquirere sibi dominium illius repugnat huic doctrinæ, quia ibi est sermo de sacro vel religioso loco, qui est communis omnibus, & in nullis bonis: Similiter ex iure communi, si quis inueniat thesaurum in loco Principis vel Regis, tenetur illi medietatem tribuere, vt verò domino, sic enim habetur Instit. de rerum diuis. §. citato, vt qui thesaurum inuenerit in loco Cæsaris, dimidium det Cæsari, qui in loco fiscali dimidium det Cæsari, qui in loco fiscali dimidium det fisco. Idem habetur in l. non intelligitur. ff. de iure fisci, §. si in locis.

CONCLVSIO V.

Thesaurus inuentus in agro vel domo, quam quis ab alio, etiam si illam emerit conscius illius thesauri occulti, & eo fine, vt illum haberet, totus est emptoris, nec tenetur aliquid tribuere priori domino, a quo illam emit.

Svpponimus in hac conclusione licere emere agrum vel domum, in qua est thesaurus absconditus, ita vt emptor illud intelligat, ignoratur verò à venditore, vt videbimus infra q. 77. Cõfirmaturque ex parabola Christi, Matth. 13. vbi tanquam ex re licita, & honesta sumit comparationẽ

ad

ad spiritualia, dicens, Simile est regnum cœlorum thesauro abscōdito in agro, quem qui inuenit, homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum, &c.

In hac tamen conclusione non omnes conueniunt, nam Soto lib. 5. de iustitia. q. 3. art. 3. licet concedat talem emptionem iustam esse, & eo fine, & animo fieri posse, ait tamen duo primum, in inuenientem in muro, vel pariete domus, vel fundi thesaurum depositū à priori domino, aut alio antiquiori cuius prior dominus sit successor, vel talis probabiliter credatur, teneri ad restituendū illi, quia iste thesaurus est propriè thesaurus (vt ex dictis constat estque in bonis illius prioris domini qui vendit, vel successorum: inuenientem vero illum thesaurum in tali domo vel agro, hoc fine empto in visceribus terræ, cuius tamen nulla erat memoria, ita vt esset propriè thesaurus, teneri ad dandam medietatem priori domino, à quo emit. Vult enim esse iudicium de huiusmodi inuētore, ac de illo qui casu inuenit in agro alieno.

Probaturque à nonnullis hæc opinio Soti. Primo, leges præcipientes, vt inueniens casu thesaurum agro alieno, det medietatem domino, ideo id præcipiunt vt componant partes, quarum vnaquæque poterat suum ius pro se allegare, sed in hoc casu, sicut potest, qui de nouo emit allegare pro se ius inuentionis, ita, & prior possessor ius antiquæ possessionis, à qua videtur cum fraude eiectus per nouum emptorem, qui nouerat ibi thesaurū, quem ipse ignorabat, ergo tenetur exhibere illi medietatem.

Secundo, ille ager cum illo thesauro valet dicamus decem millia, emptus ergo v. g. per centū iniustè emptus est, emptio iniusta non transfert dominium in emptorem, ergo iste qui emit non est dominus, & ita non potest totum sibi retinere, sed tenetur cum prædecessore partiri.

Tertiò, ille venditor non intendit vēdere thesaurum in suo agro occultum, quia si id sciuisset, nō vendidisset, cum ignorantia vt ait Arist. tollat rationem voluntarij, at si venditor non intendit vendere, nec emptor emit, & ita nō est dominus, nec habet ius in totum thesaurum.

In hac opinione, prior pars, inuenientem thesaurum in muro vel pariete depositum à priori, domino fundi, vel domus teneri ad restituendum illum in integrum priori domino, omnes conueniunt cum Soto, & ita docuimus prima cōclusione, cum ille thesaurus sit impropriè thesaurus, & in bonis alterius: quo ad secundam verò partem paucissimi sequuntur Soto, imò nostra concl. posita quæ est contra ipsum, est communis inter Doctores, habent illam D.Th. hic ad secundum, vbi affert istum locum ea parabolis Matth. 13. & ibidem Lyranus. Summa Angelica, & Syluest. verbo inuentum. §. 8. Rosa aurea tractatu 3. Nauar. c. 17. nu. 175. & omnes recentiores. Et probatur. Nam in primis vt obseruat hic Diuus Thom. in illa parabola Euangelica, Matth. 13. de emente agrum in quo erat Thesaurus absconditus, nō solum approbatur à Christo emptio agri tali fine, verum etiam effectus subsequutus, nempè vt thesaurus ille totus cedat in commodum ementis, & hoc ipsum approbat ica Autore. ff. de rei vendicatione.

Secundò, thesaurus inuentus in proprio agro totus est inuentoris, sed qui emit agrum (etiam si hoc fine) quando inuenit thesaurum iam inuenit illum in proprio agro, cuius est verè dominus, ergo est ipsius, maior certa est, probatur minor: illa fuerit vera, & optima venditio, ergo est iam dominus, consequentia necessaria est, antecedens verò patet, quia si non fuisset optima, & iusta, aut ratione pretij, aut ea de sectu cōsensus, non prius, quia ille tantum vendidit superficiem terræ quæ est vere ager, cuius superficiei illud fuit iustum pretium, nec posterius, quia liberè: & voluntariè consensit.

Tertiò, stando in simplici iure naturæ, thesaurus, qui in nullius bonis est, est inuentoris, sed hic thesaurus in visceribus terræ inclusus, cū sit propriè thesaurus in nullius est bonis, nec extat memoria cuius fuerit, nec est aliqua lex quæ illum adiudicet priori possessori, ergo est secundi, qui emit agrum, & inuenit.

Quartò si emisset agrum datis centum aureis nesciens illum thesaurum, illa emptio esset iusta simpliciter & a parte rei, & inueniens deinde thesaurum haberet dominium illius in integrum, ergo ex eo, quod sciuerit, non desinit emptio esse iusta, & inueniens thesaurum esse verè dominus illius, nam scire, vel ignorare accidentarium est emptioni, vt sit iusta, vel iniusta, cum iustitia, & rectitudo contractus humani sumenda sit à parte rei.

Quintò, si hic secūdus dominus, & inuentor teneretur aliquid dare priori possessori, vel titulo dominij, in thesaurum, quia existebat in agro, qui erat ipsius, sed neutro modo istorum: non priori, quia iam abdicauit à se dominium agri iusto pretio, & venditione libera, ac voluntaria, nec titulo dominij in thesaurum, quia cum non sit in memoria hominum, quis illum ibi deposuerit, est propriè thesaurus, & consequenter in nullius bonis.

Nunc ad arg. in oppositum: Ad primum respōdeo, plurimum differre inter inuenientē in agro alieno, & inuenientem in agro, vel domo iam actu empta & propria, quamuis tali fine, quia in priori casu, vterque habet verum, & actuale ius ad illum thesaurum, & ideo lex præcipiens, vt æqualiter diuidatur, componit partes, in nostro autem casu, postquam inuentor emit agrum, vel domū, iam non superest titulus priori domino ad illum thesaurum, nec potest impediri nouus emptor, quin quærat illum in agro suo: vnde in hoc casu cessat omnino ratio legum illarum, quæ concedunt medietatem domino agri.

Ad secundum respondeo, illum agrum si vtrique constaret de thesauro, pluris æstimari debere, cæterum cum simpliciter fiat venditio, dato iusto pretio iuxta valorem superficiei terræ, eo modo quo æstimari solet inter agricolas, est iusta emptio: non enim tenetur emptor thesaurum abscōditum manifestare, cum non sit, vt supponimus in bonis domini agri.

Ad vltimum respondeo, in casu de quo hic agimus, nec venditorem vendere thesaurum quem ignorat, nec emptorem emere, aut debere emere illum, eum thesaurus ille non sit in bonis domini agri, sed venditorem solum vendidisse agrum, & emptorem solum quoque emisse agrum ipsum, i. superficiem terræ, quæ colitur, & solet vendi. Vnde nec dicemus emptorem habere thesaurum illum titulo emptionis, sed solo titulo inuentionis in propria hæreditate iam verè, & iustè empta.

Sed posset adhuc pro opinione Soti aliquis obijcere: Si quis sciat aliquem lapidem esse pretiosum, cuius virtutem reconditam ignorat venditor, tenetur emptor illum admonere, ne fraudetur pretio rei suæ, vt videbimus. q. 77. agentes de emptione, ergo similiter in nostro casu, tenebitur

emptor admonere venditorem de theſauro latente in ſuo fundo. Secundò leges illæ ciuiles ſuperius adductæ videntur nullo pacto cohærere. nam l. 3. §. ſi in locis. ff. de iure fiſci. definitur, vt theſauri inuenti in loco religioſo dimidium detur fiſco, cuius oppoſitum videtur definiri. Inſtit. de rer. diuiſ. §. theſauros.

Sed hæc facilè ſoluuntur. Ad primum enim reſpondeo, differre plurimum res venditas, & venditionē agri in quo latet thesaurus: nam aliæ res venduntur ſecundum ſe, & omnes ſuas virtutes quas habent, & ita virtus lapidis pretioſi eſt in bonis eius, qui eſt dominus lapidis illius, ager autem tantum venditur, ſecundum ſuperficiem, & eam partem terræ, quæ valet ad ferendos fructus, nec venditur ratione theſauri, ſicut nec ratione aeris, vel ſolis, nec ſunt hæc in bonis agri, cuius eſt euidentiſſimum argumentum illud adductum, vt ſi quis bona fide emeret agrum ignorans theſaurū ibi latentem, illum poſtea inueniens nihil tenetur alteri reſtituere.

Ad ſecundum reſpondeo, legem illam loqui de loco religioſo, qui eſt proprius Regis, vt in nonnullis Prouincijs in quibus ædificant aliqui Reges nonnulla monaſteria, ſeruato ſibi dominio illorū locorum, vſum ſolum religioſis concedentes. Vel loquitur de loco religioſo, qui eſt in bonis cōmunitatis, vel ciuitatis, cuius Rex eſt dominus, &c.

CONCLVSIO VI.

Poteſt Rex, vel Reſpublica conſtituere legem ſanctam & iuſtam, qua ſtatuatur, vt theſaurus quoque inuentus in proprio, & peculiari agro, vel domo alicuius priuati ciuis ſit totus Regis, ſeruata aliqua parte inuentori, vel domino loci in quo inuenitur.

SYlueſt. verbo inuentum, num. 13. & Soto loco citato negant huiuſmodi legem poſſe cōſtitui à Principibus tuta cōſcientia, & ita volunt in nulla Republica benè inſtituta talem vſum reperiri. Probant ſuam ſententiam. Iſte theſaurus cum in nullius bonis ſit, neq; eſt in bonis Regis, quæ autem neque in Regis, neque in alicuius alterius bonis ſunt, iure naturæ, ciuili, & canonico ſunt inuētoris, lex autem quæ omni iuri maximè naturali repugnat, non eſt dicenda lex, ſed corruptela, ergo talis lex nequit conſtitui. Quod autem omni iure, quæ in nullius bonis ſunt ſint inuentoris, cōſtat ex legibus adductis in quarta cōcluſione, quo ad ius naturę, quoad ius verò ciuile nō eſt Regis, niſi tantum medietas, vt patet in l. intelligitur. ff. de iure fiſci, & hoc, non quando inuenitur à priuato ciue in ſuo fundo, ſed in loco Regis, vel fiſci, quod perinde eſt, ſicut diximus de inueniente in agro alieno, caſu, & fortuito. In iure etiam Canonico patet, in illo cap. cum tu, de vſuris. Et in multis alijs quæ habentur 14. q. 5. vbi ſtabilitum eſt, vt bona quæ non habent certos dominos, cedant in pios vſus pauperum, vnde contra omnia iura applicarentur per talem legem theſauri iſti Regi.

Addit Soto, poſſe tamen conſtitui legē, vt quoties Reſpublica indiguerit, inuenientes theſaurū etiam in agris ſuis teneantur aliquod tributum, tanquam in ſubſidium neceſſitatis communis cōferre.

Sed nihilominus noſtra concl. eſt vera. Habent illam Couar. in reg. peccatum. p. 2. § 9. vbi adducit pro ſe D. Ant. p. 2. ti. 3. c. 1. & Palu. in 4. diſt. 15. q. 3. art. 5. Idem tenet Alphon. de Caſtro, de lege pœnali lib. 2. c. 2. Corol. 3. & omnes ferè recentiores. Et probatur. Eſt iam vſus apud omnes ferè nationes, theſauros inuentos in proprio huius, vel illius priuati fundo cum primū id Rex nouit illos ſibi applicare, data inuentori, vel domino fundi quinta parte, vſus autem nationum, & prouinciarum etiam fidelium, cui non reclamatur in moralibus, & diſpoſitione bonorum temporalium, nō ſolum non eſt damnandus, vt illicitus, verum etiā habet quodammodo vim legis. Secundò, quando dicitur iure naturæ theſaurum eſſe inuentoris nō intelligitur poſitiuè, quod ius naturę illum ipſi tribuat, nam ius naturæ omnia fecit communia: ſed intelligitur negatiuè, id eſt, quod non fecit alterius ab inuentore, ſed vt commune ſit primò occupantis, quæ autem communia ſunt ex ſe, & in nullius bonis, ſunt communitatis, debentque bono communi deſeruire, maximè exigente neceſſitate, ergo pro bono communi potuit ſtatui talis lex, tanquā iuſta, & maximè rationi conſona. Tertiò, ſi hæc lex eſſet iniuſta, quia iure naturæ theſaurus debet eſſe inuentoris, eſſet quoque iniuſta, quæ vult, vt inueniens theſaurum in fundo alieno ſua induſtria, reddat totum domino, inueniēs verò caſu reddat illi medietatem, cum iure naturæ, theſaurus propriè, de quo loquimur ſit inuentoris, at nullus id dixit. Quarto, licet diuiſio rerum iure gentium, fuerit facta, appropriatio tamen huius, vel illius rei huic, vel illi quamdiu communes ſunt, optimè poteſt fieri iure poſitiuo ciuili, vt conſtat ex diſputatione de dominio, docuitque id D. Tho. q. 57. art. 3. & quotidie fit, cum ſtabiliuntur, aliqui agri, vel terræ, quæ communes ſunt, his vel illis ciuibus à magiſtratibus loci, ſed theſaurus propriè cum in nullius bonis ſit, eſt quid commune, & nondum appropriatum, ergo poteſt ius ciuile Regium, vel Reipu. per ſuas leges applicare illud Principi ad bonum commune, cuius eſt Princeps cuſtos, & præcipuus adminiſtrator. Vltimo. Poteſt Rex quando expedierit Reipub. vel ipſa indiguerit, condere legem, vt vnuſquiſque etiam ex proprio labore paratis ſoluat aliquod tributum in ſubſidium, ergo à fortiori poteſt ſtatuere, vt ex inuentis ſoluat hoc tributum, vt ſeruata ſibi aliqua parte, reliquum Regi exhibeat ad neceſſitates boni communis.

Ad argumenta pro opinione M. Soto. Reſpondeo, Ad primum, in aliquibus principijs non eſſe talem conſuetudinem, at in regnis Caſtellæ eam reperiri, imò eſſe conditam de eo legem, quia lib. 6. Ordina. Rega. tit. 12. l. 7. habetur, vt omnes theſauri vbicunque inueniantur, ſint Regis, data inuentori quarta parte. Quamuis Couar. dicat ſe legiſſe in originali manu ſcripto, data inuentori quinta parte.

Ad ſecundum reſpondeo, in primis huiuſmodi legem non eſſe contra ius naturæ, quod enim communiter dicitur, theſaurum, qui in nullius bonis eſt iure naturæ eſſe inuentoris, non eſt intelligendum (vt paulò ante dicebam) poſitiuè quaſi ius naturæ ita præcipiat, & theſaurum illi tribuat, quia ius naturæ omnia fecit communia, ſed negatiuè, id eſt, quod non fecerit alicuius alterius ab inuentore: cui non repugnat, vel lex ciuilis ob honeſtum finem nempe bonum commune applicet illum alicui, vel regi, vel ærario Reipub. vel alicui alteri, ſicut bono communi expedierit. Sicut iure naturæ ſunt omnia communia, cui tamen iuri non repugnat, vt huic vel illi approprientur: Quia cum dicimus iure naturæ omnia eſſe communia non intelligentur poſitiuè,

quaſi

quasi ita præcipiat ius naturæ, sed negatiuè, idest quod nullius priuati peculiariter fecerit, & ita possunt applicari huic vel illi. Ad testimonia ex iure ciuili, & canonico respondeo. In primis ad ius ciuile cōmune, illud per priuatas leges cuiuscunque prouinciæ iuxta bonum ipsius posse variari, maximè in prouincijs, & Regnis quæ non subijciuntur ditioni Romanæ, & legib. Imperatorum, sicut quotidie fit in nostris regnis. ad c. illud cum tu. ex iure canonico, dico sic esse intelligendum, vt sit sermo de iniustè acquisitis, vel de his quæ non habent verum dominum, at thesaurus inuentus non est iniustè acquisitus, sed habet verum dominum ad quem pertinet iusto titulo, nempe titulo inuentionis.

Sed cum talis lex constitui possit, quæret aliquis, si ne actu constituta? In regno Castellæ habetur illa lex 7. lib. 6. ordi. modo adducta, quæ videtur id iam constituisse, sunt tamen qui dicunt, vt Soto, & nonnulli in illa lege hoc significari, vt quicunque sciuerit esse aliquem thesaurum in alio quo fundo, vel loco intra terminos ipsius Regis, qui locus ad Regem ipsum pertineat, debere illū intra certum tempus manifestare, & recipiet quartam, vel quintam partem: vnde non obligant inuentorem thesauri ad restituendum illum Regi, dunec accesserit iudicis sententia, quia ista lex debet iudicari odiosa. Alijs tamen & multo probabilius placet, istam legem actu præcipere, vt fit Regis, & de facto applicari Regi. Sic intelligunt eā Couarr. & Cast. loc. cit. & ita est sentiendum. Quia in primis lex apertè significat, vt quocunq; loco thesauri inueniantur sint Regis. Secundò, quāuis id non diceret, neque lex haber, quod ait Soto, de loco pertinente ad Regem, sed loquitur in quocū que loco, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Tertiò, consuetudo, quæ est optima legum interpres ita habet, vt in Castella thesaurus vbicunque inuentus sit, sit Regis, in nostro regno Valentiæ seruatur ius commune, explicatum a nobis prioribus cōclusionibus, vt thesauri sint inuentoris eo modo quo expositum est, datur tamen quinta pars Regi, sicque habet cōsuetudo: quia leges peculiares, & municipales nostri Regni nihil disponunt circa thesauros inuentos in proprijs agris, & alienis.

CONCLVSIO VII.

Mineralia, & venæ auri, argenti, & cuiusque metalli stando in iure naturæ sunt domini fundi, & in bonis ipsius.

Ratio est, quia ista non sunt velut thesauri absconditi supra hominum memoriam, sed velut fructus & partus terræ, fructus autem terræ sunt domini terræ, & in bonis ipsius sicut & ipsa terra cuius est dominus. Ex quo sequitur primò stando in iure naturæ non posse aliquem emere agrum alterius in quo sit aliquod minerale, quin manifestet illud domino vendenti, quia cū sit fructus terræ, est res ipsius venditoris, & in quam habet ius dominii, sicut & in agrum quamuis cū lateat. Sequitur secundò inuenientem in proprio fundo tale minerale in iure naturę posse illud sibi reseruare, vt rem suam, in agro autem alieno, siue casu id inueniat, siue adhibita industria, totū esse domini agri, quia est in bonis ipsius domini, & res eius, sicut diximus de thesauro impropriè dicto, qui est in bonis alterius.

Iuxta leges autem particolares Hispaniæ, & huius regni consuetudinem, omnia mineralia cuiuscunq; generis metalli vbicūque inueniatur, sunt regis, deductis expensis, & aliqua parte data inuētori, & domino agri, nam lib. 6. ordin. regalis nouæ copilationis tit. 13. leg. 3. statuitur omnia mineralia esse Regis, vbicūque existant, nec licere alicui absq; licentia, & priuilegio Regis ea alicubi quęrere, aut fodere: Qua lege reuocata est quædam antiqua, qua concedebatur cuique facultas quærendi, & fodiendi metalla in quouis fundo, ita vt & in alieno fieret sine præiudicio domini, & cum eius beneplacito, deductisque expensis talis inuētor posset sibi tertiam partem retinere, & reliquū exhibere Regi, sed hoc reuocatum est illa leg. 3. qua omnia Regi applicantur. Et leg. 4. quæ proximè sequitur Philippus secundus appropriat sibi dominium omnium venarum, & minarum, metallorum, & reuocat omnem gratiam cuique personæ factam, apponitque quasdam conditiones, & modificationes, vnde in Castella per huiusmodi leges sūt Regis metalla omnia. Et meritò, primò, quia huiusmodi sunt quidā fructus, & partus terræ, producti ab ipsa ad sui defensionem & decorem, vnde illius esse debent, cui incumbit terræ defensio, & protectio, qualis est Rex. Secūdò, quia non sunt quiuis fructus terræ, sed optimi ipsius, & præstantissimæ, ac abūdantissimæ diuitiæ, quæ solam Regiam maiestatem, & non priuatum ciuem decent. In nostro regno Valentiæ idem obtinuit consuetudo, quæ iam habet vim legis, vt metalla omnia sint patrimonii Regii, & ita in Castella & nostro regno nemo illa potest quærere, aut fodere tuta conscientia sine licentia, ac priuilegio Regis: quod si contrafaciat, quidquid acceperit deductis expensis tenetur restituere, vt bona quorum Rex est verus, & legitimus dominus, in alijs regnis & prouincijs standum est priuatis legibus, & consuetudinibus cuiusque loci.

Nunc agendum est de bonis tertij generis, quæ probabile est habere veros dominos, ignorantur tamen ab inuentore, in quibus illud quidem omnium consensu certum est, teneri inuentorem ad inquirendum illorum dominū omni adhibita diligētia, vt publicis præconibus, & alijs viis pro rei quantitate, ac si inueniatur restituere illi rem inuentam, deductis expensis quas fecit in illa inquisitione, pro inuentione autem quam vocant hallazgo nihil posse accipere in huiusmodi rebus incertis, nisi quod dominus gratis, & liberè, ac sine vllo coactionis genere voluerit inuentori exhibere. Difficultas verò est.

CONTROVERSIA I.

AN SI FACTA DILIGENTI INquisitione dominus non appareat, possit inuentor rem inuentam sibi retinere.

In hac quæstione varii sunt DD. nā Sylu. in verbo, inuentum, quem sequitur Couar. Reg. peccatum p. 2. §. 1. Caie. verbo furtum, D. Nauar. c. 17. nu. 171. Gl. in eandem Regul. peccatum. Et in cap. cum tu. De vsuris, vbi est communis inter Canonistas vult in hoc casu expendenda esse huiusmodi bona in pios vsus pauperum, & Reipubl. quod si ipse sit pauper, posse quoque sibi illa aut in toto, aut in parte retinere, pensata quantitate rei inuētæ, & indigentia ipsius iuxta consilium prudentis confessoris: Et hanc dicunt esse communem sententiam Theologorum, & Iuristarum.

Probatur primò ex D. August. qui sermo. 19. de verbis Apostol. & habetur 14. quęst. 6. can. Si quid inuenisti. decet apertè inuenta nō posse inuentorem sibi retinere, sed debere reddere, vnde quando non apparet verus dominus reddet, aut pauperibus, aut Reip. Idem videtur docere, Origen. cano. Multi eodem loco.

Secundò ex Authentico, Omnes peregrini. C. comm. de success. & recipitur à Legibus Hispaniæ partita 6. tit. penult. l. 1. Bona peregrini defuncti cuius non apparet, nec inuenitur hęres legitimus, sunt distribuenda per Episcopum in pios vsus: his autem similia sunt inuenta tertij generis, quorum non inuenitur dominus.

Tertiò, tam bona iniustè acquisita, vel possessa, quæ non habent certos dominos, vt habetur cap. cum tu. de vsuris, & cap. non sanè. 14. q. 5. quam iustè acquisita, sed ignoratur eorū dominus, vt quæ mutuo, vel deposito quis accipit, ignorat autem omnino deinde à quo illa acceperit, sunt conuertenda in pios vsus, vt vidimus quæst. 62. art. 7. Eodem modo se habent inuenta tertij generis, quorum post debitam inquisitionem non apparent veri domini, ergo.

Quartò, res cuius dominus non extat, iure naturæ manet in communi, & est conuertenda in bonum commune, pertinent autem ad bonum commune pij vsus pauperum, vel Resp. ergo.

Vltimò hæc bona habent reuera dominum, quamuis ille non appareat, vnde dictat recta ratio, vt expendantur secundum voluntatem rationalem, & interpretatiuam ipsius, cum non possit constare de voluntate eius explicita, & formali, hæc autem voluntas interpretatiua, & rationalis nulla alia erit, nisi vt expendantur in suam vtilitatem spiritualem, (cum hanc vnusquisque præsumendus, & credendus sit sibi optare) hoc autē fit, conuertendo illa in pios vsus, ergo.

Oppositum docet Soto lib. 5. de Iustitia, q. 3. artic. 3. quem sequuntur modo multi recentiores Thomistæ, asserentes hæc inuenta tertij generis tuta conscientia posse inuentorem, si post debitā inquisitionem dominus non appareat, sibi retinere. Probant primò. Res cuius non extat dominus, iure naturæ, & gentium sunt primò occupantis, nisi ius Euāgelicum, aut Ecclesiæ, vel ciuile aliud disponat, sed hæc inuenta quorum post debitam, & diligentem inquisitionem nullo modo dominus apparet, etsi à parte rei aliquem habeat, quo ad dispositionem verò, & distributionem eorum perinde se habent, ac si nullius esset, nec est aliquis locus Euangelij, qui illa applicet pauperibus, neque aliqua lex Ecclesiastica, aut ciuilis, quæ id cōfirmat, nam illa can. cum tu. & can. non sanè. adducta ab aliis, tantum loquuntur de iniustè acquisitis, vel iniquo titulo debitis; titulus autem inuētionis iustus est, & nullo modo iniquus, nullumque includens debitum. Ergo sic inuenta tuta cōscientia sunt inuentoris. Lex autem illa ciuilis falsus. ff. de fur. tantum docet, furti reum esse, qui inuentum accipit animo non reddendi, quia tenetur inquirere dominum, & habere animum reddendi si appareat, at si non appareat facta diligenti inquisitione, nihil dicit de pauperibus, neq; habet, vt inuentor alicui rem illam exhibeat.

Secundò, huiusmodi inuenta, perinde se habēt, ac thesauri antiqui quorum nō apparet dominus: sicut enim in istis thesauris antiquitas est certum indicium rem illam carere domino, vel certè non apparere, ita in his diligens inquisitio facta est certum quoque argumentum, non apparere dominum, ergo thesauri ex ignoratione veri domini sunt inuentoris iure naturæ, & communi, ita & res inuentæ huius tertij generis, cum earum dominus omnino iam ignoretur. Vel profectò si hæ res essent pauperum, & thesauri illi essent quoq; dandi pauperibus.

Tertiò, hæc bona cum nullus iam appareat dominus, (quod fatentur etiam DD. alterius opinionis) sunt communia, quod apparet, quia Respublica interdum applicat illa pauperibus, interdū religiosis, interdum suis necessitatibus, quod non posset si essent alicuius particularis, & non communia, at communia eodem iure gētium sunt primo occupantis, sicut inuenta in littore maris, quæ natura ibi producit: ergo.

Quartò D. Tho. hic ad secundum agens de huiusmodi inuentis nihil habet de pauperibus, sed tantum docet, inuentorem qui bona fide inuenta habet pro derelictis, non committere furtum retinendo ea sibi, huiusmodi autem inuenta post diligentem inquisitionem factam, iustè, & prudenter habentur pro derelictis, ergo.

Quintò stando in iure naturali, quæ habent incertum dominum, veniunt in communitatem, quando sunt superflua, nam quæ cuique necessaria sunt, eodem iure naturæ potest, qui illis indiget sibi vsurpare, sed hęc inuenta non sunt superflua inuentori, quia vel eis indiget, vel illa saltem in suam vtilitatem potest conuertere sine vlla superfluitate, ergo.

Vtraque opinio satis probabilis est, & potest tuta conscientia seruari, vt ipsemet Soto loco citat. admonet, probabilior tamen mihi videtur. Secunda, & efficacioribus nititur argumentis. Sed obseruandum est ad maiorem intelligentiam, hæc bona tertii generis, in duplici esse differētia: quędam enim sunt quæ vocantur Hispanè, bienes mostrencos, cuiusmodi sunt res animatæ, & se mouētes vt iumenta, armenta, & pecudes, alia verò quę ab alijs mouentur, cuiusmodi sunt res inanimatæ, vt vestes, pecuniæ, & alia. Hoc posito.

CONCLVSIO I.

Stando in iure naturæ, & gentium, & iure positiuo communi, tā ciuili, quàm Canonico, omnes istæ res sunt inuentoris, si non appareat dominus facta diligenti inquisitione.

Hanc probant optimè argumenta secundę opinionis, neque est aliqua ratio naturalis, aut textus in oppositum.

CONCLVSIO II.

Circa omnes istas res sunt seruandæ leges iustæ cuiusque prouinciæ.

Patet, quia vt docuimus in disputatione de dominio, Resp. & lex ciuilis habent authoritatē ad transferendum dominium, vel prohibendam eius translationem, sicut exegerit bonum cōmune. Dico seruandas esse leges iustas, quia vt bene hic obseruat Caiet. existunt circa hæc in aliquibus prouinciis aliquæ leges apertæ iniquè, & iniustæ, vt illa apud Gallos quæ appropriat bona naufragantium domino loci, vel regionis, vbi fit naufragium, quæ vt videbimus est iniqua.

CON-

CONCLVSIO III.

Bona se mouentia, & mostrenca iuxta leges Castellæ sunt reddenda iudici illius loci in quo inueniūtur, vt ipse, post 14. menses, in diebus nundinarum, & mercatus, & alijs certis diebus publicè proponat eas, quibus transactis si non appareat dominus, sunt danda illi cui ex priuilegio Regis hæc competent.

ITa habetur lib. 4. fori Regalis tit. 13. l. 2. & lib. 2. ordinat. Regal. tit. 12. l. 1. Quod si non existat habens tale priuilegium, danda sunt inuentori, quia tunc seruandū est ius commune, iuxta quod ex prima concl. hæc inuenta sunt primo occupantis. Couarr. loc. cit. non admittit hanc conclus. sed dub. seq. apparebit magis, quam vera sit.

CONCLVSIO IIII.

Bona inanimata, & non se mouentia in regnis Castellæ potest tuta conscientia inuentor sibi retinere, non apparente domino post debitam ipsius inquisitionem.

PAtet, quia circa hæc leges, & iura Castellæ nihil decernunt, vbi autem leges particulares nihil decernūt, standum est iuri naturæ, & communi, iuxta quæ inuenta sunt inuentoris, vt primò occupantis.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primū respondeo, D. Aug. & Origen. loqui ibi, de illis, qui nolunt adhibere diligentem inquisitionem, ad quærendum dominum rei inuentæ: hi enim vt fures iudicandi sunt, vt constat ex l. illa falsus: Ad secundum dico, bona peregrini defuncti esse ita distribuenda: primò, quia tam existit lex, quæ id decernit: secūdò, quia mors defuncti, & defectus hæredis non sunt iusti tituli ad illa vsurpanda, in his verò inuentis tertij generis nulla est lex particularis circa ea, aut quæ negat illa inuentori, habetque inuentor ad ea retinenda domino non cō parente iustum titulum, nempe inuentionis.

Ad tertium dico, in primis iniustè acquisita, ut per simoniam, vel vsuram non posse habentem illa, sibi retinere, quia nullo titulo liciro illa, occupauit, & lex iusta id prohibet, & de his est sermo in illis ca. non sanè. & cum tu. at inuenta nulla lex prohibet inuentori, qui n illa sibi retineat, vel præcipit dari pauperibus, maximè cum occupentur ab inuentore iusto titulo, nempe inuentionis. Sūt autem illa c. non sanè. & cum tu. maximè consona iuri naturali, cum recta ratio dictet, vt res, quæ per iniquitatem non habent certos dominos, non maneant apud habentes illas, quia iniquitas nulli debet suffragari, nec præbet iustum titulum dominij. Tum etiam quia daretur occasio iniquis hominibus detinendi aliena iniustè, hac spe, aliquando illa bona futura incerta, & efficiēda sua, quæ incommoda non sequuntur in his rebus inuentis, stando in iure naturæ.

De bonis autem iustè acquisitis, vt mutuo, vel deposito, quorum deinde, nec cum diligenti inquisitione apparet dominus, res est difficilior, nihilominus differunt, quoque hæc ab inuentis tertij generis.

Primò, quia mutuum, vel depositum non sunt iusti tituli aliquo iure, neque communi, neq; particulari ad possidendum, imò dicunt quoddam debitum naturale restituendi, nam eo ipso quo dicitur mutuum, vel depositum, dicitur alienum, & restituendum ei, qui deposuit, vel mutuatus est: quo fit, vt habens illa non possit retinere, neque præscribere, cum ad prescribendum exigatur bona fides cum iusto titulo, & cum non possit retinere, tenetur restituere, tanquam sibi superflua: vocatur enim cuique superfluum, quod inter bona sua retinere non potest, superflua autem iure naturæ pauperum sunt, vel communitatis. Titulus autem inuentionis est optimus ad possidendū, censenturque inuenta veluti à natura bona sorte, & fortuna concessa inuentori, & ita qui inuenit non apparente domino, potest illa isto iusto titulo retinere, & præscribere, & consequenter nō sunt ei superflua, nec tenetur in aliorum vsus cōuertere.

Secundò circa res inuentas nihil dispofuit ius positiuum, & ideo relinquitur iuri naturæ, & gentium, iuxta quæ iura sunt inuentoris, at circa omnes alias res derelictas, siue iustè, siue iniustè habeantur, non apparente certo earum domino disponit ius positiuum ciuile, & Ecclesiasticum, vt expendantur in pios vsus, sic enim ius Ecclesiasticum de iniustè acquisitis, ius autem ciuile de mutuis, & depositis constituit.

Ad quartum respondeo, bona incerta, quæ nullo titulo alicuius sunt, sed omnino derelicta, & superflua, venire in communitatem, hæc autem inuenta cum habeantur iusto titulo ab inuentore, nempe titulo inuentionis, qui iure naturæ, & gentium, ac communi iustus est, non venire in communitatem, nec esse superflua, dicuntur enim superflua (vt constat) quæ nullo iusto titulo ad aliquem pertinent, sed habens illa tenetur reddere.

Ad vltimum dico, in primis inuentorem non teneri stare voluntati domini, qui non apparet, sed iuri naturali, & gētium, vel particulari, iuxta quæ hæc inuenta ipsius sunt. Dico secundò voluntatē rationalem, & prudentem, & interpretatiuam domini hanc esse debere, vt inuentor seruet ius, & leges, tum quia bona sorte ei contigerunt, tum quia manendo apud inuentorem facilius eas poterit recuperare, quam si distribuantur in pauperes, vel alios pios vsus. Dico tertiò, non oportere, vt velit ea in suam spiritualem vtilitatem conuerti, nam si sit Turca, nihil tale curat, si Christianus frequenter nihil tale cogitat.

Obseruandum tamen hic est, bona Ecclesiæ inuenta, etiam si non appareat cuius Ecclesiæ sint, non posse inuentorem ea sibi retinere, sed esse tradenda prælato, vt in alios vsus Ecclesiæ illa conuertat; Quia quæ semel Ecclesiæ fuerunt, nō possunt in alios vsus conuerti: Similiter religiosi inuenta non possunt sibi retinere, quia abdicantes à se per votum paupertatis quodcunque dominiū, abdicarunt etiam & titulos dominij, quorū vnus est ius inuentionis, & ita nec aliquo titulo possunt quicquam possidere, aut præscribere: poterit autem conuentus, vel communitas inuenta retinere, in his religionibus, quæ possunt possidere in communi.

Hæc sunt, quæ in hac quæstione iudico veriora, sed quo ad praxim, si inuentor est diues, consulendum est ei, vt inuenta in pios vsus conuertat, si pauper vt sibi retineat, quod etiam concedunt Syluest. & alii: Quod si quis hanc opinionem Syluest. tueri vellet, potest defendere eam hoc nomine, vt quæ non habent certos dominos, probabile autem creduntur eos habere, quod nō est in thesauris,

sauris, sint iudicāda superflua habenti illa, superflua autem iure naturæ, & gentium danda sunt indigentibus, vel conferenda in communitatem. Sed offert se hic dubium.

AN SI POST DILIGENtem inquisitionem inuentor, rem inuentam sibi retineat, vel iure legis, vt in bonis se mouentibus, aut iure naturæ, & gentium, vt in alijs inanimatis, si deinde appareat dominus, teneatur ei restituere?

ALiter hic loquēdum est de bonis animatis, & semouentibus, & aliter de inanimatis: cum circa hæc posteriora nihil leges particulares disponant, circa illa verò priora extent leges illæ Castellæ. De prioribus igitur nempe animatis Dida. Couar. loc. cit. iudicant iniquam legem istam de los mostrencos. quia l. venditor. §. si constat. ff. comm. prę lat. non potest aliquis priuari re sua, siue iusta causa, qualis est, vel delictum ab ipso commissum, aut necessitas Reip. aut titulus præscriptionis, quarum causarum nulla existit in huiusmodi bonis, quæ vocantur Mostrēca. Addit tamen posse legem istam probari, ita vt is cui post 14. menses bona ista traduntur, si appareat verus eorum dominus, ante tempus designatum à lege ad præscribendum, vel vsucapiendum, teneatur illi tradere: quia per priuilegium tantum habet iustum titulum ad illa accipienda, non tamen integram possessionem.

Sed oppositum docēt pleriq; ex recentioribus, estque multo probabilius. Et probatur, si ista bona, vel acquisita per vsuram, aut simoniam, iuxta legem canonicam, cap. cum tu. de vsuris, cōuertat in pauperes, non tenetur domino, si deinde appareat illa restituere, neque ipse, neq; pauperes, ergo neque ille cui ex priuilegio Regis data sunt, aut inuentor, vbi tale priuilegium non est, tenetur restituere, cum per legem Regiam illi concessa, & collata.

Secundò leges ciuiles possunt transferre dominia ex iusta causa, vt in lege præscriptionis vidimus, sed leges ciuiles, & priuilegia Regum ex iusta causa faciunt habentis priuilegium, vel inuentoris ista bona mostrenca, non apparente domino post illam debitam inquisitionem constitutam ab ipsamet lege: Primò ad puniendam negligentiam domini in quærenda sua re, quia si ipse eam quæsisset, cum ex alia parte inuentor quoque diligenter inuestigauerit dominum, certè apparuisset.

Secundò, quia huiusmodi bona semouentia, & animata indigēt speciali aliqua cura, essetque incommodum in Repub. manere illa tanquam deserta, & sine certo domino per longum tempus. Et huius sententiæ videtur esse Soto, etiam si non tractet hanc quæstionem, cum afferat inuenta iure naturæ esse inuentoris, vel eius cui à lege tribuerentur. Ad rationem in oppositum dico, sicut eum qui præscribit, à puncto quo expletur, tempus ad præscribendum, esse simpliciter & absolutè dominū, ita vt etiam si deinde appareat dominus, non teneatur illi restituere, ita in hoc casu, eo ipso quo facta debita diligentia non inuenitur do minus, ab eo puncto inuentorem esse verum dominum, vel habentem priuilegium Regis.

Vbi autem circa hæc bona mostrenca non est aliqua lex, vel priuilegium Regis, vt in nostro regno Valentię, de his iudicandum est, sicut de alijs & non se mouentibus. De quib. est etiam duplex opinio. Quidam enim volunt, non teneri ad eas restituendas, quam primum post factam diligentem inquisitionem non apparuit dominus, quia ius naturale, & gentium fecit illas inuentoris, sicut lex præscriptionis confert dominium ei, qui præscribit. Volunt alij, & multò probabilius esse, quidem inuentoris, quamdiu post debitam inquisitionem non apparet dominus, tanquam bona fide possidentis, ita vt si appareat intra tempus ad præscribendum, vsucapiendum necessarium, debeat illi restituere, si verò post tempus designatum ad præscribendum, vel vsucapiendum, non teneatur, quia dominium, quod habebat antea solo titulo inuentionis est debile, & reuocabile ap parente domino, sicut dominium, quod quis habet per contractum minus solemnem est debile, & reuocabile per iudicis sententiam, dominium autem quod habet post quam præscripsit, est iam irreuocabile, & firmū iure præscriptionis. Et probatur, Dominus qui non apparet legitimus dominus est, nec aliqua lex (vt supponimus) expoliat eum illo dominio, & transfert illud in inuentorem, ergo inuentor hæc tātum habet, vt possideat bona fide ex ignorantia veri domini, non autem quod habeat firmum dominium, cum non possint dari duo domini eiusdem rei.

Secūdò, si inquisitio fiat per quinquaginta dies, & die quinquagesimoprimo appareat dominus, iuxta priorem sententiam iā non posset rem suam repetere, absurdum autem & iniquum maximè videtur, vt ratione vnius diei amittat dominium in re sua sine vlla culpa. Quod si dicas, in præscriptione quoque, si expleto tempore, die sequenti appareat, amittit rem suam, dico non esse eandem rationem, quia præscriptio durat per aliquot annos, diligens autem inquisitio potest fieri per breue tempus.

Ad argumentum aliorum respondeo, ius naturale, gentium, & commune conferre ista quidem inuentori, domino non apparente, sed non eo modo, quo lex præscriptionis confert possidenti bona fide per totum tempus ad præscribendum, quia hæc lex non solum concedit, vt possideat bona fide, quam iam supponit, sed transfert etiam dominium in præscribentem, & constituit illum solum iam verum, & legitimum dominum, ius autem naturale, & gentium non transfert ita dominium rei inuentæ in inuentorem, vt alium expoliet, & ipsum constituat solum dominum, sed quia non apparet verus dominus, nec decet rem esse sine aliquo domino, tribuit illam primò occupanti, vt bona fide illam habeat. Et confirmatur nostra opinio. Ad illud tenetur vnusquisque in conscientia, ad quod obligaretur per iustam sententiam proposita, & perspecta rei veritate, sed quinis peritus, & timoratus iudex in hoc casu condemnaret inuentorem ad restituendum, & ita obseruatur, Ergo.

Sed in his omnibus obseruāda esse iudico, quæ superius diximus, quando inuentor est diues, & qui rem amisit pauper, & è conuersò, tūm etiam illa quæ diximus de religiosis, & bonis ecclesiasticis.

DE

DE BONIS NAVFRAGANTIUM.

Circa bona verò naufragantium, & ea quæ proijciuntur in mare tẽpestate ingruente ad seruandam vitam: Dico in iure ciuili prohibitum esse, vt ab aliquo accipiantur in Aothen. Nauigia. C. de furtis. l. falsis. ff. eo. tit. l. qui alleuiandæ. ff. ad l. Rhod. de iactu. Simile habetur tam in peculiaribus legibus omnium regnorum Castellæ, & Aragonum, quàm in iure Ecclesiastico, in Titu. de naufragijs, non esse primo occupantis, sed faciendam esse summam diligentiam ad inquirendũ dominium, vt ei reddatur, quia afflicto non est addẽda afflictio. Quod si post multam inquisitionem expectatumque longum tempus, nullo modo appareat, deferenda esse ad Ordinarium loci, & ei tradenda, vt ex illis pro sua prudentia disponat. Ita Caie. furtum, Soto vbi sup. Nauar. cap. 17. num. 98. Couarr. Reg. peccatum. p. 3. §. 2. num. 5. Contra vero agens propria authoritate talia retinendo, est ipso facto excommunicatus ex decreto Concilij Later. & habetur c. excommunicationi. de raptoribus: Potest autem absolui, quamprimũ restituit, vel ab Episcopo, vel per bullam cruciatæ, quia huius censuræ absolutio non est reseruata Papæ, vt docet Caiet. excommunicatio cap. 23. Nec exigitur ad incurrendam hanc excommunicationem admonitio, cum sit à iure: sed eo ipso quo quis illa animo retinendi accipit, vel est in mora ad restituendum, est ligatus. In excommunicatione .n. à iure pro aliqua culpa non est necessaria admonitio, sed sufficit, vt incurratur commissio illius culpæ, quia ius in his est sufficiens admonitio, vt patet ex Clemen. Multorum de hæreticis.

Excipiuntur ab hac excommunicatione tria genera hominum.

Primò, qui accipiunt ex naufragio alimenta ad succurrendum sibi, vel alicui fratri in extrema necessitate.

Secundò, qui accipiunt ea, quæ prudenter iudicantur, tanquam à proprijs dominijs deserta, & derelicta.

Tertiò, qui cum probabili periculo vitæ curarunt aliqua saluare ex naufragio, quæ reuera omnino perijssent, nisi illi se exposuissent tali periculo, in his si appareat dominus tenentur illa ei exhibere deductis expensis, vel aliquo pretio arbitrio prudẽtum, pro labore, & periculo, quod passi sunt in illis seruandis, quod si nullo modo appareat dominus, possunt ea sibi tanquam tanto periculo empta retinere. Vtendum est autem consilio confessarij, vel prælati, vt indicet de illo periculo, an ita fuerit graue, & necessarium: Ita D. Antoni. 2. p. tit. 1. cap. 15. §. 2. Summa Angelica. Naufragiũ. §. 3. Syluest. naufra. q. 2. Nauar. loco citato. Vnde iniqua est, & tyranis, ac corrupta lex illa Galloru, quæ naufragio pereunt confiscanda esse, & exhibenda domino loci, vel littoris quo perueniunt, cum afflicto non sit addenda afflictio repugnetque, vt constat iuri cõmuni, & Ecclesiastico. Quæ dicimus de bonis naufragantium seruanda etiam in bonis quæ accipiuntur, & proijciuntur, quando accidit aliquod incendium, vt ibidem docet Nauarr. & quando ligna, vel trabes deferuntur per flumina, & huc, vel illuc inundationibus proijciuntur, inueniunturque in littoribus eiusdem fluminis, vel maris proiecta, vt docet Gabr. in 4. dist. 15. in fi. quæst. & Nauar. cap. 17. num. 176. Solutio tertij argumenti apud D. Thom. aperta est, & videndus circa eam Caiet. Sed interim est dubium.

CONTROVERSIA II.

POSSIT NE QVIS OCCVLTE accipere rem suam, quam iuridicè recuperare non valet.

Videtur non licere primò, quia sicut iniuriam sibi illatam nullus potest priuata authoritate vindicare, ita neque sua bona priuatim accipere, cum tanta iniuria inferatur in acceptione bonorũ, quanta in honore.

Secũdò, quia cum officium iudicis sit suum ius cuique tribuere, videtur contra ordinem iuris, priuata authoritate res suas accipere, & exercere iudicium vsurpatum, & cum iniuria iudicis.

Tertiò, si rem suam liceret cuique propria authoritate recuperare, sicut pnt est occultè, posset publicè, & per vim, hoc autem est absurdum, & negatur ab omnib. ergo. Et D. Thom. hic ad 3. ita docet & quæst. 62. artic. 8. ad 3. vocat furem sic accipientem, quia licet accipiat, quod simpliciter suum est, accipit tamen alienum, quo ad custodiam.

Oppositum tamen docet communis schola, nempe.

CONCLVSIO PRIMA.

Positis his quatuor conditionibus licere rem suam occultè accipere.

Prima, vt sciat rem illam certò esse suam, quia in dubijs melior est ratio possidentis.

Secunda, vt nullum sequatur scandalum, neque aliquam inferat vim: tum quia nemo potest sua priuata authoritate alii vim inferre, tum quia sequeretur passim hac via maxima perturbatio in Repub.

Tertia, vt nequeat omnino rem suam ordine iuris recuperare, vel ex defectu probationis, vel ex malitia iudicis, vel ex iusto timore alicuius nocumenti sibi inferendi, si iuridicè postulet, aut debeat tantas, vel plures expensas facere, nec recuperandas, quantum est debitum.

Quarta, vt rem suam ita recuperans, curet ne alia via eadem sibi reddatur. Seruatis his conditionibus, licèt cuique rem suam, quam iuridicè recuperare non potest, occultè accipere. Ita Caiet. hic Soto loco cit. Syl. furtum, num. 16. & 17. & est communis.

Et probatur primò, quia seruatis his conditionibus nulli irrogat iniuriam, non debitori, cum solum recipiat ab eo rem suam: non iudici, quia non facit contra ordinem iuris formaliter, nam cum non teneatur rem suam amittere, nec eam possit commodè per iudicem recuperare, iustæ non vult vti in tali casu authoritate iudicis.

Secundò, in hoc casu nihil aliud reperitur, quã quædam recompensatio æquiualentis, quæ licita est, cum non sit aliud medium. Hinc fit, vt quando ea res mea est apud alium, possim illam accipere, quando verò non manet illa eadem, vel non possum eam accipere, possim æquiualentem, nec per

hanc

hanc licentiam sequitur aliquod incommodum, aut perturbatio: seruatis enim illis conditionibus, omnibus incommodis occurritur.

CONCLVSIO II.

Qui secretò accipit rem suam, quàm iuridicè recuperare poterat, peccat grauiter.

PRimò, quia violat ordinem iuris: secūdò, quia vsurpat sibi authoritatem iudicis: non tamen tenetur restituere, quia habet rem cuius verè dominus est, vnde si alius obtineat excommunicatio nem, contra omnes, qui aliquid ex domo eius acceperunt, non incurrit illam, nec tenetur se manifestare, quia illa fertur contra detinentes iniquè alienum (sic enim intelligenda est, cum aliter con tineret errorem intollerabilem) hic verò non detinet alienum.

Ad argumenta initio proposita. Ad primum dico, non esse eandem rationem, quia quando accipio rem meam, recupero quod meum est, & alter iniquè apud se detinebat, at quando alapam pro alapa infero, non recupero aliquid quod alter à me abstulerit, aut detinear, sed tantum infero iniuriam pro iniuria, quod non licet.

Secundò, quando recupero rem meam modo dicto, nullam infero iniuriam, imò quam ille mihi infert reduco ad debitam æquitatem, efficioq; ne ille detineat alienum, ac me expoliet re mea, at quando reddo alapam, nulla est æqualitas, vel iustitia, sed vindicta, & iniuria.

Tertiò, qui me iniuria affecit, non tenetur ad pœnam debitam ante iudicis sententiam, & ita non licet extra iudicium pœnam illi inferre, & recompensam acceptæ iniuriæ sumere. At qui rem meam iniquè detinet etiam ante iudicis sententiam tenetur illam reddere, vnde quam iuridicè recuperare non valeo priuatim possum accipere. Denique si posset quilibet suam iniuriam vindicare, sequeretur magna perturbatio in Republica, quod non est in nostro casu seruatis conditionibus positis.

Ad secundum respondeo, non esse contra ordinem iuris, nec iudicium vsurpatum, quia nec teneor ad istum ordinem, quando commodè non possum, nec teneor rem meam amittere.

Ad tertium dico, vnam ex conditionibus requisitis esse. fiat cum scandalo, vel perturbatione Reip. quo fit non licere accipere per vim D. verò Thom. in illis locis loquitur de eo, qui iuridicè potest rem suam recuperare. Sed quæres licet ne rem suam alteri commendatam mutuo, vel deposito, quam fur rapuit, à fure accipere? Dico licere, si sit periculum furem illam occultaturū, aut nullo modo, vel difficilè recuperandam, nisi ab eo accipiatur debet quæ tunc admonere illum à quo fur eam rapuit, se iam illam habere, ne eandem rem bis recipiat, accipere autem à fure etiam rem suam, quam ab alio furto accipit, vel non admonendo illum, vel consentiendo ali quo modo illi furto, iniquum est, vt constat. Docentq; hic D. Tho. Caiet. & Soto consule illos, sed res est apertissima.

ARTICVLVS VI.

An furtum sit peccatum mortale.

COnclusio est affirmans. Probatur primò, nemo condemnatur adeò, nisi pro peccato mort. Zach. 5. habetur. [Hæc est maledictio, quæ aggreditur super faciē vniuersæ terræ, quia omnis fur iudicabitur, id est condemnabitur.]

Secundò, quidquid destruit charitatem mortale est, sed furtum ex suo genere tollit charitatem proximi, ergo. Maior certa est, minor probatur primò, quia hæc non cohætent diligere proximum, & nocere illi in bonis, vnde Pau. Rom. 13. [Qui diligit proximum, legem impleuit: nam non occides, non furaberis, &c. in hoc vno verbo instauratur, diliges proximum tuum, &c.

Secundò, quia per nocumentum, quod infert furtum, inter viros prudētes dissoluitur amicitia, id autem per quod inter prudētes dissoluitur amicitia (vt vidimus) destruit charitatem, cum charitas sit verè amicitia.

Tertiò, præcepta decalogi ex suo genere obligant sub mortali, cum illorū violatio sit punienda pęna æterna, sed vnum ex præceptis decalogi est. Non furaberis, ergo furtum ex suo genere est mortale. Denique iniustitia per quam proximo aliqua iniuria, & nocumentum infertur ex suo genere est peccatum mortale, licet ex leuitate materiæ possit esse veniale, vt docuit supra D. Tho. qu. 59. art. 3. & 4. furtum autem est vitium contra iustitiam cum nocumento ex iniuria proximi, ergo est ex suo genere mortale, licèt ex leuitate materiæ possit esse veniale.

Circa hunc articulum duo potissimè videnda sunt prius est, cum furtum ex suo genere sit mortale, possit autem reddi veniale ex leuitate materiæ.

CONTROVERSIA I.

QVAE MATERIA SIT IVDICANda grauis, & quæ leuis, vt in indiuiduo, & particulari valeamus iudicare, quod furtum sit mortale, quod veniale.

HÆc quæstio est difficilis, nam si hæc quantitas sit expendenda absolutè, & respectiuè, nec in ordine ad paupertatem, vel abundantiam eius à quo quis furatur, sequeretur furantem à paupere non peccare mortaliter, nisi furetur quō que ab ipso in ea quantitate, in qua esset peccatū mortale furari à diuite, quod est absurdum, quia furtum est peccatum, eo quod nocet proximo, certum autem est, furem multoties nocere pauperi in ea quantitate, in qua non noceret diuiti, vt si pauperi auferas vnum argenteum, quo hodie sustentandus erat grauiter illi noces, cum tamen furtum vnius argentei diuiti nullū ferè sit nocumentum. Quod si hac ratione adducti dicamus quantitatem comparatiuè sumendam esse, in sua paupertatem, vel abundātiam eius, à quo fit furtum sequeretur furantem decem aureos à Rege ditissimo non peccare mortaliter, quia decem aurei in ordine ad regem exigua, & leuissima res est, & nullum ferè illi nocumētum inferens. Vnde opus hic est maxima prudentia.

Obser-

Obseruemus ergo primò, iuxta præsentem disputationem intra limites materiæ vel quantitatis magnæ posse reperiri quandam ita magnam, vt infra eam dentur etiam aliæ magnæ, vt 100. aurei, infra hanc enim quantitatẽ dantur aliæ minores, quæ magnæ etiam sunt vt quinquaginta, vel quadraginta aurei.

Secundò modò potest dici quantitas aliqua magna, ita vt inferiores illa iam sint dicendæ paruæ, & exiguæ, potestque illa vocari minima, vel vltima in magnis. Similiter in paruis est quędã quantitas ita parua, vt illam excedentes possint etiam vocari paruæ: quomodo numulus parua quantitas est, cum dẽtur aliæ etiam paruæ eo superiores vt secundò l. 3. Numuli Alia vera est ita parua vt quæuis illam excedens iam non sit parua, & exigua, sed magna, ita vt vltima in magnis sit illi proxima, & vicina, quam possumus vocare supremam inter paruas, vt si minima inter paruas sit v. g. vnus argenteus, maxima, & suprema inter paruas erunt dicamus viginti nummi. Magnam vel paruam quantitatem hoc loco sumimus istu secũdò modo, & in hoc consistit tota difficultas, & cõtrouersia, quæ quantitas sit ita magna vt excedat limites paruæ, & quæ non à quia quæ ita erit magna constituet furtum peccatum mortale, quæ verò non, constituet peccatum veniale.

Obseruemus secundò negari non posse, quin varietur in his grauitas materiæ pro qualitate tẽporum, locorum & nationum in tempore enim vel loco quibus magis abundant aurum, argentũ, triticum, & alimenta, quis dubitat maiorẽm quantitatem requiri ad grauitatem materiæ quam temporibus vel locis in quibus ista deficiunt? similiter negari non potest, qui pauperi, & indigenti ea quantitas sit grauis, & magna, quæ diuiti sit exigua, & parua: diuiti enim pro nihilo est vnus argenteus, at pauperi mercenario cuius merces diurna sunt duo tantum argentei, magna, & grauis quantitas est. Cui fauet Christus Matth. 21. vbi vetulam illam quæ duo tantum minuta misit in gazofilatium, plus omnibus diuitibus asetuit misisse, quia illi abundabant, hæc verò erat pauperculæ erant maior quantitas duo minuta, quam illis diuitibus multi argentei. Vnde necessario vtraque via, & absolutè, & per comparationem explicandum est, quæ sit materia grauis & magna in furto, & assignanda aliqua quantitas, quæ per se, & absolutè, ac vbique locorum, & à quocunq; accipiatur, sit iudicanda grauis, & sufficiens ad peccatum mortale, assignandæ etiam aliquæ regulæ, iuxta quas quantitas quæ simpliciter, & secũdum se non esset magna, ratione loci, temporis vel personæ, aut alterius circumstantiæ sit censenda grauis, & magna.

Obseruemus tertio, certum esse apud omnes quidquid sit de quantitate furantem rem paruam sine animo, & intentione furandi maiorem, aut inferendi maius detrimentum, quam illud paruũ, & minimum, peccare tantum venialiter vt plurimum, furantem verò rem paruam, & minimam, sed cum animo. & intentione furandi maiorem, & inferendi maius detrimentum si potuisset vel quando poterit, peccare mortaliter, quia tunc res illa ratione talius animi, & intentionis non est læuis, sed grauis, & talis animus sub mortali prohibetur vltimo præcepto decalogi, non concupisces rem proximi tui præcepta autem decalogi, non concupisces rem proximi tui præcepta autem decalogi, non concupisces rem proximi tui præcepta autem decalogi certum est obligare sub mortali. In quo sensu est intelligendus D. Hiero. quando ait 14. q. 6. Can. Finali. Furtum non solum in magnis, verum etiam in minimis iudicatur.] Qui sensus colligitur ex verbis eiusdem Hieron. cum subiungat, In furto, non quid furatum est, sed animus furantis attenditur. In eodem sensu ait D. Thom. hic in fine solu. ad tertium, Habentem animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiã in minimis posse peccare mortaliter. Quamuis hęc verba sentiat Soto significare posse, etiam peccare mortaliter accipientem minima, sine animo accipiendi maiora, alio titulo, verbi gratia, si dominus illius rei minimæ ita sit ad eam affectus, vel sit animo adeo misero, vt perinde affligatur, perturbetur, & offendatur per acceptionem illius rei minimæ sicut vir prudens affligeretur furto rei grauis, intelligatq; fur dominum illius rei minimæ sic esse affligendum. Sed hæc expositio non est huic loco D. Thom. accommodata, quia aliud est quærere, an hic committat peccatum mortale, & aliud quærere, quod peccatum mortale, & cuius speciei. Verum quidem est accipere rem minimam animo afficiendi molestia fratrem esse peccatum mortale, sicut qui faceret nutum, vel gestum, quo sciret proximum afficiendum molestia: hoc tamen non est peccatum mortale furti, sed odij, iniuriæ, vel alterius generis, hic autem agimus de peccato in genere furti, in quo genere vt quis peccet mortaliter; necessariò quando accipit rem minimam, debet habere intentionem accipiendi maiorem. Vnde cum loquatur hic D. Tho. præcisè & formaliter de peccato furti, intelligendus est necessariò & non aliter quam ipsum explicant Caiet. & Naua. in Manua. cap. 17. nume. 7. de accipiente minimum, sed animo & intentione accipiendi maius si potuisset.

Et confirmatur, primò, quia ait peccare mortaliter habentem animum furandi, & inferendi nocumentum, quod nocumentum intelligendum est in bonis, quia non loquitur de alio nocumento in toto hoc articulo.

Secundò, quia addit esse istud mortale, sicut potest esse mortale in solo cogitatu per consensum, quod perinde est, ac si dicat: sicut nihil accipiens actu, potest tamen committere peccatum mortale furti solo consensu, & appetitu interno accipiendi, ita etiam accipiens minima potest peccare mortaliter peccato mortali furti, per intẽtionem & animum accipiendi magna, & nocendi in magnis si potuisset.

Et ratio Caietani est optima & efficax, quia accipere minima solo animo accipiendi illa non est peccatum mortale, nisi habeat animum accipiendi magna, si potuisset, ergo vt accipiens minima, dicatur peccare mortaliter peccato mortali furti, de quo loquitur hic D. Thom. necessariò debet habere animum accipiendi maiora, vnde in hoc sensu intelligendus est D. Thom. Et sic intelligitur non solum à Caietano, verum etiam ab omnibus recentioribus.

His positis, Circa illud primum, quæ quantitas sit sufficiens, & simpliciter, & absolutè magna, vt furtum sit peccatum mortale, varij sunt Doctores. Antiqui nihil certum circa hoc docuerunt, sed relinquunt prudentiæ confessoris, & conscientiæ cuiusque, vt ex circumstantijs loci, personæ, temporis, ac damni illati iudicetur sit ne res accepta materia grauis, vel læuis. Et ita apud D. Tho. Gabrielem Paludanũ, Scotũ, D. Anto. & alios nulla quãtitas assignatur, quæ sit materia grauis, imò neq; apud Caiet. Medinã cõplu. Syluestrũ, Angelum,

lum, & alios qui nostris temporibus fuerunt viciniores, aliquid tale repetitur. Primi omnium qui in particulari, & in indiuiduo certam quantitatẽ, quæ apud omnes sit censenda materia grauis assignarunt, sunt M. Soto, & D. Nauar. & recentiores illos sequuti.

Soto quantitatem quæ absolutè & apud omnes sit grauis, vult debere esse alicuius momẽti, & notabilem, verbi gratia, duos vel tres aureos, quia talis quantitas etiam si à Rege accipiatur, est furtum mortale. Sed hęc opinio multum laxat habenas, quia iuxta eam furtum, verbi gratia, quinque vel sex argenteorum si fiat à diuite, & potente nõ erit mortale, quod nullus timoratæ conscientiæ audebit asserere.

Nauarrus in cap. Finali 14. q. 6. & in Manual. c. 17. nu. 3. lit. F. Vult apud nos, imò & in tota ferè Europa, & vbi res perinde ac in Europa abundãt, esse quantitatem grauem, & sufficientem ad furtum. Mortale vnum argenteum, imò & medium, aut æquiualens, quia in huiusmodi regionib. Europæ communiter apud nos medium argentei, & supra iam iudicatur aliquo modo notabilis quantitas, & illius priuatio nocumentum: vnde infert furantem vnum hædum, vel gallinam, aut modiũ tritici, vel amphoram vini, & quidquid pertingat valorem medij Iulij esse peccatum mortale. Quãtitates verò inferiores medio argẽteo læues esse, & furati illas censendũ esse veniale. Sed hæc opinio videtur multis rigida & dura, quia apud omnes communiter medius argenteus non habetur pro notabili quantitate.

Alij ex recentioribus volunt grauem quantitatem simpliciter esse medium aureum, infra verò esse paruam: quia communiter omnes homines siue diuites sint, siue pauperes, hanc iudicant notabilem & grauem, non autem inferiores. Sed hæc quoque est ampla, & laxa opinio, cum videamus, & duos argenteos, vel tres à quibusuis iudicari nõ paruam quantitatem. Alij quidam Thomistæ volunt duos argenteos esse quãtitatem magnam, & inferiores esse paruas, quia excommunicatio tantum fertur pro peccato mortali, & in nonnullis Ecclesijs aliqui Episcopi ferunt excõmunicationem pro furtis duorum argenteorum, non autem pro inferioribus quantitatibus, Sed reprænendit hanc opinionem. Nauar. loco citato, quia licet excommunicatio non feratur nisi pro mortali, non tamen fertur pro omni mortali vt constat, & ita non bene sequitur non fertur excommunicatio pro quantitate minori duobus argenteis, ergo quantitas eis minor non constituit mortale.

Vltima sententia est, non posse assignari Mathematicè vel Metaphysicè, & certo huiusmodi quãtitatem, moraliter vero (y à myzio de buen uaron.) vnum argenteum esse quãtitatem supremã inter paruas, & eam qui hãc proximè excedit iam esse magnam, vt argenteum, & dimidium: Vnde iuxta ipsos, argenteus, & dimidium erit velut infima, & minima quantitas inter magnas, attẽtis circumstantiis, & copia pecuniarum quæ est in Hispania, vel similibus prouinciis, nam in aliis iudicandum erit iuxta prouinciæ abundãtiam vel pecuniam. Ergo ex his eam opinionẽ amplectẽdam iudico, vt absolutè, & simpliciter unum argenteũ aut æquiualens iudicẽ esse quantitatem satis grauem, & sufficientem ad mortale, tum quia omnes homines siue diuites, siue pauperes, siue liberales, siue auari iudicant vnum argẽteum ægre sibi auferri, & quiuis parens filium suum, vel dominus famulum vt pro furto digno, uerberib. domesticis vapulari præcipiet: quod argumento est certissimo, omnes illam quantitatem iudicare grauẽ, & notabilem. Vbi autem res magis abundant vt apud Indos, iudicarem duos vel tres argenteos esse quãtitatem grauem; Vbi verò ita abundant amplectẽda est D. Nauarri sentẽtia, quia sic dictat recta ratio, & communis omnium consensus, imo, & iudices in Hispania rapientem vnum argenteum aliquo secreto verbere afficient, & vbi res non ita abundant rapientem medium. Quibus aliud placuerit non multum aduersabor, cum in his adeo certa regula assignari non possit, sed prudentia opus sit, iuxta illam regulam. [Quæ indefinita relinquuntur à lege, arbitrio boni viri sunt definiẽda. Cap. De causis de officio delegati. Hoc tamen sit certum, si feratur excommunicatio contra eos qui aliquid furati sunt, quemcunque qui furatus aliquid sit in quantitate, ita magna, vt sufficiat ad peccatum mortale, teneri vel ad illud statim restituendum si possit, vel manifestandum, nisi sit res omnino occulta, & cũ periculo infamiæ alioquin incurreret illam excommunicationem. Quo ad secundum modum.

QVAE MATERIA SIT grauis, & constituens furtum mortale ratione personæ à quo res accipitur.

DIco tribus modis posse quantitatẽ quæ simpliciter, & absolutè non esset grauis, nec efficiens mortale, esse grauem, & magnam ratione personæ, à qua res rapitur, vel alterius circumstantiæ. Primò ratione paupertatis, & indigentiæ domini rei acceptæ, constat enim ex secundo fundamento, & obseruatione confirmata testimonio. Christi Luc. & Matth. 12. Exiguam quantitatẽ quæ diuiti pro nihilo esset, pauperi, & indigenti esse notabilem, & magnam vnde medium argentei imo. 8. vel 6. nummuli pauperi qui nõ lucratur ad victum totius diei nisi vnum argẽteum est grauis materia, & ita iudicabunt omnes, indigenti hic, & nunc quantitatem hãc quę simpliciter esset exigua, illi esse magnam. Et vt docet D. Tho. sup. q. 32. ar. 4. ad tertiũ materia grauis non solum sumitur absolutè, & à parte rei, verum etiam per cõparationem ad paupertatem vel diuitias dominorum. Et cõfirmatur furtum ex eo est peccatum, quia per ipsum infertur nocumentum, sed maius nocumentũ infertur pauperi mercenario, & indigenti, qui non habet nisi mercedem diurnam ex qua suis, & sibi victũ comparat, si ab eo auferatur tertia pars vel medietas argentei, quam si à diuite accipiãtur vnus vel duo aurei, ergo tale furtum peccatũ mortale est, estque talis quantitas in paupere materia grauis.

Secũdo modo est materia grauis ratione vtilitatis quam ex re ablata reportare solet dominus ipsius, & dãni quod ea sibi ablata recipit, vt si ab artifice auferas vel uilissimum instrumentum, cuius defectu non potest vno, vel altero die laborare, definitq; in sua arte lucrari illo die, velut si sartori auferas acum, nec habet alium quo illo die consuat vestes, iuxta quantitatem damni, quod ocio illius diei patitur, & lucri, quod fecisset, tale furtum potest esse materia grauis, & peccatum mortale: vt si desinat lucrari vnum, vel duos argenteos.

Tertio modo propter rationabilem, & iustum affectum quem dominus rei habet ad illam: Sunt enim

enim aliquæ res paruæ, & exigui pretij, quas tamen domini illarum merito & prudēter ex iustis causis, & circumstātijs vt pretiosas habent, huiusmodi res, & si secundum se paruæ, at ex rationabili, & iusto affectu domini sunt pretiosę, & materia grauis, furarique illas cognito illo affectu domini est mortale. Vt si dicat dominus famulo, ne colligas in meo horto illud malum sidonium, quia est primus fructus arboris, quam ego ipse hisce manibus plantaui, estque in hoc loco fructus iste rarus, voloque illum offerre amico cui plurimū debeo, & cui scio huiusmodi fructum futurum illum, ita domino suo pretiosum furetur, peccat mort. Dico primò affectu prudenti, & iusto, nam si oriatur ex nimia auaritia, vel animi abiectatione, aut alia in prudenti causa, affectus huiusmodi insania potius est vel cupiditas quam affectus. Dico secundò affectu cognito, nam qui illū omnino ignoraret & bona fide crederet dominum nulla aut leuissima iniuria afficiendum acceptione illius rei exiguæ, non peccaret mortaliter. Affectus autem iudicandus est rationabilis, & iustus, vel secus, ex communi iudicio prudentum.

Sed circa istos tres modos quibus ratione personæ iudicatur materia grauis secundum se, & si à parte rei esset leuis, est dubium.

AN IN OMNIBVS ISTIS tribus modis in quibus materia est grauis, peccatum mortale, quod committitur, sit mortale genere furti, an in alio genere peccati?

Siluest. furtum. quæst. 2. & Domin. Soto illum secutus hæc non distinguunt, sed hæc omnia vocant peccatum furti, ex recētioribus verò nonnulli tunc collocant peccatum istud in genere furti, quando accipitur materia grauis simpliciter, & secundum se: quia tunc est reuera furtum graue, & consequenter furtum mortale. Quando autem accipitur res secundum se leuis, & exigua pertinere peccatum illud vt mort. ad aliud genus, nempè vel odij, vel iniustitiæ aut iniuriæ, vel damni dati, non tamen esse peccatum mort. furti. Sicut qui occidit debentem mihi centum aureos, si mortuo debitore non possum recuperare illos, peccauit quidem si id intelligebat, peccato mort. damni illati erga me, non autem peccato furti.

Probant hanc sententiam, Primò tam in vitijs quam in virtutibus propria, & specifica denominatio sumenda est à proprio obiecto obiectum furti est non damnum subsequutum, vel aliqua molestia, quæ sunt per accidens, sed res accepta: quando ergo res accepta secūdum se non est grauis, nec notabilis, licet alia quæ per accidens subsequuntur, vt aliquod damnum vel molestia, sint grauia, non erit peccatum mortale furti, sed illius tantum speciei, ad quam pertinent illa subsequuta, vt peccatum mortale damni dati, vel iniuriæ illatæ. Secundò vt paulo ante dicebamus, explicantes vltima verba D. Tho. hic in solut. ad tertium contra Soto sequentes expositionem Caiet. furtum rei minimæ non est peccatum mortale in genere furti, etiam si ex eo inferatur molestia domino rei, sed erit peccatum mort. odij, aut iniuriæ, aut alterius speciei. Tertiò, iure alij sunt tituli de furto, & alij de iniurijs, & damno dato, quod certissimo est argumento ista differre, & aliud esse peccatum furti, aliud verò inferre damnum, accipiendo rem quæ ex se non sufficeret ad furtum mortale. Quarto, quæst. 62. artic. 6. agentes de restitutione, & de his qui impediūt bonum alterius, vidimus esse peccatum iniustitiæ, surripere artifici instrumenta sunt esse peccatum iniustitiæ, surripere artifici instrumenta suæ artis, & teneri accipientem illa ad restituēdum lucrum, quod illi impediuit, vbi hoc quod est impedisse illi, lucrum peccatum iniustitiæ fecimus, quod vocatur impedire, bonum, non autem peccatum furti: Quintò ibidem docuimus, conculcātem segetes, maximè in herba, & viri pauperis, peccare mortaliter per damnum datum contra iustitiam, & teneri ad illud reficiendum, non tamen dicitur talis conculcator commisisse furtum, Sextò fur per leges compellitur restituere rem furto acceptam in duplo, vel in quadruplo, si fuit secretum, & verè furtum, in duplo si manifestum, & veluti per vim, vt rapina, in quadruplum, at si quis accipiat instrumentū artificis, pauperis exigui valoris, propter quod ille patitur damnum, & lucrum cessans, non iudicatur fur, nec compellitur restituere illud instrumētum, neque in duplo, neq; in quadruplo, sicut furtum mortale, & graue committens, sed tātum restituere lucrum cessans cum instrumento, vt is qui damnum intulit. ergo.

D. Nauarr. in manu. cap. 17. num. 3. littera B. & in illo c. fin. 14. q. 6. nota. 7. & 8. & nonnulli ex recentioribus ita hæc distinguunt, furtum quod vocamus graue primo modo, quia illa quantitas ratione paupertatis domini à quo fit furtum, fit grauis, volūt esse peccatum mortale in genere furti, quia est formaliter furtum, cū sit acceptio iniqua rei alienæ, & materialiter illi à quo furripitur omnium prudentum iudicio grauis, & ita esse furtū graue, & mortale, furtum autem rei exiguę, quod constituimus peccatum mortale secundò, & tertiò modo esse quidem peccatum mortale, cum inferat damnum, & iniuriam domino rei acceptæ, & violet charitatem, & pacem, non tamen esse peccatum mortale furti, quia grauitas furti non sumitur ex damno quod per accidens subsequitur, aut ex molestia domini sed ex grauitate rei acceptæ, & ita vbi res, & secundum se & in ordine etiam ad dominum est exigua, & leuis, non potest esse peccatū mortale furti, sed erit peccatum mortale vel iniustitiæ, vel iniuriæ, vel damni dati, quia tūc non patitur ille damnum graue in re accepta, sed in his quę subsequuntur, in damno scilicet vel molestia, quæ pertinent ad alias species peccatorum, quod dicimus Hispanè; no es por lo que me hurta, sino por la falta que me haze, ò por lo que me enoia, y eltiro que me haze.

Ex his omnibus fit, in furto rei exiguæ secūdò, & tertio modo esse peccatum mortale cōtra charitatem, vel iustitiam, per odium, molestiam vel damnum datum veniale autem tantum in genere furti, quia est materia grauis iniuria illa, vel damnum datum, non autem est materia grauis res accepta: quod probant optimè omnia argumenta præcedentis opinionis. Ad eadem vero, quatenus hic secundæ opinioni ex parte aduersantur, Respondeo. Ad primū in furto quod dicimus mortale primo modo, esse quidē rem exiguam simpliciter in ordine ad diuitem, at pauperi à quo accipitur, esse grauē, & notabilem, & consequenter esse furtum graue, & mortale, quia res ipsa in eo casu etiā à parte rei (vt constat) ex dictis in secunda ratione, est grauis: in furto autem rei exiguę quod dicimus mortale secundo, & tertio modo, verum est quod probat illud argumentum esse quidem in

hęc cõsentiunt domini, nec tacitè nec expressè in eorum acceptionem in quantitate graui, habentque illa non vt omnibus exposita, sed in custodia diligenti. Quod si rursum obijcias, aduersus modo dicta de his rebus quę omnibus expositę sunt, Si istę res vendantur, valent verbi gratia vnum aureum, sunt autem res omnes ęstimandę, iuxta pretium quod pro illis, si vendantur dabitur, ergo valent istę vnum aureū, & consequenter illarum acceptio est in quantitate graui. Respondeo res istas si quidem venderentur iam tunc ab aliquo certo possideri, & habere pretium in casu autem nostri dicti nec habere dominum certum, nec pretium, cum sint omnibus expositę, & ita non est eadem ratio. Sed videamus.

CONTROVERSIA III.

AN REPETENDO ET MVLtiplicando furta in parua quantitate, committatur mortale.

Videtur non committi, quia ex venialib. quantumcunq; multiplicentur, non fit vnum mortale, omnia autem illa furta exigua sunt venialia, Ergo. Secundò, viri etiam timorati recitantes officiū diuinum committunt varias negligentias leues, & veniales; nec ex eo incurrūt mortale, aut accusant se tanquam de mortali. Tertio, consuetudo iocandi, & animo iocandi quia veniale est, quantumuis multiplicetur, siue dicatur eidem homini siue vel pluribus, nūquā est mortale, ergo similiter in furtis.

CONCLVSIO PRIMA.
in qua omnes conueniunt.

Committens furta in materia parua, sine animo inferendi maius damnum, in omnibus illis furtis in quibus non attingit quantitatem magnam, tātum peccat venialiter, nec tenetur illa sub mortali restituere. Si verò furta quantitatis paruę, ita multiplicentur, vt attingant, quantitatem, quę sit magna aut in se ipsa, aut in damno alteri illato, vel in bono sibi acquisito, illud vltimum furtum quo ad talem quantitatē peruenitur, est mortale,

Prior pars constat ex dictis, probantque illam argumenta posita: in eo .n. sensu concludunt omnia illa, Quia omnia illa venialia aut negligentię leues, vel conuitia leuia, nunquam perueniūt ad materiam grauem, vel nocumentum proximè graue, & ita nunquam constituunt mortale. Quando autem in furtis peruenitur ad quātitatem magnam, iam est materia grauis, & nocumentū graue. Et confirmatur, quia furtum non est mortale nisi aut ratione nocumenti, aut ex intentione furantes; furta parua quę nunquam perueniunt ad quantitatem magnā, non inferunt nocumentum graue, intentionem quoque supponimus esse non inferendi maius damnum quam illud leue, ergo nullo titulo hęc furta parua erūt mortalia. Secunda verò pars probatur quia licet illud vltimū furtum secundùm se, & solum sumptum non sit in qua ntitate magna, virtute tn pręcedentium attingit quantitatem magnam, & ita est mortale: sicut in numeris vltima vnitas virtute pręcedentiū dat speciem numero, Et confirmatur, iustitia licet per se primu respiciat ne alius habeat minus quā debet habere, per se quoque secūdò respicit, ne quis habeat plusquam debet habere, sicut motus per se primo respicit terminum ad quem, & per se secundò terminum à quo, sed accipiēs parua furta, quando accipit illud quo pertingit ad magnam quātitatem, habet iam in materia graui alienum, ergo committit iniustitiam grauem, & mortalē.

Ita docent M. Soto loco citato ad tertium Do. Nauar. in Manual. cap. 17. nu. 146. Med. Cod. de Restit. q. 10. fol. 40. & 41. & omnes recētiores. Vnde famulus qui accipit à domino suo quotidie vnum vel alterum nummum, si perseuerat in istis furtis quamuis exiguis, quā primum peruenit ad quantitatem, quę in ordine ad suum dominum est censenda magna, cōmittit mortale, & tenetur sub mortali restituere, licet à principio non habuerit animum accipiendi in tanta quantitate. Similiter, qui à multis dominis accipit in parua quantitate, quam primum peruenit ad magnā est peccatum mortale, quia factus est ditior in graui quantitate, quamuis per furta quę seorsum, & diuisim sumpta, sint exigua. Tenetur autem si furtum maneat intra limites venialis, sub veniali tantum restituere, si autem pertingat ad mortali: quia acceptio, & detentio alieni sunt eiusdem ordinis, & ratio nis, quod autem venialiter accipitur, venialiter detinetur, & ita sub veniali tantum est restituendum, quod vero mortaliter detinetur, & sub mortali est restituendū, vt vidimus sup. q. 62. ar. 4. & 6.

Sed queres: Quando multi ingressi vineam, intulerunt illi damnum in magna quantitate, vnoquoque in parua tantum sibi accipiente, ad quid isti tenebuntur? Vide sup. q. 92. art. 7. Interim dico, si omnes sint ingressi vno consensu, animo, & consilio, esse consortes, & complices, ac vnumquemq; esse causam illius damni, & peccare mortaliter, tenerique ad restituendum in integrum alijs non restituentibus, sicut diximus supra qu. 62. artic. 7. Quod si vnusquisq; eorum seorsum ingressus sit, furtum alterius ignorans, vnusquisque peccabit venialiter, durāteque illa ignorantia non tenetur restituere nisi sub veniali. Ita tamen vt si dominus vineę in eo casu excōmunicaret fures, teneretur tunc vnusquisq; restituere sub mortali suam partem, quia ligatur excommunicatione, deberque vnusquisque illorum eo ipso quo videt ferri illam excommunicationem, iudicare damnū graue esse illatum illi vineę, & excommunicationem illam esse iustam, quia sufficit vt iusta, sit vt feratur, vel pro peccato mortali eius qui excōmunicatur, vel pro vitando notabili damno alicui illato. Quod si omnes ingrediantur, licet non vt complices, sed videntes vnoquoque dānum quod domino vineę inferunt, tunc peccat vnusquisque mortaliter, & tenetur sub mortali restituere suam partem, quia videntes damnum illud, & nihilominus excercentes, vnusquisque est alteri consentiens, & coadiutor. Ita Nauar. cap. 17. & num. 131. & Medina com plu. loco cita.

Alterum quod pertinet ad hunc articulum est agere de supplicio capitali latronum qui sunt fures. In communi sermone maximè apud Hispanos sumuntur pro eodem fur & latro, in scholis verò, & in rigore ac proprietate sermonis latrones sūt, qui publicè in vijs aut cum violentia aliena rapiunt, quos & raptores, sicarios, grassatores, ac in uasores itinerum solemus appellare, quos iustè capite plecti ab omnibus conceditur, iudicatur quae sancta, & iusta lex quid pręcipit, si. de penis l. Capitalū. §. Grassatores & §. famosos. & hic est vsus omnium nationum, & gentium. Maior autem difficul-

difficultas est de fure, idest, de illo, qui occultè, & nulla illata vi accipit alienum, de quo etiam est communis opinio Doctorum, & certa, & D. Thom. hic ad secundum, huiusmodi furem si furetur in ecclesia, & publico ærario Reipublicæ, vel furetur hominem, aut equum iumentum iustè quoque occidi, quia sic furantes iudicandi quoq; sunt velut inuasores, & sicarij: quod etiam docet D. Aug. tractatu. 50. in Ioan. in illa verba, fur erat, & loculos habebat. Tota ergo quæstio est.

CONTROVERSIA IIII.

AN SIMPLICES FVRES, SI *ne vlla vi aliena rapientes, iustè suspendantur?*

SCotus in 4. dist. 15. quæst. 3. artic. 2. non solum vult huiusmodi furem nō debere suspendi, verum etiā nec id licere iudicibus, nec habere Rempublicam talem potestatem, sed esse omnino contra ius diuinum.

Ratio eius est: cum solus Deus sit dominus vitæ, & mortis, Respublica autem non habeat tale dominium in suos ciues, illos tantum potest Respublica delinquentes occidere, quos Deus cōcessit, & excepit ab illo generali præcepto non occides, alios verò poterit quidem aliqua pœna punire, non tamen occidere, at in tota sacra scriptura nullibi conceditur vt occidatur fur diurnus, sed solus nocturnus, Exod. 22. quia nocturnus cum accedat vt aggressor, & paratus percutere, ac occidere resistentem sibi, licebit iudicib. vt aggressorem, & insidiatorem occidere, diurnum verò, qui propriè, & simpliciter ac solum est fur, non licebit, imò est id iure diuino prohibitum. Sed hæc sententia Scoti est falsa, nititur enim falso fundamento, iudices, & Respublicas non habere authoritatem ad occidendos malefactores, nisi in Sacra scriptura expressos, quod quam falsum sit vidimus abunde. q. 64. artic. 2.

Ratio, quoque eius nullam habet vim, quamuis enim Respublica non sit dominus vitæ, & mortis suorum ciuium, sicut Deus, qui potest liberè pro suo beneplacito occidere, & suscitare, habet nihilominus authoritatem in vitam eorum quantum oportuerit ad bonum commune, quomodo potest in bello iusto exponere eorum vitam, & eadem ratione illos malefactores occidere, quorum vita est nociua bono communi, aliter non esset gubernationi humanæ, & bono Reipublicæ sufficienter à Deo, & natura prouisum. Quo etiam distinguit inter furem diurnum, & nocturnum non est omnino verum etiam cum quibusuis priuatis, vnde sicut priuatus non potest occidere furem nocturnum, nisi illum actu, & reuera videat vim sibi inferre, & rapere cum violentia, quomodo omnium consensu, est intelligenda illa lex, sic nec iudex furem eo solo nomine, quod nocturnus fuerit, non potest occidere, nisi probetur accessisse ad furādum cum vi, ac vt inuasor, aut fecisse furtum vel furta propter quæ etiam sit die illa fecisset, iuxta leges iustas est dignus morte.

Reiecta hac opinione, Alexan. Alens. 3. par. quæstion. 47. memb. 4. artic. 3. non negat esse in Republica, & iudicibus authoritatem ad occidendos malefactores, & fures, quando communi expedierit, suspendere autem omnes fures sicut in multis prouinciis fit, vel pro vno insigni, & notabili furto, vel pro tribus paruis, & iudicat inhumanum, & inique fieri, Idem docet Syluest. furtum. quæst. 3. & Eras. in illud ad Titum. 3. Hæreticum hominem post vnam vel alteram admonitionem deuita. Ait: Iurisperiti ignorantes vim vocabulorum fures, occidunt. Dico Syluest. esse in hac sententia, & non in opposita vt aliqui arbitrantur, quia loco citato particula. 4. ait, latrones tantum etiam simplices iustè puniri morte, secundum communem consuetudinem, quam approbat necessitas Reipublicæ, nihil autem tale dicit de furtibus: Quod si dicas fures esse illos, quos vocat latrones simplices, hoc decepit aliquos. Sylu. enim & alij Doctores latrones tantum vocant aggressores viarum, & vi rapientes; quorum quidam sunt capita, & duces, qui absolutè vocantur latrones, & sicarij, alij sunt istorum ministri, & socij inferiores, & hi dicuntur simplices latrones. Dubitarunt aliqui an hi inferiores latrones sint etiam capite plectendi, docet Syl. hos etiam occidendos esse, & iustè occidi; secundum communem consuetudinem, quam approbat necessitas Reipublicæ, quia sunt etiam hi publicè nocentes. Quem sensum, contextus eiusdem Syluest. præter propriam vocum significationem insinuat, ait enim secundum communem consuetudinem, non autem est communis consuetudo fures occidere, sed verberare, & triremibus tradere, nec hi adeo Reipublicæ nocent, sed illi sicarij qui sunt latrones itinerum, quos omnes gentes occidunt, recepta vbique consuetudine, velut maximè nocentes Reipublicæ. Vnde si bene Sylu. expendatur, & intelligatur ad sententiam reuera Alensis accedit.

Probatur autem hæc sentētia variis rationibus.

Primò sic, Pœna non debet esse maior culpa, imo minor, Deut. 22. Secundum mensuram delicti, &c. Sed mors maior pœna est, quam habeat in se culpæ quodcunque furtum simplex, cum furtum sit nocumētum in bonis temporalibus, mors autem omnium malorum terribilium, cum sit in vita, quæ adeo præstat omnibus bonis temporalibus.

Et confirmatur, Etenim cum apud Christianos, & in lege Euangelica bona temporalia sint contemnenda, adeo vt dicat Christus vt petenti tunicam dimittamus, & pallium, pro bonis temporalibus aliquem vita priuare videtur iniquum.

Secundo, furi non est assignanda pœna, nisi aliqua lege taxata sit, at iam iure diuino quam humano non imponitur furi pœna capitalis, in Sacra enim Scriptura non imponitur nisi pecuniaria, vt restituat quod ablatum est, vel in duplo, vel in quadruplo, pro ratione furti, in lege humana Pontificia nihil habetur, In lege ciuili licet antiquitus essent aliquæ leges quo furibus pœnam capitis imponebant, postea tamen vt crudeles, & atroces sunt reuocatæ, vt patet in l. Sed in nouo iure. Cod. De seruis fugitiuis. in Autentica, Vt nulli iudiciū liceat. §. vlt. in l. Capitalium. §. Famosos. ff. de pœnis Quibus consonat lex Castellæ, partit. 7. tit. 14. lege 18. in quibus omnibus habetur fures non esse pro furibus occidendos. Et iuxta ea quæ hic habet D. Tho. ita ætate ita obseruabitur.

Tertiò, leges humanæ recedentes à dictamine rectæ rationis naturalis iniquæ sunt, recta autem ratio hoc dictat, vt fur puniatur quidem, non tamen vt occidatur, quia iuxta dictamē rectæ rationis, cum vita corporalis proximi sit præferenda nostris bonis temporalibus, non est suspendendus fur aut priuādus vita pro ipsis, Et cōfirmatur Gen. 44. Vbi cū dispensator domus Ioseph. arguerer

set fratres ipsius de furto sciphi aurei, dixerit illi fratres Ioseph: apud quemcunq; fuerit inuentum quod quæritis moriatur. Ille autem quasi secutus dictamen rectæ rationis naturalis non admisit tale supplicium. [Sed apud quemcunque, inquit, inuentum fuerit, erit seruus meus.

Quartò, qui dicunt fures iustè posse occidi pro furtis, non admittunt id in omni casu, sed tantum cum multiplicant furta, vel committunt aliquod insigne, & notabile, & hoc quia talia furta, vel insigna, vel multiplicata æquipollent rapinæ, vnde debent puniri, velut raptores. Sed hæc ratio est nulla. Primò, quia rapina fit cum violentia, estque de intrinseca ratione eius (vt vidimus) fieri cum vi, furta autem simplicia, de quibus loquimur, fiũt sine vlla violentia, imo secreto, caute, & cum pauore. Secundo, raptor, & sicarius non gaudet immunitate Ecclesiastica, fur verò quantumcunque multiplicet furta, vel committa insignia, non prohibetur illi gaudere. Denique lex grauiora tantũ peccata solet punire pœna mortis. Furtum verò est minimum inter omnia peccata, vt constat.

Baldus, & Paulus de Castro in legibus citatis, & infra citandis tenent licere occidere furem pro vno insigni furto, vel pluribus repetitis. Idem docuerunt ex nostris Maioris in 4. dist. 15. quæst. 17. Medina Cod. de restit. quæst. 4. Driedo de liber. Ecclesiastica, pag. 115. Castro libro primò de leg. pœnali cap 6. & omnium copiosè Couarru. libro variarum resolu. cap. 6. nu. 7. Fundamentum horum est, ita expedire bono communi: Experientia enim teste, quando, & vbi alijs pœnis puniuntur, ita vt non occidantur, nunquam corriguntur, nec timẽt, sed omnia replentur furtis.

Soto loco cit. nihil certum de hac re dicit, nec videtur audere explicare mentem suam. Habet enim tria. Primum licere Reipublicæ occidere delinquentes, pro vt ipsi expedierit, quod autem sit delictum adeo graue, vt mereatur supplicium capitale, non apparere rationem, imò ius commune id negare in legibus à nobis adductis pro opinione Alensis secundò argumento. Secundò reprehendit Baldum tanquam authorem huius supplicij, & doctrinam ipsius ostendit in multis peccare, Primò inquit, quod furtum ter repetitum æqui ualeat latrocinio, & furtum insigne æquiualeat furto triplicato, & consequenter sit occidendus fur, vel pro vno furto insigni, vel pro triplicato admittendum non est, nam vt vidimus vltimo argumento opinione Alensis, nullo modo furtum æqui ualet latrocinio, & rapinæ, cum de huius essentia sit vis, & priuet immunitate Ecclesiastica, in furto autem nulla sit vis, neq; priuatio immunitatis Ecclesiasticæ. Secundo cum asserit Baldus iudicibus licere, (etiam si leges suæ prouinciæ non assignent mortem furibus) exercentem furtum insigne, & graue occidere, & propter enorme delictum leges transgredi, Peccat inquit Soto, in duo: Primò, quia aut licere, nam transgredi leges peccatum, id autem quod peccatum est licere, est aperta contradictio. Secundò, quia vt vidimus quæst. 60. atti. 5. Iudex tenetur in vtroq; foro iudicare secundum leges scriptas, nec potest eas sine graui peccato excedere, maximè in pœnalibus. vnde si lex non statuat furi pœnam capitalem, non habet iudex authoritatem ad imponendam, etiam si in Baldo, vel alio quocuoque Doctore legat posse furem occidi, quia debet omnino iudicare secundum leges scriptas, opinio autem huius vel illius Doctoris, imo nec plurimum non habet vim legis, nisi vel authoritate, & statuto Principis vel communi, & approbata consuetudine, quæ habeat vim legis recepta fit. Denique in fine vbi videtur Soto, iam propriam mentem explicare, fatetur esse communem vsum occidendi fures, & legibus Hispaniæ receptum. lib. 4. fori Regalis. tit. 15. l. 6. Sed an talis vsus vel lex sit iusta, vel iniusta, non explicat apertè, sed solũ admonet, ne lex ista obseruetur, quatenus statuit, vt qui accipit 40. dipondios, id est, marauedis nonies illa soluat, quod si secundo, & iterato idem furtum committat, vel dimidij aurei, occidatur: quia in hac parte (inquit) lex ista adeo rigida est, vt sit iniqua, & inhumana: quę si bene insinciatur, aut nil certum docet Soto, aut certè accedit non ad opinionem Scoti, vt quidam suspicantur, cum fateatur esse in Rep. authoritatem occidendi fures, sed ad opinionem Alensis.

Ad intelligentiã huius quęstionis obseruemus, docere quidem ipsum ius naturæ malefactores esse puniendos, cum Respu. præmin, & pœna contineatur, non tamen assignare quantitatem, vel modum punitionis, sed id reliquisse legibus, & prudentiæ Gubernatorum: leges autem pro varietate temporum, & malitia hominum assignate varios modos puniendi fures. Moyses Exod. 22. præcepit vt fur pecuniæ redderet duplum, fur ouis redderet quadruplum. Tempore Salamonis crescente hominum malitia, & furtis assignata fuit pœna in septuplum. Prouer. 18. Apud Geotikes, in quibusdam prouincijs occidebantur pro notabili furto, vel multis repetitis, in alijs manebat fur seruus domini rei acceptæ. Ita refert Aulus Gelius lib. 11. noctium Atticarum. c. vltimo. obseruasse Romanos, & apud Aegyptios eundem fuisse vsum, locus ille Gen. 44. adductus pro opinione Alensis argumento. 3. satis apertè insinuat, In iure communi antiquo occidebantur fures, deinde in legibus citati. 2. arg. Alensis, id reuocatum est, & præceptum, vt verberentur pro primò furto, pro secondo signentur in fronte ferro candenti, pro tertiò vel insigni tradãtur triremibus: Et sic obseruatur vsque hodie apud Italos, & prouincias illis vicinas, quarum plesæque iure communi, & imperatorio gobernantur. In Regnis Castellæ antiquitus prohibebantur fures occidi, vt constat ex lege 18. partit. 7. tit. 14. Deinde vero crescente furtorum numero, & furum insolentia, cum viderent non imminere sibi vltimum supplicium; cautum est, vt pro insigni furto aut pro tribus vel pluribus repetitis suspendantur: hoc ordine, vt prima vice soluant pro vna parte rei acceptæ nouem, vel flagellentur secunda vice abscindantur eis aures, & nisi recipiscant, id est, tertia vice occidantur, vt habetur lib. 4. fori regalis. tit. 55. libro 6. vel tradantur triremibus iuxta qualitatem delicti. Quibus similes sunt leges nostri Regni, & sic apud nos obseruatur: nisi primum furtum insigne sit, quia sita le est, & pro primo suspenduntur. Et in legibus quas vocant de la Hermanda l. 2. plectuntur modò abscissione manuum vel pedum, modo fagittarum ictuum. Nec mirum in puniẽdis furib. leges prouinciarum adeo varias esse, hominum enim malitia ita exigente, pro varietate temporum mutandæ sunt, nec aliter rectè, & prudenter Respu. gubernantur, quod non modo in ciuilibus, verum etiam in Ecclesiasticis legibus videmus accidere, vt patet cap. Alma mater. de sententia excommunicationis. suspensionis, & interdicti.

Obseruemus secundò, teste experientia, alias pęnas à capitali fures cõiter non timere, nec retrahi à sua iniquitate nisi solo timore mortis. Ita videbimus in prouincijs in quibus non occiduntur omnia

omnia abundare furtis & in Hispania nostra ætate persuasus à quibusdam, quibus opinio Alensis placebat, æquissimus Rex noster Philippus II. constituit pragmaticam, ne fures suspenderentur, sed flagellarentur, & tandem traderentur triremibus: qua pragmatica videntes sibi non imminere mortem creuerunt adeo fures, & latrocinia, vt oportuerit illam reuocare, ac statuere, vt leges illæ prioris fori redirent in suam vim, & obseruantiam, occidanturque fures: Quæ pragmatica sic correcta habetur in noua recopilatione legum regni. p. 2. lib. 8. tit. 11. lib. 8.

Obseruemus vltimò, quod statuunt leges nostri regni vel similes, vt prima vice flagellentur, secunda, abscindantur eis aures: tertia, occidantur, non esse efficiendum pro quibusuis furti, sed pro grauibus, & quæ malitiam ostendunt, ita vt quando peruenitur ad tertium, tale sit, vt prudenter indicet incorrigibilitatem. Quia tota ratio, ob quam licet fures grauiter punire, & occidere, est bonum commune, & iuxta damnum quod inferunt bono communi suis furtis, puniendi sunt, neque enim qui ægestate oppressus, & non ex malitia furatur, ita puniendus est sicut qui ex vitio, & malitia, in quo oportet iudices plurimum prudentia, & maturitate vti, nec sunt leges adeo graues statim, & temere exequutioni mandandæ.

His positis dico opinionem tertiam, quæ inter Doctores communis est, esse probabiliorem, seruata ea maturitate, & prudentia quam statuimus in tertia obseruatione.

Et confirmatur hæc opinio: Primò, Expedit maximè bono communi, vt delinquentes incorrigibiles, & perturbantes Rempub. tollantur, sicut in corpore humano pars insanabilis, & alijs nocens resecanda est, sed communiter multiplicantes furta, vel committentes aliqua insignia, sunt incorrigibiles, ergo tanquam ita expediés bono communi tollendi, & occidendi. Minor probatur, quia ipsa multiplicatio furtorum docet eos raro emendandos, maximè si iam simul sint semel ac iterum puniti verberibus, & auribus. Committens quoq; insigne furtum censendus, est incorrigibilis, cum incipiat, vbi alij antiqui fures solent desinere.

Secundò, supplicium, & pœna non solum dicit ordinem ad culpam delinquentis, verum etiam ad timorem incutiendum, & ipsi delinquenti, & alijs, ne simile audeant perpetrare: pœnæ namque temporales hoc differunt ab æternis, vt hæ sint tantum punitiuæ, temporales verò huius vitæ, & punitiuæ, & medicinales, propter quod pœna non est iniusta, etsi videatur excedere culpam, si ita oporteat ad incutiendum timorem, & delinquenti, & alijs, sed experientia teste fures non emendantur per aliàs quascunque pœnas, nec cessant à furtis nisi solo timore mortis, iustè igitur vt emendentur, & timeant, tàm ipsi quam cæteri, quod maximè expedit bono communi, & quieti Reip. occiduntur.

Tertiò, ex D. Thom. & D. Aug. tractatu illo. 50. in Ioan. Furans ex Ecclesia, vel ærario publico est occidendus, propter malitiam, quàm includit tale delictum, sed sæpè furta ex priuatis domibus, quæ non habent illas circumstantias loci sacri, vel publici, sunt grauiora, & includunt maiorem malitiam, inferuntque grauius damnum, vt videmus passim, ergo.

Quartò, ex D. Thom. hic, furtum, & quodcunque aliud peccatum nisi enorme sit, vel inferat damnum irreparabile, non est morte puniendum, sed consuetudo furandi, & insignia furta inferũt Reip. damnum irreparabile, habentq; in se enormitatem, dignus ergo est fur, qui insigne committit, vel multa repetit, qui morte plectatur. Neque essent tot leges à prudentibus legislatoribus statutæ, nisi bonum commune, & Reip. quietem vidissent exigere illos è vita tolli.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum concedo maiorem, & nego minorem, non enim imponitur furi mors pro furto tanquam pro re illa accepta, sed pro bono communi, vt ipsi, & alijs timor incutiatur, quod bonum præstat vitę ipsius.

Et ad confirmationem dico, Christianos contemnere bona, nec præferre illa vitæ furis, sed præferre illi bonum commune, & pacem Reip. quæ exigunt ipsum occidi.

Ad secundum dico multis legibus supplicium capitis esse furi impositum, vt constat, quæ, cum ita exigat bonum commune iustæ sunt, vbi autem nulla talis lex existeret, non posset iudex furem occidere, sed deberet vti alijs pęnis iuxta leges suæ prouinciæ. Ad leges autem quæ contra adducuntur, cõstat iam ex prima obseruatione posita, pro varietate tẽporum mutatas esse leges, & quibusdam temporibus vel prouincijs illos non occidi, alijs autem occidi: sola enim lex naturalis, & diuina non mutantur, humanæ verò pro varietate temporum varias quoque suscipiunt mutationes.

Ad tertium respondeo esse maximè consonum rectæ rationi, vt occidantur fures eo modo, quo expositum est, non enim quando occiduntur præferuntur bona temporalia vitæ ipsorum, sed pax publica, & bonum commune, quæ non possent haberi, nisi ipsi occidantur. Ad locum illum. Gen. 44. dico fuisse tunc illam consuetudinem apud Aegyptios, quia tunc illud supplicium sufficiebat, deinde verò mutata sunt supplicia pro varietate temporum.

Ad vltimum dico non esse illam rationem fundamentum nostræ conclusionis, quamuis illam constituat Baldus, propter quod meritò repræhenditur à Soto, sed hanc, furtum insigne, vel furta multiplicata perturbare pacem publicam, ita expedire maximè bono communi, vt tales fures è medio tollantur. Et ad id quod dicitur de fure confugiente ad Ecclesiam, dico iuxta iura gaudere ipsum ista immunitate, vsu tamen iam recepto, & meritò illa non gaudere. Tandem videamus de grauitate furti, est enim quæstio.

AN FVRTVM INTER omnia peccata, quæ sunt contra præcepta decalogi, sit omnium minimum?

MArtinus de Magistris in suo opusculo de temperantia quæstio. quarta, vult fornicationem esse leuius peccatum furto, Primò quia furtum est intrinsecè malum, fornicatio verò est mala, quia prohibita Deut. 23. & Eph. 5. Secundò furtũ contrariatur iustitiæ, fornicatio temperantiæ iustitia autem est præstantior virtus, quàm temperantia estque grauius peccatum, quod excellentiori virtuti contrariatur. Tertiò, furtum expressè, & determinatè prohibetur in decalogo: Fornicatio autem non expressè, sed sub nomine mœchię, quę propriè significat adulterium. Vltimò, nulla fuit natio adeò barbara apud quem furtum non sit iudicatum

dicatum

dicatum malum, & illicitum, multæ autem nationes non iudicarunt fornicationem simplicem illicitam: quod argumento est iniquius esse furtum, & plus malitiæ habere.

Oppositum docet D. Tho. q. 154. art. 3. Vbi nota primò, asserere fornicationem simplicem non esse intrinsecè malam, & contra ius naturæ, esse proximum hæresi, quia ex eo sequitur gentibus ante legem scriptam non fuisse scelus, & peccatū, nec post legem paganis, quibus non fuit data lex scripta, nec ad eam tenebantur: quod tamen est falsum, quia fornicatio est à seipsa in detrimentū futuræ prolis, & ideo intrinsecè mala. Sed dices, occisio hominis non est intrinsecè mala, quia potest bene fieri, nempe iubente Deo, vt in Abrahā, sed iubente Deo, potest etiam inferri damnū proli futuræ, ergo non est intrinsecè malum inferre damnum tali proli, & consequenter nec fornicatio est intrinsecè mala.

Respondeo posse quidem, iubente domino, inferri damnum proli, non tamen per hoc medium, nempe fornicationem, sicut licet, eo iubente, alteri nocere in fama, non tamen per mendacium.

Secundò dico, fornicationem esse grauius peccatum furto ex genere suo, quia grauitas peccatorum simpliciter, & ex suo genere sumenda est ex obiecto, & cum malum fornicationis sit detrimentum vitæ, & educationis prolis futuræ; furtū verò noceat in bonis temporalibus, quibus adeò præstant vita & educatio, ideo fornicatio est grauior culpa furto. Et confirmatur ex pluribus, & grauioribus damnis, quæ experientia teste sequūtur ex fornicario concubitu, quàm ex furto.

Tertiò dico, licèt fornicatio absolutè, & ex genere suo sit grauius delictum quam furtū, interdum tamen in indiuiduo; & singulari dari posse aliquod furtum grauius fornicatione, vel ratione quantitatis furti, vel ratione aliarum circumstantiarum, vt furari mille aureos grauius est, quàm accedere ad solutam, imò & ad coniugatam. Tandem dico, furtum ex suo genere esse minimū eorum, quæ committuntur contra præcepta decalogi, cum bona quæ læduntur per furtum, sint minima bona eorum, quæ prohibemur lædere alijs præceptis.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum, cōstat esse errorem, asserere fornicationem, nō esse intrinsecè malam, & contra ius naturæ.

Ad secundum respondeo, fornicationem esse quoque contra iustitiam, cùm lædat nasciture proli, quamuis propriè & præcipuè sit cōtra temperantiam, quia est in materia temperantiæ.

Dico secundò, licèt iustitia sit præstantior virtus, quàm temperantia, non propterea quemcunque actum iustitiæ esse præstantiorem quocunque actu temperantiæ, nam præstantior actus est obseruatio castitatis, quam vendere olera iusto pretio: cuius ratio est, quia quando fit comparatio inter virtutes, tantum fit inter genus & genus, & inter præstantissimum actum vnius, & præstantissimum actum alterius.

Ad tertium negatur consequentia, grauitas enim peccatorum non est sumenda penes maiorem declarationem decalogi, alioquin vitium indicibile esset leuis furto, cum illud genus peccati non expressè declaretur, aut prohibeatur in decalogo.

Ad vltimū respondeo, quamuis in furto sit manifestior iniquitas, in fornicatione tamen esse maiorem, quia lædit maiori bono.

ARTICVLVS VIII.

An constitutus in extrema necessitate possit accipere aliena sibi necessaria.

OBseruemus, triplicem esse necessitatem: communem, grauem, & extremam. Communem patiuntur pauperes ostiatim petentes, grauē, qui non habent necessaria suo statui, etsi non præmātur fame, vt qui nō habet vndè soluat debita, aut constituat dotem filiæ: Extremam qui non habet, quæ suæ sustentationi, & victui sunt omnino & simpliciter necessaria, & quorum defectu probabiliter incidet in infirmitates periculosas vitæ & saluti, non enim dicitur extrema necessitas proximum periculum mortis, sed defectus, & indigentia eorum, quæ ad sustentandam vitam sunt omnino & simpliciter necessaria. Inter has necessitates hoc interest, quod grauis non reddit res communes, quia natura non constituit status hominū, sed omnes fecit pares. Extrema verò necessitas reddit res communes. Etenim cum iure naturæ vnicuique datum sit, se & vitam suam tueri, & vti rebus ad illam necessariis, cui iuri nullum aliud ius gētium, vel ciuile potest derogare, rerum autem diuisio, & appropriatio non fit à iure naturæ, sed à iure gentium, efficitur, vt si cui superueniat extrema necessitas, quæ illi ad eam leuandam, & tuendam vitam necessaria sunt, reddantur communia, sicut in illo primæuo statu naturæ, ante omnem rerum diuisionem, vel appropriationem.

Obseruemus secundò, non pati extremam necessitatem eos, quibus licet mendicare, viros autē nobiles, & honoratos, quibus id non licet, quando deest ipsis necessaria sustentatio, illam pati similiter qui in hoc loco, vel tempore non habet, habet tamen in alio loco, vel certò sperat se habiturum in alio tempore, hic etsi pro tali loco, vel tempore indigeat, simpliciter tamen non indiget extremè, cum non sit simpliciter & absolutè pauper, sed possit ei per accommodatum subueniri, tenebiturque cum ad pinguiorem fortunam venerit restituere. Extremam ergo necessitatem patitur, qui nec mendicare valet, nec suo labore victum quærere, nec habet alibi, nec certò sperat se habiturum, egetque omnino necessariis ad vitā. Ita D. Thomas hic, & Quolibe. 5. artic. 17. Ex quo sequitur periculum famæ, vel honoris non esse extremas necessitates, cum ista non sint necessaria sustentationi vitæ: nec periculum pudicitiæ, quia ad tuendam pudicitiam non est medium ordinatum aliena rapere, sed Deo se commendare, & occasiones tollere, & pati potius quoduis detrimentum temporale, quàm illam violare.

CONCLVSIO I.

Constitutus in extrema necessitate potest sibi necessaria accipere sine vllo peccato furti, vel rapinæ, non solum secretò, verum etiam publicè, & per vim, quando aliter non potest.

PRobatur prior pars. In extrema necessitate, quæ alteri abundant, & mihi sunt necessaria, sunt mihi communia, sicut ante omnem rerum diuisionem, vel appropriationem: in illo autem primo statu, in quo erāt omnia omnibus communia, licebat cuique accipere sibi necessaria, nec propterea

pterra alteri aliquam iniuriam inferebat, ergo simili modo in extrema necessitate.

Secunda pars licere publicè, & per vim, difficilior est, quia vim vi repellere tunc solum licet, quando alter me aggreditur: diues autem qui extremè indigenti non subuenit, etsi peccet, & agat crudeliter, nullam tamen vim infert pauperi, nec eum aggreditur.

Secundò, qui opprimitur per calumniam, & cū periculo vitę, non potest per vim se tueri, quia calumniator ille, etsi inique agat, non tamen ipsum aggreditur, nec actu infert ei vim (vt supra docui mus) ergo similiter in hoc casu.

Nihilominus docet hic D. Thom. & verè, extremè indigentem posse accipere sibi necessaria, non solum occultè, verum etiam palàm, idest publicè, & domino reclamante, ita interpretantur D. Thom. Soto lib. 5. q. 8. artic. 4. & omnes Thomistæ. Et probatur. Ius quod habet vnusquisque ad tuendam propriam vitam est ius naturæ, & adeo strictum, vt nulla alia iura illi valeant derogare, diues, qui prohiberet extremè indigenti accipere sibi necessaria, impediret illi hoc ius, & haberet se velut resistens, & prohibens per vim, ne ille pauper suis vtatur, vnusquisque autem potest tueri suum ius per vim contra resistentem, & accipere sua per vim contra impedientem, potest ergo pauper vi, & publicè velut vtens iure suo, & sua accipiens per vim accipere sibi necessaria.

Secundò, si nulla esset adhuc facta rerum diuisio, sed omnia manerent in cōmuni, vt in illo primo statu naturæ, posset indigens ea illis accipere sibi necessaria, & se impedientem per vim, vi etiā repellere, sed si modo adueniat extrema necessitas reuocantur res quantum ad ea, quibus iste indiget ad illum primæuum statum naturæ, fiuntq; ipsi communia, ergo potest ea publicè accipere, & impedientem vi repellere.

Ad argumenta verò in oppositum. Ad primum dico, illum, qui mihi extremè indigenti non subuenit cum possit, nec concedit, vt accipiam, quæ meę vitę sunt omnino necessaria, nec alia via possum habere, perinde se habere, ac si me iure meo per vim expoliaret, mortemque inferret, iuxta illud: quem non pauisti, occidisti, vnde possum illa mihi adeò necessaria per vim quoque accipere. Vbi obserua, quando dicitur in iure ciuili extremè indigentem non debere accipere sibi necessaria, quin prius adeat publicum magistratum, intelligendum esse, quando id commodè fieri potest, nec est periculum in mora, quia potest, & debet authoritas publica diuites tunc compellere, quod si sit periculum in mora, tunc licet publica, & per vim accipere, vt docet hic D. Thom. sicut si inferentem mihi vim possum commodè per iudicem repellere, debeo adire iudicē, sin minus, manu propria vim vi repellam.

Ad secundum dico, plurimum ista differre, nā in extrema necessitate temporalia bona sunt communia, & eorum acceptio, & vsus est medium ordinatum ad subueniēdum illi, propter quod possum illa per vim accipere, quando impedior, vitā autem alterius non est mihi communis, neque medium ordinatum ad me tuendum calumnia, & ita non possum illi vim inferre, sed debeo per testes, & iuridicè quantum potero me à calumnia imposita purgare.

CONCLVSIO II.

Propter grauem necessitatem non licet accipere alienum.

PAtet, quia grauis necessitas, vt constat ea prima obseruatione, non reddit res communes, nec tribuit aliquod ius in aliena.

CONTROVERSIA I.

QVO IVRE, VEL TITVLO liceat extremè indigenti aliena sibi necessaria accipere.

ADuersus conclusiones propositas nonnulla sese offerunt.

Primò, sicut prohibetur sexto præcepto fornicatio, ita & tertiò furtum, sed non licet pro extrema necessitate salutis fornicari, ergo nec furari.

Secundò, necessitas quæ sæpe se offert viatoribus non est extrema, sed grauis: at sæpe viatores accipiunt vuos, & alios fructus, nec talis acceptio iudicatur iniqua, vel furtum iam igitur cum sola graui necessitate licet accipere alienum.

Tertiò, furtum est acceptio rei alienæ domino irrationabiliter inuito, sed in graui necessitate dominus rei irrationabiliter est inuitus, & dissentit ne accipiatur, ergo. Maior certa est. Probatur minor. Tunc dominus est irrationabiliter inuitus, quando dissentit cum deberet consentire, & peccat non consentiendo, sed quando pauper grauiter indiget, debet diues ex præcepto charitatis cōsentire, vt accipiat sibi necessaria, peccatque mortaliter non dando illi ex superfluo suo statui, ergo. Quarta si extrema necessitas faceret necessaria ita communia, vt egens posset, & cum vi illa accipere tanquam sua, quia impediret, peccaret non solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam, & teneretur restituere, at dominus rei, qui nec illam confert, nec illam patitur ab indigente accipi, sed impedit, à nemine obligatur ad restituendum, ergo.

Et confirmatur, quia etiam si non sint indigentis, sed communia tantum, qui illa possidet debebat tunc se habere, vt distributor, distributor autem qui communia non distribuit, iis quibus distribuenda sunt, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere.

Hæc suo ordine diluemus. Ad primum, dicunt multa Iuristæ in c. si quis furtis. Glossa habet, in extrema necessitate licere accipere, quia tunc res sunt communes, non tamen licere fornicari, quia extrema necessitas nunquam facit mulieres communes. Panor. verò & Ioan. And. in eodem cap. respondent, axioma illud in extrema necessitate, omnia esse communia, intelligendum esse de rebus, quæ sunt fructus, & bona temporalia, creaturam autem humanam, & rationalem, vt mulier non esse fructum.

Tertia solutio est, fornicationem non esse medium per se ordinatum ad conseruationem vitæ, ideo neque in extrema necessitate salutis licere, res autem alienas esse medium per se ordinatum ad leuandam istam necessitatem, & ideo licere illas accipere, quia cuique licet vti medio per se, & iure naturæ ordinato ad aliquem finem. Ita Dec.

in l. quæ propter. ff. de reg. iur. & D. Thom. q. 62. art. 7. ad 4. Dicunt alij, Deum nunquam dispensasse in præcepto non fornicandi, & ideo non licere: dispensasse autem aliquando in præcepto furandi, veluti cum Ægyptijs, & ideo licere, quando sese offert extrema necessitas, & esse tunc quandam dispensationem iuris naturæ, qua tenemur vitam tueri. Ex his solutionibus colligo, fornicari, & accipere aliena in extrema necessitate multis modis differre.

Primò, quia fornicari non est medium per se ordinatum ad tuendam vitam, accipere autem sibi necessaria est quidem.

Secundò fornicari est omnino, & intrinsecè malum, ac omnino, & in vniuersum prohibitum, accipere autem alienum non est intrinsecè malum, vt accipere gladium à furioso non est prohibitū illo septimo præcepto, quia eo prohibetur acceptio rei alienæ iniquè, & contra dictamen rectæ rationis, & quæ fit domino rationabiliter inuito, in extrema autem necessitate, qui accepit, quæ sibi omnino necessaria sunt, non accipit alienum, sed quod sibi commune est, & quod dictat recta ratio, tunc accipi posse ad vitam tuendam, ita vt dominus rei, qui tunc dissentiret, esset irrationabiliter inuitus.

Tertiò, qui fornicatur accedit ad non suam, quod est omnino illicitum, mulier enim non est viri, nisi per solum matrimonium, quia mulieres, neque in extrema necessitate salutis redduntur communes, at qui accipit res temporales sibi necessarias in extrema necessitate, accipit, vt constat res suas, & per talem necessitatem redditas communes.

Ad secundū respondeo, viatores accipere vuas in moderata quantitate, nec ad vendendum, aut extrahendum: hoc enim iam esset furtum, & peccatum, sed ad comedendum tantum, quod eis licet, quasi ex tacito consensu dominorum vinearum, interpretatiuo ex communi vsu, & recepta consuetudine omnium locorum. Ita Couar. Reg. peccatum. par. 2. §. 2. num. 3. adducitque Ripam, Gandinū, & alios. Idem est dicendum de aliis fructibus, vbi abundant, & est consuetudo accipiendi illos in quantitate moderata, quæ consuetudo iam erat in veteri lege, in qua licebat accipere vuas, & spicas intra sata, nō autem foras deferre.

Ad tertium dico, diuitem esse irrationabiliter inuitum in graui necessitate, contra charitatem, nō autem contra iustitiam, sicut non tenetur subuenire ita indigenti ex iustitia, sed ex sola charitate: Quo fit, vt in graui necessitate accipere, etiā si dominus rei teneatur dare, sit furtū. Sed dices, ergo eodem modo, neque in extrema necessitate licebit accipere, cum in tali quoque necessitate diues non debeat ex iustitia, sed ex sola charitate.

Respondeo primò, in extrema necessitate reperiri etiam quoddam ius iustitiæ, quia supremum infimi attingit (vt aiunt) infimum supremi, cum ergo subuenire in extrema necessitate sit suprema obligatio, quæ nascitur ex charitate, non subuenire accedit ad quoddam genus iniuriæ, & iniustitiæ, habetque nonnullas conditiones iniustitiæ, propter quod possunt iudices, & gubernatores cogere diuites ad huiusmodi subuentionem.

Dico secundò, cum in extrema necessitate fiant res communes, pauperem habere ius in illas, & cōsequenter diuitem ex quadam iustitia debere illi dare, sicut distributor ex iustitia tenetur distribuere, communia quod non est in graui.

Dico tertiò, ius naturæ, quo quis vitam suam tueri potest, & debet, adeò strictū esse, & efficax, vt in eo cessent omnia alia iura, & dominia, quod non est in graui, & ita accipere in graui esse furtum, quia manet adhuc cuique peculiare dominium suæ rei, in extrema verò non esse furtum, quia cum sint tunc omnia communia, videtur cessare tunc tale dominium, circa ea, quæ egenti sunt omnino necessaria. Vbi diligenter obseruandum est, consensum debitum non operari eundem effectum, quem operatur consensus elicitus, verbi gratia, debet mihi prælatus meus concedere aliquam facultatem, negat tamen illam, non quia debebat habeo illam. Debeat quoque aliquis consentire in matrimonium cum hac fœmina, si non consentiat, non est matrimonium: Sic in proposito, debet quidem in graui necessitate diues consentire, vt pauperi ex suis bonis subueniatur, at si non consentiat, non potest pauper accipere, quia grauis necessitas nō facit ipsi res illas communes, in extrema autem non solum debet consentire, sed rum etiam si non consentiat, potest nihilominus accipere, eo quod talis necessitas efficit ipsi res illas communes.

Ad quartum respondeo, impedientem per fraudem, vim, vel dominum, nisi sit dominus rei, teneri ad restituendum, quia intulit damnum cum iniuria, cum habeat vnusquisque ius, ne sibi impediantur per fraudem dolum, qua licitè potest accipere, vt quæ liberè ei dantur, aut leguntur in testamentis, vt vidimus quæst. 62. & multò potius, quæ alius tenetur ipsi dare: Diues autem non tenetur restituere, quia non peccauit contra iustitiam, sed contra solam charitatem: quamuis enim pauper habeat illud ius naturæ tuendi vitam, videaturque inferri ipsi quædam iniuria, non confe rendo, nihilominus non debetur illi propriè ex iustitia, nec propter necessitatem eius amittit diues dominium suarum rerum, nec pauper donec eas accipiat habet dominium in illas, sed quando illis subuenitur à diuite. Estque subuentio illa verè eleemosyna, non solutio debiti, aut restitutio rei retentæ suo dominio.

Sed dices in extrema necessitate res fiunt communes, at qui non distribuit communia vt debet, peccat contra iustitiam, ergo diues non dans in tali necessitate egenti peccat contra iustitiam.

Secundò, qui accipit alienum, nisi debitum ei sit, & tanquam suum, committit furtum, extremè indigens accipiendo alienum non committit furtum, ergo est ei debitum & suum. Est suum & debitum, ergo diues non dans peccat cōtra iustitiā.

Ad hæc respondeo. Ad primum, in extrema necessitate res esse communes quo ad vsum, nō quo ad dominium, & ita peccat diues, qui tunc non confert, non tamen agit iniustè, nec tenetur restituere, quia pauper non acquirit illorum dominiū.

Dico secūdò, hoc dictum in extrema necessitate omnia esse communia non significare, omnium dominio esse subiectas, vel mutare dominos, sed licere patienti extrema necessitate accipere sibi necessaria, apud alios possessa, & per talē acceptionem effici illi propria, sicut quando in illo primæuo statu erant res communes, & qui primò occupabat illa acceptione efficiebat illas sibi proprias.

Ad secundum dico, ita accipientem non committere furtum, quia accipit tanquam ex communibus, & indiuisis, quamuis non sibi ex iustitia debitis, sed ex sola charitate. Sed quæres hic.

AN EXTREME EGENS *possit renunciare iuri suo, & pati potius mortem, quam aliena accipere.*

RESpondeo quicquid alij sentiant, neminem posse renunciare iuri tuendæ propriæ vitæ nisi de iusta causa, & ad exercendam aliquam virtutem: Vt qui vult pro amico vitam exponere potest, quia tunc exercet actum fortitudinis, & amicitiæ, quæ verè est quædam virtus moralis: vnde quando extremè egens potest accipere sibi necessaria cautè, fine vlla vi, aut perturbatione, tunc non potest renunciare iuri tuendæ propriæ vitæ, quia nullius virtutis causa tunc illam exponeret, at quando nō posset accipere nisi publicè, & per vim, tunc potest renunciare illi iuri, & velle potius pati mortem, quàm vim illam inferre, exercebit enim tunc actum excellentissimæ virtutis, nempe pacis. Est etiam quæstio.

QVANDO PAVPER EST *in extrema necessitate, cui multi subuenire possunt, licebit ne alicui eorum accipere à singulis suas partes, vt vnà cum suâ subueniat illi, ita indigenti.*

VIdetur licere, quia in hoc casu facit iste diues, quod alij tenentur, & in quod debent alij consentire, saltem consensu virtuali debito, & interpretatiuo. Nihilominus dico non posse, nec licere.

Primò, quia cum ipse possit sufficienter subuenire, non licet ei ab alijs accipere.

Secundò, quia ipse non est iudex, qui debeat exequutioni mandare, quæ alij tenentur, ius enim illud accipiendi sibi necessaria habet pauper ipse, non alij.

Ad argumentum dico, alios teneri ad dandum illi pauperi ex charitate, & quamuis tenerentur ex iustitia, priuatus non potest sua authoritate efficere ex bonis aliorum ea, ad quæ ipsi tenentur, cum hoc pertineat ad iudices.

Addo nec alios teneri ad habendum talem consensum, vt possit alius sumere ex bonis ipsorum ad dandum pauperi, cum ipse dare possit. Vnde essent rationabiliter inuiti. Secus est, si ipse diues non potest sufficienter prouidere extremæ necessitati pauperis. Vide Medinam C. de eleemosyna fol. 153. Vnde quod D. Aug. in lib. de mendacio ait: non posse quempiam accipere rem alienam, vt faueat proximo, intelligendum est, quando proximus non extremè indiget, vel ipse sufficienter potest ex suis illi fauere, & subuenire. Vide D. Thom. hic ad tertium.

ARTICVLVS VIII.

Possit ne fieri aliquando rapina, id est accipi aliquid per vim in aliquo casu sine peccato.

DVo statuit hic D. Tho. Primum, rapinā esse iniustam, & iniquam acceptionem alieni cum coactione, & vi. Alterū est, solam publicam potestatem posse vti coactione, & vi, aut in suos, puniendo malefactores, aut in alienos exercendo bellum iustum, sed ita vt vtrunq; præstet, sicut exigunt leges iustitiæ, & bonum commune.

CONCLVSIO I.

Quicunque alienum iniustè accipit per vim, & coactionem, siue priuata authoritate, siue publica, siue apud suos, siue apud exteros, committit peccatum mortale rapinæ.

CONSTAT hæc ex definitione Rapinæ, art. præced.

CONCLVSIO II.

Quicunque priuatus accipiens, quod iure accipere potest per vim & coactionem, quia aliter non potest, immunis est à peccato rapinæ. Si verò alia, nempe iuridicè accipere poterat, voluit tamen accipere per vim, peccauit quidem grauiter peccato, quod dicitur iudicij vsurpatum, non tamen peccato rapinæ, nec tenetur restituere.

PRima pars patet, quia rapina est iniqua acceptio alieni, illi verò accipit suum, & non iniquè, cum alia via recuperare non possit.

Secunda patet etiam, quia inferre vim & coactionem, quando res iuridicè recuperari potest, est officium iudicis, vnde ille iniquè vsurpat sibi iudicis officium.

Tertia patet; quia restitutio, & rapina versantur circa alienum, ille verò accepit suum.

CONCLVSIO III.

Princeps vel potestas publica, accipiens aliena, aut suorum ciuium, aut exterorum iuxta leges iustitiæ, etiā si accipiat per vim, non committit peccatum rapinæ, vt in bello iusto, aut confiscatione delinquentium, aut iusta impositione vectigalium.

PAret, quia rapina est iniqua acceptio alieni, aut cum iniqua vi, & coactione, in istis autem casibus talis acceptio non est iniqua, cum fiat, vt supponimus iuxta leges iustitiæ, nec coactio, & vis est iniqua, quia infertur ab habente authoritatem.

CONCLVSIO IIII.

Principes, vel gubernatores accipientes aliena siue à suis, siue ab exteris leges iustitiæ, & vtentes vi, & coactione in eos, in quos non habet talem authoritatem, com-

committunt graue peccatum rapinæ, peccantque multò grauius, quàm alij priuati.

Prior pars patet ex definitione rapinæ. Secunda probatur, quia custos iustitiæ grauius peccat iniuste agens, quàm ille ad quem non pertinet ex officio custodia iustitiæ, Principes autem & gubernatores (vt constat) sunt ex officio custodes & ministri iustitiæ, ergo.

Circa hunc art. videndum erat, Quæ conditiones requirũtur vt bellum sit iustum, quo Princeps possit, vel priuati auctoritate Principis accipere per vim sine peccato rapinæ, terras, & bona illorum. Sed de his copiosè D. Thom. q. 40. de bello: Videndum quoque erat. An infideles sunt expugnandi solo titulo infidelitatis? De quo etiam in eadem quæst. de bello, & Caiet. hic, & interpretes D. Thom. supra q. 10. art. 1. in materia de fide, & copiosè Mag. Victoria in relectione de Indis, & relectione de iure belli. Sed ne hæc intacta prætermittamus explicemus paucis.

CONTROVERSIA I.

AN PRINCIPES CHRISTIANI, vel priuati fideles possint bona infidelium, vel eorum personas per vim accipere, & in captiuitatem ducere.

Obseruemus primò, infideles esse in tripli ci differentia, quidam enim sunt, qui le iure, & facto subsunt Principibus Christianis, vt Iudæi, Heretici, vel Mauri, qui agunt in terris Christianorũ: Alij sunt, qui de iure quamuis de facto non subdũtur Christianis Principibus, vt qui occupant terras, quæ aliquando fuerunt Christianorum: nam cum has inique & tyrannicè occupent, habent in illas Principes Christiani ius, licèt de facto ab infidelibus possideãtur, tertij generis sunt, qui nec de iure, nec de facto subsunt Principibus Christianis, aut Rom. Imperio, vt Barbari, quibus nunquam fuit prædicatum Euangelium, neque illud vnquã possederunt Christiani, saltem nil tale habetur in hominum memoria, quales sunt Indi.

Obseruemus secundò, istos infideles cuiuscunque generis sint, posse habere duo genera bonorum.

Primò, hæreditates, aut alia bona temporalia, quæ aliquo iusto titulo sibi compararunt.

Secundò, captiuos fideles, & alia bona fideliũ, quæ vel in bello iniusto, vel agẽdo piratas acquisierunt.

Obseruemus vltimò, cum partes dicant ordinẽ ad totum, in humanis actibus eandem esse rationem partis, quæ est totius, ita vt quod circa totũ licet, liceat, & circa quamlibet partium, & quod non licet in toto, neque licet in parte. Quo fit, vt qui potest bello iusto petere totum aliquod Regnum, vel Prouinciam, possit & quodlibet Oppidum, & villam illius, & qui potest Oppidum potest etiam quemcunque priuatum illius.

CONCLVSIO I.

Homines Christianos, quos infideles in seruitute, & captiuitate detinent, vel bona quæ à fidelibus, aut vt pirata, aut in bello iniusto acceperunt, possunt fideles, siue furto, & cautè, siue per vim & rapinam ab eis eripere, & liberare.

De captiuis patet, Quia qui in iniqua captiuitate detinentur, habẽt iustum bellum defensiuum contra tales infideles, vnde quicunque possunt eos iuuare, possunt eo ipso illos ab illa iniqua captiuitate eruere, & inferendo vim, sicut licet cũ inculpata tutela vim vi repellere, non solum quando vis mihi infertur, verum etiam quando proximo, & fratri. Bona verò fidelium, quæ iniquè acceperunt, posse Christianos ab ipsis occultè, tollere, vt suis dominis restituantur facta diligenti inquisitione, vel tradantur pauperibus probo: Licet accipere à fure occultè, & sine scandalo, quæ furto accepit, vt suo domino restituantur, ergo multò potius à pirata infideli, qui iniquius occupat, quàm fur: quod si tertiæ personæ id licet, multò magis ipsimet domino rei.

Et cõfirmatur, ab alio Christiano licèt mihi accipere mea, quæ iniustè retinet, quando via iuridica non possum ea recuperare, quantò magis ab infideli, quem non possum conuenire coram iudice. Quod autem per vim id liceat, difficilius est, quia cum inferre vim ad recuperanda aliena, videntur suo Domino, sit actus potestatis publicæ, videtur non cõpetere priuatis, Nihilominus posfunt id quicunque fideles, etiam priuati. Tũ, quia omnes principes Christiani habent concessam facultatem suis subditis, ad hoc, tum etiam, quia quamuis illam non haberent concessam expressè, tacitè, & interpretatiuè in id consentiunt, vt in actum bono communi vtilem, & rectæ rationi maximè consonum, est enim iuuare patientem iniuriam contra inferentem.

Hinc sequitur bona, quæ infideles rapuerunt à fidelibus & in suas terras delatas publicè venduntur, quando nec occultè nec per vim possunt illa fideles accipere, vt suis dominis restituantur, posse fideles, qui ibi reperiuntur emere, vel potius pecunia redimere, vt suo domino facta diligenti inquisitione restituantur, tenebiturq; dominus pretium, quod alter pro bonis illis dedit, reddere. Quia licèt nemo teneatur rem suam pretio emere: vbi autem est iustus titulus redimendi, qualis est in hoc casu, in quo aliter res illa omnino perisset, tenetur etiam dominus soluere pretium redemptionis: Sicut nullus pater tenetur filium suũ emere, at si redemptus sit ab aliquo in terris infidelium, tenetur reddere illi pretium redemptionis imò potest, qui bona illa redemit, præter pretium redemptionis exigere expensas, & valorem laboris, quem adhibuit in re illa conseruanda, & asportanda, quia hæc omnia sunt iusto pretio æstimabilia, nec tenetur quis proprijs expensis, & labore alterius vtilitati consulere, & bona eius tueri. Quod si non appareat dominus, tunc potest alteri vendere accipiẽdo pretium non quidem rei, sed solum redemptionis & laboris, ac expensas quas fecit, quia talis venditio non est simpliciter venditio. (Cum non possit vendere nisi solus dominus, hic autem non est dominus) sed est sola cõmendatio cum translatione iurium, quæ habet in illas res. Quod si appareat dominus, nolitque illa pretia reddere, tunc interueniente iudicis auctoritate cogetur, aut accipere, & reddere illa pretia, & expensas, aut cedere iuri suo, & dominio; manebitque ille, qui redemit, & huc detulit, dominus absolutus illius rei, poteritque illam pro libito vendere, vt suam.

Negat

Negat circa hæc Caie, posse fideles huiusmodi bona per vim ab infidelibus accipere, neque auctoritate priuata, neque publica; negat. n. posse Principes concedere talem facultatem, eo quod talis acceptio iudicatur ab ipso scandalum Reip. Sed vtrunque est falsum: habet. n. Resp. Christiana amplam facultatem ad hæc à suis Principibus, possuntque illam Principes concedere, quia ista vis fundatur in titulo iusti belli: Sicut. n. possent inferre bellum iustum toti regno infidelium, si illud bona nostra iniquè vsurpasset, ita & priuatis piratis, qui huius, vel illius fidelis bona iniquè rapuit, scandala autem quæ inde sequuntur, & se qui possunt, imputentur ipsis infidelibus, qui gesserunt bellum iniustum, & iniquè res nostras rapuerunt.

CONCLVSIO II.

In infideles, qui Principibus Christianis iure, & facto subduntur, possunt Principes lege agere, priuareque illos bonis, & vita, vel propter delicta eorum, vel ob bonum commune, sicut & alios ciues sibi subditos.

PAtet, quia non sunt minus subiecti, quàm alij ciues, nec propter suam infidelitatem debent esse melioris conditionis. Ita est definitum titu. de Iudæis, & Sarracenis. Et in decr. dist. 54. per varia capita. Et de his loquitur D. Aug. in Epist. ad Vincentium Donatistam, cum ait: posse Principes, infideles pro eorum delictis suis bonis expoliare.

CONCLVSIO III.

Possunt Principes Christiani, vel alij authoritate ipsorum terras & prouincias, quas infideles ipsis de iure subditi, licèt non de facto (idest terras, quæ aliquando fuerunt Christianorum) per vim auferre, & eorum bona etiam ab ipsis acquisita, nisi pacificè terras illas velint dimittere, deprædari.

RAtio est, quia detinet illas iniquè & contra ius, habet autem authoritatem publica ius suū per vim, & bellum iustum vindicare, & repetere.

CONCLVSIO IIII.

Licèt priuatis hominibus personas, & bona infidelium, qui nobis de iure subiecti sunt, quamuis non de facto, diripere, deprædari, ac captiuitati tradere, tā in suis proprijs terris, quàm extra illas, authoritate publica, authoritate verò priuata non licet, nisi quando ipsi nos inuadunt, & ad nos accedunt, vt nos deprædentur.

PRima pars constat, quia authoritas publica sicut potest concedere facultatem contra Regnū, vel Prouinciam infideliū, qui nobis de iure subditi sūt, ad eos debellandos, captiuādos, & diripiendos, ita quinque potest ad quoscunque priuatos illorum, vnde nauigantes Christiani, capientesq; vel capientes bona huiusmodi infideliū in mari, & in nauigijs, iustè illa capiūt, nec tenētur restituere, quia habēt ad hoc plenā à Principibus Christianis facultatem. Probatur secunda pars, quia non licet aliquem diripere, vel captiuare, nisi titulo iusti belli, priuatus autē non potest inferre nisi iustum bellum, nisi habita facultate ab authoritate publica. Tertia pars patet, quia quando infideles me aggrediuntur, iure naturæ sine vlla alia authoritate, habeo ego iustum bellum contra meum inuasorem, & piratam, & consequenter possum per vim illam iniuriam à me repellere, & illum, vt in bello iusto captiuare, & deprædari habentque ad hoc omnes fideles amplam facultatem à suis principibus. Vnde euntes ad terras, & littora infidelium ad eos captinādos, vel deprædandos, sine facultate Principis iniquè agunt, & tenentur restituere, quia non habuerunt iustum titulum, cum hic tantum reperiatur in bello iusto, quod non potest esse sine authoritate publica: Capientes verò, vel deprædantes piratas ad nos accedentes, iustè eos capiunt, & deprædantur, quia sunt aggressores, contra quos iure naturæ suscipitur bellum iustum defensiuū, & ita licet titulo iusti belli eos occidere, vel capere, & deprædari.

CONCLVSIO V.

Infideles, qui nobis subiecti non sunt, neque de iure, neque de facto, neque authoritas publica, neque priuata potest captiuare, aut in seruitutem redigere, aut bona eorum captiuari.

PRobatur de Principibus Christianis in quibus est publica potestas, nam si de his constiterit, non posse, constabit & de priuatis. Probatur ergo de illis sic. Si liceret illos capere, aut deprædari, aut titulo iuris, & dominij, quod habent in eos Principes Christiani, aut titulo iusti belli, aut propter alia peccata, quæ committunt contra legem naturæ, & in Deum: Sed nulla ratione ex his tale licet. Non prima, quia in hos, Principes Christiani nullum habent ius, vel dominium, ideo dicuntur neque de iure, neque de facto esse nobis subiecti. Nec secunda, quia iustum bellum tantum est, aut offensiuum contra iniquè occupātes bona nostra, aut defensiuum contra inuadentes, & infectantes nos, isti verò infideles nec occupant bona nostra, cum constituamus terras eorum, nunquam fuisse nostras, neq; accedunt ad nos infectādos, sed manent in suis locis, vt Indi, Aethiopes, & similes. Nec tertia, quia propter peccatū infidelitatis, imò nec propter alia peccata (vt vidimus) non amittitur dominium temporale, & ciuile, & oppositum est error Vuicleph condemnatus in Concilio Cōstantiensi. Nec quarta, quia licèt ob talia peccata mererentur illi infideles priuari suis regnis, & bonis, nos tamen non sumus iudices illorum, nec habemus authoritatem ad illos puniendos, nemo. n. habet ius in non sibi subditū: ad punitionem authoritas, ac ius in eo, qui debet punire.

CONCLVSIO VLTIMA.

Si infideles resistant, & impediant prædicationē Euangelicam, aut prohibeant, ne alij ad fidem conuertantur, aut conuersos persequantur, aut fideles eo pacificè cūtes non admittant apud se peregrinari, aut admissos iniurijs afficiant, vel innocentes, & imbecilliores, vt illos comedant, siue quacunque alia ratione occidant, possunt fideles ad cohibenda hæc mala (nisi pacificè admoniti resipiscant) iustum bellum eis inferre, & in bello iusto eos captiuare, deprædari imò, & occidere.

HÆc patet ex q. 40. de bello, Quia hæc omnia sunt tituli iusti ad bellum iustum, in bello autem iusto, licet hostes persequi, occidere, captiuare, & expoliare.

QVÆST.

QVAEST. LXVII. DE IVSTITIA IVDICIS.

EX damnis quæ proximis contra iustitiam inferuntur, quædam inferuntur priuatim, & extra iudicium, alia verò in iudicio: de prioribus copiosè hactenus cum D.Thom. disseruimus, nunc de his, quæ in iudicio accidere possunt agendum est. Concurrunt autem in iudicio potissimè quinque personæ, Iudex, Accusator, Reus, Testis, & Aduocatus de quibus sigillatim per suas quæstiones disserit D Thom. & in primis de Iudice, quia huius iniquitas in iudicio grauior omnium est. Porrò cum in iudice exigantur quatuor, Potestas Iudicandi, Veritas facti, Forma debita, & Executio sententiæ, hæc omnia suis articulis proponit D.Thom.

ARTICVLVS I.

An liceat iudici iudicare illum, qui non est ei subditus.

OBseruemus primò quatuor modis aliquem esse aliter subditum. Primò, iure ordinario, & simpliciter, quo modo omnes fideles sunt subditi Papæ, & quæuis Resp. suo Principi. Secundò, potestate delegata, quo modo ciues alicuius locis sunt subditi proregi, aut prætori à Rege misso: habent.n. hi potestatem in illos ciues, non iure ordinario nec per se, sed acceptam & delegatam à Rege. Quomodo habuit Daniel potestatem iudicandi illos senes, qui falsò Susannam accusarunt, nempe delegantem à Deo, quod indicat Sacra Scriptura, cum ait: [Suscitauit autem Deus spiritum Danielis.] Tertiò, ex consensu partium litigantium, quo modo se habent iudices arbitri, & compromissarij ab ipsismet litigantib. voluntariè electi, quo fit, vt possint isti esse inferiores, & subditi illis, quos iudicant, cum possint superiores libere in aliquib. causis, & negotiis iudicium suo subdito committere, eruntque tunc tales iudices simpliciter inferiores his, quorum causas iudicant, superiores autem secundum quid, i. quo ad illud negotium. Quartò potest quis habere potestatem in alterum, ratione delicti in suo loco, & territorio commissi. Habent.n. singuli superiores, & iudices propria territoria, & terminos, in quibus possunt iudiciū ferre de omnibus in tali loco accidentibus. Extra illa verò non licet eis iudicare, vt habetur de Constitu. lib. 6. cap. vt animarum: vbi dicitur: [Extra territorium ius dicenti non paretur] ratione ergo territorii potest superior subditum alienum iudicare, si in eo territorio deliquerit, modo non deliquerit in re exempta à tali tribunali, vt si deliquit Italus Valentiæ in administratione bonorum alicuius Monasterij non potest iudicari à iudicib. Valētiæ, quia bona illa sunt res exemptæ, sed iudicabitur à iudice competenti illorum bonorum, at si commisit furtum, homicidium, aut aliquid eorum quæ prætores Valentiæ iudicare solēt, ratione territorij in quo delictum commissum est, possunt illum iudicare, & punire, etsi Italum, & extraneum. Similiter Episcopi clericos alterius diœcesis in sua delinquentes, & Prælati Religionum monachos aliorum conuentuū, vel prouinciarum, qui in suo loco delinquunt. Extra hos modos nullus est alteri subditus.

CONCLVSIO I.

Nulli licet iudicare eum, qui sibi aliquo ex his quatuor modis non est subditus.

PAtet. Sententia Iudicis est velut quædam lex particularis, quæ in illo particulari negotio de quo iudicatur, fertur, est enim iudex idē quod ius dicens, vt habetur, cap. Forus. De verborum significatione. Lex autem debet habere vim coactiuam, id est, authoritatem ad compellēdum eos quibus fertur, huiusmodi autem vim, & authoritatem nun habet nisi superior in suum inferiorem, ergo nō potest iudicare, aut ferre sententiam aliquis in alium, quin illi aliquo ex illis quatuor modis sit superior. Secundò, iudicare est actus iurisdictionis, iurisdictionem autem nō habet vnus, in alium, nisi aliquo iusto titulo ei subditus sit, ergo neque potest vnus alium iudicare, nisi ei subijciatur.

CONCLVSIO II.
quæ sequitur ex præcedenti.

Sententia lata à non iudice, nec tenet, nec habet vllam vim.

PAtet, Iudicare, & ferre sententiā est actus habentis iurisdictionem, qui non est index, & superior in eum quem iudicat, nullam habet in illum iurisdictionem, ergo sententia illius nulla est. Ita habetur Extr. De Iudiciis, c. At si clerici. Et cap. Vt animarum. Hæc omnia confirmat Diuus Thom. testimonio D. Grego. quod habetur secundò Toma. post Epistolas Registri, in responsionibus ad Augustinum Episcopum Cantuariēsem responsione 9. & habetur 25. q. a. can. In Galliarum.

CONCLVSIO III.

Nec Imperator est iudex Papæ, nec Princeps aliquis aut prætor sæcularis est iudex clericorum, nisi quando in aliqua ciuili, & temporali causa illis voluntariè se subijciunt, sicut litigantes iudici arbitrio vel compromissario.

PRior pars probatur, Quia Imperator, & iudices sæculares non habent iurisdictionem

in Ecclesiasticos, nec sunt eis superiores, vt docet D. Gregor. loco cit. Posterior verò patet exemplo Leonis IIII. qui in causa quadam ciuili subiecit se Imperatori Ludouico, vt habetur. 2. q. 7. can. Nos si. Et ratione. Quia clericos esse exemptos à iudicibus sæcularibus est priuilegium eorum, priuilegiu autem, & fauori sibi cõcesso potest unusquisque cedere, sicut & iuri suo, nisi aliqua lege prohibeatur: legibus autem ecclesiæ clerici tantum prohibentur, ne se subijciant vllo modo iudicio sæculari in criminalibus, non tamen prohibentur in ciuilibus.

Hic art. coincidit cum art. 6. q. 60. videtur enim esse eadem ferè materia vtriusque, sed non propterea superuacaneus est, aut redundat, quia hic magis in particulari explicatur quõ modo ad iustum iudicium exigatur, vt iudex sit superior illi quem iudicat tractanturq; in eo difficultas quas ibi non attigamus, Vnde circa hunc artic. videamus primo.

CONTROVERSIA I.

AN CLERICI SINT EXEMPTI à iudicibus sæcularibus

RAtio dubitandi est, quia clerici non sont magis exempti quã Christus, at Christus fuit iudicatus à Pilato in causa sanguinis, nec damnatur Pilatus quod Christum iudicauerit, aut vsurpaoerit sibi iudiciũ, ad quod non haberet potestatem, cum enim diceret: Nescis quia habeo potestatem dimittere te, aut occidere te. Non negauit id Christus, imò confirmauit dicens: Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper. Sed dãnatur tantum Pilatus, quia condemnauit innocẽtem, de quo verè, & iuridicè affirmauerat: [Nullam causam mortis inuenio in eo.

Secundò, idem Christus subiecit se Cæsari soluens tributum. Matth. 17. Tertiò, Pau. Act. 25. appelauit ad Cæsarem, tanquam ad proprium iudicem, & nonnulli Pontifices, vt constat ex historiis fide dignis, subierunt iudicium Imperatoris.

Quartò, Principes seculares sunt Principes omnium ciuium, & incolarum suorum regnorum, tã sæcularium quàm clericorum, & monachorum, committeretque crimen læsæ Maiestatis quicunq; ciuis in Hispania, siue sæcularis, siue clericus, qui Regem Philippum negaret esse sibi Principem, & se illius vasallum, & ciuem. ad dignitatem autem Principis pertinet posse iudicare illos, quorum est princeps, ergo potest etiam iudicare clericos, & monachos. & confirmatur, quia quotidie deferontur causæ ecclesiasticæ ad tribunalia regia, tàm episcoporum, quàm clericorum, quàm religiosorum.

Quintò non minus tenentur clerici, quàm sæculares seruare leges iustas Principum sæcularium, maximè eas, quæ pertinent ad bonam gubernationem regni, vt legem taxationis pretij tritici, & similes, et go si illas transgrediantur possunt puniri à Principe, Probo consequentiã, quia Princeps nõ solum est legislator, verum etiam illius custos, & exequutor, & ita eiusdem est ferre legem in cõmuni, & punire in particulari transgressorem, si ergo Rex potest ferre legem quæ comprehendat etiam clericos, potest eosdem, quando illam violabunt iudicare, & punire.

Denique sæpè iudices ecclesiastici sunt negligentes in puniendis clericis, & tunc ob bonum Reipu. ad vitandam ipsius perturbationẽ possunt iudices sæculares illos punire, ergo habent ius in illos, nam si non haberent, nunquam possent eos punire.

Propter hæc, & similia argumenta extitit tempore Ioã. 22. quidam Marcilios Paduanus hæreticus, qui docebat inter alios hos quatoor errores. Primò Christum non liberè, sed necessario soluisse tributum Cæsari.

Secundò, ad Imperatorem pertinere instituere Pontificem, & illum iudicare, ac punire si deliquerit.

Tertiò, quod in ecclesia quidam clerici habeãt maiorem authoritatem, & iurisdictionem quàm alij, vt Episcopi, & Curati, id efficere Papam authoritate accepta ab Imperatore, & ex eommissione ipsius, posseque Imperatorem auferre hanc authoritatem à Papa, & per se ipsum creare Episcopos.

Quartò, vim eoactiuam quam habent in ecclesia Papa, & alij Prælati, ad puniendos inferiores delinquẽtes, habere ab Imperatore. Quibus apertè docebat omnes ecclesiasticos cuiuscunque ordinis, & dignitatis esse subiectos Imperatori, & aliis Principibus sæcularib. Illum propter hos errores, vt Sacræ Scripturæ, veræ fidei, & doctrinæ Sanctorum Patrum repugnantes, condemnauit, Idem Ioan. 22. in extrauag. quæ incipit: Licet iuxta doctrinam Apostoli: quam citat Turrecrem. lib. 2. de ecclesia. cap. 95. sub quo fuit, non sub Paschali. Secundò, vt Sebastianus Medices in suo opere de hæreticis. eundem errorem habuerunt Ioan. Hus, & Vuicleph, vt habetur in Concil. Constan. sess. 8. errore 12. & 13. Eundem Lutherus, subiiciẽs ecclesiam Regibus, & Principibus, vt videre est in reformatione, quàm misit Car. V. eundem Henricus VIII. Rex Angliæ, asserens, Regem esse supremũ iudicem, & caput in suo Regno, tam in spiritualibus qoam in temporalibus.

Sed cõtra hos omnes docet catholica fides, iure diuino nec ecclesiasticos, nec alios fideles sæculares esse subiectos principibus sæcularibus in rebus spiritualibus: solos enim Apostolos, & eorũ successores, non autem Principes, vel Reges constituit Christus gubernatores ecclesiæ, magistros fidei, & iudices causarum spiritualium, vt constat apertissimè ex toto nouo testamento, sicque est perpetuo in Ecclesia ex antiquissima *Apostolorũ* traditione obseruatam.

Ita definitor in Conc. Constan. sess. 8. errore 12. & 13. & in extrauag. Ioan. 22. de quo abundè DD. in materia de Clauibus, & de potestate Papæ, vbi coplosè ostenditur, has duas iurisdictiones spiritualem, & temporalem esse maximè, distinctas, ad Principesque sæculares solum pertinere illam ciuilem, & naturalem, supernaturalem verò, & spiritualem ipsos omnino ignorare. Qua parte dimissa, quantum ad nostrum institutum, & præsentem disputationem pertinet.

CONCLVSIO I.

Clerici reuera, & omnino sunt exempti tàm in criminalibus, quàm in ciuilibus à iudicio sæculari.

COnstat ratione addocta in probatione. Tertiæ, conlus. positæ, Et habetur in decretis to ta dist. 96. & 2. q. 2. per totam, In decretalib. titul. de immonitate Ecclesiarum, & c. Sæcularis. de foro compctenti in sexto, in Concil. Constan. loco cit. & in Conc. Triden. sess. 23. de reformatione.

tione.c.20.vbi renouantur omnes canones loquẽtes de hac re.Idem habetur iure ciuili,in Authentico.Vt clerici proprios iudices conueniat.collatione 6.Et iure Hispano partita 2.tit.6.l.17.& lib. 1.ordina.Regal.tit.3.l.7.Et in nostro regno imò, & omnibus Regnis Christianorum per leges priuatas cuiusque Regni. Tit.De clericis.

CONCLVSIO II.

Iure defensionis possunt iudices saeculares,clericos capere,& quandoque detinere,veluti si id necessarium sit, vel ad liberandũ innocentem,vel ad tuendum inuasum quem clericus vult occidere,aut per vim opprimere,vel ad pacandam Rempubl.quam clericus perturbat,nec adsit iudex Ecclesiasticus quia tunc illum reprimat,potest iudex saecularis in tali casu talem clericũ capere, & detinere,donec commodè suo praelato,& iudici tradatur: Iudicare autem,vel punire nullo modo potest.

PRior pars perspicua est,Primò, quia ius defendendi innocentem,& patientem iniuriam, & tuendi Rempub. à perturbatoribus est naturale,Gubernatoribus ac Iudicibus ex officio peculiaribus competens,ius autem naturale nullo alio iure derogatur. Secundò, quia Respub.ciuilis ita est perfecta,vt possit se,& suos à quocunq; sibi inferéte iniuriam tueri , ac defendere,potest autem affici iniuria à clerico,ergo tunc,si desit iudex Ecclesiasticus qui illum comprimat,poterit minister Reip.illum comprimere capiendo, & detinendo, donec suo proprio iudici tradatur. Secunda,pars constat ex dictis. Quia iudicandum & puniendũ desideratur iurisdictio,quam non habent iudices saeculares in clericos, Vbi maximè notandum est, quod scribit Rufinus lib.10. Historiae Ecclesiasticae c.2. vbi refert in Conc. Niceno tradidisse multos episcopos Constantino Imperatori scripta.& libellos continentes crimina aliorum episcoporũ, vt ab ipso iudicarentur,& punirentur , piissimum vero Imperatorem omnibus acceptis publicè in praesentia totius Cõcilii omnes illos libellos clausos,nec lectos igni tradidisse,& dixisse:Deus constituit vos sacerdotes , Et potestatem vobis dedit de nobisquoque iudicandi,& ideo nos à vobis rectè iudicamur , vos autem non potestis ab hominibus iudicari &c.

CONCLVSIO III.

Principes vel iudices,qui extra hos casus secundae cõclusionis contra ista iura canonica , & ciuilia trahunt. Ecclesiasticos ad sua tribunalia,sunt suspecti de haeresi luterana,& schismate , potestque contra eos iustè officium Sanctae inquisitionis procedere.

PAret:Qui conuenit cum haereticis,in factis,in quibus illi protestantur suas haereses,est vehemẽter suspectos de illa haeresi, vt qui comedit sine vlla infirmitate carnes die veneris, est suspectus de haeresi loterana,& qui communicaret sub vtraque specie , esset maximè suspectus de haeresi Boemorum,quia talia facta protestantur illas haereses,sed haeretici negantes iurisdictionem,& immunitatem ecclesiasticam,docent à iudice saeculari esse iudicandos ecclesiasticos, ergo iudex saecularis,ita facit , manifestè conuenit cum haereticis, in facto quo protestantur ipsi suas haereses, & esset de simili haeresi maximè suspectus & ab Inquisitoribus examinandus. Sed quaeres.

ET EXEMPTIO ET IMmunitas clericorum à iudicio saeculari competit ne ipsis iure diuino,an humano?

SVnt qui existiment conuenire eis iure diuino.Primò,Psal.81.dicitur.Deus stetit in synagoga Deorum,in medio autem Deos,id est,Ecclesiasticos,ipse diiudicat. & Ps.104. dicit Deus principibus,& saecularibus, Nolite tangere Christos meos. id est , sacerdotes , & ministros meos . Tertiò,Gen.47. Fecit Ioseph tributariam Regi totam terram Aegypti excepta sacerdotali , nec tunc vtebatur Ioseph aliquo iure humano,sed solo naturali,& diuino.Quartò,Matth.17.cum dixit Petrus filios liberos esse à tributis,& iudicijs Principum, indicauit ibi aliquos esse iure diuino,& naturali liberos, non fecit ibi liberos,nobiles,quia hoc omnium consensu nõ habent nobiles, nisi iure Caesareo,nec milites qui id habent,iure gentium, ergo Ecclesiasticos . Quintò,si haec immunitas nõ esset à iure diuino,sed humano,certè vel à iure Imperatorio,vel à iure Pontificio,si ab Imperatorio,& ciuili,possent Imperator , & Reges abrogare priuilegia talẽ exceptionem concedentia clericis, si à iure Pontificio vel ab eo simpliciter,& absolutè,& sine consensu Imperatoris,& regum,aut cum coosensu ipsorum,& ipsis approbantib.non à iure Pontificio solo, quia licèt circa fidẽ & spiritualia , Ecclesia habeat authoritatem absolutam , nec dependentem à consensu regũ, ad condendas tamen leges circa temporalia, & iurisdictionem ciuilem regum in suos vasallos , non potest Ecclesia aliquid statuere sine consensu principum saecularium.Vnde dicendum est necessariò,iura canonica quibus exprimuntur Ecclesiastici à foro ciuili,habere robur à consensu Principum,quod si ita est poterunt nunc dissentire , & abrogare ista iura canonica, & priuilegia clericorum: quod tamen non est dicendum reges posse.Afferuntur quoque cap.Duo sunt,& cap. Si Imperator dist.69.in quibus videtur dici ex diuina ordinatione, Principes non iudicare de Ecclesiasticis, sed ista capita non agunt de iudicio de quo praesens quaestio , sed solum docent dignitatem Pontificiam excellere imperatoriae, posseque Papam excommunicare Imperatores, & ad Papae iudicium pertinere gubernationem Ecclesiae.

Sed his non obstantibus.

CONCLVSIO IIII.

Pontifices,& alij Ecclesiastici quãtum ad gubernationem spiritualem Ecclesię,& fidelium,non sunt subditi iudicio saeculari.Imperatoris vel Principis,sed omnino exempti iure diuino,vt constat ex dictis; Et habetur in illo can.Duo sunt,Et can si Imperator, In temporalibus autem causis,tàm criminalibus,quàm ciuilibus,exẽpti sunt à iudicio,& foro saeculari,non iure diuino,sed iure humano Pontificio,cui ius ciuile,& consensus, Principum Christianorum subscripsit.

ITa Sylu.iudex primo §.4. & probatur , Tributa ideo dantur principibus, vt gubernent subditos,

ditosi & dicans in illos ius vnde eadem est ratio fori, & tributorum, qui tenetur alicui principi soluere tributa, tenetur, & foro ac tribunali illius in temporalibus esse sobiectus, sed ecclesiastici non sunt liberi à soluendis tributis iore diuino, vt optimè docet D. Thom. in prima epistola ad Thimo. ca. 13. & oos tomo 2. huius operis in disputatione De vectigalibus, sed solo Pontificio, cui subscripserunt Reges per sua priuilegia, ergo iure diuino non sunt exempti à iudicio sæculari. sed solo iure Pontificio, vode D. Pau. cuius tempore clerici nondum habeant tales exemptiones, & priuilegia regum, sine discrimine vllo præcepit loco cit. omnibus, vt soluant tributa, nec excipit clericos, ergo clerici iure diuino nō sunt exempti à iudicio sæculari. Secundò distinctio laycorum, & clericorum est à iure diuino positiuo, potestas verò ciuilis Principum in suos subditos circa tēporalia à iure naturali, gratia autem non destruit naturam, ergo nec ius diuinum distinguens istos status expoliauit principes potestate & iurisdictione in suos vasallos, quamuis clericos circa temporalia, quemadmodum nec infidelis accedens ad fidem exemptus est à potestate sui principis infidelis, quia gratia non destruit potestatem, & iurisdictionem ciuilem.

CONCLVSIO V.

Hæc exemptio clericorum est maximè consona iuri diuino.

PAret exemptio fidelis à potestate infidelis, est maximè consona iuri diuino, vt docet Pau. 1. Cor. 6. ne infideles cognoscentes in suis tribunalibus crimina fidelium, contemnant fidem, sed eadem ratio militat de clericis si iudicentur à sæcularibus, uidentes enim eorum crimina contēnent statum clericalem, & dignitatem sacerdotalem, ergo hæc exemptio clericorum maxime consona quoque est iuri diuino.

Secundo, iure diuino ecclesiastici sunt pastores, & iudices sæcularium in spiritualibus, videtur autem alienum à ratione, vt pastor iudicetur à sua oue, & iudex spiritualis à suo subdito spirituali: & ita est ita maximè consona hæc exemptio iuri diuino, Hoc argum. probat D. Pau. iniquum esse, vt fideles iudicentur ab infidelibus, quia fideles futuri sunt iudices infidelium 1. Corinth. 6. & Constantinus loco citato noluit iudicare causas sacerdotum eodem argum. adductus, quia sacerdotes sunt iudices sæcularium etiam principū.

Tertiò, ecclesia cum sit Resp. perfecta, cuius authoritas non pendet à ciuili, & iure diuino instituta à Christo cum plenitudine authoritatis sibi necessariæ, potest iure naturali, & diuino condere leges conuenientes suæ gubernationi, sed hæc conuenit maximè rectæ ipsius gubernationi, ne dignitas ecclesiastica contemnatur: ergo potuit illam condere, estq; id consonum iuri naturali, & diuino. Hanc conc. confirmant argumenta posita ad ostendendum hanc emptionem esse à iure diuino, non quasi Deus illam præceperit vel instituerit, sed esse maximè cōsonā his quę Deus instituit, & iuri diuino, vt docet, secunda ratio hic posita.

Verùm illa argumenta quatenus nituntur ostendere hanc exemptionem fieri a iure diuino respōdetur: Ad primum ibi nomine Deorum intelligi iudices supremos, qui non habent in terris à quibus iudicentur, quos admonet, ne quia carēt in terris superiori iudice à quo puniantur, iniustè iudicēt, habent enim Deum supremum iudicem assistentem eorum tribunalibus, & audientijs, obseruantem eorum iudicia, & strictè iudicaturum ipsos, & quamuis ibi nomine Deorum intelligerentur clerici, non sequitur, Deus obseruat actus clericorum, & eos strictè iudicaturus est, ergo non subsunt foro sæculari, quia non dicitur in isto loco solum Deum illos iudicaturum, in dicabit enim. quoque Deus nobiles, & quoscunque sæculares, nec propterea eximuntur à iudicio suorum Principum, & iudicum.

Ad secundum, docetur ibi ne quis calumnietur aut manus iniiciat Sacerdotibus, & Prophetis, sed non propterea sequitur esse exemptos à iudicio principum.

Ad tertium, Ioseph obseruauit, quod est maximè consonum iuri diuino, & rectæ rationi, factū autem Ioseph non est ius diuinum.

Ad quartum, Christus non fecit ibi suos Apostolos, vel aliquos homines liberos à foro sæculari & tributis principium, sed de se ipso tantum loquens, docuit se non debere tributum, quia sicut filij regum nō debent tributum, ita nec ipse quia erat verus filius Dei, & Dauidis.

Ad quintum dico, clericos esse exemptos iure humano. Pontificiò maximè cōsono iuri diuino, in quo principes sæculares consenserunt. Et ad argumentum, ergo modo possent dissentire, & reuocare. Respondeo non posse: Primò, quia tunc consenserunt non gratis, & temerè, sed ducti recta ratione fluente à iure diuino. Tum quia videbatur iniquum, vt ipsi suos iudices, & pastores spirituales iudicarent, Tum quia viderūt id maximè necessarium dignitati Ecclesiasticæ, ne habeatur in contemptu, si crimina clericorum ad sæcularia tribunalia ducerētur, quæ rationes semper extāt. Secundò, non possunt, quia quod semel Ecclesiæ concessum est, etiam si ex consensu sęculariū, non potest reuocari ab ipsis, habet enim in illud Ecclesia ius acquisitum, & possessorium, sicut hæreditates, redditus, & bona temporalia ecclesiæ concessa, donatione Regum collata sunt, at postquam semel ipsi concessa sunt, habet Ecclesia in illas ius acquisitum, nec a Principibus reperi, aut reuocari possunt. Tertiò quia ecclesia habet authoritatem ad condendas leges optimam ipsius gubernationem concernentes, quas principes sæculares abrogare non possunt, cum gubernatio Ecclesiæ non pendeat ab authoritate ciuili; hęc autem lex immunitatis clericorum est vna ex istis.

Nunc ad argumenta initio facta, Primum illud quærit; Quomodo Christus fuerit subiectus iudicio Pilati? Nam D. Thom. videtur in solu. secundi docere, Pilatum non fuisse iudicem Christi ordinarium aut delegatum, sed arbitrum, Christum posse illi se propria sponte subiecisse, sicut litigantes iudici arbitrio, Et eodem modò Papam, & alios ecclesiasticos posse se subijcere iudicio aliarius sæcularis, vt iudici arbitro; iuxta quam solutionem, prima illa ratio hæreticorum nullam. habet vim, quia nos negamus in aliquibus negotijs temporalibus pòsse clericos sæculari vt arbitro se subiicere. Attamen hoc dictum Diui Thomæ non videtur omnino verum, quia Pilatus erat iudex delegatus à Cæsare in Iudæa, & Christus, quoad homo erat verus Iudæus ciuis Iudeæ, & subiectus his quibus subiecti erant cæteri Iudæi. Caietan. adductus hac ratione ait hic: Pilatum

tum non peccasse per iudicium vsurpatum contra Christum, quasi Christus non fuerit illi subditus; nec Christum tradidisse Pilato aliquam nouam potestatem supra se, quam antea non habebat sicut litigantes tradunt iudici arbitro; sed iudicasse illum eadem potestate, quam habebat in alios Iudæos, delegatam sibi à Cæsare; quia Christus licet vt filius Dei esset Rex regum, & Dominus dominantium, quatenus homo tamen non habuit regnum temporale; nec illud administrauit ante resurrectionem, ipsomet Christo dicente, Regnum meum non est de hoc mundo; Peccasse autem per iniquum iudicium, condemnando innocentem: Dictum autem D. Thom. intelligendum esse; non quasi Christus aliquam nouam potestatem dederit Pilato, sed quia sua sponte voluit se exhibere illi præsidenti in Iudæa, sicut vnum de subditis, cum potuisset si noluisset non esse illi subiectus; in hoc sensit Comparare D. Thom. hanc subiectionem qua Christus se subiecit Pilato, illi qua litigantes se subiiciunt iudici arbitro: Quia licet non dederit Christus Pilato aliquam nouam potestatem, sicut litigantes dant arbitro (cum potestas illa Pilati ad iudicandum Christum, fuerit illa eadem quam habebat ad iudicandum alios Iudæos) hoc tamen quod est fuisse illi subiectus sicut vnus ex alijs Iudæis, cum esset verus filius Dei, & Rex regum, voluntariè propter nos accepit. Vnde iuxta Caiet. iudicium Pilati in Christum fuit quidem iniquum, quia damnauit innocentem, non tamen vsurpatum, nec tanquam arbitris accipientis nouam potestatem ad iudicandum Christum, sed supposita humilitate Christi, qua voluit fieri sicut vnus ex alijs Iudæis in illo regno, iudicauit illum eadem potestate delegata sibi à Cæsare, quod iudicabat alios.

Soto probat primum dictum Caiet. iudicium Pilati fuisse iniquum, hoc enim est de fide, Secundum verò, idest non fuisse vsurpatum distinguit, si Augustus Cæsar (inquit) erat verus Rex Iudeæ, & non tyrannus, iudicium Pilati non fuit vsurpatum ob rationem dictam, qui ex vna parte habebat legitimam potestatem delegatam in totum illud regnum Iudeæ, & ex alia Christus voluit se habere sicut vnus ex subditis, & ciuibus illius regni, si verò Cæsar habebat Iudæam per tyrannidem occupatam, peccauit (inquit) Pilatus per iudicium vsurpatum in Christo, sicut, & in aliis Iudæis. Hæc obseruatio Soti optima quidem est, sed parum huic loco accommodata; non enim scimus quam authoritatem habuerit Pilatus in illo regno, delegatam ne à vero Principe vel à tyranno? Sed supposito fuisse Pilatum legitimum prætorem illius regni, quærimus peculiariter de Christo, fuerit ne illi simpliciter subiectus, vt alij Iudæi sæculares: quia inde argumentantur hæretici à simili, Christus fuit iudicatus à iudice sæculari, ergo, & Ecclesiastici sunt etiam iudicandi à iudicibus sæcularibus.

Probabilius multò aliqui recentiores docent contra Caiet. & Soto. Christum verè exhibuisse Pilato authoritatem quam in ipsum nō habebat, quia quicquid sit de illa quæstione, An Christus quatenus homo fuerit verus rex Iudeæ, & habuerit verum illius dominium, certū tamen est Christum fuisse verum Messiam; omnium redemptorem, filium Dei naturalem, & supremum legislatorem: qui tituli ipsum etiā quatenus homo erat, eximebant à iurisdictione Pilati, & cuiusuis Principis humani, Et licèt hæc omnia ignoraret Pilatus ignorātia crassa, nec Christus illi indicauerit, non propterea habebat auctoritatem in Christū sicut ignorantia tyranni, & silentium Reipub. oppressæ non conferunt tyranno ius, etiam si ipsa taceat. Vnde Pilatus non habuit in Christum, potestatem, quam habebat in alios Iudæos.

Et confirmatur, quia cum tributa dentur principibus, quia dicunt iura, qui ius est liber simpliciter, & secundum se, ac sine vllo priuilegio à tributis alicuius Principis, est simul liber, & exemptus à iurisdictione illius: Christus eo ipso quo filius Dei erat liber è tributis, vt docuit Matth. 17. ergo eo ipso quo filius Dei, & redemptor erat etiam liber à iurisdictione Cæsaris, & Pilati, & cuiusuis alterius Principis humani: vnde voluntariè subiecit se iudicio Pilati, dans illi supra se authoritatem quam antea non habebat, sicut litigantes dant iudici arbitro; ita Turrecrem. lib. 2. de Ecclesiast. c. 69. adducitque in hunc sensum illud Esaiæ 53. oblatus est (iudici) quia ipse voluit. Et D. Chrisost. explicans illud Christi. Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset de super, ali. datum id est permissum.

Et hoc apertè habet hic D. Thom. nec est quod verba eius torqueamus cum Caietan. cum Doct. Sanc. explicato modo quo litigantes se subiiciūt iudici arbitro, subiungat statim, sic Christum se subiecisse iudicio Pilati: additque eodem modo Christum se iudicio Pilati subiecisse, quo Papa Leo se subiicit iudicio Imperatoris, constat autē Papam Imperatori se subiicere vt iudici arbitro, dando illi in illo negocio potestatem quam anteà non habebat Imperator in ipsum.

Vnde ad argumentum respondeo primò Christum subiecisse se iudicio Pilati vt arbitri, quod etiam possunt clerici, Respondeo secundò etiam si Christus verè fuisset vt homo, & ciuis Iudeæ subiectus, Pilato nihilominus clericos esse modò exemptos, legibus Ecclesiasticis ita statuentibus, quæ iustissimæ sunt, & iuri diuino maximè consonæ & à principibus sæcularibus non temerè; nec omnino gratis, sed dictante recta ratione, & exigente necessitate boni communis ad tuendam dignitatem Ecclesiasticam approbatæ, & confirmatæ.

Ad secundum constat solutione ex dictis Christus enim soluit tributum, non tanquam debens, illud sed vt patet ex textu, ad tollendum scandalum, quia quamdiu ignorabatur veritas personæ ipsius, & immunitas ac dignitas eius scandalizabantur videntes ipsum non soluere tributa quæ cæteri Iudæi persoluebant.

Ad tertium de Paulo dico; ipsum appellasse ad Cæsarem, quia nulla se illi tunc obtulit commodior via, qua iniquitatē iudicis cui astabat, & aduersariorum qui illum falso accusabant, declinaret: Et ita licet clerico, qui apertè à suo iudice opprimeretur; nec alia ipsi se offerret commodior via ad redimendam suam vexationem, appellare, vt videbimus ad iudicem sæcularem; quia princeps etsi non sit iudex clericorum, est tamen defensor oppressorum, iure naturali, à quocunque illi opprimantur, & quicunque sint illi oppressi, siue subditi siue non. Quod additur in eodem argumento de Pontificibus, & prælatis qui iudicio Imperatorum, & regum aliquando se subiecerunt, tractat optimè, & copiosè hic Caie. maximè de Papa. vnde videamus.

CONTROVERSIA II.

POSSIT NE PAPA ALTERIUS iudicio se ipsum subijcere; & in quibus.

Diuus Tho. hic ad secundum docet posse se subiicere Imperatori in causis pertinentibus ad ipsum, vt iudici arbitro, nec tamen explicat an in omnibus causis ad ipsum pertinentibus, vel in aliquibus tantum.

Præterea de quacunque causa loquatur, videtur hæc sententia falsa: primò quia Papa ita est supremus iudex omnium, fideliũ, vt nullum habeat iudicem, sic enim legimus in Conc. Sinuesano vel Romano vt habetur dist. 21. can. Nunc cum Marcellinus se subiiceret iudicio illius Concilij, respõdisse vniuersum Concilium. Tuo ore iudica, causam tuam. prima enim Sedes non iudicabitur a quoquam. Secundò si posset Papa ab aliquo iudicari, cum iudicare dicat superioritatem, & iurisdictionem, ille cuius iudicio Papa se submitteret, esset superior & haberet in ipsum iurisdictioné, possetque in illum procedere per censuras, quod est contra omnes Doctores. Tertiò, Si quis posset habere potestatem in Papam, aut illa penderet ab ipso Papa, aut aliundè. non aliundè, quia nullus est superior Papa à quo illa pendeat, nec à Papa, quia ita non esset superior Papa, is enim cuius potestas ab alio emanat, & pendet, necessariò inferior est illo à quo talis potestas pendet, iudicaturus autẽ de aliquo debet esse illo superior. Quartò, si posset Papa alterius iudicio se subiicere, aut teneretur Papa illius sententiæ stare, posset talis iudex Papam ad id compellere, vel non: si dicas non teneri, frustra esset talis iudex, imò necesset iudex, cum in iudice (vt docet hic D.Thom.) exigatur vis coactiua, & auctoritas ad compellendũ enim quem iudicat. Quod si dicas Papam teneri, & posse ab illo iudice compelli, hoc est contra omnes Doctores asserentes nullum habere aut posse habere in terris, vim coactiuam in Papam, nisi Cõcilium generale, & œcumenicum in causa hæresis, quando est apertè hæreticus, vel vehementer suspectus, tunc potest Concilium congregari, ipsum vocare, causam eius discutere, iudicare, deponere, ac punire. præter hunc casum nulli subijci potest Papa, ita vt habeat in ipsum vim coactiuam. Tùm etiam, Si Papa posset ab illo iudice cogi, esset potestas illius iudicis maior potestate Papæ, quod est absurdum: sequela verò patet, quia si maneret potestas Papę maior potestate illius iudicis, posset Papa reuocare, & irritare quæcunque ille iudex faceret. Similiter potest argui, si Papa potest sibi iudicem constituere, vel poterit illum à se assignatum durante lite reuocare, aut non, si potest, ergo non est superior Papa, iudex autem debet esse superior eo quem iudicat, tum etiam frustra coram eo ageretur iudicium, si ab altera parte posset prohibitio reuocari: quod si non potest Papa illum reuocare, poterit ergo compellere Papam, & habebit vim coactiuam in illum, quod est falsum.

Ad hęc diluenda, & argum. illud cuius occasione hæc quæstio proposita est soluendum: Obseruemus. Tria genera causarum pertinete ad Papã, primò causas fidei, & vniuersalis Ecclesiæ, cuius est pastor, Secundò, iudicia quæ in alios exercere potest, non autem in se ipsum: vt iudicia quæ sũt per censuras excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. Tertiò, iudicia, quæ in alios, & in se ipsum exercere potest, cuiusmodi sunt, Primò lites, quæ inter ipsum & aliquem alium oriri possunt, vel de aliquo delicto pecuniario, vel de aliquo grauamine temporali, quo aliquis conquæritur à Papa se in aliqua re temporali esse grauatũ. Secundò, lites aliquæ ciuiles inter cameram Apostolicam, & aliquas personas, Tertiò, correctio alicuius sententiæ ciuilis ab ipso latæ, quam Hispanè dicimus reuista; in his Papa iudicat alios, & se ipsum quoque, nam iudicat se illud debere, vel non debere, se illum qui conquæritur grauasse, vel cõtra, buna illa ad suam cameram pertinere vel non pertinere, se in illa sententia cuius correctio petitur, iustè, & ritè iudicasse vel non: in his ergo omnibus sui quoque iudex est.

Hoc posito, Dico primo, in causis fidei, & morum, & pertinentibus ad gubernationem vniuersalis Ecclesiæ, non posse Papam alicuius iudicio vllo modo se submittere: quia hoc iudicium ita est annexum muneri Pontificio, vt sicut nõ potest constituere alium Papam supra se, ita nec se in tali iudicio alicui summittere. Secundò, quia priuilegium non errandi in fide, & moribus, ita est concessum soli Papæ, vt illud in nullum alium possit transferre.

Dico secũdò, in his causis, & iudiciis in quibus Papa non potest se ipsum iudicare, neque posse alicuius iudicio vt abitro vel alio quouis modo se submittere, vnde non potest committere alicui auctoritatem ad ipsum excommunicandum, deponendum, vel suspendendum, ita D.Thom. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. Ricard. dist. 18. art. 5. q. 1. Palud. eadem q. 2. & omnes Doctores; In causa autem hæresis potest à Concilio vniuersali iudicari, & deponi, vt habetur c. Papa dist. 40. potestque Conciliũ, si voluerit, illud iudicium aliquibus committere ipse autem Papa sicut non potest se iudicare in tali casu, ita nec alij id committere, vide circa hæc Turrecrematam lib. 2. de Ecclesia. c. 104. & 105. In causis vero, & iudiciis quæ potest ipse circa se ipsum exercere, vt in litibus de aliquo debito vel grauamine alicuius cum ipso, vel sua camera Apostolica, & quando postulatur aliqua sententia ciuilis vel criminalis ab ipso lata iterum examinari, & videri, in his potest se alterius iudicio submittere. Ratio autem huius discriminis est optima, quàm assignat hic Caiet. quia nemo potest committere alteri potestatem vel iurisdictionem quã ipse non habet, non potestas delegata non possit extendi ad ea, quæ non extenditur potestas præcipui delegantis. Vnde non est argumentum Nemo committit nisi quæ ipse potest, Papa, quædam circa se, quæ ipse potest in seipsum iudicare, quæ vero in seipsum non potest, neque potest alteri committere, vt in eis ab aliquo iudicetur.

Dico tertiò quoties unque in huiusmodi causis aliquis est iudex Papæ, illum non esse iudicem ipsius potestate ordinaria, sed ex commissione tantum, & consensu eius, eo modo quo iudex arbiter est iudex ex commissione, & consensu litigantiũ, cum Papa iure ordinario nulli in terris subiiciatur. Quo fit primò, potestatem quam Papa cõfert alicui supra se, minorem semper esse potestate Papæ, quia cum sit ex libera commissione Papæ, pendet illa semper à Papa, vt effectus à sua causa.

Secundò, talem potestatem esse dissimilem potestati ordinariæ quam habent alij iudices alij. n. habent potestatem in personam, & causam, pos-

suntque

suntque iudicare de causa, & compellere personā ad obediendum illi sententiæ: iudex autem arbiter constitutus à Papa in causa ipsius, habet quidem potestatem in negotium, vt illud iudicet, non autem in Papam, nec potest eum compellere, quia nullus haber in ipsum vim coactiuam. Sequitur tertiò, tunc iudicem posse dici superiorem secundum quid in tali negotio, non tamen simpliciter, semper enim manet inferior Papa: nihil enim prohibet inferiore, & subditum iudicem arbitrum esse in causa, & negocio sui superioris. Ita optimè docuit D. Thom. posse Pontifices fecerunt nec inde sequitur Papam, & clericos non esse exemptos à foro sæculari.

Nunc ad argumenta contra hæc de Papa, dicta sunt.

Ad primum dico, Papam iure ordinario nullum habere iudicem præter Deum, ex ipsius tamen commissione in causis in quibus potest se ipsum iudicare, posse iudicem arbitrum ad maiorem sui iustificationem eligere. Factum Marcellini, & dictum illius Concilii nobis non repugnāt, quia ibi agebatur causa fidei, & punitio Marcellini, qui ex timore idolis thura obtulerat.

Ad secundum patet solutio ex dictis, ille enim iudex à Papa institutus habet potestatem super negotium, non tamen aliquam iurisdictionem in ipsum Papam, cum semper maneat ipso inferior.

Ad tertium constat iam, iudicem istum, cum potestas eius sit ex sola commissione Papæ, ex ipso pendens, nō esse superiorem Papa sed illi semper manere inferiorem, esse tamen superiorē in causa ipsi commissa.

Ad quartum respondent optimè Caiet. & Soto, cum duplex sit necessitas alia coactionis, & potentiæ, qua superiores possunt cogere, & compellere inferiores per pœnas spirituales, aut temporales alia iustitiæ, & conscientiæ, qua omnes tam superiores, quàm inferiores tenentur stare promissis, & debitis ex iustitia, Papam non teneri stare sententiæ illius iudicis, nec posse ab eo compelli necessitate coactionis, & potentiæ, quia semper manet Papa illo superior, teneri tamen necessitate iustitiæ, peccaretque peccato iniustitiæ, & infidelitatis, si absque iusta, & rationabili causa non staret sententiæ illius, cum ipse met illum elegerit in iudicem, & potestatem illi in tali negotio tradiderit, suamque spoponderit fidem. Similiter soluitur vltimum, Papam durante lite non posse illum iudicem sine iusta causa reuocare, lege fidelitatis, & iustitiæ, quod si eam violare non vereatur, potest illum reuocare, & erit de facto reuocatus, cum potestas illius iudicis esset ex sola commissione Papæ, & ex eius consensu dependēs sicut si rex in suo regno litem haberet cum aliquo subdito, & negotium illud alicui iudicio arbitro committat, sine causa iusta non potest illum reuocare, nec agere contra illius sententiam ex fidelitate, & iustitia, de facto tamen poterit illum reuocare, eritque verè reuocatus, quia potestas eius erat ex sola commissione Regis, & ex ipsius consensu omnino dependens.

Ad alia argumenta Hæreticorum. Ad quartum igitur dico, verè Principes in temporalibus, & ciuilibus esse principes omnium ciuium, & incolarum sui regni, siue sæculares sint siue monachi, & simpliciter posse causas illorum temporales iudicare, quia hæc exemptio non est à iure diuino, posita autem exemptione, quam habent clerici ab Ecclesia, & in quam principes ipsi vrgentissima ratione adducti consenserunt, iam non posse eos iudicare, nec reuocare hanc exemptionem iustè concessam, & iustissimè ab Ecclesiæ ministris tot sæculis possessam.

Ad confirmationem dico, deferri aliquas causas clericorum vel religiosorum ad tribunalia regia titulo iustæ defensionis, quando prælati ipsorum iniquè, & tyrannicè contra eos procedunt, vt ab illa oppressione liberentur, aliter enim non possunt, maximè post constitutionem Sixti V. qua omnino prohibentur & sub grauissimis censuris, in causis Ecclesiasticis ad iudices sæculares confugere.

Quod si quæras. An clerici possint renuntiare huic iuri, & exemptioni? Dico primò non posse ipsos assistere foro sæculari, & ibi iudicentur, sicut, & alij sæculares, potestate ordinaria quam iudices habent à suis Principibus, cum sit ipsis omnino interdictum tam in ciuilibus, quam in criminalibus, 11. q. 1. Can. Inolita, & can. Placuit, & extra de foro competenti c. Si diligenti, committere autem alicui iudici sæculari tanquam viro prudenti, & iudici arbitro suas causas ciuiles non est eis prohibitum. Intelligenda autem hæc sunt in causis proprijs clericorum, in quibus ipsi vocantur vt rei, nā si sæcularis sit debitor, & velut reus, clericus autem creditor, & actor, debet tunc agere coram iudice illius sæcularis, vt iudice publico, quia in omni causa seruandum est reo suum proprium forum. Causę verò Religiosorum ciuiles, & temporales, siue actores sint siue rei, agendæ sunt coram Prætore, quem vocamus Gubernatorem, quia est à iure communi iudex, & patronus minorū. Religiosi autem sunt velut minores sub Gubernatoris tutela constituti.

Ad quintū dico, pertinere ad bonam Reipub. gubernationem, vt omnes ciues ipsius, tàm clerici, quàm sæculares seruent leges ciuiles ipsius, maximè in pretiis rerum, cum ad hoc etiam ex iustitia teneantur, vt copiosè videbimus volumine sequenti q. 77. Non autem pertinet ad optimā Reipub. gubernationem, vt clerici iudicentur à sæcularibus sed à suis Prælatis.

Ad vltimum constat solutio ex secunda cōclusione posita, clericos perturbantes Remp. aut alicui priuato nocentes, non posse iudicari, aut puniri ab aliquo iudice sæculari, sed comprehendi tātum, & detineri, donec iudici competenti tradantur, qui illos comprimat, quia ita exigit ius naturale iustæ defensionis, cui nullum aliud ius derogare valet. Videamus iam.

CONTROVERSIA III.

AN IUDEX EXCOMMUNICATUS excommunicatione maiori possit exercere actus iudiciales: & an facta ab ipso sint valida.

Dixi excommunicatione maiori, nam minor omnium consensu, nec priuat iudicem sua potestate, & iurisdictione nec vsu illius. Quæstio ergo est de excommunicatione maiori.

Obseruemus primò, varia esse genera excommunicatorum: Quidam enim sunt occulti, alij verò omnibus vel pluribus notorii, quos multi intelligunt incurrisse excommunicationem, vel per sentētiam iudicis, quæ dicitur ab homine, vel suo facto à iure, Rursum excommunicatis quidā sunt

vitandi

vitandi ex decreto Ecclesiæ in Conc. Constan. nempè nominatim excommunicati, vel manifesti percussores clericorum. Alij verò ab his, etsi notorij sunt excommunicati, non sunt vitandi. Rursum ex his omnibus quidam tollerantur ab Ecclesia, alij verò nequaquam. Dicuntur tollerari, qui præstant in Ecclesia, quæ solent alij fideles non excommunicati præstare, sciente prælato nec prohibente.

Obseruemus secundò nominatim excommunicatum, eo ipso quo nominatur, in eo loco vbi nominatur, iam non tollerari ab Ecclesia; quia illa nominatio est simul mandatum & prohibitio prælati, ne ipse cum alijs aut alij cum ipso communicet. Vbi verò ignoratur talis nominatio, quamdiu ignoratur, perinde est ac si non esset tale mandatum datum, & consequenter quamdiu ibi prælatus eum non prohibet: dicitur tollerari. Aliter enim esset maximum damnum boni communis; vt multi excommunicationem eius inculpabiliter ignorantes, videntesque ipsum gerere se tanquam non excommunicatum, bona fide, cum ipso negocia exercerent; quæ deinde haberentur inualida: Tum etiam, quia vbi ignoratur, est velut occultos: vnde sicut occultus quamdiu est occultus tolleratur, ita nominatim excommunicatus in vno loco, in alio vbi ignoratur, quamdiu ignoratur tolleratur. Similiter percussor clerici duobus modis, tolleratur.

Primò, quamdiu culpa eius non manifestè constat; sed res est dubia, & sub iudice: nam Conc. Constan. non quemcunque percussorem clerici dicit vitandum, sed manifestum, vocatur autem manifestus; vel euidentia facti; vel per sententiam iudicis.

Secundò, si percussit in vno loco, in alio autem inculpabiliter ignoratur, vbi ignoratur dicitur quoque tollerari ab ecclesia, quamdiu à prælato illius loci non prohibetur, sicut dictum est de nominatim excommunicato, & propter eandem rationem boni publici.

Obseruemus tertiò, hoc interesse inter excommunicatos, & alios fideles, vt quicunque excommunicatus eo ipso quo excommunicatus est, prohibeatur communicare cum alijs fidelibus è præcepto Ecclesiæ, quod in rebus grauibus obligat sub mortali, à quo non excusatur nisi per ignorantiam incolpabilem, quia si sciens & volens communicet contra hoc præceptum, contemnit Ecclesiam, cuius contemptus est peccatum mortale ex suo genere. Alijs autem fidelibus non interdicitur communicare cum excommunicato, nisi in illis duobus tantum casibus expressis à Conc. Constantiensi.

Ratio autem huius discriminis est, quia excommunicatio verbi gratia Ioannis non fertur ob culpas aliorum, aut ad puniendos alios, sed culpa Ioannis, & in eius punitionem, & ita meritò maior prohibitio sit ipsi quàm alijs.

Secundò, quia vt benè obseruauit Soto in suo, 4. distinct. 22. quæstione prima, articu. quarto, illud statutum Conc. Constan. non est editum in fauorem excommunicatorum, sed in fauorem aliorum fidelium, ad tollendos scrupulos, & paccandas conscientias, quo circa meritò alij tantum tenentur vitare excommunicatos in casibus sibi à Conc. expressis, Excommunicati verò manent cum vinculo, & debito abstinendi, & subtrahendi se à communicatione cum alijs fidelibus, eo ipso quo sciunt se esse excommunicatos, quicunque ipsi sint.

His positis variæ sunt de proposita quæstione opiniones.

Prima sentit, quemcunque excommunicatum publicum & notorium peccare mortaliter, si exerceat actos iudiciales, & facta ab ipso inualida esse omninò: Excommunicatum autem occultum cui id innotescit, peccare quidem mortaliter si exerceat actus iudiciales, facta autem ab ipso tenere, & valida esse: Ita docent Innoc. & Panorm. in c. Veritatis. De dolo, & contumacia. Faciunt enim hi duplices actus iudicum, quosdam publicos; vt iudicare, & alios priuatos, vt vendere, locare: priuatos (inquiunt) possunt etiam excommunicati exercere, publicos verò qui sunt notoriè excommunicati nequaquam. Idem videntur sentire Ricard. in 4. distinctione decimo octauo, articu. septimo, quæstione prima. Et Syluest. Excommunicatio capit. secundo §. 11. & 23. Probatur hæc opinio ex Can. Au. Cælestinus. Can. Apertè, & Can. Miramur. 24. quæstione prima, in quibus omnibus Nicolaus Papa docet excommunicatos notorios (de his enim ibi est sermo) non posse iudicare, nec eorum sententias esse validas.

Secundò, quæ fiunt à suspensis à suo officio sunt omnino inualida; excommunicati sunt suspensi ab omni officio, & actu publico, vt habetur cap. Pia. De exceptio. in 6. ergo.

Tertiò qui non habent iurisdictionem nec subditos, nec iudicare potest, nec sententia illius valida est, vt constat ex prima, & secunda conclu. huius artic. Sed excommunicatus, de quo loquimur priuatur iurisdictione, saltim vsu ipsius durante censura; ex can. Nos sanctorum, & can. Turatos. 15. quæst. 6. ergo.

Quarto. cap. Decernimus. De sententia excommunicationis in 6. præcipitur, ne excommunicati sint testes, vel actores, vel aduocati, quod si fuerint, facta illorum sint inualida, & nulla, ergo à fortiori actus iudicis cum sit, qui præcipuè occurrit in iudicio, si sit notoriè excommunicatus, erunt inualidi, & nulli. Denique cap. Ad probatum, extra De sententia, & re iudicata. Habetur apertè, sententiam latam ab excommunicato non tenere, adeò vt si plures conueniant ad ferendam eandem sententiam, vno eorum existente notoriè excommunicato ratione illius sententiæ illa sit inualida, & nulla; loquunturq; omnes hi textus de quocunque notoriè excommunicato sine vllo discrimine, siue tolleretur ab Ecclesia, siue non. Vbi autem lex non distinguit neque nos distinguere debemus.

Secunda opinio est, solum nominatim excommunicatum, & percussorem clerici, quoconque modò sese habeant siue tolerentur ab Ecclesia, siue non, esse suspensos ab omni officio publico, & actus eorum siue sit iudex sæcularis, siue Ecclesiasticus, nullo modo tenere. Hæc est Mag. Victor. Et probator. Publicè ac notoriè excommunicati sunt suspensi ab omni officio publico, & actus iusticiales eorum sunt omnino nulli, sed nominatim excommunicati, & manifesti percussores clericorum in iudicio Ecclesiæ sunt publicè, & notoriè excommunicati, & vt tales omnino vitandi, iuxta decretum Conc. Constan. huiusmodi, & inhabiles durante illa censura ad aliquos actus iudiciales.

Tertia opinio habet tria: Primò excommunicatum siue sit publicè, & notoriè excommunicatus vel manifestus percussor clerici) peccare quidem mortaliter iudicando, facta tamen eius esse, & Valida, & Tenere, Secundò tenere quoque,

etiam

etiam sit nominatim excommunicatus, quamdiu tolleratur ab Ecclesia, quia quamdiu toleratur concedit illi Ecclesia vsum suæ iurisdictionis, & habet pro ratis illius, esset enim magnum damnum boni publici, vt iudicem illum vna ex parte viderent fideles tolerari ab Ecclesia, nec impediri à prælato loci, cui id incumbit, ex officio, & alia ex parte facta illius essent inualida.

Tertiò, nominatim excommunicatum, & manifestum percussorem clerici, vbi non tolerantur ab Ecclesia, esse suspensos ab exequutione sui officij, & facta eorum non tenere, quia eo ipso quo non tolerantur, exponat eos omni vsu suæ iurisdictionis, & declarat eos inhabiles ad quoscunq; actus publicos, & iudiciales. Hęc est Caiet. in sum. verbo. Excommun. & Mag. Soto in suo 4. distin. 22. quæst. 2. vbi pro eodem sumit quamdiu ignoratur, & quamdiu toleratur, & est communis modò inter recentiores Thomistas.

CONCLVSIO PRIMA.

Excommunicatus excommunicatione maiori, etiam si non sit notoriè excommunicatus, sed occultè, modo sit reuera excommunicatus, & ipsi constet, peccat mortaliter exercendo actus publicos, & iudiciales.

IN hac conclusione omnes conueniunt, non tamen in probatione illius, Soto enim in suo 4. distinct. 22. quæstio. 1. articu. 4. probat illam, quia præceptum Ecclesiæ omnes excommunicatos excõmunicatione maiori eo ipso quo talem excommunicationem incurrunt, arcet, & subtrahit à communione aliorum fidelium: iudex verò excommunicatus id sciens, & exercens actus iudiciales, contemnit hoc præceptum, contemptus autem præcepti Ecclesiastici in re graui (vt diximus) est ex suo genere peccatum mortale, Caiet. verò in sum. verb. Excommun. prope finem, non sentit iudicem peccare mortaliter, eo quod agat contra præceptum Ecclesiæ non communicando cum alijs, vult enim præceptum Ecclesiæ sub mortali separare tantum excommunicatum ab alijs fidelibus, in his rebus in quibus communicant fideles, vt fideles sunt, quales sunt orationes, sacramenta, &c. In alijs autem rebus in quibus possunt communicare fideles tàm cum fidelibus quàm cum infidelibus, & in quibus communicant, fideles inter se, non qua fideles sunt, sed qua homines sunt, ex naturali vel ciuili societate, non separari excommunicatum ab alijs fidelibus nisi sub veniali. Vult tamen Caiet. eo loco iudicem excommunicatum peccare mortaliter ratione vsurpatì iudicij, quia iudicium vsurpatum ex suo genere est iniquum, & peccatum mortale, excommunicatus autem cum sit suspensus ab vsu suæ iurisdictionis durante censura, si attentet iudicare, committit iudicium vsurpatum. Sentiremtamen iudicem istum vtraque ratione peccare mortaliter.

CONCLVSIO II.

Occultè excommunicatus non est suspensus, neque priuatus suo officio, & iurisdictione, neque illius vsu, & exercitio, & ita potest iudicare, & actus ipsius tenent.

ITa Palud. in 4. distinctione 28. quæstione secunda, Ricard. in 4. distinctione decima octaua, quæstione prima, artic. septimo, Sylnest. Excommunicatio capit. 3. num. 23. Caiet. in sum. Excommunicatio, Soto loco cit. & est communis inter omnes Doctores. Et probatur, quia omnes textus adducti expresse loquuntur de excommunicato publico, & notorio.

Secundò, can. Infamis 3. quæst. 7. habetur, facta, & iudicia quæ exercuit seruus dum ignorabatur esse seruus, & habebatur pro libero, valida esse, quamuis seruus iudex esse non possit, ergo similiter facta excommunicati occulti: Probo consequentiam ex paritate rationis: sicut enim excommunicatus non potest esse iudex, ita nec seruus.

Et confirmatur ex iure ciuili ff. enim de officio prætoris l. Barbarius proditor ciuitatis vel Reip. non potest esse prætor, nihilominus quamdiu est occulta eius proditio (& dubitatur an conspirauerit) in Remp. facta, & iudicia eius tenent.

Tertiò, quod excommunicati sint suspēsi à suo officio publico est à iure humano pontificio, Ecclesia autem non est censenda suspendere occultos, quia Ecclesia in suis legibus sicut quiuis prudens legislator cēsenda est prospexisse bono communi, esset autem maximum dam num boni publici, & fidelium, si actus excommunicati occulti essent inualidi. Qui enim possident aliqua bona per sententiam iudicis, deberent esse dubij an illa tuto possideterent, qui peccata sua confessi sunt, deberent esse dubij de suo statu, maximè si aliqua excommunicatio illorum iudicum, vel confessariorum quæ prius occulta erat, deinde innotescat. Esset certè mille laqueos inijcere conscientijs.

CONCLVSIO III.

Publicè vel notoriè excommunicatus, licèt peccet iudicando, vt patet ex prima conclu. si tamen non est nominatim excommunicatus, vel manifestus clerici percussor, non est suspensus ab officio iudicis, & facta ipsius tenent.

PAtet, Si sic excommunicatus non posset iudicare, nec facta eius essent valida, non possent litigantes illum adire, sed tenerentur vitare, at sic excommunicatum ex decreto Concilij Constan. non tenemur vitare, sed possumus cum eo in omnibus communicare, ergo potest iudicare, & exercere actus validos, & firmos.

Secundò, excommunicatus non est minus exclusus à ministerio sacramentorum, quàm ab actibus iudicialibus, imò magis ab illis quàm ab his, cum excommunicatio potissimè separet in communione sacramentorum, & diuinorum, sed excommunicatus qui non est nominatim excommunicatus nec percussor clerici, licèt peccet ministrando sacramenta, verè tamen illa confert, & effectum

effectum eorum, ergo iudex excommunicatus modò non sit excommunicatus nominatim, aut manifestus clerici percussor, verè iudicat, & actus eius sunt validi. Denique sequeretur idem incommodum quod in culto, quia cum Ecclesia declarauerit vitandos tantum esse nominatim excommunicatos vel percussores clericorum, cum aliis autem posse fideles in omnibus communicare, si ex vna parte licèt cum eis in omnibus communicare, ex alia verò actus iudiciales ipsorum sunt inualidi, esset maxima perturbatio in negotiis, & damnum boni publici.

CONCLVSIO IIII.

Si contingat nominatim excommunicatum vel clerici percussorem in aliquo loco ignorari, & ibi publicè exercere sua iudicia, Ecclesia illud tollerante, id est prælato sciente nec prohibente, peccat grauissimè talis iudex, facta autem eius quamdiu tolleratur valida sunt.

VErbi gratia, est iurisperitus nominatim excommunicatus Valentiæ, cui profecto in Cęsaraugustam prætor sua iudicia commendat, ipse verò audit litigantes, & gerit se apud illos ac si non esset excommunicatus, nec à Prælato Cęsaraugustano qui ignorat illum esse excommunicatum, vel ab alio prohibetur, sed permittitur, & tolleratur, peccat hic grauissimè, actus tamen iudiciales ipsius validi sunt. Probatur primò Actus excommunicati occulti sunt validi, hic nominatim excommunicatus Valentiæ, Cęsaraugustæ vbi omnino ignoratur, & tolleratur ab Ecclesia, est velut occultus, ergo facta eius debent teneri.

Secundò actus publici prælatorum qui reuera excommunicati sunt, quamdiu tollerantur ab Ecclesia rati sunt, & firmi, vt collationes beneficiorum, electiones, confirmationes, quia quamdiu tollerantur, permittitur illis vsus suæ iurisdictionis, vt habetur 8. quæst. 4. can. Nonne. ergo, & actus iudicis quomodocunque fit excommunicatus, quamdiu tolleratur ab Ecclesia.

Tertiò, ex eodem Innoc. cap. 1. De schismaticis. Et Ricard. loco cit. Panormit. in capit. Ad probandum. De sententia, & re iudicata. Si confessarius sit hæreticus vel schismaticus, audiat tamen publicè confessiones, & conferat sacramenta seruata forma, & intentione Ecclesiæ, sacramenta illa habent vim, & conferunt suum effectum, quamdiu ab Ecclesia tolleratur, eo ipso quo tolleratur: similiter si clericus cum ficta licentia audiat publicè confessiones, & pręlato vidēte nec prohibente, peccat quidem grauissimè clericus ille, estque excommunicatus, verè tamen confert sacramentum, & effectum sacramenti, nec confessiones illæ etiam si deinde detegatur illa hæresis, vel licentia ficta istorum confessariorum, sunt iterandæ, quia aliter passim, & sine culpa sua deciperentur fideles, ergo multò magis in iudice forensi, etiam si excommunicatus sit quacunque excommunicatione, quamdiu tolleratur ab Ecclesia, facta eius valida sunt, aliàs grauiter lęderetur bonum publicum, sequerentur q; eędem omnino perturbationes, quæ ex occulte excommunicato. Denique non minus agit iniquè tyrannus iudicando Rempu. quàm tyrannicè occupat, quam iudex excommunicatus, sed tyrannus licèt peccet per vsurpatum iudicium, sententia tamen ab eo lata si aliàs iusta sit, tenet quando iam tolleratur à Rep. ergo multò magis sententia iudicis excommunicati qui tolleratur ab Ecclesia licèt ipse grauiter peccet, & per vsurpatum iudicium. Patet conseq. quia magis inuoluntaria est Resp. respectu tyranni, quàm respectu iudicis excommunicati, quia illud inuoluntarium cum tyranno est per vim, hoc autem cum iudice nominatim excommunicato, & tollerato, est per ignorantiam. Et ita auctores ipsi primę opinionis, vt refert Syluest. loco citato licèt dicant publicè, & notoriè excommunicatum non posse exercere actus publicos, fatentur simul, facta ratione publici officij valere, si excommunicatus tollatur ab Ecclesia, ita vt communi opinione habeatur pro non excommunicato, quia aliter deciperentur fideles, cum putantes se agere cum legitimo iudice, agerent cum eo, qui iudicare non potest, & cuius facta inualida essent.

Vnde per notoriè excommunicatum intelligendus etiam est secundum ipsos publicè excommunicatus, nec tolleratus ab Ecclesia: in quo etiam sensu explicandi sunt omnes illi textus adducti pro prima opinione. Et sic soluuntur omnia illa argumenta. Ex regulis enim iuris, iura vetera explicanda sunt iuxta noua ad eandem materiam pertinentia, & cum ius nouum nempè decretum Concilij Constan. tantum prohibeat actus excommunicati proprio nomine, & manifesti percussoris clerici, vbi tales habentur, nec tollerantur, omnia illa iura antiqua posita in argumentis primæ opinionis explicanda sunt similiter, de excommunicato non tollerato ab Eccl. sia. Eodem modo soluitur argumen. Victo. publicè enim, & notoriè excommunicati propriè non dicuntur, nisi manifesti percussores clericorum, & nominatim excommunicati vbi id non ignoratur, nec tollerantur: vbi enim ignoratur, & tolleratur, quis dubitat esse velut occultos excommunicatos?

Obseruandum tamen in his omnibus est, illum verè dici tollerari, qui propter ignorantiam non prohibetur à prælato loci, nam si omnibus notum sit, illum esse excommunicatum nominatim, vel manifestum percussorem prælatus verò ex malitia dissimulet, nec illum prohibeat iudicare, tunc non est dicendus tollerari, publica enim, & certa notitia totius loci, & prælati, quamuis iniquè dissimulantis, est sufficiens prohibitio, & suspensio, propter quam iam dicatur non tollerari.

ARTICVLVS II.

An iudex debeat iudicare contra veritatem quam certò nouit, propterea quæ in contrarium proponuntur.

STatuit D. Thom. ad quæstionem huius artic. duo. Primò, iudex non agat nisi, vt persona publica, duo illa quæ maximè requiruntur in ipso, nempè potestatem, & scientiam debere quoq; esse publica, vt quemadmodum id tantum debet agere, quod potestas publica illi tribuit, ita quoq; oportet ipsum iudicare iuxta ea, quæ per scientiam publicam ipsi constant.

Et confirmatur hoc fundamentum, Effectus sequitur naturam, & rationem suæ causæ, hæc scientia iudicis, est quidam effectus potestatis quæ in ipso est, ideo namque potest inquirere factum, exami-

examinare testes, compellere illos, &c. quia potest causam illam iudicare, sed potestas qua iudicat nõ est priuata, sed publica, ergo, & scientia, secũdum quam debet iudicare, debet etiam non esse priuata, sed publica.

Secundò, statuit duplici scientia vti iudicem in suis indicijs alia iuris, & alia facti: In quauis enim causa expendit iudex duo, Primò quid factum sit, Secũdò in tali facto quid iura disponant: Scientia iuris petenda est ex legibus scriptis, scientia verò facti potest esse duplex vna publica, & iuridica, nempe quæ cõstat per testes, instrumenta, & alias probationes iuridicas, & alia priuata quę habetur per priuatam, & particulatem cognitionem facti extra iudicium.

CONCLVSIO PRIMA.

Quantum ad dispositionem, & scientiam vniuersalem iuris, tenetur iudex sequi leges scriptas, diuinas, vel humanas, & non suum priuatum sensum, & iudicium, aut alicuius alterius.

Patet, quia (vt vidimus) iudex non est iudex legis, sed merus tantum executor, & custos, & ita non pertinet ad ipsum iudicare, an lex sit bona, sed solum quid illa iubeat intelligere, & illam custodire, ac exequi. Vnde si probare tentent actor vel reus, legem non esse bonam nec iustam, non sunt audiendi, neque admittendæ aliquæ probationes contra æquitatem legis, quia lex non est iudicanda, sed secundum illam est iudicandum: Quæ omnia intelligenda sunt nisi lex humana apertè repugnaret legi naturali aut diuinæ, contineretque manifestam aut euidentem iniquitatem, tunc enim non est lex, sed corruptela, vt copiosè vidimus quæst. 61. art.

CONCLVSIO II.

Quantum ad veritatem particularem facti, debet vti iudex omni diligentia, & examine, ad repellendos testes, quos videt testificari contra veritatem, quam certè nouit.

Patet, Quia cũ teneatur iudex ex officio inquirere quantum iudicè potest veritatem facti, tenetur consequenter diligenter examinare testes, & vbi viderit illos falsum asserere, vti omni diligentia, prudentia, ac industria possibili, & licita, vt illos velut inimicos veritatis, & iustitię repellat. Secundò, Incumbit omnibus iure naturali quantum possunt, liberare innocentem, & iudicibus ratione officij arctiori vinculo. Prouer. 24. [Erue eos qui ducuntur ad mortem. Ad liberandum autem innocentem oportet vti omni diligentia, & examine possibili ad repellendos falsos testes, ergo debet illa vti.

CONCLVSIO III.

Quando omni diligentia adhibita iudex non potest repellere falsos testes, tenetur iudicare iuxta ea, quæ proponuntur, & probantur in iudicio, & non secundum veritatem quam ipse priuatim nouit.

Probatur. Iudex cum non iudicet, vt priuata persona, sed vt publica, debet in iudicando sequi non particularem illam, & priuatam scientiam facti, quam ipse, vt priuatus homo habet, sed illam iuridicam, & publicam quam habet, vt publica persona, & iudex, scientia autem publica, & iuridica est illa, quæ constat ex testibus, & instrumentis productis in iudicio, ergo debet iudicare secundum ea quæ sibi proponuntur, & probatur in iudicio, & secundum ea quæ ipse priuatim nouit.

Circa primam, & secundam conclusionem huius articu. nulla est dubitatio, omnes Doctores tàm Theologi quàm iuris periti conueniunt in vtraque. Circa Tertia verò.

DEBEAT NE IVDEX secundum allegata, & probata iudicare, quando ipsi oppositum constat.

Variæ, & pugnantes existũt opiniones, quibus quæ apud omnes certa sunt præmittenda esse duximus.

Primum igitur cum proposita quæstio tractari possit tàm de reo quàm de innocente, de reo quidem, an debeat condemnare quem certò nouit esse reum, ac debitorem, cum tamen iuridicè probetur esse innocens, ac nihil debere: de innocente verò, an debeat condemnare quem videt iuridice probari reum, & nocentem, cum tamen ipsi certò constet, innocentem esse, & insontem, obseruemus certum esse apud omnes, nullo modo licere iudici condemnare illum, qui non probatur iuridicè esse reus, vel debitor, quantumuis ipse sciat certò, & euidenter esse reum.

Primò quia omni iure prohibitum est, in iudicio humano eundem esse iudicem, & testem, si autem iudex condemnaret Petrum, propter ea, quæ ipse priuatim nouit, tunc idem esset iudex, & testis.

Secundò daretur occasio iudicibus condemnandi innocẽtes suo simplici dicto, & testimonio, affirmãdo se id scire, etiam si non probetur, quod est maximum incommodum in Rep. Quod si dixeris, sic aliqui innocentes qui non puniuntur punirentur.

Respondeo cum D. Chrisost. [Melius esse aliquos nocentes manere impunitos, quàm occasionem offerre iudicibus, puniendi innocentes quos vellent.]

Tertiò forum exterius non extenditur ad crimina occulta, quæ autem non probantur iuridicè, in iudicio occulta sunt. Et Dan. cap. 13. licèt nosset certissimè illos testes falsò accusasse Susannam, non tamen eos condemnauit, donec non fuerint conuicti. Denique nemo potest condemnari sine testimonio alicuius iuxta illud Christi: [Mulier nemo te condemnauit.] Id est nemo contra te fert testimonium, vt condemneris, [Neque ego

te

te condemnabo.] Scientia autem priuata iudicis non est sufficiens testimonium in iudicio, c. Si sacerdos. De Officio iudicis ordinarij, ergo.

Secundò, certum est apud omnes, Iudicem in conferendis officijs, & alijs quæ ipsius arbitrio committuntur, non teneri stare dictis testium, aut aliorum, sed potius scientiæ quam ipse habet de meritis cuiusque, vt docet Syluest. Iudex cap. 2. 5. Et habetur. l. 1. & 2. ff. De iurisdictione omnium iudicum. Similiter in dispensationibus non debet dispensare propter testimonia, aut dicta aliorum, quando ipse certè nouit impedimentum occultum, in quo vel non cadit dispensatio, vel non potest, vt habetur can. Exigunt t. q. 7. Quia in conferendis officijs, propriè non est iudex, sed distributor, tenetur que illa distribuere pro meritis, quæ non ex dicto testium, sed à parte rei petenda sunt, & ita debet potius stare suæ cognitioni certæ quã dictis testium: In dispensationibus quoque, cum dispensatio malè facta non sit valida, quando illa non potest à parte rei vel fieri vel benè fieri, non est facienda, quidquid testes dicant, quia etiam si fiat non est dispensatio, sed deceptio potius conscientiarum.

Tertiò, certum est apud omnes, iudicem non posse iudicare secundum allegata, & probata contra veritatem quam nouit, quando ipse concipit apud se ipsum repugnare legi naturali vel diuinæ, iudicare secundum allegata contra veritatem quam nouit, quia tunc agens côtra tale iudicium practicum, & conceptum animi sui, agit contra conscientiam, (est enim conscientia dictamen iudicij practici in ordine ad opus) quicunque autem agit contra conscientiam, peccat mortaliter. Vnde quæstio est simpliciter, & à parte rei.

DEBEAT NE IVDEX *condemnare quem certò nouit innocentem, videt tamen per allegata, & probata conuinci esse reum.*

Variæ sunt, (vt dixi) de hac quæstione Prima, & magis communis tàm inter antiquos quàm recentiores est quam habet hic D. Thom. sequuntur illam Alen. 3. p. quæst. 40. mem. 6. art. 2. Ricar. in 4. dist. 18. art. q. 26. Maior. in 4. d. 33. q. 4. D. Antoni. 3. p. tit. 9. c. 2. §. 6. Palud. in 4. distin. 18. quæst. 6. Petrus à Tarãtia qui fuit deinde Innoc. 5. Gãden. Quod lib. 3. q. 25. Altisiodor. 3. p. suæ summæ tit. In quibus sit obediendum. Sylue. Verbo iudex c. 2. §. 5. Abulen. In cap. 23. Exod. q. 6. Turrecrem. & Archidia. in cap. Si Sacerdos. De officio ordinarij. Barthol. in leg. Illicitas ff. De officio præsidis §. Veris, Ioan. Andre. In Speculo. tit. De allegatis, & disputatis. §. Satis. num. 13. Felinus, & Imola in capit. Pastoralis, De officio ordinarij §. Quia verò, Inno. In eodem cap. Pastoralis, & in c. Venerabilis, De censibus, Glossa, & Alciatus in cap. De officio ordinarij. Couar. lib. 1. Varia resol. c. 1. Nauar. In can. Si quis. De pœnit. d. 7. num. 128. Nituntur que hi Doctores fundamento, & rationi D. Tho. iam propositæ, quia iudex sicut agit auctoritate publica, ita debet sequi scientiam publicam, & iuricam quæ habetur ex dictis testium.

Seconda opinio est huic omnino aduersa, iudicem in nullo genere causæ, neq; in ciuilibus neq; in criminalibus, posse iudicare contra veritatem, quam ipse certò nouit, etsi multis testibus oppositum probetur. Sequuntur hanc ex Theologis Lyranus in illud Exo. 23. Innocentem non occides. Arboreus lib. 9. suæ Theosophiæ c. 20. Frater Barnabas de Rasalibus tract. de variet. opinio. fol. 95 Ex iurisperitis Martinus antiquus iuris interpres in illam legem, Illicitas §. Veritas, Vgo Iurista, in l. Prætor. ff. De iurisdic. omnium iudicum, Calderinus, Panorm. Hostien. & Bellamera in c. Pastoralis de officio delegati, Abbas Siculus in ca. 1. De officio ordinarij. Angelus in verbo iudicare qu. 7. & alij nonnulli. Vtunturque in probanda sua opinione his potissimis argumentis.

Primò, agere contra conscientiam in re graui est peccatum mortale, sic intelligunt B. Ambrosius, & communiter Doctores illud Rom. 14. omne quod non est ex fide peccatum est, id est quicquid repugnat illi iudicio interno practico, quo credimus, & iudicamus hoc licitè fieri vel non fieri: sed iudex sciens Petrum innocentem qui per testes probatur nocens, eo ipso quo scit illum innocentem, interius iudicat non mereri supplicium, nec damnandum, ergo si exterius iudicet illum damnandum propter falsos testes, agit contra illud iudicium interius, & conscientiam propriam, peccatque grauissimè. Et cõfirmatur, nam c. 1. De re iudicata. In 6. Et Clementina prima de hæreticis. Præcipitur iudici, vt iuxta propriam conscientiam ferat sententiam.

Secundò, mendacium perniciosum in iudicio, & in dãno tertij peccatum mortale est, sed iudex iudicans propter falsos testes contra veritatem quam nouit, mentitur. Probo: Mendacium in iure definitur, [Aliud dicere quam scias.] Ita habetur c. 1. De crimine falsi. c. Super eo De vsuris. c. 1. 22. q. 2. Sed iudex condemnans innocentem, eo ipso quo condemnat, asserit omnibus per suam sententiam esse nocentem, cõtra id quod scit, cum verè, & interius sciat esse innocentem, ergo mentitur.

Tertiò, iudex debet iudicare, secundum veritatem, Deu. 17. Cum ambigua causa oriebatur, præcepit Deus. [Venies ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatẽ.] Sed veritas non est sumenda ex falsis *dictis hominum*, sed ex reb. ipsis, [propter *nostrum enim* affirmate vel negare non *mutatur veritas*.] Ergo iudex nõ debet iudicare secundum testes, quos scit esse falsos, sed secũdum veritatem, quam ipse certè nouit. Et confirmatur. Exod. 13. dicitur iudici. Non suscipies vocem mendacij, neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero denies.] Et subditur: Innocentem, & iustum non occides. Quasi dicat, non audies testes, quos noueris falsos, & mendaces, vt innocentem occidas, at si esset iudicandum secundum allegata, & probata, cõtra veritatem, quam iudex certo nouit, susciperet vocem mendacij, & à vero in iudicio declinaret, & occideret innocentem, quæ omnia Deus ibi prohibet. Quod si dixeris sequetur scãdalum, nisi iudex iudicet secundum testes. Huic incommodo iam respondetur (inquiunt hi Doctores) extra De regulis iuris c. Qui scandalizauerit. Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas vitæ relinquatur. Quartò, quod est intrinsecè malũ, & iniquum, nulla ratione honestari potest, occidere innocentem est intrinsecè malum; ergo nulla ratione, aut timore, aut titulo processus, vel testium legis alicuius id præcipientis potest benefieri.

Quintò, si assertio iuridica multorum esset præferen-

ferenda veritati, quam iudex vel superior certò nouit, in iudicio, cũ determinatio fidei sit quoddam iudicium, deberet Papa in determinatione, & definitione alicuius articuli fidei, sequi potius sententiam, & scientiam communem multorum Doctorum, vel Episcoporum, quam suam particularem: oppositum tamen est de fide, Papam in definitione fidei non posse sequi scientiam, & sententiam communem, contra suam particularem: Similiter si ageretur de canonizatione alicuius sancti, cum illa sit velut actus iudicialis, si ipse certò sciret illum fuisse peccatorẽ, multitudo autem testum quos nosset falsos, testaretur illum fuisse sanctum, & edidisse miracula, deberet Papa sequi illam scientiam testium cõtra suam particularem, quod est omnino falsum.

Sextò, sicut finis est præstantior medijs, ita sententia iudicis præstantior est probatione iuridica, quæ est velut medium ad ipsam sententiam, vnde si probatio iuridica testium est præferẽda propriæ scientiæ multo magis sententia iudicis erit, quoq; præferenda propriæ scientiæ. At si quis per sententiam iudicis compellatur habitare cum aliqua vt vera vxore, & reddere ei debitum, vt veræ vxori, ipse autem priuatim sciat illam non esse suam, non tenetur, nec potest stare illi sententiæ, nec reddere debitum, sed pati prius quæuis incommoda, quam agere contra priuatam scientiam quam habet illius veritatis, hanc non esse suam, vt est definitum in cap. Inquisitioni. De sententia excommunicationis. Et capit. Dominus. De secundis nuptijs, ergo multo minus debet agere contra veritatem quam iudex nouit propter falsas probationes.

Septimò, quando medium non est conforme fini, sed illi potius repugnans, dimittendum est, sicutique, & imprudenter ageret medicus, qui ea adhiberet medicamenta, quæ non conferunt salutem, imò nocent: probationes testium adhibentur, vt media ad inquirendam veritatem facti, & vt fiat fides iudici de veritate facti: Vnde vbi res est notoria, & euidens iudici, non quæruntur nec adhibentur testes, sed euidentia facti est sufficiens processus iuxta illud Paul. 1. Tim. 5. [Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.] Sed quando testes sunt falsi, & contra veritatem quam iudex certò nouit, non deseruiunt illi inquirendæ, nec illam aperiunt, quin potius perturbant, & sepeliunt, ergo tunc dimittendi omnino sunt, nec iudicandum secundum illorum dicta.

Octauo, iudex debet iudicare secundum leges, & iura, leges autem omnes volũt, vt iudex reddat vnicuique suum ius, ius innocentis est, vt absoluatur, non vt condemnetur ergo debet illum absoluere, sequendo veritatem, quam nouit, non autem condemnare iuxta falsò allegata, & probata.

Nono, sicut exigitur in iudice scientia facti, quæ petenda est ex legibus, ita & scientia iuris, quæ sumenda est à testibus, sed non potest iudicare quantum ad quid iuris secundum leges, quas certò nosset falsas, & iniquas, ergo neque quantum ad quid facti poterit iudicare secundum dicta testium, quos nouit falsos esse, & mentiri.

Decimo, cum non detur bellum ex vtraque parte iustum, si iudex condemnans innocentem, quia probatur nocens, iustè ageret, huiusmodi innocẽs sic condemnatus non posset iustè se ipsum defendere, at iustè potest, quando inde nullum sequitur scandalum, imò etiam si sequatur scandalum non aget iniustè, se ipsum defendere, at iustè potest, quando inde nullum sequitur scandalum, imò etiam si sequatur scandalum nõ aget iniustè, cum scandalum non sit cõtra iustitiam, sed contra charitatem tantum, ergo iudex condemnans illum per falsos testes iniquè agit.

Vndecimò, iudex licet debeat iudicare secundum leges scriptas, potest nihilominus quando recta ratio dictat, aliqua circa illas vti epicheia; temperando rigorem legis, vel mutando pœnam, ergo & in probationibus facti poterit vti epicheia, non admittendo testes quos nouit certò mentiri, sed aliqua via repellendo illos. Nam si potest ex coniecturis, indicijs, præsumptionibus, vel similibus habere illos pro suspectis, & expellere, vt habetur l. 3. ff. De Testibus, & leg. Admonendi. ff. De iureiurando, multo magis poterit quærere occasionẽ, & titulum ad expellendos, quos certò nouit esse falsos, & mentiri. Et confirmatur à Calderino, Iudex non potest condemnare reum nisi habeat certam scientiam illum esse reum, quia in dubijs potius debet illi fauere, impossibile autem est, vt quẽ priuatim scit, & certò esse innocentem, per aliquã certam scientiam sciat esse nocentem, quia non possunt dari duæ scientiæ certæ contrariæ de vna, & eadem re in eodem homine simul, ergo.

Duodecimo, si iudex deberet iudicare secundum testes, & probationes, Pilatus non peccasset condemnando Christum, quia innumeri testes asserebant illum blasfemum, seductorem populi, & prohibentem tributa dari Cæsari.

Denique iudex tenetur eruere, & liberare innocentem quantum potest, iuxta illud Pro. 24. [Erue eos qui ducuntur ad mortem,] Sed in hoc casu potest eruere absoluendo, ergo tenetur absoluere, & non iudicare secundum testes. Maior certa est. Probatur minor. Iudex potest (vt supra vidimus) sequi in iudicãdo opinionem probabilem, hæc est probabilis, cum habeat, tot graues auctores, & argumenta, potest igitur illam sequi, & cum possit illam sequi, potest liberare, ergo tenetur, & malefaciet condemnando. Adducuntur, & alia multa pro hac opinione, sed hæc sunt præcipua.

Ceterum cum non possit iuxta hanc opinionem condemnare, nec stare dictis testium, absoluere quoque vel liberare reum, non possit sine magno scandalo, imo, & periculo proprio, quia iudicabitur à toto populo iniquus, & à superiori plectetur pęna, velut is qui dimisit impunitum iuridicè probatum reum, quid aget in hoc casu iudex iste? Auctores huius secundæ opinionis licèt omnes doceant, non esse condemnandum innocentem contra veritatem quam iudex certò nouit, propter falsos testes: quomodo autem debeat iudex tunc se gerere variè docent. Quidam .n. eorum, vt Martinus, Calderinus, & nonnulli indubitanter volunt, vt iudex publicè, & cum iuramento si opus fuerit afferat veritatem quam certo nouit, & testes illos falsum dixisse, & sic liberet, & absoluat innocentem. Quod si dixeris infamabit testes, respondent id licere ad tuendam famam, & vitam innocentis, sicut licet, & occidere inuasorem innocentis, quia potior est ratio patientis iniuriam quam inferentis. Alij vt Aegidius à Bellamera Panorm. Prępositus, & Hostien. negant posse absolui quando iuridicè probatur quis reus, quia licèt non debeat iudex iudicare secundum allegata, & probata cõtra veritatẽ quã nouit, non tñ debet iudicare contra allegata, & probata, quia esset confundere totum ius, & offerre occasionem iudicibus liberè iudicãdi pro arbitrio, Et ita licèt non debeat condemnare, nec debet (inquiũt) absoluere, sed debet illum remitte-

remittere ad superiorē, significando illi innocentiam rei, & falsitatem testiu, & agere testem apud illum superiorem, quia hac via vel liberabitur reus innocens, si superiori præferat testimonium ipsius alijs, vel saltim consequetur ut ipse non condemnet innocentem cōtra veritatem quam certò nouit. Quod si nō possit remittere ad superiorem, vel quia superior nō admittit illam remissionem, vel actor proclamat, & iuxta leges non possit fieri, tunc non condemnet, sed differat semper sententiam. Quod si neque hoc valeat, sed præcipiatur à superiori iudicare in illa causa, dimittat officium, & patiatur quæ quis damna, antequam condemnet contra suam conscientiam, & legem Dei innocentem.

Sylu. loco citat. etiam si sequatur opinionem D. Thom. iudicem debere iudicare secundum allegata, & probata, inclinat tamen quoque in hanc partem, vt iudex vel remittat ad superiorem si credit ea via liberādum, vel deponat officium, quod si neutrum possit iudicet secundum allegata, & probata. Vnde ex Sylu. D. Thom. esset intelligendus, quando iudex non potest remittere ad superiorem, vel non potest cedere suo officio, sed cogitur omnino iudicare. Alij ita sunt perplexi, quādo quæritur ab eis quid in hoc casu faciat iudex, vt sibi ipsis aduersentur, Ioannes Andre. loco citat. in suo Speculo, vt refert Sylue. tenet cum D. Thom. vt non curet iudex scientiam quam habet, vt priuatus, sed quam habet ex processu, vt iudex, & deponat conscientiam, si dicitet illi non esse iudicandum secundum allegata, quod si eam deponere non valet cēdat officio, vel supersedeat, & nullo modo iudicet contra conscientiam. In capit. autem Pastoralis §. Quia vero. docet oppositum, iudicem non debere iudicare secundum allegata, & probata contra veritatem quam nouit certò. Similiter Imola in dicto §. Quia vero. sentit cum D. Thom. in capit. autem primo, De officio ordinar. tenet oppositum, vt constat ex Couarru. lo. citato. Ita auctores huius secūdæ opinionis dissecantur.

Est tertia opinio media inter primam, & secundam, quæ ita distinguit, vt in causis criminalibus capitis vel mutilationis alicuius membri, iudex non iudicet secundum allegata, & probata contra veritatem quam certò nouit, in alijs vero causis criminalibus leuioribus, & in ciuilibus iudicet secundum allegata, & probata, & contra veritatem quam certò nouit. Hæc fuit cuiusdam Rodulphi iurisperiti antiqui, vt refert Angelus loco cit. Eandem habet etiam Imola, qui in hac parte maximè varius est, & nonnulli Iuristæ leg. à Diuo Pio ff. De re iudicata. Et summa Rosella, & Suplementum in Verbo Iudex. Eandem maximè probat Adria. quodlib. 6. arti. 3. vbi quod mirandum est, vocat eam communem inter Theologos, cum cōmunis sit illa D. Thom. idem sentit Antonius Corduba lib. 1. suarum quæstionum quæst. 37. Iuxta hos enim auctores iudices debent iudicare secundum allegata, & probata, quia leges humanæ, & les ita statuunt, & in eas Resp. & populus ob pacem publicam, & finiendas lites cōsensit, quo posito fundamento argumentantur sic: Nemo potest disponere, aut suo consensu firmare dispositionē, nisi in his tantum quorum est dominus, Resp. est quidem domina bonorum suorum ciuium, non autem vitæ, & membrorum, ergo potuit consentire in leges diffinientes, vt iudices, ferant sententiam, & dicant ius secundum allegata, & probata in ciuilibus, & causis respicientibus bona temporalia, etiam contra veritatem, ad finiendas lites, non autem in criminalibus, maximè pertinentib. ad vitam, & membra, cum in hæc non habeat dominium, nec possit ea tollere, vel exponere, nisi aut puniendo verum delictum, aut in bello iusto, & defensione patriæ, quorum nil in hoc casu teperitur, cū nec occurrat bellū, nec ille sit delinquēs, sed verè innocens, & immunis cognitus à iudice.

Ex his opinionibus hęc vltima Adriani non modò non est communis, sed quæ minus recipitur à Doctoribus, & quæ minus veritatis habet. Nam primò, falsum est illud fundamentum iudices debere iudicare secundum testes, quia humanas ita leges humanæ statuant, quamuis enim verum sit leges humanas ita præcipere, ipsi verò non tenentur ad hoc propter solas leges humanas, sed iure diuino, & naturali, ac ex natura sui officij, quia iudicant, vt personæ publicæ, & potestate publica, propter quod tenentur in iudicando sequi scientiam publicam.

Secundò falsum est, populum, & Rempu. consensisse in istas leges quantum ad causas ciuiles, non tamen consensisse aut non potuisse consentire quantum ad criminales, nullibi enim legitur ta lis consensus populi, neque habent leges vim ex consensu populi communiter, sed ex auctoritate Principis, & vtilitate boni communis, in his enim duobus consistit tota vis, & iustitia legis.

Tertiò falsum est Remp. esse dominam bonorum, non autem vitæ, & membrorum, non enim est magis domina bonorū suorum ciuium, quàm vitæ, quia sicut non potest liberè disponere de vita, & membris ciuium, ita nec potest liberè de bonis, & sicut tollere bona propter culpas, & applicare fisco, aut illa exponere pro bono communi, ita potest tollere vitam propter culpas, & illam exponere pro bono communi in bello iusto, & sui defensione. Denique cum veritas non mutet natu ram suam, & vim, quamuis mutentur negotia, & causæ, si veritas rei priuatim cognita est præferenda testibus in criminalibus, erit quoque præferenda in ciuilibus, non enim debet nimis valere in vno negotio quàm in alio.

Et confirmatur, aut sequi veritatem certò cognitam, & non testes falsos est iustum, & debitum, vel non: si sit iustum, pariter erit iustum in ciuilibus sicut in criminalibus, si verò iustum non sit, sed illicitum iudici, perinde erit illicitum in criminalibus sicut in ciuilibus, quod enim est iustum, est non variatur, quamuis varientur materiæ, & negocia circa quæ versatur. Est namque iudicium velut pondus, & mensura, quæ non variantur, sed eodem modo semper se habent, licèt res quas illis, metimur variæ, & innumeræ sint. Vnde illud Prouer. 20. [Pondus, & pondus mensura, & mensura vtrumque abominabile coram domino.]

Opinio, secunda Lyrani, & aliorum est quidem probabilis, cum habeat tot authores graues, & rationes adeò probabiles, & ita potest illam iudex tutè sequi, modò supremus qui à nullo potest compelli, cum liceat (vt vidimus) in iudicijs practicis relicta opinione probabiliori amplecti probabilem, modò interius conscientia nō dictet oppositum.

Opinio autem prima D. Thom. & magis communis est, & multò verior ac probabilior, quæ non est ita accipienda, vt statim iudex secundum allegata, & probata iudicet, contra veritatē quam certò nouit, sed prius tentandæ ab ipso sunt omnes viæ possibiles ad innocentem liberandum,

quam

quam sententiam dicat. Debet in primo limine causae, & cum primum actor accusat, si iudici oppositum certo constet, admonere, vt desistat, & priuatim illum arguere, ac cum iuramento affirmare veritatem, qua via poterit accusationem illam non admittere, Quod si nequeat, debet secundò aliqua via dicta illorū testium recusare, quod si neque id valeat, attentissimè examinabit illos, interrogando vnumquemque seorsum, & multoties, de circumstantia loci, temporis, &c. sicut fecit Dan. c. 13. in testib. illis falsò Susannā accusātibus: illosq; à viro fideli curabit admoneri de sua falsitate, ac vt Deum timeant, hac .n. via ferè impossibile est, quin deprehendat eorum mēdacium, vel saltim aliquam discrepantiam, qua non sint in omnibus contestes, nec admittēdi. Tertiò, si nil horum prosit, poterit coram omni populo iurare innocentiam illius accusati sibi certò constare, absque eo quod prodat verum nocentem, si videat ea via petitione nempe totius populi aut illum liberādum, aut ad superiorem causam deferendam. Quarto, quod admonet Alensis) si sine scandalo fieri possit, debet innocenti aperire carcerem, vt secretò recedat, & liberetur. Quintò, si credat profuturum, & ea via liberandum, vel ea cōsensu vtriusq; partis, vel posita appellatione rei quam debet admittere, cum sit medium licitum appellatio, debet causam illam remittere ad superiorem, & agere apud illum, personam testis pro innocente, quia superior cum è nullo alio superiori possit cogi, potest detinere sententiam, potest etiam vt videbimus in multis casibus pœnam raxatam à lege condonare, vel pœnam capitalem in pecuniariam conuertere, & illam deinde remittere. Similiter si credat profuturū, potest ad tempus personam iudicis exuere, vt causa illa transeat in manus successoris, & coram illo agat deinde personam testis. Dico si credat profuturum, sicq; est intelligendus D. Tho. q. 64. at. 6. ad 3. quando ait iudicem inferiorem debere remittere ad superiorē, & relinquere illi iudicandum innocentem, quem ipse liberare non potest: aliter enim, si id profuturum non sit, potius est illum citius morti offerre, & nocere, vt optimè obseruant Caiet. Soto, & Couarr. Forsan. n. iudex ille, siue superior siue successor, cui res explorata non est, propter dictum alterius iudicis qui agit testem, videns illum esse singularem, & vnicum, non desinet iudicare iuata probata per multos alios: Nec habet locum remissio haec in iudice superiori, quando populo vel parte laesa postulante, tenetur ea officio sententiam dicere: quia tunc ad alium remittere non potest cum sit superior, nec desistere à iudicando cum postuletur ab actore habente ius ad postulandum: quid ergo faciet, relinquet regnum vel imperium si est supremus? nullus hoc asseret. Vnde haec via rātum habet locum, quando creditur profutura. His igitur medijs si vtatur iudea sicut debet, impossibile ferè est moraliter loquendo, quin liberet innocentem, imò moraliter sumptus casus huius articuli D. Tho. vi detur metaphisicus, & nunquam futurus, Verumtamen quādo accidet, quia hominum malitia omnibus remedijs hic, positis viam occludente, non est omnino, & simpliciter impossibilis, debet iudea iuxta probabiliorem opinionem, secundum id quod iuridice probatur, & non secundum id quod ipse priuatim nouit iudicare. Et prȩter rationem D. Th. quae efficacissima est, probatur multis.

Primò iudea sicut vtitur in iudicio sciētia iuris & scientia facti, quarum vtraq; ab eodem fonte emanat, nempe ab illa potestate publica quae in ipso est, sed quantum ad scientiam iuris id est ius dicendum, non potest sequi suum priuatum sensum, & opinionem, quātumuis illam haberet pro certissima scientia, sed debet sequi scentiam publicam quam ei proponunt leges, ergo quantum ad sciam facti, debet quaeq; sequi nō suam priuatam cognitionē, sed illam publicam, quȩ habetur iuridicè per testes, & instrumenta. Secūdò, iudea non potest condemnare illum, qui non probatur esse reus iuridice, etiā si ipse certò sciat esse reum, quia ipse non potest esse simul iudea, & testis, nec iudicare nisi iuata testimonia aliorum, at si iudicaret, absolueret innocentem probatum nocentem, sequendo suam scientiam priuatam, & non allegata, ipsemet esset iudex, & testis in eadem causa, & ferret sententiam secundum suum testimonium, & iuata testimonia aliorum, ergo non potest iudicare secundum suam scientiam, sed secundum allegata, & probata. Et confirmatur, quia licèt iudea in condemnando innocente debeat magis examinare testes, & vti maiori diligentia, quàm in absoluendo nocente, attamen quātum ad substantiam iudicij, similiter debet procedere, vt sicut nō condemnat, sed absoluit contra suam priuatam scientiam, vbi non probatur nocens, ita non absoluat, sed condemnet contra suam priuatam scientiam, quando iuredicè probatur nocens. Effectus enim, & actus contrarij in eodem genere, debent esse à causis contrarijs in eodem genere, condemnare, & absoluere sunt effectus contrarij in iudicio, ergo sicut absoluitur qui non probatur iuridicè reus, etsi sciatur esse verè reus, ita est condemnandus qui iuridicè probatur reus, etsi verè sciatur non esse reus. Quod si dicas, non potest condemnare reum qui non probatur reus, quia manifestaret crimen occultum, potest autem absoluere innocentem, quia licet manifestare ipsius innocentiam. Contra inquit, & benè Couarru. quia si reus ille sit infamatus, vel semiōuictus, aut sit hs in re ciuili sine vllo periculo infamiae, nihilominus non potest iudex condemnare illum nisi probetur iuridice, quia debet stare iuridicȩ probationi. Et Daniel capit. 13. illos falsos testes, licèt certo nosset falsos esse, non repulit, nec liberauit Susannam, quantumuis certissimò, & diuina reuelatione nosset innocentem, donec iuridicè, & confessione ipsorum testiom ostendit illam esse innocentem.

Tertiò, ex differentia quae est inter Deum, & iudices humanos idem ostenditur, quam habet hic D. Tho. ad secundum: Deus enim ideo non indiget testimonio hominum ad iudicandum, sed ipse est testis, & iudex, quia non habet potestatem ab alio, sed à se ipso. ergo cum iudex humanus non habet illam à se ipso, sed à communitate, & Rep. debet sequi necessariò scientiam sumptam ex testimonio ipsius communitatis, & non suam priuatam.

Quartò, iudex debet iudicare secundum iura diuina, & humana vt vtroque iure tenetur in iudicādo stare testibus: Inprimis iure diuino, Deut. 17. [Cum accusatus fuerit aliquis adorasse Solem, vel Lunam, &c. inquires diligenter, & si verum esse repereris, interficies illum:] & subiūgit, [In ore duorum, vel trium testium peribit omnis qui interficietur.] Vbi apertè cum praemisisset inquirendam esse veritatem, docet illam veritatem esse sequendam, non quam iudex priuatim nouerit, sed quae constiterit ore duorum vel trium testium. Et Capit. 19 Idem magis explicatur. [Non stabit, inquit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, sed in ore duo-

rum, aut trium testium stabit omne verbum. Quē locum citat Christus Matth. 16. agens de correctione fraterna, Si correctus, inquit à te non fuerit emendatus, adhibe duos, vel tres testes, cur ita? vt vel ab illis efficacius corrigatur, vel si non emendetur, deferatur ad iudicem Ecclesiæ, qui illum prius paterne, sin minus iuridicè corripiat de illo delicto, & per testes illos iudicet, addidq; hæc verba: [Vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.] Quasi dicat, non potest iudex aliter iudicare, nisi ex dicto duorum, vel trium testium, quidquid ipse priuatim sciat. Et confirmatur: nam Deut. 17. Ex quo loco argumentantur aduersarij: [Ascendes ad sacerdotes qui fuerint illo tempore, qui dicent tibi iudicij veritatem,] non dicitur ibi simpliciter, qui dicent tibi veritatem, sed Iudicij veritatem, sed veritas simpliciter sumitur a parte rei, veritas autem iudicij ex probatione iuridica, ergo iudex debet iudicare, secūdum probationem iuridicam. Maior certa est ex illo loco Deut. Minor verò patet, cum omniū Doctorū sententia illud dicatur verum in iudicio, quod iuridicè probatur, illud similiter non verum in iudicio, quod nō probatur iuridicè. Vt habetur leg. Non nouam. C. de iudiciis. Et leg. penult. ff. de probationibus. & c. r. iuncto cap. Laudabilem, De frigidis. Iure quoque humano idem constat. leg. illa Illicitas. ff. de officio præsidis. §. veritas. Vbi habetur apertè: [Sententiam ferendam esse a iudice ex fide eorum quæ probantur in iudicio. Nec valet Glossa Calderini, & aliorum, ex fide eorum quæ probatur per testes veros. Primò, quia siue testes veri sint siue falsi, modò sint omni exceptione maiores, & quos iuridicè altera pars vel iudex repellere non potest, faciunt fidem in iudicio.

Secundò, quia si secundum solos testes veros, & eorum fidem esset iudicandum, non posset iudex secundum ipsos iudicare, nisi aliàs rei veritatem sciret a parte rei, & testes illos verum dicere, quod est ridiculum. Tum etiam in c. Pastoralis, de officio delegati. §. quia verò, præcipit Innoc. III. vt ordinarius requisitus à delegato, vt exequatur ipsius sententiam, illam executioni mandet, cum iuridicè lata sit, etiam si priuatim sciat esse illam iniustam, sed eodem modo se debet habere iudex in ferenda sententia, sicut exequutor in illa exequutione mandanda, ergo tenetur etiam iudex iudicare secundum quod iuridicè sibi probatur, etiam si priuatim sciat oppositum verum.

Quintò leg. Adoptio. ff. de adoptio. & c. Accepimus. ac cap. contingit, De fide instrumentorum, etiam si iudex instrumenta vel probationes viderit, & sciat certissimè, non tamen in iudicio, sed extra iudicium, vel ante iudicium, non potest secundum illas iudicare, nisi ei exhibeantur in iudicio, & altera parte sciente ac respondente, quia scientia, quam habet illarum probationum, & instrumentorum extra iudicium non est iuridica, nec ipse potest quicquam decernere nisi secundū scientiam quam habet iuridicè, sed quod scit per allegata, & probata hoc scit iuridicè, quod autem priuatim scit, quantumuis certo sciat non scit iuridicè, ergo debet iudicare iuxta allegata, & probata.

Sexto, Publica iudicia sunt ob bonum Reipub. & pacem eius, at si iudex causa iuridicè, & sufficienter probata, non teneretur secundum illam iudicare, sed secundum suam priuatam scientiā.

Primò cum populus nō iudicet de occultis, meritò perturbaretur, & clammaret, videndo iudicē non stare publicæ ac sufficienti probationi, iustè suspicaretur iudicem in illa causa amore vel odio duci, ac fingere quæ dicit.

Secundo daretur ansa iudicibus relinquendi multos nocentes impunitos, qui verè nocentes essent, & illo supplicio digni, hoc titulo se nosse certissimo illorum innocentiam.

Denique hæc est sententia D. August. in illud Psalm. 57. [Molas leonum confringet dominus.] Et in libr. de vera religione. cap. 31. Tom. 1. vtroque loco docet. [Iudicem debere iudicare secundum id, quod leges præscribunt, & eas probationes quas leges admittunt:] Leges autem volunt, vt iudex stet iuridicè probationi, quicquid ipse priuatim sciat. Vnde quod habet idem Aug. 16. de ciuit. Dei capit. 6. [Plerumque iudicis ignorantia est calamitas innocentis, quando condemnatur innocens vel tormentis excruciatur, vt fateatur quod non fecit, propter falsos testes:] Non significat D. Aug. iudicem debere dimissa iuridica probatione suam priuatam scientiam sequi, sed tantum deplorat eorum vicem, qui à iudice cruciantur, vt fateantur quod à testibus eis imponitur, quia iudex ignorans veritatem facti, putat testes verum dicere, quorum falsitatem si nosset non ita illos cruciaret, imò vteretur illis mediis quæ diximus ad illos liberādos iuuare. Idem docet D. Ambro. in Ps. 118. in illud. [Miserationes tuæ multæ domine, secundum iudicium tuum viuifica me; Vbi ait, & habet 3. q. 7. Can. Iudicet: Bonus iudex nil ex arbitratu suo facit, sed iuxta leges, & iura pronunciat, nil paratum aut præmeditatum de domo sua affert, sed sicut audit, ita iudicat.] Quibus verbis apertè amplectitur D. Ambr. vtramque cōclus. D. Tho. Primam, cum dicit:] Nil ex arbitratu suo facit, sed iuxta leges & iura pronunciat.] Secundam verò eum ait: [Sicut audiuit (intellige testes & probationes) ita iudicat. Eidem sententiæ subscribit D. Greg. ca. Summupere. 11. q. 3.

Ex his sequitur primò, Alciatum loc. & nōnullos alios non benè docere, iudicem in hoc casu debere sub hac forma proferre sententiam, non liquet veritas, quia cum sententia iudicis sit ferenda secundum scientiam publicam, quæ sumenda est ex allegatis, & probatis, quotiescunque res iuridicè probatur, & per sufficiētes testes, vel instrumenta, iuridicè, & scientia publica liquet veritas, & ita talis sententia contineret falsum.

Sequitur secundò, nec debere iudicem cędere omnino suo officio, & illi renūciare, quamuis pro aliquo tempore illi causæ supersedere debeat, si profuturum credat, eo modo quo exposuimus, relinquere autem officium omnino non tenetur.

Nam primò, non tenetur ad id ex iustitia, quia proferens sententiam, iuxta allegata, & probata adhibitis prius illis diligentijs dictis, vtitur iure suo, & suo munere, qui verò vtitur iure suo, non facit alteri iniuriam, aut iniustitiam: nec tenetur ex charitate, quia leges charitatis non obligant cum tanto detrimento defendere, aut liberare innocentem, à damno quod ipse non dedit: damnum autem, quod patitur tunc innocens, non dat Iudex, sed testes, quibus ille conuincitur reus. Propter quod Deut. 27. præcipiebatur, vt cum quis esset interficiendus: [Manus testium prima interficeret eum:] nō manus iudicis, sed manus testiū, quia Iudex nil aliud facit, quam applicare legem delicto probato, facere autem aliquem reum delicti, & legis, in quo propriè, consistit tota vis condemnationis, hoc, testium est: & ita ipsi sunt, qui damnum inferunt. Vnde, vt vidimus tam iuxta D. Tho. quam iuxta alios, damna, quæ innocenti inferuntur

feruntur per sententiam Iudicis iudicantis secundum allegata, & probata, non tenetur restituere Iudex, sed soli testes: quia ipsi reuera sunt, qui damnum in tali casu inferunt non Iudex. Tum etiam, Iudex ad ea tantum tenetur, quæ faciunt ad liberandum innocentem, cedente ipso ac renunciante suo muneri, non liberatur innocens, quia erit iudicandus ab alio iudice ignorante veritatem facti, à quo certissimo condemnabitur: vnde sine vlla vtilitate innocentis noceret sibi grauissimè Iudex ista via.

Tertiò, quamuis iudex debeat iudicare secundum allegata, & probata, non tamen tenetur ad id, nisi quando nulla ex illis viis dictis potest innocentem liberare, & cogitur, vel a superiori, vel ab actore iuxta iura, vel à populo, vel à parte læsa sententiam ferre, nam si à nullo compellitur nec aliquo iure tenetur, potest supersedere illi causæ, & nunquam in illa sententiam dicere, Debetque ita facere, etiam si multo tempore, & longissimo innocens detineatur in carcere. Nec est audiendus in hac parte Soto, qui damnat hoc consilium, iudicās idem esse detineri in perpetuo carcere quod capite plecti. Hæc enim multum differūt, Primò, quia morti nullum aliud malum huius vitæ æquatur. Secundò, quia occisus semel innocens non potest vitæ restitui, detentus autem in carcere potest, vel ab ipso iudice aliquando secreto liberari: vel noctu, aliquam occasionem fugiendi (quam vt videbimus procurare potest) nactus recedere, testes reuersi ad cor retractabunt sua dicta, curabuntque, vt suæ conscientiæ consulant, vt veritas quam ipsi offuscarunt, aperiatur. Tertiò, & si nil horum eueniat illius detentionis incarcere non est causa iudex, sed iniquitas actoris, & accusatorum: supplicij autem vltimi, quod poterat iudex commodè differre, si inferat ipse in tali casu erit causa vna cum falsis testibus, saltem secundario, quod sufficit, vt ei quoque mors illa imputetur.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum respondent quidam Iuristæ, priuatam personam non posse agere contra conscientiam, iudicem autem, & publicam posse agere, quando iuridicè constat oppositum: sed hi satis ostendunt se ignorare quid sit conscientia, & quantum obliget: debuissentque, vt iurisperiti nosse, in illis capitibus adductis in confirmationem primi argum. ipsis quoque iudicibus districtè præcipi ne quemquam ausculent, sed iudicent iuxta propriam conscientiam, Vnde dicamus cum Soto, Coua. loc. cit. & Azpilqueta, qui huic quoque sententiæ Doctorum subscribit in can. Si quis de pœnitentia, dist. 7. num. 128. aliud esse scientiam, & aliud conscientiā, scientia enim est cognitio rei, & ita pertinet ad intellectum speculatiuum, conscientia verò est iudicium practicū, quo iudicamus aliquam actionem nostram in particulari, hic & nunc (vt aiunt) licitè fieri, & secundum legam Dei, vel contra conscientiam peccet, etsi illa conscientia sit erronea, & decipiatur: quia cum agens contra conscientiam agat contra id quod putat licite fieri, & secundum legem Dei, virtualiter contemnit legem Dei.

Ad argumentum igitur dico, in hoc casu iudicem condemnantem innocentem, quia iuridicè probatur reus, agere contra priuatam scientiam speculatiuam, quam habet, illum non tamen contra conscientiā, quia stante illa cognitione priuata, hic non est reus, habet, simul hoc iudicium practicum, nihilominus teneor ego illum condemnare, cum sufficienter probetur nocens, debeamque iudicare, vt index, secūdum id quod iuridice constat. Quod si per hypotesim iudex non haberet hoc iudicium practicum, sed oppositum, non possum hunc quem scio innocentem tuta conscientia condemnare, tunc non posset illum condemnare, nec sequi opinionem D. Thom. non quia hæc vera non sit, sed ratione illius interioris iudicij, & conscientiæ, contra quam non est agendum, etiam si erronea.

Ad secundum, neganda est minor. Et ad probationem dico cum Couarr. iudicem in illa sententia, non mentiri, quia reuera in ipsa id asserit, quod scit ipse enim non asserit illum esse reum simpliciter, & à parte rei, sed probari reum, & actorem sufficienter ostendere suum intentum, quod reuera scit, constatque ipsi, & est verissimum.

Ad tertium respondeo cum Caiet. hic in commento, Soto, & Couarru. duplicem esse veritatem aliam particularem facti, & aliam publicam, & iuridicam, quæ sumenda est ex testibus, & probationibus. Iudex in hoc casu non iudicat secundum veritatem particularem, quam ipse nouit, sed secundum veritatem publicam, secundum quam tenetur iudicare, cum agat, vt persona publica. Vnde non dicitur illi (sicut obseruauimus) Deut. 17. simpliciter, vt iudicet secundum iudicij veritatem, veritas autem in iudicio illa est, quæ constat per iuridicas probationes. Et ad confirmationem respondeo similiter, Cum in loco sermo sit ad iudicem formaliter, & iudex, omnia esse intelligenda iuridice: [Non audies vocem eius,] quem iuridico examine poteris repellere, vt mēdacē: [Nec auscultabis multos, vt à verò, quod iuridicè constat deuies:] nam hoc est verum apud iudicem, non quod ipse priuatim nouit, sed quod ei iuridicè constat. [Innocentem quoque, & iustum iuridicè non interficiens, sed illum tantum, qui iuridicè omni adhibita diligentia probatur esse nocens, & reus.

Quod si dixeris, quod nonnulli obijciunt, iuxta istum sensum non erat necesse id præcipere iudicibus, cum satis constet. ipsos non posse condemnare, nisi iuridicè probatum reum, nec debere admittere testes quos iuridicè conuenit repellere. Dico, imò id maximè oportuisse, cum enim nosset Deus animos multorum iudicum inclinatos ad puniendum, & effundendum sanguinem, vel suo ingenio, vel vt auram popularē aut regiam captent, voluit Deus, id ad quod tenentur apertius, & magis in particulari explicare, vt non temere testes contra proximum admittant, nec temere, & ex quacunque probatione reum condamnent, maximè ad mortem, sed diligenter examinent testes si possint repelli, diligenter videant an ille probetur nocens, & nisi sufficientissimè probetur, iudicetur innocens, nec cōdemnetur: debet enim iudex maximè in criminalib. fauere reo, & partes ipsius quantum potest agere.

Ad quartum respondeo, Primò, Occidere innocentem simpliciter malum esse, occidere autem innocentem probatum nocentem auctoritate publica, hoc non esse malum, imò iustum, cum teneatur iudex ferre sententiam, quando illam non potest differre, nec super sedere causæ, secundum id quod probatur iuridicè, Respondeo secundò cum Caiet. & Soto cum actus humani sumant potissimè bonitatem, vel malitiam ab intentione, & materia circa quā versantur, occidere innocentē ex intentione, & aio occidendi, vel dādo operam rei illicitæ, esse intrinsecè malum: occidere autem

innocentem dando operam rei licitæ, & quã quis iure poteſt exercere, & non cum intentione occidendi, ſed ſolum agendi id quod iure poteſt, vel debet non eſſe malum ſed licitum, Vt in bello iuſto, quando non poteſt obtineri victoria, niſi occidantur ſimul innocentes cum nocentibus, non eſt malum illos occidere, quia bellum illud eſt licitum, & qui in eo occidit innocentes, non occidit ex intentione, ſed quia aliter victoriam obtinere non valuit, fuitque occiſio illa, vt effectus, non volitus ſed ſubſequutus ex re licita, & quam iure potuit exercere: Ita in noſtro caſu, iudex cõdemnans innocentem probatum nocentem, quẽ nulla ex illis vijs dictis potuit liberare, non agit malum, quia non occidit ex intentione, nec animus eius eſt occidere, ſed exercere debitum ſui officij, & ferre ſententiam quam tenetur, vt iudex iuxta probationes iuridicas: Ex quo actu iudicandi ipſi iudici licitò, & debitò ſequitur, vt effectus, nõ volitus, ſed ſubſequutus, & per accidens, mors illius innocentis: Præſtatque, (vt benè obſeruat Caiet.) quod debet magis enim tenetur iudex curare, vt perſoluat debitum ſui officij, quam vitam innocentis ſeruare, quia hoc poſterius ad ipſum non ſpectat, niſi examinando quantum potuit teſtes, quod iã fecit, vt ſupponimus, illud verò prius nempè iudicare ſecundum probata ſpectat ad ipſum omnino, ſicut non tenetur aggreſſus curare an aggreſſor moriatur in peccato, vt dimittat propriam defenſionem, cum ipſi incumbat omnino, & ſimpliciter cura tuendi ſe, quod autem alter nõ moriatur in peccato, ſolum debet curare via correctionis, quam iam adhibuit, admonendo illum, vt ceſſaret ab ea aggreſſione, & intendo, vel fuga, vel alia via ſe liberare, nec potuit.

Ad quintum reſpondeo, diffinitionem fidei nõ eſſe iudicium humanum ſed diuinũ, determinatio enim illa eſt præcipuè à Deo, à Pontifice verò, vt inſtrumento explicante diuinum oraculum, & ita decernenda, & determinanda ſecundum ſcientiam diuinam, id eſt diuinam reuelationem: iudicium autem quod exercent alii iudices eſt humanum, & ideo ferendum ſecundum teſtimonia, & probationes humanas, & cum fiat poteſtate publica, exercendum ſecundum ſcientiam publicam.

Dico ſecundò controuerſiam fidei eſſe velut controuerſiam iuris diuini, cum omne, quod eſt de fide ſit de iure diuino & ita decidendam per ius diuinum, & rationes Theologicas ſumendas ex iure diuino, non autem per probationes, vel teſtimonia humana: iudex verò cũ decernat, quæ pertinent ad facta humana, debet definire illa per teſtes humanos. Similiter iudicium Papæ in canonizatione alicuius ſancti, licèt nitatur teſtibus humanis, cum tamen illud pertineat ad bonum cõmune Eccleſiæ, quia proponitur ille in exemplum aliorum, nec ibi deſit Sanctus Spiritus, eſt etiam quoddam iudicium diuinum, & ita ibi non ſunt admittendi falſi teſtes, imò iſte caſus eſt piè iudicandus impoſſibilis. Etenim cum Sanctus Spiritus aſſiſtat etiam Papæ in canonizationes Sanctorum, efficitur, vt in ea errare non poſſit, ſicut nec in pertinentibus ad mores, eſtque impoſſibile, vt admittat Papa ad proceſſum canonizationis, quẽ nouit certo iniquum, & peccatorem fuiſſe.

Ad ſextum reſpondeo, ſententiam iudicis eſſe publicam, accedere autem ad non ſuam non eſſe actum publicum, vel iudicialem, ſed particularẽ, & priuatum, & quem vir exercet, vt priuata perſona, propter quod non debet agere ſecundum ſcientiam publicam proceſſus, vel ſententiæ, ſed ſecundum propriam ſcientiam, & veritatem quã priuatim certo nouit. Tum etiam, quia accedere ad nõ ſuam eſt ita intrinſecè malum, vt nullo modo poſſit benè fieri, aut honeſtati ex circumſtantia ocidere aut innocentem aliquando poteſt benefieri, non ex intentione, ſed pro bono communi, vt in bello iuſto, quo etiam modo Iudex occidit innocentem probatum nocentem, non ex intentione, ſed vt exequatur ſuum officium, quod maximè expendit bono communi.

Ad ſeptimum reſpondeo, finem teſtium, & probationis quæ adhibentur in iudicio non eſſe quãcumque veritatem facti ſed veritatem publicam iuridicè deductam, cui non repugnãt falſi teſtes, modo ſint omni exemptione maiores, licèt repugnent veritati, quam priuatim Iudex nouit, cum per ipſos, etſi falſos habeatur iuridica probatio, quam leges exigunt, & iudicia humana.

Ad octauum Reſpondeo cum Caie. teneri quidem iudicem omni lege reddere vnicuique ſuum ius, non ſimpliciter, ſed ius illud quo poteſtas publica, & ſcientia publica exigunt reddi, & quod iuridicè conſtiterit, quando autem innocens iuridicè, & per ſcientiam publicam conſtet eſſe nocens, ius debitam illi non eſt abſolutio, ſed punitio, & condemnatio.

Ad nonum reſpondeo, quando leges non ſunt iuſtæ, ſed apertè iniquæ, & contra ius naturale, ſecundum illas, quia tales non ſunt leges ſed corruptelę, at teſtes falſi, licèt falſi, ſi omni tamen exẽptione maiores ſint, & qui iuridicè expelli nõ poſſunt, ſunt in iudicio veri teſtes, & iuridicè facientes fidem, & ſecundum ipſos iudicandum.

Ad decimum dico. Innocentem defendentem ſe à iudice tyrannidem exercente, & iniquè iudicante non agere iniuſtè, in hoc autem caſu neque cum ſcandalo neque ſine eo poteſt reus iſte, quãuis verè innocens, ſe defendere, quia licet à parte rei, & ſecretè inferatur ei violentia, infertur ſolũ à teſtibus falſis, qui illum probant reum cum reus non ſit, non autem à iudice, qui ritè ac iuſtè exequitur ſuum munus, cum ipſe non ſit iudex facti ſimpliciter, ſed facti pro vt probatur in proceſſu, & iuridicè.

Ad vndecimum dico, controuerſiam iuris, quæ circa leges poteſt ſeſe offerre, definiendam eſſe peritia ac prudentia iudicis, controuerſiam verò facti de qua hic agimus, non eſſe determinandam per epicheiam, aut rationes iudicis, ſed per teſtimonia, & inſtrumenta: Dico ſecundò, cum duo iudici incumbant, inquirere factum, & applicare legem illi facto, ſua ſententia: In inquiſitione facti non debet ſtare ſuæ ſcientiæ, ſed probationibus iuridicis, à quibus pẽdet omnino in iudicio quid ſentiendum ſit de facto, non ab aliqua epicheia, in applicanda autem lege illi facto poteſt vti epicheia, quantum lex ipſa tulerit. Dico tertiò, nos non negare iudicem debere vti omni prudentia, & diligentia, ad repellendos teſtes quos nouit falſos, ſed quando omni adhibita illos repellere non poteſt, teneri ad iudicandum ſecundo illos: Et ad confirmationem illam, poteſt repellere eos ex pręſumptionibus, &c. Ergo poterit quando nouerit falſos. Dico cum Couarru. iudicem debere illos repellere, quando ex præſumptionibus, indiciis, vel coniecturis poteſt iuridicè aſſerere illos eſſe ſuſpectos, at quia falſi ſint niſi id iuridicè oſtendere poſſit, non poteſt eos repellere, quia tunc nõ eſt locus præſumptioni, nec aliis mediis iuridicis ad eos repellendos.

Ad confirmationem illam Calderini reſpõdeo, ſcien-

ſcientiam publicam, & priuatam non eſſe de eadem propoſitione, quia priuata eſt de hac propoſitione, iſte eſt innocens reuera à parte rei, publica verò eſt, iſte eſt reus per proceſſum, & ſecundũ probationes iuridicas: quia aſſenſus ambo ſunt veri ſimul, & ſtant, nec ſunt oppoſiti.

Ad duodecimum dico, nouiſſe Pilatum innocentiam Chriſti omnibus eſſe perſpicuam, & ſimiliter falſitatem teſtium, facileque potuiſſe illos expellere: Vnde iniquè iudicauit. Primò, quia nec teſtes examinauit, nec maturè, vt debebat iudiciũ illud exercuit, iuxta illud Eſa. 53. [De iudicio, & iuſtitia ſublatus eſt:] id eſt, celeriter, & ſine termi nis ac ſpatiis requiſitis ſublatus eſt à iudicio, nec eius iuſtitia diligenter explorata.

Secundò, quia Chriſtum non tam condemnauit propter probationem teſtium, quàm, vt non diſpliceret Cæſari.

Ad vltimum dico, idem argumẽtum poſſe nos retorquere in auctores ſecundæ opinionis hac ratione: Iudex tenetur conſulere bono communi quantum poteſt, poteſt autem occidere innocentem, iuxta allegata, & probata, cum ſit etiam opinio probabilis, & occidẽdo iuxta allegata, & probata conſulit bono communi, quia tollitur ſcandalum, & illa incommoda, quę ſequerentur, niſi iudicet iuxta probationes, ergo debet occidere illum. Vnde ad argum. dico: Primò, iudicem poſſe ſequi opinionem probabilem in dubiis, qui verò tenet opinionem D. Tho. non eſt dubius, ſed certo ſcit ſe debere iudicare ſecundum allegata, & probata. Dico ſecundo, illam maiorem iudex tenetur iuuare innocentem quantum poteſt, nõ eſſe ſimpliciter accipiendam, ſed quantum poteſt iuridicè, & vt iudex, id eſt quantum poteſt nõ prętermittendo ea quæ ſunt ſui officii: Et ita tenetur ad omnia illa media, quæ diximus, cum in illis nõ recedat ab officio iudicis, ad illa verò, quæ poſſet violando officium iudicis non tenetur imò oppoſitum, quia maior cura debet ipſi eſſe exercendi ſuum munus, quàm liberandi innocentem, vt diximus, & quando adhibitis illis diligentiis compellitur iudicare, non ferre ſententiam ſecundũ allegata, & probata, eſſet profecto non præſtare ſuum munus. Dico tertio, iudicem teneri ad liberandum innocentem, non quantum poteſt ſed quantum debet, & ita licet poſſit in foro animæ ſequi opinionem probabilem, non tamen debet, quia agit perſonam publicam, ſecundum quam magis debet ſequi ſcientiam publicam quàm priuatam ſuam. Similiter quiuis ciuis tenetur iuuare Remp. quantum poteſt, & pręferre bonum cõmune illius ſuo priuato, tenebitur ne propterea ſuas opes cõferre in ærarium publicum cum poſſit? nequaquam, quia non debet: Vnde propoſitio illa intelligenda eſt, quod teneatur quantum poteſt, & debet.

ARTICVLVS III.

Poſſit ne iudex condemnare aliquem abſque accuſatore.

Concluſ. eſt negans. Probatur à D. Tho. Iudex eſt interpres, & declarator iuſtitiæ inter ciues, vt ait Ariſt. 5. Ethic. c. 4. Vnde ducuntur ad ipſum omnes controuerſiæ ciuium, ſicut ad iuſtũ animatum, iuſtitia autem non eſt ad ſe ipſum, ſed alterum, debet ergo iudex neceſſariò inter duos ad minus ius dicere, & quid iuſtũ ſit explicare, quorum vnus ſit actor, vel accuſator, & alter reus.

Secundò, iudex ex eodem Ariſt. loco cit. eſt mediator quidam inter ciues, mediator omnis inter duas partes extremas, & ſibi oppoſitas exiſtit, debet ergo iudex ſtare inter duos oppoſitos, accuſatorem ſcilicet, & reum.

Tertiò, in cauſis dubiis iudex ſemper tenetur declinare in fauorem rei, at ſi ipſemet iudex eſſet quoque accuſator inclinaret potius in ſuam partem, quod eſſet iniquum.

Quartò, cum omnis cauſa ſit inter actorem, & reum vt duas partes litigantes, ſi iudex eſſet actor, tunc ipſemet eſſet iudex, & pars in propria cauſa, quod repugnat rectæ rationi, & naturæ iudicij. Vnde hæc concluſ. non ſolum eſt à iure humano, verum etiam maximè conſona iuri naturali, & ex eo deducta, quod ſequuti Romani ſtatuerunt ne vllus ſine accuſatore iudicaretur. Ita Acto. 25. dixit Feſtus Iudæis: [Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatus eſt præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur.] Hæc concluſ. eſt doctrina Sanctorum Patrum, quam habet Eleutherius Papa in Epiſtola ad omnes Epiſcopos Galliæ Adrianus 1. in Epiſtola ad omnes Epiſcopos orientales: habentur ambę Primo Tomo Conciliorum. D. Fabianus 4. q. 4. ca. Nullus. el primero proponit quatuor perſonas neceſſariò requiſita in iudicio: Iudicem, Accuſatorem, Reum & Teſtem. Idem præcipit Damaſus can. proximè ſequenti, D. Aug. homil. 50. Ambroſ. in 5. cap. 1. ad cont. & habetur. 23. q. 4. can. Si quis el tercero. [Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare.] In hac concluſ. omnes conueniunt, eſſet enim indecens, vt iudex accuſaret reum, produceret teſtes, & diceret ſententia.

Sed contra hanc doctrinam hæc ſeſe offerunt.

Primò, cum D. Tho. in hoc arg. tantum vtatur nomine accuſatoris, & rei, videtur docere, in criminalibus tantum non eſſe iudicandum ſine his duabus partibus, quia accuſatoris nomen propriè pertinet ad cauſas criminales, cum in ciuilibus is, qui poſtulat propriè dicatur actor, & iuxta probationem qua vtitur, concluſio poſita perinde vera eſt in ciuilibus, ſicut in criminalibus.

Secundò, iudex quamuis ſine teſtibus neminẽ condemnare poſſit, at perniciosum hominem, & notorium ſine vllo accuſatore ex officio iure ipſo naturæ poteſt inquirere, & punire.

Tertiò duces in bello milites quos vident aut norunt, vel infideliter agere, vel atrium ſuum cõtra leges belli deſerere, ſine vllo accuſatore puniunt.

Quartò, Prælati religionum tranſgredientes ſtatuta ſuorum ordinum etiam ſine vllo accuſatore caſtigant.

Ad primum reſpondeo, rationem D. Thom. perinde procedere in criminalibus ſicut in ciuilib. & concluſionem poſitam in vtriſque habere, locum, Conſulto tamen Doctorem S. tantum meminiſſe criminalium, quia in his debet comparere accuſator, in ciuilibus nequaquam, vt ait Caiet. & ideo illius cum maior labor incumbit, & qui magis neceſſarius eſt, meminit D. Tho. Sed commodius reſpondet Soto, cum in ciuilibus agatur de reſtitutione aliquorum bonorum, in criminalibus de punitione delictorum, in ciuilibus apertum eſt, iudicem nunquam iudicaturum, ſine actore, quia apertiſſimum eſt non curaturum, vt qui aliena bona poſſidet, illa reſtituat, niſi ſit, qui illa repetat: in crimi-

criminalibus autem cum possit iudex ex officio procedere ad punitionem delictorum, non erat ista apertum, an debere necessariò reperiri accusator: Vnde consulto D. Tho. ostendit in criminalibus debere reperiri, quia hac parte quæ minus apparet probata, probata, remanet illa, quæ magis perspicua est & in qua ferè impossibile est ferri sententia sine actore, vnde sumi potest etiam ratio ad probandam conclusionem D. Tho. in criminalib. maximè expedire, vt sit accusator, Quia si sine accusatore posset iudex iudicare, facilè posset procedere contra aliquem ad vindicanda sua priuata odia, & iniurias, & quamuis posset etiam ad vindicandas iniurias Reip. vel alterius personæ ex zelo, & bono fine, non tamen id expediret.

Ad alia diluenda obseruemus, quod in sequentibus magis explicatur, iudices communiter procedere tribus viis. Prima est, Accusationis. Secunda, Denunciationis, quæ duplex est. Quędam fraterna, per quam qui priuatim correctus non emendatur, denunciatur prælatu, vt patri, vt ab eo corripiatur: Alia verò iuridica, qua nociuus bono cómuni denunciatur iudici, vt puniatur, vt in crimine hæresis, vel læsæ Maiestatis. Quæ denunciationes differunt fine, finis enim illius prioris est emēda fratris, posterioris vero, iuridica punitio delinquentis, propter bonum commune, Differt quoque hæc secúda denunciatio ab accusatione, quia accusatur tenetur probare delictum, denunciator verò non tenetur probare, Tertia via est Inquisitionis, quando iudex nullo accusante, aut denúciante, ex officio inquirit, vel delicta in genere, vt in visitationibus, & edictis publicis, aut actorem alicuius delicti, quia constat de delicto, non autē de auctore ipsius.

Obseruemus secundò, duplicem esse accusatorem formalē, & virtualem formalis est; qui apud iudicem actu alium accusat, virtualis verò, quæcumque supplent vicem, & personam formalis, & iudicem iuxta iura inducunt ad iudicandum, & procedendum. Sunt autem quinque, quæ virtualem accusatorem efficiunt.

Primum est infamia publica, indicia sufficientia, & clamorosa insinuatio, quæ vicem quidem habent accusatoris, non vt statim iudex reum cōdēnet, sed vt inquirat de delicto, & delinquente.

Secundum est crimen ita publicè, & manifeste patratum, vt sit notorium notorietate facti.

Tertium est, si Iudex illud videat in sua præsentia, & aliorum fieri. Dico, & aliorum, quia si ipse solus vidit, est crimen omnino occultum nec potest contra illud procedere, cum ipse non possit esse accusator, vel testis, quibus deficientibus non potest iudex procedere contra aliquem, at si ipso aliisque præsentibus committatur, præsentia illa iudicis vicem habet accusatoris, maximè si tunc sedeat pro tribunali. Ita refert Caiet. B. Ludouicū Regem Franciæ præcepisse linguam cuiusdā cauterizari, quia in ipsius, & aliorum multorum conspectu blasphemauit. Et hoc fuit illud Caypho: cum enim in conspectu ipsius, & multorum astantium dixisset Christus se filium Dei, quod eis videbatur blasphemū, dixit; [Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam, quod vobis videtur ?] Responderunt que omnes. [Reus est mortis:] quasi dicerent, cū in tuo conspectu, & tot testium blasphemauerit nullo accusatore, aut testibus opus est, sed statim illum condemna.

Quartum est rebellio manifesta contra Prælatum, & Ecclesiam post denunciationem fraternā, quando enim aliquis denunciatur prælatu, vt patri, si admonitione illius emendetur, non licet vltra procedere ad punitionem ipsius, sed debet sistere, quia cum finis correctionis, & denunciationis fraternæ sit emenda fratris tali fine obtento non est vltra procedendum. Quod si non emendetur paterna illa prælati correptione, nec ei obediat, quam inobedientiam vocamus rebellionem, potest tunc, & debet prælatus contra illum procedere via iuridica, rebellione illa, & inobedientia vim accusatoris habente.

Quintum est denunciatio iuridica, quæ fit ob bonum commune, renditque ad punitionem delinquentis perniciosi, qualis est quæ fit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, quæ habet etiam vicē accusatoris, cum ab accusatione eo solo nomine differat quod accusatur teneatur probare, denunciator verò nequaquam, sed tantum instituat iudicare iudici crimen illud, vt occurrat damno boni communis.

Vt iudex procedat via accusationis requiritur accusator formalis, quia non potest hac via procedere nisi sit, qui actu, & explicitè accuset, vt procedat autem via denuntiationis, vel inquisitionis sufficit accusator aliquis virtualis ex his quinque hic positis, Quos personam accusatoris exercere posse ex sacris litteris constat, Gen. enim. 4. crimē ipsum in conspectu Dei commissum vicem accusatoris obtinuit contra Cain, dicente domino; [Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me. Vbi D. August. & habetur extra De accusat. c. Euidentia. & a. q. 1. can. Manifesta. Euidentia patrati sceleris clamore accusatoris non indiget. Et c. 18. publica illa, & patens commissio delictorum asseritur à Deo fuisse Sodomorum accusator, ad inquirendum contra illos. Clamor (inquit,) Sodomorum multiplicatus est, descendam, & videbo, &c. propter quod ait etiam B. Pau. 1. Cor. 5. Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.

Ex his respondeo ad argumenta proposita. Ad primum iure naturę non prohiberi iudicem, quin perniciosum hominem etiam si à nullo accusetur, puniat, & è medio tollat: Cæterum ne detur iudicibus occasio, & locus suas priuatas iniurias, vel odia vindicandi temerè, & pro libito sub isto colore, sanctissimè iure cautum est, ne sine aliquo accusatore vllus condemnetur, Ita Extra De accusat. cap. Legitimus. & l. illa illicitas. ff. de officio præsidis & ff. de mune. & bonoro. l. Rescriptio. dicitur. [Si quis accusatorem non habet ab bonoribus prohiberi nō debet.] Accedit huc illud Christi Ioan. 8. dictum adulteræ. Mulier vbi sunt qui te accusant, nemo te condemnauit, neque ego te condemnabo.

Ad secundū dico, Duces in bello, imò, & quuscunque iudices in pace punire quidem aliquando sine accusatore formali aliquos delinquentes, nūquam tamen sine aliquo accusatore virtuali ex propositis. De Religionibus verò, quod est tertiū argumentum dico, seruandas esse constitutiones proprias cuiusque Religionis approbatas, quia in huiusmodi Religionibus Sum. Pót. approbat sua benedictione earum constitutiones, Et Religiosi in ingressu Religionis, vel professione, vouentes viuere secundum regulam, & cōstitutiones illius Religionis, renunciant iuri suo, & consentiunt, vt iudicentur, & puniantur à suis superioribus sine accusatore, in delictis in quibus iuxta statuta sui ordinis non est necessarius accusator, vt in rebus leuibus, quæ nec sunt peccata mortalia, nec vocanda

canda criminalia: nam in grauibus, & quæ secum afferunt infamiam, non possum, nec solent prælati religionum punire subditos sine aliquo accusatore formali, vel virtuali, & sine ordine iudiciali, quamuis sine strepitu, & figura iudicij, sicut docet Religiosos. Patres autem familias, cum non habeant vim coerciuam, sed tantum gubernatiuam domesticam, non puniunt, vt iudices, sed tantum, vt patres, & ideo non indigent aliquo accusatore, sicut nec teste, vt suos domesticos puniãt. Quod etiam de prælatis Religionum dici potest, in rebus læuibus eos non egere accusatore, quia castigant illas, vt patres, in grauibus autem egere, quia iudicant illas, vt iudices.

Sed quæret aliquis. [Si iudex videat aliquem delinquere, & delictũ illud probari posse, saltim duobus testibus, à nullo tamen accusari, poterit ne contra illum delinquentem procedere, & condemnare?] Iudicarunt nonnulli id nõ licere, quia tale delictum (etsi à iudice, & duobus, vel tribus, visum) cum non laboret aliqua infamia auctor eius, est occultum, forum autem exterius non iudicat de occultis, maximè nullo existente accusatore.

Sed oppositum est verius, quia vt iudex possit iuridicè procedere, hæc tantum desiderantur, vt sit aliquis accusator, & crimen sit probabile in iudicio: quæ duo hic concurrunt, præsentia enim iudicis, & aliorum licet paucorum habet vicem accusatoris, & per eosdem, qui viderunt potest probari in iudicio.

Nec argumentum in oppositum valet: quia in iudicio non est occultum, quod per testes iuridicè probari potest, maximè si delictum illud alijs noceat.

Hinc sequitur contra delictum, quod solus iudex nouit, vel vidit, non posse ipsum procedere, quia præsentia solius iudicis, nec formalis nec virtualis accusatoris vicem gerere potest, nec potest iudex esse testis simul, deficientibus aut accusatore, & testibus, quibus plenè, aut semplenè delictum reddatur probabile in iudicio, non licet iudici contra aliquem procedere. Ex doctrina quoque huius articuli sequitur, si quando Iudex ex sua suspicione, vel coniecturis processit contra aliquem puniendum pœna pecuniaria, & progressu iudicij delictum illud probetur iuridicè, condẽneturque reus ille persoluere pœnam à lege taxatam, iudicem illum non posse accipere sibi partẽ pœnæ, reddendam accusatori, fingendo accusatorem esse secretum, nec velle se manifestare. Quia sicut non potuit iudex exercere accusatorem, ita nec recipere pœnam statutam accusatori: imò iudicium illud initio fuit iniquum, cum nullus existeret accusator, quamuis condemnatio fuerit deinde iusta, quia progressu iudicij iuridicè probatur est delictum illud, vt supponimus.

ARTICVLVS IIII.

An liceat iudici remittere reo pœnam illi à lege taxatam.

TRia sumit hic D. Thom. quæ certissima sunt.

Primum, est iudici hæc duo conuenire, vt dicat ius inter partes litigantes, cum sit minister iustitiæ, tum etiam, vt sit custos boni communis, & vtilitatis Reip.

Secundum est, iudices alios supremòs, inferiores voco quoscum; alios à Principe, siue sint Duces, siue Marchiones, siue consiliarij, siue præses ipse supremi senatus, quia hi, sicut non possunt leges condere, ita nec illas abrogare, & ab ipsis ad Principem, cum eo non detur superior in Rep. ad quem fiat appellatio, ipsiusque sit leges condere, & in eis dispensare. Hoc insinuat hic, D. Thom. cum solum Principem appellet supremum iudicem, estque communis sententia Thomistarum, & recepta à iurisperitis, vt videre est apud Couarru. lib. 1. variarum resolut. c. 1. num. 7. Statuit tertio. D. Thom. illum, qui læsus est, aliquando cõmittere reo iniuriam, & damnum sibi illatum, aliquando verò non, sed postulare, vt reus ille puniatur, & iniuria sibi illata compensetur.

CONCLVSIO PRIMA.

Parte læsa persistente in accusatione, & postulante rei punitionem, nullus iudex, neque supremus, potest remittere pœnam reo.

PAret, Iudex cum sit minister, & custos iustitię, debet dicere ius inter partes, & reddere vnicuique suum ius: pars læsa habet ius postulandi apud iudicem punitionem rei, & compẽsam damni sibi illati iuxta leges, ergo iudex quicunque sit, tenetur nisi velit partem læsam suo iure iniquè expoliare, reum illum iuxta leges punire, nec vllo modo potest remittere ei pœnam.

Secundò, iudex cum sit persona publica tenetur prospicere bono communi, repugnat autem bono communi, & cederet in magnam Reip. perturbationem, si parte læsa instam sui læsoris punitionem postulante iuxta leges, iudex nõ puniret, sed remitteret.

Primò, quia ciues videntes non seruari leges iustas in punitione delinquentium, parte læsa clamante, iudicarent, & meritò se non gubernari à iudicibus, aut principibus, sed à tyrannis, quod indicauit Arist. 5. Ethic. cap. 5. dicens. [Quando homines vident non sibi per inflicta supplicia compensari iniurias, in seruitute (id est tyrannide) se viuere arbitrantur.]

Secundò, quia iniqui sperantes pœnam posse sibi à iudicibus precibus amicorum, aut pecuniis remitti, liberius peccarent.

Tertiò, quia læsi videntes suos læsores non puniti à iudicibus, curabunt ipsi priuatim suas iniurias vindicare.

CONCLVSIO II.

Parte læsa remittente iniuriam acceptam, iudex inferior non potest remittere pœnam reo, supremus verò potest, nisi sit contra bonum commune.

PRior pars constat ex supradictis, quia iudex inferior tenetur in vtroque foro iudicare secundum leges scriptas, nec potest ab eis recedere, aut in eis dispensare. Posterior verò patet, quia princeps non astringitur lege, sed sicut potuit illam condere, ita quoque potest in ea dispensare, quando talis remissio, & dispensatio nõ repugnat bono communi: quia licèt princeps non astringatur lege vi coactiua, astringitur tamẽ necessitate

cessitate

cessitate Iustitiæ, & debitæ gubernationis, vnde peccaret grauiter contra iustitiam, & debitam gubernationem, ad quam tenetur in foro animæ, si remitteret pœnam, quando talis remissio alicuius damni communis esset occasio.

Ex quo sequitur, nō posse principem etsi nulla sit pars læsa, quæ conquæratur, vel si extitit, & remisit ac destitit, cito ac temere remittere reo pœnam lege constitutam, quia non est princeps absolutus dispensator, & dominus legum, sicut suorū bonorum temporalium, sed tenetur prudenter, & quantum bonum commune patitur se gerere, cōsiderata qualitate delicti, & aliis circumstantiis. Vnde si crimen est atrox, aut delinquens assuetus peccare, & nociuus, non potest princeps remittere ei pœnam tuta conscientia, noceret enim hoc Reip. & faceret aliis iniquis animos ad similia delicta. Quo circa Deut. 13. præcipitur de idolatra. [Non parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim interficiens. Et subiungitur: vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquā vltra faciant quidpiam simile.] In aliis autem, quę atrocia non sunt, sed semel quis ex fragilitate humana commisit, potetit princeps tuta conscientia ex aliqua rationabili causa, vel sua regia clementia condonare pœnam.

Circa eandem conclusionem obseruandum est. Primò leges ipsas circa pœnas inferendas delinquentibus multa sæpe relinquere prudentiæ, & dispositioni iudicum, etiam inferiorum, pro varia ratione locorum, temporum, & personarum, vt habetur leg. Quod ergo. ff. de his, qui notantur infamia. §. pœna. & cap. vltimo, de translationibus. cap. etsi clerici. §. de adulteriis. Extra de iudiciis. cap. de causis, de officio delegati. In his ergo possunt iudices, et si inferiores reo clementiores esse: vnde si delinquens est nociuus, vt sicarius, assassinus, aggressor itinerum, & deprædator, vel crimē est atrox, vt homicidium per insidias, furtum graue, nullus iudex potest in his pœnam remittere, quamuis etsi nulla sit pars lęsa, quæ clamet, bonum tamen commune, & Respub. quæ his maximè læsa est non remittit: in aliis autem leuioribus, vt homicidio casuali, furto leui, & similibus, remittente accusatore possunt iudices etiam inferiores nō punire pœna legis, sed alia arbitraria, cum id admittant ipsæmet priuatæ leges singulorum Regnorum, estque maximè consonum rectæ rationi, & æquitati. Quo sit licere deprecari iudicem in his, quæ à legibus relinquuntur ipsorum arbitrio, & in delictis in quibus licet iudici pœnam legis in aliam mitiorem commutare: aliter obsecrare illum est postulare, vt iniquè iudicet, & bono communi noceat. Lege D. Aug. Epist. 158. vbi docet, qua ratione soleret ipse iudices, & prætores, pro delinquentibus præcari.

Obseruandum est secundò, neque iudices supremos ex plenitudine suæ potestatis quando nō proclamat pars læsa, neque iudices inferiores, quando à legibus id ipsis permittitur, non debere esse faciles in commutandis pœnis corporalibus in pecuniarias, maximè quando talis commutatio, quæ communiter vocatur compositio, est occasio reis permanendi in suis delictis. In quo grauiter peccant iudices Ecclesiastici in delictis suorum clericorum, & iudices sæculares in delictis meretricum, & concubinarum, verbera, exilia, & alias pœnas, quibus hi per leges digni sunt, commutantes in pecuniarias, & dimittētes eos in suis criminibus. Vide cap. licet. de pœnis. Concilium Coloniense parte 3. de iurisdictione Ecclesiastica contentiosa, cap. 8. Ioann. Driedo. de libertate Christiana. Caieta. in Summ. Iudicis peccata. Postulat enim recta ratio, cum diuites sint frequenter audaces, & insolentes, confidentes in suis diuitijs, [adeò vt dicatur beatus, & fecisse mirabilia in vita sua, diues, qui non sperauit in thesauris suis,] vt non pœna pecuniaria, sed alia via puniatur, ne spe redimendi pœnam suam diuitijs, dicentes, vt solent Hispanè: Dineros lo remediaran, audacius ac liberius peccent. Duplex se offert hic quæstio.

CONTROVERSIA I.

AN REVS CVI POENA *à supremo iudice remittitur, maneat liber in conscientia.*

NON est quæstio de pœna corporali scapiis, aut membrorum, nam huiusmodi pœnæ nullus debet esse exequutor iuse ipsum, sed manet liber in vtroque foro, siue iustè, siue iniustè ei remittatur: quęstio est de pœna temporali, & pecuniaria, quā reus tenetur per leges soluere, & fisco, & ratione damni dati parti læsæ.

Obseruemus Principem huiusmodi pœnam aliquando remittere ex sua mera clementia, aliquādo ex causa, quæ illi proponitur: Similiter aliquādo partem læsam remittere iniuriam reo, aliquan do verò non remittere, sed persistere in accusatione.

CONCLVSIO I.

Si Princeps parte læsa non remittente, sed persistente in sua accusatione, remittat, reus manet liber à pœna soluenda fisco, non tamen à satisfactione facienda parti iuxta damnum datum.

PRior pars probatur: quia illa pœna soluenda fisco cedit in patrimonium Regis, Rex autem potest de pecunijs sui patrimonij remittere, donare, ac liberè disponere.

Posterior pars constat, quia illa satisfactio debetur parti læsæ iure naturæ, & ex iustitiis, à quo debito non potest vllus iudex nec supremus liberare reum, nisi pars ipsa læsa remittat illud, adeo vt si iudex parte læsa reclamante remitteret reo, recompensam damni illi parti illati, teneretur iudex ipse reficere illam, reo non restituente: quis iudex ita agens noceret, illi parti, quia aurem alteri nocet, & cum iniuria, tenetur ad restituendū. Cap. si tua culpa.

CONCLVSIO II.

Si nulla sit pars læsa, quæ proclamet, vel cessauerit iam, & remiserit, principe ex sua mera clementia, vel ob causam sibi verè propositam remittente, manet reus omnino liber in vtroque foro ab omni pœna, quod si remittat ex causa falsa ei proposita, non manet liber, sed tenetur pœnam illam soluere fisco.

PRior pars de damno satisfaciendo parti aperta est, cum nulla existat pars læsa, aut remiserit liberè, & sine vlla coactione, vt supponimus.

De

De pœna verò, quæ erat reddenda fisco, constat etiam,cum Rex liberè, nec deceptus dimiserit pecuniam, quæ ad suum patrimonium pertinebat,& de qua potuit liberè disponere. Et confirmatur,quia illa pœna est à iure humano, in quo Rex sua remissione dispensat.

Posterior verò pars probatur,quia cum illa remissio Regis sit velut sententia quædam conditionalis,habens hunc sensum, si causa ista ita habeat remitto tibi, sin minus non remitto, sed volo pœnam legis solui, si causa est vera, verè quoque illi reo pœna illi remittitur, sin minus illa remissione velut sententia Regis, impliciter, & virtute præcipitur, & condemnatur, vt soluat. Tum etiam,quia huiusmodi remissiones sunt velut dispensationes, & concessiones, quas constat nullam vim habere, sed magis obligare subditũ ad parendum legi,& iuri communi,in quo secum optabat dispẽsari,si sunt erptitię sint,& falsam causam contineant.

Altera dubitatio se hic offerebat.An iudex,qui contra leges remittit pœnam pecuniariam exhibendam à reo parti læsę, vel fisco, ipsis renuentibus,teneatur ad restitutionem illius pœnæ.Sed de hac quęstione copiosè egimus supra quęst.62.art. 7.in explicatione illius vocis:non obstans, sed videamus.

AN MINISTRI IVDICUM DEBEANT EXEQUI QUAMCUNQUE SENTENTIAM À IUDICIBUS LATAM.

QVi sentiebant iudicem non posse iudicare contra veritatem quàm certò nouit,simul docent,vt referunt, Syluest. Index. 2. §.6. Et Couarru. lib.1.varia. resulu.cap.1. nu.10.neque licere ministris mandare exequutioni sententiam iudicis, latam contra veritatem quam ipse minister certò nouit, sed cum fundamentum illud sit falsum vt docuimus.art.2. quod ex eo sequitur falsum quoque est.

CONCLVSIO I.

Si sententia iudicis contineat intollerabilem errorem, vel manifestam iniquitatem, & iniustitiam,non tenetur minister exequi illam, imò debet nullo modo exequi.

HÆc est communis omnium Doctorum, quia minister tantum tenetur obedire iudici in licitis, & honestis, exequi autem talem sententiam est omnino illicitum, & contra Dei præceptum, essetque cooperari iniquitati indicis. Vbi notanda maximè est doctrina communis omnium doctorum præcipuè D.August. can. Quid culpatur. 23. quæst.1. vbi docet obedientiam verè esse obedientiam,quando Princeps præcipit rem, vel apertè honestam, aut sub dubio, at quando præcipit rem apertè iniquam,est cooperari iniquitati Principis, & agere contra Dei præceptum, tunc enim veræ obedientiæ vox illa est, [Obedire oportet magis Deo quàm hominibus.] Et confirmatur, quia aliter carnifices martyrum non essent culpãdi, cum exequerentur in illis tormentis sententiam suorum imperiorum, quos tamen cõstat grauiter deliquisse,nec excusari ignorantia,quia culpabilis erat,& affectata.

CONCLVSIO II.

Quando sententia iudicis non continet manifestum errorem, aut iniquitatem, etiam si sit contra veritatem, quam minister priuatim nouit, debet illam exequi.

PRimò, quia minister cum sit persona publica, debet stare sententiæ publicæ, & non suæ scientiæ, sicut iudex iuridicæ probationi.

Secundò, quia ministro sententia iudicis est quædam lex, vnde sicut iudex vbi lex non continet manifestam iniquitatem, debet secundum illam iudicare,cum ipse non sit iudex legis sed exequutor tantum ita, & minister, vbi sententia iudicis non continet manifestam iniquitatem, debet illi stare, non enim est iudex sententiæ latæ, sed merus exequutor. Hæc conclus. est. D. Thom. & Caietan. artic. 2. huius quæstionis in fine commenti, Syluest.locu citat.& omnium Theologorum. Est etiam Innocen. Felini, & aliorum iurisperitorum quos refert Couar. loco citat.Et habetur apertè illo can. Quid culpatur, vbi docet.Diuus August.militem ex præcepto sui principis occidentem innocentem, quando illud non est apertè contra Dei præceptum, non peccare.

Vnde similiter debet, minister exequi sententiam iudicis, etiam si sit contra veritatem quam ipse priuatam nouit, quando non continet manifestam iniquitatem. Idem habetur expressè illo capit. Pastoralis: de officio delegati. §. Quia verò,vbi apertè præcipitur ordinario, vt exequatur sententiam iudicis delegati, etiam si priuatim sciat illam esse iniustam, modò non contineat intollerabilem errorem, vel iniquitatem manifestam. Potest tamen, & debet minister, quando sententia est contra veritatem quam ipse priuatim nouit, vel orando iudicem, vel aliqua alia via licita eniti,ne sibi præcipiatur illius sententiæ exequutio, sed alteri mandetur.

Similiter si videat sententiam illam non solum esse contra veritatem, verum etiam procedere ex probationibus non satis sufficientibus, neque satis constare ex processu, poterit & debet antequam terminus appellandi excidat, & sententia illa transeat in rem iudicatam, admonere reum vt appellet: & iudicare ei deffectus processus, & sententiæ, & pro illo apud alium iudicem testificari, quod si non appellet, vel quia non sit locus, vel quia excidit tempus tenetur illam exequi, etiam si sciat procedere ex insufficienti probatione, propter rationem dictam, quia ipse non est iudex illius processus aut sententiæ sed solum exequutor.

QVÆ-

QVAEST. LXVIII. DE INIVSTITIA Accusatoris.

De materia huius quæstionis Scholastici in 4. distinctio. 19. Summistæ in verbo, Accusatio, Accusatus, & Accusator, Iuristæ. Cod. & Institut. De Accusationibus. Canonistæ in Decretalibus, eodem tit. & in sext. Et capit. Nouit de iudicijs. Et cap. Si peccauerit. 3. quæst. 1. Soto in relectio. de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 5. Nauar. in cap. inter verba. 11. quæst. 3. conclus. 6. corol. 58. numero 154. & sequen.

ARTICVLVS I.

An teneamur ad accusandum.

CVM in accusatione quatuor consideranda sint, obligatio, & debitum accusandi, forma, & modus quo fieri debeat, iustitia quæ in ea seruanda, est & pœna cui se offert accusator si defecerit in probatione: Hæc quatuor articulis proponit D. Thom. in hac quæstione. Primum igitur omnium agit in hoc articulo de obligatione accusandi, An hæc omnes homines compræhendat?

Obseruemus primò, cum sint tres viæ, quibus habetur in iudicio notitia de aliquo crimine, & proceditur ad illius punitionem, vt habetur cap. Qualiter, & quando, De accusationibus. §. ad corrigendum. & cap. Licet: De symonia, quæ sunt, (vt vidimus quæstione præcedenti.) Accusatio, Denunciatio, & Inquisitio. Hoc loco D. Thom. nomine denunciationis intelligit illam Euangelicam, & fraternam, quę fit ob bonum priuatum fratris, vt ipse emendetur, de qua Christus Matth. 18. Et hanc denunciationem Euangelicam distinguit hic sub accusatione, illam verò denuntiationem quam vocauimus iuridicam seu iudicialẽ comprehendit sub accusatione, quia licèt reuera distinguantur (vt vidimus) cõueniunt tamen ambæ in fine, & eo tendunt vt delicta puniantur ob bonum publicum, A nobis autem vt rem magis explicemus hæc distinguenda sunt.

Differunt denunciatio iuridica, & accusatio in tribus.

Primò, quia accusatio debet fieri in scriptis, denunciatio verò sufficit fiat solo verbo, vt colligitur ex cap. Super his, extra De iudicijs. videbiturque art. sequenti.

Secundò, quia denuncians non tenetur probare, sed tantum indicat iudici, vt ipse prouideat bono communi, accusator autem tenetur ad probandum, & quamuis Soto in illa relect. loco citat. videatur docere, denuntiantem iudicialiter teneri etiam ad probandum, hoc tamen retractat lib. 5. de Iust. q. 4. art. 3. & q. 5. ar. 1. Differunt tertiò, quia accusator offert se pœnæ talionis, si deficiat in probatione, vt videbimus, denunciator verò minimè.

Ex quibus sequitur primò, denuntiationem Euangelicã, iudicialem, & accusationem sic posse definiri, vt Euangelica denunciatio sit delatio criminis ad prælatum, vt patre, gratia emendandi fratrem. Iuridica verò sit delatio criminis ad iudicem, gratia punitionis delicti, sine obligatione libelli accusatorij, aut probandi delictum. Accusatio verò sit delatio criminis ad iudicem gratia punitionis delicti cum obligatione libelli accusatorij, & probandi delictum. Quæ definitiones colliguntur ex D. Tho. art. se ad 3.

Sequitur secundò, ex illis tribus vijs positis, denunciationem, & accusationem pertinere ad priuatos homines, inquisitionem, verò à solo iudice fieri ex officio, nec debere priuatos inquirere delicta fratrum, sed cum illa nouerint, deferre ad prælatum, vel iudicem, aut accusando, aut denuntiando.

Sequitur tertiò dimittenda esse illa quatuor denunciationis genera, quæ afferuntur à Canonistis in cap. nouit. de Iudiciis. & cap. Si peccauerit, &c. in Euangelicam, Iudicialem, Canonicam, & Regularem de quibus etiam Soto copiosè in lib. de tegendo secreto membr. 2. quæst. 5. in principio, nobis enim huiusmodi diuisio necessaria non est, quia cum illa sumatur ex parte denunciantis, vel ex parte eius cui fit denũciatio, vel ex parte eius qui denunciatur quæ omnia sunt materialia, sicut distinguunt in canonicam, & regularem, ita possent distinguere in Ecclesiasticam, & sæcularem, &c. in nobilium, & plebeiorum, &c. Tum etiam, si rectè expendatur, canonica cum fiat prælato nõ differt ab Euangelica.

Vnde vtemur tantum hic Euangelica, & iuridica, quæ sunt in communi vsu doctorum. *Præter* illas tres vias reperitur in iure in illo *cap. Super* his. De accusat. alia quarta quæ dicitur exemptio, quando scilicet obijcitur alicui aliquis deffectus vel crimen, propter quod priuatur aliqua dignitate, aut beneficio, vel impeditur ab eius consequutione, vel reijcitur eius accusatio, aut testimonium, quæ tamen huius loci non est, sed pertinet ad quæstionem de testibus.

Obseruemus secundò maximè interesse inter Deum, & iudices humanos in punitione criminũ, Deus enim punit iuxta qualitatem, & grauitatem culpæ, ita plus punit fornicationem quàm furtũ, quia illa est grauior culpa. Apoc. 18. Quantum glorificauit se in delitijs, tantum date ei tormentorum, & luctus. Iudex autem humanus cum eius munus sit prospicere bono communi temporali, non respicit in punitione delictorum qualitatem culpę, sed damnum, & perturbationem quam delicta afferunt bono communi, & Reipub. ideo magis punit furtum quàm fornicationem, homicidium quam blasphemiam, Et similiter accusatio, & denunciatio iuridica cum tendant ad punitionem, id quoque potissimè debent respicere, nempè bonum publicum.

CON-

CONCLVSIO I.

Si crimen sit in damnum publicum, quicumque illud nouit, & potest iuridicè probare, tenetur accusare apud iudicem authorem illius criminis.

PRobatur à D.Thom. Pœnæ huius sæculi quas inferũt iudices humani sunt medicinales, vel ad vtilitatem ipsius peccantis, quando peccata sunt priuata, & nocent solum peccanti, vel ad vtilitatem boni communis, quando communi bono talia delicta nocent, hoc bonum nempè commune tenetur vnusquisque iuuare quantum potest, exigitur autem maximè ad iuuandum illud, vt qui nouit aliquod crimen quòd est contra tale bonum, & potest per testes probare, deferat illud ad iudicem, & probet, quòd est propriè accusare, ergo quãdo crimen est in damnum commune, & potest probari qui illud nouit, & probare potest, tenetur accusare. Ita sit duo debere concurrere vt quis teneatur accusare, vnum vt crimen sit in dãnum publicum spirituale vel temporale. Alterum vt possit illud probari iuridicè, & per testes fide dignos. Hinc sequitur.

CONCLVSIO II.

Crimina quæ tantum vergunt in damnum particulare proprium, vel alienum, aut quæ testibus probari nõ possunt (licet sint in damnum publicum) nemo tenetur accusare.

PRobatur prior pars, nam in primis si sit peccatum illud in damnum proprium, licet cuique remittere propria damna, cum vnusquisque (vt vidimus) sit dominus suorum bonorum, vel famæ. Si sit in damnum priuatum alterius, cum possit ille, qui læsus est remittere, vel petere satisfactionem, non teneor ergo causam eius agere. De huiusmodi criminibus, quæ non sunt in damnum publicum est apertè illa lex vnica. Cod. Vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur.

Ex hac conclusione sequitur reijciendam esse illam sententiam Bartoli, hæredes hominis occisi teneri ad accusandũ homicidam, sin minus amittere ius hæreditatis, propterea quod ita videtur haberi l. Si quis homicidij. & l. in eum. ff. de accusat. quia istæ leges non satis conueniunt cũ Euangelio Christi, iuxta quod non solũ licet proprias iniurias, & damna remittere, nec accusare, verum etiam est concilium perfectionis. Secundò, quia damna illata occo non possunt satisfieri hæredibus (vt vidimus) nisi per pecuniam, cui possunt ipsi iuri omni renunciare. Vnde oppositum illius sententiæ, & legis habetur expressè in illa lege vnica cit. & leg. Diui fratres. Eodem Cod. & titul.

Secunda pars conclusion. probatur optimè à D. Thom. Nemo tenetur ad id, quod perficere non potest, in accusatione verò est necessaria probatio, ergo qui non potest probare, non tenebitur accusare. Tenebitur autem quæ nocent bono cõmuni denunciare, vt iudex inquirat, & prouideat illi damno: Quia cum bono communi teneatur vnusquisque fauere quantum potest, qui non potest accusatione, quia nequit probare, iuuet denunciatione.

In hoc articulo examinanda est in primis prima concl. D. Thom.

CONTROVERSIA I.

AD DELICTA QVAE VERgunt in damnum commune teneatur quiuis accusare.

SVmma Angelica, verbo. Accusatio, vult neminem teneri ad accusandum alium, præterquã in homicidio hæredem occisi, iuxta illam sententiam Bartoli, Adducitque in suam sententiã Bartolum in illa. In eum Additque Angelus, præter istum casum nulli priuato licere alium accusare. Idem habet Glossa in l. Furtum. ff. de his qui notantur infamia. §. Pacti. Probatur hæc opinio, primo Matth. & Luc. 6. & est præceptum Euangelicum: Dimittite, & dimittetur vobis. Et Matth. 18. [Serue nequam, non ne oportuit te misereri conserui tui? &cæt. at qui accusat nec dimittit, nec dimittit, nec miseretur proximo suo. Secundò, si quis teneretur accusare, vel in causa propria, & priuata, vel in communi: In causa propria non tenetur, quia ex secunda conclus. D. Thom. & communi sententia potest remittere, in communi verò sufficit denunciare iudici, & ipse prouideat: quod si non fecerit erit tunc omnis culpa iudici tribuenda, & non alteri. Tertiò, si crimen quod cedit in damnum commune est accusandum, omne peccatum, vel mediatè vel immediatè cedat in damnum publicum, quia qui lædit parti lædit, & toti, cum damnum partis redundet in totum, omne crimen, & peccatum, & quod est in damnum huius vel illius priuati esset accusandum.

Quartò, Accusatio debet fieri sine proprio detrimento, & damno, at cũ accusator teneatur probare, sin minus subire pœnam talionis, non potest quis accusare quin huic pœnæ, & damno se exponat, ergo nemo tenetur accusare. Maior certa est. Minor verò probatur, quia quantumuis crimen sit probabile in iudicio, potest malitia testium deficere accusator in probatione. Denique Cod. Vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur. l. vnica. ex ipso titulo colligitur apertè neminem cogendum esse ad accusandum. Et D. Thom. infra. q. 73. art. 4. ait. [In nostro arbitrio esse accusare vel nõ accusare, & io hoc maximè commendari nostrã patientiam.

Sed propter hęc non est recedendum à sententia quam habet D. Tho. in 1. concl. sequuntur illum Alen. 3. p. 4. 41. mem. 1. & omnes discipuli Diui Thom. imò, & omnes Theologi in 4. dist. 19. & omnes Iurisperiti in cap. Nouit de iudicijs, neque vllus est quia aliter sentiat præter Angelum, & illam Glossam citatam.

Ad cuius maiorem intelligentiã notemus. D. Thom. illud vocare hoc loco crimen in damnum publicum, quod habet pro obiecto immediatè bonum publicum, vt hæresis quæ immediatè nocet fidei, & religioni, compilatio ærarij publici, proditio ciuitatis, homicidia, & furta, quę fiunt ab assassinis, grassatoribus, & latronibus itinerum: Alia verò, vt furta, & homicidia priuata adulteria, & similia licet dicantur aliquando nocere bono communi, quatenus nocent partibus Reipub. propriè tamen, & hoc loco non dicuntur à D. Thom. crimina in damnum publicum, quia

proprium, & immediatum obiectum eorum non est aliquid bonum publicum, sed priuatum huius vel alterius ciuis.

Obseruemus secundò, punitionem delinquentium bifariam posse esse necessariam Reipub. vel vt ipsi resipiscant, eo quod adeo sint inueterati in delictis illis, vt non aliter desistent quàm inflicto supplicio, vel quia licet ipsi alia via, vt correctione fraterna credantur cessaturi, exigitur tamen, vt alii timeãt similia perpetrare illos puniri, quomodo officiũ sanctæ Inquisitionis hæreticos dogmatizantes punit vltimo supplicio, etiam si probabiliter crederentur à sua hæresi cessaturos, quia ita expedit bono communi ad alios tali exemplo cohibendos.

CONCLVSIO PRIMA.

De fide est, Accusationem aliquando esse licitam.

PAtet in primis Gen. 37. vbi Ioseph accusauit fratres apud patrẽ de crimine pessimo, quod factum nullus Sanctorum Patrum damnat, imò omnes commendant illud, Leuit. 5. Si peccauerit anima, & quis audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod ipse vidit, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. Quo testimonio vtitur hic D. Tho. & Ioan. 8. vt obseruant Doctores, Non damnauit Christus Pharisæos, propter accusationem adulteræ, sed odium & malitiam eorum. Secundò, in omnibus Concilijs tàm Generalibus quàm Prouincialibus admittuntur accusationes, nec reprobantur accusatores. Tertiò, in vtroque Iure sunt tituli de Accusationibus. Et in vtroque foro ciuili, & Ecclesiastico sunt instituti fisci, & accusatores. Est denique communis doctrina omnium Theologorum, & Iuristarum licere accusare. Vnde illa opinio Angeli nisi explicetur est periculosa, & erronea, destruens omne ius, & omnia tribunalia, damnansque consuetudinem omniũ nationum, & quasi iure gẽtium in omni Repub. introductam. Et ratio D. Thom. à nobis proposita est efficacissima. Et confirmatur Denunciatio ex ipso Angelo est licita, sed accusatio nil addit supra denunciationem, quod non sit etiam licitũ, & honestum, nam quod fiat in scriptis non est malum, imò maius argumentum veritatis accusationis, cum experientia teste, quę oretenus diximus, facilè possimus negare, quæ vero scripto mandauimus nequaquam, propter quod maiori cura vtimur in scriptis, quàm in sermone solo. Secundò, quod obliget se ad probandum, & pœnæ talionis se offerat nisi probauerit, hæc media sunt directè tendentia in finem bonum, nempè ostensionem iuridicam veritatis, vbi autem finis bonus & honestus est, media quoque in illum per se ordinata bona, & honesta sunt.

CONCLVSIO II.

Aliquando est licita accusatio, non tamen in præcepto, aliquando verò, & licita, & in præcepto.

PRior pars probatur læsus in fama, honore, vel bonis potest apud iudicem accusare læsorem suum, vt puniatur propter iniuriam, quam intulit, & reficiat damna illata. Potest quoque remittere illas iniurias, & damna: ergo licet aliquãdo accusare, & non accusare. Prius illud patet, quia licet petere à iudice, quod ipse iustè, & honestè potest præstare; sed iudex potest punire læsorem, & compellere ad satisfactionem damni illati parti læsæ, ergo põt id peti, & probari, quod fit accusando. Tum etiam reũ puniri à iudice est actus iustitię, petere autem à iudice vt exerceat actum iustitię, ad quem tenetur ex officio, non est illicitum, cum iustitia sit virtus. Tertiò, daretur aliter magna licentia facinorosis, & innocẽtes essent peioris conditionis, Quod possit etiam in his non accusare constat ex supradictis, vbi vidimus vnumquemque posse remittere satisfactionẽ sui honoris, famę, & bonorum, cum sit istorum omnium dominus. Similiter licet accusare quando crimen est in damnum commune, non tamen est in pręcepto, quãdo illud damnum commune exiguum, & parum nocens.

Secunda vero pars conclus. probatur inductione, & enumeratione casuum in quibus oportet accusare. Nam primò si crimina grauiter, & directè noceant bono communi, vt hęresis, proditio ciuitatis, &c. qui illa nouit, & valet probare iuridicè, non solum potest, verum etiam tenetur accusare, vt constat ex conclus. D. Thom. & argumento, quo illa probata est. Secundò, quando punitio est vtilis bono communi, vt si ex adulterio Petri cum muliere illustri sit sequuta grauis seditio in populo, quæ sedari non potest, nisi punito Petro, ob bonum commune tenetur qui sciret illud delictum, & testes, quibus probari posset, deferre ad iudicem. Similiter si ex punitione alicuius, viris sceleratis timor incutiatur, illo verò non punito probabile sit reddendos audaciores. Tertiò, in damnis quoque priuatis, quando non licet honoris, famæ, vel bonorum satisfactionem remittere, quia illa necessaria sunt, vel ad vitanda propria scandala, vel ob alias causas superius positas, tunc si læsor non vult satisfacere, tenetur læsus si crimen illud in iudicio probari, possit, accusare. Etenim cum non possit remittere, tenetur niti via licita illa recuperare, via autem accusationis licita est. Quartò, si videam aliquem insidiantem vitæ alterius, aut familiæ fratris, nec correctum resipiscere, nec aliquam viam mihi commodam sese offerre ad illa damna impedienda, tunc si testibus probari possit, teneor illum sic insidiantem fratri suo accusare, vt docet D. Thom. supra quæstio. 3. artic. 7. quia tenetur vnusquisque quantum potest, via licita tueri fratrem suum ab omni damno, & iniuria. Eccles. 17. Vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. Prouer. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. In hoc autem casu qui tales insidias nouit, & probare potest, non habet aliam viã cõmodiorem vt supponimus quam accusationẽ.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primũ respondeo, in illis locis docere Christum dimittamus priuatas iniurias quæ nobis inferuntur, quãtum ad odium, & liuorem animi, non quãtum ad punitionem delictorum, quę petitur ex zelo iustitiæ: maximè quando petimus satisfactionem dãnorum, quorum recompensa nobis, aut proximis nostris necessaria est. De huiusmodi ergo priuatis iniurijs possumus, vt explicatum est, & accusare, & non accusare, si accusemus ex zelo iustitiæ non est contra Euangelium, si non accusemus est actus patientiæ, & charitatis. Et ideo in his nemo est cõpellendus. Et in hoc sensu loquũtur lex vnica. Cod. citat. & D. Thom. cum ait in nostro arbitrio esse accusare, & non accusare. Dico et illa concilia. Euangelica de remittendis iniurijs, & dãnis, tàm interius, quàm exterius, tàm in corde quam

in

in iudicio forensi, esse perfectorum, ad quę inbecilliores nobis sunt obligandi, sat est remittāt cor de. Vnde Christus non dicit Matth. 18. simpliciter nisi remisaritis, sed nisi remiseritis ex cordibus vestris, Imò nec viri perfecti possunt remittere exterius iudicio, quando iniuriæ ipsi illatæ cedunt in damnum commune, vel aliorum, possunt enim cedere iuri suo, non tamen iuri aliorum. Denique omnia illa quæ adducit Angelus intelliguntur de peccatis quæ sunt in iniuriam priuatam. D. autem Thom. loquitur de peccatis in damnum commune in sua prima conclusione. Ad secundum dico, in priuatis delictis neminem teneri ad accusandum delinquentem nisi in casibus adductis in probatione secundæ partis secundæ conclus. in delictis autem quæ cedunt in damnum commune, si sciens illa, certò simul sciat, testes ita esse in promptu iudici, & iudicem ita solicitum, vt sola denunciatione sit sufficiēter prouisum bono communi, tunc non dubito quin non teneretur iste ad accusandum quia si tota ratiò, vnde hæc petenda sunt est cura boni communis, quæ omnibus incumbit, vbi sola denunciatione erit sufficienter prouisum bono communi, non dubito non teneri quem ad accusationem: cæterum quia quando crimen est perniciosum, qualia sunt de quibus loquitur prima conclus. D. Thom. imminent hæc damna nisi accusetur. Primò, vt tantum fiat denunciatio, & ea accepta iudex procedat ad inquirendos testes for san illi mora, & tempore necessario ad inquirendum, delinquens ille magis nocebit. Secundò, vt iudex sit negligens, & tepidus dissimulet que: quæ certè cessant si fiat accusatio, quia tunc cum postuletur, vt capiat reum, recipiat testes, & dicat ius non potest dissimulare, aut negligenter agere. Quod si dixeris, denunciet quis & offerat iudici testes, reliqua verò ipsi dimittat. Dico differre crimen, & cum probationibus, hoc iam non esse denunciare, sed reuera accusare quacunque ratione fieret. Ad tertium cōstat solutio ex dictis, Quamuis enim quæcunque peccata quę proximis nocent dicātur vergere in damnum Reipub. quia damnum totius, hoc tamen loco illud tantum dicitur in damnum commune, cuius proprium obiectum est bonum commune, vt hæresis, proditio ciuitatis, & similia, Alia verò non sunt in damnum commune nisi quando illorū punitio esset necessaria bono communi, vt in secunda conclus. positum explicatum est. Ad quartum respondet benè Soto in illa relec. cit. neminem teneri ad accusandum, nisi possit probare, vt diximus, illum verò qui bona fide accusat zelo iustitiæ, & boni cōmunis, non teneri pœnæ talionis, si deficiat in probatione ex iniquitate testium, vt videbimus artic. 4. Vnde qui ita accusant, aut denunciant ob bonum cōmune, soleant protestari se id facere ob bonum cōmune, & habere testes, quibus illud probetur, quod si ex iniquitate sua noluerint verum dicere, se non obligari ad id.

CONTROVERSIA II.

DEBEAT NE PRAECEDERE correctio fraterna accusationem, & denuntiationem iudicialem, sicut debet præcedere Euangelicam.

De hac quæstione fuerūt apud veteres Theologos duæ opiniones celebres, quas refert D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncula 1. Alia affirmans, alia vero negans. Syluest. Accusatio. §. 3. putat Diuus Thom. ibi sequi affirmantem, sed reuera iuxta communem opinionem discipulorum D. Thom. sequitur ibi negantem: cōstituit enim illam vltimo loco, sicut solet, quando propositis varijs opinionibus aliquam amplectitur. Idem habet Quodlib. 2. artic. 16. & Quodlib. 2. artic. 13. & hec loco, cum in corpore articuli doceat, teneri hominem ad accusanda crimina, quæ sunt in damnum publicum, & quæ probare potest nulla facta mentione correctionis fraternæ præmittendæ, idemque insinuat in solutione ad 3.

Durandus in 4. dist. 19. quæst. 4. ad 1. Sequitur partem affirmantem, ita vt in foro exteriori non sit necessaria, nec iudex quærit, vt admittat accusationem, an accusator admonuerit fraternè illū quem accusat, in foro autē animæ teneatur prius corrigere, vt si ea via resipiscat, & cesset damnum commune, non deferatur ad iudicem. Probatque Duran. quia Christus, Matth. 18. simpliciter, & in vniuersum præcpit in omni delicto fratrū prius fraternè corripi, quàm ad superiorem deferatur, nec distinguit inter denunciationem Euangelicam, aut iudicialem, vel accusationem eandem sententiam sequitur Syluest. loco cit. Probatque, quia plus periculi, & damni imminet proximò, ex accusatione quæ fit iudici, quam ex denunciatione Euangelica, quæ fit prælato, sed hæc non est facienda quin præcedat secreta admonitio, vt si hac via quæ suauior est emendetur non denuncietur, ergo multò potius debet fraterna admonitio præcedere accusationem. Idem tenent Angelus, & Glossa in cap. Licet de simonia, Refertq; Mancius idem docuisse Mag. Vioriam, adductum ratione Syln.

Caiet. supra quæst. 32. art. 7. sentit prius esse fratrem corripiendum quam accusandum quando accusatio licita quidem est non tamen in præcepto, quando verò est in recepto, non esse admonendum sed statim accusandum: Ratio eius est. Quia accusatio tantum est in præcepto quando peccatum est in damnum, commune, nec alia via potest illi damno occurri: & bono communi prouideri, quàm accusando delinquentem illum, aut saltim iuridicè denunciando, quando verò peccatum tale est, non est adhibenda fraterna correctio, quia frustra adhiberetur, cum supponamus peccatum illud ita esse in damnum commune, vt aliter quàm accusatione, vel denunciatione iudiciali illi occurri non possit, ergo quando accusatio est in præcepto, non est præmittenda secreta admonitio.

Mag. Soto in lib. De tegendo secreto memb. 2. q. 5. concl. 5. statuit hanc regulam. Vt quoties quis habet ius ad accusandum, & accusatio est ipsi licita, eodem iure quo potest accusare, potest id pręstare sine pręcedenti correctione. Ratio eius est. Fraterna correctio tantum fit ob bonum priuatū fratris, vt emēdetur accusatio verò, & denunciatio iuridica ob bonum publicum, vt delictum puniatur, siue frater sit correctus siue non, ergo huiusmodi accusationem, & denunciationem non est necesse pręcedat correctio.

Secundò, correctio fraterna debet pręcedere denunciationem Euangelicā quę fit pręlato, quia ambę tendunt in eundem finem, nempè in emendam fratris, totus namque processus ille Euangelicus propositus à Christo Matt. 18. Tendit in salutē fratris, quo fit, vt si fraternè correctus emendetur, nō sit vlterius progrediendū, quia iam obtine-

tor finis: finis autem accusationis non est emenda fratris, sed punitio delicti, ac vt alij timeant propter quod fit, siue sit emendatus siue non, ergo cùm inter accusationem, & correctionem, fraternam nullus sit ordo, non est necesse vt hæc illam præcedat.

Tertiò, correctio, & accusatio non solum differunt fine verum etiam materia, & causa: materia quidem, quia materia vnius est peccatum occultum fratris, & ipsius conscientiæ nocens, siue probari possint in iudicio siue non, materia verò accusationis peccatum nocens Reip. quod in iudicio probari potest, causa verò quia hæc procedit à iustitia, illa vero elicitur à misericordia, & charitate, quibus efficitur necessariò, vt ante accusationem (quando illa iure fieri potest) non sit necessaria correctio.

Quartò, leges iustæ maximè canonicæ non solum respiciunt forum externum, verum etiam conscientiam, at non solùm leges ciuiles non exigunt istam admonitionem ante accusationem, sed neque Canonicæ imò illam videntur excludere. cũ cap. Qualiter, & Quando. De accusationibus ita distinguat Papa denunciationem Euangelicam, & accusationem, vt illam præcedat admonitio, hanc verò solum libellus accusatorius, sic enim habet textus: Sicut denunciationem admonitio, ita, & accusationem inscriptio præcedere debet.

Quintò, iudex potest, & debet repellere iniustã accusationem, cum sit custos iuris, & iustitiæ, non tamen potest repellere accusationem alicuius habentis ius ad accusandum hoc nomine, quod nõ admonuerit prius fraternè illum quem accusat, vt constat experientia, & patet ex eodem c. Qualiter, & quando, ergo non est accusatio iniusta, eo quod non præcesserit correctio: At si in conscientia accusator ad id teneretur, esset iniusta illa accusatio.

Sextò quando quis accusat in propria causa, nõ tenetur (vt omnes Doctores sentiunt) præmittere istam admonitionẽ, ergo multò minus quando accusat in causa communi. Probo consequen. quia citius est occurrendum damno communi, quàm particulari.

Septimò iudices cum inquirunt delicta, non curant, an qui illam ipsis iudicat præmiserit correctionem fraternam. Testes quoque recipiuntur, absque eo quod illam præmisserint, & fiscales accusationes fiunt nulla tali admonitione præuia, imò peccarent fisci, si quem accusaturi sunt, prius admonerent & punirentur à iudicibus quando id constaret, tanquam impedientes iustam punitionem delinquentium, quia delinquentes admoniti à fiscis occultarent se, at si alij tenerẽtur ad prius admonendum, quàm accusandum tenerentur etiam, & iudices, & testes, & fisci quia præceptum correctionis fraternæ cum sit diuinum, & naturale, quando seruandum est, non minus obligat iudices, & fiscos, quàm alios.

Denique nemo tenetur aliũ accusare cum proprio damno, & periculo, at si accusandus esset prius priuatim admonendus, exponeret se accusator magno damno, & periculo, ille enim qui deinde accusaretur, statim iudicaret se ab illo esse accusatum, è quo prius fuerat admonitus, haberetque illum odio, & persequeretur.

Sed hæc sententia Mag. Soto videtur petere principium, cum dicat illum qui iure potest accusare, non teneri ad præmittendam admonitionẽ fraternam, hoc est enim quòd quærimus, an habeat ius ad accusandum qui talem admonitionem non præmisit: vnde lib. 5. De iust. loco cit. explicat apertius suam sententiam per tres conclusiones. Prima est. Quando quis accusat in causa propria, vt sibi satisfiat damnum acceptũ, non tenetur præmittere admonitionem fraternam, Quia admonitio fit propter emendam, & in hoc casu licèt ille sit emẽdatus, potest nihilominus læsus petere suã satisfactionem, & punitionem delicti quo læsus est. Secunda conclus. Si crimen sit in damnum publicum, sed secretum, certumq; sit fratrem secreta admonitione emendandũ, & eo emendato sufficienter esse prouisum bono communi, tenemur ex charitate, & iustitia prius illum corripere, quã accusare. Quod si correctus non emendetur, tunc accusandus est. Quia cum ille adhuc habeat possessionem suæ famæ, & honoris, vbi speratur correctione secreta emendandum, esse simulq; esse consultum bono communi, contra charitatem est exponere famam, & honorem illius, quia exponeretur sine necessitate conclusio. Quando non est spes maximè certa peccantem cum damno communi nostra correctione emendandum, simulque bono communi esse cõsultum, statim accusandus est, quia bonum commune præferendum est famæ, & cuius bono particulari illius delinquentis, & ne bonum commune periclitetur, dimittenda est omnis admonitio.

In omnibus istis opinionib. aliquid verum est, & aliquid correctione dignum, Vt igitur quod verum est ex omnibus colligamus, obseruemus primò, bifariam rem aliquam esse alteri præmittendam, vel quia vna est velut via & dispositio ad aliam, quo modo subdiaconatus præmittitur diaconatu, & diaconatus presbiteratu, vel quia ambæ conueniunt in eodem fine, sed altera facilius medium est, & suauius, & ideo ex prudentia præmittenda, quomodo correctio fraterna præmittitur denunciationi Euangelicæ, quia tendunt ambæ in eundem finem, & emendam fratris sed ita vt correctio facilius, & suauius medium sit ad talem finem. In hoc autem loco correctio fraterna, & accusatio in nullo horum conueniunt, nam vna non est via nec dispositio ad aliam, nec correctio ad accusationem, nec accusatio ad correctionem, nec simpliciter, & per se conueniunt in fine, imò sunt velut duæ res separatæ, & distinctæ, quarum nulla dicit aliquem ordinem vel habitudinem ad aliã. Differunt enim fine, materia, & causa ac principio eliciente, vt in tertio, & quarto argumento pro prima opinione mag. Soto vidimus. Et ita per se non exigitur ad accusationem aliqua præcedẽs admonitio, sed id solum, vt delictũ sit ex his quæ punienda sunt ob bonum commune, & certa notitia eius, ita probari possit. Vnde D. Tho. qui in quaque re vt optimus philosophus ea tantum constituit, quæ illi per se cõueniunt, agens hic de accusatione, solum requirit hæc tria, & delictum nocere bono communi, notitiam eius, & testes: correctionis autem alicuius præmittendæ non meminit, cum correctio sit adhibenda propter emendam, accusatio autem quando illam postulat bonum publicum, vel priuatum alicuius, cui fit iniuria, siue ille accusandus sit emendandus siue non. Per accidens autem, potest aliquando euenire, vt accusatio, & correctio conueniant in fine, nempè si per correctionem obuietur damni, cui obuiandum erat per accusationẽ, tunc per accidens quoque fiet, vt admonitio sit præmittenda tanquam medium suauius, & facilius, & cum minori iactura delinquentis.

Obseruemus secundò, quod maximè notandū est, quædam esse delicta, à quibus qui in illa incidit sciens, & prudens, difficillimè omnium solet recedere, & reuocari, vel ob malitiam animi, & cæcitatem mentis, quam solent talia vitia secum afferre, vt hæresis, & proditio propriæ ciuitatis, vel Principis: aut ob inueteratam consuetudinē talia committendi, quo modo sicarius, latro, homicida inueteratus in talibus delictis rarissimè conuertuntur: iuxta illud. Hiere. cap. 13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, &c. Et ita in his nemo debet sibi tātum credere, vt putet se tales malefactores posse suā correctione emēdare: nam licèt simpliciter sit possibile, moraliter tamen rarissimè accidit: & de moribus hominum debemus iudicare secundum ea quæ cōmuniter, & frequentius accidunt. Similiter sunt quædam crimina, in quibus si aliqua mora intersit, exponitur bonum commune maximo periculo: huiusmodi quoque sunt hæresis (quæ ex Pau. Vt cancer serpit) Proditio ciuitatis, & Principis, quam qui nituntur, nisi citò, & diligenter occurratur, breuiter exequentur, & similiter in aliis delictis modò positis. Propter quod in his, ne dum immoramur in delinquentis correctione, bonum periclitetur, præstat iuxta leges prudentiæ prospicere bono communi, accusando delinquentes, quam bono particulari eorum, differendo accusationem, spe correctionis. Nam etiam si æquale esset periculum, vel nocendi ipsis per accusationem, cum possint corripi, & forsan corriperentur, vel quod ipsi nocerent bono communi si nō corripiantur, curandum est potius occurrere periculo boni communis, quàm periculo priuato ipsorum, quantò magis cum certus sit non cōuertendos, imò si admoneantur cautius, & secretius nocituros. Dixi sciens, & volens, nam qui per ignorantiam, aut deceptionem alterius, & non ex malitia sua in ista incidit, admonitus, & liberatus ab illa ignorantia, & deceptione solet resipiscere, quod si semel aut iterum admonitus non resipiscat, iam committit illa sciens, & volens, & ex malitia, iudicandum quę est est de eo vt de cęco, & inueterato, iuxta illud B. Pau. ad Tit. 3. Hęreticum hominem post vitam aut alterā admonitionem, deuita, sciens quia iam subuersus est huiusmodi.

CONCLVSIO I.

Quando peccatum est in damnum publicum, vel particulare, ita tamen vt peccantis punitio simpliciter, & absolutè sit necessaria bono communi, siue ille emendatus sit, siue non, vt assassini, proditoris ciuitatis. hæretici dogmatizantis, aggressoris itinerum, non exigitur vt præcedat secreta admonitio, sed statim accusandus est.

Patet. Denunciationē Euāgelicam debet pręcedere secreta correctio, quia ambæ tendunt in eundem finem, nempè emendam fratris, propter quod si emendetur per correctionem, nō est vlterius progrediendum: Quando verò non conueniunt in fine (vt constat ex prima obseruatione) vna non exigitur ad aliam, sed in huiusmodi delictis de quibus hæc prima conclusio correctio, & accusatio habent fines maximè distinctos, correctio emendā, accusatio punitionem, siue sit emendatus siue non, ergo in his ante est necessaria admonitio ante accusationem. Hanc probant omnia illa argumenta superius adducta, quibus ostendebatur opinio, quam habet Soto in Relec. De tegendo secreto.

CONCLVSIO II.

Quando delictum est occultum in ore duorum, vel trium vel saltem paucorum, nec eius punitio est necessaria bono communi, certumque sit fratrem illum secreta correctione emendandum, simulque prouisum esse bono communi, nec vllum esse periculum in mora, corripiendus prius est, quam accusandus.

HÆc Conclus. cum his conditionibus est communis inter Theologos in 4. dist. 19. Et Canonistas in illo can. Si peccauerit. 2. q. 1. Estq; Adria. in suo quarto in materia de correctione, Victo. Soto, & omnium discipulorum D. Thom. probatur. Accusatio criminis, sicut & punitio non est expetenda, propter se, sed propter aliquod bonum, vel publicum, vel priuatum ipsius delinquentis propter quod ait hic D. Th. supplicia, & pęnas huius vitæ esse medicinales, iuxta illud Pau. 1. Cum iudicamur a Domino corripimur, vt non cum hoc mūdo damnemur. Sed in hoc illi accusatio, & punire non est expetenda propter bonum delinquentis, cum fraterna correctione certo credatur emēdandus, nec propter bonum publicum, cum per illius emendam quæ certò speratur consulatur etiā sufficienter bono communi, ergo expeteretur propter se quod est iniquum.

Secundò, lege charitatis, & iustitię tenemur bono publico prospicere quantum fieri potest sine detrimento, & iactura fratris, vt princeps in defendenda sua ciuitate tenetur, quantum fieri potest non euertere villas, & hortos suorum ciuium, sed in hoc casu correctione fraterna prospicitur sufficienter & bono communi, & bono fratris (vt supponimus) ergo nō est accusandus, quin prius corripiatur.

Tertiò, iuxta oppositam sententiam nunquam ferè esset in præcepto fraterna correptio, nec esset ei locus: Probatur. Nam vel crimen illud est notum. 2. l. 3. testibus ante quàm aduocetur in testes, vel non est illis notum donec adducantur in testes: Si primum, poterit statim accusare, & non seruato ordine correctionis fraternæ cum habeat testes quibus probetur. Si secundum, poterit statim denuntiare, vt iudex inquirat cum denuntiās non teneatur ad probandum, & ita vel via accusationis, vel via denūtiationis poterit defferre ad iudicem omisso ordine, & processu correctionis fraternæ, hoc non est dicendū, quia Christus Dominus optimè nouit pleraque, delicta fratrū etiā si secreta innotescere duobus vel tribus testibus, nec propterea concedit, vt liceat statim illa accusare, sed præcipit vt seruetur ille ordo Euangelicus correctionis fraternæ. Et confirmatur, quia si aliquis optimæ famæ committat delictum quod possit per 2. vel 3. testes probari, & liceat illū, qui secretò admonitus fuisset emendatus, accusare, damnū inferetur Reip. ex tali accusatione quàm sequatur emolumenti ex punitione illius delicti: quia plures scandalizabūtur, & sument ansam simile cōmittēdi ex infamia, & reuelatione talis delicti, quā retrahantur à peccādo per talē punitionem ergo corripiēdus in hoc casu talis delinquēs prius est quàm accusandus, nō solum propter bonum commune.

Denique, qui contra hanc secundam conclus. ageret, peccaret, & contra charitatem, quia noceret fratri sine necessitate, & contra iustitiam, quia ille adhuc habet ius ad suum honorem, & famā, cum sit res secreta, nec exigatur propter aliquod

bonum manifestatio, & infamia delicti ipsius. Ex quo sequitur, sic accusantem teneri ad restituendum omnia damna ex tali accusatione, & sequuta, cum contra iustitiam accusauerit, & damna illa iniustè intulerit.

Dixi in hac conclusione, quando delictum est occultum; nam de publicis statim dicemus. Dixi etiam quando est maximè certus, & non est periculum in mora, quia si sit dubius, vel parum, & leuiter certus sua correctione fratrem emendandum, & bono communi prouideri, vel esse periculum in mora, tunc debet potius accusare quàm admonere priuatim, vt à periculo illo bonum cõmune liberetur, quicquid sit de damno ipsius fratris. Curandum enim semper potius est bonum commune, quàm priuatum. Propter quod in hæreticis vtendum est hac distinctione: Si is qui profert aliquem errorem sit vir rusticus, & simplex, qui facilè potuit ab aliquo ob suam ignorantiam decipi, admonendus est prius quàm accusandus, quia si statim proposita illi veritate, & Ecclesiam aliter sentire, resipiscat, talis non erat hæreticus, cum esset paratus obedire, & amplecti doctrinam Ecclesiæ, quod si admonitus non resipiscat, cum iam non erret ex sola ignorantia, & deceptione, sed sciens & prudens, ac ex malitia, ostendatque se non parere Ecclesiæ, est verè hæreticus: & cum tales raro correctione fraterna emendentur, possintque plurimum nocere, nisi eis occurratur, propterea nulla quamprimum cognoscitur quis esse hæreticus, opus est in eo priuata admonitione, sed statim denunciandus est, vel accusandus Inquisitoribus, Et iustè ab ipsis præcipitur, quia leges, & regulæ, morales non respiciunt quod aliquando, & raro potest euenire, sed quod communiter, & regulariter accidit.

CONCLVSIO III.

Delicta publica, & manifesta iudicibus, vel ministris eorum non tenetur quis accusare, publica verò, sed illis forsan non manifesta, satis est iudici denunciare, vel ad exercitandum illum, vt prospiciat bono communi si iam illa nouerat, vel vt illa sciat, & puniat, si forsan ignorabat.

Ratio est aperta, quia in his per solam denunciationem sufficienter prouidetur bono cõmuni, iudex enim eo ipso quo publica sunt, facilè potest illa probare, exercitaturque sufficienter ad exequendum suum munus per denunciationem, quod si non fecerit, cum ei incumbat ex officio, ipsi imputandum est non alteri, qui iam renũciauit, quod ipse facilè probare potest, & punire, ac tollere fauent huic concl. D. Hiero. can. Quando 11. q. 3. D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 6. §. 4. Angel. Verbo denunciatio. §. 1.

Sed obiicies D. Thom. hic in prima conclus. in vniuersum videtur obligare omnes ad accusandum crimina nociua bono communi, si probari possunt, siue sint occulta siue publica. non enim distinguit inter hæc nec illa. Soto ait D. Thom. hic nomine accusationis comprehendere etiam iudicialem denunciationem, quod & nos initio huius articuli admonuimus, & posset ita dici. Cæterum quia D. Thom. ad accusationem duo ait requiri, vt delictum sit contra bonum publicum, ac vt testibus probari possit, quod posterius non conuenit vt constat denunciationi, non videtur ista solutio satis accommodata. imò nec omnino est verum, D. Thom. comprehendere denunciationem sub accusatione. Quare dicamus conclus. istam D. Tho. licet non distinxerit inter crimina occulta, & publica, iutelligendam nihilominus esse de delictis quæ sunt in perniciem publicam, & probari possunt, & in quibus si iudici tantum denuncientur, nec offerantur testes, & accusentur, esset periculum in mora, quæ exigeretur ad inquirendũ. In huiusmodi inquam siue publica sint siue occulta debet, quia talia nouit & probare potest accusare. nec sufficiet denunciare, vt in tali damno remouendo subleuetur iudex ab onere inquirendi, & facilius, ac citius, & securius illi damno occurratur, in alijs verò publicis, & manifestis, quę licèt noceant bono communi, non tamen plurimum, nec est periculum in mora, & quæ index facilè potest probare, sufficit denunciare, vt docet hæc tertia conclusio posita, maximè quando in Rep. sunt instituti fisci, quia his ex officio incumbit quæ iuridicè probari possunt, & scandalosa sunt, ac bono communi cuius ipsi custodes, & ministri sunt, nociua accusare.

CONCLVSIO IIII.

Quando quis accusat ad vindictam propriæ iniuriæ, & satisfactionem damni sibi illati, non tenetur ex iustitia præmittere fraternam correctionem, etiam si crimen sit occultum in ore duorum vel trium, & sufficienter videat per illam correctionem prouideri, & bono communi, & suo priuato, modo id non faciat ex odio, & appetitu vindictæ, sed ex zelo iustitiæ.

Probatur. Qui vtitur iure suo non facit alteri iniuriam, pars læsa habet ius ad postulandũ punitionem sui læsoris, & satisfactionem dãni sibi illati, etiam si ille emendatus sit, & peniteat, ergo. Et confirmatur, quia accusat ex iustitia vindicatiua, quę iustitia potius est in accusatore quàm in iudice, & vt ait D. Thom. infra q. 108. destinaturque ad vindicandum, & puniendum illum qui læsit.

Secundò iudex iustè puniet illũ, ergo, & pars, læsa potest id iustè petere: Antecedens patet, quia hoc est officium iudicis, punire delinquentes, maximè eos qui delinquunt cum iniuria alterius: & ex officio tenetur magis prouidere bono innocẽtis læsi, quàm nocentis, cum potior esse debeat ratio patientis iniuriam quàm inferentis. Denique si hoc non liceret parti læsæ, esset dare ansam hominibus nequam, & facinorosis inferendi maiori audacia iniurias aliis. Quando autem læsor ille non est nociuus Reip. nec solitus similia perpetrare, sed ex fragilitate humana, & passione damnũ intulit læso, offertque illi plenam satisfactionem, & quantum iudex posset ex lege præcipere, nullumque inde sequitur Reipub. incõmodum, quia eius punitio non est necessaria alieno modo bono communi tunc contra charitatem reuera videtur, & ex odio accusare illum apud iudicem, & nolle recipere illam satisfactionem, quia lex charitatis obligat, vt non noceamus fratri, quando nocumentum eius nec bono publico nec nostro priuato necessarium est, quomodo res sese habet in hoc casu cum conditionibus appositis.

Nunc facilè est diluere omnia argumenta in oppositum. Ad illud Duran. dico Christum satis apertè docere, se ibi agere de sola denunciatione Euan-

Euangelica, quæ fit prælato cum dicat. Dic Ecclesiæ. Et ex ordine quem ibi in illo processu proponit, cõstet omnia illa tendere in emendam fratris.

Ad argumentum Sylu. respondeo, non esse parem rationem, quia cum denunciatio Euangelica tendat in emendam, in quam etiam suauis tendit correctio secreta, debet hæc quando creditur pro futura præcedere. Accusatio autem habet alium finem, nempe punitionem ob bonum publicum, siue frater fit emendatus siue non, & ita non est necessario præmittenda, nisi in casibus dictis.

Opinio Caiet. non est omni ex parte vera, quia aliquando est licita accusatio, & nihilominus est præmittenda admonitio iuxta secundam partem quartæ conclus.

Argumentum verò illius offendit quidem non esse necessarium, neque debitum præmittere correctionem priuatam accusationi, quæ non solum licita est verum etiam debita, & in præcepto, vt in casu primæ conclus. hic à nobis positæ, in quo cum accusatio sit in præcepto, non exigitur vt præcedat illam admonitio. Vnde ratio Caiet. confirmat nostram primam conclus. Adeo nec in eo solum casu licere accusare dimissa correctione, verum etiam in aliquo in quo accusatio, non est in præcepto, vt cum quis accusat in propria causa, intendendo punitionem delicti, & compensam dãni sibi illati, vt constat ex quarta conclusione hic posita.

Ad argumenta probãtia opinionem quam habuit: Soto in suo opusc. de tegendo secreto.

Primum, & secundum argumentum probant apertè nostram primam conclusionem, nempè quando accusatio fit ob bonum publicum, ita vt oporteat punire delinquentem, non esse necessariam præuiam correctionem.

Ad tertium dico, iura non exigere talem ordinem, vt correctio præcedat accusationem, quia iura tantum proponunt quæ conueniunt accusationi per se in foro, externo, vt iusta sit iuridicè, & ita tantum exigunt vt detur libellus accusatorius, & probetur delictum. Quando autem in foro animæ debeat præcedere, quando non, hoc non pertinet ad iura, nec ciuilia, nec Canonica, sed ad ius diuinum cuius explicatio, & cognitio incumbit Theologo, & à quo id petendum est, Iuristæ enim, & Canonistæ solũ considerant ista in ordine ad causas forenses, non in ordine ad forum animæ ideo nos qui agimus Theologos, explicauimus quando exigatur, & quando non.

Ad quartum dico similiter, iudicem externum non reijcere accusationem, etiam si nulla præcedat correctio, quia in foro exteriori, modo habeat accusatio illa quæ requirit ius humanum, iudicatur iusta, arbitraturque iudex accusantem rectè, & Christianè procedere, nec spectat ad eum, inquirere an præstiterit quæ exigit forũ interius animæ. Quod si non præstitit, iudicabunt illud iudices animæ nempè Deus, & cõfessarius, & ab eis reijcietur tanquam iniusta, & iniqua.

Ad quintum verum est antecedens, vt ex quarta Conclus. nostra constat, neganda tamen consequentia, quia in propria causa, habet vnusquisque ius ad petendam punitionem delicti, vel satisfactionem sui damni, siue frater sit emendatus siue non: in causa autem communi, cum accusatio solum fiat ob bonum commune, efficitur, vt si bono communi, possit sufficienter prouideri per solam emendam delinquentis, tunc non liceat accusare, quin prius tentetur illa via suauior, quia bonum commune curandum quidem est, sed quantum fieri potest, cum minori iactura, & in damno fratris.

Respondeo etiam, non esse idem iudicium de accusatione in causa propria, & in causa communi, quia legali, & ideo si hoc bonum possit alia via haberi, nempè correctione, quæ mitius medium est, præmittenda est correctio, quãdo autem quis accusat in causa propria, tunc intenditur tantum vindicario propriæ iniuriæ, & punitio delinquentis, & cõsequenter bonum illius, qui iniuriam passus est, quæ propriè pertinent ad iustitiam vindicatiuam, siue ille delinquens sit correctus, siue non, & ideo tunc non exigitur præuia admonitio.

Ad sextum dico, iudices inquirentes, & recipiẽtes testes nulla præuia monitione, supponere delicti infamiam, vel indicia sufficientia, vel clamorosam insinuationem, quibus positis illud delictũ iam non est propriè materia correctionis fraternæ, sed accusationis, tendentis in solam punitionem delinquentium. Quod si nihil horum existat, & inquirant de aliquo sine præuia monitione, malè ageret. Vnde neque iudices possunt procedere, nisi iuxta conclusiones hic positas, idem dicimus de fiscalibus.

Ad vltimum dico, in tali casu satis esse denũciare iudicialiter, & indicare testes iudici, absque eo quod detur libellus accusatorius, & producantur testes ab ipso, si ita prouideatur bono cõmuni sufficienter. Quod si illi hac via non prouideatur sufficienter, propter periculum motæ, vel quid simile, vt in hæresi, in proditione ciuitatis, in accusando videat probabiliter prouideri, tenetur tunc accusare, etiam cum periculo vitæ, quia vita & omnia temporalia exponenda sunt pro bono cõmuni.

QVANDO OBLIGENT *præcepta, & edicta superiorum.*

Ex his facilè est explicare, quando obligent præcepta, & edicta superiorum, quibus præcipimur denunciare, & indicare delicta, quæ nouimus: qualia sunt edicta Inquisitorum, & Episcoporum, & quæ fiunt in visitationibus.

PRIMA REGVLA.

Peccata illa in damnum publicum, quæ iuxta conclusiones hic positas tenemur accusare, siue occulta sint siue manifesta tenemur, quando illud edicto præcipitur, denunciare iudici.

Patet nullo posito edicto ex charitate, & iustitia legali tenemur ista ob bonum commune accusare, si probare possumus, vel saltem denunciare, ergo multò magis, quando existit edictum, & præceptum superioris.

SECVNDA REGVLA.

Peccata in damnum publicum, in quibus iuxta conclusiones positas non tenemur accusare, nisi præcedente secreta admonitione, si illa non sit adhuc adhibita, non possumus neque stante edicto illa denunciare, vel accusare, quin prius admoneamus priuatim.

Ratio

RAtio est, quia præcepta superiorū semper sunt ita accipienda, vt non tollant legem naturalem, & diuinam, quam tenemur seruare cum fratribus, aliter continerent intollerabilem errorem, nec obligarent. Docet hoc optimè, & copiosè Nauar. Inter verba conclu. 6. num. 281. Quod si iam sit adhibita secreta admonitio, nec emēdatus est, est denunciandus & accusandus: tùm quia etiam si non esset tale edictum, teneremur nihilominus propter bonum commune ex charitate, & iustitia legali. Si verò emendatus sit, non est denunciandus. Quia in his edicta nil aliud efficiunt, quàm excitare homines ad denuncianda, vel accusanda crimina, quæ nocent bono communi vel particulati alterius, ad quod iam vnusquisque ex iustitia legali tenebatur, vt optimè Soto. De tegendo secreto mem. 2. q. 6. & Nauar. Inter verba concl. 6. num. 232. Sicut enim quando huiusmodi crimina iam sunt omnino emendata, neque imminet damnum commune, vel particulare, non tenebamur accusare, vel denunciare, vt cōstat, similiter neque posito edicto. Tenemur autem, si delinquens ductus sit in iudicium, & nos vocemur in testes iuridiceque interrogemur veritatem, quam nouimus testari. Ita Abbas c. dilectus. de excess. prælat. Et Felin. in c. intimauit. de testib. & Nauar. loco cit. num. 233.

TERTIA REGVLA.

Delicta, quæ iuxta conclusiones supra positas denunciare possumus, vel accusare, non tamen tenemur, si iam omnino emendata sint, nec propter edictum tenemur illa denunciare, vel accusare: Si verò nondum sint emendata tenemur denunciare, ac si probare possumus accusare: quando iam præcessit priuata admonitio, nec per eam emendatus est.

PRiot pars huius tertiæ regulæ constat eodem modo, quo vltima pars proximè præcedentis. Posterior verò patet, quia cum huiusmodi non teneamur denunciare, vel accusare, possumus tamen, sunt hæc in quibus accusatio, vel denunciatio, quamuis non sit in præcepto, est tamen licita: edicta autem superiorum obligant in omnibus licitis, & honestis.

Ex his fit hæreticos, & committentes delicta contra fidem, & religionem nostram, siue directè siue indirectè, proditores ciuitatum vel Principū, & similes esse simpliciter denunciandos, & illos omnes, quos Officium sanctę Inquisitionis suis edictis præcipit accusari, vel denunciari, cum horum punitio sit necessaria bono communi: in alijs verò criminibus seruandæ sunt regulæ hic positæ.

VLTIMA REGVLA.

In delictis quæ sunt in proprium damnum, & in causa propria, non obligatur quis per edictum denunciare.

QVia licèt præceptum superioris obliget in licitis, & hæc accusatio sit licita, possum tamen, est que consilium Euangelicum condonare proprias iniurias: præsumendumque est, prælatum in suis edictis liberum semper relinquere subditum ad sequenda consilia Euangelica.

Difficilior tamen quæstio est. [Quanto tempore duret obligatio horum præceptorum?] Verbi gratia proponunt Episcopi, & Inquisitores sua edicta singulo quoque anno, & aliquando nullum assignant tempus intra quod eis denūcientur delicta, sed simpliciter præcipiunt, vt quicunque hæc, vel illa nouit, denunciet ipsis: aliquando verò præfigunt tempus & dies, tenebimur ne denunciare intra illud tempus? Vel sufficit intra illum annum.

SIMILITER PRAECIPITUR, *vt omnes tali die conueniant in Ecclesia ad audienda edicta, tenentur ne omnes conuenire?*

QVod ad primum dubium F. Ioānes à Peña sic sentiebat, vt qui habuit notitiā edicti, quam primum promulgatum est, tenetur si præfigatur tempus, intra illud tempus reuelare, si verò non præfigatur tempus, quam primùm commodè poterit. Quod si edictum non venit in eius notitiam quando promulgatum est, sed elapsis iam tribus mensibus, vel amplius, non teneri iam ad reuelanda crimina ratione illius edicti, quamuis potente teneri aliàs ex iustitia legali, vel charitate, iuxta conclusiones supra positas.

D. Nauarrus cap. 28. num. 33. ait obligationem horum præceptorum, quando præfigunt tempus durare intra illud tempus, cum ipsum edictum apertè illud exprimat: quando autem non præfigitur tempus, quam primum poterit, & manere illi hoc debitum, quam primum poterit per totum annum. Probant ex cap. cum delicti. de dolo, & contumacia, vbi habetur, vt qui citatur Romę, aut coram alio iudice distanti, teneatur cōparere, quam primum potest, manetque illi hæc obligatio per totum annum, similiterq́; sic iudicandum de huiusmodi edictis. Vnde si habeant hæc annexam excommunicationem, vel censuram, incurrunt illam, qui intra tempus non denunciant, quando præfigitur tempus, quando autem non præfigitur, si sint negligentes toto anno.

Ad maiorem horum intelligentiam. Sit.

CONCLVSIO PRIMA.

In peccatis, quæ iure naturæ, & ex iustitia legali accusanda sunt, vel denuncianda, iuxta conclusiones superius positas, tàm diu durat obligatio denunciandi, vel accusandi illa, quam diu durat necessitas boni communis, vel particularis, ratione cuius tenemur illa accusare.

PAtet, quia in his edictum id præcipit, quod iam alias simpliciter, & iure naturæ ac ex iustitia legali tenebamur, quo fit, vt sicut ius naturæ tamdiu obligat, quamdiu necessitas durat, similiter obliget edictum.

CON-

CONCLVSIO II.

In delictis accusandis, vel denunciandis seruanda sunt ad litteram edicta superiorum, nisi euidens sit continere illa aliquid contra ius diuinum, vel naturale: quod si res dubia sit, obediendum nihilominus est.

QVia id examinare non pertinet ad subditos, neque priuatas personas, sed iudicandum est, illud iam esse optimè à superiori discussum.

CONCLVSIO III.

Edicta in quibus persigitur tempus, obligant intra illud, quando peruenerint ad notitiam, ita vt intra illud non denuncians (sicut explicatum est in regulis positis) sit inobediens, & incurrat cēsuram illi edicto appositam; quæ verò non præfigunt tempus, & innouantur singulis annis, vt edicta Inquisitorum, & Episcoporum, habent vim, & durat eorum obligatio toto anno.

QVia eo ipso quo innouantur singulo quoq; anno, ostendunt esse animum superioris, vt per totum annum duret obligatio, vt qui vno anno illud nesciuit, vel non denunciauit, aliò anno id efficiat, & domini Inquisitores interrogati explicarunt hunc esse animum ipsorum, vt duret obligatio illa per totum annum.

CONCLVSIO IIII.

Præcepta quæ proponuntur in particularibus visitationibus, vel Episcoporum in suis Oppidis, vel Prælatorum in suis religionibus (quæ visitationes certo tempore solent finiri) non obligant illos, quibus non innotuerunt, nisi expleto tempore visitationis.

QVia pro illo tantum tempore feruntur, nisi aliud prælatus explicauerit. Vnde existimo, religiosum, qui intra tempus visitationis non obediuit edicto, & præcepto sui prælati, licèt peccauerit, post transactum tamen illud tempus, non teneri iam ad denunciandum, nisi aliàs teneretur simpliciter, & citra vllum edictum ex iustitia, vel charitate: quia ista præcepta spirant cum visitatione, quod confirmat communis consensus, & vsus.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando publico præconi solet indici, tali die promulgandum edictum in templo, simulque præcipitur, vt omnes conueniant sub certa pœna: in locis populosis, & magnis non videntur omnes ita obligari, vt nullus desit, neque adeo strictè, vt qui non ad fuerit peccet, & incurrat illam pœnam, censetur enim id impossibile in magnis Oppidis, sed sat est, vt maxima par sibi cōueniat, quæ valeat contenta in illo edicto referre.

PAtet hæc ex vsu & pietate: non enim est credendum, Inquisitores, & prælatos, viros vtique prudentes, velle obligare cum censuris omnes ciues ad rem adeò difficilem & moraliter loquendo ferè impossibilem, quod si dixeris, poterit vnusquisque, cum non omnes obligentur nullo dempto, deesse, & ita nec vllus venire. Respondeo non licere, & ita teneri vnumquemque qui infirmitate, aut alio iusto impedimento non prohibetur, hora commoda adire templum, in quo proponendum est edictum, & si locus fuerit introire. Ex quo sequitur, vt si pluries legatur edictum in eodem templo, teneantur omnes adire, non eodem die, sed aliquo vnusquisque, satis enim est si semel audiat. Quæ omnia intelligenda sunt, nisi aliter ille superior explicauerit, tunc enim obediendum est, sicut ipse explicauerit. Religiosi verò, quando non promulgantur edicta in suis domibus, non tenentur exire claustra ad illa audienda, nisi aliter iudex explicauerit, sic enim decet eorum statum, & ita est in vsu.

Ex his facilè quoque explicantur duæ illæ quæstiones. Prior est.

AN POSSIM IVRARE alicui, nullo modo me illum accusaturum.

SYluest. accusatio. §. 6. dicit licere de præteritis delictis id promittere, cum iam transierint, nec noceant, non autem de futuris, quæ possunt nocere. Sed cum aliqua ex præteritis, etsi iam non noceant, oportet tamē puniri ob bonum commune, propter quod iure naturæ, & ex iustitia legali tenemur accusare auctorem illorum, dicendum est, in delictis, in quib. iuxta conclusiones illas suprapositas, tenemur ex præcepto illa accusare, ob bonum publicum, vel priuatum, siue præterita sint siue futura, non posse me iurare alicui, non esse illum à me accusatum, neque si ita iurauerim teneri me ad seruandum iuramentū illud: quia non possum iurare me violaturum legem naturæ, & præcepta ad quæ teneor, nec iuramentum compellit ad rem illicitam, ex illa regula cap. quanto, de iureiur. & 2. q. 4. can. Inter. Idem docet D. August. in Psal. 81. Et habetur 23. q. 3. c. fin. [Qui non custodit proximum, consentit. & can. Error. distin. 83. [Iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.] De illis autem delictis, quæ non tenemur iuxta conclusiones positas accusare, possumus id promittere sub iuramento, quia quæ in facultate nostra sunt, promittere, & iurare possumus. Secunda quæstio est.

AN QVIS POSSIT accipere pecuniam, ne accuset.

DE hac quæstione multa Syluest. Accusatio. §. 11. agit enim ibi Legistam, potius quam Theologum, sed vnico verbo respondeo, in causa propria partem læsam posse accipere præter satisfactionem, aliquam pecuniam ne accuset, quia ius quod habet ad accusandum, nascitur ex iniuria accepta, vnde est quid temporale, & æstimabile pretio. Alij verò, vt fisci, qui tenentur accusare ex officio, vel reliqui qui tenentur ex iustitia legali, quādo tenentur accusare ex præcepto, nullo modo

do possunt accipere pecuniam, neque vt accusent, neque vt non accusent, sed tenentur illam restituere: Quia nemo potest accipere pecuniam, vt faciat quod tenetur, vel cesset ab eo, à quo tenetur aliquo præcepto abstinere, sicut nec iudices possunt accipere pecuniam, vt condemnent, vel non condemnent reum. Similiter neque possunt accipere pecuniam, ne accusent, quando licet quidem eis accusare, sed non tenentur ex præcepto.

Primò, quia ius illud quod habent ad accusandum, vel ex iustitia legali, vel ex obligatione sui muneris, habet se, vt quid spirituale, & ita non potest vendi, nec pecunia æstimari.

Secundò, quia quod hi non accusent cum possint, est quædam gratia, & consequenter non est precio æstimabilis. Vltimò videamus.

CONTROVERSIA III.

QVAE PERSONAE POSSINT accusare, & quæ non.

Dico primò quatuor genera hominum posse accusare, primò crimen priuatim pars læsa, quia iure naturæ de iniuria accepta licet cuique proclamare apud superiorem. Ita habetur in l. Finall. ff. De priuatis delictis. Videtur huic simile illud Christi Luc. 18. [Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantinm ad se die ac nocte?] Qui locus adducitur ad idem institutum ca. Licet. De Accusa. Apoca. [Vidi animas interfectorum clamantium, indica Domine sanguinem Sanctorum, &c.

Secundò potest de his, quæ sunt in damnum publicum quiuis ex iustitia legali accusare, vt constat ex dictis in hoc articulo, præter illos quibus dicemus id esse prohibitum.

Tertiò potest ac tenetur accusare ex officio fiscus, vt patet ex legibus priuatis cuiusque regni in castella partita. 4. tit. 13. leg. 12. in nostro regno, & in alijs Aragonum in titu. De offio fisci. Ex iure communi pertinet ad fiscum habere curam ærari publici, quo fit vt etiam si causa sit priuata, si tamen committens tale delictum, tenetur per legem soluere aliquam pœnam pecuniariam fisco, tunc fiscus tenetur illud crimen ex officio etiam accusare, tanquam procurator ærarij publici, vt optimè docet Sylue. Accusatio. §. 4. Pertinet ad eundem ex officio accusare omnia delicta, quæ cedunt in perniciem publicam, quia si hoc cæteris incumbit, multo magis ipsi cuius officium est accusare quæcunque bono communi nocent. Debet autem in accusationibus seruare correctionem, & alia ad quæ cæteros accusatores diximus teneri, quia officium fisci non deobligat ipsum à præceptis charitatis, & iustitiæ.

An autem debeat, vel possit fiscus accusare crimina, quæ sunt in damnum priuatum aliorum. Soto non audet suam mentem aperire, solum dicit, nec S. Thom. nec alios sanctos patres id probasse, cum ex iure communi soli parti læsæ id competat, quia iam id consuetudine receptum est, nolle se de hoc iudicare. Nihilominus dico esse optimam consuetudinem, vt quando pars læsa non proclamat, fiscus accuset peccata etiam particularibus nociua.

Primo, quia qui nocet membro, nocet etiam corpori, & qui nocet priuato ciui nocet etiã Reip. Secundò ne maneant delicta impunita, vt notat l. Si ita vulneratus. ff. Ad legem Aquiliam. Debet autem fiscus non temere accusare, sed sufficienti infamia, vel manifestis indicijs præcedentibus: Propter quod est optima consuetudo, quæ in tribunalibus huius regni obseruatur, vt iudex ea his, quæ ad ipsum deferuntur, expendat an sit talis delinquens dignus, qui iustè accusetur, & cum id constiterit, ut tunc, & non aliter accuset.

Quartò possunt, & debent etiam ex officio accusare alij ministri iustitiæ, vt vigiles ciuitatis, & custodes itinerum, qui munera illa accipiunt, præstito iuramento se accusaturos delinquentes contra bonum commune, debent autem accusare iuxtam doctrinam supra positam.

Prohibentur autem ab officio accusandi tria genera hominum, quidam in pœnam suorum delictorum, quia accusatio auctoritatem desiderat accusantis, alij ob decentiam, ne accusatio illa videatur procedere ex odio, alij verò ob reuerentiam sui status, quia videtur indignum, & alienum a suo statu accusare.

Primo modo prohibentur accusare excommunicati, & infames: vt proditores publici, concubinarij, vsurarij, & quicunque iure infames sunt, vt habetur. 2. q. Can. Prohibentur, & ff. de Accusatio. l. Qui accusare, cum tribus sequen. Nec solum prohibentur à iuridica accusatione, verum etiam à secreta admonitione iudicis, vt habetur cap. Cum dilectus, extra. De accusatio. Quod intelligendum est, quando crimen non est in perniciem Reip. nam si tale fit, tũc possunt, & tenentur saltim denunciare, quia ita exigit bonum commune iure natutali, cuius positiuum non potest derogare.

Secundò non possunt accusare filij parentes, nec contra, nec serui Dominos suos, aut subditi suos superiores, vt obseruant DD. in c. Infinuante: Qui clerici, vel monachi, quia talis accusatio videtur indecens, & præserre nescio, quid odij, possunt tamen illud quando exigit bonum commune ex charitate, & iustitia legali denunciare. 2. q. 7. Can. Clericos. Et Can. Oues. Huc reddncitur lex illa. Qui accusare. ff. De accusatio, vbi prohibentur accusare aliqui ratione sexus, ætatis, vel conditionis. Sed nihilominus omnes tenentur denunciare, quando bonum commune ita postulauerit, quia cura boni communis nulla lege humana tollitur, vt optime ait Caiet. hic in commento.

Tertiò modo, prohibentur accusare ratione sui status clerici, petendo punitionem, non modo in causa sanguinis, verum etiam quãdo delictum sine effusione sanguinis est publica vindicta puniendum, vt docet Syluest. Accusatio §. 4. Et habetur can. Sicut sacerdotes 2. quæst. 7. Et extra De cætero, & dist. 50. cã. Periculosum. Possunt tamen accusare, vel ad consulendum bono publico, vel ad præueniendum damnum imminens alicui proximo, vel ad recuperanda bona sua, etiam si sciant accusatum capite plectendum, præmissa protestatione, se non accusare illum petẽdo sanguinis vindictam, sed vel ad obuiãdum damno publico, vel particulari alterius, vel ad res suas recuperandas, vt habetur cap. Prælatis. De homicidio lib. 6. & cap. Postulasti, & ex De homicidio ca. Episcopus. Ne clerici, vel monachi in sexto. Ita Innoc. in c. Qualiter, & quando De accusatio. Panor. cap. Dilectus. De excessibus prælatorum, Azpilqueta in c. Inter verba conclu. 6. num. 115.

SED AD QVID TENENtur qui accusare debent quando non accusant?

OBseruemus primo, tribus modis posse aliquem teneri ad accusandum, primo ex pacto firmato iuramento, vt vigiles ciuitatis, & custodes montium, vel itinerū: secundo ex officio, vt fiscus, tertiò ex iustitia legali, qua obligamur ad curandum bonum commune, quomodo tenetur quiuis accusare quę sunt in damnum commune, sicut explicatum est. Inter hos existit discrimen, vt hi postremi tantum teneantur ex iustitia legali, & consequenter ex præcepto obedientiæ, quando illa accusatio est in præcepto: primi autem, & secundi, qui ex pacto, vel officio, tenentur ex iustitia commutatiua, ideo namque acceperunt illa officia à Repub. vt prospicerent bono communi, accusando quotiescunque teneretur pactum enim, & officium illud addit obligationi naturali accusandi, obligationem iustitiæ commutatiuæ.

Obseruemus secundò, illum, cuius causa agitur contra reum posse, lædi in duplici bono, vel in iam sibi proprio, & possesso, vt si Respu. datur in suo ærario, vel in bono appropiando iuxta legem, vt cum quis transfert pecunias ex vno regno in aliud contra legem, ille pecuniæ, & pœna taxata à lege sunt appropianda fisco.

CONCLVSIO PRIMA.

Qui solum tenetur accusare ex iustitia legali, non accusans peccat contra præceptum naturale, & iustitiam legalem, non tamen tenetur ad restituendum.

QVia hic solum peccat per inobedientiam, & sine debito restituendi.

CONCLVSIO II.

Qui tenetur accusare ex pacto, vel officio, & non accusat quando tenetur ex præcepto, tenetur restituere, non solum bonum proprium, & possessum in quo læsit deliquens ille, quem debebat accusare, verum etiam bona ex lege appropianda, & applicanda Reipu. vel Principi.

VT fiscus, qui non accusaret furtum factum ex ærario publico, teneretur restituere quidquid ex illo ærario acceptū est, custos, vel portitor, qui non accusaret crimina, quorum auctor pecuniaria pęna puniendus est, tenetur illam restituere, vnde custos, qui videt, extrahi pecunias, æquos, vel merces è regno, & dissimulat, cum teneretur accusare, debet soluere, vel Reip. vel his quib. illud pertinet, pęnam ad quam fuissent isti rei condemnati, prima pars constat, quia qui non accusat furtum, cum possit, & teneatur, consentit apertè in illud, ergo tenetur illud restituere, sicut custos vineæ, qui non anunciat Domino detrimentum vineę, tenetur illud ipsi restituere, vt vidimus. q. 65. artic. 7. Circa verbum mutus, & non manifestans: Secunda pars etiam probatur contra Syluest. Restitutio cap. 3. Isti debent ex iustitia comutatiua efficere quantum in ipsis est, vt pęna illa applicetur, iustitia autem commutatiua obligat ad restitutionem, ergo. Secundò huiusmodi ministri potius sunt exequutores pœnæ iam statutæ à lege, quam accusatores, cum non requiratur, vt reus ille teneatur soluere illam pœnam alia noua condemnatio, quam ipsum esse captum in illo delicto, & fraude, executor autem negligens tenetur ad restitutionem, ergo. Dico nihilominus, dupliciter posse istos excusari à restitutione, primò si in pacto illo, & acceptione officij tantum se obligarunt ad accusandum, non tamen ad restituendum, secundò ex virtuali intentione aliquo modo sufficienter significata non obligandi se ad restitutionem, quæ virtualis intentio colligi potest & quæ interuenerunt inter paciscētes, quæ non cadunt sub arte, sed relinquuntur arbitrio prudentis. Et in hac parte maximè habet locum vsus, sunt enim quam pauci, qui restituant eo quod non accusarunt, nec confessores solent illos obligare, imò fortè nec pars læsa communiter censet sibi deberi talem restitutionem. Vide quæ diximus art. vlt. præcedentis quæsti. Nam quæ ibi docuimus in fauorem iudicum, potiori iu. sunt accipienda in fauorem accusatoris.

In calce huius art. videamus.

CONTROVERSIA IIII.

REVELANS IVDICI ECCLESIAstico, vel sæculari verum fratris crimen, sed occultum, & contra ordinem iuris, ad quam satisfactionem teneatur.

NOn est hic quæstio de illo, qui ad Prælatum, vt patrem crimen fratris defert, seruato ordine correctionis, vt ab illo corripiatur, sic enim deferens crimen illud iustè agit, cum famæ, & cuius bono salus animæ præferenda sit, sed quæstio est de illo, qui ad iudicem Ecclesiasticum, vel sęcularem ex odio crimen occultum fratris defert.

Obseruemus. Peccatum quatenus hic locus exigit, triplex esse, publicum, notorium, & occultum. Publicum facit Nauar. in Mann. c. 27. num. 250. multiplex, nos iuxta communem sacrorum canonum, & DD. acceptionē dicamus publicum esse duplex, famosum, & manifestum. Famosum est, quod omnibus, vel pluribus illius loci patet, & publica fama diuulgauit. Manifestum est duplex, aliud simpliciter, & aliud secundum quid. Simpliciter, quod multis populis in quibus peccator existit innotuit, quot autem esse debeant, vt dicātur multi prudenter ex magnitudine populi sumendum est. Manifestum secūdum quid est, quod plures in aliqua vicinia, collegio, vel monasterio norunt, dicitur secundum quid, quia quod in tali vicinia, vel collegio est manifestum, ratione totius populi est dicendum occultum. Vnde manifestum simpliciter est publicum, manifestum autem secundum quid non est dicendum publicum. Notorium est duplex, aliud notorietate facti, & aliud notorietate iuris, notorietate facti, quod ex natura rei potest in hominum notitiam venire, vnde omne peccatum externum, & si coram nullo teste fiat, est notorium hoc modo, notorietate verò iuris, quod idoneis testib. in iudicio probari potest, notorium hoc secundo modo vocatur probabile, notorium autem solo primo modo improbabile: ita Glos. In c. Quis aliquando. De penit. dist. 1. in verb. Secreta: & ca. 2. De Apostat. Quo fit, omne pecca-

peccatum publicum esse notorium, non tamen contra, nam quod duobus, vel tribus innotuit, no torium est, & probabile, non tamen adhuc publicum, sed occultum, vt ostendit Glo. cit. Ex his constat occultum esse quod non est publicum, & pauci sciunt, pro ratione loci in quo existunt, etiam si in iudicio probari possit.

Obseruemus secundò, peccatum fratris aut tale esse, vt ei tantum noceat, & non alijs, aut tale, vt alijs actu noceat, vt furta, homicida, & qui actu inducit alios ad peccandum, aut tale, vt etsi. non noceat actu, & semper, ex suo tamen genere natum est inferre scandalum, & vicinam inficere.

Obseruemus tertiò, cum iustitiæ effectus sit æqualitas, charitatis verò (cum sit amor) optare, vt frater omni bono abûdent, variam esse harum virtutum obligationem, diuersum quoque ius, & alterum altero latius se extendens, nam iustitia obligat ad ea, sine quibus non potest consistere æqualitas verò ad ea, sine quibus non potest constare, vera amicitia, quo fit, vt quæcunque exigit amicitia exigat charitas, & quęcunq; exigit ęqualitas exigat etiam iustitia.

Quartò obseruandum est, ad æqualitatem pertinere, vt vnusquisq; gaudeat re sua, & iure quod in illam habet, & consequenter pertinere ad iustitiam habet, & consequenter pertinere ad iustitiam, quæ est efficiens æqualitatis, vt nemo re sua, vel iure suo priuetur, quod si priuatus fuerit illi restituatur. Quod verò conferatur alicui quod ei vtile est, & conferri potest etiam si nullum habeat ius in illud, non est iustitiæ, cum non sit debitum, est tamen charitatis, quæ optat amico omne bonum ei congruens. Vnde priuans fratrem re, in quam habet ius agit contra iustitiam, priuans autem fratrem re in quam non habet ius, ipsi tamen maximè vtili, peccat contra charitatem, quamuis non contra iustitiam.

Tâdem cum fama sit opinio bona, quæ de aliorum virtute habetur ab omnibus, sub hominum autem iudicio, & censura non cadant arcana cordis, & omnino occulta, & improbabilia, vt habetur Can. illo Erubescant. Distin. 32. Sed ea tantum, quæ natura sua publica sunt, ideo tamdiu vnusquisque habet ius, vt de ipso alij benè opinentur, non quamdiu est verè bonus, & innocens, sed quamdiu ita vixit, vt nullum crimen ipsius sit notorium notorietate iuris, nec idoneis testibus in iudicium deferri possit.

Quod si commisso aliquo crimine notorio notorietate iuris, & probabili in iudicio, adhuc bonam opinionem retineat, & qui illud norunt sileant, id faciunt ex debito charitatis, non ex iustitia, quia eo ipso quo commisit crimen ita notorium, & probabile, quantum in ipso est, amisit iam ius in bona opinione.

Cæterum bonam opinionem quam iustitia sic delinquenti non confert, concedit illi charitas, cum sit amicitia, quia amicitia non curat an ea, quæ confert amico, debita sint illi, sed an sint illi vtilia, & necessaria, & quæ commodè ipsi exhiberi possint.

CONCLVSIO I.

Deferens in iudicium peccatum publicum quodcunque illud sit, ad nullam tenetur restitutionem, imò neq; peccat quouis modò illud reuelans, nisi ex odio id fiat.

Probatur prior pars: Quando peccatum est publicum, iam non lęditur fama sic peccantis, nec habet iste ius in suam famam, nec reuelans illud siue in iudicio siue extra iudicium aliquam illi infert iniuriam, vbi autem nulla infert iniuria, nullum exsitit debitum restituendi, ergo. Probatur secunda pars, omne peccatum aut est contra iustitiam aut contra charitatem, reuelare crimen publicum non est contra iustitiam, vt iam constat, neque contra charitatem, probo: violatur charitas, quando vel actu nocemus proximo, vel desideramus nocere in hoc casu nô nocemus illi actu, cum fama ipsius iam sit omnino læsa, nec desideramus nocere, cum id non fiat ex odio, ergo. Est tamen ad minus veniale, nisi ob aliquê honestum finem reueletur, vt alij sibi caueant, vel quid simile, quia quando ita profertur, est aliquod damnum fratris sine vllo commodo.

Confirmatur proposita conclusio, primò experientia, nullus enim sanæ mentis, eo quòd peccatum publicum alicuius retulerit, iudicat se obligatum ad aliquam restitutionem, vel pecc. mort. commisisse, secundò. D. Thom. sup. quæst. 62. art. 3. ad 2. Duos tantum casus constituit, in quibus læditur fama proximi, quando falsum illi imponitur crimen quando occultum peccatum ipsius reuelatur, vnde quando verum est, & publicum, referens illud non lædit famam eius, & ex consequenti nec peccat, nec ad vllam tenebitur restitutionem.

CONCLVSIO II.

Deferre in iudicium crimen, quod non est notorium notorietate iuris, nec probabile per idoneos testes, pecca. mort. est contra charitatem, & iustitiam teneturque, qui illud ita reuelauit ad restitutionem.

Probatur cum vnusquisque habeat ius, vt bona opinio de ipso habeatur, maneatque fama ipsius omnino est, & improbabile, reuelans crimen fratris sic occultum, & improbabile, expoliat illum sua fama, & iure quod in illam habet, expolians autem fratrem re sua, & iure suo, peccat simul contra charitatem, & iustitiam, tenetur que ad restituendum, ergo. Debet propterea, qui sic occultû fratris sui crimen propalauit, planè, & apertè asserere in iudicio, se ex malitia, aut imprudentia illud dixisse, & in eo fuisse deceptum, & dixisse falsum, cum hac via non mentiatur, sed dixerit falsum practicè iuxta ea, quæ superius docuimus. q. 62. ar. 2. Controu. 15. Nec alia est efficacior via ad reficiendum damnum, quod fratri suo in iudicio intulit.

Sed obijcies in hanc conclus. Christus nemini concessit facultatem, deferendi delictum fratris in iudicium ante correctionem fraternam, ergo ante illam habet vnusquisque ius in suam famam, & deferre delictum ipsius in iudicium illa præter missa, erit peccatum etiam contra iustitiam. Respondeo verum esse, Christum non facere talem facultatem, sed non inde sequitur, committentem crimen,

crimen, quod iuridicè probari potest, habere ius in suam famam ex iustitia, cum iure naturæ eo ipso quo tale crimen commisit, amiserit tale ius, retinet aūt illud ex sola charitate, vt expositum est.

CONCLVSIO III.

Reuelans in iudicio peccatum fratris notorium notorietate iuris, & quod iuridice probari potest occultum tamen, & nulli omnino nociuum, nec actu nec potestate, peccauit quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem.

PRobatur. Expolians alium re, in quam non habet ius, illi tamen vtili, & necessaria citra aliorum præiudicium, peccat quidem (vt constat) contra charitatem, non tamen contra iustitiam, cum committens crimen, quod in iudicio probari potest, licèt maneat illud occultum, iam non habeat ius in suam famam, qui reuelat illud in iudicio, & expoliat illum sua fama, expoliat quidem illum re ipsi vtili, & necessaria, non tamen re in quam habeat ius, ergo talis infamator licèt peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam, & ita pœnitebit quidem de peccato suo ad nullam tamen tenebitur restitutionem, quia vbi iniustitia non est, nec debitum restituendi.

CONCLVSIO IIII.

Reuelans in iudicio peccatum fratris iuridice probabile, quod est in damnum aliorum, reuelat quæ non ex odio, sed ne illud alijs noceat, nullo modo peccat.

NOn contra iustitiam, cum his, qui tale peccatum commisit, eo ipso quo probabile est, non habeat ius in suam famam, nec cōtra charitatem, quia cum iure naturæ potior sit ratio patientis iniuriam, quàm inferentis quando peccatum fratris est alijs nociuum, nec alia via commodius illi occurri potest, quam deferendo illud ad iudicem, recta ratio docet, vt illud deferatur. Dico nec alia via commodius illi occurri posse, quia si secreta admonitione, vel alia via suauiori adduci potest peccator ille, vt resipiscat, nec noceat, contra charitatem est deferre crimen illud occultum in iudicium. Vnde furem occultum volentem restituere quæ rapuit, vel prudenter timetur similia damna illaturum, si crimen eius iuridicè probari possit, etsi occultum, licet & expedit deferre in iudicium.

ARTICVLVS II.

An accusatio debeat fieri in scriptis.

CONCLVSIO I.

In rebus grauibus debet fieri in scriptis.

PRimò ratione iudicis, quia cum sit medius inter accusatorem, & reum, ad examinanda, & discernenda, & allegata, & proposita ab vtraq; parte vsq; ad definitionem causæ, & sententiam, debet in illo examine cum certitudine procedere, quod nequit ob defectum, & infirmitatem memoriæ humanæ, nisi quæ proponuntur scriptis mandentur. Secundò ex parte accusatoris, quia si deficit in probatione, exponit se pœnæ talionis, aut alicui alteri, vnde ne valeat negare crimen, qd reo imposuit quando illud probat, oportet in scriptis accusetur. Tertiò, ex parte rei, quia debet crimina sibi obiecta repellere, & purgare, quod ex fragilitate etiam memoriæ non ita commodè posset, si solo verbo, & non scripto ipsi traderentur. Hæc conclusio non est de iure diuino, nil .n. tale continent aut innuunt sacræ literæ, nec de iure naturali, quia ius naturale idem est apud omnes, apud Romanos antē per oratores proponebatur causa. Et actο. 24. Iudæi adduxerunt oratorem ad accusandum Paulum, sed est de iure humano, habetur .n. in vtroque iure, in Canonico. 2. q. 8. Can. Accusatorum, qui est Calisti Papæ Epistola 2. ad Episcopos Galliæ: Can. Quisquis, & Can. Qui crimen. In iure Ciuili. l. Si cui. ff. De accusatio. Nec repugnat Canon Stephani. Per scripta, eodem loco vbi ait ne fiat accusatio per scripta: præcipit .n. nequis absens per epistolam alium accuset, sed præsens accedat, & in iudicio compareat.

CONCLVSIO II.

In leuibus non est necesse fieri accusationem in scriptis, sed sat est fiat solo verbo.

ITa habetur. l. leuia. De accus. vbi dicitur. [De plano leuia accusentur.] Idest solo verb. & sine scripto, & figura ac strepitu iudicij, vt benè exponit Bartho.

CONCLVSIO III.

In publicis, & manifestis iudici non est opus scripto.

QVia neque hæc (vt diximus) oportet accusare, cum ipsi notoria sint, ac facilè possit, & sine labore probare.

ARTICVLVS III.

An accusatio reddatur iniusta per illa tria vitia, quæ dicuntur, in iure, calumnia, præuaricatio, Tergiuersatio.

OBser. cum accusatio fiat ob bonum publicū, vt delinquentes, & rei iustè puniantur, posse accusatorem aut plus iusto fauere bono communi, & nocere reo, quod fit obijciendo illi falsa crimina, quod est calumnia, aut contra, plus iusto fauere reo quàm bono communi, quod fit duobus modis, aut non benè prosequendo accusationem, & probationem delictores quod fit vel non obijciendo reo omnia crimina, quę debet obijcere, vel admittendo falsas excusationes, & defensiones rei, & hic defectus dicitur præuaricatio, seu collusio, nam quando ita agitur in causa, colludunt inter se accusator, & reus, quo vitio non modò accusator verum etiam testis, aduocatus, & iudex, & alij ministri iustitiæ peccare possunt, non rectè suum munus exequentes, sed contra ordinem iuris fauentes reo, Vel potest secundo modo fauere reo contra bonum commune, desistendo, & retro cedendo à iusta, & debita accusatione, & hic defectus dicitur tergiuersatio.

Obseruemus secundò, non quācunq; obiectionem falsi criminis esse calumniam, sed illam, quæ

ſu ſcienter, & ex malitia, nam qui obijcit crimina falſa putans vera, & bona fide, non eſt calumniator, niſi illa bona fides nitatur leui cauſæ, quia ſi audiuit ab aliquo, nec diligenter examinauit, eſt temerarius accuſator, & peccat mortaliter, quamuis non ita grauiter, vt ille, qui obiecit ex malitia, tenetur tamen vterque ad reſtituendum damna ſubſequuta ex tali accuſatione, quia vterque inique nocuit accuſato. Debet enim, qui accuſat nō facilè credere, nec temere accuſare, ſed prudenti vti examine, quo adhibito ſi nihilominus deceptus eſt, nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, quia iuſtè proceſſit, cum prudenter crediderit, & accuſauerit, tenetur tamen cum primum nouit ſe deceptum, deſiſtere, nam ſi perſeueret iam eſt calumniator: Similiter qui in criminibus occultis, quæ in iudicio probari nequeunt, alteri obijcit ſcienter, calumniator quoque eſt, teneturque ad reſtitutionem, quia in iudicio ſicut eſt iuridicè verum quod iuridicè probatur, ita eſt iuridicè falſum, quod non poteſt iuridicè probari.

Obſeruemus tertiò, cum deſiſtere ab accuſatione iuſta, & debita ſit culpa, quæ dicitur tergiuerſatio, quatuor modis poſſe aliquem deſiſtere ſine hac culpa. Primò qui bona fide accuſauit, & deinde deprehendit ſe fuiſſe deceptum, de hoc ſecundo loquitur Canon ille. Si quem pœnituerit. Secūdò, qui vera crimina obiecit, & habebat teſtes, quibus id probaret, vel ex concilio ſui aduocati crimen illud erat iuridicè probabile, deinde verò, aut culpa alicuius teſtis, qui retrocedit à dicenda veritate, aut quia fuit deceptus à ſuo aduocato, aut quia certò videt iudicem non iuſtè iudicaturum, deſiſtit ab accuſatione, & cōponit ſe cū reo. Hi ſunt iuſtè deſiſtere, vt cōſtat ex dictis. Et ratio eſt, quia ſicut iſtis licebat à principio non accuſare, ſi illa intellexiſſent, ita quoque licet deinde ab accuſatione ceſſare, cum primum illa intelligunt, nec hoc eſt tergiuerſari, cum non iniuſtè deſerant cauſam, ſecus eſt ſi pecunia corrupti, aut alia qua iniuſta cauſa moti deſiſtant. Tertiò, qui accuſauit in propria cauſa, & non propter bonum commune, ſed poſtulans punitionem ſui læſoris, & ſatisfactionem damni accepti, ſi deſiſtat nō tergiuerſatur, quia hoc ipſi omnino liberum eſt, & in principio, & in toto progreſſu accuſationis, quia cum non accuſet ex debito, ſed [illegible] iure ſuo, poteſt illi quotieſcunque voluerit renuntiare. Quartò qui deſiſtit auctoritate Principis: Princeps enim, ſicut poteſt in principio accuſationem repellere, ita & in progreſſu abolere, & reum abſoluere, qui propter dignitatem perſonæ, & Reipub. vtilitatē magis cōuenit bono cōmuni illum abſolui, quam puniri. Etiam ſi accuſatio, & punitio tēdant in bonum commune, quando propter perſonæ dignitatem vtilitatem, vel neceſſitatem Reip. magis expedit bono communi illum abſolui, quàm puniri, tunc iuſtè poteſt princeps pœnam illi remittere, & auctoritate principis accuſator deſiſtere. Vnde hæc tria vitia ſic ſunt accipienda, calumnia ex malitia, præuaricatio fraudulēta, & tergiuerſatio inordinata, qualis eſt quando quis accuſauit de vero crimine, quod teſtibus probare commodè poteſt, & eius punitio poſtulatur tanquam neceſſaria bono communi, nec interuenit Principis auctoritas, & nihilominus deſiſtit, ſic enim deſiſtere eſt inique, & contra ordinem iuris ceſſare ab accuſatione, quod eſt propriè tergiuerſari: His poſitis aperta eſt concluſio. [Tribus iſtis vitijs eo modo, quo hic explicata ſunt, ſe ddi accuſationem iniquam, & iniuſtam.

Hæc concluſio eſt definitio vtriuſq; iuris 2. q. 3. Can. Si quem pœnituerit. §. Notandum, & l. Accuſatores. ff. ad Senatus cōſultum Trebellianum: Et l. 1. ff. De abſolutionibus.

In hoc art. id ſolum quod modò diximus cum D. Thom. Poſſe Principem remittere reo, & conſequenter auctoritate ipſius poſſe accuſatorem deſiſtere, habet hanc difficultatem. [An idem liceat auctoritate iudicis inferioris.

Hoc dubium proponit hic Caiet. & ratio dubitandi eſt, quia ſi Princeps ideo id poteſt, (quando remiſſio illa eſt vtilis, & expediens bono communi) quia accuſatio, & punitio tendunt in bonum commune, eadem ratione dicendum eſt, iudicem inferiorem id quoque poſſe quando illa remiſſio erit quoque maximè vtilis bono communi, quia non minus incumbit iudici inferiori cura, & cuſtodia boni communis pro ratione ſui officij, quam principi: vnde liceret etiam, quando communi videretur expedire, deſiſtere ab accuſatione auctoritate iudicis inferioris. Et confirmatur, quia hic non eſt ſermo de cauſa, in qua accuſator non rectè procedit, tunc enim, vterque tam ſupremus iudex quàm inferior ſicut poteſt à principio repellere, ita & in progreſſu concedere, vt deſiſtat, neque eſt ſermo de cauſa in qua exiſtit pars læſa, nam parte læſa poſtulante, tam ſupremus, quam inferior tenetur exequi pœnam, & dicere ius contra reum, vnde eſt ſermo quando accuſatio, & punitio tantum ſunt ob bonum commune, quo ſit, vt cum bono communi vterque debeat proſpicere, quod poteſt ſupremus ob bonum commune, dicendum eſt poſſe quoque inferiorem ob idem bonum cōmune.

Reſpondet tamen Caiet. plurimū intereſſe inter Principem, & iudicem inferiorem, quia Princeps de iure, & auctoritate, & ex plenitudine ſuæ poteſtatis, qua non aſtringitur legibus poteſt accuſationem vtri Reipub. vtilis, & quem abſoluere expedit bono communi, & in principio repellere, & in progreſſu ſi admiſit abolere, & reſcindere, etiam illius, qui accuſatur apertè læſa, quia princeps poteſt præferre bonum commune ſit etiam bonum ipſius læſi: iudex autem inferior, non ex iure, ſed ex epicheia poteſt initio non admittere accuſationem, vt noxiam bono communi, at poſtquàm illam admiſit, non poteſt abolere, nec interponere ſuam auctoritatem, qua accuſator deſiſtat, debet tamen ſuperſedere, & differre iudiciū, & eniti, vt à ſupremo ob bonum commune, propoſita illi Reip. vtilitate, reo illi remitatur.

ARTICVLVS IIII.

An accuſator qui in probatione defecerit, mereatur pœna Talionis.

OBſeruemus ex Ariſtotile. 5. Ethic. illum propriè & formaliter iniuſtè agere, qui ſciens, & prudens infert iniuriam, illum verò, qui bona fide, ac prudenter exiſtimat ſe iuſtè agere, licet decipiatur, & fallatur, inferre quidem iniuriam materialiter, non tamen formaliter, & propriè, quia deceptio illa tollit rationem voluntarij. Vnde qui ſciens, & prudens accuſat de falſo crimine, vel occulto, quod iuridicè probari non poteſt, hic propriè & verè eſt iniquus accuſator, & calumniator, ac dignus pœna: qui verò accuſat bona fide, & prudenter exiſtimans illud crimen verum eſſe, & probabile in iudicio, non eſt iniquus accuſator, nec ſi deficiat in probatione dignus pœna, ſed venia.

Obſer-

Obseruemus secundò iniquum accusatorem duobus inferre iniuriam, & Reip. & iudici illius ministro, & cui sua accusatione nitebatur nocere: de causa plectitur duplici pœna iniure: Propter iniuriam, quam infert iudici, & tribunali manet infamis, & indignus, qui nec in iudicio amplius vllo nomine admitatur, nec in Repu. aliquod munus exercear, vt habetur 2. q. 3. can. Si quis Propter nocumentum verò quod fratri iniquè inferre moliebatur, inuenta est pœna talionis, vt patiatur ipse quod accusatus erat passurus, si probatum fuisset illi delictum. Huius pœnæ primi auctores leguntur apud Arist. 5. Ethic. cap. 5. fuisse Pitagorei, fuit enim celebris sententia cuiusdam Rhadamanthi Pitagorici dicentis de huiusmodi accusatore.

Si quæ fecit patiatur, & ipse: Rectum fuerit iudicium.

Cui simile illud psal. 36. [Gladium euaginauerunt peccatores, vt decipiant pauperem, & inopem, vt trucident tectos corde, gladius eorum intret in corda eorum.

Obseruemus tertiò, ex Arist. 5. Etic. Talionem, quam ipse ibi vocat repassionem, non consistere in æqualitate rei ad rem, vt si Princeps plebeium percussit alapa, Princeps similiter alapa percutiatur, sed consistere in æqualitate secundum proportionem personarum, vt si Nobilis percussit plebeium, patiatur eam pœnam, quæ pensata vtriusque dignitate æqualis prudēter indicetur illi percussioni.

CONCLVSIO PRIMA.

Accusator qui non ex malitia, aut temeritate, sed bona fide, & prudenter accusauit, si deficiat in probatione, nulla pœna tenetur.

Pater imponitur accusatori ob iniustam accusationem, iste non est iniquus accusator, nec calumniator, ergo. Et ita huiusmodi accusatori remittit Fabianus omnem pœnam iuris 2. q. 3. Can. Si quis iratus: Tenetur tamen hic, si accusati famam in aliquo læsit damnum illud reficere, quia damna illata, siue iniquè siue citra iniquitatem illata sint, sunt reficienda, non ratione iniquæ acceptionis, sed ratione rei acceptæ.

Iuxta hanc concl. non punitur fiscus, etiam si in probatione deficiat, primò, quia accusat bona fide, maximè in hoc Regno Valen. vbi traditur illi materia accusandi à iudicibus secundo, quia nullus exercet tale officium, si huic pœnæ subiaceret, tertiò, quia communiter fiscus denunciat, vt iudex inquirat. Quod si intelligens se non posse probare, nihilominus accusat, peccat, & grauius quàm alij ratione officij, & tenetur restituere damna, quia intentio Principis est, fiscos instituere, vt accusent seruato ordine iuris.

CONCLVSIO II.

Accusator qui ex malitia, vel temeritate accusat de falso crimine, aut occulto, quod iuridicè probare nequit, manet infamis, & est dignus pœna talionis.

Prior pars patet ex illo causa. Si quis 2. q. 3. Altera verò est definita ibidem à Damasco causa. Calumniator, Calumniator inquit si in probatione defecerit talionem recipiat: Et can. Qui non probauerit. Et in iure ciuili. ff. Ad senat. consult. Turpi. l. Prima. l. Mulier. l. Quæsitum. Et in veteri testamento erat in præcepto. Hæc lex talionis Exodi enim 21. dicitur de accusatore, Oculum pro oculo, dentem pro dente: Deuth. 19. Dicitur de Iudicibus: Cum diligentissimè perscrutantes, inuenerint falsum testem, dixisse cōtra fratrem suū mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit: Et ratio est quam reddit hic D. Tho. quia iudex est medius inter accusatorem, & reum, ad dicendum ius, & constituendam æqualitatem inter ipsos, æqualitas, aut iustè hoc exigit, vt damnū quod quis alteri iniustè molitur, & desiderat, ipse patiatur. Ergo iustum est vt iniquus accusator in probatione deficiens patiatur pœnam talionis.

CONCLVSIO III.

Hæc pœna talionis, non est de iure diuino in noua lege sed de iure tantum humano.

Patet, quia præceptum illud Exod. & Deut. erat iudiciale, pertinens ad gubernationem illius populi, in quo gens illa ad calumnias, & inferendas iniurias procliuis, metu pœnæ debuit cohiberi: in lege autem Euangelica non perseuerat, cum omnia præcepta illius legis, maximè iudicialia, & ceremonia in Christi passione vnà cum vniuersa lege Moysi cessauerint, imò, & moralia, vt præcepta illius legis, quamuis maneant, vt præcepta legis naturæ, & confirmata in Euang. Vnde quando Christus dixit Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis, dentem pro dente, &c. Ego autem dico vobis, si quis te percusserit, &c. Non abstulit tunc legem istam durauit, enim vsque ad ipsius mortem. Tunc namque translato sacerdotio, & legis translatio facta est. Sed tantū docuit qua charitate, & patientia oporteat nos vti in ferendis iniurijs. Hæc lex eum iam sit solum humana per disuetudinem ammisit suam vim. Tum quia dura & atrox. Tum quia ipsimet iudices illam non exequuntur, sed videntur reuocasse: Ita ait Aulus Gelius li. 2. Noctium Atticarum, quamuis hæc lex in scripta esset in duodecim tabulis sub titulo de iniurijs, clementia tamen reuocata est. Idem habetur Institu. De Iniurijs. §. Pœna: Seruatur tamen in aliquibus regnis contra testes falsos, quando actu subsequuta est mors accusati iniquè de falso crimine, vt in regno Castellæ, est que vltima l. Tauri. Et in nostro Regno in legibus Iacobi Primi Titulo de falso teste. Et seruatur maximè in officio sanctæ Inquisitionis, quando per falsos testes Innocens fuit relaxatus, & occisus.

CONCLVSIO VLTIMA.

Pœnam infamiæ, & alias arbitrio iudicis relictas, iniquus accusator in probatione deficiens, vsque hodie patitur, & ita est in vsu.

Sed ita si fuit illa iniqua accusatio in tribunali sęculari, fit infamia sęcularis, potestque illam remittere Princeps, si pars lęsa remittat quoque iniuriam sibi illatam quia vt vidimus præced. att. 4. pœnam legis parte læsa pro clamante neq; Princeps pōt remittere, Qd si fuit iniqua accusatio in tribunali Ecclesiastico, est infamia Ecclesiastica, postq; illam remittere non ordinarius, sed Papa, vt ait Gratianus 2. q. 3. Can. Euphemium, nec repugnat dictum illud Gelasij Papæ quod citatur eodem

eodem loco [Quanquam animas per pænitētiam saluare possumus, infamiam tamen abolere non possumus.] Est enim duplex infamia, quędā iuris, quæ est illa indignitas, & inhabilitas ad munera publica, & ad aliquid agendum in iudicio; alia vero est infamia facti, quæ opponitur famæ, & bono nomini, quod habent, qui benè audiunt in Repub. quomodo infamia est malum nomen, & sinistra opinio, quæ de aliquo habetur: Papa potest quidem remittere infamiam illam iuris, & reddere habilem ad officia, & munera Ecclesiæ, infamiam autem facti nequaquam potest tollere, sed per actus studiosos, & exempla virtutis tollenda est. Vel vult ibi Gratianus, Papam non posse tollere infamiam ciuilem, & sęcularem, neque Principem sęcularem posse tollere Ecclesiasticam: Prior expositio est D. Thom. hic ad tertium, & præstantior.

QVAEST. LXVIII. DE INIVSTITIA, *Quam potest reus committere in iudicio.*

ARTICVLVS I.

An accusato liceat veritatem negare.

DIu. Thom. cum præcipua pars huius disputationis de iniustitia, quæ in iudicio committi potest posita sit in interrogationibus rei, & testis vt optimè procedat, statuit initio in hoc articulo ea quæ tanquam certissimæ regulæ, & fundamenta huius materiæ habenda sunt. Quæ quamuis à D. Thom. sub nomine accusati, & rei proponantur pertinent nihilominus eodem omnino modo, & iure testem.

PRIMA REGVLA, SEV Conclusio.

Quicunque iuridicè (id est à suo iudice, & secundum ordinem iuris) interrogatur de suo crimine, tenetur illud sub mortali manifestare.

PRobatur agere contra iustitiam est peccatum mortale (sumitur enim omne peccatum mortale ex duplici radice, nempe, vel quia repugnat iustitiæ, vel quia repugnat charitati) sed qui à proprio iudice seruato ordine iuris de crimine aliquo interrogatur, nisi illi veritatem aperiat, agit contra iustitiam ergo peccat mortaliter. Maior certa est. Probatur minor, Cōtra iustitiam agit qui non seruat alteri suum ius: sed iudex habet auctoritatem coerciuam, & ius interrogandi suos subditos iuxta ordinem iuris de suis criminibus, ergo qui iuridicè interrogatus non confitetur veritatem suo iudici, expoliat illum suo iure, & agit contra iustitiam. Maior quoque huius probationis certa est. Probatur minor. Iudex quo iure habet auctoritatem ad puniendα delicta, eodem omnino iure habet auctoritatem ad vtēdum omnibus medijs, & vijs, licitis, & honestis, necessarijs ad punitionem delictorum; vnum autem ex medijs licitis, & quandoque necessarium, est iuridica interrogatio criminis, & confessio illius: ergo, Quod liceat interrogare ex S. Scriptura constat: Iosue. 7. sic interrogauit Iosuè Achā, vt confiteretur suum crimen: [Fili da gloriam Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, nec abscondas.] Quibus verbis docuit apertè adeo esse licitum, & honestum, iudicem interrogare, & delinquentem confiteri, vt cedat in Dei gloriam, & obsequium, sicut alia opera studiosa, & iusta. Et Ionæ: 1. cum ob paccatum alicuius tempestatem illam ortam intelligerent, & iacta sorte deprehensus esset Ionas, iure naturæ gubernator nauis, qui in eo casu erat legitimus iudex illud causæ, interrogauit: [Quid fecit?] Quod fit etiam medium aliquando necessarium, patet: Nam quando delinquens est infamatus, vel habetur contra eum semiplena probatio, potest, & debet iudex procedere ad punitionem, quod tamen non potest nisi per interrogationem, & confessionem delicti: quia neminem licet condemnare, vel punire nisi concessum, vel conuictum per testes, vt habetur. 2. q. 1. cā. Nos in quemquam. Et can. Iudex. Cū igitur hoc medium licitum sit, & multoties necessarium, iudex habet ius ad vtendum illo, tenebiturque reus sub mortali confiteri veritatem.

Et confirmatur, quia inferior tenetur sub mortali obedire in rebus grauibus mandatis licitis, & honestis sui superioris. Rom. 13. [Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et qui potestati superioris (Intellige iuridicè procedentis) resistit, Dei ordinationi resistit: In hoc autem casu (vt supponimus) iudex iustè, licitè, ac iuridicè procedit.

Habetur hæc regula apertè c. Cum dilecti. de accusatio. Vbi Innocen. III. diffinit, Episcopum illum de quo ibi agitur interrogatum iuridicè, nec veritatem occultare, nec dicere falsitatem debere. In hac omnes conueniunt. Idem docuit Innocen. IIII. in cap. 2. de confessis. Ex probatione huius primæ conclusionis patet, reum iuridicè interrogatum teneri, ad veritatem confitendam, etiam si sine iuramento interrogetur. Nam probatio qua vsi sumus nō sumitur ex vi iuramenti, nec eius ad hoc hic meminimus, sed ex iure quo haber iudex ad interrogandum, & obedientiam, quam inferior debet suo suo superiori iuridicè procedenti.

SECVNDA REGVLA SEV SECVNDA conclusio, quæ ex præcedenti apertè sequitur.

Qui de suo, vel alieno crimine illegitimè interrogatur id est, vel ab eo qui non est suus iudex, vel contra ordinem iuris, etiam si sub iuramento interrogetur, non tenetur ad aperiendam veritatem, sed pōt illam occultare.

PAter prior pars: Quia tota ratio ob q̄ iudici iuridicè procedēti est veritas aperiēda, ex eo sumitur, quia tunc habet ius ad interrogandum, & consequenter subditus obligationem respondendi: sed qui nō est legimus iudex, vel nō seruat ordinē iuris, nō habet ius ad sic interrogandū, nec subditus obligationē obediēdi: ergo iudici illegitimè inter-

interroganti non tenetur subditus aperire veritatem, sed potest occultare illam. Altera pars patet, quia licèt mēdacium quantumuis leue oppositoiuramento sit mortale, ratione periurij, & irreuerentiæ, quæ in eo Deo irrogatur, adducendo Deum in testem mendacij: iuramentum tamen non prohibet occultare veritatem, quam non tenemur manifestare, quia occultare veritatem non est mentiri. neciuramentum obligat nos in iudicio, ad aliquid, ad quod simpliciter, & ex iustitia non tenemur, sed tantum auget illud debitum. In hac regula omnes quoq; Doctores cōueniunt, & habetur apertè vtraque pars ipsius c. Qualiter, & quando el primiero. De accusatio. De qua copiosè Henricus Gand. Quo lib. 1. q. 33.

TERTIA REGVLA, SEV Conclusio.

Mentiri nullo modo licet, siue iudex iuridicè procedat, & interroget, siue contra ordinem iuris.

Patet, quia mendacium adeo est intrinsecè malum, vt nullo modo possit benefieri, aut honestari ea aliqua circumstantia, vt docet infra D. Thom. q. 110. & D. Aug. lib. de mendacio. cap. 14. & in Quæstio. vete. Testa. lib. 2. q. 71. & habetur 14. q. 5. can. Pœnale. & 22. qu. 2. can. Primò. Idem constat ex varijs locis Sacræ Scripturæ, maximè Exod. 23.

In his regulis nulla est difficultas. Circa tertiam solum, offert se hæc dubitatio.

CONTROVERSIA I.

AN QVODCVNQVE MENdacium in iudicio sit peccatum mortale, etiam extra iuramentum.

Syluest. Mendacium, num. 3. & Caiet. in comment. huius artic. volunt quodcunque mendacium quantumuis sit in materia leui, dictum in iudicio, siue sacramentali, & interiori, siue exteriori, & forensi esse mortale, quia licet materia sit leuis, & mendacium illud simpliciter, & secundùm se extra iudicium esset veniale, dictum tamē in iudicio est graue, & mortale. Probant primò: Mendacium dictum in iudicio efficit, vt iudicium quod illi mendacio nititur sit falsum, efficere, vt iudicium sit falsum, & iudex decipiatur, est inferre grauem iniuria, & iudici, & iudicio, Iniuria autem iudici, & iudicio illata est peccat. mortal. ergo.

Secundò, vis ipsa iudicij exigit veritatē iudicandorum, sicut vis iuramenti veritatem iudicandorum, vtrunque enim ex natura sua, & Sacris litteris debet fieri in veritate, & iustitia, sed mendacium cum iuramento etiam in re leui, est mortale, ergo & in iudicio. Tertiò, qui negat iudici quam dicere debet veritatem, peccat mortaliter, agit .n. contra obedientiam, & iustitiam quam debet illi seruare, sed qui mentitur iudici, & in re leui, mentitur etiam contra veritatem, quam debet illi dicere. Probo interrogatus quis in confessione de peccato veniali, licèt non teneatur illud confiteri, at postquam vult circa illud respondere, si mentiatur, mentitur contra veritatem seruandā in confessori, sicut qui iurat, licet extra iuramentum poterat in re leui mentiri sine mortali, at postquam vult iurare, tenetur sub mortali verum dicere, et in re leui. Similiter licèt extra iudicium nō debeatur in re leui dici veritas, sub mortali, at postquā res illa subest iudicio, & si leuis sit, debetur in ea ex natura iudicij seruari veritas, & mendacium etiam in re leui contra veritatem iudici est pecca. mortal.

Oppositum docent Soto lib. 5. de iust. q. 6. art. 1. & in lib. de tegendo secreto, num. 2. q. 7. concl. 2. Nauar. in c. Inter verba conclu. 6. nume. 24. & in c. Finali de Pœnitentia dist. 5. nu. 22. citatque in eandem sententiam doctissimum Martinum à Ledesma. Volunt hi, mendacium siue sit in materia præcipua de qua iudicatur, siue in circumstantijs illi accidentibus, si materia sit leuis, vt in confessione peccatum veniale, in iudicio exteriori non detulisse nocte lumen contra præceptum prætoris, non esse mortale, sed tantum veniale, si verò materia grauis sit, siue sit præcipua, siue accessoria, & pertinens ad iudicium, esse mortale. De hac secunda parte nulla est controuersia. Priorem probant.

Primò, ex D. Tho. Qui licet hic ad tertium asserat absolute mendaciū in iudicio esse contra charitatem, quęstione tamen seq. 80. artic. 4. explicans se ipsum, docet mendacium ea suo genere esse mortale: Certum autem est ex D. Thom. peccatum quod ex suo genere mortale est, in indiuiduo ex leuitate materiæ posse esse veniale, vt furtum, &c.

Secundò, peccatū contra fidem, & religionem, tùm etiam sacrilegium, ea suo genere, & simpliciter est mortale, & grauissimum, nec minus quàm mendacium in iudicio, at ex leuitate materiæ potest esse veniale, vt leuissimum verbum sapiens hęresim, leuis irreuerentia Sacramenti, leuis percussio clerici, obulum ex Ecclesia furari. Tertiò, peccatum mortale ex suo genere potest ex D. Thom. reddi veniale, aut ea leuitate materiæ, aut ea defectu plenæ deliberationis, sed mendacium in iudicio potest esse veniale ea defectu plenæ deliberationis, vt si subito, & absque consensu, sed cum quadam incogitantia quis mentiatur in iudicio, vel confessione, ergo potest etiam fieri veniale ex leuitate materiæ. Quartò, in iudicio pro eodē sumit hic D. Thom. mentiri, & tacere rem lęuissimam, etsi debitam non est mortale, ergo nec mentiri in re leui. Quintò, hic est communis consensus, & conceptio omnium fidelium, vt si quis neget prælato se fregisse silentium, aut defuisse choro, licèt mentiatur, tamen iudicetur peccare venialiter: similiter si interrogatus à iudice, an detulerit noctu lumen mentiatur illi.

Ad argumenta Caiet. respondeo. Ad primum iniuriam quæ iudicio fit, sicut in omnibus alijs actionibus humanis sumendam esse aut, ex materia, aut ea animo inferentes illam: constituimus autem hic, animum huius non esse contemnere iudicem, nec mentiri in quacunque re, sed in illa solum, quia leuis est, vnde cum ista iniuria non sit sumenda ex animo, sed ex sola materia, sicut datur reuera in iudicio materia leuis, ita quoque, & iniuria leuis, & consequenter venialis, Quod .n. vult Caiet. omnem iniuriam quæ fit in iudicio esse grauem, & mortale, falsum est, nam deffectus iudicis iniuriā inferunt quoq; iudicio, & defectus cōfessoris confessioni, at si sint leues isti defectus, iniuriæ quoque quæ per illos inferuntur, leuea etiam sunt, & veniales. Similiter, & mendacium in re leui, quamuis sit veniale, grauius est in iudicio, quàm extra iudicium, & prolatum in confessione.

multò grauius quèm in iudicio. Ad secundum dico, plurimum differre inter simplex mendaciũ, & si prolatũ in iudicio, & mendacium, cũ iuramento, quia mendaciũ iuramento firmatum, etiam in læuissima re est mortale, cũ in tali iuramento adducatur Deus in testem falsitatis, quod in quacũque re fiat, cedit in grauem Dei iniuriam, & irreuerentiam, At citra iuramentum mendacium in re leui, & si fiat in iudicio, non est mortale, quia non mutat propterea naturam suam, nec desinit esse leue, nec infert grauem iniuriam iudicio, vt constat.

Ad tertium distinguenda est maior, qui enim negat veritatem, quam debet explicare iudici, in materia graui, vt furtum, homicidium, aut circumstantias ad illam materiam grauem pertinẽtes, vt quando interrogatur homicida vbi erat tali hora, an gladius ille cruentus sit suus, quia tales circumstantiæ sequuntur naturam, & rationem delicti, sicut accessorium naturam sui principalis, hic peccat mortaliter: qui verò negat in re leui, vt religiosus qui fregit silentium, & si de eo iuridicè interrogatus illud negat, peccat tanquam venialiter.

ARTICVLVS II.

An liceat accusatio per calumniam se defendere.

OBseruemus primò, calumniam primò, & per se esse falsi criminis obiectionẽ: Vnde primò, & per se conuenit iniquo accusatori, cuius proprium est falsa crimina iniquè alteri obijcere, transfertur inde secundario ad reum, negantem vel occultantem veritatem, quam tenetur in iudicio confiteri, imponit enim malè, & falso ipsi accusatori falsi, & iniqui accusatoris crimen, & calumniatur illi, vnde calumniosè se defendere est negare vel occultare veritatem quam tenetur reus confiteri.

Obseruemus secundò, iudicem non posse contra aliquem iuridicè procedere nisi vel infamia siue clamotosa insinuatio, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio præcedat: nõ probat hoc D. Thom. ostendemus tamen illud infra copiosè, potestque interim probari: Quia occultorum solus Deus est iudex, iuxta illud B. Pau... Corinth. 4. [Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.] Quasi dicat, occulta & abscondita diuino tantum subsunt iudicio, non humano. Quod varijs in locis docent Summi Pont. can. Deus omnipotens 2. quæst. 1. can. Erubescant dist. 32. vbi habetur. [Secretorum solus Deus est cognitor. c. [Qualiter & quando, & cap. Inquisitionis, de Accus. & c. Licet Heli. De simonia. Crimen autem cuius nulla est infamia, nulla manifesta indicia, nec semiplena probatio, in iudicio occulta sunt.

Obseruemus tertia, Occultari veritatem bifariam, aut vijs licitis, vt tacendo, vel vtendo verbis ambiguis, quæ citra mendacium illam occultent: aut vijs illicitis, vt mẽtiendo, vel asserẽdo falsum, vel vtendo aliqua fraude, vt dolo. Prius illud est prudentiæ, hæc enim virtus medijs licitis tendit in finem, posterius autem est vitij astutiæ, cuius etiam est tendere in finem, sed medijs iniquis.

CONCLVSIO I.

Accusatus aliquando tenetur veritatem confiteri, nempe in tribus casibus, quando præcedit infamia, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio: Aliquando verò non tenetur eam fateri, sed potest occultare, nempe, quando nil horum præcedit.

PRobatur, Reus ex præcedenti articulo iuridicè interrogatus tenetur confiteri veritatem, interrogatus autem contra ordinem iuris nõ tenetur illam fateri, sed potest occultare, quando præcedit, vel infamia, vel indicia, vel semiplena probatio, iuridicè interrogatur: ergo tunc tenetur confiteri: quando autem nil horum præcedit, non interrogat iuridicè, quia vbi nil horum existit crimina sunt occulta, & quæ non subsunt iudicio humano, ergo si nil horum præcedat, potest occultare veritatem.

CONCLVSIO II.

Accusatus, quando potest occultare veritatem, debet eam occultare vijs licitis, vt tacendo, vel fallendo iudicem absque mendacio, non tamen vijs illicitis, vt per mendacium, fraudem, vel dolum.

HÆc non indiget probatione, constat enim nõ esse facienda mala, vt inde ueniant bona.

CONCLVSIO III.

Qui negat, vel occultat crimen, quod tenetur confiteri, & in eo vtitur vijs illicitis, vt mendacio fraude, vel dolo calumniosè defendit, qui verò negat, vel occultat quod non tenetur fateri, vtiturque vijs licitis, non agit calumniosè.

PAtet, quia calumniosè se defendere idem est quòd iniquè se defendere, & iniquè negare, aut occultare veritatem.

CONCLVSIO IIII.

Nulli licet calumniosè se defendere.

PErspicua est, Nulli enim licet negare, aut occultare vijs illicitis, quando licet illam occultare. Porrò quia calumniosè se defendẽs perturbat iudicium, grauique iniuria afficit, & iudicem cui non obedit, cum teneatur obedire, & accusatorem, insinuans illum falsò accusasse, cum verè accusauerit, & Reip. impediens ne crimina puniantur, propterea cap. primo, de iuramento calumniæ in sexto cõfirmantur à Bonifacio VIII. leges ciuiles Imperatoris Iustiniani in quibus, vt in ipsis videre est sapienter præcipitur, vt iudex, vel in principio, vel in progressu litis, in causis criminalibus accipiat à partibus iuramẽtum calumniæ, id est iuramentum asserendæ veritatis, à quo tamen iuramento excipiuntur omnes Ecclesiastici, & religiosi præter quam in causis fidei, vt statuit Honorius III. cap. inhærentes, eodem tit. &

in legibus nostri regni excipiuntur etiam sæculares in tribunalibus sæcularibus in propria causa criminali. Interest autem inter accusatorem, & reum, quod accusans iniquè, & per calumniã punitur pœnis iuris, vt vidimus, Reus verò, & si per calumniam se defendat, peccat quidem in foro animæ, & punietur à iudice propter delictum, de quo accusatur, propter calumniosam tamen defensionem, qua nitebatur se liberare, non punietur, nec alienæ sunt ob id impositæ pœnę à iure, quia accusator voluntariè vtitur illa iniquitate calumniæ, reus verò quasi coactus necessitate liberandi se à suppliciis. In quo prudenter lex se habet, considerans, innatum esse cuique, se ipsum qua via poterit tueri, & paucorum esse vitam potius exponere quàm aliquod peccatum committere: Sicut non punit virum occidentem vxorem deprehensam in adulterio, considerans paucorum esse tunc vehementem animi passionem temperare. Vide hic Diuum Thomam, ad primum, & secundum.

Materia huius art. præcipua est omnium, quæ tractantur in hac disputatione de iudicio, & ex qua multa quoq; intelligentur pertinentia ad testes, Agunt de ea Doctores eisdem locis, & titulis in quibus agunt de accusationibus, Iuristæ in titulis de confessis, Scholastici in 4. dist. 16. Summistæ maximè Syluest. in verbo Accusatio, & Inquisitio, Soto de teg. secr. memb. 2. quæst. 9. & 7. lib. 5. de iust. quæst. 9. art. 2. In qua ita nos geremus, vt prius explicemus voces, quibus Doctores in hac materia vtuntur.

Secundò, cum sint tres viæ quibus iudex potest procedere, Accusationis, Denunciationis, & Inquisitionis, explicabimus quo modo debeat procedere via accusationis, & denunciationis, vt iuridicè agat.

Tertiò, quoniam tota ferè difficultas est in via inquisitionis in qua nullus est actualis, & formalis accusator, vel denunciator, sed ipse inquirit ex solo officio, docebimus quo modo debeat illa via iuridicè procedere.

Vltimò, qua ratione debeat reus se habere, quã do iudex vtens hac via iuridicè procedit, & qua ratione quando contra ordinem iuris. Tandem de interrogationibus, quæ solent fieri per torturas. Videamus ergo primo.

CONTROVERSIA I.

QVID SINT INFAMIA, clamorosa insinuatio, indicia manifesta, & semiplena probatio.

Infamia est, quidam rumor ortus de aliquo crimine, non à maleuolis, vel maledicis, sed à probis, & honestis hominibus, sparsus inter multos. Colligitur hæc diffinitio ex c. Qualiter, & quando, el secundo, & cap. Inquisitionis de accusatio. Clamorosa insinuatio ex Innoc. IIII. Panorm. & Ioan. de Anania in dicto cap. Qualiter, & quando, idem omnino est, & pro eodem sumitur quod infamia: quos sequitur Soto in lib. de teg. secr. memb. 2. quæst. 9. dub. 3. post primam conclusionem. Franciscus tamen Aretinus in cap. Inquisitionis. num. 3. & in dicto c. Qualiter, & quando. num. 76. quem sequitur Azpilq. Inter verba conclus. 9. num. 124. volunt ista in iure distingui. Probant quia in illo cap. Inquisitionis habetur. [nullum esse inquirendum pro crimine, super quo non laborat aliqua infamia, sed clamorosa insinuitio non præcessit. Et in illo cap. Licet Heli. de simonia dicitur: Per publicam famam, vel insinuationem frequentem. Quibus locis apertè proponuntur ista, vt diuersa, Et reuera ita est, differunt autem hac ratione, vt infamia sit, quando viri probi iudicialiter testantur, esse talẽ rumorem, & famam de tali crimine, non inter maleuolos, vel maledicos, sed inter viros probos, & honestos clamorosa verò insinuatio, est vox totius populi, vel publicus rumor inter multus de tali crimine extra iudiciũ. Dicimus autem in diffinitione infamiæ, non à maleuolis, vel maledicis: nam quæ de me viri iniqui, vel qui me odio prosequuntur, asserunt, nullam mihi iuridicè ingerunt infamiam. De huiusmodi enim potius credendum est, velle illos mihi detrahere, & calumniari, quàm verum asserere. Vnde quando, vel astronomorum iudicio, vel alia via iniqua, vel diabolica de crimine alicuius, vt furto, vel adulterio, vel simili suboritur rumor (vt benè hic obseruat M. Soto) nullam habet vim, neque efficit infamiam in iudicio. Sed quæres, qui numerus exigatur, vt rumor sparsus dicatur verè, & in iudicio infamia, aut clamorosa insinuatio.

Dico primò, non sufficere duos, vel tres testes, etiam si sub iuramento asserant esse publicam vocem, vel famam talis delicti, à tali homine commissi, vt habetur in illo cap. Inquisitionis. §. Tertiæ dubitationis. Nec sufficit denarius hominum numerus, vt volunt aliqui Iuristæ in isto cap. Inquisitionis, nam in populis magnis decem pauci sunt, & iuxta regulas iuris nemo ob dicta paucorum debet infamatus reputari. Glossa autem in istud cap. Inquisitionis, quam sequitur, Soto, vult infamiam non posse certò hominum numero cõtineri, sed esse rumorem sparsum per maiorem, vel bonam partem viciniæ, collegij, vniuersitatis, vel conuentus, in quo illa habitat. Idem vult Soto sensisse, Bart. l. de minore. ff. de quæstio. §. Tormenta, sed obseruat Azpilq. nil tale habere Bart. iuxta ipsum infamia est rumor sparsus, inter eos, quibus communiter incumbit tale scire.

Sed quidquid sit de auctore optimè explicat Soto, qui constituant infamiam, & est receptum inter Doctores, & in illo cap. Inquisitionis dicitur: [Nemo propter dicta paucorum debet reputari infamatus, nisi opinio eius apud bonos, & graues læsa existat:] Vnde iudicium infamiæ sumendum est arbitrio prudentis, quando iam opinio dicitur esse communis. Nec requiritur ad infamiam testes esse oculatos, sat est audierint à fide dignis, vel habuerint indicia, & coniecturas sufficientes. Quamuis Caiet. hic vocet infamiam frequentẽ, & publicam vocem, per quam apud viros probos & prudentes rationabiliter res illa efficiatur suspecta, cui quadrat cap. Qualiter, & Quando, vbi dicitur: [Non semel tantum, sed sæpe.] Nonnulli volunt hæc relinqui arbitrio iudicis, sed quia iudex potest in hoc falli, & reo (vt videbimus) licet iuridicè ostendere se non esse infamatum, quidquid de eius infamia iudex sentiat, ideo tenenda est hic opinio Soti, quæ communior est, & quam etiam sequitur Syluest. infamia. q. 1. vel Caiet. quę nil differunt. Nam, & Bartol. vbi illum citat Soto ait: [Infamia est opinio voce manifestata, ex suspitione proueniens de re aliqua mala.

Indicia sunt circumstantiæ, & signa, ex quibus prudenter, & rationabiliter solemus de actionibus, & operibus fratrum nostrorum iudicare.

Quæ

Quæ triplicia sunt, quædam certa, & expressa, ex quibus quadam certitudine morali licet côiectu-rare, vt si nudus cum nuda inueniatur in eodem lecto, signum est certum concubuisse: Si quis euaginato gladio, & sanguine asperso depræhendatur iuxta occisum, maximè inimicum suum, signû est certum. Alia sunt non ita certa sed probabilia, vt si Ioannes Petrum minatus sit, & post aliquod tempus reperiatur Petrus occisus, nec cum vllo alio Petrus vnquam rixatus sit, quam cum Ioanne, est signum, & iudicium probabile, non tamen certum: potuit enim ab alijs occidi. Alia sunt leuia, quorum nulla est habêda ratio, vt si inueniatur cadauer in vno vico, & in alio Petrus trãsiens, aut quid simile.

Semiplena probatio est: [Dictum vnius testis oculati, & iurati, ac omni exceptione maioris speculati:] nam testis ex auditu solo, nullam efficit probationem, nec plenam, nec semiplenam, sed tantum valet ad indicandum, & inquirendum testes occulatos. [Et iurati:] quia, vt videbimus dictum testis sine iuramento nullam habet vim in iudicio, [& omni exceptione maioris,] id est, qui nullum habeat ex defectibus, propter quos potest ipse, vel dictum eius à iure repelli.

CONTROVERSIA II.

QVANDO IVDEX IVRIdicè interroget via accusationis, & denunciationis?

Obseruemus ex Soto de reg. secr. memb. 2. q. 4. post primam conclusionem in fine dubii tertii in criminib. quæ sunt in damnum publicum, vt hæresi, proditione Reip. latrocinio, & similibus denunciationem habere vicem accusationis, formalis, & denunciantem illa esse velut formationem, & actualem accusatorem, cum in huiusmodi criminibus (vt vidimus) quiuis teneatur accusare, denunciat autem aliquando, & non accusat, non ex defectu voluntatis accusandi, sed quia videt se non posse illud probare: tum etiam, quia in huiusmodi delictis eo ipso quo sunt in damnum cõmune quiuis est pars læsa, & proclamat vt pars læsa, in delictis verò quæ sunt in damnum priuator, denunciator solum est denunciator, & nõ accusator cum in his nec teneatur accusare, nec ipse sit pars læsa. Quo fit, vt in publicis criminibus via denunciationis coincidat cum via accusationis, idemque sit in illis, aliquem esse accusatum vel denunciatum: In aliis verò, quæ non sunt in damnum publicum, via denuntiationis coincidit cum via inquisitionis, debetque in eis iudex procedere, sicut inquirens nullo formaliter accusante.

Obseruemus secundò: Hæc tria, infamiam, siue clamorosam insinuationem) nam vtriusque eadẽ est ratio in iudicio) indicia, & semiplenam probationem sic distingui, vt infamia gerat quidem vices accusatoris, non tamen sit testis neque probatio: quod patet, quia cum testibus, & sufficienti probatione potest reus condemnari, cum sola autem infamia, potest quidem contra illum procedi, non tamen condemnari, vt docuit Christus, Luc. 16. vbi refert illum villicum iniquitatis, diffamatum quidem apud dominum, non autem cõdemnatum, quia ptius vel confessione ipsius, vel alia via delictum illius sufficienter, & iuridicè cõstaret: indicia verò gerunt vicem testis, & probationis, sumuntur enim indicia ad probãdum delictum, sicut & testes, & ex illis sicut ex semiplena probatione, si reus uaget delictum, traditur torturæ: imò aliquando, etsi non tota pœna aliqua tamen parte pœnæ punitur, quod an benefiat, deinde videbitur interim certissimo est argumento, indicia ad probationem pertinere, cum propter solam accusationem, nisi adsit probatio, nemo tot tura vel aliqua pœna iustè affici possit, propter indicia tamen afficiat.

CONCLVSIO PRIMA.

Vt iudex via accusatoris, vel denunciationis habentis vim accusationis, iuridicè procedat, ac interroget reum, requiruntur, sufficiuntque, vel semiplena probatio, vel expressa, & manifesta indicia.

Prior pars nempe requiri aliquod istorum patet: Quia si nil horum existat, cum ex solo dicto accusatoris non possit iudex iuridicè procedere, nõ erit iustus iudex, sed temerarius, & ex leui fundamento procedens. Quod verò sufficiat quòduis illorum, probatur, Iuxta dictamen rectæ rationis plura exiguntur ad obtinendum finem, quàm ad adhibenda media, plura, vt perueniatur in terminum, quam ad aggrediẽdam viam, interrogatio iudicis est via, & medium ad sententiam, & condemnationem rei, ergo plura exiguntur ad condemnandum quàm ad interrogandû, & pauciora ad interrogandum, quàm ad condemnandum, sed ad condemnandum sufficit plena probatio ex duobus testibus, iuxta illud in ore duorum, &c. ergo, quando est qui proclamat, & accusat sufficient vel semiplena probatio vnius testis, vel expressa, & certa indicia, quę moraliter & prudenter quando talia sunt, non minus conuincunt quàm vnus testis.

Secundò, minorem fidem facit infamia, quàm vnus testis oculatus omni exceptione maior, vel indicia manifesta, quia infamia nullam facit probationem. Hæc autem aliquam, & grauem, etsi non plenam, sed sufficit ad interrogandû, & examinandum reum, vt patet de illo villico iniquitatis, qui cum esset diffamatus iustè, & ritè interrogatur: [Quid hoc est quod audio de te, redde rationem: Ergo sufficient quoque indicia vel semiplena probatio.

Tertiò, si non posset iudex interrogare accusatum, nisi existente iam sufficienti, & plena probatione duorum testium, efficeretur vt tãtum esset vna via ad condemnandum nempè conuictum testibus, at omni iure tam ciuili, quàm canonico est duplex via, condemnatur enim vel conuictus, vel confessus, ad quod exigitur interrogatio iudicis sine sufficienti probatione, cum aliqua tamen semiplena. Deniq; in scriptura interrogãtur Caim, & multi alii.

Diximus indicia expressa, quia raro sufficit vnû indicium, nisi adeo esset ingens, vt deberet haberi pro multis iudicio prudentis, quale est illud quod posuimus pro exemplo, de existente gladio nudo, & asperso sanguine iuxta cadauer, sed com muniter desiderantur plura, vt docent omnes ferè Doctores in l. congruit. ff. de officio præsidis. Quia communiter indicia non sunt ita, euidentia, & expressa, vt efficiant certitudinem moralẽ, sed probabilia tantum, & efficientia probabilem

tantum

tantum opinionem, sufficientemque, non ad condemnandum, sed interrogandum, & procedendum: ex probabilibus autẽ certum est vnum, aut alterum, non sufficere, sed multa desiderari. Desiderantur autem non semper eadem, sed aliquãdo plura, aliquando verò pauciora, pro qualitate criminis, propter quod in cognitione indiciorũ multa relinquuntur arbitrio prudentis iudicis, vt docent Doctores in l. Finali. ff. de quæst. & Panor. in c. cum in contemplatione. de Reg. iuris, Dicimus manifesta, debẽt enim apertè indicare, & delictum, & delinquentem, ideo enim dicuntur indicia quasi digito indicantia, & crimen, & auctorẽ ipsius. Vnde indicium vocatur ab ipsismet Iuristis. l. Finali, Cod. de probationibus signum notabile, & medium intellectuale eliciendæ veritatis ex aliqua singulari, & notabili circumstantia, vt docet Sylu. Fama. §. 7. An autem ex solis indiciis propter maximam eorum certitudinẽ possit aliquis condemnari. Videbimus suo loco, nunc tantum agimus de ipsis, vt sufficientibus ad iuridicam interrogationem accusati.

CONCLVSIO II.

Vt accusatus teneatur iuridicè respondere, & confiteri veritatem, exigitur vt semiplena probatio, vel indicia, quæ habent iudex ad eum interrogandum, ipsi, iuridicè constent.

Verbi gratia si iudex interroger, quia habet vnum testem, non tenetur reus respondere, quin ipsi manifestetur testis ille, ad examinandũ sit ne omni exceptione maior, quia si iuxta iura potest eum repellere, non facit semiplenam probationẽ: similiter debent illi proponi indicia quibus nititur iudex: quia si sint apertè leuia nullam habent vim, nec potest ex eis iudex procedere: similiter cũ debeant esse iuridicè probata per duos testes omni exceptione maiores, vt ait hic Caier. & habetur leg. custodias, ff. de public. iudic. & ibi Gloss. Barto. Angelus, & Imola, est locus reo, vel ad repellendos testes illos indiciorum, vel ad ostẽdenda illa signa, & indicia leuia esse, & ita non tenetur de crimine præcipuo respondere, donec iuridicè exploratum, sit iudicem habere sufficientem, & semiplenam probationem, vel indicia sufficientia, ad procedendum, & interrogandũ. Hæc conclus. sic explicata est communis habent illam D. Thom. & Caier. hic Sylu. Indicium. §. 3. Soto lib. 5. de iust. quæst. 9. artic. 2. Nauarr. Inter verba conclus. 6. num. 134. & num. 741. & omnes ferè iurisperiti.

Et probatur, Mandatum iudicis est, velut quædam lex particularis, legi autem nemo tenetur actu obedire, donec publicetur, & constet non esse iniquam, & iniustam. 32. quęst. 4. can. Dixit Sarra. & Dis. 82. can. Proposuisti, ergo nec mandato iudicis tenetur reus maximè cũ suo periculo obedire, donec illi constet interrogationem illam, & mandatum non esse iniquum, hoc autem constare non potest nisi ei proponantur indicia, vel semiplena probatio, quibus innititur ius iudicis ad interrogandum: ergo non tenetur antequam hæc ipsi constent, respondere.

Secundò, nemo tenetur ad petitionem alterius dimittere bona sua, famam, vel vitam, donec ei constet de iure illius, quia petit, iudex interrogãs petit, habetque ius ad petendum à reo, quia existit semiplena probatio, vel indicia manifesta: ergo donec illi hoc ius innotescat, videatque iudicem iuridicè petere, id est, habere sufficientem: & semiplenam probationem, vel indicia, non tenetur confiteri, & exponere se, vel sua.

Tertiò, nõ tenetur testis cum periculo alterius explicare iudici, procedenti via inquisitionis veritatem, donec certò ipsi constet, illum de quo Inquirit esse infamatum, quia in via inquisitionis (vt videbimus) totum ius inquirẽdi nititur infamiæ: ergo multò minus tenebitur accusatus cum proprio periculo explicare, & respondere iudici veritatem, quin ipsi prius constet, semiplenam probationem, vel indicia, quibus iudex nititur ad interrogandum, esse iuridicè sufficientia. Et ita Bar. & omnes Doctores docent, vt refert Azpilq. Inter verba conclus. 6. num. 242. teneri iudicem, nisi iniquè velit agere, & contra ordinem iuris, initio litis facere copiam testis, vel indiciorum quibus nititur reo, ad illa examinanda, & repellenda si oportuerit, ac potuerit, antequam interrogetur de principali crimine. Vnde si postquam reo proposita sunt, potest illa iuridicè repellere, non tenetur respondere iudici de crimine de quo interrogatur, si verò non possit, sed iuridicè sufficiant, tenetur respondere, cum iudex tunc iuridicè ac rectè interroget. Quod si dubius sit, res est difficilior, propterea videamus oportet, quod etiã pertinet ad testes.

CONTROVERSIA III.

TENEATVR NE REVS explicare iudici veritatem, quando prudenter dubitat, an iuridicè interroget, & procedat?

Dico prudenter, & probabiliter, quia si leuiter, & sine rationabili fundamento ex passione propria dubitẽt, huiusmodi dubitatio non liberat eum à debito respondendi, sed tenetur, non minus quàm si apertè constaret illum iuridicè, & ritè procedere, in quo stabit consilio periti, & prudentiæ aduocati. Vbi admoneo iudices, potuisse ipsos ab hac quæstione nos liberasse, si omnes ita periti essent, ac timentes Deum, vt certum esset, ipsos non procedere sine sufficienti ac debita semiplena probatione, vel indiciis, tunc enim solo iudice illa proponente, & ostendente, deberet reus in dubiis illi parere: at cum non omnes ea peritia, & timore Dei sint prædilij, quales in ipsis exiguntur, & experientia teste, aliqui, vel ficto, vel imprudenti zelo iustitiæ, & punitionis delictorũ, facilè quibusuis probationibus, & indiciis, moueantur non debet reus in dubiis stare solo dicto iudicis, sed examinanda est proposita quæstio.

Palud. in 4. dist. 19. q. 4. statuit hanc regulam. Quando prælatus, vel iudex exigunt à teste, vel reo secretum aliquod, vel delictum, si certum, sit iudicem illum iure illud exigere, obediẽdum esse illi, si verò certum sit præcipere illud cõtra ius, vel præter ordinem iuris, non esse ei obediendũ. Quod si fuerit dubium, præsumendum esse de iustitia iudicis, id est ipsum iustè interrogare, & explicandam esse ei veritatem. Subscribit huic sententiæ Sylu. Inquisitio. §. 13. & obedientia. §. 4. vbi addit omnes Doctores (intelligit Canonistas) idẽ sentire. Probatur hæc opinio. Præceptum iudicis, vel superioris (vt sæpè dictum est) est quæ iam lex priuata, lex autem superioris quamuis du- tetur

tetur an sit iusta, obligat subditos, ergo similiter quando iudex aliquid præcipit, & eius iustitia est dubia, tenetur interrogatus obedire, & respondere.

Secundò, In huiusmodi dubio licet iudici interrogare testem, teneturque testis respondere, vt docent iuristæ, obseruantque ipsi iudices, ergo similiter potest interrogare reū, & tenebitur reus respondere. Antecedens ita probant: Nemo est priuandus iure suo, vel re quam possidet, donec constet non habere tale ius, aut rem illam non esse suam l. Qui scit. ff. de vsu. & can. si virgo. 34. q. 2. quia in dubiis melior est ratio possidentis: sed iudex habet actu ius ad interrogādum reum, vel testem, ergo donec certum sit non posse ipsum iuste illos interrogare, non est expoliandus isto iure, in casu dubii non est certum, ergo manet illi istud ius interrogandi, tenenturque ipsi respondere: sunt enim hæc relata, superior potest interrogare: ergo subditus tenetur respondere. Et cōfirmatur, quia aliàs tenerentur superiores, eorum quæ præcipiunt, manifestare subditis causas omnes, & motiua quibus ducuntur ad illud præcipiendum, quod cederet in graue damnum, & multa incommoda debitæ gubernationis.

Tertiò, mandata superiorū obligant, nisi apertè constet esse iniusta, vt si princeps præcipiat bellum, nisi apertè constet esse iniustum, tenentur subditi militare, vt docet. D. Augusti. 23. q. 1. Quid culpatur, sed interrogatio iudicis est quoddam mandatum, ergo.

Denique si coniux dubitet de alio coniuge, an sit verè vir suus, tenetur nihilominus reddere illi debitum si petat, quia est in possessione petendi illud, vt est diffinitum cap. Dominus. De secundis nuptiis, & cap. Inquisitionis. De sententia excommunicationis: ergo cum iudex habeat actu ius interrogandi, & sit in possessione talis iuris, in re dubia tenetur subditus illi respondere.

Oppositum docent Caiet. hic Soto de tegen. secre. memb. 7. quæst. 7. post conclusionem tertiam, & copiosè memb. 3. quæst. 2. per totam, vbi ex professo tractat hanc quæstionem Adria. quodlib. 2. vbi, etiam si in dubiis doceat obediendum esse superiori, in hac tamen parte sentit non esse obediendum iudici, Nauar. Inter verba conclus. 6. nume. 134. Probant hi non teneri reum in re dubia ad explicandam veritatem, quia nemo tenetur rē suam dimittere, & illa se expoliare, nisi certò, & apertè constet de iure alterius illam postulantis, reus possidet suum honorem, famam, vitā, & bona, si confiteatur delictum suum, omnibus his vel aliquibus saltem se expoliat, ergo non tenetur delictum suum confiteri, nisi certò ipsi constet, iudicem iure, & ritè interrogare, hoc illi certò non constat quando prudenter est dubius, ergo tunc non tenetur.

Ad intelligendam hanc quæstionem, & multa quæ circa hæc dubia tàm in iudicio, quàm extra iudicium possunt sese offerre.

Obseruemus primò, vt optimè docet Soto de tegendo secr. memb. 3. quæst. 2. maximè differre hæc duo, dubium, & formidinem, Dubium enim est, quando animus in neutram partem contradictionis inclinat, sed ita est suspensus, vtramq; habeat pro incerta, quo modo dubitamus sint ne paria astra an imparia: formido verò est quando vni quidem parti contradictionis assentimur, habemusque illius opinionem, sed cum aliquo scrupulo, & dubitatione alterius partis, num forsan illa alia pars vera sit, vt cum mercator consulit viros doctos, & timoratos, num contractus quem exercet sit licitus, & omnibus asserentibus esse licitū, assentitur quidem huic parti, habetq; illius propter dicta tot Doctorum certam opinionem, sed vna cū illis manet adhuc illi aliquis scrupulus, & dubitatio, sit ne forsan illicitus. Hæc dubitatio vnius partis, quæ stat simul cum assensu, & opinione alterius, vocatur formido, quæ potest esse leuis, & nulli ferè nitens fundamento, sed solum imbecillitati, vel ingenio, aut stultitię & leui causæ, potest quoque esse grauis, & habere fundamenta, ac motiua iudicio prudentis rationabilia.

Obseruemus secundò, dubium duplex esse, aliud speculatiuum, & aliud practicum, speculatiuum pertinet ad rem aliquam secundum se sumptam, & consideratam ab intellectu speculatiuo: practicum verò, pertinet ad opus, & actionem in indiuiduo exercendam, præcipiendam que ab intellectu practico: quæ dubia ita sunt affecta, vt possit esse dubium speculatiuum circa rem aliquā in intellectu speculatiuo, intellectu, practico nihilominus certò intelligente, quid agendum sit. V. g. in casu proposito, sum dubius an res quam possideo sit mea? & an debeam illam retinere, cū dubitem an mea sit? prius dubium est speculatiuum: pertinet enim ad rem ipsam speculatiuè, & secundum se consideratam, aliud verò est practicum, pertinet enim ad opus, & actionem hanc in indiuiduo, an debeam illam retinere? cum dubitem an sit mea? Vna cum isto dubio speculatiuo iudico intellectu practico me non debere illam dimittere, cum illam actu possideam, & bona fide, sed quādiu non certò constat de iure alterius, posse me retinere illam, quia in dubiis melior est ratio, & ius possidentis. Similiter dubitat vir, an hæc sit vxor eius post contractum, & consumatū iam matrimonium, vna cum hoc dubio speculatiuo, habet hunc assensum practicum, si petat debitum, teneor illi reddere, quia habet possessionem mei corporis per matrimonium, & quamdiu res est dubia, non possum ego expoliare illam suo iure, & possessione.

Obseruemus tertiò, crimina de quibus iudex interrogat, aut cedere tantum in damnum delinquentis, aut in damnum alterius publicū, vel priuatum. Rursum quę vergunt in damnum alterius maximè publicum, aut esse iam præterita, & commissa, ita vt illorum auctor non sit paratus similia patrare, nec alteri deinde nocere, aut sunt adhuc in fieri, ita vt in suis delictis reus ille adhuc perseueret, habeatque animum nocendi.

Obseruemus quartò, Regulam esse inter doctores maximè receptam in materia de ignorantia. In dubio sequendam esse partem tutam, quādo alia, & si probabilis sit, non tamen est tuta: quod si neutra fuerit tuta, illa tunc eligatur, in qua minus est periculi. Verbi gratia, ignorat aliquis nullo modo licere mentiri, neque officiosè: offert se illi casus in quo debet seruare vitam alicuius hominis, si commodè possit, sed non potest nisi dicto aliquo mendacio officioso, est dubius (quia est vir maximè ignarus) ad quid potius teneatur. In hoc casu, cum propter suam ignorantiam æqualiter sit anceps, & neutra pars sit ei tuta, sed siue mentiatur, vt tueatur vitam illius hominis, siue nō tueatur ne mentiatur, quicquid horum præstet, timet peccare, debet hic in tali ignorantia, & dubio existens, inclinare in illam partē, quæ minus periculi habet, & mentiri officiosè, Nec repugnat huic doctrinæ mendacium numquam esse licitum, nec posse dari perplexitatem in lege

Dei:

Dei: qoia nos nũ dicimus licere huic mentiri, sed cum ex sua ignorantia existimet quicquid agat se peccatorum, debere potius ita dubitantem committere peccatum veniale illius mẽdacij officiosi, quam aliud peccatum non seruandi vitam hominis, in quo tam graue est periculũ, Nec repugnat ex ignorantia culpabili, aliquem illa durante esse perplexum, illa enim perplexitas noo est à lege Dei, sed ab ignorantia culpabili, aliquem illa durante esse perplexum, illa enim perplexitas nõ est à lege Dei, sed ab ignorantia culpabili qua ita est perplexus. Et probatur hæc regula ex D. Thom. in 4. distinct. 36. Quo loco. cum afferat magister caput illud, Si quis ingenuus. 29. quæst. 2. vbi dicitur: [Si quis bona fide desponsauit sibi puellã, credens illam esse liberam, & postea ex probabili causa dubitet illam esse seruam, non tenetur reddere illi debitum, nec consumate matrimonium, quamuis Ordinatius præcipiat. Explicans hunc textum D. Thom. reddit hanc rationem. Quia si iste ingenuus, qui talem puellam sibi desponsauit bona fide, & deinde prudenter dubitat esse seruam, reddat ei debitum sine animo maritali, fornicabitur, quod nullo modo licèt, si vero animo maritali, incurrit graue detrimentum: vt inuitus, & coactus, cum serua matrimonium consomet, ne tale damnum incurrat, non tenetur (inquit Diuus Thom.) reddere illi debitum.] Vbi apertè diffinitur iuxta hanc explicationem Diui Thom. in re dubia declinandum esse in eam partem, quæ minus habet periculum.

CONCLVSIO PRIMA.

In criminibus quæ nõ sunt in damnum imminens alicui, nec publicum, nec priuatum, sed iam sunt præterita, & commissa, tàm testis, quàm reus quando prudenter sunt dubij, an iudex rectè, & iuridicè interroget, non tenentur ei respondere.

PRobatur: Ex regula proposita io quarta obseruatione, in dubio quando neutra pars est tuta, inclinandum est in ea quæ minus habet periculi, sed tacere, vel occultare veritatem sine mendacio, in casu huius conclusionis parum aut nil habet periculi, explicare verò illam multum, quia exponuntur vita, fama, vel bona rei: ergo in huiusmodi delictis, non tenetur subditus qui ita dubius est, respondere iudici, imò potius tacere, vel occultare illi veritatem.

Secundò, probatur, Ex varijs regulis iuris. Est enim quædam regula iuris: [In dubijs melior est cõditio possidentis: Alia. Vnusquisque præsumitur bonus, quamdiu non probatur malus, vel iure existimatur talis.] Ex quibus sic argumẽtor: Reus est in possessione suæ famæ, & honoris, & præsumẽdus bonus donec probetur malus, vel iure existimetur talis, sed quamdio res est dubia, non est priuandus illa possessione suæ famæ, ex ista prima regula, imò quamdiu res est dubia, est iudicandus bonus, quia quamdiu res est dubia, non probatur malus, nec iure existimandus talis, ergo quamdiu res est dubia in huiusmodi delictis, nec ipse nec alius potest delicta eius reuelare, & fateri illum esse malum, & delinquentem.

Tertiò, sicut se habent probationes plenæ ad condemnandum, & ita & semiplena probatio, vel indicia ad interrogandum, & respondendum, sed omnia iura proclamãt, in criminalibus probationes quibus aliquis est condemnandus, debere esse loce meridiana clariores, & non dubias, ergo & semiplena probatio, & indicia, & alia quæ requiruntur, vt iudex iustè interroget, & subditus teneatur respondere, debent etiam non esse dubia, sed saltim certa, & aperta.

Quartò, in materia morali maximè in hac criminali non est illa pars magis tuta, & minus dubia, cui plures rationes fauent, sed quę minus habet periculi. Ex maiori enim vel minori periculo sumendum est in his, quid sit magis tutum: solumque attendimus quæ pars plures rationes habeat, quando periculum est æquale: Sed non obedire iudici, quando de eius interrogatione prudenter dubitatur, minus habet periculi, quàm respondere, vt constat, ergo illa pars est minus dubia, & magis tuta.

Vltimò, omnia iura, & naturale, & diuinum, & humanum volunt in dubijs fauendum esse reo, quando id non cedit in alterius iniuriam. crimina de quibus loquimur in nullius sunt iniuriam, ergo in his quando prudenter dubitatur de interrogatione iudicis, debet testis fauere reo, occultando eius delictum, & multò magis reus sibi ipsi. Ex his sequitur apertè.

CONCLVSIO II.

Iudex quando prudenter, & rationabiliter est dubius an illi semiplena probatio, vel indicia sufficiant, non potest interrogare reum, sed peccabit grauissimè, & tanto magis quàm alij, quanto potius tenetur ex officio ad seruandam iustitiam, & debitum ordinem iuris.

COnstat hæc conclusio tertio, & vltimo argumento, quibus probat est præcedens. Ex his etiam constat, non teneri reum, vel testem, qui prudenter dubius est, in criminibus, de quibus in prima conclusione respondere iudici Ecclesiastico, etiam si sub excommunicatione, & censuris interroget, & præcipiat respondere: quia præcepta ista, & censuræ neminem obligant, ad reuelandum, quod iure naturæ tenetur occultare, aut tuta conscientia potest occultare: censuræ enim hoc tantum pręstant, vt quod quis iam aliàs debebat efficere, maiori vinculo, sub maiori pœna debeat. Vnde tenetur ille qui sub censura interrogatur, diligentius inquirere, eus & quo modo dubiter, & præceptum illius iudicis, sit ne iustum, an iniustum, & hic est timor quem vult D. Greg. haberi ex sententia iudicis siue iusta siue iniusta sit. 11. q. 3. vt optimè explicat Soto loco citato.

CONCLVSIO III.

In eisdem criminibus, de quibus prima conclus. quæ non sunt in damnum alterius, etsi subditus reus, vel testis opinetur iudicem rectè procedere, si nihilominus habeat grauem formidinem, & ex rationabili fundamento, illum non procedere iustè, immineatque periculum vel vitæ aut rei, vel honoris grauissimi viri, & præstantis in Repub. non tenetur respondere iudici, posita tali formidine, & tali periculo grauis damni.

HAnc habet Soto loc. cit. concl. 7. & est recepta inter discipulos D. Thom. Et probatur. Grauis, & rationabilis formido tanti damni, iudicio pruden-

prudentum non minus valet quàm dubitatio cū periculo alterius minoris damni, sed dubius debet fauere illi parti, in qua est maius periculum, ergo similiter qui sic formidat. Et confirmatur, quia grauis formido in re graui, præponderat opinioni in re leui in materia morali.

Secundò, Vt diximus, quæ pars sit magis vel minus tuta, non sumitur ex rationibus, quibus nititur, sed ex periculo. Nunc sic, Habenti opinionem vnius partis, possunt se offerre rationes probabiles adeo graues ad efficiendam formidinem alterius vt non modò valeant, verum etiam possint destruere illam opinionem, & reddere dubium, sed dubius non tenetur respondere nisi in fauorē rei, ergo neq; qui ita formidat in causa afferente tam graue periculum, cum illud præponderet qui buscuis rationibus probabilibus.

CONCLVSIO IIII.

Vt subditus tuta conscientia non respondeat in re dubia, non est necesse desinat esse dubius, an iudex iustè interroget, debet tamen habere hoc iudicium practicum, in hoc casu non teneor respondere.

PAtet, quia aliter ageret contra conscientiam, quo circa debet tunc consulere viros peritos, & stare dicto illorum: Ita Nauar. Inter verba, num. 139. Adrian. quodlibeto 2. quæst. 1. patetque ex dictis in 2. obseruatione.

CONCLVSIO V.

In criminibus quæ sunt in damnum alterius publicum, vel particulare adhuc imminens, & quod adhuc est in fieri, iudex etsi dubius sit rectè tamen, & ritè interrogat, & testis etsi dubius tenetur respondere.

PRobatur ex illa eadem regula quo ad damnum publicum, quia illa pars est in dubiis sequenda, & magis tuta, in qua est minus periculi, sed maius periculum est in damno publico imminenti, quàm in damno priuato quod potest reus pati: ergo tunc inclinandum est in fauorem boni communis, tam à iudice in interrogando, quàm à subditis in respondendo, Nec argumenta quibus probauimus primam conclusionem, huic repugnant, quia ob bonum publicum non requiruntur tot media vel merita processus, vt quis timeatur malus, vel deiiciatur à suo honore, cum bono communi consulendum sit, exponendo pro illo quæuis bona priuata aliorum.

Res difficilior est quando crimen est in damnū imminens personæ: Sed & in his quoq; probatur proposita conclusio ex illa alia regula, In dubiis potior est ratio patientis iniuriam quàm inferentis, in hoc casu reus iste accusatur propter damnū quod vult alteri inferre, vel prudēter timetur esse illo inferendum, ergo in hoc dubio fauendum potius est fratri, qui periclitatur damnum illud iniquè pati, quem huic reo sic accusato: & consequenter iudex in tali casu, & si dubius iustè interrogat, & subditus tenetur respondere.

CONCLVSIO VLTIMA.

Reus in huiusmodi criminibus tenetur aut respondere, aut desistere omnino ab illo crimine, & damno inferendo.

PAtet iudex, vt constat habet ius ad interrogādum, & consequenter subditus debitum respondendi in huiusmodi dubiis quamdiu imminet damnum fratri: sed quamdiu non desistit reus à crimine nociuo, imminet damnum fratri: ergo quamdiu non desistit, habet iudex ius interrogandi, & consequenter debet illi reus respondere, aut resipiscere, ne tale damnum alteri immineat.

Nunc ad argumenta in oppositum. Ad primum dico, leges superiorum cum in vniuersum loquātur, præcipere communiter ea, in quibus nullum est periculum vitę, vel famæ: cum autem in criminalibus illud maximè immineat reo, propterea in talibus mandatum iudicis non obligat in dubiis. Omnes namque leges, & mandata superiorum, præsumendum est nil præcipere, quod non sit rationi consonum, alienum autem est à recta ratione, vt in re dubia respondeat aliquis cum damno alterius, multò minus cum damno proprio: nisi iam culpa illius qui accusatur, damnum alteri tertio immineat, tunc enim potior est ratio patientis iniuriam, & periclitantis, quàm volentis illam inferre, vt constat ex quinta conclusione.

Ad secundum dico, propositionem illam neminem esse expoliandum iure suo, donec certò constet non habere ipsum tale ius nostræ sententiæ fauere, nam cum reus habeat ius occultandi sua delicta, nisi cōtra ipsum existant manifesta indicia, vel semiplena probatio iuridicè sufficientia, donec ista certò constet existere, non debet priuari isto iure, & obligari ad respondendum, certò autem non constat, quando res est dubia.

Addo iudicem non habere ius interrogandi, nisi quando semiplena probatio vel indicia iuridicè, & certò sufficientia existunt, quod si aliter aliqui iudices se gerant, abusus est non vsus, nec consuetudo quæ aliquod ius ipsis tribuat.

Ad tertium respondeo, militantem ex præcepto sui principis, etsi dubio, agere partes suæ Reipub. & debere propterea illi obedire: quia etsi bellum illud sit in damnum hostium, potest quoque omissio illius esse in damnum suę Reip. cui potius tenetur fauere: quo fit, vt obediendo suo principi, sequatur partem tutiorem, at in iudicio in quo accusatur aliquis de crimine, quod nulli alteri nocet, si dubium sit, an iudex iuridicè procedat, occultandum veritatem nulli nocetur, explicando verò illam potest reo grauiter noceri, vnde in dubio isto tutius est illam occultare, debetque propterea ita fieri, cum in dubijs tutior pars tenenda sit. Solutio vltima satis constat ex 2. obseruatione.

CONTROVERSIA IIII.

DE VIA INQVISITIONIS. Quotuplex ea sit.

AGendum iam est de via inquisitionis, & explicandum quo modo se debeant habere, quando hac via proceditur, tàm iudex quàm subditi. Ad quam disputationem quæ difficilis est, & in

in hac materia potissima, obseruandum est in primis, quod iam superius attigimus: Inquisitionem esse inuestigationem vel criminis, vel peccatoris occulti, quæ fit à prælato vel iudice: distingui quę ab Euangelica denunciatione, quæ omnibus incũbit ex charitate, & ab accusatione, quæ solis subditis conuenit, quia inquisitio, siue delicti, siue delinquẽtis, nec fit ex charitate, nec pertinet ad subditos, sed fit ex iustitia, & officio, pertinetque ad solos superiores, & iudices.

Est autem dimissis varijs diuisionibus, & generibus inquisitionis, quæ afferuntur à Canonistis, inquisitio triplex. Prima omnino generalis. Alia omnino specialis. Alia verò partim generalis, & partim specialis. Omnino generalis est, qua prelati visitãtes suam diocęsim vel iudices, & superiores suam prouinciam, inquirunt vitam, & mores subditorum, an seruẽt leges, & statuta illius loci? an aliqui delinquentes ibi existãt, quos oporteat puniri? Vocaturq; generalis quia nec persona aliqua nominatur, nec crimẽ de quo inquiritur, sed in genere tantum proponitur. Omnino particularis est, quando in particulari inquiritur, nominaturq; persona delinquens, & delictum, vt an Petrus occiderit istum hominem, cuius cadauer inuentum est? Partim generalis, & partim specialis est, quando delictũ in particulari exprimitur, persona verò non nominatur, sed tantum inquiritur in communi, vt cum inuento cadauere inquiritur, quis illũ hominem occiderit, vel èconuerso, quando exprimitur persona, non autẽ certum crimen, vt cũ inquiritur, An Petrus sit homo flagitiosus? Rursum, inquisitio quęcunque sit, potest fieri, aut ad inferendam pœnam, & puniendum delinquentem, aut ad nullam pœnam, sed ad vitãdum errorem aliquem, vel incõmodum, vt cum inquiritur, An Petrus habeat merita necessaria, vt cõferatur ei beneficium, vel dignitatas? An Ioannes, & Maria habeant inter se aliqua impedimenta, propter quæ non possint inter se contrahere matrimoniũ? Quæ propriè non est inquisitio criminalis, nec delictorum, de qua hic agimus, sed inquisitio meritorum, & sufficientiæ: Et in hac omnium Doctorũ sententia est, etiam si nulla præcedat infamia, non modo testem à iudice competenti requisitum, teneri ad explicandos secretò, vel iuridicè si oportuerit, defectus, & impedimenta quæ verè, & certo nouerit, verum etiam ipsummet subditum in causa propria interrogatũ. Primò, quia iudex, vel prælatus tenetur ex officio, & iustitia officium illud, vel beneficium non conferre indigno, & consequenter, cũ possit inquirere, an iste qui se ipsum ad illud obtinendum offert, sit indignus, vt habetur c. Cum in multis, &c. cum dilectus. Extra de electione, nec alia via possit id scire, nisi aut dicto testis, aut cõfessione ipsiusmet postulantis, potest eos interrogare, & ipsi tenentur respondere. Secũdò, quia si quę ratio id prohiberet, certè hæc sola, ne defectus occulti prodantur, hæc autem ratio hoc non prohibet; quia postulans illud officium, vel dignitatẽ, eo ipso quo postulat, offert se huic incommodo voluntariè, & cædit iuri suo, consentitque, vt iudex possit inquirere, & interrogare quoscunque, an habeãt aliquos defectus, ob quos sit indignus tali officio, vel beneficio. Tertiò, quia infamia (vt videbimus) nõ exigitur in inquisitione, nisi, vt habeat vicem accusatoris, cum siue accusatore nemo possit cõdemnari, at inquisitio ista meritorum, & sufficientiæ, cum non procedat ad condemnationem, vel punitionem, non indiget accusatore, & ita neque infamia.

Ex his fit, vt voluntariè postulans officium, vt dignitatem, teneatur proprios defectus, vel parẽtum, vel generis sui, qui ipsum illo officio, vel dignitate indignum efficiũt, interrogatus, quamuis occulti sint prodere. Dico voluntariè postulans, nam si ipse non postulet, sed elector ipsi offerat, non tenetur, quia retinet ius ne de occultis infametur, cui non renuntiat, nisi quando ipse voluntariè postulat: Propter, quod tenẽtur superiores, & electores, quando volunt promouere aliquem ad aliquod officium, vel dignitatẽ prius explicare illi per se, vel interpositam personam, suum animum, & indicare illi conditiones, & qualites requisitas, ac defectus, qui possunt esse impedimento, vt ipse de se ipso iudicet, sit ne idoneus, & sufficiens. Quod si sic admonitus consenserit tunc simul consentit, vt fiat inquisitio de ipsius sufficientia, & renuntiat iuri, quod habeat, ne quis possit occultos ipsius defectus prodere. Dixi defectus reddentes indignum, nam alios, qui ad illud institutum non faciunt, nec licet inquirere nec explicare: quo ad tales enim per postulationem illius officij aut dignitatis, nemo censetur renũtiare iuri, quod habet ne ab aliquo de occultis infameur. Hæc omnia habentur can. Episcopus. dist. 24. can. Ordinationes. dist. 75. Clementina 1. de concessione præbendæ. Et copiosè Azpilq. Inter verba conclus. 6. nu. 181 Vnde tota quæstio est de inquisitione, quæ tendit in punitionem, & pœnam, quæ dicitur inquisitio criminalis, Videamus ergo.

CONTROVERSIA V.

AN AD INQVISITIONEM OMnino generalem exigatur, præcedens infamia, vel accusator aliquis, aut denunciator.

ALciatus in cap. 1. de officio ordin. nu. 5. tenet negantem probat. Quia l. Vt respõsum C. de transact. interrogatus debet respondere sicut interrogatur, inquisitio generalis est generalis quędã, & maximè incerta interrogatio, vnde illi non est respõdendum nisi generaliter, & incertè, Verbi gratia inquirit iudex, an sint aliqua delicta in illo loco? erit quoque similiter illi respondendum in genere, esse aliqua in eo loco: & nil aliud præterea, nisi sit aliqua infamia, vel accusator: huiusmodi autem responsio inutilis omnino est, & ridicula, ergo, & inquisitio generalis, vbi nulla est infamia, vel accusatio.

Secundò, Etiam si proposita generali inquisitione, referatur ab aliquo teste illi iudici aliquod peculiare delictum, & aliquis particularis, & certus delinquens, nisi existat infamia, vel accusator, non potest iudex procedere iuridicè contra illum delinquentem per particularem inquisitionem, ergo vbi non est infamia, vel accusator frustra fit generalis inquisitio. Antecedens patet ex cap. Inquisitionis. De Accusatio. vbi ait. Innoc. III. [Etiã si duo testes iurati testentur crimen occultũ, non potest iudex, si nulla sit infamia, vel accusator, procedere ad inquisitionem specialem de illo crimine.]

Oppositum docent omnes Doctores tàm Theologi quàm Iurisperiti, & communis consuetudo omnium prælatorum, & iudicum, cui se opposuit solus Alciatus.

CONCLVSIO PRIMA.

Ad inquisitionem omnino generalem, vt in ea iuridicè interroget iudex, nulla requiritur infamia, vel clamosa insinuatio, nullus accusator, aut denunciator.

PRobatur hæc inquisitio generalis nō fit ad petitionem alicuius partis, sed solum ad prospiciendum bono communi, vt republica purgetur à criminosis, & delinquētes quos nullus curat accusare, vel denunciare, cum possint, & multoties debeant, etsi publici sint, puniantur sicut oportet, tenentur autem superiores, & iudices ex officio suo curare, vt hac via purgetur Respublica, & puniantur delinquentes, etiam si nullus id postulet, ergo etiam si nulla præcedat infamia, vel accusator licitè vtuntur statutis temporibus Iudices, & Superiores huiusmodi inquisitione, & in ea interrogant sibi subditos: Hæc conclusio habetur cap. Primò, De officio ordinarij, cap. Cum olim. De accusatione. Cap. Romana. de censibus, lib. 6 & l. cōgruit. ff. de officio præsidis. Et can. placuit, el secundo, & can. Relatum, 11. quęst. 1. Vbi pręcipitur superioribus, & iudicibus, vt statutis temporibus faciant istas visitationes, & inquisitiones generales, vt prospiciant moribus subditorum, & purgetur respublica.

Vbi obseruandum est ex D. Nauar. loco citato nu. 174. generales quoque inquisitiones esse, quando sub nominibus appellatiuis inquiritur, vt cum inquiritur, qui clerici, nobiles, vel vxorati hęc, vel illa crimina commiserint, quia in istis visitationibus idem est inquirere sub istis nominibus appellatiuis communibus, quod inquirere quæ delicta in eo loco ab illius incolis, committantur. Erit autem specialis, si nomine appellatiuo non communi, sed alicui appropriato inquiratur, verbi gratia an filius Ioannis fecerit hoc delictum? an clericus huius oppidi vbi non existunt nisi vnus aut alter ad summum.

CONCLVSIO II.

Subditi quando indicitur huiusmodi inquisitio generalis, etiam si in ea imponantur censuræ, non tenentur, nec debent manifestare, aut interrogati explicare, nisi ea tantum delicta, quorum auctores laborant infamia de tali delicto.

NEc est in hac parte audiendus quidam Ginesius Sepulueda, docens occulta quoque, & quorum nulla est infamia, esse reuelāda, quando subditus huiusmodi inquisitione generali interrogatur. Nostra conclusio est Mag. Soto de tegendo secreto, membr. 2. quæst. 6. post 2. concl. Adriani in 4. de correctione fraterna, fol. 48. D. Nauarri, Inter verba, conclusione 6. nume. 117. Caietani hic, & est cōmunis inter omnes Doctores præter istum Sepuluedam. Et probatur: Subditus ea tantum tenetur respondere, quorum superior est legitimus iudex, & de quibus potest interrogare, sed nullus superior præter Deum est iudex eorū quæ nō laborant infamia, sed sunt iuridicè occulta, Can. Deus omnipotens 2. quęst. 1. Nec potest interrogare de his occultis, nec simpliciter, nec cū iuramento, vt habetur in illo capite, Qualiter, & quando, el primero, De accusatione, ergo. Excipiuntur ab hac conclusione inquisitiones quas Domini Inquisitiores faciunt, aut propositis edictis, aut in suis visitationibus, quia in his propter bonum cōmune fidei manifestanda sunt delicta, & iam si nulla delinquens laboret infamia, vt ipsi prospiciāt, & bono communi religionis Christianæ, & bono priuato illius delinquentis. Similiter quæ sunt in damnum aliquod temporale cōmune, vel particulare, nec frater est omnino emendatus, sed damnum illud adhuc imminet, manifestanda quoque sunt, etsi nulla existat infamia, quando alia via non potest illi commodè occurri. Quia in huiusmodi criminibus (vt constat) tenetur vnusquisque aut damnum illud impedire, aut deferre ad superiorem, qui illud impediat, etiam si nulla fiat inquisitio. Quæres,

CVM INFERIORES, PRAEterquam in delictis quæ sunt contra fidem, vel damnum imminens alicui, non possint interrogare, nec interrogati respondere, nisi delinquens laboret infamia illius delicti, tenebuntur ne superiores, & iudices, quando vtuntur ista inquisitione generali, in admonere, & exprimere in suis edictis, & visitationibus, se ea tantum inquirere, quæ laborant aliqua infamia?

CAietan. in opusc. 17. Responsionū respon. 5. ad 1. tenet partem negantē, Quia mandata superiorum iam sub intelliguntur nil præcipere cōtra ius naturale, vel diuinū, & ita sub intelliguntur illę non inquirere de occultis, quorū nulla est infamia, cū iure naturæ prohibeamur talia reuelare.

Azpilq. loco citato nu. 119. & nu. 130. docet oppositum, vuliq́ue teneri superiores, & iudices ad illud exprimendū, quia aliter offerunt magnā occasionem subditis ignorantib. & simplicibus, manifestandi quæ non debent, quod tenentur superiores quantum possunt euitare. Et ita ait se obseruasse in visitationib. duorum Celeberrimorū Monasteriorum sui ordinis. Idem docet Sot. loco cit. memb. 2. q. 9 post 2. concl. & reuera, in illo c. Qualiter, & quando el primero. Innoc. III. præscribens formā interrogandi in inquisitione generali, vult vt exprimatur exceptis occultis. Ego hic ita distinguendum crederem, Vt quando inquisitio ista generali fit in loco, vbi subditi periti sunt, vel valent ingenio, vel habent frequentes conciones, & doctores quos consulāt, non teneantur superiores illud exprimere, sed sub intelligatur quando verò fit in loco aliquo, cuius plerįque vicini sunt simplices, & rustici, raròq; consultant confessarios, vel Doctores, à quibus facilè admoneantur, debere superiores illud exprimere. In huiusmodi enim locis habet maximam vim ratio Azpilq.

Ad argumenta Alciati. Ad primum respondeo: leg. illam intelligendam esse, vt ex ipsius verbis cōstat, de inquisitione, & interrogatione omnino speciali, quando iudex iuridicè interrogat, tunc enim ipso in indiuiduo interrogāte: An Petrus occiderit hunc hominem, respondere debet etiam subditus in indiuiduo, veritatem quam nouit. At quando inquisitio, & interrogatio est generalis, non debet respōdere in genere, sed in indiuiduo delicta quæ non sunt occulta, cum ad talia puniēda, & tollenda dirigatur talis inquisitio.

Qua

Qua ratione non est vana ista inquisitio, ut elli git enim per eam superior delicta, quæ occulta non sunt, & quæ sine tali visitatione, & inquisitione nullus curasset manifestare.

Ad secundum respondeo, licet superior vel iudex ex ista inquisitione generali non possit procedere ad inquisitionem specialem, eorum quæ non viderit laborare infamia, qua parte nempe erga occulta potest quidem dici inutilis, erga ea verò quæ occulta non sunt, est vtilissima, & necessaria, cum homines parum curent hæc accusare. Vnde hic est potissimus huiusmodi inquisitionis generalis finis, vt quæ subditi tenentur aliàs vel ex charitate, vel ex iustitia legali, superioribus denūtiare, vt purgetur Respublica à sceleratis, ipsi verò ex ignorantia vel obliuione, aut parum timentes Deum, non faciunt, propositis huiusmodi visitationibus, & inquisitionibus curent facere. Videamus iam de inquisitionibus omnino speciali.

CONTROVERSIA VI.

AN INQVISITIONEM OMNINO specialem debeat præcedere infamia, vel clamorosa insinuatio?

Conclusio est affirmans; in qua conueniunt omnes Doctores, tàm Theologi, quàm Iurisperiti, & habetur expressè ca. Cum oporteat, cap. Inquisitionis ca. Qualiter, & quando, el secundo, De accusat. &c. Cum Heli. De simonia. probantque illud Pontifice primò ex illo Genes. 18. [Clamor Sodomorum] (id est infamia delicti) [Multiplicatus est, & descendi vt videam (id est, ad inquirendum) vbi attendant iudices, & superiores Deum descendere, vt videat, & inquirat præcedente clamore, & infamia Sodomorum. Luc. 16. Præmittit Christus illum villicum diffamatum esse apud dominum, quod dissipasset bona illius, & illa infamia præcedente inquiritur, & interrogatur: [Quid hoc est quod audio de te?] &c. Et confirmatur ratione: Iudex contra neminem potest procedere ad condemnationem, sine aliquo accusatore formali, vel virtuali, quando vitur via inquisitionis nullus est accusator formalis, quia iam non esset via inquisitionis, sed accusationis, ergo debet tunc esse virtualis: virtualis autem accusator nullus alius esse potest, nisi infamia vel clamorosa insinuatio, ergo ad inquisitionem omnino specialem non potest iudex procedere, nisi præcedente infamia, vel clamorosa insinuatione.

Non addo hic indicia, vt solent Soto, Caietan. & alii Thelogi, sed solum infamiam aut clamorosam insinuationem, vt optimè obseruauit D. Nauarrus. Inter verba conclus. 6. nume. 116. Vbi obseruandum est Caiet. hic. & Alciatum in cap. 1. De officio ordina. nume. 42. Et Soto de teg. secr. memb. 2. quæst. 9. existimasse, indicia eandem habere vim ad inquirendum, quam habet infamia. Primò, quia D. Tho. docet hic, vt iudex iustè possit interrogare reum, sufficere vnum è tribus, vel infamiam, vel indicia, vel semiplenam probationem. Secundò, quoniam Innocentius IIII. Abbas, Antonius de But. Aretinus, & alij grauissimi Iurisperiti in illud ca. Cum oporteat, De accus. docent indicia propter quę populus vehementer suspicatur aliquem deliquisse, sufficere ad specialiter inquirendum contra illum, imò toto populo ex grauibus indiciis ita suspicāte, prudentum arbitrio, iudicaretur deesse suo muneri iudex, qui tunc non inquireret. Sed verius multò D. Nauarrus loco citato docet indicia non sufficere ad inquirendum, Indicia enim (vt supra admonuimus) pertinent non ad accusationem, sed ad probationem sicut, & testes, propter quod sicut ex dicto testium datur aliquando tortura, aliquando verò condemnatur reus, sicut docent Bart. & alii in l. finali. ff. de quæstionibus. ita ex indiciis torquetur etiam aliquando reus, & nōnunquam ita sunt vehementia, & irrefragabilia, vt ex illis aliqui iudices ferant sententiam, & condemnent. Quo posito probatur apertè hæc doctrina Nauarri cap. Inquisitionis. §. tertiæ dubitationis. decernitur, non sufficere ad inquirendum specialiter contra aliquem non infamatum, etiam si 2. vel 3. testes iurati omni exceptione maiores asserant se vidisse, hominem illum delictum illud commisisse, quod etiam M. Soto fatetur, sed indicia habent se vt testes, ergo ex solis indiciis vbi non est infamia, nō potest procedi ad inquisitionem omnino specialem, Patet conseq. quia si indicia (vt constat) computantur inter testes, & testes occultati, & iurati, quorum dicto nulla indicia æquantur, non sufficiunt ad inquirendū specialiter sine infamia, multò minus sufficienti sola indicia, vbi nulla est infamia. Vnde in isto cap. Inquisitionis agens Pōtif. de hac inquisitione speciali habet hæc verba: [Nullus est pro crimine, super quo aliqua non laboret infamia, seu clamorosa præcesserit insinuatio puniendus: & subdit. Cum inquisitio fieri solummodo debeat super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.] Simile habetur in illo cap. Qualiter & quando. Vbi apertè Pontifices infamiam esse omnino necessariam ad specialem inquisitionem volunt, quicquid sit de indiciis vel testibus. Ad locum D. Thom. dico D. Thom. cum in hoc art. quærat in vniuersum, quando iudex iustè interrogat, vt reus teneatur respondere, non distinguens in particulari de istis vijs, quibus iudices procedunt, optimè docere aliquod ex illis tribus sufficere, quædam ad vnam viam, alia ad aliā, Ad viam accusationis sufficere semiplenam probationem, vel indicia, ad inquisitionem verò specialem, infamiam vel clamorosam insinuationē. Errаruntque (quod pace eorum dixerim) Soto & Caietan. ista promiscuè accipientes, nec distinguentes, & suis propriis viis singula accommodātes sicut oportebat. Ad secundum respond. Debere iudicem in eo casu procedere ad inquisitionē specialem, non propter indicia, quæ (vt constat) habent se vt testes, sed propter vehementem illam, & communem populi suspicionem, ex illis grauibus indiciis exortam, quia talis suspicio habet se tunc velut clamorosa insinuatio, si publicè per ora hominum feratur. In quo desideratur maximè prudentia iudicis, vt attendat quanta sit illa suspicio, quam publica, de qua persona, & de quo delicto.

CONTROVERSIA VII.

AN AD INQVISITIONEM partim generalem, partim verò specialem debeat præcedere infamia, seu clamorosa insinuatio.

HÆC inquisitio mixta (vt diximus) duplex est. Nam aut in ea exprimitur persona in particulari, crimen verò in generali, aut contra:

In priori conueniunt DD. non posse ita inquiri, quin præcedat infamia, ageretque iniquè iudex, qui de Petro nulla infamia laborante inquireret, quæ scelera committat. Primò, quia vbi nulla est infamia, non licet specialiter inquirere, huiusmodi autem inquisitio de Petro, licèt quo ad crimina sit generalis, quo ad personam tamē specialis est, & consequenter cum Petrus nulla infamia laboret, iniqua. Secundò, quia omnium prudētum iudicio, iudex sic inquirens de Petro nulla infamia laborante, maximam illi inferret iniuriam, instéque Petrus quæreretur. Tertiò, esset offerre maximam occasionem, vt aliquis sic interrogatus manifestaret occulta, quæ deberet silere. Quarto, Ex reg. iuris: [Vnusquisque præsumendus est bonus, quamdiu non probatur malus, nec iuridicè existimatur talis.] Petrus autem qui nulla laborat infamia, nec probatur malus, nec debet iuridicè talis existimari, imò esset iudicium temerarium, aliter de ipso sentire, vnde à iudice iudicandus est bonus. De illo verò quem debemus iudicare bonum, quærere an sit malus, & sceleratus, est contra præceptum diuinum. Prou. 24. [Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. Imò reqnies totius Reipub. vastaretur, si ita liceret iudicibus inquirere. Est etiam cōtra ius naturale, Quod tibi non vis. Quinis enim prudenter, & iustè vult, cum nulla infamia laboret, nil tale de ipso inquiri.

De secundo modo inquirendi, quando scilicet, crimen publicum est, & notorium, auctor verò illius omnino occultus, nec aliqua laborans infamia, non conueniunt inter se DD. imò in hac parte consistit tota difficultas huius disputationis de inquisitione.

Liceat ne inuento cadauere in platea, interrogare viciniam, & ibi occurrentes, qui illum hominem occiderit? cum occisor sit omnino occultus, neque aliqua sit de auctore illius delicti infamia.

Innoc. IIII. in cap. Bonæ. De electio. quem ibi sequuntur Panor. colum. 4. colum. 5. Bartol. l. a. §. ff. ad legem Iuliam. De adulter. num. 17. & apertius l. fin. De quæst. & ibidem Alexan. Glos. in can. Quidam maligni. 5. quæst. 1. & in cap. Qualiter & quando, de Accusa. el secondo. Nauar. inter verba concl. 6. num. 121. & 124. & variis locis eiusdem libelli docent, iudicem iustè posse, imò, & debere inuento cadauere, & quotiescunque crimen publicum est, & notorium, iuridicè inquirere à vicinia, & circumstantibus, quis illud commiserit, & cum iudex tunc iustè ac iuridicè interroget, debere interrogatum explicare illi veritatem, maximè si sub iuramento interrogetur. Adduntiamen hi DD. quantum ex ipsis colligi potest, non solum id licere in inquisitionibus criminalibus apud iudices sæculares, verū etiam apud Ecclesiasticos, & religiosos, quando crimen graue est, vt furtum, vel homicidium, in alijs verò criminibus non esse prodendum occultum delinquentem, etsi crimen sit notorium. Dico ex ipsis colligi, quia omnes isti reprehendunt Ioan. And. quia licèt ipsis subscribat, similiter tamen loquitur de clericis, & religiosis, ac de sæcularibus in omni genere criminis.

Probatur hæc sententia à suis auctoribus innumeris ferè argumentis, quorum potiora sunt hæc. Primò consuetudine vniuersali totius orbis Christiani, quam testantur Innoc. IIII. in illo cap. Bonæ memoriæ. Verbo Testes. Nauarr. loco cit. nu. 125. & experientia ipsa, vbique enim videmus omnes iudices, & timoratos, ac prudentes, inuento cadauere, & si nulla sit infamia de auctore illius homicidij, inquirere. Quo posito, sic argumentantur. Sententia opposita (vt videbimus) non nititur nisi iuri humano positiuo, non enim est de iure diuino, ne fiat inquisitio nisi præcedente infamia, neque vllus est locus Sacræ Scripturæ qui id habeat, nam illa duo Gene. 18. Clamor Sodomorum &c. & Luc. 29. de villico iniquitatis, tantum referunt factum diuinum consonum rectæ rationi, non tamen præscribunt præceptum. Neque est de iure naturali, cum ius naturale in nullo casu possit variari, & in multis (vt videbimus, potest, & debet iudex procedere ad inquisitionem specialem sine infamia delinquentis, Imò auctores oppositæ sententiæ vt Soto de tegen. secr. membr. 2. q. 5. post prim. concl. dub. 1. & alii fatentur esse quidem hoc maximè conforme iuri naturali, & rectæ rationi, non tamen esse de iure naturali, aut diuino, sed solum humano positiuo, sicut impedire matrimonium inter propinquos est maximè consonum iuri naturali, & diuino, non tamen est de iure naturali aut diuino, sed tantum de humano positiuo. Nunc sic: ius humanum positiuum cōtraria cōsuetudine legitimè præscripta potest abrogari, c. vltimo de consuetudine, & l. Venditote, §. si constar ff. Communia prædiorum: quod non fiat inquisitio nisi præcedente infamia, est de iure humano positiuo: consuetudo autem omnium iudicum etiam prudentum, & timoratorū est, quando crimen est notorium licèt auctor sit occultus, inquirere, ergo licèt cis.

Secundò, si cadauere occisi hominis in platea iacente, iudices sistant, & nil omnino faciant, offertur, & meritò magnum scandalum populo, & omnes tàm prudentes quàm simplices conquærūtur de iudicibus, vt negligentibus in suo munere, & prædicatores è suggestu arguunt tales iudices, tanquā viam offerentes sceleratis ad liberius nocendum, cum videant homicidia, & scelera notoria. & publica non solum manere impunita, verū etiam nec de illis inquiri, quę certè sunt grauissima damna.

Tertiò, can. Quidam maligni, 5. quæstio. 1. Præcepit D. Grego. sub excommunicationis pœna occulto auctori cuiusdam libelli infamatorii, vt se ipsum proderet, ad probanda crimina, quæ libellus ille continebat, aut ad restituendam famam, & subeundam pœnitentiam, in quo casu crimen erat notorium nempè libellus ille, auctor verò erat occultus, & inquirebat Diuus Gregor. suo præcepto, & censura: ergo licebit simile iudicibus.

Quartò, ob bonum publicum (quod non negant Soto, & auctores oppositæ sententiæ) licet procedere per specialem inquisitionem cōtra aliquos delinquentes, etiam si nulla sit infamia, vt cōtra proditurem ciuitatis, falsariū monetæ, & alios quos infra referemus: at pertinet quoq; maximè ad bonum publicum, vt inuento cadauere requiratur homicida, inuento furto aut sacrilegio quæratur latro, alioquin crimina manerent impunita, & scelerati liberius nocerent, quod cedit maximè in damnum commune, ergo ob hanc saltim causam licebit in his delictis notoriis procedere, & inquirere.

Quintò, infamia ex omnium consensu requiritur tanquam accusator, quia sine accusatore non potest procedi, sed in huiusmodi criminibus publicis, & notoriis euidentia delicti est plusquam accusator, dicente. D. August. cap. Euidentia de accusa-

accusatio. [Euidentia patrati criminis clamore accusatoris non indiget, ergo.

Sextò, lege 1. §. occisorum, ff. ad Syllan. Si dominus habens domi seruos emptitios inueniatur occisus, debet inquirere iudex specialiter contra illos seruos, etiam si nulla laborent infamia l. Quoties, Cod. de naufrag. si nauis patiatur naufragiũ, licet iudici inquirere contra nautas de illo damno, etiam si nulla laborent infamia, cur ergo non licebit similiter in aliis delictis notoriis.

Septimò cap. Bonæ memoriæ. el primero, de electione habetur. [Excessus notorius communi ordine iuris non indiget, & cap. ad nostram el terzo de iureiurando, Manifesta delicta accusatione nõ indigent, nec in eis est ordo iudiciarius obseruandus:] Simile habetur l. ea quidem. C. de accusat. ergo in his non requiritur infamia, vt inquirat Iudex, hoc enim significatur cum dicitur, non requiri ordinem iudiciarium.

Octauò, fatentur auctores oppositæ sententiæ, posse Rempub. si videret abundare criminosos, & ita expediret, statuere, vt duorum vel trium testium dictum valeret pro accusatore, simul, & probatione, etiam si nulla esset infamia, quod concedit Soto memb. 2. quæst. 6. dubio 2. post primam conclusionem, & Bart. ac alij iuristæ, vt refert Azpilq. inter verba. loco cit. posset ergo statuere eadem Resp. vt in manifestis sine vlla alia infamia procedatur ad inquisitionem specialem, sufficiatque euidentia delicti pro infamia, & accusatore: sed non minus valet communis totius orbis consuetudo, quàm quæuis statuta, & mandata Principum, Ergo cum hoc obseruent omnes iudices, vt quando crimen est notorium, & publicum, inquirant, & interrogent, derogauit illam legem quæ statuit non esse inquirendum nisi præcedente infamia, hæc consuetudo totius orbis, cum non sit lex illa diuina, vel naturalis, sed humana, sicut derogassent illam statuta Reipub. si Resp. ita statuisset.

Denique D. Thom. vt referunt Sylu. verbo correptio §. 8. & Caiet. hic, interrogatus de quodam furto, in capitulo generali sui ordinis celebrato Parisiis, an posset superior illius auctorem inquirere, cum esset publicum, & notorium, Respondit affirmatiuè, licere.

Oppositum docent Palud. in 4. dist. 19. Adrian. quodlib. 11. Caiet. hic Soto de tegen. sect. memb. 2. q. 6. dub. 4. post secundam concl. & lib. 5. de iust. q. 6. art. 2. & idem Nauar. inter verba num. 185. ac plerique ex recentioribus Thomistis, asserentes nullo modo licere iudicibus procedere ad Inquisitionem specialem delicti, quantumuis publici, nisi sit etiam infamia delinquentis.

Probant primò. Iudex vt iuridicè procedat debet necessariò seruare ordinem iuris, in iure autẽ præcipitur, vt non procedatur ad inquisitionem per solam infamiam delicti, quin sit delinquens etiam infamatus, ergo. Maior patet, Quia agit, vt persona publica, & custos iustitiæ, & iden debet seruare ordinem iuris, cui habet suam auctoritatem alligatam. Minor probatur c. cum oporteat: de accus. vbi propositis, quibusdam delictis manifestis, subiungitur. Nisi super prędictis famam ipsius (scilicet) delinquentis læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem non subito procedatis. c. Inquisitionis, habentur expressè verba illa quæ retulimus. Nullus est pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa præcesserit insinuatio, puniendus. Et subiungitur. Cum inquisitio fieri solum modò debeat super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt, & cap. Qualiter, & quando el 2. habetur, Si super excessibus suis quis fuerit infamatus, tunc procedendum est ad inquisitionem. Ex quibus omnibus patet, in iure hunc ordinem iudici præscribi, vt non inquirat, nisi existat infamia delinquentis.

Secundò in illis locis sacræ scripturæ supra adductis, nõ solum infamiam delicti, verum etiam, & personæ videmus præcedere. Gen. 18. Clamor inquit Sodomorum. En personas, & Luc. 16. villicus ipse legitur diffamatus.

Tertiò licet crimen sit publicum, quando tamẽ persona occulta est, iudicium circa personam, & authorem est temerarium, contra illud Christi Matth. 5. Nolite iudicare & non iudicabimini, Quod autem non licet iudicare, nõ licet inquirere, ergo vbi persona occulta est, etsi crimen sit manifestum, non licet inquirere. Quod si dixeris, non licet in isto casu iudicare de persona aliqua in particulari, & ita neque inquirere in particulari, an Petrus vel Ioannes illum occiderit? attamen sicut licet inuento cadauere iudicare in genere, aliquis hunc occidit, ita licet inquirere in genere quis illum occiderit. Contra inquit Soto. Cum iste (quãuis sic interrogatus) debeat nihilominus respondere, in particulari, quis illum occiderit, indicando personam homicidæ: perinde se habet illa interrogatio in genere, ac si fieret in particulari.

Quartò si iudex interrogare posset iuridicè in hoc casu, cum interrogatus iuridicè, teneatur respondere (quod etiam fatentur Authores prioris opinionis) posset accidere, vt incidenter interrogaretur ipsemet reus, & teneretur in crimine occulto, de quo nec infamatus est, nec ab aliquo accusatur, se ipsum prodere, quod est maximum absurdum, Similiter teneretur alius qui illud secreto vidisset, reuelare & manifestare occultũ, quod etiam est absurdum.

Quintò in illo cap. Inquisitionis præcipitur, Vt etiam si iudex habeat tres, vel quatuor testes, iurantes se crimen illud vidisse, nisi delinquens laboret infamia, non possit procedere ad inquisitionem delinquentis: Ergo multò minus poterit ex sola euidentia delicti, vbi nulla est infamia delinquentis, neque vllus adhuc qui illud testetur, & manifestet delinquentem.

Sexto iudex nõ potest inquirere nisi ea, de quibus potest iudicare, De occultis autem nõ potest ipse iudicare, can. illo Deos omnipotens, can. Cõculuisti. 2. q. 5. can. Erubescant dist. 32. ergo neque inquirere: Sed in hoc casu licèt crimen sit manifestum, delinquens tamen est omnino occultus in ordine ad iudicium, cum nulla laboret infamia, ergo nec potest de eo iudicare, nec inquirere.

Septimò, si in hoc casu liceret iudicibus inquirere, & interrogare, offerrent interrogatis maximam, & vrgentem occasionem reuelandi peccatores occultos, quod est contra ius naturæ, & committerent tales testes innumera peccata in damnum suorum fratrum occasione oblata à iudicibus.

Denique licet communiter sit vtile Reip. vt delicta puniantur, non tamen occulta, & quorũ nulla est infamia, imò magis nocet Reip. crimina occulta reuelari: Nam quòd occulta maneant impunita nullum est damnum Reip. cum occurratur satis audacię sceleratorũ, punitis criminibus, quorum authores laborãt infamia: manifestando aũt crimina occulta, & delinquẽtes occultos amittũt ciues suum honorẽ, & famã, quæ sunt magna bona Reipub. & inquietatur Resp. ex scandalo quod

offertur detegendo delicta eorum, qui benè audiebant, ad perpetranda similia. Vnde can. Presbyter. 2. quæst. 5. dicitur. Ne sine infamia cōtra aliquem clericum procedatur, ne populus scandalū patiatur. Et can. Si à plebe. Eodem loco præcipitur, idem, Ne infirmorū corda de mala fama percutiantur. Qui canones etsi loquantur peculiariter de clericis, ad omnes fideles pertinent, nam in quirendo delinquentem vbi nulla est infamia, forsan manifestabitur talis delinquens, qui ita benè audiebat, vt eo manifestato infirmorū corda percutiantur, & scandalum alijs offeratur.

Quod si quæras ab authoribus huius opinionis quid ergo faciet iudex, quādo accidunt furta, homicidia, & similia delicta publicè, & manifestè? Debet ne nisi aliqua sit infamia authoris silere? quiescere domi? nil omnino agere? esset maximo scandalo toti populo tanta negligentia. Responspondent nō debere inquirere quis illud fecerit, sed circumstantias, & indicia, qua hora sit ille occisus? quib. armis? cum quibus fuerit ille occisus rixatus, & similia, & si hæc indicia generent prudentem, & grauem suspicionem apud omnes qui illud factum norunt, de aliquo in particulari, tūc orta iam ex illis indicijs illa graui, & communi suspicione, quæ erit veluti quædā infamia illius particularis, esse contra illum per specialem inquisitionem procedendum.

Sylu. correctio. §. 8. & inquisitio cap. 1. quæst. 3. nume. 3. incedit media quadam via inter has opiniones, Prima enim vult iudicem iustè inquirere, & interrogatum debere respondere, etiam si nulla sit infamia: in qua opinione iuxta Sylu. benè asseritur, vt iudex inquirat, quia aliter iustè populus scandalizatur, & iudex reuera non exequitur suum munus nil agendo: malè autem asseritur, interrogatum debere prodere occultum delinquentem cum hoc omnia iura negent.

Secunda opinio vult nec iudicem posse inquirere, nec interrogatum respondere: in qua etiam benè asseritur interrogatum respondere: in qua etiam benè asseritur interrogatum non posse manifestare delinquentem nulla laborantem infamia, cum iure naturæ occulta reuelare non liceat, malè autem asseritur vt iudex non inquirat ob rationem dictam. Vnde colligendo ex vtraque opinione quod benè asseritur, vult Sylu. in hoc casu de quo quærimus superiorem posse, & debere inquirere in genere, quis illud fecerit, vt sic satisfaciat suo muneri quod est inquirere, & tollere delinquentes, & vitet scandalum populi, & innotescat author criminis si forsan laborat infamia, interrogatum autem de crimine publico cuius author non laboret infamia non posse respondere, & sic seruabit ius naturæ quo tenemur celare occulta.

In hac quæstione adeò graui proponā prius ea, in quibus omnes Doctores conueniunt, deinde nonnulla fundamenta, vt colligamus quid tenendum sit.

Primum igitur conueniunt omnes, in delictis quæ sunt in damnum publicum, debere iudicem inquirere, etiam si author sit occultus, & nulla laboret infamia, siue damnum illud sit iam commissum, siue adhuc in fieri, & interrogatum teneri ad respondendum: quis in his ipsamet. Resp. est accusator, & pars læsa, & tacens censetur clamare. Est enim proprium his, qui in iure vocantur minores, quales sunt pupilli, & quæuis communitas, vt quando læduntur etiam si taceant, clament & accusent, propter quod incumbit iudicib. ex officio tales tueri, ac vindicare ab omni iniuria, perinde ac si clamarent, & inquirere læsores eorum perinde ac si esset pars læsa, quæ accusaret: interrogatum verò teneri ad respondendum constat ex dictis, cum in his criminibus debeat quis ex iustitia legali accusare, vel saltim denunciare, etiam si nulla fieret inquisitio, quantò magis quando illa fit. Similiter quando delicta sunt in damnum particulare quod adhuc est in fieri, debet iudex in quirere, & qui nouit interrogatus respondere, etiam si nulla sit infamia, cum potior sit ratio patientis iniuriam, quàm inferentis: Teneturque iudex damnis imminentibus obuiare quantum potest ex iustitia, & quiuis priuatus ex charitate, adeò vt etiam si nulla fieret inquisitio, deberet ea denunciare, quādo aliter illa prohibere non posset, vt docet copiosè Inno. IIII. in cap. 1. de postul. prælat.

Ex hoc fundamento colliguntur varii casus, in quibus iudex sine ulla pręcedente infamia potest, & tenetur inquirere, & interrogatus respondere, quos afferunt Bartol. in illa. l. 2. §. Si in publico. ff. ad l. Iulia. De adulterijs. Et Soto de tegen. secret. memb. 2. q. 6.

Primò in crimine hæresis, vt si libelli continentes hæreses publicè seminarentur, etiam si author illorum esset omnino, occultus, vt habetur cap. finali, de hæreticis, lib. 6.

Secundò quando committitur crimen læsæ maiestatis, vt conspiratio in principem, traditio ciuitatis, falsificatio monetę, &c. Ita habetur in extrauaganti. Ad reprimendum. De hæreticis, quæ habetur in iure ciuili in fine. Volumus.

Tertiò quando inquiruntur merita ad aliquod officium vel beneficium, quia pertinet ad bonum commune, vt non conferantur ista indignis.

Quarto quando frequentantur furta, homicidia, vel latrocinia, hæc enim apertè sunt in damnum commune, & tenentur iudices prohibere, & quicunque nouit denunciare, quantò magis inter rogatus iudicare.

Quintò si crimen committatur in conspectu iudicis, & aliorum circumstantium, quia tale crimē eo ipso quo committitur in præsentia iudicis, & aliquorum est publicum, & notorium in iure, habetque tunc præsentia iudicis vicem accusatoris.

Sextò quando crimen deprehenditur in discursu processus, vt falsa, & calumniosa accusatio, vel defensio, falsum testimonium testis in his non est opus alia infamia ad inquirendum contra tales, quia sicut processus iuridicus est actus publicus, cognitio quæ ex illo habetur publica, ita crimen quod in ipso processu committi deprehenditur, iure censetur publicum, & notorium. Quin etiam est tale crimen in damnum publicum, velut perturbans debitum ordinem iustitiæ, & in particulare partium, vt optimè, Soto de tegen. secret. membr. 2. quæst. 1. Azpilqueta Inter verba. numero 40r.

Septimò quando iniquus tutor dilapidat bona pupilli, quia cum sit minor de suis iniuriis, vel tacens proclamat. l. Tutorem. ff. de his quibus vt indignis.

Octauò quando quis in iudicio vel extra iudicium confessus est suum crimen coram multis, nō per fraudem, aut vim iniquam, & tormenta, sed libere vel incidenter, sic enim intelligendum est c. 1. De accusatio. lib. 6. vbi Bonifacius VIII. docet contra incidenter, & liberè confessum proprium crimen, posse iudicem procedere ad inquisitionē, procedit enim in hoc casu iudex reuera præcedēre

te infamia, quia quod ipse reus coram multis confessus est, eo ipso est multis notorium, & manifestum.

Nonò, quando iudex inquirens de vno crimine cuius auctor laborat infamia, incidenter deprahendit, aliud de quo similiter reus ille infamatus est.

Dixi, de quo similiter reus infamatus est, quia D. Nauar. loco cit. num. 197. & 676. (quem nonnulli Theologi sequūtur) absolutè, & simpliciter vult posse iudicem inquirere de crimine incidenter, & quacunque ratione sibi reuelato, vt cū quis interrogatus, an Petrus commiserit homicidiū, de quo infamatus est? si incidenter dicat, Petrum furtum etiam commisisse, posse iudicem iuridicè quoque tunc quærere de illo furto, & testem teneri ad respondendum. Probatur primo, quia cum primum deprehenditur à iudice, est notorium in iure, & æquiualet.

Secundò. l. Quod euitando. C. de cond. ob turp. cau. & l. penul. ff. si aduersus libert. dicitur apertè, crimen incidenter detectum in causa ciuili, & pecuniaria, posse inquiri, & puniri, ergo à fortiori quod incidenter reuelabitur in causa criminali.

Tertiò quod præcedat infamia vel accusatio non est de iure naturæ, sed humano, sed in hoc casu ius humanum nil istorum exigit, vt docent omnes Iuristæ, quibus in hac parte vt peritis in sua arte standum est, docent enim in cap. 2. de cōfess. & in cap. 2. de ordin. cognit. crimen coniunctum cum priori, ab eo quod non est coniunctū, sed extraneum, ita differre, vt prius illud sine noua litis inchoatione puniatur, extraneū verò puniatur quidem, sed cum noua litis inchoatione, vnde incidenter detectum potest cum noua litis inchoatione inquiri, & puniri.

Quartò etiam si à iure humano esset debere in hoc casu præcedere accusationem, vel infamiam, habet oppositum consuetudo iudicum, quæ sufficit ad derogandum ius humanum. l. Venditor. §. si constat. ff. communia prædio.

Vltimò infamia exigitur vice accusatoris, quod autem coram iudice detectum est, etsi incidēter, non indigeat alio accusatore, quàm notitia illa quam iam habet iudex, sicut quod committitur in præsentia iudicis, non indiget alio accusatore, quā ipsius præsentia.

Soto loc. cit. memb. 2. quæst. 1. docet ita distinguendū esse in isto casu, vt vel crimen istud quod incidenter reuelatur, sit annexum alteri de quo delinquens iam infamatus est, vel non si quidem sit annexum illi de quo iam infamatus est, veluti circumstantia ipsius, vt si inquirendo de infamato cum concubina, deprehendatur esse monialis, vel ad eam alendam furari, tunc possit iudex de isto occulto ita deprehēso inquirere, quia cum sit annexum, reuelatum in inquisitione iusta, censetur in iure notorium. Si verò annexum non sit, aut deprehendit illud solus iudex, aut simul, & alij conscientes processum, & inquirentes de priori, si iudex vna cum alijs, possit de illo inquirere, quia quod à multis in iudicio deprehensum est, in iure censetur notorium: quod si à solo iudice, non possit tunc de illo ita secreto deprehenso inquirere.

Probatur, Iudex non potest vti speciali omnino inquisitione, quin præcedat accusator, vel infamia: inquirere an hic infamatus de concubinatu sit blasphemus, est inquisitio, specialis cum exprimuntur in particulari, & persona, & crimen, nullus autem est qui accuset ipsum de tali crimine, nulla etiam infamia cum sit occultum, & solus iudex (vt supponimus) deprehenderit, ergo.

Secundò, fatetur D. Nauar. loco cit. num. 164. Confessionem factam coram solo iudice, vel crimen perpetratum coram solo iudice nisi adsint aliqui testes, non sufficere ad procedendum per specialem inquisitionem: ergo multò minus, quādo solus iudex deprehendit, nec alijs hoc innotescit iuridicè, nisi iam ipse iudex sua malicia velit illud occultum quod solus deprehendit alijs reuelare quod est iniquum, & illicitum.

Vltimò, quando iudex vtitur inquisitione generali, & subditus interrogatus reuelat iudici delictum alicuius laborantis infamia, tenetur procedere tunc ad inquisitionem specialem, quia iam existit infamia, quod si manifestet iniquè crimen de quo Petrus nō laborat infamia, iudicē per vim illud extorquere, conueniunt omnes, non posse procedere, ex dicto illius ad specialem inquisitionem, quia exigitur necessariò infamia vel accusator: in hoc casu non est infamia (vt supponimus) neque accusator, quia incidenter reuelatur ab eo qui solum est testis, non fiscus, vel pars læsa, non ergo potest tunc iudex procedere. Loquimur in delictis quæ non sunt damnum commune, vel particulare imminens, de quibus ibi loquitur Soto. Nam in talibus vt diximus denunciator est accusator, cum teneretur etiam si nulla esset inquisitio accusare.

Nonnulli recentiores mediam in hoc casu tenent, docentes iudicem rectè, & iuridicè interrogare, testem verò non teneri ad respondendum, sicut quando crimen est manifestum, & persona occulta, iudices (vt dicemus) rectè interrogant, & testes non tenentur ad respondendum. Probant, quia sic saluatur consuetudo iudicum, cum dicatur illos posse interrogare, saluatur etiam fama illius, cuius crimen occultum incidenter dictum est. Secundò, quia iudex vidēs illud sibi dici, prudenter præsumit manifestum esse, & interrogat, testis verò sciens occultum, iustè tenuit illud testificari: vnde neque reum in hoc casu potest iudex interrogare, cum illius delicti occulti quamuis incidentur dicti, non sit infamia.

Sed opinio Soti nobis hac in parte probabilior videtur, Vnde ad primum in oppositum dico, falsum esse, incidenter dictum, quod reuera occultū est, notorium esse in iure.

Ad secundum dico, leges illas intelligendas esse de crimine manifesto, cuius est aliqua infamia, aliter essent iniquè.

Ad tertium, & quartum dico requiri quidem accusatorem, vel infamiam iure humano, quod adeò consonum est iuri naturali, & rectæ rationi, vt nulla consuetudo vel intelligentia Iuristarum valeat illud derogare.

Ad vltimum dico, nec præsentiam solius iudicis, nec priuatam notitiam ipsius nisi alij adsint, propter quod delictum illud multis efficiatur notorium, non habere vicem accusatoris.

His ita constitutis vt reuertamur eo vnde digressi sumus.

Obseruemus secundò, in quæstione proposita, hanc inquisitionem, Quis occiderit Petrum? licèt quo ad delictum sit specialis, quantum ad delinquentem verò esse reuera generalem, & tendere in eundem finem: Esse generalem ex eo constat, quia nullus exprimitur delinquens, sed in genere quæritur quis illud commiserit, habere eundem finem patet, quia omnino generalis fit ad puniendos delinquentes laborantes infamia, quos nullus curat denunciare. Et hæc similiter fit ad puniendum

niendũ authorem illius delict. manifesti, quẽ nullus curat indicare iudici, etiam si sit infamia, nisi ipse iudex de illo inquirat.

Secundò sicut fit generalis ex officio etsi nullus sit accusator, vel infamia, bono communi ita exigente, ita quoque cadauere inuento, ex officio solent procedere iudices, etiam si nullus proclamet, ob bonum commune, ne vitia maneant impunita, ne scelerati videntes iudices non inquirere reddantur audaciores.

Obseruemus tertiò, occulta, & secreta quæ non sunt in damnum alterius, nullomodo esse reuelanda iudici, iure naturæ, quo vnusquisque rationabiliter, & prudenter velet, sua delicta quæ nulli iam nocent, celari. Ita habetur cap. Cum dilecti. De accusatio. cap. Si sacerdos. De officio Ordinarij Can. Si tantum Episcopus. 6. q. 2. Et est ratio efficacissima qua sæpè vsi sumus. Quia iudici illa tantum delicta possumus manifestare, quæ ipse potest iudicare, occulta verò quæ nulla infamia laborant, non potest ipse iudicare, vt constat ex textib. adductis in argumento sexto pro opinione Soti: vnde nec licet talia, & reuelare, & manifestare.

Ex his colligo opinionem Syluest. in hac parte veriorem, esse, Vt iudex in huiusmodi criminibus inquirat, nulla vtens vi, fraude, vel minis, sed simpliciter, solo adhibito iuramento interrogans sibi subditos, interrogatus, verò, si viderit authorem illius delicti laborare infamia talis delicti, respondeat verè quæ nouit, si verò omnino esse occultum, nec aliqua laborare infamia taceat, & occultet veritatem eo modo quo inferius dicemus illam occultari posse à reo, vel teste.

Prius illud iudicem in hoc casu debere inquirere ostendunt optimè argumenta primæ opinionis. Et confirmatur: Quia licèt non omnia delicta sint à iudicibus humanis punienda, sed multa seruentur diuino iudicio, vt docent authores secundæ opinionis. Et D. Anacletus Can. Si omnia 6. quæst. 2. tenentur nihilominus iudices ex officiu, quæ laborant infamia, & notoria sunt, quantum possunt seruato ordine iuris, punire: vt habetur cap. Romana. §. Notoria. de censibus lib. 6. cap. Cum sit. §. fina. De appell. cap. Vestra De cohabitatione clericorum, &c. & l. Eadem, Cod. De accusatio, sed commisso crimine notorio, an author eius laboret infamia, & sit iustum contra illum procedere per specialem inquisitionem non potest constare iudici, nisi vtatur inquisitione illa generali, quis illud commiserit? ergo debet illa vti, & inquirere, vt si per eam inueniatur aliquis laborare infamia illius delicti, inquirat de illo specialiter, & confessum vel iuridicè conuinctum puniat.

Secundò, non minorem vim habet in ciuitate vel loco euidentia delicti notorij, quàm fama confusa, & rumor confusus delictorum alicuius loci, sed si sit fama vel rumor, aliqua esse delicta in aliquo loco, tenentur iudices, vti inquisitione generali, ad inueniendos delinqentes laborantes infamia, & inquirendum de illis specialiter, cur ergo non licebit eadem ratione iudici, vbi crimen est notorium, inquirere eo modo quo dicimus in genere? vt si ea ratione inueniatur aliquis de illo crimine infamatus, procedatur contra eum per inquisitionem specialem.

Denique quamuis præcepta iudicialia antiquæ legis, proposita à Deo iudicibus illius Populi, illam cessauerint, nihilominus indicant quę sunt rationi consona. Erat autem præceptum iudicibus Deut. 21. vt si in agro vel via inueniretur cadauer huominis occisi, iudices obseruarent cui oppido vel ciuitati locus, vbi cadauer inueniebantur esset vicinior, & maiores natu illius oppidi vel ciuitatis inquirerent, ac punirent reum, si apud eos inueniretur, sin minus exeuntes in agrum, oblato quodam sacrificio testarentur, se mundos esse à sanguine illius occisi. Vbi vides apertè, quomodo iudices deberent inquirere etiam si nulla esset infamia delinquentis, sed solo inuento notorio delicto.

Alteram partem, interrogatum debere occultare delinquẽtem, quem viderit non laborare infamia, prodere verò illum, quem viderit iam infamatum ostendunt argumenta secundæ opinionis: Ac vt magis confirmetur. Obseruemus, illis duobus quæ desiderantur in via accusationis, vt à iudice interrogatus teneatur respondere, nempe accusator, & semiplena probatio vel indicia, respondere, in via inquisitionis alia duo, hac ratione vt infamia seu euidentia delicti respondeat accusatori, & infamia verò delinquentis respondeat semiplenæ probationi, vel indicijs Quo posito, sic argumentor: Via accusationis, cum in ea sit pars lęsa indicans delinquentem in indiuiduo, & proclamans contra eum, rigidior est, & magis obligans ram iudicem ad inquirendum quam testem ad respondendum, quam via inquisitionis, in qua nulla est pars læsa proclamans, sed in via accusationis non sufficit dictum accusatoris, vt interrogatus teneatur respondere, nisi sit semiplena probatio vel indicia manifesta: ergo neque via inquisitionis, vt interrogatus teneatur respondere sufficit infamia delicti quę est velut accusator, nisi existat etiam infamia delinquentis, quæ sit velut semiplena probatio.

Secundò, cum hæc inquisitio mixta, etsi ex parte delicti sit specialis, ex parte tamen delinquentis sit generalis, seruandum est in ea ex hac parte, & quo ad delinquentem quod in generali, sed in generali nõ potest manifestari delinquens occultus nulla laborans infamia: ergo neque in hac mixta.

Tertiò in mixta in qua est infamia delictorum in genere, & delinquentis in particulari, vt quando Petrus in generali malè audit estque rumor ipsum scelestum esse, nec in particulari exprimuntur delicta ipsius si interroget iudex, quæ delicta habeat Petrus? non potest interrogatus prodere delicta occulta ipsius, quorum nulla adhuc est infamia in particulari, ergo similiter ecõuerso quando delictum est notorium, & delinquẽs occultus, non licet illum prodere iudici inquirenti, nisi laboret infamia.

Nunc ad argumenta vtriusque opinionis qua parte vnaquæq; illarum à nostra dissidet. Primum ad argumenta primæ opinionis. Primum, quod sumitur à consuetudine vniuersali totius orbis, & Secundum ex scandalo populi, nisi iudices inquirant, confirmant priorẽ partem nostræ sententiæ.

Ad tertium, ex illo Can. Quidam maligni, Glosa in illud c. ait, excommunicari ibi auctorẽ illius libelli, nisi se proderet, propter atrocitatem criminis, sed hoc ex dictis constat, quam falsum sit, & contra ius naturæ. Caiet. verò ait: illum fuisse excommunicatum sub conditione, nisi se ipsum prodat, non ita, vt excommunicatio illa caderet supra cõditionem, nisi se proderet: quia nemo tenetur, se ipsum prodere, cum excedant occulta formam iudicij humani, sed supra peccatum commissum, quia infamauit fratrem: sentit .n. Caiet. licere excommunicare pro peccato præterito: sicut D. Pau. excommunicauit quendam corinthium, ob fornicationem cõmissam, Additque, D. Greg. benignè

egisse

egisse cum illo delinquente, offerendo ei optionem, vt aut se proderet si vellet, vel ad probanda delicta libelli aut subeundam pœnitentiam, vel esset excommunicatus. Hæc tamen solutio Caiet. ab omnibus impugnatur, nequit enim aliquis excommunicari pro peccato præterito: Primò, quia excommunicatio non fertur nisi in rebellem, & inobedientem. Matth. 16. Si Ecclesiam non audierit, &c. Can. Si Episcopus 11. q. 3. in obedientia autem non respicit præterita, quæ iam non sunt in facultate hominis quin sint facta, sed solum futura, nec D. Pau. excommunicauit illũ Corinthium, quia fornicatus fuerat, sed quia permanebat in suo delicto, nec volebat obedire pœnitendo, vnde quando pœnituit, & obediuit, restituit illum consortio fidelium.

Secundò excommunicationem omnem debet præcedere admonitio, vt diffinitium est cap. Sacro. cap. Per tuas. De sententia excommunicationis, & cap. Constitutionem. De sententia excommunicationis lib. 6. si sit ab homine, admonitio expresaa, & explicita, si à iure, ipsum ius valet pro admonitione, circa præteritum autem non habet locum admonitio.

Vnde respondent Doctor Nauarr. loco cit. nu. 306. Soto de tegen. secre. mem. 2. q. 6. ad 2. & lib. 5. de Iusti. q. 6. artic. 2. in illa cap. tria præcipi, vt vel delicta libelli probaret vel famã restitueret quod non poterat nisi prodendo se ipsum, vel abstineret à S. Eucharistia donec restitueret famã illam. Ad quæ certè tenebatur, ad restituẽdam quidem famam etiam si oporteret se ipsum prodere, quia fama (vt vidimus) licet non sit restituenda cum periculo vitæ, est tamen restituenda cum periculo propriæ famæ: quod si id renuebat, tenebatur abstinere à sacra Eucharistia, cum infamator non restituens famam, quam potest sine periculo vitæ restituere, quamdiu illam non restituit, existit in peccato, existens autem in peccato debeat à sacra communione abstinere: Vnde ferebatur illa excommunicatio nõ pro delicto infamiæ commisso, neque vt se proderet cum esset occultus, sed in sacrilegium quod cõmitteret, si communicaret non restituendo famam meliori modò quo posset. Hæc solutio placet modo omnibus recentioribus, perinde enim se habuit illa excõmunicatio D. Greg. sicut quæ nunc communiter feruntur ab Episcopis contra non restituentes aliena, non enim excõmunicantur peccato præterito furti, quo illa rapuerunt, sed pro peccato in quo perseuerant nolentes ea restituere, cum ad id iure naturæ simpliciter, & citra omnem censuram teneantur.

Quartũm, & quintũ argumentũ probant etiam nostram sententiam, iudicem debere inquirere, Nec valet quod dicit Soto verba illa D. Aug. Euidentia patrati criminis, &c. Intelligenda esse, quando existit etiam euidentia delinquentis, quia D. Aug. apertè, & clarè dicit. Euidentia patrati criminis, nullam faciens mentionem delinquentis, noueratque optimè D. Aug. quantum intersit inter euidentiam delicti, & euidentiam delinquentis. Quo fit, vt si in eo sensu voluisset loqui quem exponit Soto, ipse se exposuisset, & meminisset apertè delinquentis.

Sextum argomẽtom probat contra illos seruos vel nautas specialiter inquirendum esse, quia ex circumstantia facti resultat apertè contra illos suspicio communis, quæ habet vicem infamiæ, & ita potest tunc iudex non solum in genere, sed etiam in specie, de illis inquirere.

Septimum, & octauum probant quoq; nostram sententiam, quin, & vltimum illi plurimum fauet, Neque sunt audiendi qui dicunt D. Thom. tunc ita sensisse, quia erat Bacallaureus, & iunior, fuisseque correctum ab omnibus magistris illius capituli, qui ei restiterunt, propter quod senior, & doctior effectus mutauit sententiam in hoc articulo. Nam non apparet, neque in quæstione. 67. de iudice, neque in hac de reo, neque in futura de teste, vbi D. Tho. neget iudicem quando crimen est notorium, etiam si delinquens sit occultus, posse inquirere. Nec Caiet. quem Soto facit suæ sententiæ tale docet, nam in commento huius articuli quæstiuncula secunda, & opusculo 17. Respon. respon. 5. quibus locis tractat Caiet. ex professo hanc quæstionem, docet quidem reum occultum non teneri se prodere, nec testem interrogatum posse manifestare occultum delinquentem, nunquam tamen negat iudicem posse procedere, quando est infamia delicti. Vnde, vt bene colligitur ex Caiet. in commento huius articuli duo dixit D. Thom. in illo capitulo Parisijs, iudicem debere inquirere, & reum teneri se manifestare, hoc secundum retractauit apertè in hoc articulo, docens, oppositum, nempè reum occultum non teneri ad se prodendum, & circa hanc partem credo restitisse illi magistros illius capituli, circa primam verò, nec Syluest. Caiet. nec alius discipulus D. Thom. præter Soto, & non nullos recentiores oppositum docent.

Nunc ad argumenta ipsius Soto Ad primum respondent aliqui, capita illa ibi citata quæ videntur nostræ sententiæ contraria esse abrogata per contraria consuetudinem omnium iudicum, vel cum sint iura humana sicut recipiunt limitationem, & exceptionem in multis casibus æquitate ipsa, & recta ratione exigente ob bonum publicum, videre est in illis quos proposuimus, ita quoque in hoc casu, ne Resp. abundet delictis, & ne populus scandalizetur, quæ damna, & similia certissimo euenirent, nisi iudex quando crimen est notorium, inquirat, & ideo debere inquirere. Sicut ex iure communi ex solis indicijs nemo debet condemnari, maximè pœna graui. cum in criminalibus, exigantur probationes luce meridiana clariores, l. Absentes. ff. De pœnis, & nihilominus in principatu Cathaloniæ, in grauissimo tribunali regio, ex solis indicijs (vt vocant qualificatis) concurrentibus in vnum damnantur rei pœna capitali quod nonnunquam etiam fit in summo prætorio regio huius nostri regni Valentiæ. Alij multo commodius, & verius respondent, in illis capitibus haberi sermonem de inquisitione omnino speciali, quam constat ex dictis non posse fieri quin præcedat infamia, tam delicti quam delinquentis. In c. n. Cum oporteat, cõmittit Innoc. 3. Archiep. Tarraconensi, vt inquirat an episcopus Vicensis haberet delicta, de quibus accusabatur à suis canonicis: vbi exprimuntur in speciali persona, & delicta. Ca. Inquisitionis agitur de discordia inter episcopum, & Canonicos ecclesiæ Valentinensis in Gallia, in qua delicta erant quoque inquirenda specialiter cum innotescerent personæ, & delicta. In cap. Qualiter, & quando, el secondo, agitur de excessib. quos prælati viderint in subditis, aut contra subditi in prælatis, quomodo sit in eis procedendum, quæ inquisitio specialis omnino quoque est, cum innotescant, & excessus, & persona, & ita merito in istis capitibus dicitur, vt præcedat infamia delinquentis.

Ad secundum, fatentur ipsemet Soto, & alij in illis locis non contineri præceptum aliquod, sed

narrari

narrati tantum quid gestum sit: quod certè communiter iurandum est, ne procedat iudex sine infamia, nisi bonum publicum aliud postulauerit at in casu de quo quærimus certè bonum ipsum commune exigit, vt procedatur ad inquirendum in genere delinquētem, cum sola infamia delicti. Addo quoque loca ista si bene obseruentur inquisitionem continere omnino specialem, Luca. enim 19. inquiritur in speciali de certo delicto, nempè de dissipatione pecuniæ contra illum villicum, Gen. 16. etsi procedatur contra ciuitates illas, attamen cum omnes ciues illarum eiusdem facinoris essent re adeo vt in illis quinque ciuitatibus non reperirentur decem iusti procedere in illo casu contra integrum populum idem fuisse quod procedere contra vnum delinquentem, & ita merito in vtroque loco præmittitur infamia.

Ad tertium negandum est, esse iudicium temerarium inquirere in genere inuento, cadauere, quis illud occiderit, imò prudentem esse interrogationem. Et ad replicam Ma. Soto dico, huic interrogationi in genere si delinquēs nulla infamia laboret, esse respondendum à teste (vt dicemus) se illud nescire, si vero laboret infamia, esse respōdendum in particulari, Neque ex eo bene infert Soto, tunc inquisitionem esse velut particularem, quia inquisitio non mutat suā speciem ex responsiune. Quemadmodum inquisitio omnino generalis non desinit esse generalis, etiam si interrogatus teneatur in particulari respondere, & manifestare illos, qnos intellexerit laborare infamia.

Ad quartum respondeo imprimis hoc interesse inter viam accusationis, & viā inquisitionis, quod in illa cum sit pars læsa, quæ proclamat, non exigitur infamia, sed sufficit accusator cum semiplena prpbatione, vel indicijs manifestis, tàm vt iudes iustè interroget, quam vt testis teneatur respondere: qua de causa in via accusationis necessaria est illa illatio, Iudex iuridicè interrogat, ergo interrogatus tenetur respondere: In via autem inquisitionis, cum infamia sit velut accusator, sufficit infamia delicti, vt iudex iuridicè inquirat, quæ tamen non sufficit, vt testis teneatur respondere, nisi sit etiam infamia delinquentis. Cuius ratio est, quia cum interrogatio iudicis sit in genere, sufficit euidentia delicti, manifestatio autem delinquentis cum sit responsio in particulari, & in specie, exigit infamiam delinquentis, Quod apparet in inquisitione omnino generali, in qua iudex ex solo officio procedens iuridicè interrogat, quęrens in genere quæ peccata sint in illo, interrogati verò non possunt respondere, nec manifestare nisi laborantes infamia. Vnde in via inquisitionis non bene sequitur, Iudex iuridicè interrogat, ergo reus tenetur respondere: nulla præcedente infamia iudex iuridicè interrogat, vt inquisitione omnino generali, nec tamen interrogatus tenetur respondere: nemo enim debet dicere testimonium contra se ipsum, nec manifestare delinqnentes occultos. Hoc posito respondeo iam ad istud quartū. Quantum ad reum, dico, non teneri ad se prodendum, quia non interrogatur tunc (vt benè obseruauit D. Nauar.) vt reus, sed vt testis, quantum ad testem autem iam constat ex modo dictis, iudici sufficere ad interrogandum euidentiam delicti, testem autem non teneri ad manifestandum delinquentem occultum, etsi iudex iustè inquirat.

Ad quintum constat iam in illo c. Inquisitionis haberi sermonem de inquisitione omnino speciali, qua iudex non potest vti, nisi existat etiam infamia deliuqoentis, quamuis essent tres vel quatuor testes iurati, qoorum nullus accusaret.

Ad sextum dico, iudicem in specie non posse, inquirere, nisi ea de quibus potest iudicare, in genere aut posse inquirere promiscuè, vt sic inquirendo deprehendat ea, de quibus potest iudicare, sicut apparet in inquisitione omnino generali.

Ad septimum respondeo, illud incommodum non esse imputandum iudici, qui interrogans in genere (vt diximus) vtitor iure suo, & exercet suū munus, & quod debet ex officio, sed esse imputandum respoodenti, qui antequā respondeat, debet attendere quomodo respondeat Christianè, & licitè quòd si sit dubius, vel ignoret quomodo debeat respondere, consulat viros Doctos, dicatque iudici se tunc interrogari de re, de qua nil certum potest dicere, velleque tempus ad illā melius cogitandum, & reuocandum in memoriam, quam iudes negare non potest: quòd si adeò tyrannus sit, vt illud non concedat, in dobio faueat reo, & occoltet crimen illius.

Ad vltimam dico illud damnum seqoi Reip. si occulta reoelarentor, vt volebat prima opinio, at iuxta nostram sententiam, cum tantum liceat manifestare delinquentes iam laborantes infamia, non sequitur illud damnum, ex eo quod manifestentur iudici, imò maius damnum esset vt crimina sint notoria, & iudices non inquirerent.

Obseruandum est hic, Quemadmodum quando iudex procedit via accusationis, nec reus tenetur confiteri suum delictum, nec vocatos in testē testificari, nisi illis iuridicè constet iudicem habere sufficientem semiplenam probationem, vel indicia, & in dubio esse inclinādum in fauorem rei, præterquam in criminibus quæ sunt in damnum alterius adhuc imminens. Ita quoque qoādo procedit via inquisitionis generalis, interrogatum vt testem non teneri ad respondendum, nisi illi certò constet infamia delinquentis, de quo inquiritur, quomodocunque id ei cōstet, siue in iudicio, siue extra iudicium, vt constat ex dictis. Quando autem procedit iudex via inquisitionis omnino, specialis, debet ipsi cōstare certò, infamiam illius delinquentis, de quo ita in particulari interrogatur esse notam iuridicè, i. ad minus per duos testes omni exceptione maiores: Ratio est, quia cum iudex nō possit procedere inquisitione omnino particulari, nisi præcedente infamia tàm delicti quā deliquentis. Si ex sola suspicione, & malitia procedat, & non præcedente tali infamia, non procedit iuridicè, iudici aotem contra ordinem iuris procedenti non tenetur quis respōdere: Similiter reus quando interrogatur via inquisitionis, qoacumqoe inquisitione vtatur iudex siue generali, siue speciali, non tenetur respondere, quin intelligat constare, iuridicè per duos, vel tres testes de ipsius infamia, aliter enim potest purgare se ab illa infamia, per testes, & impedire illam inquisitionem, vt optimè docent Caiet. hic Soto de tegen. secre. memb. 2. q. 7. paulo post tertiam concl. Cardinalis Florentinus in cap. Qualiter, & quando, el secondo. q. 21. D. Nauar. loco cit. nu. 211. Quæ doctrina sumpta est ex can. Si quid. cum Glossa ibi Dist. 86. can. Innocens. 2. qoæst. 4. cap. Super eo. De officio delegati. l. Diuus la seconda, C. De custodia & exhibitione rei. cum l. 2. §. Si quis à Principe. ff. Ne quid loco publico fiat.

Obseruandum etiam est, hæc omnia habere locum esse similiter seruanda in Ecclesiasticis, contra Ioan. Andreā qui voluit apud clericos, & monachos non indigere superiorem tanta probatione,

me, vel infamia, quanta apud iudice fæculares est opus, Oppositum enim est tenendum, nempè fuperiores clericorum, & monachorum non posse cōtra eos procedere in criminibus grauibus, nisi eodem modò quo diximus de alijs iudicibus, non enim in celandis occultis, & feruanda fama proximi minus obligat ius naturæ erga alios, imò tanto potius quantò eorum fama precioſior eſt, & in famia maius fcandalum folet generare. In criminibus, inquam, grauibus in quibus proceditur ad punitionem, quia in læuibus feruandæ funt leges, & confuetudines euiuſq; religionis, quando proceditur ad punitionem, fed vel ad priuādum officio, vel ad mutandum, loco ne aliis noceat, tunc enim non requiritur tanta probatio, vel infamia, fed relinquitur prudentiæ fuperioris. Huic quæſtioni explicatæ proximæ funt aliæ duæ quarum prior eſt.

CONTROVERSIA VIII.

AN INFAMATVS IN iudicio de vno crimine, poſsit interrogare de alijs, de quibus non eſt infamatus, nec ab aliquo accuſatur.

PAlud. in 4. diſt. 19. quæſt. 4. Sylu. inquiſitio primo. quæſt. 3. num. 4. cenſent poſſe iudicem in hoc caſu interrogare, Ratio eorum eſt, quia iudex non prohibetur interrogare de occultis propter ipſa peccata, ſed propter peccatorem, ne occultus infametur, in hoc autem caſu licèt alia peccata ſint occulta, peccator tamen iam non eſt occultus, ſed infamatus, & habetur pro ſceleſtato, ergo licebit infamatum de vno interrogare de alijs omnibus.

Oppoſitum docent Caie. hic, & in opuſculo 17. reſponſionum, reſponſione 5. Adria. quodlib. 11. q. 1. Soto l. 5. de iuſtitia q. 6. artic. 2. & de tegen. ſecre. mem. 2. q. 6. Angelus inquiſitio, §. 11. Et Gloſſa in c. illud Inquiſitionis. & Nau. inter verba concl. 6. num. 127.

Ratio eſt aperta, quia inquiſitio ſpecialis non fieri ſine præcedente infamia, & delicti, & delinquentis ſat Petrus captum ob homicidium interrogare an ſit furatus, eſt inquiſitio omnino ſpecialis, ergo non poteſt fieri, niſi laboret etiam iſte Petrus infamia furti.

Secundò talis interrogatio eſt iudicium temerarium, quia nullum habet fundamentum iudex ad ſic interrogandum, nec accuſatorem, nec infamiā: Quod ſi dicas ſufficit peccatum, de quo infamatus eſt; hoc eſt falſum, quia quando peccata non ſunt interſe connexa, commiſiſſe vnū non eſt ſufficiens cauſa, & ratio ad iudicandum de proximo, alterum. Hæc ſententia eſt modo communis inter omnes Theologos, nec ratio Syluest. aliquid probat, quia licèt ſit infamatus de vno; alia de quibus non eſt infamatus, ſunt omnino occulta, de quibus non poteſt iudex inquiſitione ſpeciali interrogare, læderet enim iniuſtè in illis, circa quæ adhuc habet bonum nomen, & famā. Sicut in detractione, ſex quæ prohibet detractionem nititur huic fundamento, ne frater infametur, nihilominus licèt quis ſit infamatus de vno delicto, committeret peccatum mortale detractionis, qui reuelaret alia, circa quæ ille retinet bonum nomen, quia circa illa verè læderet famam illius.

Patitur autem concluſio poſita duas exceptiones. Prima eſt, quando crimen de quo iuſtè inquiritur, & reus eſt iam diffamatus, eſt ita coniunctū alteri crimini, vt infamia prioris afferat ſecum iuſtā ſuſpicionē, & infamiā alterius, vt ſi infamatus ſit Petrus de homicidio, & cadauer inuenitur nudum, licèt iudici ſimul inquirere à Petro, an ipſe expoliauerit illum occiſum, quia tale homicidium in quo occiſus reperitur nudus, afferi ſecum prudentem, & iuſtam ſuſpitionem, & infamiam, eundem fuiſſe homicidam, & expoliatorem. Similiter ſi quis ſit infamatus de adulterio cum Ioanna, & vir inueniatur domi occiſus, prudenter, & iuſtè ſuſpicatur iudex adulterū fuiſſe occiſorem illius viri, & inquirit.

Secunda exceptio eſt, quando aliud crimen eſt circumſtantia illius, de quo reus eſt infamatus, vt ſi quis laborat infamia fornicationis cum aliqua iuniori, quam deinde nuptam vir deprehendit non eſſe virginem, poteſt ille fornicarius interrogari, an ipſe illam ſtrupauerit? quia prudēter & iuſtè habebitur ab omnibus talis ſuſpicio.

Ex cōcluſione huius quæſtionis, ſequitur, quod rectè hic obſeruat Caiet. Similiter nec poſſe iudicem, circa rerum de vno, infamatum, interrogare à teſte alia crimina, de quibus reus ille non eſt infamatus: oſtendunt hoc eon ſectarium eadem argumenta, quibus conſtat non poſſe interrogare reum: quia talis interrogatio non eſt inquiſitio omnino ſpecialis, in quo nullo modo licet inquirere de occultis. Altera quæſtio eſt.

AN REVS CONTRA quem iuſtè proceditur, poſſit interrogari à iudicè de complicibus.

COnſuetudo iudicum eſt, reum qui iam ſuum crimen confeſſus eſt, de complicibus ſuis interrogare, & multoties tormentis exquirere. Contra quam.

CONCLVSIO I.

Inquiſitione omnino ſpeciali, non poteſt iudex interrogare reum de complice nulla infamia laborante.

HÆc eſt diffinita in vtroque iure ca. Cum monaſterium. De confeſſis. cap. Veniens. De teſtibus. 15. q. 3. can. Nemini. l. finali. Cod. De accuſat. l. Repetita, ff. de quæſt. & probatur primò, Quia quando interrogatur Petrus qui confeſſus eſt homicidium, an Ioannes fuerit illi ſocius? interrogatur profectò vt teſtis, conſtat autem nullo modo inquiſitione omnino ſpeciali, aduerſus eum qui nulla laborat infamia. Secundo contra neminem poteſt procedi ſine aliquo accuſatore, contra illū complicem nullus eſt accuſator, nec formalis vt ſupponimus, nec virtualis, cum non ſit infamia ergo. Tertiò, extra caſus quos afferemus, teſtimonium rei contra complicem habet parum fidei, vt docet Alexan. in illo c. Veniens dicens. Quoniam de ſe, confeſſi, & omnis reis profeſſio periculoſa eſt. Quomodo autem ſit periculoſa docuit optimè Imperator Seuerus, l. 1. § Diuus Antoninus. ff. De quæſtio. Quia reus aliquando ad ſe vindicandum, de

de suis inimicis, vel de his quorum opem implorat nec ipsi fauerunt, accusat eos falsò, tanquam sui delicti complices. Quin & nonnunquam ad se liberandum, accusat tanquam complices viros graues, & potentes, sperans se eadem via liberandum, qua, & illi liberabũtur: Vnde miror quomodo iudices, vel ex læui suspicione sua, inquirant in particulari de complice non infamato, iuribus ipsis id prohibentibus.

CONCLVSIO II.

In criminalibus, ex quibus imminet damnum publicum vel particulare, potest, & debet iudex de complicibus inquirere in genere. & si nullus laboret infamia, vel nullus habet iustam, & prudentem suspicionem: in specie autem si aliquis eorum laboret infamia, vel prudens, & grauis habeatur de illo suspicio.

PRobatur prior pars. Iudex tenetur prospicere bono communi, & suorum ciuium, hoc præstare non valet in huiusmodi delictis quæ in alicuius damnum, cedunt, nisi in genere interroget, ergo. & ita tenetur interrogare hæreticos, proditores, falsarios pecuniæ, latrones itinerum, assassinos, & similes. Secunda pars patet. Quia vbi est infamia, vel suspicio prudens, & iusta, potest iudex in alijs delictis in specie inquirere, quantò magis in his quæ sunt nociua, Hinc sequitur reum interrogatum in huiusmodi delictis debere manifestare complices, quia si tenetur illos accusare, vel saltim denunciare (vt vidimus) quanto magis interrogatus manifestare.

CONCLVSIO III.

Quando nulla est infamia, aut iusta suspicio de complicibus, non licet reum torquere ex leui suspicione, neque in delictis quæ sunt in damnum publicum, quando autem ex istis infamia vel iusta suspicio, licet quidem, non tamen grauissimis tormentis, sed sufficientibus ad incutiendum timorem, pro ratione delicti, & damni quod imminet, & suspicionis quæ habetur.

PRior pars probatur, Quia tortura est pœna, debet ergo existere aliqua culpa, vel iusta opinio culpæ, quando reus negat complices quorum nulla est infamia, aut iusta suspicio, talis negatio nec constat esse culpa, nec licet iustè opinari illam esse culpam, cum nullum sit fundamentum ad arbitrandum illum inique id negare, ergo, tunc non est torquendus. Secunda pars perspicua est. Quia quando est infamia complicis, vel iusta, & communis suspicio valens pro infamia, est quoque iusta opinio illum falsum negare, & iniquè occultare complices.

In his tribus conclusionibus conueniunt omnes doctores, maximè Syluest. inquisitio primo. §. 3. num. 3. & 5. Nauar. inter verba concl. 6. num. 123. & 132. & seq. Caiet. opusculo. 17. responsionum, respon. 5. Soto de tegen. secre. mem. 2. q. 6. & lib. 5. de iust. q. 6. artic. 2.

Sed in alijs criminib. quæ nec sunt in damnum publicum vllo modo, nec in particulare imminens, sint ne inquirendi complices, quando nullus laborat aliqua infamia non conueniunt isti doctores. Caiet. loco cit. vult posse iudicem inquirere, & interrogare reum, an aliquos habeat illius delicti socios, & ipsum si qui eorum laborent infamia, debere illos manifestare, sin minus, occultare, Doctor Nauarr. loco cit. nu. 336. sentit oppositum, nempè id tantum licere in delictis nociuis, quia in his debet iudex prospicere suis ciuibus, in alijs autem sat est punire delinquentem de crimine, de quo iuridicè cõstat, Ego ita puto distinguendum: Aut delictum iuxta suas circumstantias prudẽter iudicatur habere complices, vt cum plebeius occidit virum nobilem, cum quo nuquam fuerat rixatus, prudenter creditur illud homicidium iussu alterius esse factum: Aut iudicio prudentis delictum illud nõ solet habere complices, vt cum plebeius occidet alium plebeium cum quo fuerat rixatus. In crimine prioris generis rectè sentit. Caiet. vt iudex interroget in genere, etiam si nulla sit infamia alicuius complicis, quia sufficit euidentia criminis illius, quod prudenter iudicatur habere complices, sicut diximus quando crimen est notorium, & delinquens occultus: In crimine verò secundi generis sequar sententiam Nauarri, vt tunc non interrogetur: nam quo fundamento? non est infamia, non est, accusator nec crimen ipsum tale insinuat, esset certè temeraria, & iniqua interrogatio.

CONTROVERSIA VIIII.

QVANDO, ET QVA RATIONE possit iudex inquirere delicta per quæstionem torturæ? Et ad quid teneatur sic, inquisitus, vel interrogatus?

LVdouicus Viues in Scholijs. D. Aug. lib. 19. de ciuit. Dei. c. 6. sentit, tormẽta quibus à reis, vel testibus nituntur iudices eruere veritatem, non solum charitati, verum, & humanæ pietati repugnare. Rationem reddit, quia multi metu tormentorum confitentur delicta, quæ nunquam commiserunt, alij verò viribus vegetiores, vim tormentorum superantes, negant quæ commiserint, & recedunt impunes: quo fit, torturam non esse accommodatum medium ad inquirendam veritatem.

Iudices verò ita oppositum sentiunt, vt nonnũquam vel ex leuibus indicijs, & suspicione reos vel testes torqueant, & quod ab omni humanitate alienum est conuictos iam per testes, & condemnatos. vt propria delicta, quæ perpetuò negarunt, confiteantur, vel indicent complices, ante quam illos vltimo supplicio tradant, crudelissimè, & velor cadauer (vt dicunt) torquent, & cruciant, occasione forsam sumpta, ex dictis quorundam DD. Etenim cum Soto eandem vim tribuat indicijs, quam infamiæ, colligunt sic posse torqueri indiciatum, (vt dicunt) sicut verè infamatum, non considerãtes, cum indicia habeant vim testis, infamia verò accusatoris, non esse. similiter iudicandum de indicijs, & infamia. Tum etiam Sotum non tribuere istã vim quibussuis indicijs, sed efficacibus, & granibus, quæ D. Thom. vocat manifesta.

Ad torquendum verò reum iam damnatum, & proximum vltimo supplicio, vt cõfiteatur delicta, quæ perpetuò negauit, vel indicet cõplices, vtuntur authoritate Baldi, qui in l. Obseruare. C. Quorũ appellatio non est admit. & Pauli iurisconsulti, qui

qui in l. Et si certus. ff. Ad silan. quos (sequitur Soto de tegen. secre. mem. 2. q. 7. in prima concl. & in 2. argum. 2. conclus.) probant hoc genus torturae ad extorquendam confessionem rei, quia ex illa l. Obseruare reus conuictus, & non confessus potest appellare post latam sententiam in aliquibus prouincijs, quod cū possit, pet interpositas appellationes impeditur quaeuis sententia criminalis, ne vnquā executioni mandetur, nec delicta puniantur, cui damno, vt occurratur iuste iudex torquet reum quamuis conuictum, vt condemnetur conuictus, & confessus, nec super sit locus istis appellationibus: Secundò ad tollendum scādalum populi, qui quotiescunq; videt damnatum ad mortem nunquam confiteri suum delictum, iudicat condemnari innocentem culpa iudicis, vel testium. Tertiò si existāt complices tenetur iudex illos inquirere, & reus ille indicare, quod nō alia via commodius obtineri potest, quando reus renuit illos prodere, quam per hoc genus torturae. Io hac quaestione imprimis illud certum esse debet, temerarium esse ac proximum errori affirmare, non licere iudici exigere veritatem à reis, & testib. per tormenta, quando alijs vijs tentatis, nolunt omnino illam sponte confiteri. Probant .n. hoc genus inquirendi verū per quaestionem torturae S. Patres D. Amb. in lib. de Cain, & Abel c. 9. D. Hiero. primò tom. Epistolarum. Epist. ad Innocentium D. Aug. loc. cit. 19. De ciuit. Dei c. 6. statuit hoc genus inquirendi esse necessarium societati humanae. Id ipsum agnouerunt Philosophi Arist. 1. Retho. c. 15. Cicero dialago de partitione oratoria. Cui etiam fauent decreta summorum Poutif. Eusebius in Epist. ad Episcopos Galliae, & refertur 5. q. 5. can. Illi qui ait. [Veritas, quā sponte probatam in illis vox habere non potest, hanc diuersis cruciatibus, e latebris suis religiosus tortor exigere debet. Gregor. 7. Regū. Cum in contemplatione. De reg. iuris. idem fumit, vt necessarium. Deniq; et vsus omnium fidelium, in omnibus enim iudicijs, & Ecclesiasticis, & prophanis, exigitur veritas per tormenta, à nolentibus illam sponte confiteri. Nec ratio Ludoui ci Viues oppositum conuincit, in iudicijs .n. humanis, vt hic docet D. Tho. non est quaerenda infallibilis certitudo, sed probabilis, & humana, qualis certè tormentis etiam exigitur: Quod si aliquādo pusillanimis fateatur, quae non commisit, alius verò vegetior non vincatur tormentis, haec per accidens sunt, & vitio hominum eueniunt, nec propterea auferenda est inquisitio per tormenta, eadem enim ratione auferenda esset inquisitio per testes, cum nonnunquam testes, qui ad deprehendēdam veritatem adhibentur, falsum potius affirment.

Obseruemus secundò esse quasdam prouincias, quibus reus condemnatus per solos testes, conuictusq;, non tā confessus pōt appellare ad superiorem, vt in Italia, & Castella, sicut refert Azpilqu. inter verba concl. 6. nu. 377. in alijs verò non licet appellare, sed sentētia capitalis iudicis citra vllam appellationem est statim executioni mandanda, vt in Gallia, in alijs autem, vt in hoc nostro regno, est quoddam praetorium supremum, & regium quod vocatur Audientia realis, à quo non licet ad alium superiorem in cā capitali appellare, ad ipsam aūt audientiam ab inferioribus iudicib. licet.

Obseruemus 3. circa condemnatos vltimo supplicio, qui grauissimè torquentur, vt indicent complices, cum hi possint grauiter delinquere, tam commissione, reuelando occultos quos nō possunt reuelare, quam omissione, occultando infamatos quos oportet indicare, in quo concilio periti con-

fessarij, qui percepta veritate facti ex processu, & actis iudicialibus, partim à reo partim ab aduocato, partim ab ipsomet iudice admonebit reū, quid debeat explicare, quid verò occultare, esse optimam, & prudentem viam omnium doctorum consensu, vt isti miseri iam condemnati, antequā tam diris tormentis crucientur, instruantur à perito, & prudenti Theologo, qui illos admoneat suae obligationis. Etenim sicut medico non licet atroci vti medicamine, vbi faciliora sperat pro futura, ita nec iudici licet aliquem torquere ad inquirēdam veritatem, quam probabiliter sine tormentis potest obtinere: quid autem magis probabile, quam vltimò supplicio, & diuino iudicio proximum, à perito Theologo, & cui fidē ipse adhibeat admonitum, discessurum in peccato, nisi socios indicet, reuelaturum illico, quos in conscientia tenebitur reuelare? tum ne animae suae detrimentum patiatur, tum vt se liberet à tam diris tormentis. Certè illi solum iudici haec via displicere potest, qui suae conscientiae oblitus non vult reum admoneri eorum, quę praestare debet, sed vt tam occulta, quam manifesta, tam quae debet, quam quae non debet, vi tormentorum reuelet, quem & Deo, & legibus terga vertisse dicebat, & optimè Ioan. Igneus l. final. Cod. de quaestio. His positis.

CONCLVSIO I.

Quando conficitur processus, & probatio delicti, si procedatur via accusationis, non potest reus torqueri, nisi semiplena probatio, vel manifesta indicia iuridicè, & sufficienter probata existant, si verò procedatur via inquisitionis, infamia, vel clamorosa insinuatio, sufficiēter quoque, & iuridicè probata per testes omni exceptione maiores, qui iurent se illam infamiam à viris probis, & bonis, iis non maleuolis nec maledicis audisse.

HAec concl. est diffinita l. 1 § Qui quaestionum ff. De quaestio. Habent illam Salicetus in l. fin. C. d. De accusatio. D. Nauar. inter verba nu. 377. & est communis inter Doctores. Et probatur: Grauius est torquere, quam interrogare, sed iudex nō potest via accusationis interrogare nisi sit semiplena probatio, nec via inquisitionis nisi sit infamia, ergo nec torquere. Secundò iudex non potest torquere nisi ad inquirendam veritatem, quam reus tenetur fateri. sed quando ista quae diximus desunt, non tenetur reus respondere ergo nec potest torquere.

CONCLVSIO II.

Quando iudex metu graui illato, aut vi per tormenta iniustè extorquet, à reo quem torquere non potest, vel proprij criminis confessionem, vel indicia, aut testes quibus conuinci possit, aut complices sui criminis, non potest iudex ex confessione illa, & dicto rei sic extorta prodere, neque admonitionem ipsius rei, vel complicis, qui occultus est, & non infamatus.

ITa Soto de tegen. secre. mem. 3. quaest. 1. concl. 5. Nauar. inter verba concl. 6. nu. 159. addncitque in hanc sentiam Bartolum in lege penu. ff. De quaestio. & Imola in additio. ad Batto. in l. Qui in aliena. § Celsus. ff. De acquirenda haereditate. Et est cōis opinio Iuristarum in l. Marius. ff. De quae-

stio. Et probatur. Quando medium est iniustum, & iniquum saltem iuridicè, cognitio parata per illud iniusta est, & iniqua, nec potest ea vti iudex ad aliquem effectum, quia iniustitia causæ transit in effectum, & permanet in illo, sed metus ille, & vis tormentorum est medium iniquum, & iniustum, & quo inique vtitur iudex, ergo cognitio siue sociorum, &c. tali medio parata est iniqua, & inutilis ad aliquem effectum. Dixi in conc. graui metu, vel vi tormentorum, nam si iudex leuiter tantum tormenta reo minaretur, & reus statim confiteretur, tunc asserit Soto quamuis sub aliquo etiam dubio, posse iudicem procedere, licet inique egerit iudex in comminando. Et ratio est, quia tunc reus magis ex pusillanimitate animi, quàm ex vi illatarum minarum cõfitetur, propter quod confessio illa tribuenda potios est pusillanimitati ipsius, quam culpæ iudicis.

Cæterum an quãdo fine tormentis, & minis, sed per aliam viam iniquam habet iudex notitiam alicuius delicti, possit tunc iuridicè inquirere? & interrogatus debeat respondere? statim controuersia 12. exponemus.

CONCLVSIO III.

In locis vbi conuictus, sed non confessus potest appellare à sententia, si videat iudex reum suis appellationibus impeditur um inique, & per calumniam iustam condemnationem, sitque crimen ex his quorum punitio est necessaria bono publico, tunc ante sententiam, vt illa feratur in conuictum, & confessum, & sic occludatur via iniquis appellationibus, potest conuictum, sed non confessum torquere.

ITa Nauar. loc. cit. nu. 279. Et hanc probant duo illa priora argumenta initio proposita. Et confirmatur. Tormenta non solum adhibentur ad habendam veritatem, sed ad habendam eam, per quam reus iustè puniatur, quia omnia ista, inquisitio delicti, interrogatio rei, processus, tormenta sunt actus iustitiæ punitiuæ, cuius finis est punitio delicti, sed quando reus conuictus non tamen confessus potest appellare, & impedire suis appellationibus executionem iustæ sententiæ, ne illam impediat, sed puniatur, non sufficit veritas, quæ habetur ex testibus, sed est necessaria quoq; veritas ex ipsiusmet rei confessione, ergo in hoc casu, quando alijs vijs non vult confiteri potest torqueri. Hæc conclusio intelligenda est, quãdo reus non haberet aliàs causam iustam appellandi, quia si haberet illam, profectò non est torquendus, ne appellet, cum possit appellare. Quòd si nullam habet iustam causam ad appellandum, cum in tali euentu negare veritatem de qua iuridicè conuincitur, & tenetur confiteri, vt maneat ei locus appellandi, fit cautius, & velle inique impedire institiam debitam iudici, & Reip. iustè tunc torquetur.

Sed argumentantur, qui contra sentiunt, l. Edictum l. Diuus pius. ff. de quæst. & Can. illo D. Eusebij. Illi quidem conceduntur, tortura, vt licitæ, ad inquirendam veritatem occultam, in hoc autem casu veritas iam est iuridicè, & sufficienter manifesta per testes, ergo non licebit in hoc casu torquere. Huius argumenti solutio patet ex dictis. Quamuis enim veritas, iam sit sufficienter explicata per testes, ea verò non sufficit, quando reus est solum est conuictus, & non confessus potest appellare, vnde tum ne id possit, tum ne iustam punitionem impediat, iustè torquetur, vt condemnetur conuictus, & confessus.

CONCLVSIO IIII.

In locis, in quibus conuictus, quamuis non confessus, non potest appellare à sententia iudicis, vel si potest, crimen tamen non est ita atrox, vel scandalosum, vt sit damnum publicum differre illius punitionem, non licet iudici, conuictum sufficienter torquere, vt confiteatur, sed condemnet illum ita conuictum, cum possit, quamuis non confessum.

HÆc est communis inter Doctores, quã habet Nauar. loco cit. num. 277. vbi citat in eandem sententiam Hyppolitum, Paulum, & Marcellum iuris consultos, Ioannem Andream, Angelum Perusinum, & multos alios Doctores. Et probatur. Tormentis non potest vti iudex nisi quando desunt aliæ probationes sufficientes ad habendam veritatem occultam, vt illa habita reus condemnetur, & puniatur, vt docet, Papa Eusebius loco cit. non ad inquirendam iam inuentam, sed in hoc casu cum reos appellare non possit, veritas de qua iuridicè conuincitur per testes, sufficit in iudicio ad illum condemnandum, & puniendum, ergo tunc iniquum est, & impium torquere.

CONCLVSIO VLTIMA.

Tenentur iudices condemnatos iam ad mortem, & propinquos vltimo supplicio, quos de socijs interrogauit, admonere, vt periti Theologi consilium accipiant, à quo instruantur, quid manifestare debeant, quod si admoniti, & instructi nullos complices manifestent, iniquum est, & alienum à pietate Christiana, tales torquere, nisi iudex ex processu, vel alia via moraliter certa intelligat, reum illum non aperire veritatem, quam debet.

PRima pars patet ex secunda obseruatione, Quando non est torquendus reus, nisi quando alia via suauiori veritas quæ iuridicè inquiritur, haberi non potest, hæc autem via est suauior, & in propinquo ad mortem ac in breui expectante diuinum iudicium accommodata, & quia adhibita moraliter, & christianè loquendo iudicandū est, reum illum reuelaturum, quæ tenetur reuelare, debent ergo illã sequi iudices, & credere, reum qui instructus à Theologo in tali statu, nullos manifestat, aut reuera nullos habere complices, & rumorem illum ac infamiam qd habeat, esse falsam, aut ita esse occultos, vt tuta conscientia non possit eos reuelare. Neq; n. iudex debet velle à reo, maximè propinquo morti, & diuino iudicio, nisi ea quæ ipse tuta consciẽtia potest. Posterior pars patet, Quia quãdo iudici constat ex processu, vel ex viro fide digno, cõplices illos, q̃ laborãt infamia, verè fuisse complices illos delicti, & reum ex proteruitate, vel alia de causa nolle eos manifestare, tunc vt iustè suspectũ, & creditũ negare veritatẽ, q̃ reuelare dẽt, torquere põt, Non quidẽ, vt cadauer, vt dicunt, sed vt hoiem viuũ: iniquũ .n. est, & rectæ rationi aduersum, vt eum à quo tanquam à viuo testimonium exigis, torqueas, vt iã mortuũ.

Ex his sequitur non licere iudici, condemnare fictè ad mortem illum, qui non probatur reos, vt ea via reueler suũ crimẽ occultũ, põt aũt vti ista fictione tanq̃ quodã genere torturæ, qñ cõtra illum est,

est, vel semiplena probatio, vel indicia plurimũ manifesta, vel maxima infamia. Nunquam tamen licet fictè iuramentum præbete illi, quem probabiliter credit iuraturum falsò, maximè in causa propria vt optimè Nauar. loco citato. num. 271. Quia licet illa fictione de morte inferenda, quando reus iustè, & licitè potest torqueri, possit iudex rectè vti sicut quouis alio genere torturæ grauissimè at occasionem adeo vrgentem se periurandi, & peccandi mortaliter non licet offerre, in hoc casu, qui est velut via extra ordinaria.

Altera tamen res sese habet, quando secundũ ordinem iuris Iudex debet accipere iuramentum subditi, nam tunc etsi timeat, illum se periuratũ, non prohibetur accipere, quia malum hoc, non iudici, qui vtitur iure suo, sed malitiæ alterius est imputandum. Vide eundem D. Nauar. eodem loco nu. 272. Videamus iam.

CONTROVERSIA X.

AN REVS IVSTE A IVDICE Interrogatus de proprio crimine iuridicè notorio teneatur illud confiteri, & cum periculo certo vitæ vel grauis infamiæ.

VVlgus ignarus putat semper esse negandum, donec reus ita conuincatur per testes, vt si ue fateatur suum delictum, siue non, sit condemnandus certissimè à iudice, nec desunt imperiti aliqui confessarij, qui ita consulant his adducti rationibus.

Primò homines non sunt compellẽdi ad actus heroicos, & difficillimos, obligare autem reum, qui non conuincitur per testes, sed ferendo tormenta euadat mortem, vt confiteatur delictum cum euidenti discrimine vitę, est actus reuera heroicus, & difficillimus, ergo.

Secundò, quia si in hoc casu teneretur reus fateri, certè id esset propter obedientiam, quæ debetur iudici iuste procedenti, & quia mendacium illud in iudicio esset peccatum mortale, at in re etiam leui debetur obedientia iudici iustè procedenti, nec tamen in re leui negare illi veritatem est mortale, (loquimur citra iuramentum.) Tum etiam vidimus contra Caiet. mendacium in iudicio non esse mortale, nisi aut ratione damni, quod ex tali mendacio sequitur, mendacium autem huius rei negantis, vt se liberet est officiosum, & nullinocíuum.

Tertiò, si teneretur reus in hoc casu confiteri veritatem sub mortali, quamdiu nõ confiteretur esset in mortali, & consequenter si euadat manus iudicis non erit absoluendus, donec tedeat ad iudicem, & confiteatur. Sicut quando tenetur habens alienum sub mortali restituere, quamdiu nõ restituit in mortali, nec est absoluendus, donec adeat creditorem, & restituat.

Sed his non obstantibus.

CONCLVSIO PRIMA.

Reus legitimè interrogatus à iudice de crimine iam iuridicè notorio tenetur confiteri illi veritatem, etiam si videat certò, & euidenter ex tali confessione imminere sibi mortem.

HÆc constat ex primo articulo, vbi efficacissimè probauit D. Thom. in re graui qualis hęc

est, esse peccatum mortale intrinsecè, & ex suo genere, mentiri iudici iustè interroganti. Et est communis omnium Doctorum, nemine discrepãte, præter imperitum vulgus, qui vitam corporis saluti animæ solet præferre. Habent illam copiosè Soto lib. 5. De iust. quæst. 6. art. 2. De tegen. secr. memb. 2. q. 7. conclus. 1. & 2. Palud. loco supra citat. Caiet. hic Syluest. Accusatio Inquisitio, & variis locis Doctor Nauar. lib. cit. nume. 236. & seq.

Et confirmatur, Resp. habet authoritatem efficacem ad punienda delicta iuridicè notoria, at si non posset obligare reum in casu posito ad confitendam veritatem, non haberet illam potestatem efficacem, inchoaret enim iustè, & rectè per semiplenam probationem, vel indicia, vel infamiam iustam punitionem delicti, nec posset illam perficere.

Secundò negare veritatem in hoc casu est cõtra iustitiam, & charitatem, vt docet optimè D. Thom. art. præced. ad 2. & 3. ergo est mortale. Et confirmatur antecedens: iudex habet in hoc casu ius ad inquirendum, reus nullũ habet ius ad occultandum, quia tantum habet illud quando delicta sunt occulta, delicta autẽ de quibus hic agimus, non sunt occulta iuridicè sed notoria: ergo sic negans infert grauem iniuriam iudici. Et contra charitatem, quia vt ibi ait D. Thom. imponit sua negatione accusatori, & testibus calumniam.

Tertiò inobedientia in re graui mortalis est, quando subditus non habet iustam causam ad nõ obediendum: iudici iustè interroganti non respõdere est inobedire, & in re graui, siue iusta causa, cum nulla existat (vt diximus) ad neganda delicta, nisi quando sunt occulta, quia tunc non subsunt iudicio humano, ergo.

Quartò daretur iustum bellum ex vtraque parte sine vlla ignorantia inculpabili, quia iudex iustè compelleret, & per vim, vt responderet, reus quoque si non teneretur confiteri, iustè se defenderet.

Quintò omnium consensu, & est diffinitum, vt vidimus quæstione præcedenti iudex in hoc casu potest, & debet torquere reum, vt fateatur veritatem, ergo tenetur reus fateri crimen quod verè commisit. Probo consequentiam, quia contra iustitiam esset torquere subditum, pro eo ad quod non tenetur nisi sub veniali.

CONCLVSIO II.

Tenetur ad hoc reus, etiam si interrogaretur sine iuramento.

PAtet ex argumentis positis, omnia enim ista procedunt simpliciter, & sine iuramento, ex sola natura rei, vide Soto de tegen. secr. mem. loco cit. concl. 2.

CONCLVSIO III.

Durante processu, & iudicio, ac captura rei, ita vt nec per sententiam iudicis, nec per fugam, nec alia via sit liberatus, reus qui iustè interrogatus perseuerat in neganda veritate, non est sacramentaliter absoluendus, donec illam confiteatur, etsi conuictus per testes.

PRior pars huius conclusionis patet. Quia perseuerat in actu peccati, & nemo in tali statu perseuerans est absoluendus. Et hanc probat

tertia illa ratio initio posita. Altera pars constat, Quia condemnabitur conuictus, & consequenter perseuerans tunc in sua negatione, irrogat grauem iniuriam iudici, cui non reddit suum ius respondendo, quam iniuriam cum possit, & debeat quamdiu est in iudicio, resarcire, nisi illam resarciat, manet in mortali, & non est absoluendus.

Secundò quia, in hoc casu iniustè infamat iudicem & testes, commouetur enim populus & scandaliza, credens à iudice illum iniustè occidi, & testes falsum dixisse: Cui iniuriæ iudicis, & testium, ac scandalo populi non satisfacit per supplicium, sed confitendo manifestè suum delictum, cum iustè, & iuridice puniatur. Debet autem confessarius in hac parte (vt admonent optimè Nauar. Soto, & alij Doctores locis citatis) maturè & prudenter se habere, nec esse facilis, & præceps in neganda absolutione huiusmodi. Nam cum iudices sub falso zelo iustitiæ nonnunquam procedant, non seruato perfectè, & integrè ordine iuris, vtanturque aliquibus cautelis, & rigoribus fictis ad inuestiganda delicta, debet confessarius esse doctus, & eorum quæ in hac disputatione docemus peritus, & partim à reo, partim ab aduocato qui totius processus est conscius diligenter inquirere, sit ne aliquis defectus in illo processu, aut circa autoritatem iudicis, aut circa dicta testium, & alias probationes, aut circa ordinem iuris. Et proposita tanta grauitate rei, quanta est imminere illi reo, vel mortem corporis, si confiteatur, vel animæ, si neget quod debet fateri, contestari aduocatum, & reum vt ipsi, verè, & apertè, quæ ex processu constant aperiant: & videant, an aliquâ via secundum ius reus ille possit liberari, vel non respondendo, vel per appellationem, vel per aliquam obiectionem testium accusatoris, vel probationem, vel quid simile: Quod si omnibus expensis quæ in illo processu existunt, omnibusque tentatis, videat confessarius nullam esse viam, qua tuta conscientia, possit reus ille non respondere, sed esse perspicuum, & euidens, ac luce meridiana clarius iudicem iustè procedere, nec crimen esse occultum, sed esse ex illis quæ tenetur reus manifestare, tunc non absoluat nisi manifestet, quia manifestando manet in suo peccato, in quo manens non est absoluendus cap. Peccati venia. De Reg. iuris lib. 6. Quod si aliqua fuerit prudens, & iusta causa ad dubitandum, an iudex iustè procedat, tūc inclinet in fauorem rei, & absoluat illum, etiam si non manifestet. Ita Doctores supra citati: quin & ipsa iura hoc insinuant, vt videre est l. Arrianus. ff. de actionibus, & oblig. l. Fauorabiliā. ff. de regulis iuris. c. vltimò. De sententia, & reiudicata, &c.

Ex his sequitur testem quoque (durante iudicio) cui constant in hoc casu iudicem iustè procedere, & crimen non esse occultum, teneri ad dicendam veritatem, & cum periculo certo vitæ illius rei, Quia si reus tenetur cum periculo vitæ alienæ: Si verò sit iustè, & prudenter dubius, an iustè, & iuridicè iudex ille procedat? debet declinare in fauorem rei: quia si iudex ipse qui est minister iustitiæ debet in dubijs, vt vidimus inclinare in fauorem rei, quantò magis testis qui est persona priuata, & cui non incumbit punitio delictorum.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando reus iam euasit iudicium, vel per fugam, vel quia superauit tormenta, & mentitus est iudici, & sic ab eo est absolutus & dimissus: tunc potest absolui à confessario, imposita ei pro illo medatio debita pænitentia, nec est obligandus redire ad iudicem, & manifestare illi veritatem.

Patet, Quia si in tali casu esset obligandus ad repetēdum carcerem, vel adeundum iudicem, & manifestandam ei veritatem, tunc esset minister iustitiæ in se ipsum, & accusator, ac fiscus in se ipsum, teneretur se ipsum prodere, quod est cōtra illam sententiam D. Chrysost. peritam ex iure naturali, [Non dico, vt te ipsum prodas.] Secundò, quia hoc est adeò durum, & intollerabile, & alienum ab humana ratione, vt excedat omnino vires humanas.

Ad argumenta initio posita. Ad primum respondeo: duplices esse actus heroicos: alios sic dictos, quia sunt difficiles, & ardui, licèt debiti: ad quos obligantur homines, vt pati martyrium quando causa fidei exigit; benefacere inimicis, &c. est enim de his speciale præceptum, obligans saltim tempore necessitatis. Alij verò sunt heroici, quia difficiles, sed sub concilio tantum, ad quos non obligantur fideles, sed eorū deuotioni relinquuntur, & qui illos exercent heroes, & excellentea in christiana religione dicuntur, vt obseruare virginitatem, renunciare omnibus, obedire vni homini. Fateri veritatem iudici legitimè interroganti in crimine iuridicè notorio, est actus difficilis, & heroicus primo modo, & in præcepto, vt constat. Quod si dicas lex humana, & præceptum humanum non obligat cum periculo vitæ. Dico aliquando posse obligare quando illud cedit in bonum commune. Dico secundò reum in hoc casu teneri ad confitendam veritatē lege naturali, & diuina.

Ad secundum dico in primis, mendacium, in iudicio in materia leui esse communiter veniale, & aliquando fieri posse, vt si etiam mortale, vt cum visitator accedit ad conuentum, in quo cæremoniæ sunt collapsæ, vt silentium, ieiunia, & similes, si ipse accedat animo reparandi eas, & interroget subditos, tenentur sub mortali aperire illi veritatem, quia licèt ratione cuiusque particularis cæremoniæ illæ sint materia leuis, at ratione totius communitatis sunt materia grauis, cum sublatis illis & similibus cæremonijs essentialia religionis necesse sit corruere, & perire: Dico autem ad nostrum institutū negare veritatem in hoc casu non esse materiam leuem, cum agatur de iusta punitione delictorum, & secundum ordinem iuris quod adeò necessarium Reip. Vnde mendacium in tali casu licet reo ipsi sit officiosum, Reip. autem & bono communi est nociuum, & ipso iudici, ac accusatori, & testibus, propter scandalum quod generat sicut expositum est. Ad vltimum patet solutio ex tertia & vltima conclusione. Videamus iam.

CONTROVERSIA XI.

QVANDO REVS VEL TEstis interrogatur cōtra ordinem iuris, cū mentiri non possit occultare autem veritatem possit ex 1. art. quibus vijs possit absque mendacio illam occultare.

IN hac quæstione, quæ grauissima est, prius certa ab incertis separemus: Imprimis certum est apud omnes Doctores, vt docet Soto de tegen.

te gen. sect. mem. 3. quæst. 3. & lib. 5. de Iust. quæst. 6. artic. 2. Nauar. loco cit. num. 274. licere in hoc casu, subdito (si iuridicè id possit) appellare, & apud alium superiorem, & æquum iudicem iniquitatem illius probare: Quod si id nequeat, potest non respondere, & asserere se inique interrogari, nec esse ei respondendum, & persistere in non respondendo, imò si citra scandalum id fieri possit, si compellatur per vim, aut carceris, aut tormentorum, potest etiam per vim se defendere, sicut posset cōtra quemcunq; alium priuatum vim vi repellere quia grauius peccat iudex vim illam inferendo, quàm peccaret alius priuatus, cum authoritate publica inferat iniuriam: & qui debet esse iustitiæ custos, & reddere cuique suum ius, illud violet.

Secundò, certum est, in hoc casu declinandum esse semper in fauorem rei, quia licet iste à parte rei, & coram Deo sit verè reus, in iudicio tamen exteriori est innocens, & talis habendus ex illa regula iuris: [Vnusquisque censendus est innocens, quamdiu non probatur nocens.] Vnde iudex illum iniustè interrogans infert ei iniuriam; & iure naturæ fauendum est potius patienti iniuriam, quàm inferenti.

Tertiò, certum est, si reo placeat posse respondere, & pati pœnam, Posse etiam tàm reum, quàm testem iniquè interrogatum vti verbis ambiguis, quæ recipiant aliquem verum sensum, iuxta communem modum loquendi, vel in Sacra scriptura, vel in iure, vel in communi hominum sermone: Sensus enim verborum, quibus vel Sacra Scriptura, vel ius ipsum, vel cōmuniter homines vtuntur, omnes sunt censendi veri, maximè in iudicio, quando non iuridicè, sed per vim cogitur subditus aliquid confiteri: potest ergo subditus sic compulsus quouis ex illis sensibus sic verbis vti in suum fauorem, etiam si aduertat iudicem decipi: Quia talis deceptio est passiua, & culpæ iudicis tribuenda cum hic iniustè, & verè se toeatur.

Quartò, certum est, esse responsiones veras, & faciles, quas antiqui Doctores proponunt, & quæ inter sinceros iudices sufficerent, quas habent Soto, & D. Nauar. locis citatis.

Prima est, audita accusatione, vel denunciatione proprij criminis, vel alieni negare ibi contenta, pro ut ibi continentur, vel quæ sibi sunt proposita quatenus proponuntur: Quia quæ in tali accusatione, vel denunciatione continentur, continentur vt publica, cum tamen sint iuridicè occulta, & quæ sibi proponuntur, proponuntur etiam vt iuridicè publica, & probabilia, & de quibus interrogatus tenetur iudici respondere, cum tamen occulta sint, & quæ in iudicio non probantur, nec tenetur ipse respondere: quæ via si sufficiat, non debet subditus aliam accipere, nec quærere verba ambigua.

Attamè cum iudicum peritia, & astutia multoties non admittat has responsiones, licèt sint maximè consonæ iuri, & Doctoribus, sed vrgeat frequenter reum, vt dicat an fecerit illud, & testem an illud sciat, viderit, vel audierit: Est vltimo loco certum apud plerosque Doctores, vt Adrianum in 4. quæst. de sigillo confessionis, quæ est. 1 n. & Quodlib. 1 t. Caiet. in opusculo illo cit. Scotum, Nauar. & Soto locis cit. licere testi, quando contra ius interrogatur respondere, ac verè, nescio tale delictum, ita vt animo concipiat, nescio illud ad reuelandum tibi in iudicio, maximè quando nō vidit, sed tantū audiuit. Et probatur hæc pars. Licet vti verbis ambiguis in aliquo vero sensu in hoc casu, & iniqua iudicis interrogatione, sed scire apud philosophos est rem certò, & per causam nosse, ergo quod solum quis audiuit, cum non certò sciat, quia potuerunt mentiri, qui illud retulerunt, verè affirmat se illud nescire: similiter patet etiam si viderit: Quia cum iudex interrogans vtatur authoritate publica, quæ alligata est iuri, illa tantum censendus est interrogare, ex regula illa: [Id possumus quod iure possumus. 22. quæst. 2. can. Faciet. & l. Filius ff. de constitutionibus. Sed secundum ius non potest interrogare de occultis ex illo cap. Qualiter & quando, el primero, vt vidimus, ergo quando interrogat censendus est interrogare de publicis, & quæ subditus tenetur aperire, & consequenter quando interrogat testem, an sciat Petrum esse occisum à Ioanne? perinde est ac si dicat, an sciat illud vt publicum, & ducendum in iudicium, & cū testis, sciat quidem illud, non tamen vt publicum, & ducendum in iudicium, sed vt occultum, verè respondet se illud nescire.

Quod si dixeris verum quidem hoc est, si iudex in forma interrogationis apponat illam clausulam: [Exemptis occultis,] vt habetur cap. illo, Qualiter & quando, at si iudex ex sua iniquitate non apponat illam, sed vrgeat vt testis dicat simpliciter quicquid scit de illo delicto, tunc dicere nescio, videtur mendacium, cum verè dicere nesciat, quia testis non tenetur respondere iudici secundum suam iniquitatem, sed secūdum id, quod potest vt iudex, & secundum mentem quàm debet habere, etiam si illam non habeat, secundum quam verè hic dicit, nescio, cum iure debeat habere iudex hanc mentem, vt respondeat illi testis quod scit, præter occulta. Et confirmatur, quia si priuata persona per vim vellet à me extorquere secretum, quod scio de Petro, omnium consensu possum dicere me nil scire de Petro: ergo similiter iudici quando contra ius interrogat, quia cum authoritas eius sit alligata iuri, vbi agit contra ius, actus eius non est iudicis, sed tanquam priuati, & iniqui hominis, qui abutitur authoritate publicâ, & sub titulo illius authoritatis infert iniuriā. Adducitur etiam à Doctoribus hoc loco illud Christi, Marci 13. [De die illa nemo nouit, neque filius hominis, &c.] quod verè Christus dixit, quia licèt nouerat, non tamen vt diceret, quia vt filius hominis, ea tantum nouerat ad reuelandum, quę mysterio nostræ redemptionis erant necessaria, ad quod non expediebat iudicare Apostolis diem iudicij. Reddūt alij alios sensus, quos refert Doctor Nauar. loco cit. num. 275. Sed hic est magis receptus à Doctoribus, vt docet optimè D. Thom. in 4. dist. 47. q. 1. art. 1. quæstiuncula. 3. Imò est regula omnium Doctorum, in cap. Sacerdos. De pœnitentia. distinct. 6. & cap. 2. De confessis, interrogatum contra ius de re quam nouit, sed non debet reuelare, posse verè respondere, se illam nescire, ita vt possit, vel debeat eam reuelare: sicut confessarius de auditis, & notis per confessionem potest verè affirmare, se illa nescire, quamuis non ita efficaciter possit hoc affirmare subditus in iudicio, sicut confessarius, vt optimè loco citat. M. Soto: verè tamen vterque dicet se id nescire.

Sed obijcies, quando vna pars contradictionis est vera, altera necessariò est falsa: hæc est vera hic scit hoc delictum, ergo necessariò est falsa illa assertio, qua dicit se id nescire. Respondetur à Doctoribus, Quando voluntariè quis loquitur falsum esse asserere se nescire quod scit, at quando compulsus iniquè in iudicio, quia ipsummet

met ius, cui actus iudiciales conformari debent, negat occulta in iudicio retinenda esse, perinde ac si nescirentur, tunc vtramque esse veram scio priuatim, & nescio in iudicio, quo modo nulla est contradictio, cum contradictio debeat esse ad idem, & secundum, &c. De eo autem certum est, non posse vti hac via, quia ridiculum esset, reum de proprio delicto asserere, se nescire an illud cõmiserit: [Quis enim nouit inata Diuum Paulum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?]

Denique certum est apud omnes, tàm reum, quàm testem iniquè interrogatum, si citra iuramentum negent veritatem cum aliquo mẽdacio, peccare tantum venialiter, quia illud mendacium non est contra ius, vel iudicium, etiam si in re graui, eum iudex contra ius procedat, neque est nociuum, sed officiosum tantum, sicut cum adultera interrogata à viro an commiserit adulterium (citra iuramentum) negat, mendacium illud veniale tantum est, quia est officiosum, & maritus non est eius iudex, ita in hoc casu, mendacium istud est officiosum, perinde ac si extra iudicium proferetur, cum iudex contra ius procedens, non habeat maiorem authoritatem reuera, quàm priuatus vim inferẽs ficto nomine iudicis. Tota ergo quæstio est.

QVANDO IVDEX NVLLA *admissa istarum euasionum ita præmit reum, vel testem, vt apertè respondeat an delictum illud fecerit, vel viderit, possit ne respondere reus non feci: Et similiter testis, non vidi.*

MAg. Soto de tegen. secret. membr. 3. quæst. 3. conclus. 5. & lib. 5. de iust. q. 9. artic. 2. asserit istum non posse in tali casu respondere non feci absque mendacio, nec testem posse respondere non vidi: dubius tamen est an possit dicere, non audiui. Cuius sententiæ hoc est fundamentum: Verba significant iuxta communem hominũ sensum, & conceptum, iuxta quem hæc verba scire, vel audire dicunt ordinem ad id quod est dicere, & manifestare. Ea namque affirmamus nos scire, vel audiuisse, quæ possumus dicere, & ea citra mendacium communi iam hominum sermone dicimus, nos nescire, vel non audisse, quæ non audisse, quæ non possumus dicere, nec manifestare. Patet hoc experientia, nam si in priuato colloquio incidat inter confabulantes sermo de Petro, & Ioannes parum timens Deum referat aliqua delicta occulta illius, in quorum cõfirmationem vtatur testimonio Andreæ, qui ibi adest, respondebit Andreas, si timet Deum, & nititur illa occultare, se illa nequè scire, neque audisse, nec iudicabunt circumstantes Andream, quamuis illa sciat, vel audierit esse tunc mentitum, quia communiter iam ita audientes concipiunt, vt significauerit Andreas se illa nescire, nec audisse ad dicendum. At hæc verba feci, vidi, ex communi hominum conceptu, non dicunt ordinem, vel habitudinem ad id quod est dicere, & manifestare, sed ad opus ipsum, & actum, ita vt perinde sit dicere non ita res est, quod quando reuera à parte rei aliter habet, nullo modo potest excusari à mẽdacio, similiter affirmare non vidi perinde est, ac dicere, non ita res habet, vt viderim, quod in eo qui verè vidit, à mendacio non est immune. Quicunque enim audiens Petrum dicentem non feci, aut non vidi, de re quam certò scit Petrum verè fecisse vel vidisse, iudicabit illum mentiri, nec curabit an proferat ista in illo sensu, non feci, aut nõ vidi vt dicam, sed solum curabit an reuera, & à parte rei illud verè fecerit, vel viderit. Vnde in cõmuni hominum sensu, & conceptu, hæ voces non feci, non vidi, non dicunt ordinem ad id quod est dicere, vel manifestare, sed tantum ad actum ipsum, & opus.

Ex quo fundamento argumentatur M. Soto: Quamuis subditus iniquè interrogatus possit verbis ambiguis eludere iudicem, at vt id faciat sine mendacio (quod nec pro salute totius mundi profetendum est) debent illa verba ambigua in aliquo sensu iuxta communem hominum conceptũ esse vera: Sed hæc verba, nescio, non audiui, ex communi hominum consensu, dum dicant habitudinem ad id quod est loqui & manifestare, admittunt hunc sensum, nescio vt dicam: at hæc verba facere & videre, ex eodem hominum cõceptu, cum nõ dicant ordinem ad id quod est loqui, vel manifestare, sed solum ad opus, & actum, non admittunt talem sensum, sed falsò assereret, non feci, vel non vidi, qui verè fecit, vel vidit, ergo non licet istis vti.

Et confirmatur, si interroget iudex, fecisti nec hoc homicidium? & reus qui illud fecit, responderet, non est ita, omnium iudicio mentiretur sic respondens, sed hæc oratio non feci, æquiualet huic, non est ita, ergo respondens non feci mentitur. Maior patet, quia non est ita, quando reuera res est, sunt omnino contradicentia, quorum vnũ necessariò est falsum, cum aliud à parte rei sit verum.

Secundò, Hæc verba scio, memini, & illa feci, vidi, ita differunt, vt illa significent actum internum animæ, cognitionem scilicet intellectus, vel reminiscentiam memoriæ, & ita dicunt ordinem ad voces, & verba exteriora, quæ ex Arist. instituta sunt ad exprimendos exterius internos animi conceptus, alia verò nempè feci, vidi, non significant aliquem actum internum animi, sed factum exeternum, & actum exeternum sensus, sine vllo ordine ad verba: Vnde quod non potest dici, & manifestari verè asseritur nesciri, at quod reuera factum est, vel visum falsò asseritur non esse factũ, vel non esse visum, nec possunt verificari in hoc sensu non feci, aut non vidi, ad dicendum. Imò dicet iudex, non quæro an ila feceris, vel videris, vt non possis, vel debeas mihi reuelare? sed simpliciter, & à parte rei quæro ipsum actũ & opus, an feceris vel videris? quo modo dicere non feci, vel non vidi, quod quis reuera fecit vel vidit, nõ sunt verba æquiuoca, sed mendacia.

Tertiò, si quis interrogatus extra iudicium diceret de re quam fecit, non feci, mentiretur omniũ iudicio, ergo mentitur similiter sic respondens in iudicio. Antecedens patet, quia omnium iudicio mentiuntur diuites, qui pauperibus petentibus mutuò aliquam pecuniam respondent se non habere illam, etiam si animo cõcipiant hunc sensum, se non habere illam ad mutuandum: Consequentia verò probatur, quia mendacium non mutatur ratione loci, sed quod est mẽdacium in vno loco, verbi gratia, extra iudicium, est etiam mendaciũ in iudicio.

Quartò, quia ita responderet in iudicio, si deinde

de constaret ipsum illud fecisse, aut vidisse, iudicaretur ab omnibus mendax, ac si ita respondisset cum iuramento iudicaretur periurus. Et confirmatur, quia sic respondentes communiter accusant se in confessione Sacramentali, tanquam de mendacio, conscientia vrgente.

Quintò, iuxta oppositam sententiam, liceret reo respondere iuxta propriam mentem, & cõtra sen sum iudicis: vt si quæræt iudex, occidisti ne Petrũ? ipse posset respondere, non occidi, intelligendo alium Petrum, vel non occidi antequam nascerėtur. Et ita posset ex animo intendere, deceptionẽ iudicis, quod non licet, sed solum absque mendacio occultare suum delictum. Et confirmatur ex D.Tho. Qui tàm præcedenti articulo, quàm hoc secũdò, hoc solum docet iniustè interrogato, occultare veritatem absque mendacio, nunquam tamen dixit licere illam negare, quod certè si liceret in re adeò graui Doctor Sanctus non siluisset.

Sextò, Testis non potest testificari quod reuera sit esse falsum, nec tabellio efficere scripturã continentem quod reuera scit esse falsum, & reus qui talem testem, vel scripturam produceret in iudicio, peccaret grauiter, ergo nec reus potest dicere, non feci, vel testis, non audiui, cum hoc à parte rei sit reuera falsum.

Denique si verè posset dici in hoc casu non feci, non vidi, frustra niterentur Doctores suadere reo, ne mentiatur in iudicio, quod potissimè intẽdunt, nec dicat non feci, quod reuera fecit. Frustra laborarent in excogitandis modis & vijs, quibus reus se tueatur, ita vt non neget veritatem. Et D.Tho. in hoc articulo id maximè docet, vt reus se defendat vijs licitis, non tamen illicitis, quale est mendacium. Quod si quæras à M.Soto, Quid ergo faciet reus iniquè interrogatus, & redactus ad has angustias? similiter adultera, quam vir pręcisè interrogat, an commiserit adulterium? Respondet reum quærere debere orationes amphibologicas, vt si latinè loquatur, dicat per infinitiuum, intro, me neminem occidisse, quia hæc vera est in tito sensu, ipsum à nemine esse occisum, sicut illud Apollinis ad Pyrrum,

[Aio te Aeacidas Romanos vincere posse.] Vel alia simili oratione, Similiter adulteram posse eindere virum, dicendo viro nunquã fregi matrimonium, quia licet fregerit fidem, non tamen ipsum matrimonium: Vel si vir eius sit illi consobrinus, & apparitores quærant ab ea, an vir eius intrauerit domum, potest iurare neminem illam ingressum esse, præter suum cõsobrinum: Quemadmodum Sarra iurauit se esse sororem Abrahæ, quo verbo verè celauit esse vxorẽ eius, erat enim illi verè soror ex patre, non ex matre; Quod si nulla ex his vijs possit iniquitatem iudicis subterfugere, sed cogitur respondere simpliciter an fecerit, respondeat se id fecisse, cum oppositum sit falsum, & mẽdacium, & patitur mortem ne mentiatur: sicut puella, quæ nullo modo potest euadere vim fornicarij, debet prius mori quàm illius turpitudini consentire: non enim semper possumus hominum, vel iudicum iniquitatibus obuiare: & quemadmodum innocens probatus nocens per testes, tenetur mortem illam patienter ferre, vt oppressus ab inuasore. Hæc Soto locis citatis.

Oppositum docet Adria. in 4. in Quæstione de sigillo confess. in Solutione secundi argumenti. Vbi quamuis præcipuè loquatur de confessario producto in testem, agit etiam de reo: affirmatq; reum adiuratum de crimine occulto, de quo iuridicè interrogari non potest, esse respondere se nil circa illud factum nosse, imò si iudex vrgeat, posse verè dicere, non feci crimen, quod possis à me iuridicè inquirere. Additque Adrian. hanc esse communem opinionem omnium Doctorum. Vbi nescio qua ratione dicat Soto, se neminem vidisse in hac sententia, cum opinionem ipsius nemo sequatur præter quam quidam Ginesius Sepulueda de ratione reddendi testimonium, illam verò Adriani multi: Nam Scotus in 4. dist. 15. q. 4. ar. 3. agens de reo iniustè interrogato ait.

[Respondeat, nego proposita, vt proponũtur, id est, vt iure publico: quod si iudex vrgeat, vt cõfiteatur propositum, vel vt neget, respondere potest, quod iam sufficiẽter respondit ad accusationem, & in eo persistit.] Et subiũgit Scotus: [Sed nunquid si neget, intẽdens negare illud, vt propositum est, scilicet vt publicum, tenebitur ne pœnitere tanquam de mendacio ? Respondeo] (inquit Scotus) [Bonarum mentium esse, culpam agnoscere, vbi culpa non est, & ideo tutum esse tunc pœnitere de illo, quale est sub dubio, an sit mortale, vel veniale.] Vbi Scotus, licèt non doceat apertè opinionem Adrian. non tamen illam negat, imò videtur significare, timere in tali negatione culpam, nõ tàm esse ex iniquitate negationis, quàm ex priuilegio bonæ conscientiæ, quæ solet timere etiã vbi culpa non est, propter quod pœnitere in eo casu, quidem tutum, non tamen debitum: Nec docet (vt vult Soto) non licere reo negare se fecisse, quãdo iniustè interrogatur, sed consulit, non præcipit, vt ad maiorem cautelam pœniteat reus, qui sic negauit, quia bonæ consciẽtiæ solent etiam iuxta D. Bernardum culpam timere, vbi culpa non est, maximè cum hæc res sit dubia inter Theologos, & alios Doctores. Et opinio hæc Adrian. et si à multis iudicetur vera, non tamen est vsquequaque certa, quin ad maiorem securitatem animæ sit optimum de tali negatione confiteri. Apertius Caiet. in illo opusculo responsione 5. vbi ait: Inquisitum de complicibus occultis præter ius, posse verè respondere non habere complices. Vnde iuxta Caiet. sicut iste, quia interrogatur iniquè, verè asserit non habere cõplices, habendo in animo, quos tu à me vt iudex inquiris, ita quoque reus verè asserit, non feci delictum, habens in animo quod tu à me iuridicè inquiris, & similiter testis in eodem sensu verè dicit, non vidi. Antonius Cordub. in Scholijs in opu scul. de teg. secre. Mag. Soto idem iudicat maximè probabile. Et Nauarr. loco cit. nume. 275. apertè amplectitur hanc opinionem. Et omnes ferè recentiores.

Et probatur. Responsio in iudicio non debet esse secundum iniquam mentem iudicis, sed ad sensum quem iuridicè nata est habere interrogatio illius: interrogatio autem iudicis in iudicio nata est habere hunc sensum: quæro an commiseris crimen, quod iuridicè inquiri potest? ergo responsio rei, vel testis debet sumi in eodem sensu, non feci, aut non vidi crimen, quod tu legitimè inquirere possis, & ego teneat tibi manifestare, in hoc autem sensu talis responsio est vera, ergo verè affirmant isti non feci, non vidi: Et cõfirmatur, quia hac eadẽ ratione probant Soto, & alij Doctores, posse testem dicere nescio istud crimen, quia interrogatio iudicis sumenda est secundum formã iuris, & in sensu, quem debet iuridicè habere, & cum in iudicio tantum possit inquirere iudex publica & notoria, testis vero non sciat aliquod crimen illius rei publicum, & notorium (quod enim scit est occultum) verè dicit nescio, id est nescio

tale

tale crimen notorium, ergo similiter quando inquirit an fecerit, vel dixerit, intelligenda quoque est interrogatio iuridicè, an fecerit, vel viderit crimen publicum, & pertinens ad iudicium, & cum crimen quod iste fecit, vel vidit non sit tale, sed occultum & alienum à iudicio humano, verè asseret non feci non vidi, id est tale crimen.

Secundò, vt constat ex q. 67. art. 2. quando iudex condemnat innocentem secundum allegata & probata, licet certò sciat illum esse à parte rei innocentem, verè nihilominus asserit in sententia illum nocentem esse, & vt talem cõdemnat, quia talis est iuridicè, & talem illum nouit, secundum sententiam publicam, quàm debet sequi in iudicio, Ergo similiter cum interrogatio, & responsio in iudicio debeant esse iuridicè, & circa ea tantũ crimina, quæ iuridicè inquiri possunt, & quorum haberi potest publica, & iudicialis cognitio, idem est quærere, num fecisti? qood dicere fecisti ne quod à me iuridicè inquiri potest? & dicere non feci, non vidi, quod dicere non feci, uel non uidi, quod à me iuridicè inquiras.

Quod si iudex ex sua, malitia ita vrgeret, dic, num hoc feceris? siue ego de crimine hoc inquirere possim siue non? non tenetur subditus aliter quàm dictũ est. Quia iniquitas iudicis non gignit nouam obligationem, neu debet introducere nouum sensum, nec debet testis illi respondere secũdum illius iniquitatem, sed ad sensum quem iuridica interrogatio secundum se nata est facere, quicquid sit de malitia iudicis. Imò est regula Doctorum, Vbi fraus, dolus, vel violentia interuenit ex parte loquentis, ne illius fraus, vel violẽtia ipsi patrocinetur, sed secundum intentionem eius, cui ille loquitur, modò illa iusta sit, quod etiam docet D. Thom. infra quæst. 89. artic. 7. ad 4. quia in tali casu ille, qui loquitur cum fraude vel vi, est velut aggressor, is verò cui ille loquitur est velut aggressus, & omni iure semper est fauẽdum aggresso, cum sit potior ratio patientis iniuriam, sed in hoc casu est dolus, & violentia ex parte iudicis interrogantis iniquè, ergo responsio non debet esse secundum mentem iudicis, sed secundum mentem rei, cuius mẽs, & animus est iustus in hac parte, intendens respondere interrogationi secundum eum sensum quem ritè, & iuridicè nata est facere.

Tertiò, ex eodem Soto Iudex, vel minister iustitiæ, quòd audiuit, vel vidit in vno tribunali, & foro, si illud afferat secum secretum, potest verè asserere in alio tribunali se omnino ignorare, nec audisse, nec vidisse, quia non potest propter secretum fori, in quo illud audiuit, vel vidit, manifestare, nec loquitur solum de his quę audiuimus in foro animæ, & confessione sacramentali, sed de his quoque quæ in foro exteriori sæculari vel Ecclesiastico videntur, sed eodẽ modo quæ sunt occulta ex debito secreti naturalis non possunt manifestari in foro iudicis, ergo verè quoque de his dici potest in tali foro, non feci, aut non vidi.

Quartò, quando quis non tenetur omnem suã mentem alteri exprimere, potest sine vllo mendacio proferre orationem, cuius veritas pendeat ex aliqua particula tacita, & ab eo mente concepta, sed hæc oratio non feci non vidi, est vera sub illa conditione, & particula, id est, crimen publicum, quod teneat manifestare in iudicio, profertur autem ab eo, qui non tenetur iudici (cum iniustè interroget) mentem suam aperire, ergo potest illud proferre simpliciter, & absque mendacio, concepta mente illa particula. Consequentia aperta est, tota difficultas consistit in maiori. Sed probatur efficacissimè ex Sacra Scriptura, exemplo Christi, qui Matth. 19. dixit de quadam puella, quæ reuera erat mortua: [Nõ est mortua puella, sed dormit, quòd verè dixit, subintelligens illam particulã, respectu meæ potestatis, qua ita facilè possum eam suscitare sicut dormientem, quam tamen particulam non explicauit turbis, quia nõ tenebatur Christus mentem suam illis aperire. Vnde est argumentum, in hac oratione non est mortua puella, &c. Illud verbum, mortua, non significat magis actum animi, quàm verbum, non feci, nec videtur habere maiorem æquiuocationem quàm verbum, non feci, Ergo sicut Christus verè dixit, non est mortua, subintellecta illa particula meæ potestati, quia ita debebat intelligi: ita quoque cũ hic interrogetur à iudice, cuius interrogatio tantum habet locum in crimine publico, subintelligenda est illa particula, non feci crimen iuridicè publicum, & quod teneat manifestare in iudicio: & iuxta hunc sensum verè dicit, non feci. Similiter Ioan. 7. cum fratres Christi dicerent ei, vt ascẽderet in Hierusalem, dixit eis: [Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam. Illa oratio, licèt Christus instituebat ascendere, fuit vera, quia subintelligebatur in mente Christi, nõ ascendam vobiscum, vel non ascendam manifestè, quod patet ex ipso textu, subditur enim postquam fratres eius ascenderunt: [Ascendit ipse, non manifestè, sed quasi in occulto,] quam tamen particulam non expressit Christus, sed mente illã tantum concepit, & retinuit, quia non tenebatur illis aperire mentem suam. Similiter Matth. 11. cum dixisset Beatum Ioannem præstare Prophetis, qui illum præcesserunt illis verbis: [Inter natos mulierum, &c. subiungit agens de seipso, & conferens se cum Ioanne. [Sed qui minor est in regno cœlorum, maior est Ioanne.] Quæ oratio falsa est, vt sonat, Christus enim non erat minor Ioanne, sed omnium maximus, imò, & contradictio vt esset minor, est autem vera cum illa particula: Qui hominum æstimatione, & iudicio est minor Ioanne, ipso reuera multo maior est: quam tamen particulam reticuit Christus. Et quando dixit de die autem illa, &c. ex ipsomet Soto, intelligitur ad reuelandum, quod etiam reticuit, quem modũ loquendi, & ipsi Iuristæ probant. Nam Angelus Perus. l. idem. §. si tibi. ff. de condit. ob turp. caus. Et Ioan. de Anania cap. Qui cum fure. De furtis, asserunt iniquè interrogatum posse verè respõdere, proferendo orationem, quæ cum particula tacita, & ab ipso subintellecta sit vera, adducuntque ibi illud D. Francisci, qui interrogatus Perusijs à ministris iustitiæ, quærentibus quendam homicidam, qui iuxta ipsum transierat, respondit, non transiuit hac, manus ducens, illis nil tale obseruãtibus, versus manicas suæ vestis, intelligensque non transiuit per has manicas. Hanc opinionem iudicio probabiliorem, & tenendam. Nam sicut vidimus supra q. 63. artic. 3. in opinionibus æquè probabilibus inclinandum est in fauorem rei: Vnde cum in hac parte opinio Adrian. non sit minus probabilis, quàm illa Mag. Soto, imò multò probabilior, & communior, & in fauorem rei, inclinandum est in eam.

Hinc colligo duo consectaria. Prius est, Quando quis aliquid fecit quod exterius videtur esse contra legem, reuera tamen, & in conscientia in eo non peccauit, nec violauit legem, vt qui occidit inuasorem cum inculpata tutela, si deinde interrogetur à iudice, posse iuridicè respondere nõ feci,

feci, iuxta sensum propositum, id est nō feci quod teneat declarare in iudicio: nam talis occisor inuasoris potest accusari, & denunciari per semiplenam probationem, & cum ipse non habeat testes, per quos possit probare suam inculpatam tutelā, & se purgare, in hoc casu licet iuste iudex interroget, quia ex istis semiplena probatio, ipsi nihilominus licet respondere non feci, quia in criminalibus, interrogatio iudicis semper est intelligēda de aliquo facto quod sit crimen, & peccatum, quod iste in hoc casu non commisit: Vnde est sensus, non feci quod tu inquiris, quia tu inquiris de delictum, ego autem non feci, nec commisi delictū. Similiter qui accepit alienum in extrema necessitate, vel cum ignorantia inuincibili, vel quod sibi debebatur, nec valebat recuperare, potest verè respondere, si interrogetur de acceptione alieni, nō accepi, quia iudex iuridicè interrogans, quærit de acceptione iniqua quæ est furtum, & peccatum, hic autem non commisit furtum, &c. Quod si dixeris ergo daretur bellum iustum ex vtraque parte, nam ex parte iudicis est iustum, cum interroget præcedente semiplena probatione, & ex parte rei similiter, cum iuste neget.

Respondeo, posse dari bellum iustum ex vtraque parte, quando interuenit ignorantia inculpabilis, quomodo res habet in hoc casu: est enim bellum iustum ex parte rei simpliciter, quia est iusta illius negatio, ex parte autem iudicis non est iustum simpliciter, sicut nec est eius interrogatio iusta simpliciter, sed tamē ob ignorantiam inculpabilem, quam habet, ex illa præsumptione, & semiplena probatione facti.

Posterius consectarium est, cum soleant iudices, postquam interrogarunt aliquem innocentē, & iuxta ordinem iuris, de delictis, quæ non commisit, & ille negauit: quia reuera talia non commiserit, solent, inquam, rursum interrogare illum de aliquibus circumstantijs veris, ex quarum cōfessione facile conuincetur, vel delicto, vel de grauissima suspicione, propter quā incurreret etiā innocens ille aliquod graue damnum. In hoc casu non tenetur innocens iste confiteri tales circūstantias, nec debet respondere ad mentem iudicis: quia licet iudex in hoc casu interroget legitimè, nititur tamen falsæ præsumptioni, vel infamiæ, & in foro animæ veritas debet præualere, præsumptioni, quæ nascitur ex falsa probatione l. Illicitas §. Veritas. ff. De officio præsidis, maximè in fauorem rei innocentis l. Absentes, ff. de pœnis, cap. Vltimo. De sententia, & re iudicata, Et licet iudex debeat iudicare secundum allegata, & non secundum id, quod priuatim nouit, vt vidimus, nihilominus si sententia iudicis nitatur falsæ præsumptioni non obligat in conscientia. Ita Soto de tegen. secr. memb. 2. quæst. 7. post tertiam concl. Tum etiam quia iudex inquirit, vel saltim inquisere circumstantias illas, vt circumstantias delicti de quo quærit, & sub hac ratione de illis interrogat, Et cum in hoc homine, tales circumstantiæ licèt veræ sint, non tamen sint circumstantiæ talis delicti, veræ illas hic negat.

Nunc ad argumenta Mag. Soto: Omnia illa facilè soluuntur ex duplici fundamēto. Positio prius est, Eum qui non tenetur alteri exprimere omnē mentem suam, & veritatem, posse reticere particulam, ex qua pendeat veritas orationis, quā profert, & orationem illam tacita illa particula, & sub intellecta, esse veram, quia talis oratio in eo casu, propter iniquitatem interrogantis, non est intelligenda secundum intentionem ipsius, sed iuxta mentem respondentis, iuxta quàm est vera.

Alterum fundamentum est, dicentem quando iniquè interrogatur, non feci, vel non vidi loqui in hoc sensu, non feci, vel non vidi crimen, quod tu iudex potes, vel debes inquirere.

Ad primum igitur argumentum Soti respondeo, quando quis voluntariè, & liberè loquitur, debere vti vocibus iuxta communem hominum conceptum, & sermonem, at quando aliqua vis, vel fraus ei infertur, non teneri, sed posse vti vocibus amphibologicis, hoc genere amphibologię, vt partem orationis proferat, partem mente retineat, quod accidit in hoc casu.

Ad secundum dico, omnes voces esse institutas ad explicandos animi conceptus, siue id quod cōcipimus sit actus internus ipsius animi, siue aliquod opus externum: quemadmodum enim cum ego scio hanc rem, concipio me illam scire, & hūc conceptum explicò hac voce scio: ita quoque, quando aliquid feci, concipio me illud fecisse, & hunc conceptum explico hac voce feci. Vnde in ordine ad significādum, eodem modo se habent omnes voces, licèt conceptus per illas significati quidam sint de actibus internis, & immanentibus ipsiusmet animi, alij verò de actibus exterois: Vnde sicut quando dico nescio, quod verè scio, sed debeo occultare, non verè id dico, quia hæc vox nescio, exprimit actū animi, quia hoc modo esset falsa cum verè illud sciam, sed quia sub intelligitur illa particula, nescio illud ad manifestandum: ita quoque, quando dicitur non feci, vel non vidi, licèt in ordine ad actum quem exprimit sit falsum, at sub intellecta hac particula, non feci, non vidi, quod à me possis iuridicè inquirere (quàm vt constat licet subintelligere) verè in hoc casu illud dicitur. Quo fit vt discrimen, quod affert Soto inter has voces, re optimè considerata, figmentum quoddam sit.

Ad tertium dico, non esse parem rationē, quia extra iudicium, maximè si quis loquatur citra iniuriam, loquitur voluntariè, & liberè, neque est ibi aliqua circumstantia publica, ratione cuius responsio recipiat talem sensum, propter quod debet loqui citra vllam amphibologiam, ad mentē interrogantis, vel audientis: at in nostro casu, iudex sic interrogans infert vim, & responsio cum sit iuridica, recipit commodè sensum iuridicum, Et ita verè affirmatur, non feci, nō vidi delictum quod à te possit iuridicè inquiri.

Ad quartum respondeo, ex ignorantia prouenire, vt illi se accusent de mendacio, vel iudicentur mendaces ab audientibus: nam periti nil tale iudicabunt iuxta doctrinam hic positam.

Ad quintum dico, sic respondentem, illud tantum intendere, occultare veritatem absque mendacio, non deceptionem iudicis, quamuis sciat illum decipiendum, cum videat hanc deceptionē iniquitati iudicis, non sibi esse tribuendam. Et ad confirmationem ex D. Thom. dico, D. Thom. docere in genere, licere occultare veritatem vijs licitis, non autem descendunt ad explicandum in particulari illas vias: vnde in hac quæstione, quā hic agitamus cum Mag. Soto, neque fauet nobis, neque aduersatur.

Ad sextum distinguendum est de testibus, & tabellionibus: nam vel voluntariè accedunt, vel vocantur à iudice, & interrogantur nulla illata vi, vel compelluntur, & vrgentur, vt dicant num viderint, vel audierint.

Si primo modo, debent testificari ad mentem interrogantis, aliter peccabunt grauiter: Nam cū volun-

voluntariè accedant, & nulla ipsius inferatur iniuria, debent vti vocibus in communi sensu, & ad mentem iudicibus, iuxta doctrinam. Diui Thom. Si verò accedant secundo modo, debēt dicere se nescire, eo modo quo expositum est, quando præter ius interrogantur: In quo vt constat ex dictis omnes conueniunt. Quod si tertio modo, verè dicunt non vidi, non audiui iuxta sensum explicatum: Similiter tabelliones, si producantur à reo vel voluntariè se offerant iudici, debent verum dicere, & offerre scripturas, quas habent secundum mentem iudicis, ob eandem rationem qua tenentur testes, quia voluntariè accedunt, Si vocati à iudice, & præter ius dicant se nescire, vel non habere tales scripturas, quia non habent eas ad manifestandum, quando iniquè proceditur. Quod si vi, & iniquè cogantur à iudice, multò iustius ob iniquitatem iudicis possunt, & debent illas denegare.

Ad vltimum respondeo, non esse vanam solicitudinem Doctorum, in inquirendis vijs, quibus reus, & testes iniquè interrogati absque mendacio possint occultare veritatem, quia assignantes istos modos, viam aperuerunt posteris, ad excogitandum qua ratione possint reus, & testis affirmare, non feci, non vidi, absque mendacio.

Huic controuersiæ hactenus explicatæ illa proxima est.

CONTROVERSIA XII.

POSSIT NE IUDEX INQUIRERE iuridicè delictum, quod via iniqua ipsi, innotuit, & an sic interrogatus teneatur respondere.

Obseruemus initio, non esse hic sermonem de crimine, quod iudici innotuit, per aliquam iniuriam illatam reo, vel testi, contra secretum cōfessionis Sacrament. siue illata eis sit ab ipsomet iudice, siue ab aliquo alio, siue in iudicio, siue extra iudicium, Esset enim sacrilegium, ex tali notitia velle procedere, tùm contra Sacrosanctum cōfessionis sigillum, tùm in damnum Reipub. Christianæ, arcerentur enim homines hac via à confitendis delictis, vt optimè Sot. de tegen. sec. mem. 3. q. 2. in fine: Neque est sermo, quando delictum per vim, tormenta, vel minas iudicis iniquè extortum est, constat enim iam ex Controu. 10. huius ar. ex tali cognitione sic extorta non licere iudici vltra procedere. Sermo ergo est de alijs, quibus aliquādo delicta subditorum superioribus innotescunt.

Vnde obseruemus secundò, posse iniuriam, qua secretum eruitur à reo, vel teste, aliquando inferri ab ipsomet iudice, aliquando verò ab aliquo priuato: à iudice quidem, si vel fingendo se habere semiplenā probationem vel alios testes, aut oblata ficta venia, testē vel reum decipiat. Ab alio verò vel in iudicio vel extra iudicium: in iudicio, vt si à tabellione vel ministris iudicis per vim, minas, vel fictas promissiones in progressu, & causę inducantur ad reuelandum aliquod occultum: Extra iudicium, quando ab eisdem, vel ab alijs extra progressum causæ, & extra actus iudiciales, minis vel fictis etiam promissionibus inidem inducuntur.

Obseruemus tertiò, delictum, quod iudici innotuit, & si per viam iniquam, vel cedere in damnū alterius commune, vel particulare, aut nulli nocere. Denique iniuria illi reo vel testi illata, per quā crimen illud detectum est, aut statim à principio innotuit iudici, & à limine, vt dicunt processum fuit ipsi perspicua, vel bona fide incepit iudex in causa illa inquirere, deinde verò progressu causæ deprehendit, per iniquitatem, & iniuriam crimē illud detectum esse, & processisse ex falsa præsumptione.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando iudex nouit delictum per iniuriam quam ipsemet intulit reo, vel testi, siue in iudicio, siue extra iudicium, non potest ex tali notitia vltra procedere ad inquisitionem.

HÆc habetur in illo c. Qualiter, & quando extra De accusatio. Et ratio est, Quia iudex qui est positus ad corrigendos errores aliorum, quan do ipse adeo turpiter erraruit in suo officio, volēs per iniuriam, & iniquè extorquere veritatem à teste, vel reo: non debet talis notitia ipsi suffragari, neque ex ea procedere.

Secundò, quia vt dicebamus Controuer. 10. Quando medium est iniquum, & cognitio per illud parata iniqua est, & inutilis ad aliquem effectum iuridicum.

CONCLVSIO II.

Quando delictum est in damnum commune imminens, & quod adhuc est in fieri, vel tale, vt etsi iam præcesserit, eius tamen punitio est necessaria bono communi, vel ad tollendum scandalum populi, tunc etsi per iniquitatem ipsiusmet iudicis ipsi innotuerit, debet nihilominus procedere ad illius punitionem.

TAnta enim est vis boni communis, & adeo illi debent iudices prospicere, vt propter illud liceat aliquando iudicibus, imò debeant prætermittere ordinem iuris, vt in hæresi, proditione ciuitatis, & similibus. Ita Soto loc. cit. Et quamuis id asserat sub dubio, ego tamen sequutus in hac parte multos ex recentioribus, & peritis non dubitarem de hac cōclus. sicut proposita est, loquor enim de damno communi quod adhuc est in fieri, vel cuius punitio est omnino necessaria Reip. nam quando iam est commissum, nec est periculum committendi simile, adeoque occultum, vt manere illud impunitum non noceat Reipub. crederem in tali non posse iudicem procedere, quādo cum iniuria illud extorsit, in illo verò quod ad hunc nocere potest, & reuera nocebit nisi puniatur, censeo iudicem etsi per iniuriam illud detegerit, postquam iam detectum est, debere procedere ad puniendum, cum ita expediat bono communi.

ARTICVLVS III.

Quando delictum innotuit iudici, per iniuriam illatam reo vel testi ab aliquo alio priuato extra iudicium, potest tunc iustè procedere ad inquisitionem, et punitionem, & interrogatus tenetur respondere.

Verbi

VErbi gratia si quis priuatus minis cogat Ioannem reuelare delictum Petri, quod ita detectum innotescat iudici, potest iudex ex illa notitia procedere. Quia iudex in hoc casu procedit contra delictum quod iam non est occultum, quod verò malitia, & iniquitate alterius detectum sit, hoc est per accidens.

CONCLVSIO IIII.

Quando delictum detectum est per iniquitatem in iudicio (etsi sine culpa iudicis), per ministros ipsius aliqua vi, vel fraude inducentes reum vel testem, non potest iudex ex notitia delicti sic habita procedere.

PAtet, quia sicut instrumenta reducuntur ad causam efficientem, ita actus ministrorum ad iudicem. Sunt, n. actus quoque illorum iudiciales, & consequenter ageret inique iudex, qui iniquitate suorum ministrorum vteretur ad inquirendum, & iudicandum.

CONCLVSIO V.

Quando iudex procedit ex falsa praesumptione, existimans bona fide à principio causae se iustè procedere, si deinde intelligat se iniquè procedere, tenetur desistere ab incepto, nec vltra progredi.

VErbi gratia inquirit iudex, via accusationis, credens testem illum, per quem habet semiplenam probationem, verum esse: Inquirit, & interrogat via inquisitionis, credens reum verè infamatum esse deprehendit deinde, testem illum cui innititur mentitum fuisse, vel infamiam illam non à viris probis, & honestis, sed à maleuolis, & maledicis esse excitatam, & diuulgatam, tenetur desistere. Similiter credit initio, delictum de quo inquirit, ab aliquo extra iudicium fuisse detectū, vel in iudicio citra vllam iniquitatem, & iniuria suorum ministrorum, procedit ex illa falsa praesumptione, deprehendit deinde delictum illud fuisse omnino occultum, & iniquitate suorū cū iniuria testis, vel rei fuisse detectum, si adhuc non laboret infamia, sed maneat apud suos tātum cognitum, tenetur non vltra procedere. Perspicua haec sunt, Quia cum iudex in casu huius conclusionis, ideo à principio causae rectè procederet, quia credebat bona fide, & praesumebat crimen illud ritè fuisse detectum, quam primū nouit oppositum, cessat illa bona fides, & praesumptio, & consequenter tenetur, & ipse cessare.

CONCLVSIO VI.

Quando crimen detectum est in iudicio per iniquitatem aliorum, quam ministrorum iudicis, ac sine vlla culpa iudicis, iustè potest iudex procedere ad illius inquisitionem, & punitionem.

VEluti si in inquisitione generali, quae fit in visitationibus, quando accidit aliquod crimen publicum, si testis ex malitia, vel ignorantia reueler aliquod crimen occultum, potest tunc iudex iustè procedere, quia iam est illud effectum notorium in iudicio, nec propterea quod innotescat illud iudici per iniquitatem alterius in iudicio, desinit iudex habere in actionem illud, imò habet in illud maiorem, cum perinde se habeat reuelari illud ipsi in iudicio, ac si committeretur ipso iudice sedente pro tribunali: Habetque hoc vsus omnium iudicum: Dixi in hac conclusione sine vlla culpa iudicis, Quia si in inquisitione, verbi gratia generali, iudex ipse minis, vel precibus indicat testem, ad reuelandum occultum quod non debet, vel interrogauit de industria (vt saepè fit) viros simplices, & rusticos, vtens illorum ignorantia, & sperans illos tanquam ignaros reuelaturos, & ea quae non licet, tunc per iniquitatem iudicis detegitur crimen occultum, nec potest ex tali notitia procedere, & inquirere.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando delictum per iniuriam, & iniquitatem alicuius detectum est, siue iudicis, siue ministrorum, siue alicuius alterius priuati, & contra illud ita detectum inquisitum fuit, secutaque sunt aliqua damna illi reo, vel testi, qui ita illud detegit per iniquitatem, & iniuriam, tenetur ad reficienda omnia damna temporalia, siue expensas, siue lucra cessantia, quae illi reo vel testi ea de causa contigerunt.

PAtet haec regula illa restitutionis. Quicunque nocet alteri cum iniuria tenetur ad restituenda omnia nocumenta, & damna. cap. si tu causa. De iniuriis, & dam. dato.

CONTROVERSIA VLTIMA.

QVI NEGANDO VERVM crimen, de quo iniustè accusatur significat accusatorem esse mentitum ad quam restitutionem teneatur.

IN hac quaestione variae sunt, & discrepantes Doctorum sententiae. Caietanus hic, & in Summa, verbo, Restitutio. Duo habet: primò, Accusantem contra ius bifariam considerari posse, aut quatenus accusator iniquus est, aut vt quidam priuatus homo: Primò modo consideratus non afficitur (inquit) iniuria, quando reus, cuius crimen occultum erat, asserit illum mentiri: quia meretur talem infamiam, eo ipso, quo iniquè accusauit, & defecit in probatione.

Secundò autem modo considerato accusatore, quoad priuatus homo est, infertur illi iniuria, si à reo affectatur mendax, quia vt priuatus homo habet ius, ne habeatur mendax, quamdiu non dicit falsum. In hoc autem casu constat illum dixisse verum, quamuis occultum, & quod tenebatur celare. Ait secundo Caietanus in quo sequitur ipsum Nauarrus capitulo 18. numero 46. vtrumque teneri ad restituendam sibi inuicem famam: accusatorem quidem, quia iniustè reuelauit crimen fratris, accusatum verò, quia infamauit accusatorem de mendacio, cum dixerit verum: Modum autem restituendi vult esse hunc, vt accusator dicat accusatorem non esse mentitum, nec esse habendum pro mendace, licet malè, & iniquè sit loquutus.

Probant hanc partem Caietan. & qui illum sequuntur, hac ratione. Nemo potest remittere restituti onem

Tertiò modo respódendo simpliciter se nil tale commisisse.

Vel quarto modo, asserendo accusatorem illud crimen cõmisisse, & falsò imponere, ac in eo omnino mentiri. Ex quibus modis est regula certissima omniom Doctorum eligendum esse perpetuò à reo illum modum respondendi, quo sibi prosit cum minori accusatoris infamia, & nocumento: vi illius principij, Debet vnusquisque vti iure suo cum minori, quantum poterit fratris sui damno, & nocumento. Vnde si in prouincia vel regno, vbi causa illius agitur, primus modus respondi sufficit ad iuridicam defensionem, vel secundus, non debet vti tertio, quia ex illo, quamuis indirectè, consequenter tamen, interpretatiuè sequitur accusatorem esse mentitum.

Obseruemus secundò: Quæ non tenemur nec possumus tuta cõscientia reuelare (vt ex superioribus constat) posse nos, & cum iuramento affirmare illa nescire, quia nescimus illa ad reuelandum. Quemadmodum enim quamuis simpliciter in genere (vt dicunt) entis possumus peccare. Hæc propositio nihilominus est vera, & in Sacra Scriptura vsitatissima, non possum peccare. Qua ratione dicebat Ioseph dominæ suę illam ad libidinem prouocanti. Can. 36. [Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meũ &c.] quia in genere moris illud non possumus, Vnde illa regula Doctorum Can. Fauet. 22. q. 2. [Id possomus quod iure possumus:] Eodem modo quãuis simpliciter, & in genere notitiæ ego sciam peccatum occultum Petri: verè tamen dico illud me nescire, quando iniquè, & contra ordinem iuris compellor, vt illud reuelem, quia in genere moris illud tantum scio ad reuelandum, quod iure aperire possum, quod verò iure aperire non possum rogatus, vt reuelem, omnino nescio? Ita Adrian. quolibet. 11. Syluest. verbo mendacium. §. 6. Soto in opusculo de tegen. secret. membr. 3. q. 3. vbi adducit in hanc sententiam etiam Ioan. Gerson Alphabeto 34. littera Q. & Scotum in 4. d. 35. quæst. 4. art. 3.

CONCLVSIO PRIMA.

Accusatus de crimine contra ordinem iuris, si respondeat primò vel secundo modo ex illis quatuor explicatis in prima obseruatione, quando ipsi sufficienter prosunt in tali iuditio, neque peccat, neque accusatori aliquam infert iniuriam.

PAtet, De primò modo res est aperta, Exigit enim reus sic respondens quod iustum est, vt nempè probetur crimen de quo accusatur, cũ sine probatione nemo sit condemnandus. Qui verò quod iustum est erigit, nec peccat, nec infert alicui iniuriam. Tùm secundò, quia occulta sua nemo tenetur prodere, iuxta illud vulgatissimum D. Chrisostomi de pœnitentia distin. 1. can. Quis aliquando. [Non dico, vt te ipsum prodas, neque apud alios te accuses:] Quod autem accusator deficiat in probatione illud suæ culpæ imputet, quod voluerit deferre in iudicium, quæ idoneis testibus probari non poterant.

De secundò modo cõstat etiam, quia si reus neget quod proponitur prout proponitur, & iacet, vel propterea quod veris miscentur falsa, vel quia proponit, vt iuridicè interrogabile, & probabile, quod tale non est, talis negatio, vt explicatum est, est vera, vero autem potest quiuis vti in iusta sui defensione, qualis est hæc, citra omne peccatum, vel aliorum iniuriam.

CONCLVSIO II.

Qui vtitur tertio modo respondendi, quando primò vel secundò, nec sufficienter, nec commode se tueretur, nec peccat, nec vllam infert accusatori iniuriam, & consequenter ad nullam tenetur restitutionem.

PRobatur. Quod potest Iudici verè, & tuta conscientia negare testis, potiori iure potest negare ipse reus, cui magis incumbit sui defensio, sed testis contra ordinem iuris interrogatus potest verè, & tuta conscientia, & cum iuramento asserere, se illud omnino nescire, aut non vidisse, ex secũda obseruatione, quod abundè videbitur infra quæst. 70. art. 1. ergo multò potius reus contra ordinem iuris interrogatus, potest verè & tuta conscientia, ac sine vllo peccato asserere, & cũ iuramento, se nil tale commisisse, & ex consequẽti nullam sic respondens infert iniuriam accusatori, cum neget quod potest tuta conscientia negare, nec tenebitur ad aliquam restitutionem.

De quarto modo difficilior est quæstio.

POSSIT NE ACCVSATVS contra ordinem iuris de occulto, asserere accusatorem esse mentitum, vel dixisse falsum.

NOnnulli enim volunt, sic accusatũ posse asserere accusatorem mentiri. Ratio eorum est, quia talis accusator cum iniquè agat, committit falsum practicum, vt supra vidimus, vnde sic argumẽtatur. Accusatus iniquè potest se ipsum tueri quacunque via, modò non dicat mendacium, vt docet hic D. Thomas, sed asserendo iniquum accusatorem mẽtiri, & falsum dixisse defendit ac tenetur se ipsum absque mendacio, ergo potest affirmare illum mẽtitum esse, & hac via se ipsum tueri. Probatur minor ex fundamẽto posito, Quodcunque opus iniquum, vt supra copiosè vidimus agentes de restitutione famæ. q. 62. artic. 2. est falsum practicum, ac vt vtamur voce Sacræ Scripturæ mendacium, sicut quodcumque opus bonum, & iustum est verum practicũ, & veritas, sed ille accusator in hoc casu exercuit opus iniquum, & malum, ergo commisit falsum practicum, & mendacium practicũ, verè ergo affirmabit reus in hoc casu illum dixisse falsum, & mendacium.

Secundò in iudicio crimen quod non probatur habetur pro falso. secunda quæstione octaua, can. Sciant, vnde Damasus accusatorem non probantem delictum, vult, vt falsum, & calumniatorem puniri pœna talionis, secunda quæstione tertia, can. Calumniator. Et Adrianus Can. immediatè sequenti. [Qui non probauerit quod obiecerit, pœnam quam ipse intulerit patiatur,] ergo reus iniquè accusatus, cuius crimen non probatur iuridicè, verè asserit accusatorem illum mentiri, & falsum dicere.

Patet consequentia: quia qui loquitur in iudicio, commodè potest vti vocibus in sensu iuridico, sicut paulò ante dicebamus, reum, & testem quando iniquè interrogantur à iudice, posse affirmare non feci, non vidi, quia in sensu iuridico secundum quem licet illis, vti vocibus in iudicio, orationes istæ perinde se habent, ac si dicerent, non feci, non vidi, quod debeam tibi reuelare, in quo sensu sunt veræ, Sed in iure quod non probatur iuridicè, & per idoneos testes, dicitur falsum, ergo potest reus in hoc sensu iuridico, quo vti potest, affirmare illum iniquum accusatorem dixisse falsum.

Alij hunc modum respondendi non admittũt, sed volunt, reum qui diceret suum accusatorem mẽtiri peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem famæ. Probant primò. Accusator dixit verũ, ergo reus asserens ipsum mentiri, ipse potius mentitur, & suo mẽdacio infamat accusatorem de mẽdacio: Huiusmodi autem infamia est grauis, ergo mortalis, & cum debito restituendi. Secundò, cum possit reus se ipsum tueri primo, secundo, & tertio modo, ex illis propositis vtens quarto infamat accusatorem de mendacio sine vlla necessitate, infamare autem aliquẽ sine necessitate peccatum est mortale, & obligans ad restitutionem.

Denique in nullo casu licet imponere alicui falsum crimen, at quando accusator verum dicit, quamuis iniquè, asserere illum mentiri est imponere illi falsum crimen, ergo hoc non licet. Mihi vtraque opinio videtur probabilis, amplectar tamen hanc secundam, Quia licèt primum, & vltimum argumentum facilè dilui possit, si dicamus reum iuxta priorem sententiam non mentiri, nec imponere falsum crimen accusatori iniquo, asserendo ipsum mentiri, cum accusatio eius eo ipso, quo iniqua est, sit mendacium practicum, & crimen quod in iudicio non probant habeatur pro falso: Secundum tamen argumentum est efficax: Etenim cùm negando delictum, & respondendo aliquo ex illis tribus modis, sufficiẽter se tueatur, quiuis reus in quocunque iudicio, sine vlla necessitate asserit accusatorem mentiri: sine vlla verò necessitate infamare accusatorem de mendacio non potest liberari à peccato mortali. Sed dices negando delictum consequenter, & interpretatiuè asseritur accusator mendax. Respondeo directè, & affirmatiuè nõ licere aliquem infamare de mendacio, indirectè tamen licere, quando ita exigit iusta defensio. Quemadmodum nulli licet directè, & ex intentione proximum interficere, licet autem indirectè in sui defensionem, quãdo aliter ab illius inuasionem seipsum liberare non potest.

ARTICVLVS III.

An liceat reo iudicium per appellationem declinare.

CONCLVSIO I.

Licet reo ex iusta causa, vt quando se à iudice grauari cernit, ad superiorem, & legitimum sibi iudicem appellare.

Patet, Quia iure naturæ cuique conceditur se, & sua tueri via honesta quando verò reus à iudice grauatur, nulla est honestior via, quàm ad superiorem, qui illi grauamini mederi potest, recurrere. Nec hoc prohibet obedientia debita iudicibus, sunt enim iudices alii aliis ita subordinati, vt ex inferioribus liceat recurrere ad superiores. Habetur hæc concl. 2. q. 6. can. Omnis oppressus: vbi cuique reo afflicto conceditur libera appellatio ex iusta causa. Et can. Appellantem. Præcipitur ne reus, quia appellet tradatur carceri.

Et confirmatur exemplo B. Paul. qui act. 21. appellauit ad Cæsarem.

CONCLVSIO II.

Appellare ad superiorem ad repellendam, vel differendam exequutionem iustæ sententiæ est iniustum, & iniquum.

Patet, quia sic appellans primò violat obediẽtiam debitam iudici, à quo ad superiorem nõ licet recurrere, nisi iusta de causa, quando ab eo grauatur, quod non accidit quando iudicat. Secundò, imponit illi, & testibus falsum, insinuat enim appellãdo illum iniustè iudicasse, vel testes falsum dixisse, & ideo se recurrere ad superiorẽ.

Tertiò, impedit iniquè, & officium iudicis, cuius est iustè iudicare, & quod sic iudicatum est mãdare exequutioni, & iustitiam actoris, qui per illam iustam sententiam vindicandus erat ab iniquitate ipsius rei. Habetur hæc concl. eodem loco can. Quicumque, & can. Omnino. Vbi huiusmodi appellatione, iniquè repelluntur, & præcipitur, vt sic appellantes puniantur.

In hoc articulo obseruandum est circa secundam conclu. Quamuis non liceat à sententia iusta appellare, licere tamen iudicem deprecari, quod vocant ab ea supplicare, siue sit lata à supremo iudice, siue ab inferiori. Supplicatio enim fit hoc modo, Fateor sententiam contra me latam esse iustam secundum tenorem, & rigorem legis, supplex tamen oro, vt si fieri potest, rẽperetur rigor legis, Quod iustè aliquando petitur primò. quia supplicando nullum sequitur incõmodum, ex his quæ diximus in ista secunda conclu. sequi apellando à iusta sententia. Secundò, quia iudex, si superior sit, vt vidimus. quæst. 67. art. 4. potest aliquando condonare totam pœnã legis, si verò inferior, potest quoque aliquando pro suo arbitratu secundum circumstantias temporis, loci, & personarũ moderare pœnam legis.

Obseruãdum etiam est circa solutionem primi argumenti, quod est diffinitum can. Catholicus. 2. q. 6. ne fidelis iuxta doctrinam D. Pau. 1. Cor. 6. cõtendat iudicio vel appellet ad iudicem infidelem, esse intelligendum de fidelibus habitantibus inter fideles, & habentes iudices fideles sic enim dicebat D. Paul. [Cur contenditis iudicio apud infideles, cum positis apud Sanctos?] Id est fideles iudicari: nam fidelibus qui gratia negotiationis permittũtur agere inter infideles licet, & comparere coram iudice infideli, & tenentur illius sententiæ iustæ stare.

Obseruandum est, tertiò, circa solutionem secũdi argumenti posse quidem litigantes appellare à sententia iudicis ordinarij, eo modo quo dictum est in prima conclus. non autem à sententia iudicum arbitrum, vt habetur. 2. q. 6. can. A iudicibus. Ratio huius discriminis est, quia iudex arbiter habet auctoritatem plenam ab ipsis met litigantibus,

bus, qui quando eum elegerunt, compromiserūt stare omnino ipsius sententiæ, propter quod iustè, ad obuiandum inconstantiæ litigantium, & ne retrocedant à libere promissis, cautum est in iure, ne possint à sententia iudicis arbitri appellare: à sententia verò iudicis ordinarii, cum hi non habeant auctoritatem ab ipsis litigantibus, neque ab eis eligantur, nec ad eos accesserint promittentes eorum sententiæ sine vlla appellatione stare, sed eo modò quo iura disponunt, possunt appellare, & gaudere priuilegio appellationis sibi à iure concesso. Quamuis quando essent tres arbitri, & duo illorum ferrent sententiam renuēte tertio, posset pars litigans appellare, ab illis duobus ad alium iudicem ordinarium, vt habetur can. Sanè. 2. q. 6. Quia in eo casu non est collata authoritas illis arbitris, nisi ita vt omnes cōueniant, ita litigantes inter se constituerint, vt sententia quoque à maiori parte illorum iudicum lata esset valida. Quod si accidat iudices arbitros non esse purè arbitros, sed esse partim ordinarios respectu suorum subditorum, partim verò arbitros respectu aliorum qui non sunt sibi subditi, ipsis quàm alii possunt quoque ab eorum sententia appellare, vt habetur illo can. A iudicib. quia licèt sint ab eis quoque electi, vt arbitri, eo tamen ipso quo sunt simul ordinarii, quicumque illos eligant, possunt gaudere eodem priuilegio appellationis, quod habent subditi circa sententias sui iudicis ordinarii.

Circa solutionem tertii obseruandum est, cum priuilegium appellandi concedatur vni parti, ad ostendendam suam iustitiam, non ad impediēdā iustitiam alterius, meritò statutum esse certum tēpus ad appellandum, velut spatium decem dierum, nisi enim esset tempus præfixum, numquā vlla iusta sententia mandaretur exequutioni: ita habetur Cod. de appellationibus. In Authentico. Hodie autem, &c. Ob eandem causam interdictum est, super eodem articulo tertio appellare, vt patet extra de appellatione cap. Directa. Et habetur expressè titulus in Cod. lib. 7. Ne liceat in vna eademque causa tertio appellare: sicque obseruatur in Curia Romana, & regia nostri Regis tres expectare sententias, nec vltra posse appellare. Prima sententia fertur in concilio regio priuati regni, vt Valentiæ, vel Cathaloniæ. Secunda in supremo, quod est, vt dicunt, à latere Regis. Tertia, ab eodem concilio priorem sententiam reuidente, & cōfirmante sua vltima, & diffinitiua sententia. Quæ tres appellationes admittuntur quidem in articulo, & causa præcipua, circa accessoria verò, & minutiores partes litis, quas vocant intermedia, licèt quidem ab eodem iudice postulare, vt iterum videat, attentiusque consideret, nō tamen appellara, quia aliter nunquā, nec per multa sæcula vnius litis habetur finis.

Circa hunc art. duplex est dubitatio. Prior.

AN QVANDO SENTENtia iudicis inferioris iusta est, speret verò reus aliqua via à superiore reuocandam, possit ab illa appellare.

SI sententia iudicis inferioris, siue ciuilis sit, siue criminalis apertè iusta est, & spes rei solum nititur fauoribus, vel donis, certum est apud omnes, sic appellare esse omnino iniquum, cum talis appellatio nil aliud sit, quàm iniquè impedire iustam sententiam, corrumpendo iudicem superiorem: Infert enim sic appellans omnia illa damna quæ diximus in secunda conclus. tenetur que restituere alteri parti omnes expensas, & damna, quæ illi ex tali appellatione accrescunt.

Res difficilior est, quando scit, superiorem oppositum sentire, quàm sensetit inferior. Soto quē recentiores sequuntur, vult neque hoc nomine, quando inferior iustè iudicauit, licere appellare ab illius sententia: neque in causa capitis: Quod certè asperum est, & contra communem consuetudinem, omnes enim appellant vbi variæ sunt opiniones, intelliguntque superiorem amplecti opinionem sibi fauentem.

Secundò, vnicuique licèt in suum fauorem vti priuilegio iuris, conceditur autem à iure appellario ad superiorem, à quo probabiliter creditur inferioris sententia reuocanda.

Tertiò, in hoc casu, & si sententia iudicis secundum vnam opinionem sit iusta, secundum aliam est iniusta, & cum pars condemnata illam cōmuniter iudicet iustam, quæ sibi fauet non appellat à sententia iudicis inferioris, vt iusta, sed potius, vt iniusta.

Vnde dico imprimis, in causa capitali citra omne dubium licere reo (si sibi à iure conceditur) appellare ad superiorem, quia vbi variæ sunt opiniones debet iudex inclinare in fauorē rei, quod cum non fecerit, iam est in tale iudice aliqua impietas, & iusta causa in reo ad appellandum. Tum etiam quia propriam vitam tueri via honesta, cui que à natura licet, appellatio autem in hoc casu quando sunt variæ opiniones iuris, via honesta est, & concessa à iure. Nec valet ratio Soti manerēt crimina impunita, sat enim est puniantur, vbi lex apertè loquitur vbi verò res est dubia, & variè opinantur Doctores fauendum est reo. In causa verò ciuili sic distinguendum puto: Aut iudex inferior iudicauit secundum opinionem communem, & probabiliorē, & superior amplectitur minus probabilem, aut contra: Si priori modo iniusta est appellatio, quia in dubiis probabilior opinio videtur æquior: Vnde in hoc casu, qui sic appellat ex iniusta causa appellat: Quod si ambę opiniones sint æquè probabiles, & æquè communes, tunc iudicarem nō agere iniquè sic appellantem, quia tunc non imponit iudici falsum, sed vtitur priuilegio iuris in suum fauorem, cum res sit dubia, & iudex superior iustè possit illi fauere. Alia dubitatio est.

AN RELIGIOSIS LICEAT appellare à sententiis suorum superiorum.

PArs affirmatiua videtur vera. Primò, quia hęc facultas appellandi est à iure naturę, quo se vnusquisque potest tueri, & à grauamine inferioris recurrere ad superiorem: ius autem naturæ omnibus est commune. Secundò, quia. 2. q. 6. can. ad Romanam, el secondo, omnibus fidelibus cuiuscumque status conceditur, vt ad Romanam sedem possint appellare. Tertiò, D. Thom. hic in prima cōclusione absolutè docet posse illum, qui grauatur appellare ad superiorem, ex conditenia iustæ causæ, nec distinguit inter sæcularem, vel religiosum.

In oppositum sunt consuetudo, & statuta omnium religionum, in quibus decernitur, vt liceat appellare in causis grauioribus ab inferiorib. prælatis ad superiores eiusdem ordinis, ad alios autē, externos id omnino prohibetur: quæ constitutiones sunt approbatæ à Sede Apostolica, quia exigitur maximè ad decorem, integritatem, & quietem religionum, vt causæ religiosorum intra parietes (vt dicunt) eiusdem religionis finiantur, & occultentur, ne religio contemptui habeatur, sicut expedit ne clerici à secularibus, nec fideles ab infidelibus, vt vidimus iudicentur, Nec propterea tollitur obedientia Romani Pont. quia quamuis simpliciter loquendo, quicumque religiosus quārumcunque inclusus, nō faceret contra ius appellando ad Sum. Pont. seruatis debitis circumstantijs nihilominus ex consensu ipsorummet Pontificum hoc est prohibitum in bonum, & tranquillitatem religionum: Quod si dicas poterit hac via aliquis plus iusto grauari, & carere remedio quod alijs fidelibus conceditur appellandi ad Sedem Apostolicam, vel Nuncium. Dico moraliter hoc nunquam, vel rarò futurum: quia cum intra religionem sint varij prælati quorū alij sunt aliis superiores, ad quos licet appellare, non est credendū omnes ita iniquos futuros, vt subditus ille ab omnibus grauetur, & casu quo ab omnibus grauaretur, præstat pax, & decor tanquam bonum cōmune religionum, bono priuato huius, quia grauatur, & permittendum est potius grauamen alicuius, quàm aperire ianuam appellationibus, per quas honor, & quies religionum perturbetur.

Addo cœpisse iam in aliquibus religionib. grauatos à superioribus à quibus ad alios non est recursus, vel difficilis, & longissimè distans, ad Nūcium Sedis Apostolicæ appellare, quod an religionibus expediat alij iudicent.

Ad argumenta autem initio posita, respondeo. Ad 1. religiosos huic iuri per professionem cessisse, quia illud ius nō est à natura positiuè, ita vt ius naturæ præcipiat appellare, sicut præcipit honorare parētes, sed est à iure naturæ negatiuè, id est, ius naturæ non prohibet cuiquam appellare, sicut matrimonium est à iure naturæ, non quasi ius naturæ præcipiat nubere, sed quia nulli prohibet nubere, at per professionem cessarunt religiosi huic iuri, & potestati nubendi. Ad secundum patet, solutio ex dictis, cum eadem Sedes Romana concesserit ob bonum religionum, ne religiosi ad extraneos superiores appellent, quemadmodum eadem Sedes Romana in multis causis, & negotiis aliquid decernit, & iudicat omni appellatione post posita ad finiendas lites multas, quæ aliter nunquam finirentur. Conclusio verò illa D. Tho. intelligenda est, nisi litigantes cesserint iuri suo, cui cesserunt religiosi.

ARTICVLVS IIII.

An liceat damnato ad mortem se defendere, si possit.

CONCLVSIO PRIMA.

Quando iustè ad mortem damnatus est, non potest se per vim defendere.

Patet. [Qui potestati superioris iustè iudicantis resistit. Ex D. Pau. Rom. 13. Dei ordinationi resistit.] & grauissimè peccat, qui verò per vim se defenderet, cum iustè condemnatus esset, potestati superioris iustè iudicantis resisteret.

Secundò, seclusa ignorantia nō potest dari bellum iustum ex vtraque parte, vt constat ex quæstione 40. sed iudex iustè condemnans aliquem, si ille resistat, potest illum iustè persequi, & impugnare, vt illud iustum supplicium patiatur: ergo ille condemnatus non potest licitè se per vim defendere.

Tertio iurisdictio iudicis in eo consistit, vt habeat vim, & auctoritatem coactiuam ad compellendos subditos, quādo iustè iudicat, & procedit, huiusmodi autem vim, & auctoritatem non haberet nisi subditi tenerentur illi iustè iudicanti obedire, ergo quando iustè condemnat aliquem, manet subditus compulsus, & obligatus in conscientia obediendum, & patiendum illud supplicium.

CONCLVSIO II.

Si sententia, quia quis condemnatur sit iniusta, potest condemnatus à iudice illo iniquo etiam per vim se defendere, modo id faciat sine scandalo, & perturbatione Reip.

Probatur prior pars. Latroni inuadenti me possum per vim resistere, iudex autem iniquè me condemnans non agit, vt iudex, sed vt inuasor, & tantò iniquius ac culpabilius, quantò peius sub colore iustitiæ suam exercet iniquitatem, & mihi iniuriā infert de quibus dicitur Ezech. 22. [Principes tui quasi lupi, rapientes prædam ad effundendum sanguinem.] ergo. Et confirmatur quia iudici non est obediendum, quando apertè agit iniquè, tunc enim non agit, vt iudex, sed vt priuatus, & iniquus homo.

Probatur secunda pars, Quia si ex propria defensione immineat perturbatio Reip. tunc præferendum est bonum commune particulari, & patienter ferendum supplicium propter bonum cōmune.

CONCLVSIO III. in solutione 2. argum.

Licet, iniustè condemnato fugere à carcere, & loco vnde ducendus est ad supplicium, similiter condemnato, vt fame pereat, licet panem sibi oblatum comedere.

Probatur. Per sententiam tantum condemnatur reus, vt patiatur supplicium, non autem, vt inferat sibi mortem, vel illi cooperetur, vel faciat id vnde sequatur ei mors, quia hoc esset contra ius naturæ, cui nullum aliud ius derogare potest, manere autem in loco vnde reus ducendus est ad supplicium cum possit fugere, vel non sumere cibum cum possit, est cooperari ad propriam mortem: ergo nemo potest ad hæc condemnari, sed licet fugere, & cibum oblatum sumere.

Circa hunc articulū offerunt se nonnullæ graues dubitationes imprimis circa primam conclusionem.

CONTROVERSIA I.

AN INNOCENS CONnatus ad mortem secundum allegata, & probata possit per vim se defendere.

REferuntur viri graues mag. Victoriam in hoc articulo docuisse, innocentem posse se ipsum per vim tueri, quod etiam, vt refert Couar. lib. 1. variar. Resol. c. 2. nu. 12. & 13. nonnulli Iuristæ sentiunt. Primò quia sententia iniusta ex D. Th. hic in secunda conclu. nec habet vim, nec obligat in conscientia, nec confert ius, vt dicunt nec aufert, vt sententia excommunicationis lata contra innocentem, sed ista sententia qua condemnatur innocens, à parte rei est reuera iniusta, & quæ nititur falsæ præsumptioni, & falsis testibus, ergo. Secundò si in hoc casu non liceret condemnato se rueri per vim, certè id esset ut daretur bellum iustum ex vtraque parte, quæ est potissima ratio D. Tho. at hoc non prohibet, quando altera pars laborat ignorantia, vel falsa præsumptione, vt constat ex quæst. 40. in materia de bello: in hoc autem casu innocẽs exercet bellum iustum simpliciter, & absolutè, & à parte rei, iudex autem secundũ, quid, ex ignorantia, & falsa præsumptione iudicans illum condemnandum, vt nocẽtem, quia talis probatur. Et confirmatur: quia si innocens inuaderetur ab alio innocente, vel laborante ignorantia, vel furioso, posset, se ab illo per vim defendere, ergo similiter in hoc casu à iudice. Denique si iudici constaret illum esse innocentem, teneretur liberare illum quantum posset, ergo, & ipsi innocenti licebit se ipsum liberare, & eruere.

Sed in hac parte nullus ex discipulis D. Thom. vel ipsiusmet Victoriæ ipsum est sequutus, imò oppositum sentiunt. Est ergo communis sententia inter Thomistas, innocentem sic condemnatum nõ posse se defendere per vim, ita vt inferat mortem, vel vulnus iudici, aut ministris, posse tamen licitè se defendere, vel fugiendo si possit, vel recipiendo se in locum munitum, vel enitendo cum aliqua & iam vi, sine sanguine tamẽ vel vulnere eripere se à manibus ministrorum habentiũ illum apprehensum, Hispanè. [Darles vn rempnion, y luchando sin golbe ni herida escaparseles.

Prior pars probatur. Quia ex D. Thom. hic nulli licet se defendere cum scandalo Reip. Secũdò, quia graue, & durum esset, teneri iudicem in cõscientia ad condemnandum reum, qui non teneretur ei obedire, sed à quo licitè resistẽdo lædi posset, at iudex (vt vidimus) innocentem iuridicè tamen probatum nocentem, quando nulla ex illis vijs quas proposuimus potest vti, tenetur condẽnare, & ita expedit bono communi.

Tertiò, iudici facienti quod debet ex officio, & iustè iudicanti, non potest vllus subditus quantumuis innocens resistere, sed tenetur obedire, hoc enim docuit Pau. Rom. 13. & in hoc, vt diximus consistit iurisdictio iudicis, sed quando iudex condemnat innocentem iuridicè probatum nocentem, eo modo quo supra exposuimus licèt possit laborare ignorantia, & falsa præsumptione, credens illum nocentem, & circa factum decipiatur à testibus, at circa exequutionem sui muneris, & inferenda sententia non laborat ignorantia, nec falsa præsumptione, aut deceptione, sed certò nouit se teneri ex officio, & ex debito iuris illum condemnare, & sententia qua illum cõdemnat esse iustam, ergo huic iudici nullo modò potest condemnatus resistere.

Quartò ratione D. Thom. quia aliter daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod si dixeris, hoc non esse incommodum supposita ignorantia iudicis, hoc non habet locum, statuamus enim iudicem probè nosse innocentiam condemnati, cõdemnasse autem illum, quia iuridicè probatus est nocens, nec aliqua via potuit illum liberare.

Quintò sententiæ iustæ nemo potest resistere, sententia autem iudicis in hoc casu, (constat) iusta est. Dices non esse iustam omnibus modis, & D. Thom. loqui hic de sententia omnibus modis, iusta, hoc parum refert. Sufficit nanque, vt sit iuridicè iusta, vt illi teneatur subditus parere: & de hac loquitur hic D. Thom. cum per iniustam illam tantum intelligat, quæ est iuridicè iniusta, quod docet locus Ezech. ab ipso adductus, qui locus solum conuenit iudicibus, qui iuridicè agentes, iniquè iudicant.

Et confirmatur, cum sententiam iniustam de qua hic agit appellet latrocinium, per quod infertur vis. Vnde in prima conclusione, nomine iustæ sententiæ cui dicit condemnatum non posse per vim resistere, intelligit eam, quæ secundum ordinem iuris lata est, siue à parte rei condemnatus ille nocens sit, siue innocens: non enim dicitur à D. Thom. sententia iusta, vel iniusta à parte rei, sed ex ordine iuris, si illud ritè seruatum, sit est iusta, sin minus iniqua. Vnde sententiam, quam hic sequitur, reuera est secundum mentem D. Thom.

Sextò iudex iste est persona publica, & iustè agens, condemnatus verò est persona priuata, ergo quando vtrique liceret ex æquo benè agere, iudici in condemnando, & innocenti in se defendendo, fauendum est potius iudici, vt personæ publicæ.

Septimò Resp. oppressa ab aliquo tyranno petente aliquem innocentem, potest præcipere illi innocenti, vt pro bono communi se ipsum tradat tyranno, teneturque tunc obedire, nec potest se defendere ob bonum commune, vt constat ex dictis in materia de homicidio, sed in hoc casu expedit bono communi, vt qui iuridicè probatur nocens, quamuis reuera sit innocens, quando iudex non potest aliqua ex viis quas ibi proposuimus vti, sed necessariò debet sententiam ferre, condemnetur, & vt ipse obediat, ergo non licebit ei se per vim defendere.

Denique si iste innocens condemnatus defendens se, iudicem, vel ministrum per vim læderet, etiam si de eius innocentia constaret, puniretur, & iustè, quia cum iudex suo iure vteretur, resistens illi per vim expoliauit illum iure, & occidit eum cum iniuria, ergo non licebat ei se per talem vim defendere.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum dico illam sententiam posse vocari iniustam à parte rei, & materialiter tantum, mortaliter tamen, & vt fertur, esse iustissimam, nec continere aliquem errorem nisi per accidens, per se autem à parte iudicij, & secundum ordinem iuris, à quo sumẽdum est an iudex iustè procedat, & iudicet, non continere errorem, sed esse iustam: imò si aliter ferretur esset iniusta, & errasset iudex, & ita illa obligat subditum, ne per vim illi resistat, quod si possit sine vi, & scandalo ab illa se eruere, integrum est illi.

Ad secundum constat iam, iuxta illam opinionem dari bellum iustum ex vtraque parte citra ignorantiam, vel falsam præsumptionem, quia si statuamus iudicem, vt priuatam personam nosse innocentiam illius iuridicè condemnari, tunc iuxta istam sententiam condemnatus iustè pugnaret, cum iuxta istos possit se per vim defendere, iudex quoque ille fine ignorantia, vt constituimus iustè pugnaret, cum teneretur illum: vt probatum iuridicè nocentem damnare, & persequi: imò etiam si ignoret illius innocentiam, iustè quoque illum impugnaret, & persequeretur non vt nocentē à parte rei, sed vt iuridicè nocentem, & iustè condemnatum. In quo non erraret neque deciperetur, cū haberet euidentiam processus, secundum quem iuridicè, est nocens, & iustè condemnatus: Nec est simile de inuadente ex ignorantia, vel furioso, quia istis non tenetur innocens obedire, sicut iudici iuridicè, & ritè iudicanti. Addiderim tamen posse innocentem per vim, & sanguinem se defendere, quando videret, certò iudici constare ipsius innocentiam, nec iudicem vlla ex illis viis li citis ad eum liberandum, vel saltim non condemnandum, & illam defensionem posse fieri citra scā dalum, quia tunc reuera iniquè iudex ille ageret, & à iudice iniquè procedente potest subditus per vim se tueri citra scandalum.

Circa secundam conclus. nulla est quæstio, Dubitari tamen posset. [An quando prudenter dubitatur de sententiæ iustitia, possit condemnatus resistere.] Dico, Cum ex supra dictis, in dubijs nō sit obediendum cum propria iactura, & damno, esse iudicem admonēdum, de causis, ob quas prudenter dubitatur de iustitia sententiæ ab ipso latæ, vt maturius consideret & re diligentius inspecta, vel illam sententiam reuocet, vel eius iustitiā manifestet, quod si noluerit te, & sententia manēte prudenter dubia, potest sic condemnatus citra scandalum, sicut si esset iniustè condemnatus per vim se defendere, quia in dubijs, quæ sunt in dānum rei, potior est semper ratio ipsius rei, qui dānum iniquè pati potest, quàm iudicis.

Circa tertiam conclus. & solutionem secundi argumenti D. Thom. offerunt, sese grauiora dubia. Primum est.

CONTROVERSIA II.

CVM CONDEMNATVS ad pœnam aliquam corporalem possit fugere à carcere, possit ne similiter rumpere vincula, frangere seras, vel portas, aut parietem effodere?

IN hac quæstione conueniunt omnes Doctores in duobus. Primò, casu quo iustè condemnatus possit fugere, illud tamen ita posse, vt nullam vim inferat custodibus, aut percutiendo, aut ligando eos, aut obstruendo ora eorum clament.

Secundò captum, vel condemnatum iniustè secundum iura, posse non modò fugere, verum etiam rumpere vincula, feras effringere, vim inferre custodibus citra scādalum: quia cum in hoc casu possit vim inferre iudici ad se liberandum, quod maius est, poterit, & vincula rompere, &cæt. quod est multò minus. Tota ergo quæstio est de iustè capto, vel condemnato: in qua varij sunt Doctores.

Ioan. Maior. in 4. dist. 15. q. 21. vult iustè captū nullo modo posse fugere, neque ante sententiam iudicis, neque post illam, etiam si ianua carceris illi pateat, quia sic captus, vel condemnatus iam est actu sub iure, & obedientia iudicis, quam violat si fugiat.

Henricus Gand. vt hic refert Caiet. quo lib. 9. art. 15. Syluest. in ver. Accusatio. q. 16. Sum. Rosella. ver. incarceratus & Couar. liq. 1. varia. resol. c. 2. nume. 14. volunt posse istum iustè captum, vel condemnatum fugere quidem, si aliqua via illi pateat, non tamen vincula rumpere, aut carcerē effringere. Probatur primò, Iustè captus non potest inferre vim publicæ potestati, effringere autem carcerem, & vincula, in quæ à publica potestate iniectus est, est apertè inferre vim publicæ potestati ergo.

Secundò, licet possit quis domum vicini aggredi, aut per agrum eius transire, effodere autem parietem domus illius, aut dirumpere sępem agri illius nō licet, sine graui ipsius iniuria: similiter et si isti condemnato liceat fugere, non tamen effringere vincula, aut carcerem.

Tertiò, arguit Couar. Lex homana non punit pœna capitis, aut alia grauissima culpam venialem, sed solū peccata mortalia, sed fugiens à carcere rumpendo vincula, vel feras, &cæt. Si deinde capiatur, punitur pœna capitis, vel alia grauissima, vt triremibus, vel exilio, propter solam illam effractionem carceris, etiam si ab alio præcipuo crimine propter, quod captus erat, ostendatur innocens, vt patet l. Prima, ff. de effracto. l. Milites, §. Etus, ff. de re militari, l. in eos. ff. de custodia reorum.

Quartò si non esset culpa rumpere vincula, &c. non teneretur sic fugiens ad reficiendas expensas, & damna illata vinculis, carceri, vel custodibus: at fatentur omnes Doctores teneri ad soluendum, non modò ista damna, verum etiam alia, quæ subsequuta fuerint ex illa effractione carceris, Reipub. vel alijs priuatis, veluti si fugerent simul habentes debita, nec illa soluant. Consequētia verò patet, quia eo nomine iniustè captus, vel damnatus, & fugiens effringendo carcerem, non tenetur ad damna subsequuta, quia licuit ei sic fugere: vnde cum iustè captus teneatur omnium consensu ad illa damna reficienda, argumento est non licuisse illi sic fugere, nempè effringendo carcerem.

Denique nemo potest vti iure suo aut sibi prospicere cum damno alterius, sed fugiens cum effractione carceris nocet grauiter custodibus, luent enim ipsi pœnam illius fugæ.

Caiet. hic sentit duo. Primò condemnatum ad mortem, vel abscisionem mēbrorum, aut flagella posse quidem fugere effringendo carcerē, quia non est aliqua lex, quæ sic condemnatum præcipiat manere in carcere, nec sententiæ iudicum cō demnant reos communiter nisi ad supplicium, nil dicentes de manendo in carcere. Quod si esset lex in iure, quæ sic condemnatum præciperet manere in carcere, vel sententia iudicis contineret simul vtrumque, vt pateretur tale supplicium, & maneret in carcere, vsque ad illud, asserit secundo Caietan. sic condemnatum nec posse fugere, nec effringere carcerem. Prius illud probat. Nemo tenetur ad ea quæ nulla lege, vel sentētia sibi præcipiuntur: modò nulla est lex, quę condemnatum præcipiat manere in carcere, neque est in vsu, vt sententia iudicis tale præcipiat, sed solum supplicium: ergo non tenetur manere, sed potest

fugere,

fugere, quod si potest fugere, potest consequenter rumpere vincula. Probo consequentiam. Quia sicut, qui potest finem potest media ad illum per se ordinata, & necessaria, ita qui potest fugere, potest se expedire ad fugam, & tollere impedimenta illam p se, & directè, cuiusmodi sunt vincula, portæ, & muri, carceris, & ita potest ista effringere.

Et confirmatur, quia aliter frustra conceditur isti condemnato fugere, nisi simul possit effringere, & tollere, quæ illi fugam impediunt.

Posterius probat ex eodē principio: Qui potest finem potest, & media ad illum necessaria, iudex potest reum condemnare ad supplicium, & executionem illius supplicij, ad huiusmodi executionem necesse reum manere in carcere: ergo potest condemnare illum, non modò ad supplicium verum etiam ad manendum in carcere: Vnde si sic condemnatus fugeret, vel effringeret carcerem, violaret iustum præceptum, & iustam sententiam iudicis, quod non licet, sicut nec alias sententias.

Secundò potest iudex cōdemnare reum ad carcerem amplum, vt mittere in exilium designando illi locum exilij, qui locus est velut carcer amplus, & tenetur sic condemnatus omnium consensu in illo manere, ergo potest etiam condemnare, vt maneat in carcere arcto, & vinculis, donec patiatur supplicium, & tenebitur sic condemnatus ibi manere. Hoc secundum dictum Caiet. amplè etiam Couar. loco cit.

Soto lib. 5. De iust. q. 6. artic. 4. sentit cum Caiet. quo ad primum dictum ipsius, licere condemnato ad pœnam capitis, vel membri, vel flagellorum citra vim effringere carcerem, & vincula, quia cui licet fugere, licet etiam se ad fugam expedire, & impedientia illam tollere. Negat autem secundum dictum Caiet. posse legem aliquam, vel sententiam iudicis præcipi, & cōdemnari simul aliquem ad pœnam, & supplicium corporale, & manendum in carcere. Quia sicut natura omnibus animantibus indidit hoc naturale desideriū, & appetitum propriæ conseruationis, & vitæ, ita omnibus concessit hoc beneficium, vt habeant facultatem enitendi liberare se, & fugiendi ad euadendam mortem, citra vim, & percussionem aliorum, vt custodū: facultatem autem omnibus à natura concessam nulla lex humana, aut iudicis sententia potest tollere.

Ad intelligentiam huius quæstionis, obseruemus primò, ex eodem Caie. & Soto, pœnas ad quas rei condemnantur, duplices esse, qualdam corporeas cum damno, & iactura, vel vitæ, vel ipsius corporis, vt mors, tortura, mutilatio alicuius mēbri, flagella, & similes: Aliàs verò esse sine damno, & iactura vitæ, vel corporis, licèt sint cum molestia, vel damno temporali, vt exilium, carcer, pœna pecuniaria, &c. inter quas hoc interest, vt circa illas priores homo solum possit condemnari, vt illas patiatur, non tamen, vt illas sibi inferat, vel aliquid ipse faciat, ex quo illæ pœnæ ei sequantur: quia nemo neque mediatè neque immediatè potest cōdemnari, vt sit carnifex in se ipsum. Quin & natura ipsa ita comparatum est, vt pars morbida nil in se ipsam agat, sed solum patiatur, expecterq; curationem ab alijs partibus sanis: reus autem habet se in Rep. vt pars morbida. Dico non posse condemnari, nam si ipse liberè vult, benè potest, non quidem mortem sibi inferre, aut se mutilare, sed se flagellare ex iusta causa, & debito ordine, vel aliquid facere vnde mors ei sequatur ex iusta causa, vt ascendere furcam, extendere collum ant manus carnifici, manere in carcere: condemnari autem ipse, vt aliquid faciat vnde istæ pœnæ ipsi sequantur, non potest: quia circa has tantum potest compelli, vt habeat se passiuè, non tamen aliquo modò actiuè, & efficienter. Circa pœnas verò secundi generis simpliciter, & absolutè, vt tales pœnæ sunt, potest condemnari reus, vt illis cooperetur: Verbi gratia, vt eat in exilium, soluat pœnam pecuniariam, maneat in carcere, quæ illi in pœnam est assignatus. Quia hæ sic sumptæ non sunt in damnum vitæ, vel corporis, nec potest eas pati, quin ad eas concurrat faciendo. Dixi simpliciter, & absolutè, vt tales pœnæ sunt, quia si vltra hoc habeant, vt ex eis sequatur mors, vel damnum corporale, tunc nō potest ad eas sicut nec ad priores aliquia condemnari, vt aliquid agat, sed tantum, vt patiatur, quia transeunt iam in naturam, & rationem priorum.

Obseruemus secundò cum natura omnes homines condiderit liberos, seruitutem, & quæ ipsi assimilantur, vel æquantur (vt vidimus in materia de dominio) ita esse aliena ab humana natura, & conditione, vt exceptis seruis, qui se liberè vendunt, & voluntarie suæ renunciant liberati, alij serui, & capti in bello iusto, etiam si seruitus illorum iusta sit, quia nititur titulo iusti belli, nihilominus iure omnium gentium, & nationum huiusmodi seruise it concessum, vt possint fugere à dominis suis, & quam primum ab eis citra vllam vim recesserint, sint liberi. His positis sit.

CONCLVSIO PRIMA.
In qua omnes conueniunt præter
Ioan. Maior.

Quacunque de causa quis incarcerem coniectus sit, siue iustè, siue iniustè, potest ante sententiam iudicis licitè fugere.

PAter. Quia nemo tenetur in conscientia ante condemnationem soluere pœnam, manere autem in carcere, quædam pœna est. Nec valet ratio illa Maioris, iustè captum si fugiat violare obedientiam iudicis: quia qui vititur iure suo non est inobediens, & omnibus à natura concessum est ius fugiēdi à proprijs incommodis. Quod si dicas carcer datur in custodiam non in pœnam, ergo nō valet ratio adducta: Respondeo in vtrumque dari, vt patet ex vsu iudicium: quos enim domi suæ, vel per fideiussores haberent sufficienter custoditos, nihilominus ob sua crimina tradunt carceri in pœnam, & ante sententiam.

CONCLVSIO II.

Condemnatus siue iustè siue iniustè ad pœnam corporalem capitis, membrorum, vel flagellorum potest fugere, nec lex aliqua, vel sententia iudicis potest oppositum præcipere.

PRior pars ab omnibus Doctorib. asseritur prter Maior. Et probatur illa ratione D. Thom. Quia sicut nemo potest condēnari, ad faciendum id ex quo sequatur ei mors, vel damnum corporis, ita nec potest condemnari ad manendum in carcere, vnde ducendus est ad supplicium, cum hæc æquiualeant. Sed contra hanc rationem D. Thom.

Thom. est argumentum. Si manere in carcere est cooperari propriæ neci, sicut non licet cooperari propriæ neci, ita nec manere incarcere: at ex eodem D. Thom. etsi condemnatus non teneatur manere in carcere, potest tamen si vult manere ibi,& expectare supplicium, essetque actus heroicus, sicut legimus multos martyres fecisse, cum possent fugere. Respondeo cum Caiet. & Soto ex prima obseruatione hic posita D. Thom. non probare istam conclusionem, condemnatum posse fugere, quia si maneat in carcere cooperatur suæ neci, sed quia manere in carcere est facere aliquid, ex quo sequatur ei mors, ad quod nemo potest condemnari, Qua ratione nec potest illi præcipi ne fugiat: quia circa pœnas illas, quæ sunt cum damno corporis potest quidem condemnari reus, vt patiatur, non tamen,vt aliquid faciat,& in hoc consistit ratio D. Thom. non posse condemnari, vt aliquid agat,& ita posse fugere si velit, non autem negat quin si vellit possit aliquid facere: non quidem inferre sibi mortem, aut damnum corporale, sed id ex qua sequatur ei mors (vt videbimus) & ita faciebant martyres. Ex qua solutione patet etiam. Secunda pars eiusdem conclusionis Quia si non potest, vt vult D. Thom. & constat ex prima obseruatione, condemnari aliquis nisi ad patiendam mortem, non autem ad faciendum aliquid ex quo ipsi sequatur, & manere in carcere cum possit fugere ex eodem D. Tho. est facere aliquid ex quo mors sequitur, nō potest aliqua lex humana, vel sententia iudicis condemnare aliquem ad pœnam capitis,& simul ad manendum in carcere: esset enim condemnare illum ad faciendum aliquid ex quo mors sequatur.

Et confirmatur ex ipsomet Caiet. qui proponēs hic discrimen inter pœnas circa quas nemo damnatur, nisi vt eas tantum patiatur, & pœnas circa quas condemnatur, vt faciat, ait in fine istius discriminis, Posse vnumquemque ante sententiam fugere, si per illam fugam vitabitur eius condemnatio, quia nemo tenetur facere id, ex quo sequatur eius condemnatio: sicut condemnatus ad mortem potest licitè fugere, nec tenetur manere in loco, ex quo ducatur ad patibulum, quia nemo tenetur facere id ex quo sequatur suum pati,& mors. Vbi apertè fatetur Caiet. manere in loco ex quo condemnatus ducendus est ad supplicium esse facere aliquid ex quo sequatur ei mors: constat autem ex D. Thom. neminem posse condemnari ad tale faciendum, Vnde nulla auctoritas humana potest ad hoc obligare. Confirmaturq; argumentis illis quibus Soto impugnat secundum dictum Caiet.

Excipiendi sunt in hac parte Religiosi, qui non possunt communiter loquendo fugere è carcere, etiam si sint damnati ad aliquam pœnam corporalem, modò nō sit capitis, aut mutilationis alicuius membri. Ita Caie. & est communis. Quia Religiosi etiam si sint extra carcerem non possunt domum egredi sine licentia sui superioris, cum circa hoc, & similia abdicatint à se suam libertatem Dixi, modò non sit pęna capitis, aut mutilationis, quia talis sententia cum obligatione manendi in carcere esset intollerabilis,& contineret errorem, naturale enim desiderium propriæ conseruationis, & facultatem fugiendi nō tuendam vitam, ac membra, per nullum votum à se quis vnquam abdicauit.

CONCLVSIO III.

Quando reus licitè potest fugere à carcere, potest etiam licitè rūpere vincula, referrare portas, fodere murum si opportuerit, modò nullam (vt diximus) inferat vim custodi carceris, vel alicui ministro iustitiæ.

HÆc est Caiet. hic Soto loco cit. D. Nauarri, in Manua. c. 25. num. 38. & omnium ferè discipulorum D. Thom. contra Ioan. Maior. Henri. cū Syluest. & Couar. Et probatur efficacissimè illa ratione Caiet. Quia cui licet fugere, licet quoque se expedire ad fugam, & tollere quæcumque illam impediunt.

Et confirmatur, si quem minister capiat, & iustè,& apprehensum liget fune,& sic ducat ad carcerem, omnium consensu potest funem illum rumpere,& se dare in pedes, idem autem est effringere carcerem,& vincula, cum quis iam existit in carcere, ergo.

Secundò, vt benè hic considerat Caiet. instè captus, vel damnatus duplici via se liberare potest, aut inferendo vim, & pugnando, aut fugiendo nulla illata vi, prius illud, vt docet hic D. Tho. non licet, quia cum pugna sit iusta ex parte iudicis, nō potest esse quoque iusta ex parte rei. Secundum autem, quod est fugere licet, propter facultatem, quam vnusquisq; habet iure naturæ ad tuendam vitam,& fugienda quecunque illi nocere possunt: sed rumpere vincula, & effringere carcerem dormientibus custodibus,& nulla eis illata vi, vt supponimus) nō pertinet ad pugnam, vel vim, sed ad solam fugam, ergo licet. Maior certa est ex D. Th. qui negat iustè condemnatum posse pugnare, & resistere, per vim, concedit autem posse fugere. Minor autem probatur, ex discrimine quod est inter rationalia,& irrationalia ac inanimata: hæc. n. sic se habent, vt etiam si irrationabilibus, vel inanimatis aliqua vis inferatur rationabilibus. Verbi gratia, si loquamur de inanimatis, si iudex Ecclesiasticus proijciat in vincula clericum, ille verò, vt fugiat, vincula illa per vim infringat, non est excommunicatus, at si inferret vim ipsi iudici, esset excommunicatus, vnde vis illata inanimatis reb. non eo ipso infertur hominibus. Similiter si loquamur de brutis, si quis damnatus ad bestias, vel leones pugnet cum illis,& per vim illos superet,& occidat, omnium hominum consensu iudicabitur iste liber, nec dicetur vllam vim, aut iniuriam intulisse iudici, qui illum damnauit ad bestias. Similiter igitur, effringens carcerem,& vincula, etiam si ipsis vinculis dicatur intulisse vim, cum custodibus,& ministris iustitiæ (vt supponimus) nullam intulerit, non intulit vim iudici, neque ista effractio carceris ad vim, & pugnam reducenda est, sed ad fugam.

Tertiò, omnium iudicio cui non licet aliquod hostium, vel arcam aperire, neque licet effringere feras, vel vti clauiadulterina, quia similis culpa esse iudicatur: sed condemnatus cui occurreret clauis adulterina, ad aperiēdum carcerem, si aperiat, & fugiat, non iudicatur ab auctorib. alterius opinionis iniquè egisse: ergo potest similiter, modò nullam vim custodibus inferat, effringere carceres,& referare illius portas.

Denique si iudex secularis accedat ad Ecclesiam, cui se recepit sceleratus, qui non gaudet immunitate Ecclesiastica,& videat hostia clausa, nec illa

illa possit facilè aperire, potest illa effringere modò non inferat vim clericis, quia quo iure potest ingredi, potest, & hostia nisi ei aperiantur effringere: ergo similiter, qui potest fugere, si hostia commodè apperire non possit, potest illa effringere citra vim custodum.

CONCLVSIO IIII.

Condemnatus ad manendum in carcere per aliquod tempus, ita vt illa detentio sit ipsius supplicium, tenetur ibi manere toto illo tempore, nec potest fugere: condemnatus autem ad carcerem perpetuum, vel triremes, potest licitè fugere.

IN priori parte omnes conueniunt, quia supposito sententiam qua sic quis cōdemnatum ad carcerem, esse iustam, illa quoque pœna est iusta, nec est vlla iusta ratio, ob quam possit subditus ab illa se eximere, cum sola detentio carceris ad tempus non sit directè, & per se damnum corporale, quod iure naturæ effugere possit.

Et confirmatur iudex potest condemnare ad carcerem amplum, vt exilium in loco certò, ergo, & ad carcerem arctum pro aliquo tempore.

Secunda pars est contra Caiet. Soto, & Couar. sed probatur: Seruus captus in bello iusto potest fugere, vt vidimus q. 62. art. 2. & diximus in secunda obseruatione, sed condemnatio ad carcerem perpetuum, vel triremes est quędam seruitus, imò non solum æquatur seruituti, sed etiam illam excedit, ergo etiam si illa condemnatio fuerit iusta, poterit ille condemnatus fugere. Per carcerem autem intelligo hic arctum, & reclusum, nam si amplus sit, & in quo potest vagari, vt tota ciuitas, vel oppidum, tunc non ęquatur seruituti. Excipio tamen carcerem sanctæ Inquisitionis, à quo in fauorem fidei nullo modò licet fugere. Excipio etiā illos reos, qui cum mererentur sententiam capitis, ipsis postulantibus, & ex eorum consensu, mortis pœna commutata est in carcerem perpetuum, quia hi suo consensu renunciarunt facultati fugiendi, quàm habuissent si ex solo iudicis arbitrio ad perpetuum carcerem fuissent damnato.

Nunc ad argumenta Henrici, Syluest. & Couar. Ad primum respondeo, propriè loquendo carcere, vinculis, & rebus alijs inanimatis non inferri vim, vt constat, Tum etiam si daremus illis inferri vim cum effringuntur, non ex eo, vt ostendimus infertur vis iudici, & potestati publicæ.

Ad secundum dico, maximum esse inter illa discrimē, quia iste priuatus homo nullum habet ius ad ingrediendum domū vicini, aut transeundum per agrum eius, nisi ex consensu ipsius, & eo modo quo ille consentit, non autem consentit, vt dirupat parietem suæ domus, vel semen sui agri, propter quod si illa diruat, infert ei grauem iniuriam, & peccat mortaliter, in nostro autem casu isti condemnato licet fugere ad saluandam propriam vitam, vel corpus, & ita potest quoque se expedire ad illam fugam, & effringere ac tollere, quæ ipsi sunt impedimento.

Ad tertium respondet Soto copiosè: in summa ait, leges illas, vel procedere ex aliorum opinione, & legislatores earum illam esse sequutos: vel procedere ex pręsumptione sic fugientes intulisse vim custodibus, quod potest colligi ex verbis earundem legum, in quibus dicitur: [Si quis conspiratione facta cum cæteris carcerem effregerit, &c.] Effractio enim per conspirationem communiter non fit sine violentia custodibus illata, subditurque: [Qui verò per negligentiam custodum euaserint leuius puniantur.

Ad quartum dico, fugientem è carcere cum illius effractione siue iustè esset condemnatus siue non, teneri ad soluenda damna illata carceri, vinculis, &c. illata non quidem ratione iniustæ fugæ, sed ratione rei acceptæ, & lęsæ, non tamen teneri ad soluenda debita eorum, qui simul fugerūt, nisi illis nolentibus fugere, ipse consuluerit, vt fugerent, Nam qui tantum effregit carcerem, nec consilium fugiendi alijs dedit, vsus est suo iure, nec incumbebat ei aliorum custodia, custodes id diligentius curassent: Sicut quando itinerantes videntes inuasores respiciunt qua fugiant, si vnus eorum fugiat per agrum cōculcādo segetes, quas ipse conculcauit domino agri reficere, non quidē ratione iniuriæ acceptionis, & viæ, quia licuit ei illa via, & ratione fugere, sed velut ratione rei acceptæ, & læsæ: non tamen tenetur segetes quas alij illum sequuti conculcaruut soluere, quia ipse sic fugiens vsus est iure suo, nec incumbebat ipsi cura illarum segetum.

Ad quintum facilis est responsio, Sic fugiētem, cum vtatur iure suo nulla vi illata custodibus, (vt supponimus) nullam illis iniuriam intulisse: quod si ipsi aliquas pęnas luāt ob earceratorum fugam, ipsorum negligentiæ tribuatur, qui non vigilarunt nec diligenter custodierunt. Sed dices: Qui damnatus est ad mortem, eo ipso virtualiter, & implicitè est damnatus ad carcerem, violat ergo obedientiam iudicis fugiendo. Negandum est antecedens, quia tantum, vt vidimus condemnatur ad patiendum, non autem ad faciendum aliquid, vnde mors ei sequatur, nec potest aliqua lex, vel sententia iudicis illud pręcipere.

CONTROVERSIA XIII.

LICEAT NE INCARCERATO qui fugere potest, & carcerem effringere, consulere fugam, vel conferre limam, clauem adulterinam, aut aliquod instrumentum ad effringendum carcerem.

MAioris, Henricus, & alij Doctores, qui volunt non licere effringere carcerem, cōsequenter asserunt, nec licere in hoc casu iuuare incarceratum consilio, vel opera aliqua, ad effringendum illum, sed cum prius illud falsum sit, & posterius, quod ex illo priori sequitur, erit quoque reijciendum à nobis. Soto loco cit. sentit posse quidem illum iuuare consilio, non tamen aliqua opera, neque ad extra, iuuando illum proprijs manibus ad rumpenda vincula, vel fodiendum parietem, neque ad intra, conferendo illi limam, vel instrumentum quo effringat carcerem.

Ratio eius est. Sicut incarcerato, propter ius naturale quod habet tuendi propriam vitam, & corpus, licet fugere, ita quoque possumus illi consulere quod ei licet, nempè, vt fugiat, at cooperari fugæ eius non licet, sicut nec extrahere illum à carcere, quia hoc esset agere contra auctoritatem publicam: dare autem limam, vel clauem adulterinam, vel instrumentum ad effringendum carcerem, est cooperari fugæ illius, ergo licet.

Caiet.

Caiet. hic distinguit inter custodes, & ministros iustitiæ, & alios priuatos. Custudes, & ministros iustitiæ vult nullo modo posse illi iuuare, nec cōsilio, nec opera, quia cum incumbat eis ex officio illum custodire, agerent contra debitum, & fidelitatem sui muneris, essentque velut proditores, si incarcetato quem tenentur custodire, iuuarent ad fugam, aliis verò non liceret (inquit) iuuare illum ad extra rumpendo vincula, vel carcerem, quia hoc esset extrahere illum à carcere, quod nemini licet, esse enim resistere publicæ potestati, & euertere omnem auctoritatem iudicum, nullum siquidem iudices hac ratione possent habere custoditum, si amicis, & cognatis liceret rumpere carcerem, quod esset in magnum damnum Reip. licet tamen illis, consulere vt fugiat, iudicando, viam vel modum, licet quoq; iuuare ad intra, cōferendo limam, qua ipse met incarceratus vincula sua rumpat.

Ratio Caiet. est, Danti operam rei licitæ fauere possumus nostro auxilio, incarceratus eo modo quo diximus potest fugere, & effringere carcerē: ergo licet illi nostra opera fauere.

Et confirmatur: Nullum est opus in quo non liceat proximo auxilium ferre nisi vel quia illud sit proximo illicitum, vel quia volens ferre auxiliū, ratione sui status, vel officii, prohibeatur ab illo auxilio ferendo, quo modo religiosus extra suum conuentum infirmo inseruire nō potest, superiore facultatem negante, quia ratione sui status prohibetur domū exire sine facultate superioris sed effringere carcerem est licitum incarcerato, ferre illi auxilium ratione status, vel officii solis custodibus, & ministris iustitiæ est prohibitum, alii verò nullum est ius, quod tale prohibeat, ergo licebit illi incarcerato auxilium ferre, & cooperari, & consequenter conferre instrumenta quibus ipse carcerem effringat.

Doctor Nauar. cap. 25. num. 38. est anceps, ait enim opinionem Caiet. quantum ad æquitatem, id est considerando rem de æquo, & bono, dicunt esse plurimum tollerabilem, sed in rigore iustitiæ oppositam esse magis iustam, & ita videtur inclinare in opinionem Mag. Soto & probat: Non licet alicui priuato homini fauere reo ad extra, rumpendo carcerem, ergo neque licet fauere illi ad intra, conferendo instrumenta. Antecedēs cōceditur ab omnibus, quia esset inferre vim auctoritati publicæ, cuius est carcer, sicut non licet effringere domum vicini, quia esset inferre vim, & iniuriam ipsi vicino, cuius est domus, imò quanto auctoritas publica præstat priuato vicino, tanto minus licet alicui ab extra effringere carcerē, quam liceat effodere domum vicini. Consequentia verò probatur. Facere aliquod opus vel iuuare ad illud faciendum idem sunt: sed non licet priuato rumpere carcerem, ergo neque iuuare ad illum rumpendum, cōferre autem instrumenta ista est iuuare ad illum rumpendum, ergo non licet.

In hac quæstione, in qua omnes conueniunt.

CONCLVSIO PRIMA.

Reo qui fugere potest, licet consulere, vt fugiat, & quo modo fugiat.

PAter, quia possumus cuique consulere, quod sibi licitum est.

CONCLVSIO II.

Non licet alicui ab extra effringere carcerem vel vincula alterius.

IN hac etiam omnes conueniunt. Et patet, quia esset inferre violentiam potestati publicæ, & perturbare omnem ordinem iustitiæ, nilque esset tutum iudicibus.

CONCLVSIO III.

Alijs à ministris iustitiæ licet incarcerato qui fugere potest, & effringere carcerem, conferre instrumenta ad illum effringendum.

PRobatur argumento Caiet. Et confirmatur, auxilium quo possumus iuuare reum, vt fugiat, vel reducitur ad concilium vel ad violentiam. Prius illud possumus, nempè consulere, vt fugiat. Posterius verò non possumus, nempè vti violentia in carcerem effringendo illum: exhibere instrumenta nō est effringere carcerem, sed velut consulere quomodo possit effringere: ergo licet illa exhibere. Maior certa est. Probatur minor: Omnium consensu, si in carcere sit foramen vel rimula, qua possit fugere, licet illam ei ostendere: quo posito sic argumentor. Sicut se habet ostendere rimulam, qua fugiat, ad fugam, ita exhibere instrumenta ad effringendum carcerem, ad illam effractionem, quem admodū enim ostendere non est extrahere à carcere, sed solum indicare viam, & proponere medium ad fugam, ita exhibere instrumenta non est effringere carcerē, sed proponere illi media, quibus ab ipso effringatur: Sed cui licet fugere, licet ostendere rimulam qua fugiat, ergo similiter cui licet effringere carcerem, licet quoque exhibere instrumēta quibus illum effringat, cum hoc non sit effringere carcerem, sed velut proponere incarcerato mediū, quo possit quod ipsi licet. Vnde hoc non solum est maximè probabile de æquo & bono, vt vult Nauar. verum etiam licitum, & bonum in rigore iustitię.

Et confirmatur, si hoc non liceret, vel quia esset intrinsecè malum, vel quia aliquo iure prohibitū, non prius, quia quod intrinsecè malum est, nullo modo est tollerabile, neque de æquo, & bono, neque vllo nomine, fatetur autem Nauar. opinionē Caiet. de æquo & bono esse tollerabilem. Neque est aliquo iure prohibitum, nō naturali, quia imò inclinat natura ad auxiliandum citra vim consilio, & opera petielitantibus de graui aliquo damno: Nēc diuino, imò Prouerb. 24. Dicitur, [Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitū liberare ne cesses:] quæ doctrina, vt docet hic D. Thomas ad 3. habet locum quotiescumque id fieri potest, non agendo contra ordinem iustitiæ, id est citra violentiam. Quod autem hic sit sensus D. Thom. patet eum hunc locū sacræ scripturæ eodē modo interpretetur de reo, & de volentibus iuuare illum, cum ergo reus possit se liberare modo non agat contra ordinem iustitiæ, id est per vim, ita quoque & alii possunt illū iuuare, modò non agant contra ordinem iustitię, id est per vim. Denique neque hoc est prohibitum iure aliquo humano, nulla enim est lex, aut ius humanum quod prohibeat tale auxilium.

Quod si dicas punitetur grauiter, qui talia instrumenta

strumenta probaretur contulisse reo. Respondeo primò, reum etiam puniri si fugiat, & eum, qui probaretur consuluisse illi fugam, at concedunt Soto, Nauar. & alij licere reo fugere, & licere consulere illi fugam: Dico secundò puniri tales fautores, propter præsumptionem alicuius culpæ, vel violentiæ, Tenentur tamen sic fauentes ad restituenda damna illata vinculis, vel carceri, imò, & qui dederunt solum consilium, reo illo, qui fugit, vel effregerit carcerem non restituente. Addo etiam, posse Principes sęculares condere leges, probibentes tale adiutorium præstari reo, quia habet Princeps sufficientem auctoritatem, ad condendas leges, necessarias, vel vtiles optimæ gubernationi sui regni, hæc autē lex esset vtilis, ne multa delicta manerent impunita. Nec repugnant hæc, non posse prohiberi reo lege aliqua humana fugam, posse autem probiberi alijs ferre ipsi auxilium ad fugam, quia multa possunt prohiberi mihi erga alium, quæ non possunt prohiberi mihi erga me ipsum, me, n. mihi fauere ita est naturale, vt nullo modo possit mihi prohiberi, fauere autē alteri non est ita naturale, quin possit aliquando prohiberi quin ego lumine, & igne, & alijs necessarijs vtar, prohibentur autem cęteri, ne illa mihi exhibere possint.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando quis est in carcere ob debita, quæ potest soluere, & est condemnatus ad manendum in eo donec illa soluat, non potest fugere, nec ab alijs aliquo modo iuuari ad fugam.

PAtet prior pars, quia ista pęna est iusta. Sicut enim posset iudex condemnare debitorem, vt soluat, cum possit intra decem dies, sin minus vltra debitum, propter inobedientiā luat aliquam pœnam pecuniariam; vel recludatur in carcere, quia ea, quæ iusta sunt, potest pręcipere sub pęna, ad quam tenetur subditus seruandam: similiter potest præcipere, & erit iusta pęna ac luenda à debitore, vt maneat in carcere, donec soluet debita illa, quæ iustè debet, & potest soluere.

Secunda pars patet, quia cum iste teneatur manere in carcere. iuuare illi quoquo modo ad fugam, est iuuare ad rem illicitam. Ex hac conclusione sequitur, non valentem reuera soluere sua debita, etiam si condemnetur, vt maneat in carcere, posse fugere, quia cum reuera non habeat vnde soluat, sententia illa, & cōdemnatio est iniqua, & tyrannica, & quæ non obligat subditum, sed potest fugere, & cum vi. Debet tamen habere animū soluendi, quam primum potuerit. Et hæc de obligatione iuramenti, vt quando iurauit quis manere in carcere, vel ad illum redire, infra qu. 89. in materia de iuramento.

Ad argumenta in oppositum facilis est solutio. Illud Soti non valet, nam cooperari effringendo carcerem, aut extrahendo reum, nō licet, quia hoc dicit violentiam, quam non licet nec domui priuati vicini inferre, multò minus carceri, aut cuiuis loco sub publica potestate constituto, cooperari verò extra violentiam, vel concilio, vel opera, vel auxilio, hoc licet, vt constat ex dictis. Nec est negandum quod negat Soto, posse nos iuuare reum citra vim ad ea, quæ ipsi licent: nam si in his, quæ illi licent, iuuare auxilio, & opera non possumus, qn̄ neque iure aliquo, neque ratione status, vel officij prohibemur, Rogarē mag. Soto in q̄bus possumus illi auxiliari. Argumētum Doctoris Nauar. soluitur quoque ex dictis. Est enim dispar ratio, ad extra enim rumpendo parietem, vel vincula, nō licet iuuare, quia id non potest fieri sine violentia, quam non licet inferre carceri, sicut nec domui priuati, iuuare autem ad intra exhibēdo instrumenta, non est inferre violentiam: cum sic iuans non infringat carcerem. Ad confirmationem consequentiæ, nego esse idem facere aliquod opus, & iuuare, vt in hoc casu, nam reus effringens carcerem infert vim carceri, exhibens autem instrumenta iuuat, nec tamen ipse effringit carcerē, vel infert vim. Sicut dans concilium iuuat, nec tamen ipse effringit carcerem. Dico secundo non esse idem, quia aliquod opus ego non possum, ad quod tamen possum iuuare, vt ministri altaris non sacerdotes iuuant sacrificio missæ, & conferunt materiam, panem, & calicem sacerdoti sacrum facturo, ipsi tamen non propterea dicuntur sacrum facere, nec possunt. Videamus iam.

CONTROVERSIA XIIII.

AN POSSIT ALIQVIS condemnari ad inferendam sibi mortem, vt potandum venenum, vel amputandam sibi ipsi manum, vel scindendam venam, qua totus eius sanguis effluat.

MAg. Victo. in relec. de. Homicidio num. 13. negat posse aliquem sibi ipsi venam abscindere, qua totus sanguis fluat, vel membrum amputare, & ita neque ad ista condemnari, benè tamen posse condemnari ad potandum venenum, sicut inter Athenienses condemnabantur viri nobiles vt Socrates. Probat primò, Iudex potest condemnare reum, vt faciat ea omnia, quæ non possunt à carnifice commodè fieri, sed potatio veneni non potest vllo modo à carnifice fieri, sed ab ipsomet reo facienda est, ergo.

Secundò potest condemnare reum, vt sumat vas cum veneno deferatque illud vsque ad os, cur ergo non poterit condemnare illum ad aperiendum os, & traijciendum venenum in stomachum?

Tertiò, potest præcipere reo suspendendo vt ascendat scalam, & iugulando vt extēdat collum, ergo poterit similiter condemnare ad potandum venenum. Probo consequentiam, quia sicut potatio veneni est quædam actio, ita, & ascensus scalę, & extensio colli.

Quartò, verberare se ipsum est quædam actio, at potest quis condemnari vt se ipsum flagellet, vt patet ex vsu aliquarum religionum, in quibus aliquoties præcipiunt prælati subditis, vt pro suis culpis se ipsos flagellent.

Quintò, conficientes thersacam licitè sumunt venenum, ad experiendam vim illius medicamenti, ergo licebit quoque iudici condemnare reum ad sumendum venenum.

Caiet. & Soto locis cit. hoc omnino negant: Estque modò communis sententia, neminem ad ista condemnari posse. Ad cuius intelligentiam obseruemus, actus quibus homo disponitur ad mor-

tem

constat autem ea supra dictis non posse aliquem exercere actum, ea quo sequatur ei immediatè, & necessariò mors, quia ita agere est omnino, & reuera sibi mortem inferre. Tertiò Arguit Victoria: Tenetur homo tueri propriam vitam omnib. medijs quib. licitè potest, sed comedere est medium necessarium, & illi reo licitum ergo.

Oppositum docet Soto, Et est communis modò opinio inter Thomistas, licere non sumere cibum, & sic pati mortem, illi qui nouit iustè propter sua crimina tali pœna esse damnatum.

CONCLVSIO I.

Dănatus iustă sententia vt famæ pereat pŏt comedere oblatos sibi cibos, pŏt ēt nō comedere, & famę perire.

PRior pars constat ex D. Tho. Quia nemo potest condemnari, vt faciat id, ea quo sequatur ei mors, sed tantum, vt patiatur. Posterior verò probatur. Si illud non liceret, certè esset, ne ageret contra illud quintum præceptum (Non occides) vel inferendo sibi mortem, quod, prohibetur isto præcepto, vel non conseruando vitam, quod est præceptum affirmatiuum inclusum reductiuè in illo negatiuo, sed contra neutrum horum agit, ergo. Imprimis non contra præceptum negatiuū. Non occides; quia præceptum negatiuum, qua negatiuum est, non frangitur per omissionem, qualis est non comedere, sed, per actum positiuum, qui est occidere, quem actum hic non exercet: Neque agit contra præceptum, affirmatiuum conseruandi vitam quia ille solum agit contra hoc præceptum, qui non conseruat vitam quando potest, & debet, nec est aliqua iusta causa ad illam exponendam: nam vbi ex iusta causa exponitur, non agitur contra istud præceptum, quo modo exponens vitam pro aliqua virtute defendenda, vt prò religione, pro amicitia, non agit contra istud præceptum iuxta illud Christi. [Maiorem charitatem, &c. At qui in hoc casu nolet cibos sumere, exponeret vitam ex iusta causa, nempe ex zelo iustitiæ, vt iusta sententia quam merentur peccata ipsius mandetur execu tioni, Quemadmodum, qui damnatus ad mortem fugit, potest si velit redire in carcerem, vt eius sententia mādetur executioni, ex zelo iustitiæ, cognoscens se illud supplicium pro suis delictis iustissimè mereri. Et confirmatur: quia ex D. Tho. etsi nunquam licet alicui sibi inferre mortem, licet tamen manere vnde ei mors sequatur, quamuis ad hoc non possit ab aliquo iudice condemnari, at non comedere, non est inferre sibi mortem per actum positiuum: sed tantum facere id vnde mors ei sequatur: ergo quamuis ad hoc possit à iudice condemnari, potest tamen ipse si velit illud facere cum interueniat causa iusta nempe ei zelus iustitiæ, sicut potest cum ducitur ad suppliciū non fugere, etiā si esset ei locus fugæ.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum respondeo. Dupliciter posse aliquem se occidere: primò per actum positiuum, vt qui se ipsum iugularet, vel præcipitem daret, quod sit intrinsecè malum est, vt nullo omnino modo liceat, neq; ad hoc possit iudex aliquem condemnare; vel reus ipse concurrere. Secundo verò modo potest aliquis se occidere negatiuè, non conseruando, & tuendo vitam, ad quod nemo etiam condemnari potest, propter ius naturale. quod vnusquisque habet ad tuendam propriam vitam, & corpus, in quo sensu ait. D. Tho. non posse aliquem condemnari ne comedat, quia nemo. potest condemnari vt se occidat: Id est, neminem posse condemnari ne possit vitam suam tueri. Vel vt ait Soto, cū dicit. D. Tho. non sumere cibum, esse se ipsum occidere, non esse intelligendum positiuè: quasi sibi inferat mortem, sed reductiuè, quia cum possit, & debeat vitam tueri, non vult, quod est peccatum, sicut ille cui incumbit cura nauis, si seruare illā possit, nec seruet cum debeat, dicitur illam submergere, At quando ex iusta causa exponitur vita, vt in hoc casu ea zelo iustitiæ, reus iste, poterat reus iste, poterat quidem illam seruare, non tamen tenebatur, & ita non agit contra præceptum conseruandi vitam, vt constat, nec dicendus est se occidere, negat D. Thom. reo huic in isto casu posse non comedere, sed solum docet non posse condemnari ne comedat, sicut supra. quest. 32. artic. 6. quando ait: Confetentem eleemosynam de necessarijs ad propriam sustentationem, auferre sibi vitam. Loquitur de occisione negatiuè, subdit enim statim. De illo necessario posse, imò esse dandam eleemosynam personæ necessario posse, imò esse dandam eleemosynam personæ necessariæ Reip. & bono communi, ea iisteti in extrema necessitate. Pro qua tamen persona nulli licet se ipsum positiuè occidere: Vbi apertè ex D. Thom. licet ex aliqua causa se ipsum hoc modo, id est negatiuè occidere, nec est intrinsecè malum, sed ex eorum genere quæ ex iusta causa honestari possunt.

Ad secundum similis est solutio, nō licere exercere actum, ex quo immediatè sequatur mors effectiuè, licere tamen omittere actū necessarium ad vitam tuendam ex iusta causa: sicut licet agresso dimittere sui defensionem, & pati mortem, quando probabiliter iudicat, se existere in gratia: inuasorem verò illum, si occidatur, discessurum in peccato. Ad tertium negandum est antecedens, potest enim aliquando ex iusta causa, (vt ex dictis constat) dimmittere homo media necessaria ad tuendam propriam vitam.

CONCLVSIO II.

Ministri iustitiæ non possunt dare panem reo ad huiusmodi pœnam iustè condemnato.

QVia hoc repugnat ipsorum officio, quibus incumbit nō impedire, imo curare, vt iusta sententia executioni mandetur.

CONCLVSIO III.

Alij vero priuati homines possunt quidem offerre cibos sic condemnato, non tamen tenentur ex præcepto charitatis.

QVod possint; patet quia non sunt ministri iustitiæ, quibus solis à ratione sui officij prohibitum est, nec aliqua sententia humana potest id prohibere, cū sit actus charitatis. Quod verò non teneatur constat ex his quæ docent interpretes D. Thom. quæst. 31. artic. 2. iuxta quæ solum obligat præceptum misericordiæ, quando necessitas proximi est simpliciter necessitas, & ab intra: non autem quando ab extra, vt ex malitia tyranni, vel ex iusta sententia iudicis.

QVÆSTIO LXX. DE INIVSTITIA quam potest committere testis in iudicio.

ARTICVLVS I.

An teneamur quandoque testimonium ferre?

Obseruemus initio, testem aliquando vocari à iudice, & aliquando non, similiter aliquando interrogari in causa ciuili, aliquando verò in criminali. Rursum testimonium ipsius aliquando esse vtile vel necessarium, vt frater aliquo damno liberetur, aliquando verò dictum eius cedere in punitionem, & damnum fratris. Denique dictum testis aliquando necessarium esse bono communi, vt intellictis, quæ sunt directè in damnum commune, & in quibus diximus teneri vnumquemq; ad accusandum, quando verò dictum eius non esse bono communi necessarium, vt in alijs delictis, & causis. Obseruemus secundò, ea quæ nouit testes quandoque secretò, & data fide, & sub iuramento esse ipsi commissa, aliquando verò secretò quidem illa vidit, vel audiuit, sub nullo tamen iuramento promisit, se illa nunquam reuelaturum.

CONCLVSIO PRIMA.

Testis, vocatus à iudice, & ab ipso iuridicè interrogatus tenetur aperire illi veritatem, interrogatus verò contra ordinem iuris, vt in his de quibus non potest iudex interrogare, non tenetur respondere, nec aperire, illi veritatem, sed potest illam occultare, quin etiam, si sit in damnum tertij debet.

Prior pars probatur. Quia iudici iustè interrogantibus non aperirè veritatem (etiam si nullum interueniat iuramentum) est grauis in obedientia, & P. M. cum sic resistens iudici ex D. Paul. Dei ordinationi resistat. Et confirm. Quia si iudici iustè interroganti non teneatur testis obedire nunquam profectò: sed posset dari bellum ex vtraque parte iustum sine vlla ignorantia.

Secundò cum iudex habeat ius ad iuridicè interrogandum testem, sicut ad iudicandum reum, non aperire illi veritatem est expoliare ipsum suo iure in re graui, quod est grauis iniquitas.

Tertiò infertur à tali teste graue damnum bono communi, & Reip. cui maximè expedit ne delicta maneant impunita: constat autem puniri nō posse, nisi iuridicè probentur, quod nequit fieri ni si testis iuridicè interrogatus aperiat veritatem.

Quartò Nocet etiam alteri parti, quia si causa ciuilis sit, actor recuperabit bona sua; si criminalis, indicabitur accusator calumniator, cum defecerit in probatione. Denique reus ipse tenetur fateri veritatem, quando iuridicè interrogatur, etsi grauè illi immineat damnum, ergo à fortiori testis, cui nullum imminet damnum. Vnde est optima illa regula DD. Quando iudex habet ius interrogandi, & testis debitū respondēdi: Quamuis per accidens possit contra aliquando accidere, vt quando fit inquisitio generalis de crimine publico, cuius auctor est omnino occultus, tunc enim iudex rectè interrogat, testis autem non tenetur prodere delinquentem omnino occultum. Simile est quando inquirit ex sola præsumprione (vt infra videbitur) sed hæc sunt per accidens. Simpliciter verò, & absolutè regula ista certissima est. Altera pars conclusionis constat abundè ex his, quæ docuimus q. præced. ar. 2. agentes de reo.

CONCLVSIO II.

Testis videns dictum suum necessarium esse vel vtile ad liberandum innocentem à damno quod illi imminet, tenetur vltrò se offerre ad testificandum, etiam non vocatus nec requisitus.

Hæc constat ex sacra scriptura Psal. [Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Prouer. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: In illud Rom. 1. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, verum etiam, qui consentiunt facientibus, ait Glossa. Consentire est tacere cum possis redarguere iniquitatem: Dicamus similiter consentire est iniuriæ, quæ fit innocenti in iudicio, tacere, cum possis tuo testimonio ab illa ipsum liberare. Et probatur ratione. Tenemur extremè, vel grauiter indigenti fauere quantum possumus, & præcepto iuris naturæ. [Quod tibi vis, &c.] & præcepto charitatis, quo. [Vnicuique mandauit, Deus de proximo suo.] In hoc casu frater est in graui necessitate, cui possumus succurrere nostro testimonio, ergo tenemur etiam si non vocemur à iudice: Et confir. si aggressor inuadat innocentem, vel bona ipsius, teneor vltrò, & propria sponte iuuare illum, & resistere aggressori, quantum possum, sed iudex, actor, vel testis, qui in iudicio iniquè constituit fratrem in discrimine, est velut aggressor, ego verò possum iuuare fratrem illum meo testimonio, teneor igitur vltrò me ad id offerre: Fauet huic concl. ius Canonicum; dist. 38. quasi per totam maximè can. 1. can. Error. Et 2. q. 7. can. Negligere 9. q. 3. can. Aliorum. Vide Nauar. Inter verba. conclus. 6. num. 217. Quod si testis huiusmo di ex iusta causa non possit per se ipsum fauere innocenti, debet tūc aperire veritatem alteri, qui efficacius possit illi prodesse.

CONCLVSIO III.

Quando meum testimonium futurum est in condemnationem, & damnum rei, si delictum eius noceat bono communi, vel eidem bono punitio illius necessaria sit, teneor vltrò, & non vocatus ferre illud testimonium, etiā si secretò illud mihi commissum sit, fidemque dederim, & sub iuramento, me nunquam illud reuelaturum,

Pro-

PRobatur prior pars. In huiusmodi delictis, vt ex superioribus constat, teneor accusare, vel saltim denunciare, ergo à fortiori ad testificandū quod facilius fit. Probatur altera pars. Quia in his, quæ sunt in damnum commune, vel proximi, cui nos occurrere commode non possumus, sed sola auctoritas publica, sicut iure naturæ potior est iō patientis iniuriam quàm inferentis, ita eodem iure tenemur illa iudici aperire, vt prohibeat, & puniat, contra illud verò ad quod iure naturæ tenemur, nec obligat data fides ex illa Regula: [In malè promissis rescinde fidem, nec iuramentum, cum non debeat esse vinculum iniquitatis.] Ita Caiet. hic Soto lib. 5. de iust. loco. cit. & De tegen. secre. mem. 2. q. 7. dubio vltimò ante 4. conclus. Innoc. in cap. Qualiter, & quando, el primero. De Accusat. Panor. in idem cap. & in cap. Dilectus. De excess. prælat. & c. Omnis vtriusque. De pœnit. & remiss. Nauar. inter verba. conclu. 6. nume. 214. & habetur expræssè 22. quæstio. 4. can. In malis. cap. Quanto. De iure iuran. c. Non est obligatio, De reg. iuris.

CONCLVSIO IIII.

Si meum testimonium futurum sit in condemnationem alicuius, cuius delictum nō est in damnum alterius, nec publicum, nec particulare, non teneor vltrò ferre testimonium, sed solum vocatus.

PAtet. Quia si tenerer, vel ex iustitia, vel ex charitate at neutru modo: non ex iustitia, cum nullum damnum immineat. Dices imminet damnum accusatori, quia cum non probat delictum, quod probasset, si ego tulissem testimonium, iudicabitur calumniator. Respondet. D. Thom. in calce huius art. non esse hoc curandum testi, cum accusator vltrò se isti periculo exponat, ipsique incumbat quærere testes, quos iudici offerat, vt ab ipso vocentur. Quod si rursum obijcias, accusator debet accusare ne crimina maneant impunita ergo, testis testificari eadem de causa, alioquin non esset æqua conditio vtriusque. Solutio est aperta ex tertia conclus. posita: crimina enim, quæ accusator tenetur accusare, qualia sunt, quæ cedunt in damnum commune, tenetus etiam testis vltrò, (vt diximus) testificari.

CONCLVSIO VLTIMA.

In his, quæ in nullius damnum cedunt, testis etsi vocatus, & interrogatus, non potest reuelare quæ ipsi sub secreto commissa sunt, iurauitque, vel saltem dedit fidem, se nunquam illa reuelaturum.

RAtio est, quia in his, quæ in nullius damnum, sunt, seruare secretum est de iure naturæ, contra quod, præcepta iudicum, & superiorum non obligant. Quod verò sit de iure naturæ patet, quia est promissio, quæ potuit fieri, & in re graui, & cuius violatio cederet in damnum proximi: in huiusmodi autem promissis non licet rescindere fidem, sed habet locum commune illud dictum iuris naturalis, [Omne promissum debitum.

Ex hac conclus. colligenda est regula in qua omnes DD. conueniunt D. Thom. hic ad secunda, & in 4. distinct. 21. quæstio. 3. artic. quæstiuncula secunda ad secunda Palud. in 4. distinct. 29. quæstio. 1. Scotus eadem distinct. quæstio. a. lit. E. Ganden. quolibet. 9. D. Anton. parte secunda, titulo primo capitu. 19. §. 7. Soto de tegen. secre. mem. 1. quæst. 2. Syluest. Caiet. Victor. & omnes discipuli D. Thom. quin, & omnes Canonistæ quos refert Nauar. Inter verba. conclus. 6. num. 300. Secreta commissa in confessione verè sacramentali, quæcunque illa sint, nullo modo esse manifestanda etsi in damnum totius mundi vergerent.

Primò quia quæ ibi nouit sacerdos, non nōuit, vt homo, sed vt Dei minister, qua de causa talis notitia nulli vsui humano potest deseruire.

Secundò quia sigillum confessionis adeo sacrosanctum est, & Ecclesiæ necessarium, ne homines hac occasione à confessione abhorreant, quæ necessitas præponderat cuiuis alteri damno, quantumuis communi. Dixi in confessione verè sacramentali, quia vt optimè docent Innocen. Panor. & plerique Canonistæ in cap. Omnis vtriusque, &c. Soto de tegen. secre. mem. 2. q. 7. Caiet. hic Nauar. inter verba num. 156. quando accedit aliquis, non ad confitendum sua delicta, sed ad reuelanda aliqua secreta, etiam si flectat genua & præmittat signum crucis, ac confessionem generalem, non est tunc confessio sacramentalis, nec obligat nisi sub ratione secreti naturalis. Similiter confessio, in qua videt sacerdos, confitentem eniti simulatè inducere ipsum in aliquem errorem, vel peccatum, non est sacramentalis, nec obligat ad secretum sacramentale, cum confessio potius sit ficta, & simulata persuassio erroris, vel peccati, quàm cōfessio. Secreta verò extra confessionem sacram commissa, si in damnum commune sint, vel priuati, cui commodè occurri non potest, nisi reuelentur, reuelanda sunt eo modo quo diximus in 3. Conclu. quæ verò non sunt in damnum alicuius nullo modo licet reuelare, nec violare fidem datam de seruando secreto, etiam si iudex, vel superior præcipiat, & sub censura. Adeo est de iure natura seruare fidem in secretis. Vnde si quando apud DD. legamus. superiore præcipiente reuelanda esse secreta nobis commissa, intelligendum est de secretis, quæ sunt in damnum alicuius, vt optimè obseruant Angelus ver. Confessio. vltimo. §. 22. Nauar. inter verba conclus. 6. num. 302.

Ex hac regula sequitur procuratores, tabelliones, aduocatos, conciliarios, medicos, chirurgos, obstetrices, & similes quibus aliqui sua delicta, & secreta aperiunt, vt eorū consilio, auxilio, & opera iuuentur, nullo modo posse reuelare secreta ipsi commissa, nisi sint illa in damnum alterius. Quo fit, vt interrogati à iudice, & si sub iuramento debeant occultare veritatem, eo modo quo diximus occultandam esse à reo, vel teste interrogatu contra ordinem iuris. Etenim si isti iudici interroganti tenerentur respondere, nullus auderet eorum fidei se committere, ipsorumq; auxilio in propria necessitate vti, & adderentur mala malis, vt optimè ait Scotus loco cit. Verbi gratia, si puellæ partum ex fornicatione obstetrix posset reuelare, nec puella esset secura de secretu obstetricis, eligeret potius periclitari in suo partu, vel suffocare prolem, quàm illius auxilio vti, similiter homicida, qui dum alium occidit, vulnus accepit, non auderet adire secretò chirurgum, sed vitam potius exponere, nisi intelligeret chirurgum teneri ad secretum illud occultandum: quæ profectò cederent in grauem Reipu. perniciem.

Circa hunc art. obseruāda sunt necessariò, quę praeced. quaest. artic. 2. Diximus de reo: sunt enim haec cum illis adeo coniuncta, vt opporteat desiderantii plenam huius art. intelligentiam illa consulere. Interim offerunt sese circa testes nonnullae controuersiae praeter ea, quae ibi diximus, priuatim hoc loco explicandae.

CONTROVERSIA I.

QVANDO TESTIS IVRIDICÈ interrogetur à iudice, ita vt debeat respondere? Et quando contra ordinem iuris?

AB hac controuersia facilè nos expediemus. Quaecunque, enim diximus articu. 2. praeced. quaest. desiderari vt Reus iuridicè interrogetur, siue procedat iudex via accusationis vel denuntiationis, siue via inquisitionis, eadē requiruntur, vt iuridicè interrogetur testis. Hoc tantum intereſt, quod iā ibi attigimus, ēn his, quae sunt in damnum alterius, reum non teneri ad respondendum iudici, nisi existat semiplena probatio, quando proceditur, via accusationis, vel infamia quando proceditur via inquisitionis, testem verò etiamsi ista non existant, teneri ad testificandum: Quia reus potest illi damno occurrere, quamuis non prodat se ipsum, mutando animum, & desistendo ab incepto testis verò nequit illi occurrere, nisi indicando illud iudici.

Quo posito obseruemus, Accusationem, vt iudex iustè interroget, & testis teneatur respondere, aliquando esse iustam in vtroque foro, aliquando verò, esse quidem iustam in foro exteriori, in foro autem animae esse iniquam. Commisit Petrus delictum nulli nociuum, à quo secreto emendatus resipisset, accusatur nihilominus à Ioanne nulla praemissa correctione, quia potest illud testibus probare, haec accusatio in foro animae iniqua est, cum sit contra ordinem correctionis, ad quem tenemur, iusta autem in foro exteriori, cum iuridicè probari delictū Petri, neque aliud leges exigant, vt quis alium accusare iuridicè possit, quam vt crimen accusandum probabile sit in iudicio: Quod si accuset Ioannes, Petrum, vel quia delictum eius alicui nociuum est, aliter valet Ioannes illi nocumento occurrere, quam accusando, aut si nociuum non est, per fraternam correctionem non resipiscit Petrus, tunc accusatio in vtroq; foro est iusta, in foro quidem animae cum seruauerit ordinem correctionis, in exteriori verò eum accuset de crimine in iudicio probabili.

CONCLVSIO I.

Vt iudex via accusationis iustè interroget, & testis teneatur respondere, non exigitur accusationem illam ex parte accusantis iustam esse in vtroque foro, sat est sit iusta in foro exteriori.

PRobatur. Iudex cum sit custos iustitiae tenetur conferre vnicuiqoe sum ius, accusator eo ipso quo crimen probabile est in iudicio, habet ius in foro exteriori ad accusandum, siue praemiserit correctionem fraternam accusati; siue non, ergo vel eo solo quod crimen probari possit in iudicio, etiamsi non praemiserit accusator correctionem fraternam, tenetur iudex prosequi ius istius accusaturis, interrogando testes, & ex consequenti, etiamsi accusatio sit iniqua in foro animae, modò sit iusta in foro exteriori, & secundum iura, qualis est quando crimen potest probari in iudicio, tenetur iudex inquirere, & interrogare testes: Nunc sic, Quando iudex tenetur inquirere, & interrogare iuridicè, iustè interrogat, quid enim magis iustum iudici, quàm exequi id ad quod tenetur ex officio, & quod si ommitteret puniretur à superiori, sed quando accusatio est iusta in foro exteriori, & iuxta iura, etiam si sit iniusta in foro animae tenetur iudex inquirere, & interrogare, & aliter agens puniretur à suo superiori, ergo tali accusatione existente iudex iuridicè interrogat, & tenetur testis aperire illi veritatem. Sicut quando debitor non potest soluere sine magno damno suo, si creditor apud iudicem debitum illud exigat, in foro animae talis exactio iniqua est, & contra charitatem, iudex verò tenetur nihilominus compellere debitorem ad soluendum, & cum illo damno. Quia in foro exteriori, & secundum iura exactio illa iusta est, & testes vocati ad probandum illud debitum, tenetur veritatem aperire iudici.

Et confir. conclu. posita. Si iudex tunc non posset interrogare; certè quia peccatum illud esset secretum, cum ab vno tantum vel duobus sciatur, at hoc non obstat, cum ex D. Thom. q. 68. artic. 1. ad 3. non sit nimnino secretum, saltim iuridicè, & per sufficientes testes probari potest, Vnde quando ait D. Thom. hic iudicem iustè interrogare in criminibus manifestis, vel de quibus est infamia, sic est explicandus, vt via accusationis liceat interrogare de criminibus manifestis, aut multis, aut saltim his, per quos probari possit in iudicio: sunt enim varij gradus manifesti, quorū vnus est quod per sufficiētes testes potest probari in iudicio: via verò inquisitionis iuridicè interroget de his, de quibus est infamia. Ex quibus fit.

CONCLVSIO II.

Iudex procedens via inquisitionis, iuridicè procedit, si existat infamia delicti, vel delinquentis eo modo quo diximus q. praeced. artic. 2. teneturque testis tunc aperire illi veritatem, iuxta ea, quae ibi docuimus.

COnstat haec abundè ex dictis. His positis videamus iam.

CONTROVERSIA II.

QVANDO TENEATVR testis, etiam non vocatus, vltro se offerre ad ferendum testimonium.

OBseruemus ad hanc & sequentes controuersias: nonnullos in iure omnino prohiberi à ferendo testimonio in damnum aliorum. Ita clerici prohibentur omnino testificari in causa sanguinis, nisi in fauorem rei. Parentes contra filios, & è conuerso, & omnes ascendentes, & descen-

descentes in linea recta. l. Parentes Cod. De testibus, & 4. quæstio. 3. can. Si testis §. item parentes. Vxor contra virum. C. citato. l. 2. Estque hoc receptum inter iurisperitos, vt refert. Nauar. Inter verba Conclu. 6. num. 312. Alij verò non sunt in iure prohibiti quin possint contra alios ferre testimonium, habent tamen priuilegium, vt nisi liberè velint non possint à iudicibus compelli. Qui varij sunt. Quidam ob dignitatem sui status, vt Episcopi, clerici, & Religiosi, qui neque in causis ciuilib. compelli possunt cã. Quamquam. 17. q. 2. Et l. Nec honorem, Cod. de Episcopis, & cleric. Alij ob sanguinis vinculum, quomodo nec vir contra vxorẽ, nec consanguineus intra 4. gradum in linea transuersali potest testificari l. Iulia ff. De testib. l. Cornelia ff. De iniurijs. Alij ob decentiam, ita liberti ni cõtra suos dominos, & eorum vxores, filios, vel propinquos, & è conuerso non possunt dicere testimonium. l. Libertinorum. C. De testibus.

Obseruemus secundò cum causæ, ad quas testes desiderantur, quædam ciuiles sint, & aliæ criminales: quo ad criminales, satis constare, quando testis teneatur vltro se offerre ex conclusionib. D. Thom. initio huius art. à nobis propositis. Vnde hic potissimè agemus de causis ciuilibus.

CONCLVSIO PRIMA.

In causis ciuilibus, & pecuniarijs, nemo tenetur, neque ex charitate, vltro se offerre ad testificandum, nisi, quando periclitatur proximus pati grauè damnum in suis bonis.

PAret. Nemo tenetur, vt controu. 3. huius art. docebimus conclusione. 6. testificari cum proprio dãno, multò minus ad id se offerre, an si quis in causa ciuili vltro se offerat, nisi cum fratri iniustè imminet grauis iactura suorum bonorum, altera pars iustè ac rationabiliter indignatur, & incurrit iste testis odium illius partis: iustè enim conqueritur, cur non iussus nec vocatus vltro te obtulisti? cum alteri non immineret grauis iactura? ergo nisi talis immineat fratri bonorum iactura, non tenetur aliquis vltra se offerre ad testificandum. Dixi nisi immineat grauis iactura, quia si non immineat nemo tenetur, neque ex charitate alterius bono prospicere, si verò immineat tenetur, & pars contraria iniustè tunc indignaretur, cum iure naturæ, & charitatis teneamur patienti grauè damnum, quantum possumus fauere.

Secundò in debitis ciuilibus si debitor fugam paret, illudque nobis innotuerit, non tenemur creditorem admonere de fuga sui debitoris, nisi quando grauis iactura ex illa fuga immineret creditori, ergo neque testis in causis ciuilibus tenetur se offerre ad testificandum, nisi quãdo graue damnum alteri imminet in bonis.

Dices. Nemo tenetur ex charitate succurrere fratri nisi existat in extrema, vel graui necessitate, sed eo quod litiganti de aliquo debito immineat magnum damnum in bonis, non propterea existit iam in extrema, vel graui necessitate, cum possit esse diues, & quamuis non recuperet debitum illud mille aureorum, habere domi alia mille, ergo etiam si meum dictum sit illi necessarium non teneor me vltrò offerre ad testificãdum: Respondeo cum Soto. De tegen. secre. mem. 2 q. 2. dub. 5. post 3. conclu. & lib. 5. De iusti. 7. art. 1. Duplicem esse necessitatem, aliam quam quis actu patitur ex propria inopia, aliam verò, quæ alicui, & extra inopiam infertur per aliquam iniuriam, vel cladem: quando frater patitur necessitatem priori modo, non teneor ei succurrere ex charitate, nisi illa necessitas extrema sit, vel grauis, at quando patitur necessitatem secundo modo, i. ex iniuria alterius, vel à causa externa, vt cum inuasor aggreditur domum vicini, vel illa laborat incendio, etiamsi frater alias sit diues, teneor ex charitate iuuare illum quantum possum. Quia tunc charitas non respicit inopiam, sed solum damnum imminens fratri. Ita in hoc casu, etsi frater sit diues, cum tamen immineat illi grauis iactura in suis bonis, nisi feram testimonium, teneor illud ferre, ac vltro, vt illi opem feram. Sed quæres.

AN QVANDO QVIS ACcusat alium in causa propria teneatur testis vltrò se offerre.

TRibus modis potest quis accusare in causa propria: Primò iniquè, id est non seruato ordine charitatis. Secundò licitè, sed voluntariè, ita vt nõ teneretur. Tertiò licitè, & ex præcepto, quia tenebatur, vt cum afficitur iniuria is, cuius bonum est necessarius bono communi. In primo casu ex his tribus perspicuum est, & ab omnib. receptum, non teneri aliquem ad ferendum vltro testimonium. Similiter in tertio teneri.

In secundo res est dubia. Quidam enim asserunt tunc etiam teneri, cum iustè ille accuset, ac nisi probet incurrat pœnam talionis, ac crimen calumniæ, cui damno potest testis ille sine vllo incommodo suo occurrere. Sed oppositum est multò probabilius: Primò quia ex D. Thom. testis non tenetur curare periculum cui accusator ille, cum voluntariè accuset, propria sponte se exposuit.

Secundò, quia accusator concurrit actiuè ad offendendum, accusatus passiuè ad se defendendum, lex autem charitatis inclinat potius, vt faueamus defendenti se ipsum, quam offendenti.

Tertiò, quia licet accusator periclitetur de crimine calumniæ, & pœna talionis, reus tamen periclitatur quoque si probetur delictum, de pœna legis, & grauius periclitatur, quia reus solet puniri secundum rigorem legis, cum accusatore verò, & si deficiat, mitius agitur quo ad pœnam talionis, quando autem paria sunt pericula actoris, & rei, fauendum etiam est potius reo, quàm actori.

CONCLVSIO II.

Tam iure impediti, vt Episcopi, clerici, parentes contra filios, vxor contra virum, quàm priuilegiati, vt affines, & consanguinei, ac alij, quos retulimus, prima obseru. quando alij testes desunt, & ipsorum testimonium est necessarium, vt recuperet, quis bona sua tueatur suum honorem, & famam, vel liberetur ab alio damno, quod illi iniustè infertur, tenentur contra se inuicem testificari, sicut, & alij extranei, imò, & vltro se ad id offerre.

HÆc conclusio intelligenda est in causis ciuilibus, & pecuniarijs, nam in criminalibus sicut non possunt compelli, ita nec tenentur, nec debēt. Hæc est communis inter Canonistas in illud cap. Quanquam, & can. In necessitate distin. 4. de consecra. & Iurisperitos l. vlt. Cod. de hæreticis, & l. Consensu. §. serdis, ff. de repud. Habentque illam Caiet. hic Soto de regen. secret. memb. 2. quæst. 7. Nauarr. inter verba. nume. 319. & 323. & seq. vbi affert in hanc sententiam Hostien Archid. Panor. Imol. Felin. & alios grauissimos Iurisperitos. Et probatur. Iure naturæ, & lege charitatis tenetur quiuis fauere parti læsæ, à quocunque lædatur, etiã si à proprio fratre, quando læsus indiget omnino auxilio ipsius. Qui prohibiti sunt, vel priuilegiati à debito testificandi: habent illud à iure humano: ius autem humanum nõ potest derogare iuri naturali, & præcepto charitatis. Ergo. Et confirmatur possunt hi quando testimonium ipsorum necessarium est omnino, compelli à iudice ex illo cap. Quanquam, ergo à fortiori tenentur ex charitate.

Secundò, si quis videat fratrem germanum debere Petro famæ, vel pecuniæ restitutionem, tenetur illum admonere, ac si viderit nec correctione illa adduci, vt restituat cum possit, tenetur denũtiare illũ Superiori, ne frater eius maneat in peccato. Ergo similiter testificari, quando non sunt alij testes, vt frater soluat debitum, & curet conscientiam exonerare.

Sed intelligenda est hæc conclus. ita vt illi testi non immineat propterea aliquod graue damnũ, iuxta ea, quæ dicemus statim Controuer. 3. huius art. conclus. 6. Possunt autem cõ sanguinei, & affines, contra se inuicem testificari in pluribus, vel paucioribus causis, similiter in grauioribus, vel leuioribus, iuxta maiorem, vel minorem cõiunctionem quam inter se habebunt, & maius, vel minus damnum quod potest ipsis imminere, vel illi cui ipsorum testimonium necessarium fuerit. Verbi gratia minus damnum sufficit, vt propinquus in secundò gradu desinat testificari, quam propinquus in quarto. Similiter maior necessitas exigitur in parte læsa, & periculum maioris damni debet illi imminere, vt debeat frater contra fratrem testificari, quam alius affinis. Quod patet ex ordine charitatis, quo cæteris paribus coniunctiores sunt magis diligendi, & minus agendum contra illos, quàm contra minus cõiunctos. Quando autem pars læsa, & indigens non habeat alios testes, colligendum est ex natura causæ de qua agitur, & ex circumstantijs loci, temporis, & personarum, Et quod certius est standum erit iuramento ipsiusmet patris, vt docet Nauar. lib. cit. num. 339. Credendum enim est partem læsam non proferre testes coniunctos parti cõtrariæ, qui eo nomine suspecti esse solent, si alios haberet extraneos, & minus suspectos.

Ex hac cõclusione sequitur, vt obseruat D. Nauarr. loc. cit. num. 229. aliquando teneri aliquem ad testificandum, imo, & vltro se offerendum, cũ tamen a iudice non possit compelli.

Sed contra hæc quæ dicimus de coniunctis sanguine, obijcies. Tenebitur ergo filius contra patrem, & èconuerso testificari, & vltrò, ac non vocati, si alter eorum alicui innocenti noceat, cum defensio innocẽtis sit à iure naturæ, quod ius omnes comprehendit.

Respondeo primò, patrem non eximi à ferendo testimonio contra filium, & èconuerso solo iure humano, sed iure etiam naturæ, quod præponderat cuius alteri iuri. Dico secundò, cum præcepta charitatis sint affirmatiua, non obligare semper, maximè cum graui damno proprio, offerre se ad testificandum sola charitas postulat, vt oppresso faueamus, testificari autem filium contra patrem, & incurrere illius indignationem, vel èconuerso, damnum adeo graue est, vt non teneatur aliquis eorum cum tanto damno contra alterum dicere testimonium, neque ad id obligat charitas. Idem dicendum est de vxore contra virum, & ècõuerso, præterquam in causis, in quibus pater ex testimonio filij, & vir ex dicto vxoris leue damnum incurrent, pars verò contraria magnum.

CONCLVSIO III.

In causa fidei, vt in crimine hæresis, simpliciter, & absolutè tenetur quiuis testificari contra alium, & vltrò se offerre, non solum extraneus, verum etiam pater contra filium, vxor contra virum, frater contra fratrem, Idemque dicendum est in crimine læsæ maiestatis, vt proditione ciuitatis, & coniuratione in suum Principẽ, quando adhuc sunt inferi, & imminent.

PRior pars probatur Exod. 32. cum adorasset populus vitulum, dixit Moyses filijs Leui, qui illum non adorauerant. [Si quis est domini iungatur mihi, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum &c.] Et ne putemus non intelligi ibi nomine fratris verum, & germanum fratrem, sed & propinquum iuxta consuetudinem idiomatis Hebræi, subiungitur dixisse deinde Moyses ijs, qui illos idololatres occiderant: [Cõsecrastis manus vestras hodie domino, vnusquisq; in filio, & in fratre suo.] Et apertius Deut. 13. [Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis, vt animã tuam, clam dicens, eamus, & seruiamus alijs alienis, ne acquiescas ei, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum.] Quæ verba expendens D. Cyprian. in lib. de exhortatione martyrij cap. 5. & hab. 24. quæst. 5. can. Si audieris, ait: [Si hoc fuit obseruatum ante aduentum Christi, quanto magis post aduentum eius.] Nec excipitur ab hoc debito filius contra patrem, eo quod isto loco non fiat mẽtio patris, quia vt optimè obseruant Caiet. in illo loco, & Nauar. lib. cit. num. 526. cum experientia teste ardentius ament parẽtes filios suos, quàm amentur ipsi à filijs, eo ipso quo præcipitur patri, ne in causa fidei occultet filium, præcipitur simul filio, ne in eadem causa occultet patrem. Præceptum enim Dei est, cultum, ac religionem ipsius amori cuiuscumque propinqui præferre: in quo sensu dixit Moyses vicinus morti, Deut. 33. filius Leui alludens ad id quod fecerant contra idololatras, Exod. 32. [Qui dixit patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ò Iacob, & legem tuã ò Israel.] Et Christus Luc. 14. [Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,] &c. Hoc ipsum docent omnes ferè DD. Glossa. & Canonistæ in Cap. Literas, de præsumpt. Hostien. Anton. de Butr. Imola, Panor. & omnes ferè Iurisperiti in cap. In omni negotio. De testib. Archid. in cap. Vt officium, §. Verum. De hæreticis lib. 6. quem sequuntur Ioan. Andr. Felinus

in cap.

in cap. Dilectorum, de testibus cogendis. Syluest. Testis quæst. 1. dicto S. D. Thom. sup. q. 29. art. 2. & 3. Soto, Caiet. & omnes discipuli D. Thom. Nec in ferendo hoc testimonio aliquod est periculum, cum in causa fidei testes sint occulti omnino, & quo propinquiores reo eo magis occulti, iuxta statutum Bonifa. VIII. cap. fin. de hæreticis lib. 6. §. iubemus, & obseruatur diligentissimè. Vide Nauar. copiosè de hac re disserentem: Inter verba, conclus. 6. num. 527.

Probatur altera pars. Quia non solum bonum diuinum & religionis, verum etiam cõmune Reipub. est præferendum cuique priuato, & proprio, quando autem crimen læsæ Maiestatis est adhuc in fieri, periclitatur maximè bonum commune totius Reipub. siue sit proditio eiusdem Reipub. siue cõspiratio in cap. & principem ipsius, siue quid simile: Et confir. ex cap. Vergentis. De hæreticis. Vbi sumit Innocen. III. tanquam certum, in crimine læsæ Maiestatis debere quoque parentes testificari cõtra filios, indeque infert debere id ipsum in crimine hæresis. Quia si ad id tenetur, quando læditur Maiestas humana, quantò magis vbi læditur diuina. Dixi quando est in fieri, nam quando iam commissum est, cessauitque omne damnum, & periculum Reipub. probabile est non teneri tunc parentes ad testificandum contra filios, nec è conuerso, ita Decius in c. 1. De officio delegati. num. 7. In crimine autem hæresis quod est in fieri, aut in quo non est spes emendæ tenetur filius non solum testificari contra patrem, verum & denunciare, quod si iam sit emendatus, vel certò speretur per secretam correctionem emendandus, durum videtur vbi nullum est periculum, obligare filium ad denunciandum patrem, quamuis vocatus in iudicium teneatur testificari contra patrem & è conuerso. Est autem hæc conclus. intelligenda tàm in crimine hæresis, quàm læsæ Maiestatis, quando non sint alii, qui commodè possint testificari, quia si existant, doctum etiam mihi videtur exigere testimonium patris contra filium, vel cõtra, si tam re adeo atroci, cum tunc necessarium non sit, sed ex aliis commodè haberi possit. An autem teneatur ad restituendum, qui ex charitate debebat se vltrò offerre ad testificandũ, nec illud præstitit, quãdo ex defectu sui testimonii parti alicui eueniunt aliqua damna, statim explicabitur controuer. sequenti. Nunc videamus.

CONTROVERSIA III.

PECCET NE CONTRA iustitiam, & teneatur ad restitutionem testis, qui se abscondit, & occultat ne ferat testimonium, vel qui interrogatus occultat veritatem, quam tenebatur explicare?

OBseruemus initio, varijs posse testem esse occultũ, aut bona fide, vt qui sine vllo dolo vel fraude recedit à loco, & abest, ad sua negotia exercenda, nil minus cogitans quàm de ferendo testimonio, vel occulta se fraudulenter, recedens eo fine, ne ferat testimoniũ, & hac fraude potest adhuc bifariam vti, vel antequam vocetur à iudice per ministrum, ne inueniatur, & vocetur, vel postquam vocatus est, & propositum illi mandatum iudicis.

Obseruemus secundò, nullum præceptum supe- rioris obligare ex iustitia subditos, nisi illud actu, & in effectu promulgetur: si sit præceptum vniuersale, debet promulgari in loco publico, vbi similia mandata solent promulgari, si particulare, & priuatum, debet proponi, & intimari (vt dicũt) illi, à quo obseruandum est, quia præceptum superioris est velut quædam lex, lex autem non obligat ex iustitia, nisi promulgata. Sola namque voluntas superioris non obligat, nisi illa iuridicè innotescat subditis, innotescit autem, cum promulgatur in loco publico, si omnes respiciat, vel proponitur illi, quem priuatim respicit: Quod si innotescat alia via non iuridica, non obligat, veluti si religiosus sciat habere prælatum aliquod mandatum scriptum ipsi proponendum, & per fraudẽ fugiat superioris, ne illud sibi proponatur, peccabit quidem, quo ad illam fraudem, non tamen cõtra iustitiam: cum præceptum illud nondum ipsi propositum sit, & intimatum.

Obseruemus tertiò, testem aliquando vocari à iudice, vt ferat testimoniũ, aliquando non vocari, inter quæ hoc interest, vt antequam vocetur, potest quidem teneri ad ferendum testimonium vltrò, vel ex charitate, vt ad liberandum innocentem, vel ex iustitia legali quando illud exigit bonum commune, non tamen tenetur ex iustitia particulari nisi vocatus à iudice, quia tũc sicut iudex habet ius ad vocandum illum, ita ipse vocatus à iudice ne illum expoliet iure suo, tenetur iustitia illum adire, ac ferre testimonium, si ritè, ac iudice interrogetur.

CONCLVSIO I.

Testis, qui se occultat postquam à iudice per ministrum vocatus est ad testificandum, peccat, et contra charitatem, & contra iustitiam, teneturque ad restituenda omnia damna subsequuta.

HÆc est communis inter DD. Ita Soto lib. 5. de iust. q. 7. arti. 1. & de teg. secr. mem. 2. quæst. 6. dub. 4. post 3. conc. Naua. Inter verba. conc. 6. nũ. 219. & in Manua. cap. 25. num. 41. Et probatur: Iudex per suum mandatum applicauit iam parti litiganti illud testimonium, quod cum sit illi per ministrum propositum, occultans se est inobediẽs iudici, & expoliat per fraudem partem illam suo iure, nocetque illi cum iniuria, qua parte est inobediens, peccat contra charitatem, qua parte expoliat partem illam suo iure, peccat contra charitatem. & consequenter si quæ damna inde sequãtur, tenetur illa omnia reficere.

Secundò, si præcipiatur alicui proferre in medium scripturam alicui parti necessariam, ille verò per fraudem eam occultet, vel destruat, omnium consensu peccat contra iustitiam, & tenetur ad omnia damna inde sequuta; iniure autem testis comprehenditur sub nomine instrumenti, & habet eundem effectum, cap. peruenit, el primo, extra de testibus, ergo peccat similiter testis fraudulenter occultans, & tenetur ad restituendum, non minus quàm si interrogatus iuridicè occultasset iniquè veritatem, quia illud mandatum quo vocatur, æquiualet interrogationi.

Tertiò, si per generale edictum compelleretur ad ferendum testimonium, non posset se abscondere, sed peccaret contra iustitiam, ergo & in hoc casu, cum non minorem vim habeat præceptum illud iudicis, quo priuatim vocatus est, quam generale edictum.

Hæc

ratione testis qui se abscondit non tenebatur prodesse alteri parti.

Sumpta ex regula quam constituit hic Caiet.

CONCLVSIO IIII.

Quando aliquis tenetur ex iustitia legali ad accusandum aliquem, conscij illius delicti, tenentur ex eadem iustitia legali, ad testificandum, & tanto magis, quanto cum minori detrimento potest quis testificari quàm accusare, cum testis non obliget se ad probandum, sicut accusator.

IDem docet Soto loc. cit. Imo est aperta sententia Diui Thom. Qui reddens hic rationem, ob quam testis non tenetur vltro se offerre, quando dictũ ipsius potest reo nocere, etiam si possit prodesse accusatori, & liberare illum à crimine calumniæ, ait: [Quia accusator sua sponte in tale periculum se coniecit.] Vnde iuxta D.Tho. quando non accusat propria sponte, sed ex debito iustitiæ legalis, curandum erit testi liberare eum à crimine calumniæ, & testificari ex eadem iustitia.

Secundò, magis tenemur ad defendendum innocentem quàm nocentem, quando innocens nõ propria sponte, sed necessitate ducente subest alicui periculo, in hoc casu reus est nocens, accusator verò innocens, periclitatur de crimine calumniæ, non propria sponte, sed quia debuit ex iustitia legali accusare, ergo. Denique, esset profectò iniquum, & inæquale, vt teneretur quis accusare, quod testis illius rei conscius non teneretur testificari.

Nec liberat ab hoc debito, testem vltrò se offerentem incurrere odium rei, tum quia illud non est iustum odium, cum ferat testimonium iustitia legali, vel charitate ita exigente, tum quia bonum commune, in cuius fauorem testificatur in hoc casu, præferendum est cuius damno proprio.

CONCLVSIO V.

Quando iudex ritè interrogat, testis occultans, vel negans veritatem, quã tenebatur manifestare in re graui peccat mort. & tenetur restituere omnia damna inde subsequuta parti læsæ.

PRior pars huius conclusio probatur eisdem argumẽtis, quibus probata est prima conclusio Diui Thom. Secunda quoque pars perspicua est, quia huiusmodi testis nocet illi parti cum iniuria, habebat enim illa ius vt testis verum aperiret.

Secundò, mutus, & non manifestans ex quæst. 62. articul. 5. quando tenetur manifestare ex iustitia, tenetur ad restituenda omnia damna subsequuta, nisi manifestauerit, hic autem testis ritè interrogatus tenebatur manifestare.

Denique impediuit iniquè bonũ ad quod pars illa læsa erat in proxima potentia, & habebat ius.

CONCLVSIO VI.

Testis, qui occultauit se antequam vocaretur, vel vocatus, & interrogatus occultauit veritatem, quia vidit prudenter, & probabiliter graue damnum sibi imminere, si illam explicasset, nec peccauit, nec tenetur ad aliquid restituendum.

INtelligenda est hæc conclus. tàm in causis pecuniarijs, & ciuilibus, quàm criminalibus, conueniuntque in ea omnes. Soto de teg. secr. memb. 2. quæst. 7. dub. 2. post 3. conclus. Nauar. inter verba. conclus. 9. nu. 321. vbi citat Baldum, Felinum, & alios in eandem sententiam, & nu. 224. Et probatur, præcepta naturalia, & diuina, tàm charitatis, quàm iustitiæ, sunt iugum suaue, non obligans in casibus ita arduis, & difficillimis, vt excedant vires humanas, esset autem maximè arduum, & difficile, obligare testem cum periculo vitæ, vel grauis infamiæ, aut iacturæ suorum bonorum.

Secundò, iudex nõ teneretur omnium consensu, cum tanto periculo, & damno defendere priuatum aliquem sibi subditum, ergo multo minus testis.

Deinque charitas nõ obligat ad prouidendum bono proximi, cum notabili detrimento proprio.

Sed dices. Eodem modo tenetur testis respondere iudici ritè interroganti sicut, & reus, at reus tenetur, & cum periculo grauis damni, ergo, & testis.

Secundò, testificari veritatem est præceptum naturale, & diuinum, pertinẽs ad iustitiam, & obligans in conscientia, huiusmodi autem præcepta obligant, & cum periculo vitæ.

Tertiò si testis in hoc casu posset occultare veritatem, posset resistere iudici, & cum iudex iustè interroget, posset quoque compellere testem ad dicendam veritatem, & ita daretur bellum ex vtraque parte iustum.

Sed hæc facilè est diluere. Ad primum dico, nõ esse parem rationem, quia reus est in culpa, & ita ratione sui delicti tenetur subire illud periculũ, & pœnam, testis verò cum non sit in culpa, non tenetur subire pœnam, nec pati damna, neque in se, neque in suis, in suis inquam, quia pœna propinquorum iudicatur propria.

Ad secundum respond. ius naturæ, & diuinum non obligare cum periculo vitæ, vel grauis damni, iure enim naturæ, & diuino soluenda sunt debita creditori, succurrendum q̃ue innocenti aggresso, at non cum tanto periculo. Vnde si iudex aduertat illud damnum imminere testi, possit q̃ue sine scandalo abstinere ab illius interrogatione, iniquè ageret, si illum interrogaret, nec teneretur testis tunc respondere. Si verò ignoret illud periculum, aut debeat interrogare ex officio, quia à lite sequeretur scandalum, tũc iustè quidem interrogat quantum in ipso est, sed testis non tenetur ad respondendum ratione illius sibi imminentis. Nil enim prohibet quo minus aliquando iudex iustè interroget, cum tamen in illo casu ex aliqua causa testis non teneatur respondere, vt diximus in inquisitione partim generale, partim speciale, in qua auctor delicti nulla omnino laborat infamia.

Ad tertium dico, posse dari bellum iustum ex vtraque parte, ex ignorantia alterius partis: quomodo daretur in hoc casu iudice ignorantem iustam causam, quam habet testis, ad non respondẽdum, propter graue damnum, quod illi immineret. Etenim si illam nosset, & nihilominus illum vrgeret, ac compelleret, iniquè ageret. nec esset iam bellum iustum ex parte iudicis. Nisi iam ex officio ad id teneretur ad tollendum scandalum Reipub. in quo casu nil etiam prohibet dari bellũ iustum

iustum ex vtraque parte, ex vna per se, & ex alia per accidens, vt cum Dux in bello iusto vna cum nocentibus persequitur innocentes, quia aliter nũ potest obtinere victoriam, tunc innocentes defendentes se ipsos habent bellum iustum per se, eo ipso quo sunt innocentes, dux quoque ille persequens eos habet bellũ iustum per accidens, quia accidit, vt non possit nocentes quos iustè impugnat debellare, nisi persequatur etiã innocentes: Ita in hoc casu testis iste haberet iustum bellum per se, cum non teneretur respondere iudex quoque per accidens, ratione illius scandali cui teneretur ex officio accurrere. Quod intelligendum est, nisi bonom commone, aut diuinum aliter exigat, tunc enim tenetur testis, & quiuis ciuis cuius damno se offerre.

Ex hac conclu. sequitur consanguineos, affines, & alios impeditos à iure, vel priuilegiatos, & in casibus in quibus possent compelli à iudice ad testificandum, non teneri cum proprio damno, nec quando damnum vnius redundat in alterum, vt damnom patris in filiũ, vel fratris in fratrem, vel graues diffidiæ inter eos orirentur, quæ certè inter coniunctos præponderant iacturæ multorum bonorum: confirmatique potest hoc consectarium.

Primò, quia affines isti eo quod affines sint, & coniuncti, non sunt deterioris conditionis, nec tenentur ad testificandum contra se maiori vinculo quàm teneãtur extranei contra alios, imò minori, extranei autem, vt constat, non tenentur testificari quando graue aliquando damnum ipsis imminet. Secundò, quia expedit paci, & conseruationi Reipub. vt non solum communitas ipsa ciuium, sed quæuis etiam priuata cognatio, & familia pace, & charitate viuant. Tertiò, testimonia ista contra coniunctos, sunt maximum seminarium inimicitiarum inter eos, quæ tantò acriores esse solent, quantò affines isti coniunctiores sunt.

Sequitur secundò, debere testem non solum proprio damno, verũ etiam, & alieno prospicere, vt si Petrus læsit Ioannem in re leui, Petrus verò denunciatus iudici læditur in re graui, nec denũciandus, est, nec ferendum testimonium contra ipsum, sed comparanda sunt inter se prudenter ista damna, & habenda ratio grauioris, & fauendum illi, qui maius damnũ periclitatur recipere, vt docent D. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 2. arti. 3. quæstiunc. 1. & Palud. eadẽ distinct. quæst. 4. Erit tamen si vocetur à iudice, iusteque ab eo interrogetur manifestanda illi veritas, vt habet Nauar. Inter verba conc. 6. num. 331.

Ex his sequitur tertiò teneri aliquando testem ad testificandum si iuridice interrogetur, qui nec tenebatur nec debebat denunciare, vt in casu modò proposito, & in omnibus illis quos retulimus quæst. 68. artic. 1. Controu. 1. & 2. in quibus (vt vbi vidimus) non tenemur accusare, nec denunciare, vocati tamen in iudicium, & iuridice interrogati, tenemur verum esplicare. Similiter quãdo crimen quod tua correctione ita emendandum speras, vt nullum inde immineat periculum, vel quod ita occultum est, vt duobus, vel tribus tantum innotescat, neque alicui est nociuum, denunciandum non est, at si vocatus à iudice tuè interrogetis, quia iam existit semiplena illius probatio, verè respondendum est iudici.

CONCLVSIO VI.

Quando iudex procedit via accusationis, & testis iuridice quidem interrogatur, quia existunt indicia, vel quid simile, sed videt, accusatorem qui promisit probare delictum illud sufficienter, & per duos, vel plures testes, mentitum esse nec habere nisi vnicum: non tenetur in eo casu respondere.

PRobatur, Quando iudex procedit via accusationis, non tenetur respondere, quin accusatio illa iusta sit, saltim in foro exteriori, sed in hoc casu, neque in foro exteriori est iusta, sed fraudulenta, cum promiserit falsò accusator se probaturũ delictum, quod scit probari non posse, & deceperit iudicem, ergo non tenetur in hoc casu testis respõdere. Et confirm. quia interrogatio iudicis in hoc casu procedit solum ex falsa præsumptione, quia accusator affirmauit delictum illud esse probabile iudicé, in quo est mentitus iudici, interrogationi autem quam certò scit testis procedere ex falsa præsumptione, non tenetur respondere. Ita Nauar. loc. cit. & Soto lib. 5. de iust. q. 7. arti. 1. fine corporis arti. & in solut. 1.

CONCLVSIO VII.

Quando quis solum tenetur testificari ex charitate, vel iustitia legali, veluti ad consulendum bono communi, vel liberandum innocentem, peccat quidem mort. non offerendo se vltro ad ferendum testimonium, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem. Quando verò nõ solum tenetur e charitate, vel iustitia legali, verum etiam ex iustitia particulari, vt qui iam est vocatus à iudice, nec vult aperire veritatem non solum peccat mortaliter, verum etiam tenetur, in ciuilibus restituere parti culpa ipsius læsæ omnia damna inde sequuta, veluti debitum, quod altera pars reuera exsoluisset, verum fuisset testificatus, et omnes expensas, & lucra cessantia. In criminalibus verò expensas quidem tenebitur soluere, et omnia damna fisco, vel actori inde sequuta, non tamen pœnam pecuniariam, ad quam reus ille fuisset condemnatus.

PRima pars huius conclusionis patet ex secunda conclusione Diui Thom. initio huius artic. proposita, vbi probat, testem cuius dictum est necessarium ad liberandum innocentẽ, teneri ad vltro testificandum ex præcepto charitatis; & à fortiori, quando dictum eius est necessarium, bono communi, tunc enim tenetur, & ex charitate, & ex iustitia legali. Nõ tamen teneri in hoc casu ad restitutionem, patet ex dictis, quia pars litigans non habet ius in dictum testis, nisi quandò illa applicatum est per præceptũ iudicis, vnde tunc solam violat charitatem, non iustitiam particularem. Similiter si dictum eius sit necessarium bono commoni, violat quidem lethalem, non tamen particularem: ad restituendum autem non tenetur aliquis ex violata tantum charitate, vel iustitia legali, nisi simul violet particularem, & noceat alicui cum iniuria, ita & optimè Nauarrus Inter verba. conclus. 6. num. 227. & seq.

Altera pars eiusdem conclusio. testem vocatũ à iudice peccare mort. & teneri ad omnia damna reficieo-

reficienda, nisi aperiat veritatem, cõstat etiam ex 1. conclus. huius artic. Quia per præceptum iudicis habet pars læta ius in testem vocatum, vnde si non aperuit iudici verum, expoliauit partem illa suo iure, nocuitque illi cum iniuria, qui verò nocet cum iniuria, tenetur ad reficienda omnia damna.

Secundò fuit mutus, & non manifestans, quem constat ex quæst. 62. artic. 5. teneri ad restituendum, & habetur. Cap. Qui cum fure. extra de furtis. Vnde huiusmodi non est absoluendus, nisi ferat testimonium quod debet, quando adhuc prodesse potest, vel restituat omnia damna culpa ipsius subsequuta, quando iam elapsum est omnino tempus ad testificandum: quia aliter existit in statu peccati. Ita Soto de teg. secret. memb. 2. quæst. 7. conclus. 3.

Vltima pars de criminalibus quo ad expensas similiter constat, & ab omnibus conceditur quia in expensis nocuit apertè testis iste fisco, vel actori cum iniuria, Quin, & damnum quod homicida teneretur restituere hæredibus occissi, & ad quod fuisset condemnatus, tenetur testis iste reficere, præcipuo debitore id est homicida ipso nõ satisfaciente illud.

Quo ad pœnam tamen pecuniariam nõ omnes conueniunt, sed dubitatur à multis.

AN TESTIS, QVI VOCAtus à iudice iniquè occultauit veritatem, teneatur ad restituendam pœnam pecuniariam, ad quam reus, si ipse verum aperuisset, fuisset iustè damnatus.

Qui existimant cum Soro, reum iniquè negantem veritatem teneri ad soluendam pœnam pecuniariam, ad quam iuxta leges fuisset damnatus, si veritatem explicasset, id ipsum docent de teste, & multò potius quàm de reo, quia hic cum agat in propria causa minorem infert iniuriam negando veritatem quæ ipsi noceret, quam testis qui mentitur vel agit iniquè in causa aliena.

Secundò si illa pecunia esset debita alteri, & culpa testis non redderetur suo domino, teneretur testis iste ad illam restituendã verò domino, sed pœna applicanda fisco vel actori iuxta leges est illis debita ex iustitia, ergo testis, cuius culpa non reddit illã reus, tenebitur ipse illam restituere: Et confir. Qui nocet alteri contra iustitiam, tenetur reficere illi nocumẽtum illud: sed testis hic nocet fisco reuera, quia si explicasset veritatem, recepisset fiscus illam pecuniam, nocetque illi cõtra iustitiam, quia iniustè occultauit, vel negauit veritatem: Ergo.

Tertiò, qui impedit pauperem à consecutione eleemosynæ, quam illis diues contulisset, tenetur ad restituendum illi pauperi illam eleemosynam, sed non minus impedit hic testis iniquus fiscum à consequutione illius pœnæ, imò iniquius impedit, quia illa eleemosyna non erat debita pauperi ex iustitia, pœna verò illa erat debita fisco ex iustitia, ergo tenetur testis iste iniquus illam restituere fisco.

Quartò, iudex, & ministri iustitiæ tenentur ad restituendam pœnam, si culpa eorum non condẽnetur reus, veluti si iudex non ferat sententiam, aut fiscos non accuset, ergo & testis, qui nõ explicat veritatem iuridicè interrogatus: par enim est istorum omnium ratio.

Oppositum iudicant alij, & verius, quibus subscribendũ censeo: propterea quod pœnæ hoc habent proprium, & peculiare, vt vidimus quæst. 62. artic. 3. vt nec reus, cui potissimè impositæ sunt à legibus, teneatur eas luere, nisi adueniente iudicis condemnatione, etiam si iniquè, & negata veritate tenebatur fateri, ab illis se liberet. Vnde est argumento efficax. Testis non tenetur nisi ad eam pœnam, ad quam teneretur reus, reus autem non tenetur ad pœnam legis, nisi actu condemnetur, etiam si iniquè, & per mendaciũ ab illa se eximat, ergo nec testis.

Secundò, fiscales, custodes montium licèt ex rigore iustitiæ teneantur ad luendam pęnam, ad quam reus quem ipsi non manifestarunt, fuisset condemnatus, quia tenẽtur ad id ex officio, nihilominus ex intentione formali, vel virtuali Reipub. & dominorum montium sępè excusantur à restitutione, consuetudine ipsis fauente, vt vidimus q. 62. artic. 4. ergo multò magis erit testis iste de quo agimus, liber à solutione pœnæ, ad quam fuisset damnatus reus, cum nec teneatur ex officio, nec recipiat stipendium, vt testificetur veritatem, sicut illi, nec concurrat, vt minister iustitiæ sicut illi.

Tertiò, Nemo tenetur restituere quæ per accidens videtur esse contra iustitiam, sed ea tantũ, quæ per se vt si Petrus occidat Ioannem debentem 100. aureos Francisco, non quidem animo nocendi Franciscu, sed solum animo vindicandi se de Ioanne, non tenetur in hoc casu Petrus restituere Francisco illos 100. aureos, vt vidimus q. 62. artic. 2. quia per accidens fuit subsequutum illud damnum Francisci: sed illa pęna non est debita fisco ex iustitia per se, quia lex imponendo illam pœnam, solum intendit punitionem rei per se, nõ commodum, nec vtilitatem fisci, vel actoris, hoc enim est per accidens, ergo testis iste cum non priuet fiscum, vel actorem pecunia ipsis per se debita, non tenetur restituere illis talem pœnam.

Denique cum edictum generale non minorem vim habeat, quàm præceptũ particulare, quo aliquis vocatur à iudice ad testificandum, si hic testis, de quo agimus, teneretur ad restituendam pęnam pecuniariã, ad quam fuisset damnatus reus, quotquot proposito à superiori edicto generali non testificantur quæ verè sciunt, tenerentur ad restituendas pęnas, ad quas fuissent damnati, quicunque ipsis testimonium ferentibus fuissent reuera à iudice condemnati, at nullus est Theologorum qui illud hactenus docuerit, neque est in vsu etiam apud viros timoratos.

Argumenta in oppositum facilè diluuntur, si obseruemus primò quod diximus proprium esse pęnæ vt reuera, & actu non obliget nisi adueniẽte condemnatione.

Secundò, quantum interfit inter ea, ad quæ tenemur ex officio, maximè accepto aliquo stipendio, & ea, ad quæ non tenemur ex officio, nam quando tenemur ex officio eo ipso tenemur ex iustitia commutatiua, quicquid sit de iure fratris; contra verò quando non tenemur ex officio, nec tenemur ex iustitia, nisi aliàs fratri illa aliquo iure debeamus.

Ex his dico ad primum argumentum, falsò illud niti fundamento, nam vt vidimus reus non tenetur ad luendam pœnam, nisi actu iam ad illã

con-

condemnatus à iudice. Ad secundum dico, in illo casu pecuniam illam esse debitam suo domino simpliciter, & per se, & ex natura rei, etiam si nulla accedat iudicis condemnatio, in hoc autem casu, pœna ista non est simpliciter debita, sed adueniente iudicis condemnatione, Vnde in ciuilibus testis iste nocuit actori in re sua actu, & reuera, in criminalibus verò pœna illa non est fisci, nec actoris ante condemnationem rei, qua ratione manet etiam soluta confirmatio illius secundi argumenti.

Ad tertium respondeo, eleemosynam illam per se esse bonam pauperibus, quia diues per se illam conferre instituebat, at in hoc casu (vt diximus) pœna ista non est per se bonum aliquod fisci, sed per accidens, cum lex per se tantum instituat in illa pœna punitionem rei, non vtilitatem fisci.

Ad quartum dico, iudices, & ministros teneri ex officio, & accepto stipendio ad ferendas sententias, & exequendas, & consequenter ex iustitia cõmutatiua, & ideo merito obligari ad restituendam pœnam, quam culpa eorum non luit reus, testis verò non tenetur ex officio, nec accepto pretio, vnde sufficit, propter ius, quod habet pars illa in testimonium ipsius, restituat illi damna quæ recepit expensis, & debitis, ad pœnam tamen quam debebat soluere reus (cum illa nullius adhuc actu sit) non tenetur, donec aduenerit iudicis sententia, sicut nec reus.

ARTICVLVS II.

An testimonium duorum, vel trium testium sufficiat in iudicio?

OBseruemus ex Arist. 1. Ethico. non esse disciplinati animi, eandem probationẽ in omnibus rebus quærere maior, enim & certior exigitur in scientijs Mathematicis, & Naturalibus, quàm in Moralibus. Vnde in actionibus humanis, quæ circa res contingentes versantur, ea tantum probatio exigenda est, quæ iudicio prudentum censetur sufficere, & quæ communiter solet continere veritatem, licèt aliquando ab ea deficiat. Ex quo sequitur, iure naturæ esse quidem diffinitum numerum testium circa minimum, vt vnus non sufficiat, maximè in rebus grauibus.

Primò, quia vnus facilè potest corrumpi, precibus, pecunia, vel metu.

Secundò, quia si vnus tantum affirmat, cum sit alter, qui neget, nempè reus, credendum est potius reo, quàm testi, quia reus est in possessione sui honoris, famæ, vel bonorum, quæ ab ipso exiguntur, à qua possessione vult testis illum eijcere, & perturbare: estque melior semper, & potior ratio possidentis. Non tamen est diffinitus numerus testium circa maximum, sed hoc relinquit ius naturæ prudentiæ Principum, & Gubernatorũ, pro qualitate causæ, & personarum: cum probatio quæ exigitur in iudicio, versetur circa actus humanos, in quibus non potest dari vnica regula certitudinis, sed quæ in quaque causa regulariter, & communiter solet attingere veritatem, & rarò ab ea deficere.

Obseruemus secundò, testes varijs modis posse se habere, nam aliquando conueniunt in eodem facto, dicunturque contestes, aliquando verò nõ conueniunt in facto, sed vnusquisque testificatur suum priuatum factum, diuersum à facto quod testificatur alter, qui dicuntur testes singulares. Rursum testes possunt esse discordes in circumstantijs leuibus, & quæ prudenter nõ mutant factum, & quibus communiter non attendunt homines, vt si vnus dicat Petrum percussisse Ioannẽ in domo picta, alter dicat, in domo illa se nullam vidisse picturam: vel in circumstantijs præcipuis, & quæ prudentum iudicio communiter variant factum, vt si vnus dicat se vidisse Petrum percussisse Ioannem domi, alter dicat, se illud vidisse in platea: vnus dicat se vidisse illum percussum gladio, alter verò fuste: hi necessariò discident in facto, quia huiusmodi circumstantiæ non possunt conuenire eidem facto: Dico vidisse, Quia si vnus testificetur ex visu, & certa scientia, alter exauditu, & forma, possunt hi conuenire in facto, & differe in aliqua circumstantia, sed eo ipso talis testis ex auditu incertus est, & exiguæ fidei. Potest etiam aliquis testis sibi ipsi repugnare, Si quidem testificetur ex visu, & certa scientia, & sibi repugnet eo ipso censendus est mentiri, si ex auditu potest quidem sibi repugnare absque mendacio, propter ea, quæ à varijs audiuit, sed eo ipso nullius quoque aut exiguæ est fidei. Hic solum est sermo de his qui certam, vel aliquam fidem faciunt in iudicio, nempe, vel occulatis, vel his, qui audierunt à viris fide dignis certò, & distinctè illud asserentibus.

Obseruemus tertiò, in iure diuino Veteris Legis duorum, vel trium testium dictum sufficere in quouis iudicio, iuxta illud Deut. 17. [In ore duorum, vel trium peribit qui interficitur. Et c. 19. In ore duorum, vel trium stabit omne verbũ.] Sed eum hæc lex esset iudicialis, pertinens ad illum populum, absoluta est in morte Christi, nec eam reualidauit quando illam citat Matth. 18. & Ioan. 8. neque D. Pau. qui eandem citat. 2. Corin. 13. sed tantum referunt legem, quæ apud iudæos obseruabatur, nihilominus cum illa lex esset iudicialis, & pertinens ad gubernationem, & lata à Deo, qui populo illi non malam, sed optimam proposuit gubernationem, insinuat apertè, esse maxime cõsonum rectæ rationi, & optimæ gubernationi, vt duobus, vel tribus testibus probatio iuridica contineatur, sicque Principes, & Prælati Ecclesiæ in sui iudicijs procedant ad instar illius legis.

CONCLVSIO PRIMA.

Duorum, vel trium, qui sit fide digni testimonium regulariter, & communiter sufficit in iudicio.

PRobatur: Iudicia versantur circa actiones humanas, & morales, in quibus ex prima obseruatione non requiritur probatio demonstratiua, sed ea, quę communiter, & iudicio prudentũ solet attingere veritatem, & rarò ab illa deficit: quæ vero duo vel tres homines concorditer affirmant, maximè sub iuramẽto, solent communiter vera esse, & à prudentibus talia iudicari, ergo. Dico communiter, quia accidere aliquando potest, vt duo, vel tres falsum testimonium dicant, vt in iudicio, quo fuit cõdemnatus innocens Naboth, 3. Reg. 21. Sed hoc rarò accidit, & in iudicijs ac legibus id tantum respiciendum est, quod accidit, vt plurimum, alioquin neque testimonium multorum sufficeret, cum possit etiam multitudo mẽtiri, vt accidit in iudicio Christi coram Pilato: propter quod dicitur iudici, Exod. 23. [Ne sequaris

tis turbam ad faciendum malum, nec in iudicio multorum acquiesces sententiæ, vt à vero denies.

Probatur secundò ea conclusio. Iuxta rectam rationem credendum est potius multis, quàm vni, multitudo tribus comprehenditur, vt principio, medio, & fine, vt in linea, longitudine, latitudine, & crassitie, vt in corpore, vnde Aristo. 1. de cœlo dixit, corpus vocari totum, & perfectum, quia continet tres dimensiones, vbi autem sunt duo testes cum actore efficiunt tres assertiores, vbi vero tres testes multò perfectius.

Tertiò, Hæc conclusio. non est de iure diuino, sed illi maximè consona, & optimæ gubernationi, vt constat ex tertia obseruatione cui congruit illud Eccles. 4. [Funiculus triplex difficilè rumpitur.] Et D. Aug. in illud Ioan. 8. vbi Christus ait: [In ore duorum, vel trium habet. In hoc testium numero est trinitas secundum mysteriũ, in qua est perpetua firmitas veritatis.] Hæc est diffinita in vtroque iure 2. quæstio. 5. can. Quod verò. Extra. De testibus cap. In omni negotio. ff. de testibus l. Vbi numerus, imò est recepta iam iure gẽtium apud omnes nationes. Vnde D. Ioan. prima canonica cap. 5. vt ostenderet gentibus, & Græcis, quibus scribebat, certitudinem Euangelij, quod prædicabat, vtitur hac ratione: [Tres sunt, qui testimonium dant in cęlo, Pater Verbũ, & Spiritus Sanctus: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis.

CONCLVSIO II.

Testes, quos dicimus sufficere in iudicio, debent esse contestes, & non singulares testes.

Patet. Cum iudicia fiot de actionibus humanis particularibus, & indiuiduo, testes singulares circa diuersos actus, in ordine, ad vnũ quemque actum, non sunt, nisi vnus testis, at vnus testis non sufficit in iudicio, ergo neque singularis.

CONCLVSIO III.

Si totidem, vel æquales testes ex vtraque parte producantur, cæteris paribus fauendum est reo.

Patet, quia tunc iura sunt æqualia, vbi verò iura sunt æqualia, potior est ratio possidentis, reus autem est in possessione suæ vitæ, vel famæ, vel bonorum.

CONCLVSIO IV.

Vbi testes discordant circa circumstantias leues, & quæ non mutant factum, eandem vim habent quam contestes, vbi autem dissident circa circumstantias graues, & mutantes factum, non habent vim, nisi sicut testes singulares.

Patet vtraque pars ex secunda obseruatione, Quia vbi ita discordant, non variatur factũ, sed idem factum testantur, Imò illa variatio ex D. Chrys. & August. in opusculo de concordia Euangelistarum, est quædam confirmatio veritatis, quia si omnino conuenient, in leuissimis, videbuntur consultò, & ex multa conspiratione testificari, similiter vbi discordant in præcipuis eum etiam discordent in facto, vnusquisque est velut testis singularis sui facti.

CONCLVSIO VLTIMA.

Si tàm testes actoris, quàm testes rei inter se discordent, tunc prudentia iudicis expendendum est, cui faueant plures, & digniores, & quæ causa tractetur: nam vbi plures sunt ex vna parte, vel digniores, in eam inclinandum est, maximè si agatur de libertate alicuius.

CONTROVERSIA PRIMA.

AN ALIQVANDO VNIVS Testimonium sufficiat.

Ratio dubitandi est, quia in Religionibus puniuntur aliquando delinquentes, vel vnius testimonio: Similiter furantes, vuas, vel vectigalia puniuntur solo custodis testimonio, Tum etiã l. Omnium. Cod. de testamentis solius Imperatoris testimonium, & consequenter solius Pontificis, vel Regis, aut Cardinalis, vel alicuius viri magnæ eximiæque authoritatis iudicatur sufficere in iudicio.

CONCLVSIO I.

Quando in iudicio non agitur de condemnatione alicuius, nec fe tur sententia in praiudicium tertij, sufficit aliquando vnus testis dignus fide.

Verbi gratia, Si dubiretur, an paruolus, qui est sublatus à cura patẽrum sit baptizatus, si vnicus testis dignus fide asserat illum esse baptizatum, uel quia vidit, vel quia certò, & apertè audiuit à viris fide dignis, sufficit iste testis, vt est diffinitum à Leone Primo, Epist. 35. Et habetur can. Cum itaque. De consecratione, distin. 4. & à Gregorio Quarto, can. Paruulos. Eadem distinct. Et ratio est, quia [Quilibet est præsumendus bonus & verax, quamdiu nõ probatur malus, & fallax,] aliàs periret fides humana, si in his casibus non crederetur illi, qui prudenter iudicaretur probus, & verax.

CONCLVSIO II.

In causis leuibus, etsi agatur de condemnatione alicuius, sufficit testimonium vnius fide digni, maximè vbi ita apparet expedire bonæ gubernationi.

Ita habet vsus omnium iudicum. Damnant enim scindentes ligna in nemore alieno, vel rapientes vuas solo testimonio custodis, aliter non possent ista esse tuta. Eadem ratione in causis grauioribus modò non agatur de vltimo supplicio, sufficit vnicus testis eximiæ authoritatis, vt Imperator, Papa, vel Cardinalis, quia recta ratio dictat, vt dicto personæ adeò eximiæ, non habeatur minor fides, quàm dicto duorum, vel trium, è media plebe.

CONCLVSIO III.

In iudicijs in quibus agitur de supplicio vltimo, exiguntur necessariò duo, vel tres testes, oculari, contestes, & omni exceptione maiores.

HAnc probant argumenta primæ conclusionis D. Thom. Et est lege sancitum: vnde nec solius Imperatoris, vel Papæ in hac parte testimonium sufficeret, nisi vel ad grauiter torquendum reum, vel ad aliam pœnam mitiorem, non tamen ad plectendum capite, licèt dictum istorum æquetur, & superet dictum duorum, vel trium è media plebe: Quia ad vltimum supplicium ita exigunt ipsæmet leges sequutæ ius diuinum antiquum, (in quibus, non possunt Imperator, vel Rex dispensare, quia esset in damnum tertij (vt nemo condemnetur, nisi existat iste numerus testium.

CONCLVSIO VLTIMA.

In Religionibus sufficit vnicus testis, vel singulares testes ad puniendum frangentem cæremonias Religionis, vel committentem aliquod peccatum mortale, ex his, quæ non afferuntur secum infamiam, & grauem punitionem.

QVia in Religione, vt benè obseruant hic Caieta. & Soto, vbi maior puritas vitæ exigitur. & vbi potissimum salus spiritualis subditi desideratur, cum minori strepitu, & figura iudicij procedendum est, nec exigitur in huiusmodi delictis adeo iudicialis probatio, sicut inter sæculares: At in grauioribus delictis, & afferentibus secum grauem infamiam, & pœnam, etiã si non vltimum supplicium, non sufficit vnus testis, neque multi singulares quicquid in hac parte dicat Caiet. quia Iure Pontificio cui Religiones subiectæ sunt, statuitur, ne quis in grauioribus cõdemnetur, nisi aut conuictus, aut confessus, vt habetur can. Nos in quemquam, 2. quæst. 1. conuictus autem nullus dicitur, nisi ad minus per duos testes contestes. Imò & iure naturæ, vbi non est, nisi vnus testis, quando reus negat non est condemnandus, cum debeant in his esse probationes luce meridiana clariores, sicut & inter sæculares. Vnde quod ait Caiet. Religiosum, qui ab vno testificatur de vno furto, ab alio teste de alio, &cæt. niti, vt furtum, non est admittendum, sed tantum posse contra illum inquiri, & per aliquam torturam religiosam, vt optimè docet Soto. Regula autem optima est in his, seruare propriè Religionis, maximè si sunt approbata, & benedicta à summo Pontifice.

CONTROVERSIA II.

AN ALIQVANDO REQVIRANTVR in iudicio plures testes, quam duo, vel tres.

RAtio dubitandi est, quia cap. Præsul, B. Syluester, vt habetur 2. quæst. 5. decreuit, vt præsul, id est, Episcopus Cardinalis non iudicetur, nec condemnetur nisi existant 72. testes. Presbyter Cardinalis 44. Diaconus Cardinalis 28. alij clerici Vrbis Romæ, nõ nisi cum 7. Tum etiam l. Hac consultissima Cod. de testamentis, & Institnta. Eodem tit. 5. Sicut paulatim. Et lib. partitio partit. 9. tit. 1. leg. 1. & 2 & lib. 5. ordin. regal. tit. 2. l. 1. & l. 3. Tauri: requiruntur in quibusdam testamentis, vt supra uidimus 7. testes, vt in nuncupatiuis, in alijs 5.

Præterea nullo iure constat debere esse 2. vel 3. testes: Non Iure naturali, quia ita non posset lex humana requirere in istis personis, vel testamentis plures, Nec diuino, quia illud diuinum Deut. iam est abolitum, cum esset iudiciale. Nec humano, quia humanum tàm ciuile, quàm Ecclesiasticum requirunt plures, vt constat ex istis testibus adductis, posset que statuere, vt requirantur 8. vel 10. sicut iure ciuili cautum est in regno Lusitaniæ, ne quis capitis condemnetur, nisi ex consensu regis.

Obseruemus bifariam esse aliquid de iure naturæ, vel positiuo, nempè, id ad quod prosequendum, vel fugiendum inclinat natura, vt uenerari parentes, non furari: aliud verò negatiuè, illud scilicet, quod natura non prohibet, vt habere omnia in communi.

Obseruemus secundò, vt constat ex dictis initio huius articuli, iure diuino positiuo nil modò esse determinatum, circa numerum testium, etsi nppositum doceant Hostien. Abbas, & alii quos refert Couarru. in cap. Cum esses. De testamentis, num. 2. quia loca illa Deuter. & Euangelij, ac B. Paul. vt explicatum est, non proponunt illud in Euangelio tanquam de iure diuino, sed solum referunt, quæ leguntur in Veteri Testamento. Et in lege Euangelica nulla alia præcepta continentur, præter ea, quæ pertinent ad fidem, & Sacramenta, nisi sola naturalia. Quamuis sit maximè consonus iuri naturali, & rectæ rationi iste numerus testium, binarius, vel ternarius.

CONCLVSIO PRIMA.

Loquendo de iure naturæ positiuè, determinatus est numerus testium, quo ad minimum in causis grauioribus, nempè, vt non sufficiat vnicus testis, non est autem determinatus quo ad maximum, id est, debeant ne esse tres, vel quatuor, vel plures.

PRobatur prior pars, quia vt vidimus, vnicus testis in re grauiori non debet habere maiorem fidem, quam reus, vnus enim cõparatus cum vno æquales sunt, imò cæteris paribus fauendum est reo, & potior est ratio ipsius, cum sit in possessione suæ uitæ, honoris, & bonorum quã alterius. Quo circa non potest fieri ex beneplacito hominũ, vt vnus testis sufficiat, maximè vbi agitur de capite, etiam si ille vnicus sit vir maximè authoritatis.

Probatur altera pars non esse à iure naturæ determinatum numerum, ita vt ius naturæ determinauerit sic sufficere duos, vel tres, vt nõ requirantur aliquando plures, vel ita requiri plures, vt non sufficiant aliquando duo, vel tres. Probatur: Quia licet (vt uidimus prima conclusione huius articuli) in iudicijs humanis non requiratur probatio demonstratiua, qualis in scientijs, sed ea, quæ prudentium iudicio communiter attingit veritatem, & rarò ab ea deficit, qualis est 2. vel 3. testium, attamen, quia hominum malitia tanta est, vt aliquando duo, vel tres possint conuenire ad falsum testimonium dicẽdum, vel ex cupiditate,

vel

vel ex odio, meritò, vel circa illas personas, quæ huiusmodi odia frequẽtius pati possunt, vel propter grauitatem materiæ, potuit lex humana statuere, vt aliquando plures, & multi testes exigantur: Quod non est contra ius naturæ, cum illa certum numerum non præscribat: sicut iure naturæ puniendus est latro, at qua pœna, hoc ius naturæ non taxauit, sed gubernatorum prudentiæ reliquit pro varietate delictorum, locorum, & personarum.

CONCLVSIO II.

Meritò in causis fidei propter grauitatem materiæ requiruntur plures testes quàm duo, vel tres. Similiter in testamentis: quia non existit defunctus, qui possit respondere, ac explicare quid ipse voluerit: Ex eodem modo in causis Episcoporum, Cardinalium, & similium.

PRimò propter excellentiam personarum. Iudicandi enim hi sunt tantæ sanctitatis, & meriti, vt vnicuique ipsorum potius credendum sit, quàm tribus, vel quatuor testibus.

Secundò, quia cum isti alios iudicent, & puniant, incurrantque sæpè odia subditorum, non est facilè subditis contra ipsos credendum, sed exigitur dictum multorum testium.

Tertiò, quia ex eorum condemnatione, & infamia sequitur magnum damnum ipsorum statui, & dignitati, imò toti Ecclesiæ, & ita ad eos condemnandos magno pondere testium opus esse dictat recta ratio.

Obiicere aliquis hic posset cap. illud. Cum esses. De testamentis, vbi Alexand. III. ait repugnare diuinæ legi, vt requirantur plures quàm duo, vel tres testes.

Sed explicatio istius cap. & solutio huius argumenti, & variæ expositiones, quæ à Doctoribus afferuntur, copiosè habentur supra in disputatione de Dominio. q. 6. art. 2.

Offerebat quoq; se hic agere de testibus, quorum dicta per torturam extorquentur, sed de hac quæstione copiosè quæstione præcedenti, articulo secundo.

ARTICVLVS III.

An licitè repellantur aliqui sine culpa à ferendo testimonio?

CAn. à seruis secunda quæstione prima, repelluntur serui à ferendo testimonio, & can. Si testes secunda quæstione secunda, repelluntur multi, vt; pueri, amentes, infideles, peccatores publici, & infames, & in iure ciuili repelluntur in multis causis, propinqui, domestici, & mulieres, in aliis admittuntur, sed in maiori numero, de quo consulendi sunt iuristæ. Repelluntur autem aliqui ex his ob suam culpam, vt publici peccatores, & infames, alii sine culpa, vt pueri, propinqui, domestici: harum legum causam reddit hoc articulo D. Tho.

CONCLVSIO PRIMA.

Meritò quidam ex sua culpa, alij verò sine vlla culpa repelluntur à ferendo testimonio.

PRobatur, Cum testes non habeant in iudicio certam, & infallibilem veritatem, sed probabilem iudicio prudenti, quidquid prudenti etiam iudicio repugnat isti probabilitati, & facit testem suspectum, reddit meritò testimonium illius minus efficax, & indignũ fide iudicio, at prudenti iudicio debent esse suspecti ob suam culpã infideles, infames, & peccatores publici, vt ebrii, vsurarii, concubinarii, symoniaci, assassini, mendaces in iudicio, & similes. Debent quoque esse suspecti propter defectum rationis pueri, & amẽtes, ob facilitatem sexus, vt mulieres, ob affectũ, vel odii, vt inimici, vel amoris, vt propinqui, & domestici, demum propter vilem conditionem; nempè vel ob subiectionem vt serui, vel indigentiam, vt pauperes, qui egestate vrgente facilè possunt corrumpi pecunia. Circa hunc articulum est dubium.

CONTROVERSIA I.

An liceat reis obiicere testibus quæcunque crimina ad refellenda illorum testimonia.

CONCLVSIO I.

Nunquam licet obijcere testibus, quacunque ratione testimonium tulerint, siue verum, siue falsum, siue seruato ordine iuris, siue contra, falsa crimina.

QVia non licet facere mala propter bonum finem, obiicere autem falsum crimen mendacium est, & adeò intrinsecè malum, vt nullo modo liceat. Ad sequentes conclusiones obseruemus testem tribus modis posse se habere, nam aut protulit falsum, aut verum. Rursum verum illud, aut protulit seruato ordine iuris, aut contra.

CONCLVSIO II.

Testi falsò licet obijcere crimina vera, quæ eneruent ipsius testimonium, siue illa publica sint, siue occulta.

PRobatur, licet innocenti defendere se ab inuasore per media ordinata, & sibi concessa à iure: sed in hoc casu iste reus etsi innocens, testis falsus habet se vt inuasor, cui obiicere verum crimen, quod eneruet eius dictum, est medium concessum à iure, ergo licet.

Et confirmatur, quia vtens iure suo maximè in suam defensionem, non peccat, in hoc autem casu reus ille vtitur iure suo, cum hoc ipsi per leges liceat, & in sui defensionem.

Hæc conclusio hẽt verum siue testis testificetur falsum ex malitia, siue ex ignorantia inuincibili, quia innocenti licet se defendere, et si aggressor

posse, vt sit peccatum mort. contra religionem talis obiectio criminis falsi, secluso autem iuramento volunt non esse peccatum contra iustitiam, neque obligare ad aliquam restitutionem famæ, vel alicuius damni: imò nec absolutè, & per se loquẽdo esse mortale contra charitatem, sed veniale tãtum. Quod probant, primò ex D. Thom. Qui art. sequen. conclus. 2. ait: [Testem falsum in iudicio quod non est verum, & legitimum iudicium, nec seruat ordinem iuris, non peccare contra iustitiã, quando fert testimonium in defensionem rei.] quia huiusmodi testis non infert iniuriam alteri, sed solum agit, ne hic, in cuius defensionem testificatur, iniuriã recipiat ab alio. Ergo similiter, cum iudicium, quod nititur dicto falsi testis, non sit verum, & legitimum iudicium simpliciter & reuera, sed solum secundum præsumptionem iuris, nec reus in hoc casu de quo agimus intendat obiectione illa falsi criminis inferre iniuriam testi falso: sed solum se tueri, ac liberare ab iniuria quam ab illo recipit, nec peccabit contra iustitiam.

Secundò, Quando reus interrogatus in iudicio de crimine vero, sed contra ordinem iuris: respondet non feci, sed mentitur testis, quamuis sit controuersum, an reus ita respondens mentiatur, certum tamen est, in iustitiam, etiam si sequatur infamia accusatoris vel testis, quia iniquum iudicium non obligat ex iustitia ad dicendam veritatem, ergo similiter in nostro casu, quando testis falsum protulit contra reum, non peccabit reus contra iustitiam, obiiciendo & imponẽdo illi aliquod falsum crimen, quo se defendat. Probo consequentiam, quia maiorem iniuriam infert reo, qui falsum testimonium profert contra illum, quã qui reuelat occultum crimen, ipsius contra ordinem iuris. Quod si dixeris, quando testis, qui testificatus est contra ordinem iuris, dicitur à reo mentiri, reus verè illud dicit, quia testis ille exercet opus iniquum, & mendacium practicum, iuxta ea, quæ superius diximus: at quando imponitur testi falsum crimen, falsum est, quod de illo asserit reus. Hoc non tollit vim argumenti propositi.

Vis enim argumen. huius non sumitur ex eo, quod testis dixerit falsum practicum, & ideo res verè affirmet illum mentiri, sed ex eo, quod reus etiam si falsò dicat testem illum mentiri, & & peccet, non tamen contra iustitiam, quia quotiescunque proceditur contra ipsum, contra ordinem iuris, non tenetur aperire veritatem. Ergo similiter non peccabit contra iustitiam, si obiiciat illi falsum crimen, in iudicio, quod non est verũ iudicium, & in quo procedit iudex ex sola præsumptione iuris, propter dictum falsi testis.

Tertiò, quia istud mendacium non est perniciosum ordinatur enim ad duo bona, primum vt iudex faciat iustum iudicium secundum se, qui alias faceret iniustum, si dictum illius falsi testis haberet vim, secundum, vt se defendat à calumnia falsi testis, quæ duo intendit per se iste reus, & ita est mendacium officiosum, & non perniciosum, quatenus profertur in iudicio, & per consequens non est contra iustitiam, quamuis vt mendacium cum infamia proximi sit perniciosum, & contra charitatem.

Quartò iste falsus obiector nec facit contra iustitiam debitam in iudicio, nec contra iustitiam debitam testi, ergo nullo modo facit contra iustitiam.

Primum probatur ex D. Thom. articu. sequenti, ad 2. vbi ait. [Iniustum iudicium non est iudicium simpliciter. At Iudicium, quod innititur falso testi iniustum est, non enim est iustum, nisi secundum præsumptionem iuris tantum, ergo non facit cõtra iustitiam debitam in iudicio, Nec contra iustitiam testi, quia licet repellere vnam contumeliam per aliam, quando est necessaria ad illam priorem repellendam, vt si quis dicat alteri esse latronem, potest hic respondere illi mentiris, & probare signis ac argumentis illum esse mendacem, vt ea via eneruet fidem quam audientes possent illi adhibere: simileque erit in nostro casu. Et confirmatur ex D. Thom. qui in eadem solutione ait: [Mendacium in iudicio solum esse peccatum mortale, quando violatur iuramentũ.

Quintò, illa obiectio criminis falsi, licèt prima fronte videatur iniuria, tamen reuera non est iniuria, sed defensio, vel curatio plagæ, & iniuriæ illatæ per falsum testem, ergo non est peccatum contra iustitiam. Probatur antecedens, quia si nõ est defensio, vel erit aggressio, vel repercussio, at non est aggressio, quia hic nil dicebat testi falso, sed testis falsus est ipsum aggressus: nec repercussio, quia plaga illa quam testis falsus infert huic, illi falso testimonio, non est completa, nisi adueniente sententia, ante illam verò, falsus testis quãtum in ipso est, iniquè instat, & perseuerat illa iniuria. Vnde quando reus ante sententiam iudicis obijcit falsò testi falsum crimen, non est repercussio, sed defensio sui, vel curatio suæ plagæ, ne compleatur per iudicis sententiam. Fatentur quidem hoc medium aliquid habere veneni, sed nil mirum, quod lacessitus sic agat, & vnum venenũ altero nitatur à se repellere.

Denique habet vnusquisque ius repellendi iniuriam sibi illatam in iudicio obiiciendo testi crimen occultum, etsi ex illo sequatur testi infamia, ergo obijcere falsum crimen, ad illud repellendũ non est contra iustitiam. Probatur consequentia, quia hic secundus modus refellendi iniuriam, quam infert falsus testis, solum addit supra priorem, mendacium, quod non est contra iustitiam, sed contra veritatem tantum.

Antiquiores verò discipuli D. Tho. ac nonnulli etiam ex recentioribus, ita de hac quæstione sentiunt, vt doceant primò, plurimum differre, affirmare de teste falso, vel iniquè procedente illum mentiri, vel imponere illi aliquod crimen falsum, quo illius fama, & honor grauiter lædatur. Nam prius illud verè asseritur à reo, cum testis falsus apertè mentiatur, testis quoque reuelans occultũ contra ordinem iuris, & si verum dixerit à parte rei, commisit tamen opus iniquum, & consequenter falsum practicũ. Imponere autem illi aliquod aliud crimen, quo falsò lædatur ipsius honor & fama, nullo modo potest excusari à mẽdacio pernicioso, & nociuo, quod omnium consensu peccatum est mortale contra iustitiam. Cæterum quia reus obiiciens testi falsum crimen in iudicio peccare potest, & contra iudicium, & contra ipsum testem, docent in hoc casu peccare quidem contra testem, cui falsum imponit, non tamen contra iudicium, quia cum procedat illud ex dicto falsi testis nullum est, Addant tamen Authores huius opinionis, istum falsum obiectorem nõ teneri ad restitutionem damni, quod infert testi, quando æquale damnum recipit ipse ab illo, sed esse tunc velut quandam compensationem vnius damni pro alio.

Nobis hæc sententia videtur probabilior.

CONCLVSIO I.

Qui testi falsò. aut testificanti contra ordinem iuris imponit, & obijcit falsum crimen, vt ab illo sese defendat, non peccat contra iustitiam in ordine ad iudicium, peccat tamen & contra charitatem, & contra iustitiam in ordine ad testem.

PRobatur prior pars. Si iste peccaret contra iustitiam in ordine ad iudicium, certè quia teneretur in illo iudicio verum dicere, & nulli calumniaretur in isto iudicio, quod procedit ex dicto falsi, vel iniqui testis, ad nil horum tenetur ad iudicium. Maior certa est. Minor patet: quia tale iudicium ex D. Thom. & omnibus DD. est illegitimum, & nullam habens vim, nullamque valens induceret obligationem. Quod si dixeris, fit iniuria isti in iudicio, quia forsan testis ex obiectione istius criminis declarabitur à iudice infamis, & inhabilis ad ferendum vnquam testimonium, dico istam iniuriam non fieri iudicio, cum nullam habeat vim, sed testi soli, quod nos etiam asserimus.

Secundò, si reus iste mentiretur, aut imponeret aliquid falsò illi testi extra iudicium, etiam si iudex adesset, reus iste non peccaret contra iudiciũ, cum illud proferat extra iudicium, sed iudicium iniquum, & procedens ex sola præsumptione iuris, ac ex solo dicto falsi, vel iniqui testis, nullum est, perindeque se habet ac si non esset iudicium, vt docet D. Tho. artic. sequenti ad 2. ergo qui falsum imponit falso vel iniquo testi in tali iudicio, non peccat contra iudicium.

Et confirmatur: quia ex D. Thom. qui reuocat aliquem ab iniuria facienda, nullam illi infert iniuriam, reus autem in hoc caso reuocat iudicem à ferenda iniqua sententia contra ipsum ex dicto illius falsi, vel iniqui testis, & ita in ordine ad iudicem ipsum, & actum iudicij, nullam committit reus iste iniuriam.

Altera pars probatur, Repercutere percutientẽ, & inferre plagam pro plaga est peccatum mortale contra iustitiam, nam est vindicare seipsum authoritate priuata, quod est contra iustitiã vindicatiuam, hic autem qui falsum crimen obiicit falso testi, in hoc casu habet se reuera velut reddens plagam pro plaga, & repercutiẽs illum qui se percussit, ergo peccat contra iustitiam.

Et confirmatur, quia iste in isto casu per talem obiectionem falsam non se defendit, sed potius offendit testem, & est velut aggressor, vnde peccat contra iustitiam, non secus ac si imponeret testi falsum crimen extra iudicium. Quod autẽ hic falsus obiector in hoc casu no se defendat, probo. Omnis defensio debet fieri per medium licitum, & ordinatum, hoc autem medium est illicitum, quia mendacium est intrinsecè malum, & contra virtutem veracitatis: quod verò intrinsecè malũ est non potest sumi tãquam medium ad aliquem bonum finem, [Non enim licet ex D. Pau. facere mala, vt inde veniant bona.] Vnde sicut non licet furari ad dandam eleemosynam, nec exercere homicidium, & occidere aliquem ex intentione, etiam si fiat ad propriam defensionem, ita neque licet vti obiectione falsi criminis ad se defendendum, esset enim velut occidere inuasorem sine moderamine inculpatæ tutelæ.

Secundò mendacium maximè perniciosum in iudicio ex suo genere est peccatum mortale contra iustitiam, & in indiuiduo erit mortale absolutè, si res sit grauis, sed in hoc casu ille reus mentitur in iudicio, & cum pernicie, cum imponat crimen illi testi, reddaturque testis ille infamis non solum in illa causa verumetiam in quacunque alia, ergo.

Tertiò, qui falsò, & iniquè aliquem infamat, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restituendum, vt constat ex D. Thom. q. 62. art. 2. ad 2. sed reus in hoc casu infamat testem illum per illud falsum crimen, iniquè, probo hanc partem: quia reus habet quidem ius ad negandum delictum, & postulandum vt probetur, non tamen ad imponendum falsum crimen alicui.

Ex hac conclusione sequitur, non solũ esse peccatum contra iustitiam, imponere falso testi falsum crimen, verum etiam detegere verum occultum, impertinens ad causam, de qua agitur, quia tunc iniustè quoque infamatus testis ille.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum dico D. Thom. loqui ibi de teste falso officioso, qui ita prodest vni parti, vt alteri non noceat, qui verò imponit falsum crimen, nocet per illud mendacium perniciosum. Dico etiam docere ibi D. Th. ex vi iudicij testem illum non peccare contra iustitiam, qua etiam ratione nempè ex vi iudicij, dicimus reum crimen, illud falsum testi obijcientẽ non peccare contra iustitiam.

Ad secundum respon. in casu antecedentis reũ illum non mentiri, in casu verò consequentis mẽtiri, cum falsum imponat. Et ad instantiam dico, posito daremus reum illum in casu antecedentis mentiri, mendacium illud esse officiosum, & sine iniuria alterius, quia ita positum est in vsu, reos ad se defendendos negare dicta testium, & affirmare illos mentiri, vt nec testes propterea iudicẽt se iniuria affectos, nec alij habeant illos mendaces. At quoduis aliud crimen illi falsò imponere, est mendacium perniciosum, & cum graui damno, & iniuria illorum.

Ad tertium constat mẽdacium istud perniciosum esse, vnde nec est debitum medium, vt iudex rectè iudicet, [Cum non sint facienda mala, vt inde veniant bona.]

Ad quartum dico, grauem iniuriam inferre testi, & peccare contra iustitiam in ordine ad testẽ, quia nocet illi cum iniuria, cum sit mendacium perniciosum: Iudicio verò non infert iniuriam, cum illud iudicium sit reuera nullum, quod nos affirmamus.

Ad quintum constat ex primo argum. quo probamus nostram sententiam, non esse defensioẽ, sed velut repercussionem, falsum crimẽ obijcere testi falsò.

Ad vltimum dico, Habere quidem vnumquemque ius ad repellendas proprias iniurias, per media licita, falsi verò criminis impositionem, cum sit mendacium perniciosum, non esse medium licitum.

AR-

ARTICVLVS IIII.

An testimonium falsum semper sit peccatum mortale.

OBseruemus primò, testem ex trib. causis posse teneri ad dicendum verum. Primò ratione iuramenti, cum nullius testimonium recipiatur in iudicio, nisi præstito iuramento. Secundò ex iustitia, quia tenetur ex ea obedire iudici iusta præcipienti, pertinet autem ad hanc obediētiam, aperire iudici veritatem quàm nouit, quando iuridicè interrogatur. Tertiò ex virtute veritatis.

Obseruemus secundò bifariam posse testem mentiri in iudicio, aut formaliter, vt cum mentitur sciens, & volens, aut materialiter tantum, vt cum mentitur sciens, & volens, aut materialiter tantum, vt quando dicit falsum, credens se dicere verum: idque, vel certò existimans se verum dicere, vel dubitans: Rursum quando dubitat, aut præmisit debitam diligentiam, vt reuocaret in memoriam veritatem facti, aut illam prætermisit.

Obseruemus vltimò, iudicium & sententiam nullam aliter dici apud Theologos, & Philosophos, aliter apud iurisperitos. Theologi enim quodcunque iudicium iniquum, in quo proceditur contra iustitiam, vocant nullum, Iuristæ verò, vt docet Gratia. 11. q. 3. can. Episcopus triplicem faciunt sententiam iniustam, aut propter iniquum animum, & intentionem, vt cum iudex condemnat verum reum, sed ex odio: aut quia non seruatur in ea ordo iuris, sed ita, vt non sit apertum, & perspicuū: aut ex causa, vocāt autem sententiam, vel iudicium iniustum ex causa, quando apertè, & & euidenter deficit in eo ordo iuris, vt si feratur sententia à non iudice, vel sine testibus. Iudicium, vel sententia iniqua primo modo, est quidem iniusta in genere charitatis, iusta tamen in genere iustitiæ, & ita legitima, & obligans in vtroque foro. Iudicium verò vel sententia iniqua. 2. & 3. modo est quidem iniusta in genere iustitiæ, & nulla, sed cum hoc discrimine, vt iniusta secundo modo, licèt sit verè nulla, attamen quia iniustitia eius non est aperta, non dicitur continere intollerabilem errorem, qua de causa nec inferior debet in re dubia iudicare de tali sentētia sui superioris, sed obedire. De huiusmodi dixit B. Gregor. 11. quæst. 3. can. Sententia pastoris iusta, vel iniusta timenda est. Iniqua verò, tertio modo, cum sit apertè, & euidenter iniusta, dicitur continere intollerabilem errorem, Et hæc ita nulla est, vt in nullo foro obliget, nec sit timenda, vel obseruanda, nisi vbi immineret periculum scandali.

CONCLVSIO PRIMA.

Falsum testimonium, quatenus fit præstito iuramento, semper est peccatum mortale.

PAtet, Quia est periurium, quo infert testis Deo grauem iniuriam, adducens ipsum in testem mendacij.

CONCLVSIO II.

Falsum testimonium, quatenus fit in iudicio, si iudicium illud est iniquum & iniustum, 2. vel 3. modo, non est peccatum mortale, sed tantum veniale.

PRimò, quia in iudicium, quod reuera iniquum est in genere iustitiæ, & nullum, non est iudicium, nec obligat ex iustitia ad dicendum verum ratione iudicij, nec dicens falsum in eo agit contra iustitiam debitam iudicio.

Secundò, quia tale testimonium licet falsum & malum, quatenus mendacium, iuuat tamen nihilominus iustitiam, & efficit ne iudex iniquè procedat, nec ferat sententiam contra ordinem iuris, iuuat etiam partem illam, cui iudex contra ordinem iuris procedens inferebat iniuriam. Quo fit hunc ad nullam teneri restitutionem, per se loquendo: per se inquam, nam per accidens potest fieri, vt teneatur, nempè si sit dubius an iudex rectè procedat, & decipiatur.

Idem dicendum est de tabellione proferente falsam scripturam in fauorem eius, qui patitur iniuriam in iudicio, peccat quidem mortaliter tabellio iste contra iustitiam legalem, quia non solum tenetur ad vitandam omnem falsitatem ex virtute veracitatis, sicut alij, verum etiam ex officio, & iuramento, quod præstitit, quin etiam etsi nullum præstitisset iuramentum, ex officio quo iniuit pactum Repub. seruandæ fidelitatis in omnibus scripturis. Vnde peccat mortaliter contra iustitiam legalem & fidelitatem, non tamen tenetur ad aliquam restitutionem, quia non peccat particularem alicuius, violatio enim solius iustitiæ legalis non obligat ad restitutionem. Sed dices iudex non solum peccat contra iustitiam legalem, verum etiam contra iustitiam in iudicio debitam, quamuis mentiatur in fauorem innocētis, ergo & tabellio quando profert falsam scripturā in fauorem innocentis. Respondeo, disparem esse rationem, quia tabellio tantum est custos fidelis scripturæ, & facti, & sic peccat contra solam fidelitatem, iudex verò est custos iusti iudicij, & iuris, & sic peccat contra iustitiam, quam tenetur custodire in iudicio.

CONCLVSIO III.

Falsum testimonium redditum in iudicio, quod est verum, & iustum iudicium, & in quo proceditur seruato ordine iuris, est peccatum mortale ex suo genere.

QVia cum ex iustitia teneatur subditus iudici rectè procedenti veritatem apetire, mentiri in iudicio ex suo genere est peccatum contra iustitiam, omne autem peccatum contra iustitiam ex suo genere mortale est. Ex hac concl. patet quod supra docuimus contra Caiet. quæst. 69. articu. 2. Non omne mendacium in iudicio esse mortale, nam apertè habet hic D. Thom. esse mortale ex suo genere, quod autem est mortale ex suo genere, ex leuitate materiæ potest fieri veniale.

CON-

CONCLVSIO IV.

Falsum testimonium quatenus est contra virtutem veracitatis, non est mortale, sed veniale ex suo genere.

Quia isto modo sumptũ solum est mẽdacium, mendacium verò nisi sit nociuum, non est mortale, cum officiosum, & iocosum veniale tantum sit.

CONCLVSIO V.

Testimoniũ quando materialiter tantum falsum est, sed formaliter verum, vt quando testis adhibita debita diligentia, & examine memoriæ certò credit se verum dicere, nullo modo est pec.

Patet, quia procedit ab ignorantia inuincibili, & omnino inculpabili, quæ excusat omni peccato. Vnde nec tenetur ad aliquam restitutionem damni subsequuti parti, contra quam testificatus est.

Ratio est, quia nec tenetur ratione iniustè acceptionis, cum excusetur ignorantia, nec ratione rei acceptæ, quia nil apud se habet, nec factus est in aliquo ditior. Tenetur autem quàm primum nouerit se falsum dixisse, retractare seipsum. Probat, & rectè Caiet. Quia cessante illa ignorantia incipit iam esse velut iniqua acceptio, vel detentio, & quod antea erat illi inuoluntarium, fit deinde voluntarium. Dices secundum ius non valet illa retractio testis in iudicio, nisi fiat statim, & incontinenti, vt habetur cap. Præterea extra de testibus cogendis. Dico, in hoc casu, etiam si postea fiat, prodesse multum ad reddendum prius dictum minus firmum, & efficax. Imò ea potest esse causa, & tales circumstantiæ, vt iudex secundum suam prudentiam, cui multa relinquũtur in hac parte, possit & aliquando debeat stare secundo dicto, & correctioni testis, vt obseruant Glossa, & Doctores in illud cap. præterea. Veluti si vir quem iudex nouit timere Deum, & fide dignum, nec leuem in mutanda sententia, aut corrumpendum aliqua via, affirmaret sub iuramento, se ex lapsu memoriæ dixisse falsum, sed re diligentius considerata deprehendisse veritatem, & vrgente conscientia accedere ad eam explicandam, & retractandum prius dictum. Quod si iudex noluerit credere, manet testis ille sufficienter excusatus, & liber, quia fecit, quod debuit: Sunt autem hæc intelligenda quando testis ex tali retractatione non incurrit damnum notabile, iuxta ea, quæ diximus artic. 1. huius quæstionis controuer. 3. Quia huiusmodi testis nõ tenetur retractare se ipsum ex iustitia; cũ nullam in priori dicto commiserit iniustitiam, sed ex sola charitate, qua debet iuuare innocentem, charitas autem non obligat cum tãto damno, Tenetur quoque testis admonere partem illam in cuius fauorem dixit testimonium, vt restituat. Quod si noluerit, iam manet liber cum fecerit, quod tunc in ipso est.

CONCLVSIO VLTIMA.

Testimonium materialiter falsum, vel quia non adhibuit debitam diligẽtiam, vel quia protulit tanquam certum id de quo dubitabat, ex suo genere est mortale, & tenetur ad restituenda omnia damna subsequuta.

Patet, quia huiusmodi testis culpa sua, & ex negligentia culpabili dixit falsum.

Offerebat se hic quæstio, An cum periculo propriæ vitæ, vel famæ, vel graui iactura suorum bonorum, teneatur testis falsus ad retractãdum suum mendacium, quod est in graue damnum alterius, sed de hac quæstione abundè disputauimus supra q. 62. art. 2. agentes de restitutione famæ. Alia quæstio est.

AN TENEATVR TESTIS falsus restituere pecuniam acceptam pro illo mendacio.

De hac etiam diximus qu. 62. art. 5. circa solutionem secundi argumenti D. Tho. interim breuiter dico, Primò, neque testem dicturum verum in iudicio, posse aliquid accipere, vt verum dicat, præter stipendia sui laboris, & lucra illi cessantia, dum occupatur in testificando, & expensas quas eadem de causa facit, vt docet D. Aug. Epist. ad Macedoniũ, quæ est 54. & habetur 14. q. 5. can. Sanè, vbi ait. [Aduocatum stipendium posse accipere pro suo patrocinio, non tamen testẽ pro suo testimonio.] Dico secundò posse litigantẽ repetere à teste, quicquid illi dedit pro ferendo testimonio, quia vt vidimus loco cit. quando acceptio est iniusta, & prohibita, licèt datio sit iusta ad redimendam propriam vexationem, vt quando viator dat aliquid aggressori, datur repetitio in iudicio; vnde in hoc casu quamuis litigans potuerit licitè dare aliquid testi, quo induxit, vt diceret verum in iudicio ad redimẽdam suam vexationem, testis tamen iniquè illud accepit, quia nemini licet accipere aliquid, pro re ad quam iam alias tenetur ex præcepto, Non tamen tenetur illud restituere nisi adueniente iudicis cõdemnatione, quia huiusmodi testis sicut ex sola charitate tenebatur ferre testimonium, ita nolẽs ferre illud sine pretio solum violauit charitatem, cuius violatio simpliciter nõ obligat ad restitutionem: vnde tenetur tantum vi legis, quæ cum sit pœnalis, non obligat in foro animæ, nisi adueniente condemnatione. Testis verò qui accipit pecuniam ne dicat falsum, aut vt dicat illud tenetur in conscientia ad restituendum, & ante sententiam iudicis, quia iste ex iustitia tenetur ad non dicendum falsum, quo fit, vt accipiens pecuniam, siue vt dicat falsum, siue vt non dicat, peccet contra iustitiam, pecunia autem contra iustitiam accepta statim in foro animæ ex natura rei, id est ratione illius iniquè acceptionis, restituenda est.

QVAE-

QVAESTIO LXXI. DE INIVSTITIA, quæ potest accidere in Iudicio ex parte Aduocatorum.

QVARTA persona, quæ concurrit ad iudicium est aduocatus, ad quem reducuntur etiam relatores, procuratores, & tabelliones, ac scribæ, de quibus præsenti quæstio. differit D. Thom. potissimè de Aduocato. Agunt de hac materia iurisperiti in Digesto Veter. lib. 3. tit. de Aduocatis. Et in Cod. lib. 2. eodem titu. in recompilat. antiqua legum Regum Hispaniæ. lib. 2. titu. 19. leg. 40. vbi agitur de Cancellaria, & apertius in recompilatione noua sub Philippo secundo, prima parte. lib. 2. titu. 16. & titu. 24. vbi agitur de procuratoribus. Sumistæ in verb. Aduocatus Soto. lib. 5. De iust. quæst. 8. Scholastici nil in peculiari præter D. Thom. qui hoc loco. De aduocato quatuor disputat, Primò quibus debeat gratis patrocinari, Secundò quibus hoc munus prohibeatur, Tertiò in quibus causis liceat eis patrocinari &, Quartò quo stipendio.

ARTICVLVS I.

An debeat aduocatus patrocinari pauperibus gratis?

TRia statuit hic D. Thom. vt propositam quæstio. diluat. Primum est, cum patrocinari pauperi pertineat ad opera misericordiæ, iudicandum esse de patro... o aduocati, sicut de alijs operibus misericordiæ.

Secundum est, opera misericordiæ cum mandentur præcepto affirmatiuo, non obligare semper, & pro semper, sed seruatis illis conditionibus, quas proponit D. Aug. initio primi lib. De doctr. Christ. dicens. [Cum omnibus prodesse non possis, his potissimè consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.] Vbi tria docet D. August. primò non esse quærendos indigentes, sed fauendum his, qui nobis occurrunt, iuxta illud. Exod. 23. [Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti reduc eum.] Secundò neminem teneri ad curandas necessitates futuras, sed ad leuandas præsentes, vnde 1. Ioan. 3. dicitur [Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, &c.] Vbi obseruanda est vox. [Qui viderit:] Quæ duo eleganter Christus Luc. 16. in historia illa de diuite Epulone? Vbi pauperem cui debebat fauere diues ille refert iacentem ad ianuam diuitis. quasi is qui quotidie occulis illius diuitis sese offerebat. Tertiò docet D. August. ordinem seruandum in operibus misericordiæ, vt cum omnibus non possimus, faueamus prius illis, qui nobis coniunctiores sunt.

Statuit tertiò D. Thom. hanc regulam ad omnia opera misericordiæ. Quando apparet qui in promptu possit fratris necessitati subuenire, non tenemur illi fauere, quando verò non apparet, tenemur ex præcepto charitatis, & misericordiæ illi fauere. Quo loco verbum possit quo vtitur hic D. Tho. non est intelligendum de potentia, quam vocant physicam, ita vt adsint alij qui similiter possint, nam ita nullus subueniret, vnoquoq; excusante se, alios esse qui similiter vel melius possunt, sed est intelligendum de po[tenti]a morali, cui probabiliter statim coniungetur actus, ita vt dicatur apparere in promptu qui possit, & prudenter ac probabiliter iudicatur esse illi auxiliaturus: veluti affinis cognatus, vel amicus, qui illi fauere potest, & debet, quod indicant verba eiusdem D. Th. subiungit enim. Si autem. In promptu appareat quomodò ei subueniri possit, vel per se ipsum, vel per aliam personam magis coniunctam.

CONCLVSIO PRIMA.

Aduocatus nō semper tenetur patrocinari causis pauperum, nisi quando non apparet in promptu, qui illi patrocinetur, & concurrant illæ circumstantiæ quas docet D. Aug. loco citato desiderari, vt exerceatur opus misericordiæ.

PRior pars probatur. Patrocinari pauperi est opus misericordiæ præcepta autem quibus tenemur ad opera misericordiæ, cum sint affirmatiua non obligant pro semper, ergo. Secundò, Aliter oporteret aduocatum omnibus alijs negotijs dimissis, solis causis pauperum intendere, quod non est dicendum.

Probatur altera pars, Præceptum misericordiæ obligat, quando verè frater patitur necessitatem, cui à nemine subuenitur: Sed quando non apparet in promptu cui pauperi patrocinetur, patitur necessitatem cui à nemine subuenitur, ergo tunc tenetur illi Aduocatus patrocinari. Seruandas vero esse circumstantias quas docet D. Augu. ex dictis constar.

CONCLVSIO II.

Qua ratione tenetur aduocatus patrocinari causis paupe-

pauperum, eadem propemodum tenetur medicus intendere curationi pauperum.

HÆc perspicua est, cum vtrumque sit opus misericordiæ eiusdem omnino rationis.

Circa hunc art. offert se occasione eorum quæ hic docet Caiet. disputanda hæc.

CONTROVERSIA I.

AN ADVOCATVS, Relator, procurator, & similes teneantur patrocinari pauperi extra extremam, necessitatem.

OBseruandum est hoc loco, pauperem litigantem posse, & ratione suæ litis pati necessitatem, aliquando extremam, aliquando grauem & aliquando communem tantum, quemadmodum quæst. 32. agentes de eleemosyna docent interpretes D. Thom. hæc tria genera necessitatis reperiri, Et vt rem præsenti instituto accommodemus, Extrema necessitas pauperi litigantis est, quando in lite illa in qua eget patrocinio aduocati, nec habet vnde illud soluat (& si habeat vnde se alat) si succumbat tanta fame, & egestate opprimetur ipse vel familia ipsius vt periclitetur ex defectu necessariorum ad sustentationem, infirmari, & mori: Grauis est, quando si vincatur in illa lite, vel cadet à suo honorifico statu, patieturque grauem bonorum suorum iacturam, vel propter debita, ad quæ soluenda damnabitur, patietur longum carcerem cum graui familiæ suæ detrimento. Communem vocant, quando vir plebeius, & infimæ sortis qui domi suæ laborans se alebat, succumbens in lite cogetur mendicari, vt si miser agricola dictus in lite expolietur boue, quo arãs victum quærebat, & debeat mendicare, vel similes quas prudens iudicabit esse communes necessitates. Quamuis tenuera ego huiusmodi necessitatem grauem vocarem: perinde enim est artificem vel agricolam qui sua arte victum quærebat, debere mendicare, sicut, & alteri ditiori cadere à suo statu honorifico.

Similiter Superfluum quod potest habere aduocatus, duplex est, aliud superfluũ naturæ, quando vel in bonis, & facultatibus proprijs quas possidet, habet plura quàm illi opus sint ad se suamq; familiam alendam, vel præstatis patrocinijs quibus eget ad quærendum victum suæ sustentationi necessarium, superest illi tempus ad alia patrocinia ferenda. Eodemque modò superfluum statui est, quando habet in facultatibus plura quam ipsi opus sint pro ratione sui status, vel præstatis patrocinijs, quorum stipendijs, & emolumentis statum suum decenter sustentare potest, adhuc superest illi tempus ad alia patrocinia præstanda Vbi illud obseruandum quoque est, quæ dicimus necessaria statui non consistere in indiuisibili, sed in quodam medio: etenim cum status sustentari possit, & decenter, decentissimeque ad decentissimam sustentationem status fuerint necessaria, non erunt dicenda superflua, sed necessaria quoque statui. Et similiter si à decentissima ista sustentatione, aliqua auferantur, modò possit esse decens, dicemus quoque habere illum necessaria statui.

Obseruemus secundò omnium DD. consensu teneri aduocatum sub mort. ad patrocinandum pauperi litiganti, & existenti in extrema necessitate qualem exposuimus. Nam cum de huiusmodi patrocinio (iuxta D. Thom. iudicandum sit, sicut de eleemosyna ad quam tenetur diues, sicut diues tenetur simpliciter, & omnino fauere pauperi extremè indigenti, ita & aduocatus patrocinari gratis pauperi in extrema necessitate Nec sunt audiẽdi, qui volunt sufficere, vt patrocinetur illi nullo tunc temporis accepto stipendio, obligando tamen illum, vt si vicerit litem, veneritque ad pinguiorem fortunam, teneatur illud soluere. Hæc opinio est impia: pauper enim litigans sic indigens, cum res litis sit adeò anceps, & incerta, simpliciter est censendus pauper, & extremè indigẽs.

In grauibus autem necessitatibus, & communibus res est controuersa. Nã quod pertinet ad graues. Caiet. hic sentit aduocatum habentem superfluum tempus, ab eo quo indiget ad causas, quarum stipendijs statum suum sustentare valet, peccare quidem venialiter nisi patrocinetur pauperi litiganti in graui necessitate constituto, nõ tamen mortaliter. Sequitur Caiet. Nauar. in suo Manua. capit. 25. num. 29. quamuis deinde num. 53. agens de tabellione dicat peccare illum mort. quando non vult gratis conficere scripturam, sine qua patietur pauper notabile damnum in re aliqua notabili. Probatur hæc opinio Caiet. primò. Eodem modo tenetur aduocatus ex D. Tho. hic ad ferendum patrocinium, sicut alij ad alia opera misericordiæ, sed non tenentur alij ad alia opera misericordiæ nisi fratre existente in extrema aliqua necessitate, nullus enim tenetur recipere hospitem, qui potest dormire sub Diuo, vel qui dormiẽdo in agro non infirmabitur, nec redimere captiuum, qui manens apud infideles non periclitatur. Ergo nec aduocatus tenebitur sub mort. patrocinari, quando litiganti non imminet extrema necessitas.

Secundò nullus tenetur litiganti grauiter indigenti conferre pecunias, quibus quærat aduocatum, ergo nec tenetur aduocatus sic indigenti gratis, ac sine vllo stipendio patrocinari. Quod si dixeris, Diues non potest largiri eleemosynam isti litiganti, quin consumat aliquam partem sui census, & bonorum, at aduocatus in patrocinando nullas expensas facit, nec consumit aliquam pecuniam, cum habeat superfluum tempus, solo enim verbo illi fauet. Certumque est apud omnes, illum qui sine largitione proprij census, potest alteri subuenire, arctiori vinculo teneri, & in pluribus casibus, quàm ille qui debet proprium censum, & pecuniam largiri.

Contra & sic 3. argumentum cum Aduocatus indigeat suis patrocinijs ad lucrãdum, idem sunt aduocato patrocinia illa, quod alijs diuitiæ, cum pecunia sit quod pecunia æstimari potest, ergo sicut alij non tenentur pauperi litiganti, & si grauiter indigeat, conferre pecunias quibus quærat patrocinium, ita nec aduocatus patrocinari. Et confir. quia testis eo nomine obligatur, ad testificandum vltrò, & citra grauem necessitatẽ, quia solis verbis, sine vllo labore, damno, vel expensis valet testimonium ferre, at aduocatus, quantum confert patrocinij, tantum tribuit pecuniæ, cum patrocinijs lucra quærat.

Quartò, Quando quis patitur necessitatem ab extrinseco, & ex malitia alterius, non tenemur tanto vinculo, & debito illi subuenire, quantò tenemur, vbi patitur illam ab intrinseco, veluti ex propria indigentia vel infirmitate, sed pauper litigans, patitur necessitatem ab extrinseco, & ex malitia alterius partis, qui iniustè vult in lite illa contendere, ergo.

Quintò

Quintò in lite dubia nemo tenetur fauere potius vni parti quàm alteri, poteſt quidem non tamen tenetur, at nunquam vel rarò exiſtit lis in qua non ſit res dubia, & anceps. Denique in omni Repub. benè inſtituta à Principe vel magiſtratibus ſunt inſtituti aliqui, duo vel tres, vel plures ad patrocinandum, pauperibus, non ergo tenebũtur alij iuriſperiti ad id, ſaltim extra extremam neceſſitatem.

Oppoſitum omnino docent Sylu. Aduocatus §. 28. Soto lib. 5. de iuſtitia quæſt. 8. ar. 1. & omnes recentiores Thomiſtæ, miraturq; & rectè Caiet. ita in Soto, qua ratione hoc loco obliuiſcatur opinionis, quàm habuit ſupra q. 32. ar. 5. vbi iuxta D. Tho. aſſignat duos caſus, in quibus præceptum eleemoſynæ obligat ſub mort. Prior eſt, quando pauper eſt in extrema neceſſitate, poſterior quando in graui propter quod compoſuit peculiare opuſculum de eleemoſyna. Nos huic autem ſententiæ ſubſcribemus, nam iſta Caiet. humanitate, & Chriſtiana pietate eſt omnino aliena.

CONCLVSIO I.

Tenetur aduocatus habēs ſuperfluum ſuo ſtatui iuxta decentem ſuſtentationem illius, patrocinari pauperi in graui neceſſitate conſtituto, ſub pęna pecc. mort.

Dixi iuxta decentem ſuſtentationem, nam etſi quæ poſſunt deſeruire decentiſſimè non dicantur ſuperflua, qui tamen habet ſufficientia decenti ſtatui, iam dicitur habere neceſſaria. Probatur concluſ. De patrocinio aduocati erga pauperes iudicandum eſt ſicut de eleemoſyna diuitis, ſed tenetur diues ex ſuperfluis ſtatui, & quibus non indiget ad decentem ſuſtentationem ſui ſtatus, fauere pauperi ſub mort. non ſolum in extrema neceſſitate, verum etiam in graui, ergo, & aduocatus. Maior eſt D. Tho. hic minor recipitur ab omnibus diſcip. eiuſdem D. Tho. & ab eodem Caiet. loco citato ſupra q. 32. art. 5. & 6. Et eſt doctrina D. Ioan. 3. [Qui viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit illi viſcera ſũ quomodo charitas Dei eſt in illo? [Ex quo loco ſic argumẽtor: Frater in graui neceſſitate exiſtens reuera habere neceſſe, diues habens ſuperflua ſtatui reuera habet ſubſtantiam huius mundi, ergo contra charitatem agit, & peccat mort. qui habens ſuperflua ſtatui non ſuccurrit exiſtenti in graui neceſſitate.

Et confir. Quidquid diſſolueret inter prudẽtes amicitiam contra charitatem eſt, & peccatum mort. cum charitas ſit amicitia, ſed pauper litigans, & in graui neceſſitate conſtitutus, qui imploraret auxilium aduocati habentis ſuperfluum ſtatui, nec illi vellet patrocinari, iuſtè de illo conquereretur, & diſſolueretur inter eos amicitia; ergo. Denique. Quod vni eſt maximè vtile, & neceſſarium, alteri verò parum vel in nullo vtile, aut neceſſarium, non conferre illi cui vtile eſt impietas eſt charitati Chriſtianæ omnino repugnans, hoc autem modò ſe habet, patrocinium aduocati, cui ſupereſt tempus poſt patrocinia aliarum cauſarum, quibus indiget ad decentem ſui ſtatus ſuſtentationem, erga pauperem litigantẽ in graui neceſſitate exigentem, ergo. In hoc ſenſu intelligendus eſt hic Soto, cum ait, non teneri aduocatum ad patrocinium in graui neceſſitate, niſi patrocinium ſit illi ſuperfluum, Et inferius, non teneri aduocatum ad patrocinãdum pauperi niſi habeat tẽpus ſuperfluum: loquitur de ſuperfluo intra latitudinem decentis ſtatus, ita vt teneatur, quando acquiſitis neceſſarijs ad decentem ſtatũ, ſupereſt illi tempus, & locus ad patrocinandum pauperi.

Nunc ad argumenta in oppoſitum.

Ad primum conſtat, diuitem non ſolum teneri ad ſubueniendum pauperi ſub mort. in extrema neceſſitate, verum etiam in graui, modò habeat ſuperflua ſtatui. Qua verò ratione excuſentur diuites non recipientes hoſpites, nec redimentes captiuos, non eſt huius loci explicare: Interim dico, quo ad hoſpites excuſari, quia vbique exiſtũt hoſpitalia, & publica hoſpitia, nam vbi non ſunt vel non ſufficiunt, tenentur non quidem quærere illos, ſed venientes ad ſe recipere, & hoſpitari, ſi grauiter indigeant. Quo ad captiuos dico etiam non teneri ad illos inquirendos, teneri tamen ſe ad illos redimendos ſi poſtulatur inuandos.

Ad ſecundum licet ſolutio ibi poſita ſit ſatis optima, ſed commodius ita diluetur. Duplicem eſſe neceſſitatem, aliam cui ſubuenitur per pecunias, vt famẽs, egeſtas, inopia, alia verò cui per cõſilium, auxilium, vel fauorem, vt cum quis laborat ignorantia, vel opprimitur, aut vexatur ab aliquo: Diues tenetur quidem egentem, & inopem leuare ab illa neceſſitate collatis pecuniis, quia hę ſunt medium per ſe directè ordinatum ad illã neceſſitatem, at quando frater indiget conſilio, quia ignorãs, fauore vel patrocinio quia oppreſſus, non tenetur diues qui ſolas habet pecunias, largiri illas vt quærat concilium, & patrocinium ſed qui poteſt ſuo conſilio vel patrocinio illi fauere, is eſt, qui tenetur, cum pecuniæ non ſint in hoc caſu medium per ſe & directè ordinatum ad leuandam iſtam neceſſitatem, ſed conſilium, & patrocinium: id media autem quæ non ſunt per ſe, & directè ordinata nemo tenetur.

Eodem modo ſoluitur tertium, quamuis enim aduocatus per ſua patrocinia lucretur, pecuniæ tamen non ſunt medium per ſe ordinatum ad neceſſitatum litigantis ſicut patrocinium, neque eſt idem iudicium de teſte, & aduocato, ſicut explicabitur ſtatim controuer. proximè ſequenti.

Ad quartum ſimilis eſt ſolutio. Neminẽ teneri ad ſubueniendum ex ſuis bonis in neceſſitate ab extrinſeco, quia in ea medium per ſe ordinatum non eſt eleemoſyna, ſed auxilium, vt cũ quis opprimitur ab inuaſore, vel calumniatore: Quo fit vt cum neceſſitas, quam patitur pauper litigant, ſit ab extrinſeca, ad quam leuandam mediũ per ſe ordinatum eſt patrocinium aduocati, teneri aduocatum ad patrocinandum illi, & in neceſſitate graui.

Ad quintum reſpond. imò cauſas pauperũ plerumque eſſe iuſtas, & à ditioribus reddi dubias, quod ſi reuera aliquando dubiæ ſint, non propterea deobligatur aduocatus è patrocinio illi ferẽdo, cum ſolas cauſas iniuſtas debeat dimmitere vt videbimus art. 5.

Ad vltimum dico: Aduocatus illos conſtitutos non ſufficere ad cauſas pauperum, quamuis inter eos hoc interſit, quod iſti à Reipub. inſtituti, & ab ea ſtipendium recipientes tenentur ex iuſtitia ipſis patrocinari, alij verò ex charitate, quod ſi illi ſufficienti, ſummumque debitum exequantur erga pauperes, tunc alij non tenẽtur, quia tunc iam eſt in promptu, qui illis auxilietur.

Occaſionem eorum quæ in ſolutione 2. argum. dicta ſunt videamus.

An

AN EODEM MODO teneantur aduocati ad patrocinandum, quo tenentur testes ad testificandum, & diuites ad subueniendum pauperibus.

IVxta ea, quæ hic habet D. Tho. videntur hi eodem modo teneri, cum hæc oĩa reducat D. Th. ad opera misericordiæ, constat autem leges misericordiæ omnibus esse communes, & eodem modo obligare. In oppositum est, testem aliquando teneri (vt vidimus) ad testificandum vltrò, & si non vocetur à iudice, aduocatum verò vt hic docet idem D. Thom. non teneri ad quærendos pauperes, sed solum ad patrocinandum eis, cum ipsius opem implorauerint.

CONCLVSIO I.

Maiori vinculo tenetur testis ad ferendum testimonium, quàm aduocatus ad ferendum patrocinium.

PAtet ex dictis: quia testis, si grauis iactura immineat fratri, siue diues sit, siue pauper, tenetur vltro pro illo testificari, aduocatus autem non tenetur in causa diuitis se ipsum offerre ad patrocinandum, sed rogatus ab illo. quia quod nullo labore fieri potest, & nullus valoris est, tenemur cuique, & diuiti impendere, quotiescunque eo indiget, quod autem alicuius pretij est, & laboris, solum tenemur quando pauper eget, testimonium facilè ac sine vllo labore fertur, nec est pretio æstimabile ex parte testis, vt docet D. Aug. can. Non sanè 14. quæst. 6. at patrocinium aduocati laboriosum est, & pretio æstimabile, vt ibidem habetur.

CONCLVSIO II.

Maiori vinculo tenetur aduocatus patrocinari pauperi litiganti, quàm teneantur diuites largiri eleemosynas alijs pauperibus.

PAtet etiam ex dictis, in pluribus enim necessitatibus tenetur aduocatos fauere pauperi litiganti, quàm teneantur diuites pecunias suas conferre alijs pauperibus, verbi gratia, si litigans indigeat grauiter patrocinio aduocati, nec aduocati, nec habeat vnde illud soluat, diues non tenetur offerre illi pecuniam, ad quærendum aduocatum, aduocatus autem tenetur gratis illi patrocinari. Afferuntur à DD. duo casus, in quibus debet Aduocatus patrocinari pauperi, in quibus tamen tenetur diues largiri eleemosynam. Prior est, si alicui immineat grauis iactura suorum bonorum, & graue periculum cadendi à suo statu si vincatur in lite, nec habet tunc pecunias, quibus conducat Aduocatum, in hoc casu diuites non tenentur dare eleemosynam, vt constat ex quæst. 33. at Aduocatus tenetur illi patrocinari, cum ex D. Tho. hic, vt Aduocatus ad id teneatur, nil aliud exigatur quàm litigantem patrocinio illo indigere, nec alium esse in promptu, qui illi commodius, & certius auxiliari valeat. Intelligendus autem est hic casus, quando litigans iste, nec in illo loco neque in alio habet pecunias, quas conferat aduocato. Etenim si in alio loco habeat, non est simpliciter pauper, sufficitque vt aduocatus, illi patrocinetur accepta fide, & sub chyrographo, Dixi, in alio loco, quia si solum speretur in alio tempore, & victa lite habiturus, tenetur nihilominus gratis illi patrocinari, quia hæc spes non efficit, quin ille sit simpliciter pauper, & verè egens. Nec valet quod aliqui objiciunt, licet expectanti primogenituram, vel habenti regressum beneficij, etsi maximè indigeret, subuenire per mutuum restituendum ab ipso, cum venerit ad pinguiorem fortunam, ergo similiter licebit aduocato patrocinari non gratis, sed accepta fide reddendam esse illi suam mercedem, & stipendium victa lite. Non est par ratio. Quia expectans primogenituram, vel habens regressum Canonicatus, cum habeat certam spem, & indubitatum ius in aliqua bona, non est simpliciter pauper, at litigans, non habet quamdiu est res sub lite, certam spem, nec indubitatum ius, sed maximè incertum, & anceps, estque simpliciter pauper. Quamuis non negarem vbi lis esset de graui, & ingenti de pecunia, & ius litigantis plurimum certum, posse aduocatum pacisci cum suo clientulo de aliquo stipendio recipiendo victa lite.

Alter casus est, in necessitatibus communibus, in quibus licet diuiti habenti superflua status non dare huic vel illi, sed seruare eleemosynam illam, dandam alijs pauperibus similiter indigentibus, aduocatus autem habens patrocinia superflua, & in communibus necessitatibus debet patrocinari pauperi, nec potest dicere alteri pauperi seruabo meum patrocinium, tum quia ex eo quod patrocinetur huic, non minuitur illi facultas patrocinandi alijs cùm in patrocinio nullæ pecuniæ, sed sola verba expendantur, quæ non minuuntur, nec consumuntur sicut pecuniæ: tum vero, quia ridiculum esset hoc genus seruandi aliis sua patrocinia sicut ridiculus fuisset Hæbreus, qui iuxta præceptum illud Exod. 23. [Si occurreris boui erranti. Si videris asinum proximi tui iacere, &c.] Diceret nolo huic boui, vel asino meum auxilium impendere, alteri illud seruare volo: Quamuis vbi plures se offerrent pauperes, si omnibus nequeat patrocinari, potest cui voluerit, seruato tamen ordine charitatis: vt coniunctioribus, & magis indigentibus prius succurrat.

Ex his patet: has tres obligationes, diuitis ad pauperem, testis ad litigantem, aduocati ad suum clientulum, ita se habere, vt obligatio testis sit omnium strictior, cum teneatur vltro aliquando se offerre, & iustificari, siue diues, siue pauper sit, Obligatio diuitis ad pauperem sit latior: quia non tenetur fauere nisi indigenti ab intrinseco, obligatio aduocati ad clientulum sit velut media inter istas, quia tenetur illi patrocinari, quando non habet vnde patrocinium soluat, quamuis habeat ad suam sustentationem, solumq; indigeat ab extrinseco.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quæ de aduocato dicimus intelligenda similiter sunt de procuratore, solicitatore, relatore scriba, & alijs ministris iustitiæ, qui ex officio exercent actus necessarios ad iudicium, quin, & de his qui pollent gratia, & amicitia apud principes, & magistratus.

Constat

COnstat hæc ijsdem rationibus, quibus probata sunt quæ aduocato docuimus. Qd B.Greg. optimè docet Hom. 9. in Euangel. his verb. [Habens intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat: habens loquendi vsum apud diuitem, pro pauperibus intercedat, Talenti enim nomine cuilibet reputabitur, quod vel minimum accepit. Hæc ille, Nec excusantur hi, quòd emerint illa officia, & sic vendere iure possint, nec gratis debeant illa impendere. Nam, & aduocatus, & medicus multis expensis scientias sibi paratunt nec propterea [excusantur, quin gratis auxilientur, & medeantur pauperibus.

ARTICVLVS III.

An conuenienter arceantur aliquis in iure ab officio aduocati.

CONCLVSIO I.

Meritò ac conuenienter arcentur aliqui ab officio aduocati, propter impotentiam, in qua laborant, & defectum quem patiuntur, vel in sensibus internis, vt furiosi, & impuberes, vel in externis vt ceci, & muti.

HÆc perspicua est, haberurque 3. q. 7. per varia capita.

CONCLVSIO II.

Meritò quoque arcentur aliqui ab officio aduocati propter decentiam.

NEmpè vel propter decentiam actus iudicij, quia non decet tales iudicijs interuenire, ut infames, infideles damnati de aliquo graui delicto, vel ob descendentiam status, quia rebus altioribus intenti, non decet eos in litibus, & causis forensius occupari, qua ratione clericis, & religiosis inter dictum est aduocare.

Prior pars habetur eodem loco 3. q. 7. can. Infames. Monachis verò prohibetur 16. q. 1. can. Monachi, el secondo. Et Extr. De postulando cap. 2. vbi id ipsum prohibetur quoque Canonicis regularibus. Et cap. Clerici eodem tit. prohibentur quoque Diaconi, & constituti in minoribus si habeant sufficienter vnde viuant ex bonis Ecclesiæ.

CONCLVSIO III.

Qui ob impotentiam, vel defectum arcentur ab officio aduocandi nulla ratione possunt illud exercere, Quia verò ob indecentiam tantum, possumus aliquando.

VTraque pars constat eisdem locis, maximè 3. q. 7. Vbi obserua defectum naturalem, si grauiter noceat causæ, ita prohibere officium aduocati, vt peccet mort. illud exercens: quod si leuiter noceat, venialiter tantum, imò, & nullo modo si sufficienter defectus iste alia via suppleatur, vt si cæcus verbo, vel scripto, vel mutus per tabellam sufficienter patrocinentur.

Secunda pars conclusionis habetur in illo cap. Clerici, vbi ipsis conceditur vt miserabilibus & egentibus, & suis Ecclesijs patrocinari possint: Quod etiam licet religiosis in causis suorum conuentuum si superior præcipiat, vt habet hic Diu. Thom.

Circa hunc art. vide. Sylu. verb. Aduocatus. §. 2. & sequent. vbi multa habet de aduocatis, quæ ad Iuristas potius pertinent quam Theologos, nobis sufficiet. videamus hic.

CONTROVERSIA VNICA.

QVAE SCIENTIA ET diligentia desideretur in aduocato, vt rectè suum munus exequatur.

CONCLVSIO I.

Nullus debet suscipere officium aduocati, quin ea scientia præditus scit qua sufficienter valeat merita, ac iustitiam causarum secundum iura dignoscere.

PAret, Quia elientuli vtuntur eorum concilio, vt suscipiant litem, vel dimittant. 2. post susceptam litem stant eorum dictis, & rationibus. 3. iuxta allegata ab ipsis iudices sunt de causa illa iudicaturi, vnde oportet ipsos non esse minus peritos quàm iudices. Qua de causa in Castella, & in hoc regno iuxta leges Regia non possunt hoc munus exercere, nisi præcedente examine. Hinc sequitur suscipientem munus aduocati sine sufficienti, peritia, non solum peccare, verum etiam teneri ad restituendum omnia damna sequuta litigantibus, primò, quia cum respiciat stipendium à litigante, tenetur ex pacto, & iusta commutatiua particulari sufficiens esse ad consulendum causæ illius.

Secundò quia carens scientia sufficienti exponit se periculo perdendi causam cum damno sui clientuli, cui periculo se exponens peccat. mort. & nocet cum iniuria.

CONCLVSIO II.

Aduocatus debet singulis causis eam industriam, & diligentiam adhibere, quæ iudicio prudentum, & peritorum in sua arte censebitur sufficiens pro ratione, & qualitate causæ, aliter agens peccat. mort. & tenetur ad restituendum suæ parti omnia damna subsequuta ex illius negligentia.

PAtet. Quia omnibus exercentibus aliquod officium inest hæc communis obligatio, vt illud exerceant cum debita diligentia. Sed quæ negligentia sufficiet, vt aduocatus negligens teneatur restituere? Dico sufficere illam, quam superius

quæst.62.artic.3.vocauimus leuem. Etenim vt eo loco vidimus. Qui bona alicuius suscipiunt custodienda, vt serui bona dominorũ suorum, locator, & conductor res locatas, vel conductas, si culpa eorum, vel leui res illæ pereant, tenentur ad illarum restitutionem, sed aduocatus eo ipso quo suscipit causam aliquam defendẽdam suscipit illius custodiam, illamque quantum poterit, & debet se obligat ex pacto, & cum stipendio, ergo si culpa eius in causa illa damna aliqua subsequantur, tenebitur in conscientia omnia illa reficere.

CONCLVSIO III.

Aduocatus illas tantum causas potest suscipere, quibus commodè potest patrocinari.

PAtet. Quia si plures suscipiat, exponit se periculo deficiendi in aliquibus. quod est peccatũ mort. & cum damno ac iniuria litigãtium, & consequenter cum debito restituendi damna quæ illis ea de causa accident. Hinc fit, aduocatum habentem animum suscipiendi omnes causas sibi oblatas, esse in malo statu, nec esse absoluendum primò quia in hoc est temerarius, & exponit se periculo dicto.

Secundò, quia nullum relinquit sibi tempus ad patrocinandum pauperibus, ad quod aliquando tenebitur ex charitate, vt vidimus art. præced.

CONCLVSIO VLTIMA.

Quæ in his conclusionib. de aduocato dicimus, eadem exiguntur in procuratore, solicitatore, & cæteris ministris, qui ex officio aliquem actum præstare debent in iudicio.

INtellige suo modo, & pro ratione sui muneris, non enim in omnibus pater æqualis scientia ac peritia desideratur.

Idem dicendum est de medico in curandis infirmis pro qualitate, & ratione infirmitatis.

ARTICVLVS III.

Liceat ne Aduocato aliquando suscipere causam iniustam defendendam?

TRibus conclu. satisfacit D. Tho. huic quæst. Prima est.

CONCLVSIO I.

Aduocatus qui sciens, & prudens iniustam causam defendit, peccat. mort. contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem.

PRobatur, qui cooperatur iniquitati alterius, eiusdẽ iniquitatis est reus. Rom. 1. [Digni sunt morte, non solum qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. 2. Paralip. 10. Impio præbes auxilium, & idcirco iram domini merebaris. Aduocatus defendẽs iniustam causam cooperatur iniquitati illius litigantis, imò facit illi animum, ergo.

CONCLVSIO II.

Qui iniustam causam defendit, ignorans illam esse iniustam, excusatur pro ratione illius ignorantiæ.

PAtet, Quia ignorantia facit inuolũtarium, vbi autem consensus voluntatis non est, neq; peccatum reperitur.

CONCLVSIO III.
in solutione Secund. arg.

Aduocatus qui à principio litis causam iudicabat iustam, deinde, vero in progressu litis deprehendit illam iniustam esse, tenetur illam deserere, & admonere suum clientulum vt desistat, vel componat secum altera parte citra dolum vel fraudem, merita autem causæ quæ ipse deprehendit non potest alteri parti reuelare.

PRior pars constat. Quia cum primum deprehendit iniustitiam causæ, si in illius defensione perseueret, defendit iam causam iniustã, & cooperatur iniquitati illius Posterior verò patet ex dictis. q.70. artic. controu. 1. Vbi docuimus secreta omnino celanda esse.

In hoc art. citra primam conclus. obseruandum est, cum omnis causa quæ committitur aduocato triplex esse possit vel manifestè iusta, vel manifestè iniusta, vel dubia. Conueniunt omnes Doctores in eo, vt causam apertè iustam possit defendere, apertè iniustam nullo modo, imò peccare, non modo contra iustitiam, vt habet hic D.Thom. verum etiam esse periurum, si prudens, & sciens defendat illam. Quia solent aduocati quando hoc officium eis conceditur in Repub. iurare se causam iniustam nullo modo suscepturos, vt habetur in varijs legibus nostri regni editis à Iacobo primo, Alfonso primo, Petro secundo, & alijs, Et in regno Castellæ id ipsũ iurant singulis annis, qui in, & quotiescunq; pars contraria id postulauerit. Ita lib. 2. Ord. Regal. tit. 19. leg. 1. & 12. & in pragmaticis Regum Catholicorum leg. 55. cap. 1. & consequenter tenentur ad restituenda omnia damna parti contrariæ subsequuta ex suo patrocinio. Imprimis quascunque expensas, deinde in causa ciuili, debita, vel bona quæ pars illa iustè exigebat, nec potuit obtinere, vel ad quæ soluenda iniquè fuit damnata culpa huius aduocati, in criminalibus quoque si mors vel aliquod damnum corporale illatum sit, debet restituere quidquid superius q. 62. art. 2. diximus restituendum esse ab homicida, mutilatore, & alijs qui nocent fratri in bonis naturalibus. Quia, & parti cui patrocinatur, debet etiam, & expensas, & damna restituere, nisi illam admonuerit de iniustitia suę causæ, & admonita voluit nihilominus persistere in lite, tunc enim non tenebitur, cum scienti, & volenti non fiat iniuria.

De

De pœna verò pecuniaria à sua suo iniquo patrocinio liberauit reum, quæstio est.

CONTROVERSIA I.

AN ADVOCATVS QVI suscepit defendendam causam apertè iniustam alicuius rei contra fiscum, teneatur ad soluendam pœnam pecuniariam, à qua suo iniquo patrocinio reum illum liberauit.

QVi sentiunt reum, & testem qui iniquè impediunt iniustam sententiam, per quam reus fuisset damnatus ad aliquam pœnam, tuendam, teneri ad illam restituendam, similiter iudicant de aduocato, his rationibus adducti: D.Tho. hic in prima conclu. obligat aduocatum defendentem causam iniustam ad restitutionem omnis damni secuti ex suo patrocinio, nec distinguit inter causam ciuilem vel criminalem, at in hoc casu aduocatus reuera nocet fisco in pœna illa pecuniaria, ad quam iustè fuisset reus ille damnatus, nisi iniquus iste aduocatus illi reo fauisset. Ergo.

Secundo si fiscus, vel actor succumbat in causa culpa sui aduocati, tenetur aduocatus restituere illi pecuniam quæ ipsi fuisset applicata, ergo similiter si aduocatus rei impediat iniquè sententiam, qua damnandus erat: Probo consequentiam, quia similiter nocet vterque.

Tertiò, qui volunt reum non teneri ad soluendam pecuniam ante condemnationem, ducuntur hac ratione, quia talis solutio est pœna, & soluere illam est agere, nemo verò tenetur agere in se ipsum: Sed hæc ratio cessat in aduocato, quia ipse non tenetur soluere pecuniam illam vt pœnam, sed velut restitutionem boni alteri debiti, quod ipse iniquè impediuit.

Quartò iudex, qui non ferret sententiam, tenetur pœnam illam restituere fisco, quia ex officio tenetur ferre sententiam, & damnare reum, sed aduocatus similiter tenetur ex officio non adulterare leges, nec patrocinari causæ iniustæ, ergo tenebitur similiter ad restituendum.

Quintò, Testis iniquus excusatur ab aliquibus à restitutione, quia lædit mediatè, & remotè, at aduocatus lædit proximè, & immediatè. Denique concurrit efficienter ad illud damnum fisci, ergo tenetur ad restituendum, probatur antecedens: Si accusator rei, culpa aduocati patrocinantis ipsi reo damnaretur pœna talionis, verbi gratia, occisionis, vel mutilationis, maneret irregularis, maximè si huiusmodi aduocatus esset in sacris vel haberet beneficium, vt docet Nauar. ex Panorm. in Manua. c. 27. num. 207. & 209. ergo concurrit efficienter, nemo enim censetur irregularis ex occisione, vel mutilatione, nisi ad illam concurrat efficienter. Et confir. consiliarius iudicis tenetur ad restitutionem, ergo, & aduocatus.

Oppositum tamen est multò probabilius, non teneri quemadmodum nec testis, imò multò minus quàm testis. Ostendo. Quia testis cum inducatur ad manifestandam veritatem inter vtramque partem, & teneatur prospicere vtrique parti, iniquius agit, & cum maiori iniuria, non manifestans veritatem, quam aduocatus, qui solum agit partes sui clientuli, & illi tantum tenetur prospicere, sed testis non tenetur ad restituendam pœnam pecuniariam ante condemnationem, cum hoc sit de propria ratione pœnæ, ergo neque aduocatus. Ita D.Aug. Epist. 54. ad Macedonium tom. 2. & habetur 14. q. 5. can. Non sanè.

Ad argum. in oppositum. Ad primum respondeo D. Thom. & DD. loqui de damno dato parti contrariæ in bonis iam debitis, & applicatis illi, non tamen in applicandis, cuiusmodi est pœna pecuniaria.

Ad secundum dico esse maximum discrimen, nam aduocatus actoris ex pacto, & stipêdin quod recipit, & ex iustitia commutatiua, tenetur diligenter, & fideliter se gerere in causa illius, aduocatus verò rei ad nil tale tenetur erga actorem ex iustitia commutatiua, sed solum ex legali, quæ non obligat ad restituendum.

Ad tertium, dico, pœnam illam pecuniariam, quacunque ratione sumatur, esse pœnam, cum neque aduocatus iste, si quidem teneretur ad eam soluendam, alio nomine teneretur, quam vt debitam à reo.

Ad quartum dico, iudicem teneri ex officio, & iustitia commutat. ad ferendam sententiam, & applicandam illam pœnam fisco, ad quod non tenetur ex officio, & iustitia aduocatus rei.

Ad quintum dico immediatè quoque lædere testem, cum sententia iudicis dicto illius nitatur.

Ad sextum fateor cōcurrere efficienter, sed non propterea tenetur pœnam illam luere, quia est de ratione pœnæ, vt soluturus illam condemnetur, cum nemo debeat agere in se ipsum: Et ad confirmandum dico, consiliarium esse concausam ex parte iudicis, & ideo teneri ad restituēdum, sicut, & iudex, quod non conuenit aduocato rei. Vbi obseruādum est, falsum esse, aduocatum illum esse irregularem, siue sit in sacris vel beneficiatus, siue non quia non est aliquis habendus irregularis, nisi illud habeatur expressè in iure, in quo tamen nil tale habetur de aduocato.

Secundò, quia etiam si aduocatus actiuè concurrat ad iudicium, & causam, non tamen ad illam pœnam talionis, sed solum ad defensionem sui clientuli, & rei. Maior dubitatio est.

CONTROVERSIA II.

POSSIT NE ADVOCATVS patrocinari in causa dubia.

OBseruemus, quamuis dubium dicatur, quando in neutram partem inclinat animus, sed manet anceps, nihilominus in præsentia omnis causa de cuius iustitia non certò constat dicitur dubia, constituunturque tres gradus dubitandi in omnibus causis forensibus.

Primus est, quando causa ex vtraque parte habet authores, & rationes ex æquo graues, & in qua iudices modò in hanc partem modò in aliam declinare solent.

Secundus, quādo vna quidem pars probabilior est, sed altera nihilominus satis etiam probabilis, & in quam iudices multoties quoque declinare solent.

Tertius est, quando vna pars ita probabilis est, & recepta, vt altera etsi aliquid videatur habere probabilitatis, parum tamen, & in quam rarò, vel nunquam iudices inclinant.

Obseruemus secūdò, in causis dubijs hoc tertio modo, & gradu, certum esse peccare aduocatum contra iustitiam, si illis patrocinetur, siue pro reo

sine pro actore: quia sic dubia censetur iniusta, vel saltim in qua aduocatus exponit se sciens, & prudens probabili periculo defendendi causam iniustam.

Secundò, quia in causa est talis aduocatus, vt clientulus ipsius prosequatur causam illam, & faciat expensas cum damno suo cum ferè certum sit condemnandum esse, Et in moralibus quæ communiter accidunt iudicantur tanquam certa, vnde tenebitur aduocatus iste ad restituenda omnia damna, sicut ille qui apertè defendit causam iniustam. Quo circa hic tantum quærimus de causis dubijs in primò, & secundo gradu.

CONCLVSIO I.

Causam in primo gradu dubiam licet defendere, siue in fauorem actoris, siue in fauorem rei.

QVod attinet ad rem perspicuum est. Quia si iudex ipse in dubijs tenetur fauere reo, quanto magis aduocatus. Sed in vniuersum probatur iam conclus. primò. Quia si non liceret patrocinari in causa sic dubia, ferè nunquam liceret patrocinari, cum ferè omnes causæ quæ ducuntur in iudicium à principio litis sint dubiæ.

Secundò actor non peccat in tali lite, quia vbi ius æqualiter est dubium, potest quiuis sibi prospicere, nec tenetur alteri consulere, ergo neque peccat aduocatus defendendo illum, quia cuicunque iustè agenti licet, fauere, & cooperari.

Tertiò, cum iudex sit quasi medius inter actorem, & reum, quãdo actor habet æquale ius cum altero, licitè confugit ad iudicem, vt reddat illi patrocinari.

Sed contra hanc conclu. obijcies, Lis quoddam genus belli, est sed princeps non potest suscipere bellum contra alterum, causa existente dubia, ergo neque aduocatus potest suscipere causam dubiam defendendam.

Et confir. primò, milites qui non sunt subditi, non possunt præliari in bello dubio, quia exponerent se periculo militandi in bello iniusto, sed eidem periculo exponit se aduocatus in causa dubia: Confirm. 2. daretur bellum iustum ex vtraque parte si liceret aduocato patrocinari actori: cum liceat alteri patrocinari reo.

Secundò actori nõ licet litigare in causa dubia, ergo neque aduocato fauere illi: consequentia patet, quia non licet cooperari neque fauere agenti inique, antecedens ostendo, Quia in re dubia melior est conditio possidentis, & cum reus possideat suam vitam, honorem, vel diuitias, agit actor iniquè volens illum à sua possessione perturbare.

Et confir. iudex qui non fauet in re dubia possidenti, agit iniquè, quia debet iudicare secundum leges, & ex regulis iuris in 6. [Quãdo iura partium obscura sunt, fauendum est potius reo quàm actori.] Ergo, & aduocatus aget iniquè. Denique si liceret defendere causam dubiam, liceret etiam, & minus probabilem pertinentem ad tertium gradum, cum illa quoque sit dubia, quod tamen omnium consensu, non licet.

Singula suo ordine diluamus. Ad primum respond. plurimum interesse inter principem, & aduocatum, quia bellum est velut exequutio sententiæ, quam debet præcedere diligens inquisitio de iustitia causæ, & ideo nec suscipi donec constet esse iustum, qua etiam ratione iudex antequam ferat sententiam debet diligenter inquirere de iustitia causæ, patrocinium verò aduocati non est exequutio sententiæ, sed inquisitio causæ ad quam vnusquisque habet ius quamdiu res est dubia. Eodem nomine non licet militari in bello dubio, sicut nec exequi sententiam dubiam: Licet autem patrocinari, sicut licet in re dubia inquirere ius illius: Ad secundam confirmationem dico non esse commodum ut re existentem dubia bona fide, & per ignorantiam inculpabilem de iure causæ vterque litem iustè suscipiat, non enim daretur tũc bellum ex vtraque parte iustum, sed quod ex utraque, parte videatur iustum. Ad secundũ respond. iudici non licere in pari dubio ferre sententiã contra possidentem, quia esset expoliare illum re, quã iustè possidet, quod non licet in dubio. Similiter neque licere litiganti propria authoritate perturbare, uel expoliare possidentem, adire autem iudicem, ut expendatur, & inquiratur, an iuste possideat, hoc licet, cuique habenti ius, & consequenter potest aduocatus illi patrocinari, per patrocinium .n. non expoliat alium re, quam possidet, sed solum inquirit iustitiam causæ, Idemq; licet procuratori, tebellioni, & alijs ministris iustitiæ. Ad vltimum dico non esse simile, quia causa dubia in hoc gradu non est iniqua, dubia uerò in tertio gradu (vt admonuimus) censetur iniusta.

CONCLVSIO II.

Licet quoque aduocato defendere causam dubiam in secundo gradu in defensionem rei, modo illam defendat sine vlla fraude, vel dolo.

ITa Soto lib. 5. de Iust. q. 8. ar. 3. Et probatur. licet reo in tali casu se defendere, ergo, & aduocato patrocinari illi, consequentia aperta est, probatur antecedens, quia iure naturæ licet vnicuique suã ius defendere, quando non certò constat de iure alterius. Secundò cum aliquando accidat inclinare iudicem in illam partem, etsi minus probabilẽ, potest experiri aduocatus, an ita contingat in illa, quàm suscipit, Tertiò, quia opinio, quæ aduocato videtur minus probabilis, forsan iudici videbitur probabilior, aut æquè probabilis. Denique causa, quæ in principio litis apparet minus probabilis, in progressu litis potest apparere probabilior, propter ea, quæ occurrent.

Tenetur tamen aduocatus in casu admonere clientulum, causam suam esse minus probabilem, vt si velit componere se cum altera parte possit, Quod si non admonuerit illum, vel deuiauerit animum eius, ne componat se cum altera parte, tenetur ad omnes expensas, & damna, quæ illi ex tali lite euenient, quia illorum verè causa est, cum debeat ex officio, quinis aduocatus suum clientulũ, admonere, nec prohibere quamcunque concordiam honestam.

Sed obijcies contra hanc conclus. Aduocatus suscipiens causam minus probabilẽ, agit prudens, & sciens contra propriam conscientiã, quæ dictat illi esse minus probabilem, ergo peccat, Secundo lector non potest docere suos auditores opinionẽ minus probabilem, ergo neque aduocatus illam defendere. Tertiò suscipit causam, quæ habet pauciora merita, ergo peccat velut per acceptionem personarum. Respondeo ad primum, intellectu quidem speculatiuo scire illam causam esse

minus

minus probabile, sed simul habere hoc iudicium practicum, licere sibi defendere illam causam in fauorem rei, vnde non agit contra conscientiam. Ad secundum dico, lectorem cum alios instruat duo præstare, primò enim inquirit, quam probabilitatem habeat vna quæque opinio, secūdò docet, quæ sit probabilior: Aduocatus assimilatur lectori in illo priori inquirendo iustitiam causæ, iudex vero posteriori definiendo per sententiam cui reddi debeat ius, vt probabilius, & æquius.

Ad tertium dico iudicem posse in hoc casu accipere personas, & peccare non iudicando iuxta merita processus: aduocatum verò nil tale committere, cum solum inquirat merita causæ.

CONCLVSIO III.

Aduocatus suscipiēs causam dubiam iuxta secundum dubietatis gradum contra reum, qui periclitatur de vita, vel graui infamia, aut iactura suorum bonorum, peccat contra charitatem.

Probatur. Tenetur aduocatus, & quiuis alius ex charitate succurrere reo in extrema, vel graui necessitate, sed in hoc casu si reus ille succumbat in causa, incidet in extremam, vel grauem necessitatem, ergo tenebitur saltim aduocatus non agere contra illum, probo consequentiam. Quia facilius est fauere reo negatiuè, non agendo contra illum, quàm positiuè patrocinando illi, vel conferendo eleemosynam, sed in hoc casu teneretur aduocatus fauere illi positiuè, ergo multò magis negatiuè, non agendo contra ipsum. Quemadmodum. Si tenetur quis iuuare aggressum, multò magis non fauere aggressori, in hoc autem casu reus habet se, vt aggressus, actor verò velut aggressor.

Secundò actor in hoc casu agit contra charitatem, ergo & aduocatus, patet antecedens: quia tenetur actor in necessitate proximi conferre illi eleemosynam, & adiutorium, multò magis non conijcere illum in illam necessitatem.

Similiter iudicandum est in causis pijs Ecclesiarum, & Religionum, p. m. esse contra charitatem patrocinari contra Ecclesiam, vel Monasterium, quando causa actoris est minus probabilis, vt colligitur ex l. semper in dubijs. ff. de verb. signifi.

CONCLVSIO VLTIMA.

In causis minoris momenti, in quibus si vincatur reus non incidit in grauem necessitatem, neque peccat actor mort. prosequendo illas, nec aduocatus patrocinando.

Ratio est aperta, quia præceptum charitatis non obligat nisi in graui, vel extrema necessitate.

In solutione secundi argum. Habet D. Thom. duo. Prius est, Aduocatum, qui in progressu litis deprehendit causam, quam à principio iudicauit iustam, reuera iniustam esse, non posse illius iniustitiam alteri parti prodere, sed tenert ad seruandum secretum, vt habetur can. Si quem pœnituerit 2. q. 3. & in multis legibus ciuilibus. Quia vnusquisque tenetur ex fidelitate, iure naturæ seruare secreta sibi commissa, maximè is, cui ex officio hoc incumbit. Hoc habet difficultatem: Quia si vt vidimus quæst. præced. artic. 1. tenetur testis vltro testificari, quotiescunq; testimonium ipsius necessarium est ad liberandum fratrem ab aliquo damno, etiam si illud secretò nouerit, multò potius tenebitur aduocatus secreta partis iniustè litigantis alteri indicare, vt liberetur ab illa iniustitia, & damno.

Dico in causis criminalibus, in quibus agitur de vita, membris, vel graui infamia proximi, debere aduocatū prius admonere actorem iniquū, vt cesset ab illa causa, & iniuria, quod si noluerit, tunc debet reuelare secreta suæ partis, vt proximus ille liberetur ab illo damno, & iniuria, modò nō incurrat ex eo Aduocatus aliquod graue damnum. In ciuilibus res est difficilior: Censeo tamen, si parti contrariæ immineat graue damnum in magna quantitate substantiæ, teneri similiter aduocatum ad reuelandum iniquitatem suæ partis, vt liberetur frater à tanto damno, quod si damnum non sit adeò graue, non licebit illi prodere secretum, quia præstat Reipub. Aduocatos secreta custodire, quàm leuia damna aliorum vitare.

Habet secundò D. Thom. Aduocatum in hoc casu debere omnino deserere causam illam iniustam, quin, & admonere clientulū suum, vt illam deserat, vel componat se cum altera parte sine damno aduersarij, & sine vlla fraude, & dolo, sed aperiendo illi suum ius, vt compositio fit amicabilis, libera, ac volūtaria. Ita vt si nulla fit dubitatio, nil ab illo accipiat, nisi quod omnino gratis, ac liberè alter voluerit cōferre: Si verò aliqua maneat dubitatio, aliquid conferat secundum qualitatem dubii arbitrio prudentis. Et hac ratione intelligēdæ sunt leges Castellæ lib. 2. tit. l. 1. Et in pragmat. l. 54. cap. 2. & titu. 17. Recompil. & leges nostri regni in quibus agitur de cōpositione litigantium inter se, quando res est dubia.

In solut. tertii argumen. habet D. Tho. in causa iniusta licere aduocato occultare ea, quæ parti iniustam causam prosequenti fauere possent, non tamen licere illi vti aliqua falsitate. Vbi obseruandum est, aduocatum qui vteretur aliqua falsitate in hoc casu, ad defendendum innocentem, si falsitas illa non redundet in præiudicium tertii, nec peccare contra iustitiam, nec teneri ad aliquid restituendum, imò liberat e suam partem ab iniustitia aduersarii, quamuis medio falso, sed officioso: Vnde nec peccabit mort. contra charitatem, nisi interueniat iuramentum. Quæ intelligenda sunt, quando aduocatus omnino certus est de iniustitia aduersatij, quia si dubius tantum sit, peccabit contra iustitiam aliqua vtens falsitate, & tenebitur ad restituendum alteri parti omnia damna ex illa falsitate subsequuta.

ARTICVLVS IIII.

Liceat ne aduocato accipere pecuniam pro suo patrocinio.

Duplici conclus. respondet D. Thom.

CONCLVSIO PRIMA.

Licet aduocato pretium accipere pro suo patrocinio.

PRobatur. Potest vnusquisque, quæ sibi propria sunt, nec alteri debet ex iustitia, pretio, æstimare scientia Iurisperiti, aduocati industria, & solertia, ipsorum sunt, sicut aliæ scientiæ aliorū artificum, nec tenentur aduocatus, vel Iurisperitus suam scientiam, & industriā alijs impendere ex iustitia, sed solis pauperibus ex charitate, vt diximus t. art. ergo possunt pro suis industriis, consiliis, & patrociniis pretium exigere, & recipere, sicut medici, & alii artifices. Vnde D Aug. in Epist. illa ad Macedo. [Aduocatus licitè vendit iustum patrocinium, & Iurisperitus verum consilium.

CONCLVSIO II.

Si aduocatus per improbitatem aliquid immoderatū accipiat, peccat contra iustitiam, & tenetur illud restituere.

PAtet, quia in his, quæ pretio æstimanda sunt, ex gere pretium immoderatum, & excessiuū, iniquitas est, & cum debito restituendi illum excessū. Ita idem Aug. loc. cit. agens de aduocatis ait: [Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data verò per tollerabilem consuetudinem non solent.]

Ex his fit. Debere aduocatum recipere solum pretium moderatum, attenta qualitate negotiorum, personarum locorum, & laboris quem impedit, ac consuetudine patriæ.

Circa primam conclus. huius art. obseruandum est, iudicasse aliquot maximè Alensem 3. p. q. 44. memb. 2. esse symoniam aduocatum aliquid accipere, quia consilium, & patrocinium, quod cōfert est aliquid spirituale. Sed huic argu. occurrit satis D. Thom. hic ad secundum dicens, scientiam, & consilium aduocati esse, quid spirituale, industrias verò, labores, & operas quas impēdit in consilio & patrocinio ferendo, esse quid temporale, & pretio æstimabile. Possumus, & respondere, spirituale illud quod vendit aduocatus, non esse illud de quo dixit Christus, [Gratis accepistis, &c.] Illud enim est supernaturale, spirituale verò, quod vendit aduocatus est, quid naturale longè distans à materia symoniæ.

Offerunt se hic, circa stipendia aduocatorum nonnullæ controuersiæ ad qua[illegible]m intelligentiam obseruemus primò. Pretium alicuius rei duplex esse, aliud legale, taxatum, scilicet à lege, aliud verò naturale, quod res iuxta propriam bonitatem, & vtilitatem, quam affert censetur valere. Et quidem, si iuri naturali stemus, non est dubium, quin aduocatus pro suo patrocinio possit accipere pretium commensuratum suo labori, & industriæ, non quantum à litigāte extrahere posset, sed moderatum vt diximus, considerata qualitate negotiorum, locorum, & personarū, ac consuetudine patriæ, Quia licèt in rebus pretiosis, quæ vsibus humanis non sunt necessariæ, vt gemmis, & lapillis, possit quis tantum accipere, quantum valet extorquere, in rebus tamen necessariis, vt pane, vino, &c. etsi pretiosissimæ sint, non licet extorquere quantum possit, sed pretium moderatum, huiusmodi est patrociniū aduocati, Quod si pretium aduocati, lege, quæ iusta sit, & in viridi obseruantia, taxatum sit, consister illud in indiuisibili, ita vt excedere illud sit iniquum, & restituendum, sicut quando venditur triticum vltra pretium constitutum à lege. Et in hoc omnes cō ueniunt tàm Theologi, quàm Iurisperiti.

Cæterum, quia dubitatur ab ipsis de iustitia legum; quæ aduocatis pretia taxant, sunt à nobis hoc loco explicandæ.

Vbi obseruemus secundò, quatuor esse in Castellæ leges, circa aduocatos. Prima est, quàm Reges Catholici edidere, anno 1545. & habetur lib. 2. Recompilationis factæ sub Philip. 2. tit. 16. [De los Auogados] l. 21. in qua habetur, vt aduocatus in Regio prætorio, & Cancellariis pro petitione ordinaria, vocant, [Suplicacion o scriptura,] Duos tantum recipiat argenteos. Si verò petitio fuerit magni momenti, & in qua multum laboris, & operæ adhibitum est, taxetur pretium aduocato à Iudice illius causæ, ita vt Aduocatus propria authoritate nil addat illis duobus argenteis. Quamuis lex ista non cogat iudicem ad taxandum pretium, sed quod possit taxare, qua de causa sæpè iudices relinquunt illud aduocato, & litiganti, vt ipsi inter se conueniant.

Secunda lex est, quæ loquitur de stipendio, dicitur, [Salario del pleyto;] Quæ statuit ne possit accipere stipendium, quod excedat vigesimam partem summæ, de qua est lis, vigesimā verò partem accipere possit, modò non excedat quantitatem 3000. dipondiorum, ita vt hoc stipendio præstet illa omnia. quæ fidelis aduocatus præstare debet in toto progressu causæ. Ita habetur lib. 1. Fori. tit. 9. l. 1. Et lib. 2. Recompil. tit. 16. l. 18. 19. & 20. Loquitur que cum aduocatis, qui sunt supremo Senatu, vel Cancellariis, aduocatis enim aliorum tribunalium solum concedit dimidium huius stipendii.

Tertia lex pertinet ad stipendia annua, dicuntur, [Salarios o quitaciones.] Quæ statuit, ne recipiant aduocati talia stipendia, quin prius à Præsidente, & aliis Senatoribus taxentur iuxta facundiam aduocatorum, & negotia, quæ probabiliter illis in progressu anni occurrent, ita vt hoc stipēdium annuum prudenter æquetur quantum fieri poterit, cæteris stipendiis particularibus, quæ in progressu anni ex causis illius hominis recepturus esset: Habetur hæc lex eod. tit. lib. 2. Recompilat. l. 10.

Quarto loco existunt leges 19. & vltimæ eiusdem tit. vbi præcipitur iudicibus tàm supremi Senatus, quàm Cancellariæ, quam iudicibus Cantabriæ, & nobilium, vt nulla munera recipiant, neque in parua quantitate, neque esculenta, neque poculenta, neque ipsi, neque filii, vel vxores eorū, ab his, qui habent litem in suis tribunalibus, vel probabiliter iudicantur habituri, neque ab aduocatis, procuratoribus, vel relatoribus eorundem tribunalium: sub pœna priuationis officii, & reddendi accepta in quadruplum.

Comprehenduntur in eadem lege scribæ eorundem tribunalium. [Los secretarios,] Procuratores, Fiscales, & Relatores, l. 56. libro 2. Recompil. titul. 5. Et in multis ll. ibidem citatis. Quin & cæteri iudices lib. 3. Recompilat. titul. 5. l. quinta, Aduocati verò præcipitur l. illa 19. li. 2. Recompil. titul. 16. ne præter illa stipendia, quę diximus, aliqua

aliqua munera accipiant, neque illa, quæ dicuntur [Albricias.] præter esculenta, & poculenta, & hæc in parua quantitate.

In hoc nostro Regno Valentiæ iuxta leges Iacobi primi, cap. 66. priuileg. & Iacobi secundi, c. 67. eorundem priuileg. erant antiquitus assignata aduocatis hæc stipendia, vt in causa 100, morabat. vel infra vsque ad 30. morabat. reciperet 30. ss. & non vltra. Si infra 30. morabat. reciperet 10. ss. Si excederet 100. morabat. vsque ad 500. reciperet 60. ss. Si verò excederet vltra 500. Cuiuscũque quantitatis esset, 100. tantum solidos reciperet, & non amplius. Deinde verò lege Martini Regis anno 1403. quæ habetur cap. 105. legum huius regni, fuit cõstitutum, vt qui non recipit à suo clientulo annuum stipendium, vel non conuenit cum eo de stipendio initio litis, recipiat, quod à iudice illius causa fuerit taxatum.

Circa has leges dubitatur in primis.

CONTROVERSIA I.

AN ADVOCATVS RECIPIENDO *pro petitione ordinaria vltra pretium taxatum à lege, peccet contra iustitiam, & teneatur ad restituendum.*

HÆc controuersia potissimè tractatur propter legem illam, qua præcipitur Castellę, ne Aduocatus pro petitione ordinaria recipiat plus, quã duos argenteos, quam multi aduocati putant non obligare in conscientia.

Primò, lex iniusta non obligat in conscientia, quia potius est corruptela, quàm lex, ex D. Thom. 1.2. quæst. 60. art. 5. & habetur can. Erit autem lex, dist. 4. sed hæc lex est iniusta. Probatur, iustum est, vt vnicuique reddatur præmium, & stipendium æquale suis laboribus, ita dicebat D. Thom. supra quæst. 58. artic. 11. [Hoc autem dicitur esse suum vniuscuiusque; quod sibi secundum proportionis æqualitatem debetur.] At duo argentei vilissimum pretium est, & inæquale studijs, & laborib. quibus vtitur Aduocatus in componenda petitione aliqua.

Secundò, Pretium iustum rerum variatur pro mutatione temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum, l. pretia rerum, ff. ad l. Falcid. ita videmus pretia tritici, & aliarum rerum ipsis legibus mutata esse, ergo & pretium petitionis ordinariæ, quamuis à principio esset sufficiens, & iustũ temporibus autem adeò mutatis, & pretijs aliarũ rerum, quibus indigent Aduocati, & quas in dies carius emunt, debuit etiam mutari, nec manere adeò infirmum, & vile.

Probatur consequentia, eo quòd res humanæ, ita dispositæ sunt, vt aliæ ex alijs pendeant, & ad conseruationem vnius aliæ necessariæ sint. Aduocatus indiget calceo, pane, &c. Videtur ergo iniquum, vt pretia panis, vini, calcei, &c. aucta sint, pretium verò aduocati non augeatur.

Tertiò, lex illa est in perniciem Reipub. Probo, Officium aduocati est maximè necessarium Reipub. at si illa lex obseruetur debeatque aduocatus officium suum decenter exercere, & sustinere statum in illo honore, & decentia, quàm ipsemet leges exigunt in illo.

Quartò, cum inter petitiones ordinarias quædam sint parui momẽti, & laboris, aliæ multò maioris, lex omnibus taxans idem pretium; non seruat æqualitatem, & consequenter est iniusta, huiusmodi autem est lex ista de duobus argenteis. Ergo non obligat in conscientia. Et confirmatur. Lex ista concedit, vt in causis magni momenti, & multi laboris, possit aduocatus plus accipere, ratione illius maioris laboris, sed in petitionibus ordinariis sunt quædam maioris momenti & laboris, licebit ergo in illis accipere vltra 2. argenteos: probo cõsequentiam ex communi proloquio Iurisperitorum: [Vbi eadem est ratio, eadem quoquo debet esse dispositio iuris.] Et Glossa in l. 1. Cod. de condi. indeb. & Decius in l. pen. ff. de reg. iuris habent. [Quod lex disponit in vno casu, censenda est in consimilibus disponere.]

Quintò si lex illa haberet vim, certè quia posita in noua recompila: Regis Philippi, at hoc nullam illi adhibet vim, nec propterea obligat nunc magis, quàm antea obligaret. Probo; quia multę sunt leges antiquæ positæ in ista noua Recompilatione, quæ tamen tanquam iniustæ correctę sunt per alias, v. g. Lex 9. lib. 5. titul. 7. non est obseruanda, sed per legem 10. sequentem corrigitur. Et eodẽ lib. l. 3. tit. 8. [De las herencias.] Vbi conceditur patri, vt possit donare filiæ nomine dotis quotã, & tertiam partem, non est obseruãda, sed est correcta eodem lib. tit. 1. l. 1. Et lex 3. lib. 8. tit. 8. [De los reptos y desafios.] Est omnino sublata per Cõcil. Trid. sess. 25. cap. 19. Denique etiam si lex illa iusta esset, per contrariam consuetudinem est abrogata, cum à nullo ferè aduocato obseruetur. Quo etiam modo est abrogata lex 17. eiusdẽ lib. tit. 3. [De lo que han de auer los hijos dalgo,] quia non obseruatur.

Oppositum docent omnes Theologi, & plerique Iurisperiti, quin & multi Aduocati timentes Deum, asserentes legem istam iustam esse, & consequenter obligare in conscientia: quibus & nos subscribimus.

Et ad maiorem intelligentiã obseruemus: Imponere pretia rebus venalibus pertinere potissimè ad Principem, & Gubernatorem Reipub. l. 1. §. Cura carnis. ff. de officio præfect. vrb. Quia si arbitrio vendentium pretia rerum relinquerentur, vnusquisque augeret pretium suæ mercis quã tum posset cum damno Reipub. Quod maximè obseruandum est in rebus plurimum necessarijs conuictui humano, vt in pane, vino, carnibus, &c. inter quas computandum etiam est patrocinium aduocati.

Obseruemus secundò pretium legis non posse, ita adæquatum esse, vt in nullo excedat, vel deficiat à pretio naturali ipsius rei: Etenim cum res venales, & eiusdem speciei adeò inter se differãt, oporteret tot pretia, & leges constituere, quot sunt rerum indiuidua, quod cum impossibile sit, iudicanda est iusta taxatio pretii, quãdo arbitrio prudentum in illa arte, & qualitate rerum, & locorum, diligenter attẽta, ac varijs euentibus, iuxta ea, quę frequentius accidunt, imponitur moderatum quoddam pretium, non illud quod præstãtissimæ res in illo genere valent, nec quod inferiores, sed medium quoddam. Et quando iam tale pretium maturè, & prudenter per legem impositum est, consistit in indiuisibili, ita vt res illæ maiori pretio vendi non possint, quamuis sint in eo genere optimè, & pretiosæ. Ita D. Thom. supra q. 57. art. 2. ex Arist. dicente. 5. Ethic. [Legale iustũ est, quod à principio nil refert sic, vel aliter fiat, quãdo autem iam impositum est, multum refert, an aliter fiat.

CON-

CONCLVSIO I.

Aduocatus qui durante illa lege 21. accipit pro petitionibus ordinarijs plus, quàm duos argenteos, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere illum excessum.

PRobatur ratione iam facta. Lex ciuilis iusta obligat in conscientia, sed hæc lex est iusta, cum sit facta à Principe habente authoritatem, & habito consilio senatorum, qui sunt periti in negotiis, & litibus, & norunt probè labores, & industrias, ac studia aduocatorum, Et maximè necessaria bono communi, quia nisi esset pretium taxatum à lege, acciperent aduocati pretia immoderata ex verecundia litigantium, cupiditate vincendi, qua accensi nullus parcunt expensis, modò euadant victores (vt dimittamus interim cupiditatem ipsorum aduocatorum) vnde obligat in cõscientia, & qui aliter agit peccat contra iustitiam, & tenetur restituere.

Secundò, Etiam si modò esset magna fames in populo, qua triticum redderetur pretiosissimum, qui venderet illud vltra taxationem legis, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restituendũ, ergo etiamsi demus aduocatis, petitiones modò esse maioris valoris, quàm tempore Regum Catholicorum, nihilominus non possunt excedere pretium legis.

Tertiò, Multæ petitiones fiunt quoque ab aduocatis, quæ non valent, nec vnicum argenteum, iudicant tamen ipsi tuta conscientia se recipere duos, quia lex taxauit hoc pretium, ergo similiter, etiamsi aliquæ plus valeant, pretium iustum illarum erunt duo tantum argentei, cum lex ita constituerit. Non enim debet lex singulis rebus sua pretia taxare, sed illud quod omnibus magis accõmodetur, & quo posito quod videtur in vna re deficere, in alia recipiatur.

Quartò, Licèt ego possem seruare triticum vẽdendum tempore quo carius vendatur, potest Princeps ob bonum commune me compellere, vt vendam illud modò pretio currenti, sed ad bonũ Reipub. spectat, vt lex ista, ita seruetur, ergo cum sit constituta à Principe obligat in conscientia.

Probatur minor, quia inter litigãtes multi sunt pauperes, qui si maius pretium deberẽt reddere, plus damni reciperent ex expensis, quàm vtilitatis ex lite, etiam si euaderent victores. Nec est cõmittendum aduocato, vt à diuite plus acciperet posset, quàm à paupere, cum in propria causa nemo sit æquus iudex, nolentque patrocinari pauperibus, si ab illis minus essent accepturi.

Quintò, fatentur ipsi aduocati teneri iudices in foro exteriori ad iudicandum secundum istam legem, & condemnare aduocatum vt restituat, ergo lex ista iusta est. Probo consequentiam, quia ex D. Thom. sup. q. 60. art. 1. ad 1. iudex non debet iudicare, iuxta legem iniustam, cum lex iniusta non sit lex, sed corruptela.

Denique in hac parte sũt variæ opiniones, quidam enim aduocati existimant legem istam non obligare, Theologi verò omnes, & Iurisperiti, & nonnulli etiam aduocati contra sentiunt, in re autem dubia non debent esse iudices ipsi aduocati, cum nullus sit in propria causa æquus iudex: imò in re dubia iudicãdum est in fauorem legis ex D. Th. m. 1. 2. quæst. 69. art. 9. ad 2. vbi ait:] Si dubtũ sit, an in casu particulari lex obliget, debet quis, aut legislatorem consulere, aut secundum verba legis agere.] Quod quod ferunt viri grauissimi, Regem consultum esse de hac lege, & illam confirmasse.

Conclus. posita intelligenda est præcisè de petitionibus ordinarijs, nam si aliquis alias operas impendat aduocatus in progressu causæ, debetur illi merces pro ratione eorum, quæ præstat, ita vt neque in illa excedat.

CONCLVSIO II.

Si pro petitionibus extraordinarijs, & in causis magni momenti aduocatus plus accipiat quàm duos argenteos propria authoritate, si non excedat pretium, quod illi taxaretur à iudice, non tenetur ad aliquid restituendum.

PRobatur. Aduocatus in hoc casu accipit stipendium sibi debitum ab eo, qui debet, nullam ergo facit illi iniuriam neq; iniustitiam, ergo non tenetur ad restituendum. Et confirmatur. qui rem suam accipit ab alio, quam debebat apod iudicem exigere, potest quidem peccare eo, quod propria authoritate acceperit, quæ authoritate iudicis debebat accipere, non tamen tenetur ad aliquid restituendum: Aduocatus autem in hoc casu accipit tem suam, ergo quamuis possit peccare eo, quod accipiat propria authoritate, non tamen tenebitur ad aliquid restituendum.

CONCLVSIO III.

Si iudex paratus sit taxare pretium aduocato pro petitione extraordinaria, peccat mort. aduocatus accipiens illud propria authoritate. Quod si iudex nolit illud taxare, vel agrè, & morosè nimiè illud taxet, non peccat aduocatus accipiendo illud moderatum, & quod iudex reuera taxasset.

PRobatur prior pars, Quia lex ista præcipit, ne aduocatus illud accipiat propria authoritate, & meritò, Non enim decuit arbitrio aduocati illud relinquere, cum in propria causa facilè homines decipiantur.

Secundò, vsurparet sibi officium iudicis, quod est iniquum. Sed contra hanc partem obiiciunt aduocati, ipsos non ita agere ex legis contemptu, sed quia iudex non potest commodè taxarur pretium.

Primò, quia vel est in alio loco, vel si in eodem multis causis occupatur, patiturque damnum aduocatus ex illa mora.

Secundò, quia vt taxet: rectè pretium, debet videre totũ processum, & labores aduocati, quod vix potest; & hac de causa aduocati postulant à litigante, id ipsum, quod reuera iudex taxasset. Qui verò non agit contra legem ex contemptu legis, sed ex iusta causa, non peccat ex D. Thom. inf. q. 189. artic. 6.

Tertiò, hæc lex quo ad hanc partem, cum difficile obseruari possit moraliter est cẽsenda impossibilis, cum in moralibus appelletur impossibile, quod est maximè difficile, lex autem impossibilis non obligat. can. Erit autem lex. dist. 4. Sed hæc facilè diluuntur: Incõmoda enim legis, quæ sese offeruut

afferunt subdito, non deobligant illum ab obedientia legis, nisi obseruare illam sit contra salutem, vt docet idem D.Thom. 1. 2. loco cit, Sed solum licet subdito illa incommoda proponere Legislatori, si commodè possit, sin minus debet obedire: In hoc autem casu Rea Philipp. consultus, legem istam confirmatur, Adde illa incommoda nulla esse nam in causis magni momenti iudea in eodem loco existit, & aljs leuiotibus dimissis illa attendit, diligenterque vidit processum ad rectè iudicandum, & labores simul, ac industrias aduocati.

Nec valet. Quod afferunt, difficile taxari pretium à iudice, esse quæ laboriosum, id expectare, quia si ex quacũque difficultate, & labore liceret leges transgredi, multæ sunt leges tam diuinæ, quàm humanæ ista difficiliores, quas tamen non licet propterea violare: Minus valet, iudices immorari, propterea enim affirmamus in altera parte conclus. Quando iudex ægrè, & morosè nimia se habet in taxando huiusmodi pretio, tunc posse aduocatum accipere illud moderatum.

Primò, quia mora, & culpa iudicis non debet Aduocatus pati damnum.

Secundò, quia non est animus legis, vt Iudex, ita morosè taxet pretiũ, vt aduocato mora illius noceat. Vnde in hoc casu Aduocatus iste non agit propriè contra legem; imò nec agit contra iuramentum de seruandis legibus, & ordinationibus, cum lex ista hoc modo sit accipienda, vt ne iudex sua mora noceat aduocato.

Nunc ad argum. initio proposita. Ad primum respon. non esse vile pretium, cum in istis petitionibus ordinarijs parum laboris communiter recipiant, quod si aliquæ sint quæ aliquem laborẽ afferunt, aliæ sunt quæ ferè nullum. [Vaya lo vno por lo otro.]

Ad secundũ dico, in aliis rebus variatum esse pretium legale authoritate eiusdem legis, adhibita matura consideratione, & docente experientia, ita oportere: at in pretio aduocati nil lex mutauit, sed illud reliquit intactum, habita etiam diligenti super ea re Principum, & Senatorum deliberatione, Quod patet: primò, Quia lea illa ne aduocatus recipiat vltra vigesimam partem summæ quantitatis litis, ita vt illa non excedat quantitatem 3000. dipondiorum, non est mutata multis temporibus, nec propterea cõqueruntur aduocati, vel damnant illam.

Secundò, lex illa 10. ne recipiant aduocati annua stipendia, nisi fuerint taxata, quia molesta erat, & voluit princeps illam corrigere, corrigitur eodem loco leg. 12. vt sufficiat singulis annis proponere aduocatum præsidi, & auditoribus stipendia, quæ habet, at hanc l. 21. de duobus argenteis nõ mutarunt, vel in minimo iota. Nec valet quòd dicunt legem illam de annuis stipendiis potuisse, ita corrigi, legem verò de duobus argenteis non potuisse, hoc enim ridiculum est, cum facillimum fuerit principi aliquid illi addere, vel detrahere, si vidisset expedire. Et meritò nulla facta est mutatio in ista lege.

Primò, quia etsi tempore Regum Catholicorũ, quando fuit edita, duo argentei erant maius pretium quam nunc, attamen illo tempore non erat centesima pars litium, quæ modo est, quo fit, magis lucreutur nunc manente eodem pretio, quàm tunc. Dicunt aduocati, creuit numerus causarũ, creuit, & numerus aduocatorum. Sed contra hoc dico in primis, etiamsi creuerit numerus aduocatorum, nihilominus vnicuique plures se nunc offerre causas. Præterea sicut in aliis rebus abundãtia reddit eas viliores, ita eo ipso quo tot abundant aduocati, debent stipendia eorum viliora esse, & consequenter, meritò etsi pretia aliarum rerum mutata sint: stipendia autem eorum nõ sunt lege mutata.

Ad tertium respondeo, officium aduocati esse quidem necessarium Reipub. sed ipsum non esse ministrum Reip. sed solum litigantium. Quo circa non debet Respub. illorum statum sustentare, sicut iudicum. Sed sufficit taxet illis pretiũ, quod à litigantibus accipiant. Et quemadmodum cum imponit pretium tritico, vel aliis rebus, non curat dignitatem, vel statum ementis, aut vendẽtis, sed solum ualorem tritici, ita quando constituit pretium aduocati, non curauit dignitatem, vel statũ illius, sed solum valorem patrocinii.

Dico secundò, Aduocatos præter istas petitiones ordinarias, alia præstare in suo munere verbo, vel scripto, quibus multum lucrãtur, & suum statum sustentare valent, ex petitionibus enim ordinariis solis nunquam tot cumularẽt opes, quot videmus in illorum domibus abundare.

Denique licèt debeat status eorum honorificus esse, non tamen in eo faustu, & pompa, quam videmus eos appetere, volentes attingere, & excedere faustum nobilium, & magnatum, moderentur sumptos superfluos, & sufficient stipendia taxata illorum statui.

Ad quartum dico, illud argum. fauere nostræ sententiæ, Etenim cum ex istis petitionibus quædam sint maioris laboris, aliæ minoris, non debuit taxare lex diuersa pretia, omnes enim iudicarent aduocati laboriosas, sed taxatum est pretiũ quasi medium, & moderatum inter illas, quod illarum valorem parum plus, vel minus attingit.

Ad quintum respond. illud quoque fauere nobis: tũ eo ipso quo quædam leges ea antiquis correctæ sunt, hæc verò de pretio aduocatorum non est correcta, nec in minimo immutata, ostẽditur, velle legem illam in sua vi, & robore permanere. Quod pertinet ad legem de duello. Illa non approbat duella, sed tantum præscribit qua ratione esset de illis iudicandum, quando permittebantur, vnde deficit modò illa lex, quia deficit materia, circa quam versetur, at nõ deficit materia, circa quam versetur lea ista aduocatorum.

Ad vltimum dico, multos aduocatos peritos, & timentes Deum illam obseruare, quod si qui ex his nõnunquam aliquid vltra duos argenteos accipiant, accipiunt illud non pro petitione illa ordinaria, sed pro aliis operibus, quæ præstant litigãti, quod diximus licere. Quod verò aliqui accipiant vltra istos argenteos pro sola petitione, mirum nõ est, cum multi quoque sint, qui contra legem naturalem, & diuinam operentur. [Multi enim sunt vocati, &c.] Nec valet, quod aliqui dicunt, ab hac lege esse ab aduocatis supplicatum, & appellatum.

Hoc enim confirmat nostram sententiam. Quia si ab illa lege supplicatum est, vt dicunt, cum proposita ista supplicatione Regi, & ipsius consilio mutata non sit, eo ipso manet magis confirmata. Multò minus valet, Regem non ignorare multos aduocatos agere contra istam legem, & tacere: quasi videatur consentire. Quia similiter dicam, nosse Regem querelas aduocatorum, nec propterea mutasse legem.

Secundò dico expedire multoties, vt aliqua superiores dissimulent, iuxta illud D. August. 1. de lib. arb. [Lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur,

tur, multa cōcedit, atque impunita relinquit, quæ per diuinam prouidentiam vindicantur.]

Dico tertiò proculdubio punirentur aduocati, si litigantes illos accusarent, & compellerentur à iudicibus restituere: nō tamen proceditur in hoc ex officio, quia non expedit, vt colligitur ex l. s. §. fin. ff. de vari. & extra ordin. cognit.

DE PARTICVLARIBVS stipendijs causarum.

CIrca legem secundo loco positam de stipendio litis, quæ est 18. obseruandum est, differre illam à lege illaque tertio loco posita est, quæ est 10. ita vt lex illa 18. loquatur de stipēdijs, quæ pro singulis causis potest recipere aduocatus: lex verò decima de stipendiis annuis, quæ potest recipere pro occurrentibus in anno. His leges ita distingui patet primò, quia pretium de quo l. 18. sumitur aliquando ex vigesima parte litis, nec oportet taxari illud à iudice pretium verò de qua l. 10, est taxandum à iudice: Secundò, pretium de quo lex 18. non potest recipere aduocatus nisi finiatur lis, vel eo modo quem lex ibi præscribit, at pretium, de quo l. 10. recipitur etiamsi nulli liti patrocinetur modo nō steterit per ipsum: cui consonat l. Qui operas §. Aduocati. ff. Locati. & l. fin. C. de condit. ob causam. Tertiò, si aduocatus cœperit iam videre scripturas sui clientis non potest conuenire cum illo de stipendio, de quo lex 18. vt habetur l. 7. eodem tit. Et can. infames, §. Præterea 3. quæst. 7. Quia visis scripturis, iam est, vt dicemus, quasi captus cliens. At verò de pretio, de quo l. 10. possunt conuenire aduocatus, & cliens, quādo eis libuerit. Quartò, si cliens & aduocatus cōuenerint in stipēdio, de quo l. 18. debet solui quarta pars in principio litis, annuum vero stipendiū, de quo l. 10. quando & quomodo ipsis libuerit.

Denique si aduocatus deserat causam iam inceptam, tenetur restituere clienti stipendium, de quo l. 18. eo modo, qui explicatur l. 22. at stipendium, de quo l. 10. potest aduocatus recipere, & si causam deserat pro rata portione, sicut famulus stipendium pro rata temporis, quo seruiuit. Hoc posito, l. istam 18. loqui de peculiari stipendio singularium causarum, cum in illo possint conuenire aduocatus, & cliens inter se, videamus.

QVAE CONDITIONES seruandæ sint in stipendio, quod recipit aduocatus ex peculiari aliqua causa, & lite.

VAriæ assignantur in huiusmodi stipendio cōditiones, tàm in iure communi, quàm in particulari Castellæ: Prima est cuius iā meminimus, vt cōuentio fiat antequam videat aduocatus scripturas, & merita causæ. Hæc habetur loc. cit. eodem tit. l. 7. cuius ratio est, quia illis visis, manet litigans quasi coactus ad conueniendum cum illo, ne fortè si ipsum deserat, patrocinetur contrario, aperiatque illi secreta causæ: Est quidem hæc cōditio honesta, sed non obligat ad restitutionem, si post inceptam causam conueniant, & pretium in quo conueniunt moderatum sit, & iustum: Imò hæc conditio vix seruari potest, quia aduocatus, vt videat primò an causa illa sit iusta, & suscipienda, secundò, quo labore & studio in ea opus sit, & quod pretium mereatur, debet necessario videre prius scripturas, & merita causæ.

Secunda conditio est, ne fiat pactum de quota litis, id est, vt detur illi quinta pars, vel quarta, ita habetur l. litem C. de procur. l. sumptus, ff. de pactis, l. si qui. Cod. de postul.

Tertia conditio. Ne paciscantur, clientem daturum aduocato Palmarium i. aliquid vltra stipendium pro palma, & victoria litis, ita colligitur ex l. sumptus, ff. de pactis, & ibi Glossa. Et ex l. 1. ff. de vari. cognit. Et meritò præcipiuntur hæ duæ conditiones, ne aduocatus cupiditate quotæ litis, vel palmarij niteretur per fas, vel nefas obtinere victoriam. Quamuis Sylu. verb. Aduocatus. §. 19. & Nauar. suo Manu. cap. 25. nume. 30. sequentes Alexan. & Salyc. in ista l. sumptus, volunt posse recipi palmariū in parua quantitate, Sed leges omnino id videntur prohibere, & ratio istarum legum, ne fraude, vel dolo captet aduocatus victoriam, illud omnino negat.

Vltima conditio est, ne aduocatus aliquid accipiat pro assecuranda victoria, nec suscipiat litem agendam suis expensis, sequeretur enim idem incommodum, vt quacunque via, & fraude niteretur vincere. Hæ cōditiones saltim Theologorum consensu, ita seruandæ sunt, vt si contra aduocatus aliquid recipiat, teneatur ad restituendū, præter illam primam, de conueniendo ante inceptam litem, vt dictum est. Similiter, si quid recipiat vltra vigesimam partem, & summam 3000. dipondiorum, tenetur illud restituere, nec vllo titulo potest aliquid vltra accipere, quia apertè habet lex, vt pro stipendio præstet, quidquid debet fidelis aduocatus, Vbi non significo, posse in quacunque lite accipere vigesimam partem, sed non posse vltra vigesimam, sed infra, pro ratione causæ. In quo nunc dissident à nobis aduocati.

DE STIPENDIIS Annuis.

CIrca legem, Tertiò loco positam, quæ est 10. & pertinet (vt constat) ad stipendium annuum obseruandum est in primis. [Non teneri aduocatum propter stipendium annuum patrocinari causis particularibus occurrentibus nisi conferatur illi aliud stipendium, de quo lex 18. Probatur primò, Quia lex ista 10. non obligat aduocatum, vt pro isto stipendio annuo faciat, quicquid debet fidus aduocatus, vnde vt id faciat aliud stipendium peculiare meretur: illud certè de quo lex 18. Secundò, quia stipendia annua sunt exigua, nec excedunt 2000. vel 3000. dipondia, pro quo stipendio obligare aduocatum ad omnes causas occurrentes, esset graue, & inæqualitas.

Sed objiciens, habetur in ista lege, vt in taxatione istius pretii habeatur ratio causarum, quæ verisimiliter in anno occurrere possunt, vnde videtur lex obligare aduocatum sub illo stipendio ad omnes causas occurrentes. Dico legem istam seipsam explicare. Habet. n. in sententia: [Quia aduocati in fraudem legis, quæ imponit pretia patrocinijs, (nempè legis 18.) Hæc stipendia annua recipiunt, vt accipiant, quod non possunt per leges, ne huiusmodi fraudes contingant, iudices taxent illis stipendia, ita vt computatis in vnum stipendijs, quæ pro singulis causis accipiūtur, & hoc

annuo

annuo stipẽdio, reddatur quantom possibile fuesit aduocato iustum illud stipendium, quod pro qualibet lite potest accipere.] Quo fit, vt aduocatus, ab illo à quo recipit annuum stipendium, nõ possit tantum accipere, quantum ab alijs extraneis, cum illud sit, quædam pars pretij particularis causæ.

Secundò, quia hoc stipendium annum recipit aduocatus, siue sint lites, siue non: si ille igitur occurrant, debet in illis annuum illud stipendium computare in partem. Nec sunt audiendi, qui dicunt dari hoc annuum stipendium aduocato, ne possit patrocinari parti contrariæ: hoc enim esset iniquũ, & ad quod, nec potest aduocatus obligare se ipsum, cum possit accidere, vt teneatur patrocinari parti contrariæ: sed illud suscipit, vt patrocinetur illi parti in causis occurrentibus, & in partem stipendij earum, quæ occurrent, per accidens autem est, quod non patrocinetur parti contrariæ.

Obseruandum est. Secundò, quæ hic dicimus, annuum stipendium non esse integrum pretium causarum particularium, quæ occurrent, intelligenda esse, quando aduocatus conuenit de illo pretio annuo, cũ viro experto, cui perspicuum est hæ conuentiones annui stipendii, quod efficiant: etenim si contrahat aduocatus cum rustico, tenetur illum admonere, præter annuum illud stipendium, si causę particulares occurrant esse quoque ipsi pro illis stipendium reddendum, quia aliter rusticus ille cum sit ignorans. existimabit pro illo solum stipendio annuo esse sibi patrocinãdum in quacunque lite occurrente, nec aliter forsan stipendium illud conferret, sed esset inuoluntarius, propter quod tenebitur in causis illius, vel pro illo solo pretio agere quod debet fidus aduocatus, Quia in omni contractu iudicandum est semper, contra eum qui potest, & debet explicare ea, ad quæ seipsum obligat, nec explicauit.

Obseruandum est tertiò, Aduocatum recipientem annua stipẽdia nisi à iudicibus tacitè, vel expresè approbata fuerint, peccare, quia agit contra legem iustam, tenerique ad restituendum acceptum quando in nulla adhuc lite illi clienti patrocinatus est, quia nullus est titulus quo possit illud accipere. Quod si iam in aliqua causa illi patrocinatus sit, quæ merebatur tale stipendium, nõ tenebitur, sicut diximus in petitionibus extraordinariis. Denique ex dictis fit, Quando leges præcipiunt ne aduocatus recipiat aliquid vltra pretium taxatum, neque xenia I. albricias, vt habetus l. 29. eiusdem tit. intelligendum esse, non de pretio annuo, sed de illo peculiari, quod confertur pro causis particularibus, de quo lex illa 18. lex enim illa 29. referenda est, ad proximiorem, præcedentem illam, qualis est lex 18. & non l. 10. quæ ab illa 29. longius distat.

DE DONARIIS, ET MVNUSCULIS, quæ conferuntur iudicibus, & Aduocatis.

IN legibus quarto loco positis de donarijs, & munusculis duo continentur, vnum est ne talia accipiant, alterum verò, vt accepta teneantur restituere in duplo, aut quadruplo, & suspendi ab officio. Quod spectat ad has pœnas Soto lib. 1. de iust. q. 9. artic. 9. ad 4. arbitratur ministros iustitiæ ante vllam condemnationem teneri ad luendas has pœnas: existimat enim pænas istas conuentiones potius esse quàm pœnas, ita vt qui vult officium illud sub hac conditione illud suscipiat. Cui fauere videtur l. vlt. lib. 2. Ordi. tit. 3. vbi positis illis pœnis additur: [De maneta que desde luego sea obligado in foro cościentiæ à pagar la dicha pena.] Sed communis sententia recentiorum, licet fateatur leges istas, quo ad aliquid esse conuentionales, quo ad pœnas tamen docet esse verè pœnales, & ita non obligare donec adueniat condemnatio, particulam verò quam addit lex ista Ordin.] in conscientia, an possit lex humana apponere dubium est, nec receptum ab ipsomet Soto, saltim constat non fuisse in vsu, qua forsan de causa non est addita in noua Recompilatione.

Maior difficultas est: [An teneantur restituere ea, quæ à litigantibus accipiunt ante vllam condemnatione?] Et quidem licèt certum sit eos peccare mort. cum faciant contra legem iustam, & contra iuramentum de non accipiendis istis muneribus, nihilominus stando in iure naturæ certũ etiam est, non teneri ad illa restituensta, si gratis, & liberè ipsis conferatur, cum nil iàm naturale, quàm voluntate domini, dominium suarum rerũ in alium transferri. Tota ergo difficultas est, [An stando in iure humano teneantur ad ista restituenda ?

Multis videtur non teneri ad restituendum. Primò, leges quæ obligãt ad restituendum accepta, continent hæc verba: [Vt accipientes illa sint inhabiles ad illa accipienda,] vt videre est in legibus pertinentibus ad filios illegitimos: at hę leges aduocatorum, solum habent ne fiant istæ donationes, non tamen habent vt sint inhabiles ad illa accipienda: ergo.

Secundò, istæ leges sunt pœnales, ergo non obligant ante condemnationem. Quod si pœnales non sint quo ad hanc partem ne recipiantur munera, saltim fundantur in falsa præsumptione iuris: prohibent. n. illud, ad moderandam auaritiam ministrorum, & ne fiant inuoluntariè, sicut communiter fiunt, quando ergo deerit hæc præsumptio iuris, ita vt moderatè fiant, & omnino liberè, & gratis, poterunt tuta conscientia retineri.

Tertiò, iudicibus & aliis habẽtes stipendia Reipub. hoc prohibetur, quia iam habent illa stipendia, ergo aduocati, & alii ministri, qui non habent publica stipendia Reipub. poterunt illa accipere.

Alii ex discip. D. Thom. distinguunt ea, quæ donantur aduocatis, & ministris iustitiæ, ita vt quædam donẽtur per modum liberæ donationis, quæ vocamus. [Præsentes,] alia verò, quæ & si gratis dentur, dantur tamen ratione pretii, & stipendii sui laboris, vt si daturus scribæ 2. argenteos cõferat illi 3. vel 4. etiam si scriba dicat sibi non deberi nisi 2. Hoc posito dicunt hi duo.

Primò, per donationes illas primi generis non transferri dominium, sed teneri illàs accepientes ad restituendum ipso facto, & ante omnem condemnationem. Probant primò, Leges conuentionales obligant ipso facto, & ante omnem condẽnationem, vt si maritus legauerit vxori 10. ea lege ne nubat, si nupserit, tenetur ipso facto illa 10. restituere: sed leges impedientes istas donationes sunt conuentionales, continentes hoc pactũ, vt qui vult esse minister iustitiæ, sub illa conditione illud officium recipiat, ergo.

Secundò, sicut lex irritans contractus popillorum est iusta, & obligans ipso facto: quia ita expedit

pedit ad bonam gubernationem, ne dilapident bona sua, ita hæc lex de non recipiendis donariis expedit maximè gubernationi, & bono communi, ad vitandam cupiditatem iudicũ, & ministrorum, & prodigalitatem temerariam Hispanorũ. Solent enim Hispani temerè bona sua effundere. Et vltra quam possunt iuxta suum statum: tum vt habeantur liberales, cum sint gloriæ cupidi, tum vt euadant victores.

Dicunt secundò, per donationes secundi generis transferri dominium, nec sic accepta ratione stipendii esse ipso facto restituenda, donec aduc niat cõdemnatio: Quod probant argum. præced. opinionis.

Secundò, quia quæ sic accipiuntur, solent esse in parua quantitate, nec afferunt damnum illud, quod afferrent donationes illę primi generis. Denique, quia velle obligare officiales, & ministros iustitiæ, ad hæc minima ipso facto restituenda, esset nimis emungere, & elicere sanguinem, maximè cum id adeò in vsu positum sit, vt lex humana quoad hanc partem iam videatur abrogata.

Alijs, & eruditis quidem viris distinctio hæc non probatur.

Primò, quia ll. istę eodem modo, & eisdem omnino verbis damnant vtramque donationem istã, Vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.

Secundò, cum lex, quę vult concedere aduocatis esculenta, & poculenta in parua quãtitate illud exprimat, si iudicibus scribis, & aliis ministris voluisset lex concedere excessum aliquem stipendii, illud certè expressisset at nil habet, sed oppositum omnino.

Tertiò, sicut expedit bono communi vt per donationem primi generis non transferatur dominium, ita vt neque per donationem secundi generis, ergo eodem pacto erit de vtraque iudicandum. Probatur antecedens, quia si ministri iustitiæ intelligant, se non teneri ad restituendum excessum pretii sibi taxati à lege, nisi condemnatos, accipient in magna quantitate, cum graui damno litigantium, conferrent enim illis maxima dona per modum pretii.

Quartò, Hæc sententia, dicit pugnantia, nam si est stipendium, quo modo est libera donatio, & èconuerso. Denique iuxta illam solis iudicibus quibus Respub. sua stipendia confert, nil liceret accipere, aliis verò liceret, quod est maximum incommodum.

Vnde inferunt authores huius sententiæ probabile esse, quidquid ab his accipitur dono gratuitò, & libero, per quodcumque genus donationis illud conferatur, non teneri ipsos ad restitutionem, nisi adueniente condemnatione, cum ll. istæ prohibeant quidem huiusmodi donationes non tamen reddãt istos officiales inhabiles ad illa accipienda, maximè inquiunt si dentur iam finita lite, quia si in principio, vel progressu litis, reuera, & moraliter nõ dant illa liberè, & gratis, sed quia vident aduocatos, & ministros non rectè prospecturos causæ ipsorum, & sicut debent, nisi collatis donatiis, vnde quasi inuiti illi dant ad redimendã suam vexationem, quod genus inuoluntarii sufficit ne transferatur dominium.

Ego in his opinionibus illud probabilius credo, stando in iure humano ministros iustitiæ, & aduocatos quę legibus istis ipsis prohibentur nullo modo posse recipere, nec retinere, sed ipso facto teneri ad illa restituenda: Cum lex ciuilis iusta, & expediens bono communi, qualis hæc est, habeat vim ad impediendam translationem dominii, etiam si liberè, & omnino voluntariè fiat, vt in primogeniturıs & pupillis, quod verò illam impediat, patet ex l. vlt. a. lib. Ordin. titul. 3. Quin etiam negari non potest, moraliter loquendo, litigantes non conferre ista donaria omnino gratis, sed quia vident ministros, quorum opera indigent, aliter non rectè, & diligenter exequuturos suum munus.

Vbi quatuor hæc obseruãda sunt, Primò, leges scribarum eodem modo esse intelligendas, quo leges aduocatorum, ita vt teneantur ipsi quoque restituere, si quid accipiant vltra iustum pretium. Nec excusantur, quod aduocati nullum stipendium ipsis conferant: hoc enim non concedit eis, vt iustum pretium excedere possint, taxatum verò à lege iustum est.

Secundò, iudices nil omnino posse accipere, cũ omne genus donarii ipsis sit prohibitum, aduocatis verò illa esculenta, & poculenta, quæ in parua quantitate ipsis conceduntur posse, alio nullo modo, Quia quæ ipsis conceduntur à lege, sunt iustũ pretiũ suorum laborum, & munerum, vltra iustũ verò pretium, quidquid accipitur in omni genere contractus, & negotii, iniquè accipitur, & restituendum est.

Tertiò, aduocatos, & aliqs ministros iustitiæ, qui singulis annis suas ordinationes iurēt: si transgrediantur illas quas iurant in particulari, peccare mort. & esse periuros, si verò illas quas iurant in cõ muni, non esse periuros, neq; peccare mort. nisi pro qualitate, & ratione materiæ quam illę ordinationes respiciunt, sic enim censendi sunt illas iurare. Denique obseruã, cõfessarios circa hæc ita debere se gerere, vt quando aduocati, iudices, vel alij ministri ad ipsos accesserint, sciscitētur ab eis, quas prohibitiones ac leges habeant, & an illas seruauerint, vel acceperint aliquid cõtra illas, quibus ab ipsomet pęnitente propositis iuxta doctrinam hic positam iudicabunt ad quid teneantur, Non enim tenentur confessarij scire leges, & statuta omniũ statuum, debent tamen probè nosse, illis à singulis statibus propositis, & indicatis, iuxta regulas conscientiæ, quando vnusquisque in suo statu peccet contra charitatem, vel iustitiã, & quando teneatur ad restituendum, vel secus.

Ad argumenta primæ opinionis. Ad primum dico, non semper oportere, vt lex irritans donationem reddat inhabiles personas, sat est prohibeat donationem tanquam iniquam, & præcipiat statim acceptũ restitui, quo modò se hēt hæc lex.

Ad secundum dico, leges istas qua parte præcipiunt reddi duplum, vel quadruplum, esse pœnales, & ex hac parte non obligare, nisi adueniē te sententia, at qua parte volunt nil accipi vltra stipendium taxatum, non esse pœnales, sed conuentionales, nec niti alicui falsæ præsumptioni, sed æquitati, vt solum recipiatur pretium iustum.

Ad tertium respondeo, leges istas omnes, iudices, & officiales obligare, cũ omnes habeant iam sua iusta stipendia taxata, quamuis maiori vinculo illos, qui publica accipiunt à Repub. Hæc de Regno Castellæ.

In hoc nostro Regno Valentino, quamuis per leges illas quas adduximus Iacob. primi, Alfonsi primi, Petri primi, & aliorum sint taxata pretia aduocatis, vsus tamen habet, vt aduocatus cum litigante possit liberè conuenire, & citra fraudem, vel dolum exigere stipēdium, qui vsus reddit ipsos tutos in conscientia de quocunque stipendio conueniant, modò in primis absit fraus.

Secundò,

Secundò, ne fiat conuentio de cota litis, cũ hoc omni iure sit prohibitum, nec derogatum, quia prohiberetur omnino à superioribus quotiescũque illud deprehenderent.

Tertiò, ne instituatur ante victoriam cẽsus vel quid simile ex stipendio promisso sed solum reddatur, victa lite: quia census debet institui in pecunia numerata, vel quæ iudicio prudentum habeatur tanquam actu numerata, vt vult constitutio Pii V. quæ in hac parte habet vim, & robur, vt videbitur 2. Volum. sequen. agentes de censibus, at quòd promittitur aduocato victa lite, ante victoriam illius, nec pecunia numerata est, nec pro tali tunc habenda.

Scribæ verò, & similes ministri, quibus tàm in curia Ecclesiast. quàm Regia, & sæculari taxatà sunt stipendia, & pretia, non possunt vltra illa aliquid accipere, sed tenentur ad restituendũ quidquid vltra illa acceperint.

Cum hæc multories à superioribus innouentur, & in publico loco curiæ affigantur, quo ostenditur, legislatorem velle illa omnino obseruari, & quidquid vltra recipitur indicare iniustè acceptum.

QVAESTIO LXXII. DE CONTVMELIA.

EX damnis, quæ proximo inferuntur, quædam nocent illi in corpore, alia in bonis, alia verò in honore, & fama. Explicatis his quæ nocent in corpore, vel bonis, agit, modò D. Thom. de his, quæ nocent in honore, & fama. Seruauit autem hunc ordinem, vt prius egerit de damnis quæ inferuntur proximo per actus, & opera, deinde de his quæ inferuntur per verba. Rursum quoniam verbis nocere possumus, aut in iudicio, aut extra iudicium, agit prius de his quæ nocent in iudicio, deinde de his quæ committuntur extra iudicium de quibus hac quæstione, & sequentibus. Sunt autem vitia quæ consistunt in verbis extra iudicium. Contumelia, Detractio, Susurratio, Irrisio, & Maledictio, de quibus nunc differit prætermisit verò infamiam seu Murmurationem, quia Murmuratio qua proximus infamatur reducitur ad hæc vitia velut imperfectum, ad perfectum. Nàm si Murmuratio sit ad dehonorandum proximum in præsentia, ipsius reducitur ad Contumeliam si verò ad denigrandam famam ipsius absentis, reducitur ad Detractionem. & sic de aliis, Primum igitur omnium agendum est de contumelia, quæ in his grauior culpa.

ARTICVLVS I.

Vtrum contumelia consistat in verbis.

OBseruemus primò, dimissis variis significationibus, & æthimologiis harum vocum contumelia, & conuitium de quibus Tristæ ff. de iniuriis, l. prima, & leg. I em apud Labeonem, & Soto lib. quinto, quæst. 9 articulo primo, quæ nil ad Theologum pertinent, contumeliam, & detractionem, quæ sunt præcipuè species iniuriæ, quæ infertur proximo per verba extra iudicium, distingui partim ex obiecto, partim ex modo. Ex obiecto, quia contumelia fert nocumentum in honore, detractio verò in fama.

Vnde quemadmodum honor est cultus vel reuerentia exterior, quæ alicui exhibetur, propter aliquam excellentiam quæ in ipso est, veluti virtutem, scientiam, dignitatem, vel quid simile, fama verò, vt habet Glossa cap. Vestra. De cohabita. clericor. & mulierum est illa sæ dignitatis status, moribus, & vita comprobatus, vel vt communiter diffinitur à Theologis, clara notitia, optimaque existimatio quam de nobis alii habent, Ita quoque contumeliam seu conuitium esse, quo fiecunque alio verbo vel facto læditur frater, in cultu, & reuerentia illa exteriori quæ ipsi debetur.

Detractio verò est quando aliquid dicimus, vel efficimus, quo optima fratris opinio, & existimatio læditur. Rursum sicut fama, & honor nõ sunt semper coniuncta, exhibetur enim quandoque alicui reuerentia, de quo sinistrè iudicamus, & cõtra, rectè de aliquo quandoque iudicamus, cui alii quem honorem non deferimus, quia famulus, vel seruus noster est, ita potest committi contumelia sine detractione, & econuerso.

Differunt secundò, quia contumelia communiter infertur in præsentia, vel cum notitia eius qui conuitiamur: detractio autem in absentia, habẽt .n. se hæc duo vitia in modo sicut rapina, & furtũ.

Obseruemos secũdò, cum honor debeatur excellentiæ fratris, priuemusque illum honore, & afficiamus contumelia quando obiicimus illi, vel manifestamus aliquem defectom, & indignitatẽ, qua excellentia ipsius minuitur: posse huiusmodi defectum vel indignitatem fratris indicari, bifariã: Primò, & regulariter verbis, cum hæc propriè instituta sint ad conceptus animi nostri exprimendos. Secundò, factis, quando vtimur illis tãquam signis, & aliquid facimus in contemptum eius, nitimurque illo facto, vt iudicetur ab aliis indignus honore, & reuerentia. Rursum factis quoq; possumus fratrem contumelia afficere bifariã. Primò per se, & directè, ac immediatè, quod accidit, quando aliquid facimus, quia, & fratrem vilipendimus, & volumus, vt ab aliis etiam contemnatur, vt qui fores domus illius infringit ad

illum dehonestandum: Secundo modo indirectè, & mediatè: non quidem manifestando illo facto aliquem defectum fratris, vel contemnendo illum, sed expoliando ipsum eo bono quo excellat, & cuius causa erat in honore. Vt qui diuitem, qui propter suas diuitias est in honore, illis expoliat, aut qui sapientem, qui ob suam sapientiam erat in pretio lędit in cerebre, hi directè quidem lædunt fratrē in diuitijs, & mediatè, & quasi consequenter in honōre, cum illis damnis priuetur frater eo bono, & excellentia, propter quam erat in honore. Vnde facta quibus alijs nocemus bifariam possunt considerari, vno modo, vt sunt quædam actiones constitutæ in suis proprijs speciebus, alio modo, vt sunt ad dehonestādum fratrem, suntque effectus illius malæ intentionis, & media ad nocendum illi in honore, hoc secundo modo pertinent facta ista ad peccatum contumeliæ, cum fiant ad dehonestandum fratrem, sicut cum quis furatur vt fornicetur, actus ille accipiendi alienum est etiam peccatum fornicationis, priori autem modo pertinent facta ista ad suas priuatas species vitiorum. Verbi gratia infringit quis fores alterius vt accipiat bona eius, hoc factum pertinet ad furtum, infringit verò vt ea ratione frater contemptui habeatur, pertinet ad contumeliam. Similiter percutit quis fustè alium vt illi lędat, hoc factum pertinet ad percussionem, percutit verò animo dehonestandi illum, est contumelia. Sunt autem quædam facta, quæ iam ex hominum vsu non fiunt, nisi in vilipędium proximi, hæc quomodocunque fiant erga proximum, sunt contumeliosa, vt nasum fricare, [Y hazelle vna higa.]

Obseruemus tertiò, cum contumelia sit iudicare defectum proximi, propter quem contemnatur, has tres voces contumelia, conuitium, & opprobrium licèt frequenter confundantur à DD. & sumantur promiscuè, nihilominus iuxta propriam significationem differre: Defectus enim proximi aut sunt culpæ, & vitia, aut pœnæ, & supplicia quæ aliquis passus est, vt in eo qui publicè verbera recepit, aut imperfectiones, vel indignitates, imperfectiones quidem, vel animi, vel corporis, vt esse stultum, fatuum, cæcum, vel claudum indignitates verò, vel natalium, vel status, vt esse illegitimum esse rusticum, vel pauperem, vel oriri ex progenie Hebræorum, & similia. Quando objicimus fratri aut manifestamus culpas vel vitia, est propriè contumelia quādo pœnas ac supplicia quæ passus est, vt vocare Petrum [acotado] est conuitium, quando defectus, & imperfectiones animi, vel corporis, aut indignitatem, & vilitatem status, vel natalium, est opprobrium: Summuntur autem iam voces istæ promiscuè, & pro eodem, quo fit, vt materia cōtumeliæ, & conuitij non solum sint culpæ, & peccato fratris, verum etiam alij defectus, qui in viro honesto, & studioso possunt reperiri. Vnde potest aliquis afficere fratrem contumelia non infamando illum, vt qui objicit illi defectus qui nō sunt vitia nec peccata, Quod admoneo, propter eos qui existimant se non peccare dum verbis fratrem offendunt, nisi quando illum infamant.

CONCLVSIO PRIMA.

Contumelia vt plurimum, & propriè consistit in verbis.

Probatur, Contumelia propriè est iniuria illa qua manifestamus aliquem defectum fratris, & in aliorum notitiam ducimus, vt cōtemnatur: huiusmodi autem manifestatio propriè, & vt plurimum fit verbis, ergo. Maior constat ex 2. obseruatione, Minor, est Arist. in lib. Perhiermenias. & D. Aug. v. de doctrina Christiana.

CONCLVSIO II.

Contumelia aliquando etiam extenso nomine consistit in factis,

Probatur. Contumelia est iniuria, qua manifestamus aliquem defectum fratris, vt contemnatur, sed hæc manifestatio aliquando fit factis, ergo.

CONCLVSIO III.

Hæc tria vocabula, contumelia, conuitium, & opprobrium, conueniunt, & differunt.

Conueniunt, quia quocunque istorum læditur honor fratris, cum aliquis defectus eius exprimatur vt contemnatur. Differunt verò, quia respiciunt varios defectus, vt constat ex tertia obseruatione.

Circa hunc articulum dux se offerunt. Primò.

AN SIT DE RATIONE contumeliæ, vt fiat in præsentia patientis illam.

Caier. hic, Soto, & Recentiores loco cit. volunt esse de ratione contumeliæ, vt fiat in præsentia patientis illam, aut actu ipso audiente, aut saltim intentione, ita vt sit animus inferentis contumeliam, vt ad illius qui contemnitur notitiam perueniat.

Probant primò, quia ex D. Thom. artic. primo, quæstionis sequentis, contumelia, & detractio eo nomine differunt, quod contumeliosus lædat in honore, & fama proximi cum quadam violentia, & contemptu illius, detractor verò cum quodam metu, & fraudulentia, sicut diximus de raptore, & fure: sed ad violentiam pertinet vt fiat in præsentia, vel saltim notitia eius cui fit, ad metum, & fraudem vt fiat cum ignorantia, erit ergo de ratione contumeliæ, vt fiat in præsentia patientis, aut acto præsenti, aut saltim animo, & intentione inferentis, de ratione verò detractionis vt fiat occultè, & in absentia eius, cui detrahitur.

Et confirmatur ex D. Thom. hic in corpore, articuli, vbi ait. [In hoc consistere contumeliam, vt aliquis manifestet defectum alterius, intendens vt veniat in notitiam eius, & aliorum.]

In

In oppositum est: quia potest quis defectus proximi secretò alteri manifestare, vt condemnetur, ne is, qui læditur, illud intelligat, quæ manifestatio, cum fit in contemptum, & contra honorem alterius contumelia est.

Pro intelligentia obseruemus primò ex Caiet. hic, inferentem contumeliam, ea intentione, vt alteri innotescat, tribus modis posse se habere, primò, ita vt in facie obijciat, illi suum defectum verbo aperto. Secundò, scripto, & libello infamatorio. Tertiò, in aliorum præsentia illo absente.

Obseruemus secundò quæ fiunt contra nos, nobis omnino ignorantibus, nullam irreuerentiã nobis irrogare, possunt quidem illam opinionem nostrã apud alios lædere & nocere famæ nostræ, reuerentiæ autem nobis exhibendæ nil nocēt, nisi nobis scientibus illa fiant, aut eo animo vt à nobis intelligantur, imò eo ipso quo desiderat qui mihi illud obijcit à me ignorari, ostendit timere me ac reuereri.

Vnde contumelia & detractio in materia quidem conueniunt vtraque enim manifesta defectus proximi, propter quos, vel contemnatur, vel denigretur optima existimatio illius, differunt tamen, quia contumelia manifestat defectus proximi cum irreuerentia, & vilipendio ipsius, detractio verò manifestat illos cum timore, & reuerẽtia quadam ipsius, sicut diximus de furto, & rapina. Quo fit contumeliam includere quandam violentiam contra honorem proximi, pertinere quæ ad ipsam, vt fiat in præsentia illius actu vel virtute, id est ipso sciente vel ea intentione, vt sciat detractionem vero includere metum, & occultationem in detractore, conuenireque, illi vt fiat cũ ignorantia eius cui detrahitur, saltim ex intentione, & animo detrahentis. Ex his manet solutum argumentum in oppositum.

hæc quæstio obseruanda est ad confessiones, quia qui manifestat defectus, ita vt nollet illud ab alio sciri, committit solum detractionem, quã solam confitebitur, qui verò eo animo, vt is cui detraxit, intelligat se ab illo contemni, tenetur hunc etiam animum confiteri, committit enim, & detractionem simul, & contumeliam, quæ sunt distinctæ. Secundò, dubitatur hic.

AN ISTA TRIA, CONTVmelia, conuitium, & opprobrium differant specie.

RESpondeo non differre: Ita Caiet. Soto, & communiter Thomistæ hic. Et probatur, differentia specifica in virtutibus, & vitiis non sumitur ex obiecto materiali, circa quod versatur, sed ex formali quod respiciunt, defectus circa quos ista versatur sunt quidem diuersi, & distincti specie, habent se tamen vt materiale: formale verò quod omnia ista respiciunt est vnum, nempè honor, & reuerentia debita fratri, ratio quoque formalis sub qua lædunt ista vitia est, vnica, nempè lædere honorem cum quadam violentia. Ergo non differunt specie vnde D. Thom. qui in his diligentissimus est, & vitia specie distincta sub priuatis, & distinctis articulis solet explicare omnia ista contumeliæ genera vnico articulo complectitur, tanquem ad vnicam speciem pertinentia.

Addo, tamen. In contumeliis, conuitiis, & opprobriis reperiri posse diuersos gradus secundum

magis, & minus, grauior enim contumelia est vocare hæreticum, quam adulterum: grauior in senatu, vel magno hominum concursu dicta, quam in priuata domo: Propter quod hi gradus, & grauitatis contumeliarum explicandæ sunt in confessione: quia licèt non mutent speciem peccati augent tamen maximè illius grauitatem, circumstantiæ autem quæ habent notabilem grauitatem explicandæ sunt in confessione, cum confessor non solum sit iudex verum etiam medicus, qui pro qualitate, & grauitate delicti imponat pœnitentiam, & qua ratione abstinendum sit à similibus instruat pœnitentem.

ARTICVLVS II.

An contumelia sit peccatum mortale.

OBseruemus primò, maximè differre peccata quæ consistunt in factis: & ea quæ consistunt in verbis: in illis enim genus attenditur ex solo obiecto, & ea eo quòd iudicanda sunt mortalia, vel venialia, vt furtum ea re aliena quæ accipitur: peccata verò quæ existunt in verbis, cum verba secũdum se, & quatenus quædam voces sunt, non sint læsiua, sed quatenus exprimunt animo proferentis, sint ne illa mortalia, vel venialia ex genere suo, non solum est colligendum ea obiecto, verũ etiam ex intentione, & animo proferẽtis illa. Vnde quando dicetur contumelia esse mortalis ex genere suo, intelligendum est tàm ea obiecto quàm ex intentione.

Obseruemus secundò, quatuor modis posse cõtumeliam dici. Primò, & animo, & affectu dehonorandi fratrem. Secundò sine intentione dehonorandi illum sed corrigendi tantũ, & corripiendi. Tertiò proferendo velut facetiam. Quartò, ex quadam incogitantia, vt qui ita corripitur, & ex accensus non tam animo dehonorandi fratrem, quàm ex animi promptitudine profert contumeliam, Primus ille modus est propriè, & formaliter cõtumelia, quia læditur honor ea intentione, alii tres modi sunt materialiter tantum contumeliæ, cum defectus fratris mani festetur in eis fine intẽtione dehonestandi illum.

Obseruemus tertiò, in hac iniuria sicut, & in aliis quæ proximo inferuntur, ex duplici radice cõsiderandam esse culpam venialem, vel mortalem, ex intentione, & ea damno, si intentio sit ferendi graue damnum in honore, etiam si inferatur leue, contumelia illa grauis est, & mortalis, similiter si damnum, & nocumentum in honore graue fit, quamuis leue tantum intenderit inferre, est cõtumelia grauis, & mortalis, Venialis ergo erit, quando, & damnum leue, est, & intentio quoque inferendi leue.

Obseruemus quartò, Nocumentum in honore bifariã posse accidere, aut simpliciter, quia apud omnes contumelia, vel cõuitium iudicetur lædere honorem, aut secũdum quid, quia tali loco vel tempore prolatum, aut tali homini habeatur etiã pro contumelia, vt si intelligens facetiam quam alter loco haberet, Petrum ægrè ferre, talis facetia grauis contumelia est, quod si illud ignorem, erit tantum materialis.

Obseruemus vltimò, non adhibentem diligentiam, uel cautelam quam tenetur adhibere, ne fratri suo noceat, si actu, & reuera illi noceat, etiã si non fecerit illud ex intentione, peccare morta-

...iter sicut si ex intentione fecisset, quia consentit ...efectum illius cautelæ, & diligentiæ, quam te-...tur adhibere: sicut qui in ludo gladiatorum alium, occideret, quia nō adhibuit debitam cautelam Ex defectu enim diligentiæ quæ erat adhibenda actus materialis fit formalis, cum consensu implicito, & interpretatiuo.

CONCLVSIO I.

Contumelia, quæ profertur cum intentione lædendi honorem, quæ propriè, & formalis contumelia est, ex suo genere est peccatum mortale.

Probatur, Quia huiusmodi contumeliis destruitur, & tollitur charitas proximi. Patet, cū charitas sit amicitia, quicquid destruit amicitiam, & pacem, tollit, & destruit charitatem, ac per contumeliam, & conuitia dissoluitur iure amicitia inter prudentes, ergo.

Secundò, Honor, & reuerentia præstat diuitiis, & quiuis prudens ægrius ferret damnum illatum in honore, quàm in diuitiis, sed furtum, & rapina ex suo genere est pecc. mort. ergo, & contumelia, & tanto grauius quanto honor diuitiis præstat.

CONCLVSIO II.

Contumelia materialis ex sola intentione corripiendi fratrem, si cautè, & moderatè fiat, nō est peccatum, imò actus studiosus, & licitus.

Patet, quia cum temporalia ordinentur ad spiritualia, possunt superiores (quātum prudentia dictat) vti honore, & fama suorum subditorum, ad corripiendos eos, sicut vtuntur salute eorum dum illos verberibus afficiunt: Ita Christus Luc. 24. vocauit discipulos illos stultos, Et Pau. ad Galat. 3. O insensati Galathæ, &c. ad correptionem eorum.

In huiusmodi autem contumeliis oportet, seruare hæc tria. Primò, vt dicantur solo animo corripiendi. Secundò, cautè, modestè, & cum magna necessitate, & sibi certò speratur profutura. Tertiò, eo sermone, quo intelligat subditus, non ex ira aut passione, sed ex animo, & desiderio corripiendi ipsum, dici: quæ cum difficilè possint seruari, consulit, optimè D. Aug. lib. de sermone Domini in monte, vt sit hæc punitio per verba rara, & cum magna necessitate, & spe vtilitatis. Caiet. autem, & Soto admonent, vt prælati omnino ab his abstineant, & aliis correctionibus sine huiusmodi contumeliis vtantur, cum verba prælatorū sint maioris ponderis quam aliorum, malletque subditus verberibus quam contumeliis, affici, Vide D. Basilium in illa verba Psal. 14. [Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos.] Et Cicero [Omnis admonitio, & castigatio contumelia vacare debet.

CONCLVSIO III.

Contumelia facere dicta potest esse venialis, potest, & mortalis, potest etiam omni vitio carere.

Si graue nocumentum inferat in honore alterius, vel simpliciter, & à parte rei, vel secundū quid, id est ratione temporis, vel personæ, est peccatum mortale, quod si nocumentum illud in honore læue sit, intentio quoque nocendi læuiter, erit solum veniale, quòd si nullo modo noceant, sed moderatè ac decenter dicant recreandi, refocillandi tātum animi gratia, nullum peccatum est: Quomodo ab Arist. 4. Ethic. referuntur facetiæ ad virtutem eutrapeliæ.

Hinc sequitur peccare: grauiter principes, & superiores, qui à suis seruis, vel subditis patiuntur proferri facetias, quibus alii in honore læduntur.

CONCLVSIO IIII.

Contumeliæ per quandam incogitantiam prolatæ, vel ex iræ surreptione, si graue nocumentum inferat in honore, vel molestiam in animo fratris, sunt peccata mortalia, si leuem venialia.

Patet ex dictis: Vnde mulierculæ, quæ se communibus contumeliis vicissim afficiuntur ex animi irati promptitudine, peccant communiter venialiter: quia illæ contumeliæ communes leue detrimentum inferunt, & intentio non fuit nocendi grauiter: Quando autem miscent contumelias graues, scientes, & volentes, peccant, mortaliter, iuxta, illud Christi, Matth. 5. [Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.

Circa hunc articulum, cum contumelia bifariam communiter fieri possit, aut verbis, aut scripto, videamus primò.

CONTVMELIA VERBIS *illata quomodo sit resarcienda.*

Dvo per contumeliam damna proximo possunt inferri, vnum in honore, per irreuerentiam illam, quam affert secum contumelia, alterum in fama, & bono nomine. Si vna cum contumelia frater infamatus sit, restituenda est illi fama eo modo quo diximus, quæst. 62. art. 4. Nunc qua ratione contumelia illa, & irreuerentia reparanda sit inquirimus.

Dico igitur, si contumelia illata sit in facie, petendam esse veniam ab illo, quem contumelia affecimus, nec aliter conferenda est absolutio: iuxta illud Christi, Matth. 5. vbi agens ad litteram de huiusmodi contumelia ait: [Si offers munus tuū ante altare, &cæt. vade prius reconciliari fratri tuo, &c.] Poterit autem prudens confessor, si viderit pœnitentem vitum timoratum esse, & seruaturum promissa, absoluere illum, etiam si non statim petat veniam à fratre ipso, sed deinde quæsita, & non expectata opportunitate. Caiet. in cōmen. sequentis art. videtur hoc negare, quia damnum illatum in honore sufficienter reficitur per exhibitionem honoris, & reuerentiæ, quod etiam videtur docere D. Thom. supra quæst. 62. articulo secundo, ad 3. Nihilominus quæ hic docemus vera sunt, quia frater in facie contumelia affectus, quo mala passus est, & contemptum sui honoris, & animi irritationem, Priori malo satisfit per exhibitionem honoris, & in hoc sensu loquitur ibi D. Thom. Posteriori verò per petitionem veniæ, placeatur enim animus fratris illo cultu humilitatis. Prælati verò, & Superiores, vt docet

D. Aug.

D. Aug. & in corripiendis subditis aliquibus contumeliis sint vsi, modo non sit propter eas sequuta infamia, non teneatur à sibi subditis veniam petere, quia hæc humilitas, & satisfacio noceret regimini, & authoritati quã oportet eius habere. Si verò cõtumelia illata sit in absentia corã aliis, eo animo vt in eius notitiam ueniret, adeundi sunt illi, & rogandi vt sileant omnino, denique operam, vt in eius notitiam non veniant, quod si iam illi sit indicatum orandi tunc sunt, vt ipsimet significet fratri, se dolere illud dixisse, & illum in pretiu habere. Quæ agenda sunt, quando fratrẽ speramus placandum hiis viis, & condonatum, quod si irritandũ potius probabiliter teneamus, dimittenda sunt, & dolendum de peccato commisso, & hoooricè in quauis occasione de eo loquendum, partim vt defectus, quos de ipso manifestauimus tegamus, & deleamus partim vt ipse illud intelligens liuorem conceptum amittat. Videamus secuodò.

QVOMODO PECCENT conficientes libellos famosos, & ad quid teneantur.

DE hac re D. Naua. in Man. c. 19. nu. 35. & Summistæ. in Verbo, Libellus famosus.

Obseruemus primò, vocari huiusmodi libellũ, scripturam publicam, & in publicum deductã, qua defectus proximi cum aliqua eius infamia, & dedecore manifestatur, quocunque sermone fiat, siue vulgari siue Latino, siue versu, siue soluta oratione.

Obseruemus secundò, huiusmodi libellus aliquando pertinere ad contumeliam, aliquando verò ad solam detractionem: ita Caiet. in sum. verbo. Libellus: Quando author occultat suum nomen, nec vult omnino vt intelligatur, est detractio propriè, & directè, quia tunc reueretur, & timet illum, quem infamat, eo ipso, quo occultat suum nomen exhibet illi reuerentiam, nec infert illam vim, quæ est de ratione contumeliæ, sed infamat cum quadam occultatione, quod est detractionis, indirectè autem, & consequenter, est contumelia, cum lædat etiam honorem cum ipsius, & aliorum nomen suum prodat est vtrumque directè, & propriè, & detractio, quatenus lædit famam, & contumelia quatenus lædit honorem, & cum inteotione, vt is qui læditur intelligat se ab illo contemni.

Obseruemus vltimò, non esse hic sermonẽ de libellis qui parum vel nil lædunt famam, vel honorem alicuius, suntque potius facetiæ quædam, quam infamatorii, sed de his qui verè, & realiter iudicio prudentum proximum infamant, De quibus.

CONCLVSIO PRIMA.

Conficientes huiusmodi libellus peccant mortaliter, & grauissimè contra charitatem, & iustitiam.

COntra charitatem quidem cum lædant fratrẽ in re adeò graui qualis est honor, & fama, cõtra iustitiã, verò quia habet vnusquisque à natura ius in suum honorem, & famam, & tantò peccatum hoc grauius est, quantò scripta hæc magis

euulgantur, & hærent memoriæ quam verba. Vnde auctores huiusmodi libelli tenentur famam restituere, & honorem, & omnia damna quæ occasione illius libelli sequuta sunt illi infamato. Famam autem restituent, vel conficiendo alium libellum contrarium, vel cantando palinodiam publicè, vel alio modo quem prudentia in tali casu dictabit: in qua restitutione, quia difficilis est, vtentur consilio peritorum, qui pro ratione facti, & circumstantiarum consulaot, quod conuenientius est.

CONCLVSIO II.

Conficiens libellos famosos contra Summum Pontificem, vel aliquem Cardinalem, aut aliquam ex quatuor Religionibus Mendicantibus, est ipso facto excommunicatus.

DE Papa, & Cardinalibus patet ex quibusdã extrauagantibus maximè Pij V. De religionibus mendicantibus constat ex priuilegijs ordinis D. Dominici, & D. Francisci, in quibus id apertè habetur, afferuntque à Caiet. verbo, Excõmunicatio, cap. 81. quæ priuilegia alijs etiam Religionibus mendicantibus sunt communicata. Dico religionibus, quia si quis faciat libellum cõtra aliquem priuatum religiosum, infamando illum, non tamen religionem, non incurrit huiusmodi excommunicationem.

CONCLVSIO III.

Conficientes huiusmodi libellos contra alios prælatos, vel personas Ecclesiasticas, non sunt de facto excommunicati, sunt tamen excommunicandi, nisi illis suum honorem, & famam restituant.

ITa fuit diffinitum in Consil. libertanu cap. 52. Et habetur 5. q. 1. can. Si qui.

CONCLVSIO IV.

Facientes huiusmodi libellos per leges ciuiles puniuntur pœna capitis, per leges Ecclesiasticas, si libelli sunt contra seculares verberantur, si contra prælatos aliquos Ecclesiasticos verberantur, & anatamizantur, idest, priuantur vsu suorum ordinum.

PRior pars huius cõclusionis habetur lege vnica, Cod. de libellis famosis, & in legibus nostri regni est receptum titulo de libellis famosis. Altera pars habetur 5. quæst. 1. can. Qui io alterius. Vltima pars eodem loco, can. Quidam maligni.

CONCLVSIO V.

Inuenientes huiusmodi libellos, nisi illos statim ruperint, aut combuserint, sed alijs manifestauerint, scientes esse infamatorios, peccant etiam grauissimè.

CVm couperentur illi iniquitati, & infamiæ, & subiiciuntur eisdem pœnis ciuilibus, & Ecclesiasticis, quibus sub sunt auctores huiusmodi libellorum: Ita habetur 5. quæst. 1. can. Si qui.

CONCLVSIO VLTIMA.

Conficientes huiusmodi libellos, quando res occulta est, sed ita vt iuridicè probari possit, si illam probare instituant, & hoc fine confecerunt libellos, vt illa crimina ducta in publicum, & in iudicium probata puniantur, & tollantur, non incurrunt huiusmodi pœnas, aut censuras.

ITa habetur in illo can. Quidam maligni. Sed quæres occasione huius canonis. Quidam maligni.

AN CONFICIENTES HVIUSMODI libellos, si edicto superioris, & sub censura præcipiantur se ipsos prodere, teneantur ad id?

ETenim cum fecisset quidam libellum contra quendam notarium. D. Gregor. in quo etiam beatum Gregor. mordebat, præcipit. D. Greg. in illo can. sub grauissimis censuris, vt author illius libelli se ipsum prodat, vel ad probandum quod obiecit, vel ad subeundam pœnitentiam, Nihilominus dico auctorem talis libelli, qui nomen suū non apposuit, sed ita occultauit, vt quamuis libellus sit publicus, author tamen sit omnino occultus, non teneri ad se prodendum, quia iure naturę nemo tenetur sui ipsius esse accusator, & fiscus, iuxta illud D. Chryso. [In occultis non dico vt te ipsum prodas, quod ius naturæ nullum aliud nec Ecclesiasticū derogare potest, Canon autem iste D. Grego. superius explicatus est 2. contro u. 7. colum. 1515.

ARTICVLVS III.

An contumelia sint patienter ferendæ.

CONCLVSIO PRIMA.

Debet vnusquisque paratus esse ad ferendas iniurias quando opus fuerit iuxta legem Dei, & dictamen rectæ rationis.

PAtet primò, Tenetur vnusquisque in genere paratus esse ad seruandam legem Dei, ergo, & ad ferendas iniurias, quando lex Dei postulauerit. Secundò, debemus esse parati ad ferenda quæ contra nos dicuntur, sicut ea quæ contra nos fiunt, sed debemus esse parati ad ferenda quę contra nos fiunt, iuxta illud Christi, Matth. 5. [Si quis percusserit te in vna maxilla, præbe ei alteram,] quòd est intelligendum secundum animi præparationem, ergo eodem modo debemus esse parati ad ea, quæ contra nos dicuntur. Hoc præceptū cum sit affirmatiuum nec obligat pro semper, vt semper habeamus in mente hāc animi pręparationem, sed in casu necessitatis, vt cum occasio se offert iniuriæ, vel cum in mentem venit, si mihi contumelia inferatur quid facerem, tunc debeo habere hanc animi intentionem. Obligat etiam, vt nunquam habeamus propositum contrarium, id est vindicandi iniurias, Quin sufficit tam in iniurijs quàm extra illas, habere hunc animum in genere seruandi legem Dei.

CONCLVSIO II.

Persona priuata potest, si velit, contumelijs sibi illatis nunquam resistere.

PAtet, quia cum sit dominus suæ famæ, & honoris, sicut potest remittere restitutionem famæ, sic, & pati detrimentum sui honoris.

CONCLVSIO III.

Quando resistendo contumelijs sequetur scandalum, vel periclitamur accendi ira, nec inferens contumelias resipiscet, vel cessabit, tenemur contumelias illas patienter ferre. Quando verò citra scandalum proprium, & aliorum speratur, resistendo fratrem illum cessaturū ad inferendū contumelijs, vel corripiendum, tenemur ei resistere, ac corripere illum.

PRobatur vtraque pars, Quia resistere contumelijs, & obstruere eos inferentis illas est quoddam genus correptionis, correptio autē vbi nulla vtilitas peccantis expectatur, sed imminet periculum alicuius damni, non est adhibēda, sed quando speratur pro futura. De priori huius conclusionis parte dicitur Prouer. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris similis. De secunda verò subijcitur statim eodem loco quod videtur oppositum: [Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Et ita Christus respondit inferenti sibi alapam, vt desisteret ab illis iniurijs. [Quid me cædis?]

CONCLVSIO IIII.

Prælati, & personæ publicæ, quorum honor alijs, & suo muneri optimè exercendo necessarius, est, non possunt contumelias ferre, sed debent illas reprimere, citra scandalum tamen suum, & aliorum.

PAtet, Quia eo ipso quo prælati sunt, debent præstare ea omnia, quæ aliorum vtilitati, & suo muneri sunt necessaria. Vide D. Gregor. Homil. 6. in Ezech.

CONCLVSIO V.

Vbi agitur causa religionis, & fidei, tàm prælati quam subditi, etiam, si sequatur scandalum infidelium, debent contumelias fidei, & religionis reprimere, vt si Altaria, Sacramenta, Cruces, Reliquiæ, & similia contumelijs afficiantur, vel nomen Dei, & Sanctorum cum contumelia blasphemetur.

QVia tunc silere est velut consentire, resistere autem est fidem, & religionem propriam profiteri, ad quod tenetur vnusquisq; fidelium, quotiescunque causa fidei, & Religionis se offert, iuxta illud B. Pau. Corde creditur &c. ore autem fit confessio ad salutem. Vbi nomine oris non solum intelligitur vocalis confessio fidei, sed actus externi quibus fides, & religio manifestatur, qui necessarij sunt, quotiescunque causa fidei se offert.

CON-

CONCLVSIO VLTIMA.

Quando licet proprias cõtumelias repellere, non sunt repellendæ armis, & percussione, quia hoc esset vindicare se ipsum: Nec imponendo falsum crimen, quia mendacium semper est intrinsecè malum. Nec detegendo crimen occultum, aut obiciendo illi aliud imperti nens quamuis publicum, quia hoc esset repercutere percutientem se, Sed solum licet obijcere illi, quod directè facit ad repellendam propriam iniuriam, quale est affirmare id quod imponit falsum esse, & mendacium.

QVia sic respondens non ex liuore vindictæ, sed hoc solo fine, vt tueatur suum honorẽ, nil aliud facit quam vi repellere, quod iure naturæ omnibus conceditur.

Nec obstat calumniam semel prolatam iam trãsisse, quia calumnia, quamdiu creditur calumniator, lædit, & nocet, propter quod licet affirmare illum mendacem esse, ac medijs veris id ostendere, ne credatur, & cesset illa iniuria.

ARTICVLVS IV.

Ex quo peccato potissimè oriatur calumnia.

CONCLVSIO PRIMA.

Oritur ex superbia, sed potissimè, ex odio, & ira.

PRobatur prior: pars quia contemnere fratrẽ est quidam effectus superbiæ, calumnia verò est cum contemptu fratris. Probatur secunda, quia, vt plurimum, & frequentius nascitur, ex ira, peccatum autem vnum dicitur, oriri ex illo, ex quo frequentius, & communiter nascitur.

Secundò, quia conueniunt in fine, vtriusque enim finis est vindicta, vnde est proprium vitium mulierum, quæ eum armis nequeant vindicare se ipsas, confugiunt ad contumelias.

QVAEST. LXXIII. DE DETRACTIONE, seu infamia.

ARTICVLVS I.

An bene deffiniatur detractio occulta denigratio alienæ famæ.

COnclusio est affirmatiua.

Probatur, quia virtutes, & vitia diffiniuntur per propria eorũ obiecta, obiectum detractionis proprium materiale est fama proximi, formale verò vt fiat occultè, & in absentia eius cui detrahitur, ac illo ignorante. Minor verò constat ex differentijs, quę constituimus quæstinne præcedenti artic. 1. inter contumeliam, & detractionem.

Quod si dixeris differentiæ specificæ in habitibus sunt propriæ rationes formales ipsorum, occultum, & manifestum non differunt specie, nec constituunt differentiã specificam in rebus, ergo detractio, & contumelia non distinguuntur specie, eo quod illa fiat, manifestè, hæc vero occultè, nec erit propria ratio formalis contumeliæ quod fiat in præsentia, detractionis verò in absentia.

Respondeo cum ratio iniuriæ duo contineat, vt sit contra ius alterius, & contra voluntatem, consentienti enim non fit iniuria, sequitur ex eo, vt vbi reperitur diuersa ratio inuoluntarii, reperiantur etiam iniurię specie diuersæ: Vnde quamuis occultum, & manifestum sic sumpta nõ differant specie, nec constituant differentiã specificam in rebus, quatenus verò manifestum dicit inuolũtarium per vim, occultum verò in uoluntarium cum ignorantia, distinguũt specie, Quia hæc duo genera inuoluntarii, vt docet Arist. differunt specie: propter quod furtum, & rapina differunt specie, quia furtum, fit domino non consentiẽte cum ignorantia, rapina verò fit domino consentiente, & cum vi, similiter contumelia fit manifestè, & cũ vi, detractio occultè, & cum ignarantia illius, cuius fama læditur.

CONCLVSIO II.

Bifariam committitur detractio directè vel indirectè.

DIrectè quatuor modis, & totidem indirectè. Primo modo directè, imponendo proximo falsum crimen. Secundò augendo verum quod audiuimus. Terriò, reuelando occultum, quamuis verum. Quartò, honestum factum proximi in iniquum finem vel intentionem eius torquendo.

Indirectè verò primo modo, quando, quia negat, vel retinet bona proximi, cum teneretur illa concedere.

Secundò, quando reticet cũ oporteret illa manifestare, sic enim negans aut reticens indirectè infamat, cum assertio eius sit necessaria ad famã alterius.

Tertiò, quando quis diminuit aliena merita, tunc enim minuit. & famam.

Quartò, quando dignum laude frigide, & remisse laudat, ne tãti habeatur, hic enim illo remisso modo laudandi nititur famam, & bonum nomen fratris minuere.

Contra quartum modum ex quatuor prioribus sic obijcio. Factum proximi in sinistrum finem, & intentionem torquere, pertinet ad iudicium temerarium, vt vidimus quæst. 60. ergo non ad detractionem.

Secundò, qui audiunt me factum honestũ fratris sinistrè interpretati, me quidem iudicabunt inuidum, odiosum, & maledicum, fratrem autem non propterea contemnent, ergo tali modo non leditur eius fama, nec erit detractio.

Ad primum respondeo, Eundem actum posse pertinere ad duo peccata distincta, vt in eo qui furatur ad fornicandum, actus ille est furtum, & fornicatio sic in proposito, quatenus ego iudico fratrem ob malum finem illum agere, est iudiciũ alijs

alijs infinoo est detractio. Ad secundum respondeo, multoties audientes consentire meæ malitię, & factum fratris etiam sinistro fini ex his quæ ego dico tribuere, maximè si sim apud illos alicuius authoritatis, quod si id non accidat nihilominus, detraho, cum nitar (quantum est in me) famam illius fratris minuere, non enim ad detractionem est necesse vt sequator de facto infamia, sat est, illum qui detrahit ea referre, quę apta sunt alterius famam denigrate, vel minuere.

Quæres an isti modi detrahendi differant specie, dico non differre, quia in omnibus est idem obiectum materiale, & formale, nempè fama occultè læsa, sunt tamen alij alijs grauiores, & varie restituendi, ideo aperiendi in confessione, vt doceat confessor pro ratione cuiusque detractioois ad quid teneatur author illius.

ARTICVLVS II.

An detractio sit peccatum mortale ex suo genere.

Reoocanda sunt in memoriam quæ docuimus quæstione præcedenti artic. 2. Primò in peccatis verbis non solum obiecti, verùm etiam, & intentionis esse habendam rationem, vt de huiusmodi delictis iudicium feramus.

Secundò, detractionem, quæ fit cum intentione nocendi in fama, esse formaliter & propriè detractionem, quæ verò fit sine tali intentione esse mere, talem.

Tertiò ex duplici radice, in his grauitatem culpæ esse pensandam, ex intentione, & nocumento.

Præter hæc notemus ex his quæ docent Doctores agentes de correctione fraterna, cum temporalia ordinentur ad spiritualia, quando secunque fieratur frater corripiendus & emendandus, manifestando delictum eius iuxta ordinem correctionis fraternæ, tunc esponendam esse famam eius, seruato illo ordine vt cesset à peccato, sicut exponuntur diuitiæ, & alia bona temporalia pro salute corporali.

CONCLVSIO PRIMA.

Detractio proprie, & formalis cum intentione lædendi fratrem in fama, peccatum mortale est ex suo genere, grauius quàm furtum, leuius autem quàm homicidium, & adulterium.

Probatur prior pars, quia est contra charitatem, & iustitiam, cum infestator damnum proximo in re graui qualis est fama, & ad quàm habet à natura ius. Probatur secunda pars, quia fama præstat quidem bonis quæ furto lędantur, non tamen est tanti pretij, quanti est vita quæ lęditur homicidio, & fides matrimonij quæ lęditur adulterio. Dicimus ex genere suo, quia ex lęuitate materiæ, & intentionis potest esse veniale, vt cum detractor non habet intentionem nisi detrahendi in re leui, quia si habeat animum detrahendi, & nocendi grauiter, & si res leuis sit, peccat mortaliter ratione inteotioois.

CONCLVSIO II.

Detractio, quæ fit bono fine, ad corrigendum proximum, seruato ordine correctionis fraternæ, non est peccatum, sed actus virtutis.

Patet, quia sicut licet exponere minora bona pro maioribus, ita, & famam pro salute spirituali.

CONCLVSIO III.

Detractio materialis quæ fit sine intentione nocendi in fama, si leue nocumentum inferat venialis est, si graue mortalis.

Hæc per spicua est.

CONCLVSIO IIII.

Referre peccatum mortale fratris quod non affert secum infamiam, non est detractio mortalis, sed tunc solum quando affert secum infamiam tali homine.

Vt si dicam hunc nobilem esse prodigum, illum militem effusorem sanguinis, qoia hæc vitia tales homines non putant esse sibi infamiæ, sed in illis gloriantur, at si dicam hanc esse adulteram, aut illum fornicarium est detractio mortalis, qnia hæc vitia sunt maximæ infamiæ in hominibus honestis.

Patet, nam cum detractio lædat famam, manifestatio delicti quod in tali homine non affert infamiam, non est detractio.

Ex quarta conclusione sequitur, verba lædentia honestatem vitæ, & manifestantia vitia carnis, & similia ex suo genere continere peccatum mortale, quia hæc cōmuniter sunt maximæ infamię, [Vitia enim carnis, vt ait D. Grego. Sunt minoris culpæ, & maioris infamiæ, Maximè vt benè hic obseruat Caiet. in personis honestis, & religiosis, vt monialib. prælatis, puellis nobilibus, nam apud alios vt iuueoes sæculares, plerique hæc parui faciunt.

CONCLVSIO VLTIMA.

Detractor tenetur ad restituendam famam quam læsit, iuxta leges restitutionis.

Hæc patet ex his, quæ copiosè docuimus de restitutione famæ quæst. 62. art. 2.

Circa hunc articulum offerunt se nonnullæ dubitationes.

CONTROVERSIA I.

SIT NE PECCATVM MORTALE reuelare occultum crimen fratris vni tantum viro fideli, quem certum est celaturum illud omnino, ac si lapidi fuisset dictum.

Sentit hic Caiet. in hoc casu non committi peccatum mortale, sed tantum veniale. Probat primò

primò exemplis. Nam vir, & vxor solent sibi inuicem reuelare peccata filiorum, vel famulorum, nec ab aliquo propterea condemnantur de mortali. Similiter accidit, confitentem peccata sua ex inaduertentia reuelare confessario, quem iudicat fidelem, & secretum, aliquas personas, cum quibus grauissimè peccauit, nec ideo indicatur mortaliter in eo deliquisse. Item quando alicui secretum aliquod crimen commissum est, nec nouit quomodo circa illud secretum se gerat, solet amico fideli, & prudenti nonnunquam illud reuelare, vt consulat quid illum agere oporteat: In his omnibus euentibus reuelatur crimen fratris viro fideli, & secreto, nec est peccatum mortale.

Secundò detractio criminis occulti peccatum mortale est, quando grauiter læditur fama proximi, vni autem tantum viro graui, & fideli crimen fratris reuelare, non est grauis infamia, quia propriè infamia non est, nisi inter multos, sicut non dicitur diffamatus, nisi multis innotescat, nec iudicatur graue nocumentum sed leue, quod vnus tantum, aut alter illud sciat, ergo.

Tertiò nō impeditur ille cuius crimen detegitur vnico viro optimo à consecutione alicuius beneficii, dignitatis, aut alterius boni, eo quod ille secretò illud sciat, ergo. Eandem sententiam tribuunt aliqui D. Nauar. in cap. inter verba concl. 6. corol. 29. vbi num. 69. admittit duo posteriora exempla Caiet. & corol. 46. admittit primum.

Soto lib. 5. de iustitia quæst. 10. artic. 2. & in suo opusculo de ratione tegendi, &c. Oppositum omnino docet, nempè reuelare delictum fratris occultum cuiuis quantumuis fideli & cordato, nisi aliqua necessitas exigat, vel ad bonum commune, vel ad correctionem ipsius delinquentis, aut aliorum vtilitatem, esse peccatum mortale, & detractionem mortalem. Probat, Reuelare illud crimen extra huiusmodi necessitates tribus, vel quatuor hominibus est mortale omnium consensu, quod non negat Caiet. Sed mallem ego, & quiuis prudens suum crimen tribus, aut quatuor ex media plebe esse agnitum, quam notum alicui viro graui, sicut magis æstimo vnum virum grauem de meis moribus bene iudicare, quam decem plebeios, ergo vel vni quantumuis graui, & tacito reuelare occultum crimen fratris est mortale. Hanc sequuntur recentiores discipuli D. Thom.

CONCLVSIO I.

Reuelare crimen occultum fratris nō desinit esse peccatum mortale, ex eo quod vni tantum dicatur, quod est fundamentum opinionis Caiet.

PRobatur, iudicium temerarium, vt constat q. 60. ar. 3. est peccatum mortale ex suo genere, etiamsi per illud proximus apud nullum aliū infametur, & amittat bonum nomen, quàm apud solum iudicantem ergo nec detractio desinet esse peccatum mortale, ex eo, quod apud vnum tantū bona existimatio fratris læditur. Et hæc est aperta doctrina D. Thom. art. præcedenti ad 2. vbi ait: [Esse contumeliam propriè, & simpliciter, etiam si in sola præsentia eius, qui contumelia afficitur inferatur, & similiter detractionem, etiam si corā vno solo, quis detrahat, quia lædit famam eius, quamuis non in toto populo, vel vicinia, tamen in parte.] Et apertius articulo præsenti in corpore, vbi ait: [Proferentem verba quibus læditur fama fratris, propter bonum ipsius, vel alterius, seruatis debitis circumstantiis, non esse peccatum, si vero illa proferat sine tali necessitate, & læuiter lædant esse veniale, quod si grauiter mortale. Nec D. Tho. distinguit, num coram vno, vel pluribus illa proferantur.

CONCLVSIO II.

Reuelare delictum occultum fratris vni viro fideli, ex suo genere non est intrinsecè malum, sed potest ex circumstantia honestari.

PAtet, potest enim vel propter bonū commune, vt in crimine hæresis, & proditionis ciuitatis, vel propter bonū eius, cuius crimen reuelatur, vt ab illo commodius corrigatur: Vnde Christus in Euangelio. [Si te non audierit, adhibe duos vel tres, &c. Nec est necesse, vt tale crimen sit iam illis notum, sat est, vt prudenter speretur illos esse profuturos. Denique propter bonum aliorum, quando crimina fratrum nisi prohibeantur, cedent in aliorum damnum, tunc qui illa nouit, nec valet solus illis occurere, potest reuelare illi, qui prodesse possit, & cum aliqua infamia delinquentis, dictat n. recta ratio, vt minora bona pro maioribus exponantur, imò & in virtutibus debet homo aliquando pati detrimentum in vna virtute pro alia præstantiori, & magis necessaria.

Ex his sequitur veram esse opinionem M. Soto, & falsam illam Caiet. vnde ortum est cōmune illud dictum, [Peccata fratrum, quæ per nos ipsos corripere non possumus, indicanda esse viro prudenti, qui prodesse possit, & non obesse.

Ad argumenta Caie. Ad primum dicò, illa exēpla non habere locum, nec esse admittenda, nisi iuxta doctrinam hic positam. In primis igitur possunt vir & vxor peccata filiorum sibi indicare, quando ita oportuerit ad illa vitanda, nec vnus potest sine alio, vt si cōmisit filia stuprum, quod nouit sola mater, videatq; se solam non posse illi damno mederi, nisi indicet viro, aut consanguineo fideli potest tunc reuelare, debetque ii, apud quem minus læditur bona opinio illius filiæ, vel aliquando expediet potius affini, vel extraneo indicare, quàm ipsi marito. Quod si ipsa sola possit mederi, non potest, nec viro, nec alteri indicare; quia vel apud vnū læditur grauiter bona opinio puellæ, Et sicut esset peccatum mortale accipere bona castrensia filiæ, si haberet, vt daret marito, ita & bonam eius opinionem apud virum denigrare.

Secundò, Pœnitens in confessione non potest detegere cōplicem, qoia est iuris naturalis, quod non derogatur ullo iure, aut diuino, aut humano, vnde si pęnitens reuelet, peccat grauiter, debentque confessarij attente id prohibere. Excusabitur autem pęnitens, aut per incogitantiam, quasi fuerit velut primus motus illa loquutio. Ita Doctor Nauar. locis citatis, nō enim sequitur opinionem Caietan. in hac parte sed nostram, exempla Caiet. admittit in eo sensu, in quo à nobis explicantur hic, quando s. reuelantur complices, quos vel cōfessarius nullo modo nouit, nec aliquod damnum in sua opinione, & existimatione inde recipiunt, vel si nouit potest illis prodesse, vnde solent, & possunt amici peccato occulta amicorum, vxores peccata suorum maritorum, vel familiæ indicare

con-

confeſſarijs, quos vident illis delinquentibus plurimum poſſe prodeſſe. Tertium exemplum Caiet. nobis fauet, nam in illo caſu, qui habet ſecretum ſibi commiſſum, reuelat illud cum neceſſitate, vt accepto conſilio prudentis recte ſe gerat.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, infamiam dupliciter dici, aut iuridicè, aut moraliter, & ſecundum rei naturam, in rigore iuris non dicitur infamatus, niſi plures illud intelligant, moraliter autem, & ſecundum rei naturam in famia eſt quæuis denigratio alienæ famæ, etiam ſi apud vnum fiat, vt conſtat ex ſecunda concluſione, & exemplo ſumpto ex iudicio temerario.

Ad vltimum dico primò, delictum fratris, vel vni dictū nocere illi in bonis, & officijs, cum poſſit accidere, vt qui delictum illud fratris audiuit, ſit quandoque aliquorum bonorum diſtributor, recordatuſque illius delicti minimè conferat, quæ aliter contuliſſet. Et quicquid ſit de huiuſmodi damnis, ſat eſt ad detractionem mortalem, vt grauiter eius fama læſa ſit apud aliquem culpa detractoris, etiam ſi vnicus ſit, & vir fidelis.

Videamus ſecundò.

CONTROVERSIA I.

SIT NE DETRACTOR, & infamator, qui refert alijs, quæ audiunt.

Scotus in 4. diſt. quæſt. 4. articu. 5. poſt medium quem ſequitur hic Caiet. vult. referentem quę audiuit, non aſſerendo neque affirmando illa tanquam certa, (ſic enim intelligendi ſunt hi auctores) ſed referendo tantum, vt audita, & hæſitando, non committere peccatum mortale detractionis, ſed ad ſummum veniale.

Ratio eorum eſt, quia ſi audientes ſic relata deſinant bene de fratre opinari, non læditur apud illos fama proximi culpa referentis, cum dicat ſe audiſſe illa tantum, nec habere illa pro certis, ſed culpa audientium, qui leuiter credunt.

Soto lib. 4. de iuſti. q. 6. artic. 3. in ſolutione ad 4. & lib. 5. q. 10. artic. 2. & recentiores Thomiſtæ volunt referentem leuia peccare venialiter, ſi verò grauia mortaliter, ſicut iudicaremus de primo aſſertore, & detractore.

Ratio eorum eſt, quia quamuis iſte dicat, ſe non vidiſſe, ſed audiſſe, eo ipſo quo illa refert, generat ſuo dicto ſiniſtram opinionem fratris in animis audientium, & lædit illius famam.

Ad intelligentiam huius quæſtionis, Obſeruemus primò, certum eſſe (vt ſupra vidimus qu. 62. art. 2. agentes de reſtitutione famæ) referentem audita ex odio, & animo lædendi fratrem, quicquid de illo referat, peccare mortaliter: cū actus ille exterior procedat ex interiori odio mortali. Certum etiam eſſe, referentem quæ publica ſunt, non ex odio, ſed ex quadam loquacitate, peccare tantum venialiter, cum talis actus non procedat ex odio, nec inferat graue damnum fratris in fama.

Obſeruemus ſecundò, audita quæ referuntur, aut eſſe peccata grauiſſima, & quorum vel leuis ſuſpicio nocet grauiter in fama, vt hæreſis, & crimen nephandum, aut eſſe alia peccata, quæ grauiſſima non ſunt, & communiter ab hominibus committuntur, vt homicidia, adulteria. Similiter qui talia refert aut eſt perſona grauis, vt Epiſcopus, & vir nobiliſſimus, aut eſt è media plebe. Perſona quoque deque eſt à ſermone, aut eſt magni nominis, & opinionis, vt mulier honeſtiſſima, vir religioſus, prælatus aliquis, vel doctor, aut eſt perſona communis, & plebeia. His poſitis.

CONCLVSIO PRIMA.

Reuelare crimen occultum fratris, etſi ex auditu, & hæſitando, ad minus eſt peccatum veniale.

Patet, quia negari non poteſt, quin ſit aliquod nocumentum illius.

CONCLVSIO II.

Reuelare ex auditu peccatum fratris, quod ſolet afferre ſecum infamiam, tanquam certum, peccatum mortale eſt detractionis.

Quia tale crimen ſic reuelatum natum eſt denigrare famam proximi, habet enim ſe primus qui illud reuelauit, & ſecundus qui auditum narrauit; ſicut duo incendiarij, quorum vnus mittit ignem in ſegetem, alter verò ſuo flatu illum accēdit, & auget, quos ſimul certiſſimum eſt grauiter nocere.

CONCLVSIO III.

Reuelare crimen grauiſſimum fratris, & ſi id fiat hæſitando, à quocumque, & de quocumque illud reueletur, eſt peccatum mortale.

Probatur. Qui lædit fratrem grauiter in fama, peccat. mortaliter, ſed in hoc caſu lædit iſte grauiter in fama, ergo,

Probatur minor. Quia in hoc caſu, etſi non generetur certa opinio, ſed tantum ſuſpicio, grauius nocet ſuſpicio tanti criminis, quàm certa opinio aliorum.

Secundò maius nocumentum infertur, proximo referendo hæc crimina hæſitando, quàm alia aſſerendo, ſed reuelans aſſertiue, alia delicta proximi vt furtum, &c. peccat. mortaliter ex ſecunda conclu. recepta ab omnibus, ergo peccat etiam mort. qui reuelat illi grauiſſima, etſi heſitando, mallet enim quiuis prudens credi de ipſo adulterium quam ſuſpicari hæreſim.

CONCLVSIO IIII.

Si peccatum fratris ſit ex communibus, & grauibus tantum, referatur verò, vel à perſona magnæ authoritatis, vel de perſona magni nominis, & opinionis, quamuis hæſitando, & dubitando, eſt peccatum mortale detractionis.

Patet prior pars, quia tantam infamiam inducit grauis illa perſona referendo iſta crimina hæſitando, quantam induceret, perſona inferioris fortis

fortis referendo illa assertiuè; sed hic peccaret mortaliter, ergo, & ille.

Secunda verò pars constat experientia. Etenim si de muliere honestissima, vel viro religioso referat quis fornicationem, aliquam, vel quid simile, à quocumque referat gignit suspicionem, quæ in viro tanti nominis non minus nocet, quam in alio inferioris fortis noceret certa opinio eiusdem delicti.

CONCLVSIO VLTIMA.

Si plebeius de alio plebeio referat ex auditu & hæsitando delictum aliquod ex communibus, non committit peccatum mortale detractionis, sed veniale tantum.

PAtet, nam quando persona plebeia refert ex auditu, & hæsitando delictum commune, nõ gignit nisi suspicionem, quæ tàm ratione dicentis, quàm eius de quo dicitur quàm ex modo referendi, leue nocumentum est, nisi audientes, sua culpa, & leuitate credendi quæ solum efficiunt leuem suspitionem, ita accipiant, vt generent in animis eorum certam opinionem. Et forsan Scotus, & Caiet. de hoc genere reuelandi audita loquuti sunt.

CONTROVERSIA II.

AN SIT PECCATVM detractionis diffamatum in vno loco, infamare, & reuelare peccatum illius in alio, vbi illud ignoratur.

HÆc quæstio licèt superius quæst. 62. art. 2. sit iam proposita, nunc copiosius, & ex professo magis tractanda est. Caiet. circa hanc quæstionẽ in opusc. 17. Resp. respon. 8. dub. 3. affirmat licere. Probat sic, diffamatus ius ad suam famam, ergo nulla fit iniuria reuelando vbique delictum eius.

Secundò vna ex pœnis qua iudices afficiunt delinquentes est, vt crimen eorum in omnium notitiam veniat, & alij aliis illud referant, ergo licet. Antecedens patet, quia hoc fine ponitur in sentẽtia vt delictum illud publicè legatur.

Secundò vt publico præcone denuncietur.

Tertiò ob eundem finem solent expectare iudices dies nundinarum, & alios solemniores, in quibus est maior hominum concursus, vt in notitio illa pluribus innotescat: vnde qui diffamatum in vno loco infamat in alio, cõformat se iustitiæ punitiuæ, nec est dicendus peccare.

Tertiò in actibus publicis Sanctæ Inquisitionis leguntur delicta publica, vt ab omnibus sciantur, & antequam celebrentur, conuocantur fideles ex omnibus locis districti, etiam remotis, & alij aliis sine vllo scrupulo conscientiæ narrant quæ audierunt: imò, & viri graues ac timorati solent personas productas in huiusmodi actibus, & eorum nomina, delicta, ac pœnas ad amicos in locis remotissimis existentes scribere, & recipientes epistolas omnibus illa referre, nec iudicantur ab aliquo Doctore hæc scribentes, vel referentes peccare.

Quartò historici mandant scriptis crimina in suis quidem locis, & temporibus publica, in aliis autem ignorata, nec damnantur huiusmodi historiæ vt peccata, vel detractiones.

Denique his tantum modis potest aliquis infamare fratrem detractione quæ fit peccatum, vel imponendo falsum crimen, vel angendo, vel reuelando occultum, vel torquendo intentionem: in hoc casu nec imponit falsum, nec auget, (constituimus enim referre fideliter, quæ in publico iudicio vidit) nec reuelat occultum, cum sit iudicium publicum, & publica auctoritate euulgatũ, nec torquet aliquam intentionem, ergo.

Adrianus verò quodlib. 11. quæst. 1. docet oppositum. Ratio eius est, infamatus in vno loco, in alio in quo ignoratur, habet bonum nomen, & illæsam ibi famam, ergo infamare illum est grauiter lędere illius famam, & velut reuelare occultũ.

Secundò, Non licet peccatum fratris alio tempore publicum, quando iam omnino oblitum est, & frater benè audit, reducere in memoriam, quia est velut reuelare occultum cum nocumento famæ proximi, ergo nec licet publicum in vno loco referre in alio, vbi ignoratur: Patet consequentia, quia magis occultũ est quod ibi omnino ignoratur, quàm quod aliquo tempore intelligebatur, & deinde oblitum est.

Vltimò non licet fratri in facie crimen illud quamuis publicum obiicere, quia læditur ibi ipsius fama. Ergo nec referre.

Soto lib. 5. quæst. 10. art. 2. & recentiores quandam mediam sententiam inter has sequuntur, ad quam statuunt duo.

Primò bifariam posse aliquem esse infamatum de aliquo crimine, aut iuridicè, & auctoritate publica, aut extra iudicium per rumorem alicuius viciniæ, vel loci.

Secundò infamantem fratrem suum posse peccare, vel contra iustitiam, vel contra charitatem, vel cõtra vtramque simul: quibus addendum est, infamatum, quocunque modo sit infamatus, aut permanere in suis vitijs, aut ita esse emendatum, vt studiosè iam, & honestè viuat.

His positis dicunt primò, infamatum publica auctoritate, sed iam emendatum, & honestè viuẽtem, in alio loco vbi id ignoratur, infamare, non esse peccatum contra iustitiam, quia iam amisit ille ius in suam famam, per illam publicam sententiam, & per eandem facta est facultas narrandi aliis illud delictum, & crimen, esse tamen peccatũ contra charitatem, quia fama est bonum necessarium ad honestè, & studiosè viuendum, quo bono sine vlla iusta causa, vel necessitate priuare fratrem, iam honestè viuentẽ, repugnat charitati.

Secundò dicunt infamatum in vno loco extra iudicium, per solum rumorem, & loquacitatem alicuius viciniæ, vel oppidi, iam honestè viuentẽ, in alio infamare esse peccatum contra iustitiam, & charitatem, Et consequenter talem detractorem teneri ad restituendam illi famam: Contra iustitiam, quia frater per illum rumorem nõ amisit ius in suam famam, sicut enim nulla priuata potestas potest expoliare fratrem aliis bonis, etiam si illa iniquè possideat, sed sola publica, ita nec fama, vbi autem delictum secretum, est infamare fratrem habentem adhuc ius in suam famam, est contra iustitiam iniuriam illi inferre, Quod verò contra charitatem quoque sit, constat ratione mo dò facta in secundo dicto.

Hæc tertia opinio est omnium probabilior, & sequenda additis aliquibus. Nam in primis addẽdum est ex delictis fratrum quædam esse quæ tãtum nocent ipsi delinquenti, aliis verò parum, aut nil omnino, vt fornicatio, iuramentum: alia verò esse quoque in damnum aliorum, vt hæresis blasphemia,

phemia, magia, &c. Similiter quædam sunt atrocia delicta, & maxime nociua bono communi, alia non adeo, denique aut ea sunt quæ solent abundare, vel saltim in aliquibus reperiri, aut rarò ibi eueniunt, vel possunt euenire.

CONCLVSIO I.

Quomodocunque homo sit diffamatus, siue auctoritate publica, siue priuato rumore, si non est emendatus, sed crimen illius alijs potest obesse, non est peccatum, si his quibus potest obesse, & in loco vbi potest obesse, illud reuelaret, vt sibi caueant.

IMò est actus charitatis, habēda enim est potius ratio eorum, qui possunt pati damnum, quam eius qui potest inferre, & prudenter, cum emendatus non sit, timetur illaturus. Vnde possum infamatum Valentiæ de fure, de assasino, de lupa Cæsaraugustæ reuelare, vt illius loci vicini ab huiusmodi sibi caueant.

Et confirmatur quia hoc fine infamantur à iudice delinquentes, vt alij ab ipsis sibi caueant, quia patet hunc finem esse honestum, vnde ille sic diffamans conformat se iustitiæ. Debet autem homo bono aliorum prouidere, cum minori damno alius infamati quantum poterit, si enim futurum dicere, cauete ab hoc, quia nescio quid de eo audiui, non est amplius dicendum.

CONCLVSIO II.

Quacumque ratione homo sit diffamatus in vno loco, reuelare crimen eius in alio, vbi moraliter, & probabiliter cito iudicatur intelligendum, non est peccatum mortale.

VErbi gratia, quæ Valētiæ fiunt, aut dicuntur, statim solent esse nota Sagunti, aut Setabi, propter viciniā loci, diffamatum ergo publicè Valentiæ, diffamare Sagunti non est peccatum mortale. Probatur in moralibus quod parum distat nil distare iudicatur, sed quod publicum est Valentiæ, perinde se habet ac si iam publicum esset Sagunti, publica autem reuelare non est peccatum, ergo.

Secundò ipsi infamato parum, vel nil acrescit damni, vt quod publicum est Valentiæ sit etiam publicum in loco adeo vicino, in quo moraliter loquendo, impossibile ferè est, quin statim innotescat, infamia autem non est mortalis nisi quando graue damnum infertur proximo in fama, ergo.

Tertiò in eadem ciuitate, & loco quod publicum est in vna vicina, vel parte ciuitatis, referre in alia non est peccatum, alioqnin numqnam liceret reuelare publica, ergo quod est publicum in vno loco, non est peccatum reuelare in alio vicino, in quo statim iudicatur intelligendum. Perinde enim se habent duo loci vicini, sicut duæ partes ciuitatis. Ex hac conclusione sequitur, infamatum in media parte vnius regni, vel prouinciæ, non esse peccatum infamare in alia, quia moraliter loquendo, quæ ita publica sunt in vna parte, impossibile ferè est, quin in alia sint quoque cito publica.

CONCLVSIO III.

Si crimen fratris publicum in vno loco, non sit ex atrocibus, sed ex communibus, quamuis alicui nocinum, vt furtum, homicidium, & frater ille iam est emendatus, si quidem fuit publicum auctoritate iudicis, reuelare illud in alio loco, in quo ignoratur, non est contra iustitiam, sed contra charitatem tantum si verò fuit publicum per solum rumorem viciniæ, vel loci, reuelare illud in loco, in quo ignoratur, est contra charitatem simul, & iustitiam.

Hæc patet ex dictis mag. Soto.

CONCLVSIO IIII.

Si peccatum fratris est ex atrocibus, & publicum auctoritate publica, siue emendatus sit, siue non, licet illud reuelare in alio loco, & remotissimo in quo ignoratur, modo non fiat ex odio fratris, vt hæresim, proditionem ciuitatis, [illegible], &c. licet que huiusmodi intidicè, & [illegible] ... in vno loco, vbi que terrarum diffamare, exprimendo nomina personarum, cognomina, delicta, & pœnas illas impositas.

PRobatur, alia crimina etsi publica, quæ non sunt atrocia, & grauiter nociua, fratre sufficienter emendato non licet reuelare, vbi ignorantur, quia fratre emendato nulla inde sequitur vtilitas bono communi, vel particularibus, sed in criminibus atrocib. manifestare eorum punitionem est vtilissimum, imprimis bono communi, alij nāque populi audientes tales punitiones, prospiciūt sibi ipsi, inquiruntque & puniunt diligenter similia delicta, & à se nituntur felicitè repellere, & particulares ciues audientes tales punitiones, maximè ab illis timore similis pęnæ arcentur, quod in alijs delictis non est adeò necessarium.

CONCLVSIO VLTIMA.

Si peccatum fratris, est ex atrocibus, & publicum, nō tamen auctoritate iudicis, sed per rumorem, deferendum est ad iudicem competentem, vt ille inquirat, & interim non est reuelandum vbi ignoratur, nisi sub dubio, & cum fauore fratris.

RAtio est, quia ille rumor nō expoliat fratrem iure suæ famæ, sed tantum facit, vt ad iudicis sententiam pertineat: vnde expectanda est, vt si quidem cōdemnetur de illo crimine, liceat tunc vbique reuelare, vt constat ex præcedenti conclusione, quod si absoluatur non est reuelandum, nisi vt absolutum, & cum laode fratris, aliter enim esse imponere illi falsum crimen, cum constet de ipsius innocētia, & absolutione, interim solum licet reuelare fauendo fratri, cum sit dubium, & dubia sint in meliorem partem conuertenda.

Ad argumenta in oppositum, in primis ad proposita pro opinione Caiet.

Ad primum respondeo, infamatum publicè, auctoritate iudicis, amisisse ius ad suam famam, ideo non esse contra iustitiam illud reuelare, esse tamen contra charitatem, (nisi moraliter in quãdo esset manifestandum, statim in illo loco, vbi reuelatur) quia ea charitate, non solum debemus non expoliare fratrem bonis illi debitis, & in quæ habet ius, verum etiam bonis illi vtilibus, & necessarijs ad honestatem vitæ, & quibus ipsum expoliare nulla necessitas exigit. Quod si non sit infamatus auctoritate publica, habet ius in suam famam, vt constat ex dictis.

Ad secũdum cum omnibus illis probationibus antecedentis respondeo, non esse intentionem iudicis saltim debitam, vt per illam publicam punitionem innotescat delictum fratris in alijs locis distantibus, si ipse emendetur, sed tantum, vt vbi iuridicè punitur, iuridica autem punitio fit publicè, quia iuridicè probatum est velut publicum: quod si emendatus non sit, tunc intendit duo, vt publica culpa puniatur, ac vt omnib. innotescat, vt omnes ab illo sibi caueant.

Ad tertium constat solutio ex quarta conclusione, hæresis enim, & cætera delicta quæ ab officio Sanctæ Inquisitionis in actibus publicis puniuntur, sunt ea se adeo atrocia, & nociua bono communi, vt cedat maximè in vtilitatem Reip. & fidei Christianæ, committentes illa, & ipsorum nomina, ac punitiones, per totum orbem diuulgari, imò, & obligata à multis annis reuocare in memoriam. Ita solent Inquisitores, [Renouar los san benitos.] Dices iustum quidem est, vt cum infamia ipsorummet delinquentium diuulgentur ista delicta, cum cedat in bonum fidei, & odium istorum criminum, at nõ cum infamia cõsanguineorum, & affinium, qui erunt viri probi, & honesti. Respondeo, sicut tempore, quo delicta ista puniũtur, cedit in vtilitatẽ fidei, & religionis Christianę, vt diuulgentur; sic delinquentes, & eorum punitionis, eodem modo cedere in vtilitatem fidei, vt etsi multum temporis excessit, & ista obliuioni tradita sint, iudices, & Inquisitores iusta aliqua causa exigente (sine qua id nõ faciunt) curent innouari insignia, & memorias istarum punitionũ, quòd verò consanguineos lædant id per accidens est, nec curandum, cum bonum commune cuiuis priuato præferendum sit. Alij verò priuati, iudicibus non renouantibus tales punitiones, si in memoriam suscitent, quod est in infamiam consanguineorum honestè viuentium, non peccant contra iustitiam, quia per illam antiquam, & publicã punitionem amisserunt ius in sua fama, faciunt tamen contra charitatem, expoliantes fratres honestè viuentes fama, quę illis ad studiosè viuendum necessaria, vel saltim vtilissima est, sicut diximus de iuridicè infamato ob alia crimina, sed emendatio, vbi eius delictum omnino ignoratur.

Ad quartum distinguendum est de historiis, nam aliæ sunt sacræ in Sacra Scriptura contentæ, aliæ verò humanæ, siue Ecclesiasticæ sint siue prophanæ, in illis licèt scriptorib. qui Spiritu sancto auctore ducuntur quæcumque crimina referre, quia cum Deus sit dominus vitæ, famæ, & omnium rerum, potest vti fama, & honore quorumcunque hominum ad communem vtilitatem futurorum, & gloriam suam: In historiis autem humanis scribentes bella, & præclaras res gestas honestè agunt, in verò crimina occulta peccat, quod si referant quæ temporibus suis publica fuerunt, & quorum notitia quorumque narratio vtilis est futuris, vt legentes illa vitia abhorreant, & ad illorum punitiones principes animentur, laudabiliter faciunt, modò non id faciant ex odio alicuius.

Debent autem plurimum expendere, cum scribunt delicta alicuius nobilis, cuius infamia tota ipsius prosapia inhuritur, præpõderet ne vtilitas, quam ea ea narratione futuri capient, dãno quod ex tali infamia prosapia illa recipit, nam si præstet vtilitas licèt illud narrare, sin minus, silenda sunt talia facta, aut saltim nomina personarum, nunquam enim minora bona pro maioribus exponenda sunt.

Ad vltimum constat ex conclusionibus positis, quando reuelare in vno loco quæ in alio publica sunt, idem fit quod reuelare occulta.

Ad argumenta Adriani, Ad primum, & secundum respõdeo, in casibus in quibus iuxta nostras conclusiones dicimus publicum in vno loco posse reuelari in alio, tunc non releuari occultum, sed publicum, aut authoritate iudicis, aut publico rumore populi. Ad Tertium dico, obijcere crimen fratri in facie nunquam licere, nisi ad ipsius correctionem, quia semper habet ius frater, vt nec cõtumelia afficiatur, nec detur ei occasio indignationis, crimẽ verò eius reuelare, eo modo quo hic dicimus licet, quia in casibus in quibus dicimus id licere, nullum habet ius ad suam famam, nec prohibemur ex iustitia, vel ex charitate.

Ex doctrina hic posita facilè est iudicare, quid sentiendum sit de Astrologis. De quibus dico primò, iudicium quòd ferũt de actionibus humanis liberis ea solis astris, esse incertum, imò sæpè falsum, vt videbimus suo loco. Dico secundò etiam si eorum iudicium certum esset, nullo modo licere ipsis reuelare delicta occulta. Patet, iudicium ipsorum non est certius euidentia, quæ habetur proprijs oculis, at non licet ea quæ proprijs oculis vidimus, si occulta sunt, detegere, ergo neque depræhensa iudicio astronomico.

QVOD PECCATVM
dicatur publicum.

Videre etiam hic oportet quod peccatum dicatur publicum, cum dicamus reuelare occulta esse peccatum detractionis. Dico quantum ad præsentem disputationem, illud dici publicum, quod cõstat publico iudicio, & sententia iudicis, vel quod in præsentia multorum perpetratũ est, vel à plurimis refertur, & scitur, vel in publico loco commissum est, & tempore quo moraliter multis debuit innotescere nec auctor delicti erubuit, iuxta circumstantias loci, & temporis, quin multis illud intelligerent: vt qui in meridie, & in publico vico percutit alium. Vnde non est peccatum publicum quod potest probari in iudicio per tres, vel quatuor testes, aut quod potest in multorum aures peruenire, nam ita omnia ferè essent publica, cum paucissima sint, quæ non habeant duos, vel tres testes, & quæ vno maledico reuelante nõ possint statim toti populo innotescere.

Sed obiicies, reuelans secretum delictum tenetur ad restitutionem famæ, sed qui manifestat, & probat in iudicio quod probari potest duob. vel tribus testibus, non tenetur ad restituendam famam illi accusato, vt habetur lib. Ordi. Regal. tit. 9. l. 2. ergo signum est illum nõ fuisse detractorẽ, nec peccasse contra iustitiam, & consequenter nõ

esse dicendum secretum quod duobus, vel tribus testibus probari potest. Secundò si quis imponat mihi falsum crimen, possum obijcere illi aliud, & secretũ, quo adimatur illi auctoritas, & fides; nec credatur ab audiẽtibus, cum hoc sit (vt diximus) velut vim vi repellere.

Ad primum respondeo, teneri istum ad restituendam illi famam, modo meliori quo poterit, quia lex illa solum respicit forum exterius, ita vt iudex non compellat accusatorem qui ita probauit delictum alterius, ad restituẽdam illi famam, at in foro conscientiæ tenetur restituere, cum verè infamauerit proximum: Respondeo 2. etiam si non teneretur qui probauit in iudicio crimen alterius, restituere illi famam, quia iam factum est publicum, nec potest dicere illud non constare, cũ constet probatione iuridica, nihilominus quando accusauit (nisi sit ex criminibus nociuis quæ tenemur reuelare) peccauit, & fuit verè infamator, ac reuelator secreti. Ad secundum dico, illo argumẽto non probari, illud non esse secretum, sed licere aliquando reuelare secretum, quod nos etiam docuimus, Licet enim reuelare crimina perniciosa Reip. vel proximis etsi secreta, quæ aliter vitari nõ possunt quàm reuelando illa, Licet reuelare crimen occultum infamantis falsò, vel contra ordinem iuris, quo efficietur ne adhibeatur illi fides; Licet reuelare delictum occultum viro prudenti, qui possit prodesse, & non obesse, vt constat, non tamen inde sequitur, reuelari illa, vt publica, aut esse publica, quia aliquibus cognita, sed reuelari posse quamuis secreta in illis casibus ratione charitatis aut iustitiæ. Videamus nunc.

CONTROVERSIA III.

AN SIT PECCATVM MORTALE detractionis se ipsum infamare, & reuelare propria crimina occulta.

DIu. Anton. 2. p. tit. 8. cap. 4. §. 1. & apertius Caiet. hic & in sum. verbo. Detractio, cum censeant dominiũ tàm famæ, quàm vitæ vniuscuiusque esse pęnes Remp. & Ecclesiam, asserunt esse peccatum mortale detractionis contra charitatem, & iustitiam, reuelare propria crimina, præter quam in confessione sacramentali, vel ad accipiẽdum consilium aliquod salubre à viro probo, & prudenti.

Probant, nemo est dominus suæ famæ, sed dominium ipsius est pęnes Rempub. facit ergo ita iniuriam Reipub. infamans se ipsum, iniuria autem alteri illata in re adeo graui qualis est fama, & bonum nomen, est peccatum mortale contra charitatem, & iustitiã, ergo. Hinc colligit Caiet. Primò grauius peccare infamantem se ipsum quàm proximum, tum quia grauius peccatur violando ius Reip. quàm ius priuati ciuis. Secundò colligit infamantem se teneri ad restituendam sibi famam, sicut teneretur proximo quẽ infamasset, quia omne damnum illatum cõtra iustitiam (vt vidimus) obligat ad restituendũ. Tertiò etiam si metu mortis, vel tormentorum quis se infamet peccare mortaliter, quia quod ex suo genere intrinsecè malũ est, neque mortis metu potest licitè fieri.

Soto lib. 5. de iust. q. 10. art. 2. & de tegen. secre. memb. 1. q. 3. & memb. 3. q. 4. Doctor Nauar. Inter verba. concl. 6. coro. 44. cum sentiãt vnumquemque esse dominum suæ famæ, volunt nõ esse peccatum mortale ex suo genere infamare se ipsum, sed veniale tãtum: posse autem reddi mortale ab extrinseco, ratione alicuius circumstantiæ, sicut dissipare bona sua non est ex suo genere peccatum mortale, sed tantum veniale, nisi aliunde ex aliqua circumstantia reddatur prodigalitas illa mortalis.

Probãt primò, si infamare se ipsum esset intrinsecè malum, & peccatum mortale ex suo genere, nunquam posset benefieri, neque posset honestari ex circumstantia, at in multis casibus potest benefieri, Verbi gratia si innocens sit condẽnatus propter homicidium, à me perpetratum, quod adeò occultum est, vt nullus præter me illud intelligat, licet imò esset actus charitatis, ad liberandum illum me ipsum prodere, & infamare, ergo se infamare non est intrinsecè malum.

Secundò si esset pec. mortale, aut contra iustitiã aut contra charitatem, non primum: nam cum homo, (vt vidimus) sit dominus suæ famæ sicut, & aliorum bonorum temporalium, quemadmodũ nulli facit iniuriam dissipans bona sua, ita nec exponens suam famam. Nec contra charitatem: Est quidem præter charitatem, quia charitas inclinat nos ad conseruandam famam, & ita est peccatum veniale illam prodigere, non tamen contra charitatem.

Probatur. nam illud est contra charitatem, ad quod tenemur aliquo præcepto charitatis naturali, vel diuino, at nullum est præceptum, quod vsque adeo obliget nos ad curandam famam, vt non liceat illam negligere sine mortali, nam illud Eccles. 41. [Curam habe de bono nomine,] Consilium est tanquam prudentis, non obligans sub mortali, imò Christus in Euangelio hortatur nos ad contemnendum honorem, & famam.

Tertiò prodigalitas omnium consensu non ex genere suo mortale pecc. sed veniale tantum, infamat autem se ipsum cum fama sit bonum temporale cuius homo dominus est, ad nullum aliod vitium pertinet, quam ad prodigalitatem, ergo non est ex suo genere mortale. Denique D. Aug. & Anselmum legimus reuelasse, imò, & scriptis mandasse sua crimina occulta, quod non præstitissent, si illud esset intrinsecè malum. & D. Tho. hic ad 4. [In arbitrio inquit cuiusque est detrimẽtum suæ famæ pati.] Quamuis hęc verba D. Tho. meo iudicio non faueant huic sentẽtię, quia aliud est pati infamiã, aliud se infamare, sicut aliud est pati mortem ab inuasore, quod cuique licet, aliud verò sibi inferre, quod nullo modo licèt.

Ex his colligit Soto, primò, cum non sit peccatum contra iustitiam, non teneri ad restitutionem.

Secundò grauius peccare infamantem alium, quia peccat, & contra charitatem, & contra iustitiam, quàm infamantem seipsum, cum non peccet contra iustitiam.

Tertiò in aliquo casu esse pecca. mortal. infamare se ipsum ex circumstantia: quandoque enim quod ex suo genere veniale est, ex circumstantia potest reddi mortale. Et ita esse mortale.

Primò si falsum crimen sibi imponat cum iuramento, quia mendacium etsi leue ratione iuramẽti est periurium, & mortale.

Secundò, si infamet se de verò crimine, sed grauissimo, vt hæresi, quia inferre sibi damnum adeo graue in honore non est famam prodigere, sed offerre se ipsum grauissimis damnis, imò, & periculis vitæ.

Tertiò

Tertiò si fama ipsius sit necessaria Reip. vel muneri quod habet, vel familiæ suæ, & filijs, vel religioni, nocet enim alijs grauiter. Et de his loquitur D. Aug. in illo Can. Non sunt audiendi, 15. q. 5. vbi vocat crudelem contemnentem famam suá: sicut prodigalitas diuitiarum quæ ex suo genere venialis est, redditur mortalis, si pecuniæ ille necessariæ sint, vel alendæ familiæ, vel pro subleuādis pauperibus, vel Reip. quia licèt possit ipse cedare iuri suo, non tamen iuri quod habent in ipsius famam Respub. sua communitas, vel familia, quando illa indigent.

Quartò si ex illa infamia sequatur illi mors, aut aliud damnum, quod præponderet famæ, quia tūc idē est infamare se ipsum, quod inferre sibi illud damnum, nisi afficeretur grauissimis tormentis, vt suum delictum quamuis occultum fateretur, quia tunc, vt ab illis se eximeret posset se infamare, & illud periculum mortis subire, cum præstet breuem mortem pati per vltimum supplicium, quam longiorem per tormenta. Præter hos casus nunquam inquiunt hi Doctores esse peccatum mortale infamare se ipsum, sed veniale tantum, si ne reuelet occultum verum, siue falsum sibi imponat extra iuramentum: quia si reuelat occultū verum, est tantum prodigalitas, quæ ex suo genere, vt cōstat venialis est, si verò falsum sibi imponat, cum nulli noceat, non est mendacium nociuum, sed tantum officiosum, vel iocosum, quod etiam est veniale.

Quando autem sit solum veniale, vt explicent, constituit Soto de tegen. secre. memb. 3. quæstio. vltima conclusio 8. Neminem teneri ad seruandū secretum naturale, quod quis liberè, & spontè illi commisit sine iuramento, cum periculo propriæ vitæ, aut graui iactura salutis, vel bonorum: quia simplex promissio, superueniente periculo, quod si tunc occurrisset, non fuisset facta, non obligat: vt in promissionibus matrimonalibus, promissio autem seruandi secretum cum conditionibus hic positis est simplex. Secundò, quia fides secreti non obligat cum damno proximi, cum iure naturæ teneamur patienti damnum potius subuenire quā alteri, vnde multò minus cum damno proprio.

Dixi secretum naturale, quia sacramentale cōfessionis seruandum est cū periculo vitæ, non modò à confessore verum etiam ab eo, cui committitur in ordine ad confessionem, vel aliqua via audiuit confessionem. Dico quod priuatus, quia secretum Regis, Reip. vel exercitus seruandum est, & cum periculo vitę, cum hæc secreta pertineant ad bonum publicum, quod propriæ etiam vitæ præferendum est. Dixi quod liberè, & spontè, nam si per vim, vel fraudem ego extorsi à Petro secretū, cuius reuelatio constituit fratrem in periculo vitæ, aut grauis damni, teneor ego potius simile damnum pati, quàm reuelare illud secretū à me extortum, quia mea fraus, & vis non debet mihi patrocinari, & illi nocere. Dixi sine iuramento, quia si iureiurando me astrinxi seruare illi secretum, teneor potius pati mortem quàm, violare illud iuramentum.

Hoc posito docent hi Doctores, licere reuelare propria crimina, & infamare se ipsum, Primò ad capiendum consilium, vel læuandam tristitiam, quando ista commodè haberi non possunt nisi reuelando propria delicta, & subiacendo alicui infamiæ. Secūdò ratione iustitiæ, vt cum quis imposuit alteri falsum crimen, nec potest illā famam restituere nisi infamando se ipsum. Tertiò ratione pœnitentiæ, ad dolendum magis de peccato, & per verecundiam plenius satisfaciendum, quomodo reuelarunt sua peccata D. Aug. & nonnulli sancti patres. Quartò ratione charitatis, vt si quis innocens patiatur pro delicto à me perpetrato, possum ad liberandum illum innocentem me ipsum prodere, ac infamare. Quintò ratione amicitiæ, vt si duo amici perpetrauimus idem homicidium, & de me nulla sit suspicio, sed de alio, procedatque iudex contra illum ad denuntiationem, & sententiam quæ solet ferri contra absentes, possum me ipsum prodere, & infamare, nō quidem negando illum tale commisisse, sed occultando illum, & prodendo me ipsum, ne quæratur quis illud fecerit: ita vt certum sit iudicem non processurū amplius contra illum amicum, quia si timetur iudicem inquisiturum de complicibus, cum amicus ille iam sit infamatus, tenebor contra illum testimonium dicere, & nil obtinebo. Quintò si quis videat se torqueri, vt reuelet proprium crimen quod occultat, quia non interrogatur secundum ordinem iuris, potest tuta conscientia reuelare illud, & facere iactutā suæ famæ, vt liberet se ab illis tormētis.

Hic casus quia difficilior est probatur. Si ad curationem infirmi requirātur abscissio brachii, aut alia grauiora tormenta pati, potest, vt se ab illis liberet velle potius pati mortem, quia vita non est bonum adeò excellens, & appetendum, vt pro illa sint subeunda grauissima tormēta, sed fama est bonum inferius vita, ergo licet etiam exponere famam ad vitanda grauissima tormenta. Secundò licet fama præstet diuitiis, magna tamen copia diuitiarum potest alicuius famæ æquari, & præstare, sicut aurum præstat argento, magna tamen copia argēti potest præstare alicui auro, sed licèt exponere ingentes diuitias ad liberandum se à grauissimis tormentis, ergo, & famam. Tertiò magis teneor ad secretum proximi, quàm ad proprium, quia ad illud teneor ex iustitia, ad meum verò nō teneor ex iustitia cum sim dominus meæ famæ, sed secretum alienum, liberè mihi commissum sine iuramentum possum prodere, vt euadam tormenta, ergo possum similiter reuelare propria ad illa vitanda.

Sed quæres, Quid si ex reuelatione illius criminis immineat mors? poterit ne tūc se infamare cū periculo vitæ, ad vitanda illa tormenta? Dico primò, ex ea confessione facta in tormentis nō imminere mortē, quia nisi deinde extra tormenta liberè fateatur delictum, non potest condēnari, vt vidimus, & habetur Can. Si quis à sacerdoribus, 15. q. 6. Quod si immineat respondent Soto, & hi Doctores, Si tormenta sint læuia, non posse, quia tūc sine iusta, & sufficienti causa exponit nō modò famam, verum et vitam, quod nō licet sine mortali: si verò sint atrocia, & grauia, licere, vt breui morte liberetur à tormentis quæ æquiualent prolixæ morti, q̃a nec fama, nec vita, est bonū adeò excellens, vt pro illis sint tā grauia tormēta subeunda.

Alii ex recentioribus Thomistis fatentur infamare se ipsum non esse contra iustitiam, cum homo sit dominus suæ famæ, & sui ad se ipsum non sit iniustitia, esset tamen peccatum mortale ex suo genere contra charitatem. Probant primò, quia inferre sibi graue damnum est contra charitatē, quod autem repugnat charitati est mortale. Secūdò priuare se bono spirituali mortale est, sed qui infamat se ipsum reddit se indignum aliorum amicitia autem bonum quoddam spirituale est, cum sit virtus, vel excellentior virtute. Tertiò reuelara propria crimina sine aliqua iusta causa, non potest esse sine aliqua iactantia illorum cri-

minum, aut scandalo [illegible] hæc autem sunt peccatū mortale ex suo g[illegible]re. Quartò infamare suam Remp. est mortale contra charitatem, & iustitiam legalem, sed infamia particularium reddūdat infamiam Reip. ergo est mortale.

Ex his tribus opinionibus media est modò inter discipulos D. Thom. communior, & quam iudicio veram: Nam illa Caiet. nititur falso fundamento, hominem non esse dominum suæ famæ. Vltima verò, esse contra charitatem, præterquam in illis casibus, in quibus diximus esse peccatum mortale, & nonnullis quæ addemus, falsa etiā est, quia charitas per se, & directè nō respicit nisi bona spiritualia, temporalia autem in ordine ad spiritualia: vnde cum fama sit quoddam bonum tēporale, non est cōtra charitatem illam contemnere, & prodigere, nisi quando illa ad aliquod bonū spirituale proprium, vel proximi necessaria est, aliter illam prodigere idem est, quod temerè dissipare diuitias. Quo fit, vt sicut prodigalitas non est contra charitatem, sed contra magnificentiā, quæ versatur circa magnos honores, & bonū nomen. Vnde illud Eccles. 41. [Curam habe de bono nomine.] Non est præceptum obligans sub mortali, nisi quando bonum nomen est necessarium ad salutem animæ, vel eo neglecto maxima nobis inferimus damna: quando autem sine vllo damno animæ, vitæ vel boni alicuius, illud negligimus, est veniale, quando ob honestum aliquem finem, vt in illis casibus adductis, honestum est, & licitum. Et confirmatur. Est maximè consonum rectæ rationi exponere minus bonum pro maiori, & subire minus malum pro vitando maiori: sed offerunt se aliqua bona pręstātiora fama, vt actus virtutum adducti in illis casibus, offerunt se quoque aliqua damna maiora infamia, vt grauiora tormenta, ergo licet ob bonum finem, vt in illis casibus se infamare.

Hæc ratio probat hanc sententiam, siue dicamus, hominem esse dominum suæ famæ, siue oppositum cū Caiet. Quia hæc ratio non nititur dominio famæ, sed ordini rectæ rationis, secundum quem minora bona siue simus illorum domini siue non, exponenda sunt pro maioribus: sicut homo non est dominus suorum membrorum, vel salutis, potest tamen exponere membra pro salute, quotiescunque opus fuerit: ita in illis quinque casibus adductis, in quibus asserimus posse hominem se infamare, exponitur fama pro aliqua virtute, vel maiori bono quàm sit ipsa.

Addendi tamen sunt illis casibus, in quibus dicimus peccatū mortale esse infamare se ipsum hi tres. Primò quando cedit in scādalum proprium, vel alienum, videtque infamans se ipsum offerri sibi, vel aliis occasionē liberius viuendi. Secundò si videat amicitiam, quam habebat cum viris probis, & honestis esse dissoluendam, quia cum amicitia sit quædam virtus moralis, & bonum quoddā spirituale necessarium ad vitam commodè transigendam, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus, amicorum odium incurrere est graue damnum sibi inferre, & temporale, & spirituale. Tertiò si referantur propria delicta cū iactantia, quia talis iactantia est apertè complacentia peccati, cōplacentia autem peccati mortalis, peccatum mortale est. Vnde Esa. 3. reprehendūtur grauiter Israelitæ de huiusmodi iactantia. [Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Psalm. 51. Quid gloriaris in malitia? Psalm. 93. Vsquequo peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquentur iniquitatem? Et Gen. 18. Non tam offenderunt Deum Sodomitæ suo nephando crimine, quam iactantia illius eò. n. peruenerunt cæcitatis, vt illud publicè, & cum iactantia proderent. Vnde non dixit Deus: peccatum Sodomorū multiplicatum est, sed [Clamor Sodomorum multiplicatus est. Id est inuerecundia, & publicitas, vt ita dicam qua peccant, &c.

In vltimo verò modo in quo iuxta Sotum licèt infamare se ipsum, obseruandum est, Non ad vitanda quæuis tormenta illud licere, sed cum aliquo iudicio prudentum sint maius malum quàm infamia, aliqua verò minus, opus est in hac parte prudentia, & conferenda sunt tormenta cum infamia illius viri, vt si infamia præponderet, peccatum sit saltim veniale famam pro illis exponere, si verò præponderent tormenta infamiam, nullum sit peccatum, cum dictet recta ratio minora mala ferenda esse ad vitanda maiora.

Nunc ad argumenta in oppositum, Illud Caiet. nititur imprimis (vt constat) falso fundamento, hominem non esse dominum suæ famę. Secundò, etiam si non esset dominus suæ famæ potest se infamare in casibus propositis, non ratione dominiū quod vnusquisque habet in suam famam, sed eo iure quo minora bona sunt pro maioribus exponenda. Et licèt daremus Caiet. infamātem se peccare contra iustitiam, ob dominiū quod Resp. haberet in famam suorum ciuium, non propterea tenebitur iste ad restitutionem famæ: quia non tenetur ad restitutionem qui violat iustitiam legalem & publicam, nisi illi sit coniuncta iustitia particularis vnius, vel plurium quos lædat, V. g. tenetur quis in aliquo euentu ex iustitia legali adire bellum, [illegible] ille, peccauit contra iustitiam legalem, non tamen tenetur ad aliquam restitutionē damnorum, quæ inde sequuta sunt, at si rapiat ex ærario publico tenetur restituere, quia lædit iustitiam & communem, & singulorum inter quos bona illius ærarii sunt distribuenda.

Ad argumēta verò vltimæ opinionis. Ad primū respondeo, inferre sibi graue damnum in his, quorū non est dominus, vt vita, & membris, esset mort. contra iustitiam, similiter, in his quorum est dominus, sed ita, vt sequatur graue etiam damnum proprium, vel aliorum in spiritualibus, vel ordine ad spiritualia, quia est contra charitatem: inferre verò sibi damnum in tēporalibus quorum homo est dominus, sine vllo alio damno proprio, vel alieno in spiritualibus, si temerè fiat est veniale, quia prodigalitas: si ea iusta causa est actus studiosus. Et hoc modo se habet res in fama, cum sit bonum tēporale, cuius homo est dominus. Ad secundū tertium, & quartum constat ex dictis non licere se infamare, quando sequuntur illa damna, estque tūc mortale, non quia infamet se ipsum, sed quia sequuntur inde illa damna quæ spiritualia sunt, & gratia.

Ad vltimum dico, infamantem se ipsum, ita vt eius infamia redundet in infamiam suæ Reipub. peccare mortaliter propter damnum quod infert Reipub. Si verò sit vir priuatus, nec tāti nominis, non est Resp. infamis ob crimina illius, quia bona fama Reipub. non consistit in eo vt optimas leges habeat, & gubernatores iuxta illas diligēter, & cum æquitate puniant mala. Hac enim ratione erunt in ea multi probi sufficientes ad bonum nomen Reipub. quod si omnes sint mali, & infames, signum est in tali Rep. mala manere impunita, & sic est infamis. Sicut Ecclesia non minus dicitur verè, & propriè modo sancta quam dicebatur tempore Apostolorum, licèt sint in ea multi mali,

ſi,quia ſunt in ipſa leges iuſtæ, iuxta quas à prælatis peccatores,& infideles puniuntur.

Denique dices, non minus teneor mihi, quam proximo,ſed non poſſum ego illum infamare, ergo neque me. Reſpondeo in iſtis bonis temporalibus magis teneri me proximo, quia teneor illi nullo modo lædere ex iuſtitia,mihi autem non teneor ex iuſtitia. Secundò in damnis proximi non teneor ex iuſtitia. Secundò in damnis proximi nõ poſſum ego conſentire,quia non poſſum cedere iuri proprio. Tertiò bonorum proximi nõ poſſum ego facere diſpendium graue ſine mortali, meorum autem poſſum, niſi ſint neceſſaria ad ſpiritualia.

Quæ huc vſque explicata ſunt, pertinent ad illũ qui reuelat propria delicta vera, res difficilior eſt de falſis. Vnde videamus.

AN SIT PECCATVM *mortale detractionis imponere ſibi falſum crimen.*

IN hac quæſt. certum eſt ex dictis,primò,in caſibus,in quibus non licet alicui infamare ſe ipſum,reuelando proprium crimen occultum, & verum, nec licere imponere ſibi falſum, Secundò nec licere cum iuramento, quia eſſet periurium. Tertiò nec licere cum graui damno tertii,quia eſſet mendacium pernicioſum, quod eſt ex ſuo genere mortale, Secundò certum eſt,talem infamiã eſſe ad minus venialem,cum ſit mẽdacium. Quæſtio ergo eſt.[An ſimplici verbo,& ſine iuramento imponere ſibi falſum crimen, ſine vllo etiam ſcandalo,iactantia,vel damno aliorũ,ſit mortale.

Caiet.locis citatis, cum iudicet non licere infamare ſe ipſum reuelando verum crimen à fortiori ſentiet nec licere ſine mortali imponere ſibi falſum,quocunque fine id fiat. Probat ex Gloſſ. in illud cap.Si quando à ſacerdotibus. Vbi illud habetur. Secundò D.Thom.hic apertè docet, eſſe detractionem mortalem, quando infertur detrimẽtum notabile in fama, imponens autem ſibi falſum crimen infert ſibi notabile detrimentum in fama. Tertiò mendacium in iudicio in graui materia eſt peccatum mortale,ſed imponere ſibi falſum crimen eſt mendacium, & in re gradi qualis eſt fama, ergo ſaltim in iudicio erit id peccatum mortale.

Soto Adria. Nauar. locis cit.& recentiores docent oppoſitum ſi illud fiat ob honeſtum finem, veluti ad liberandum ſe ipſum à tormentis, quia torquebitur donec delictum de quo eſt accuſatus concedat,vel ad liberandum patrem aut amicum accuſatos de aliquo crimine, quia afflictio patris, vel amici æquatur graui tormento.

Probatur. Imponere ſibi falſum crimen, quod non eſt ex atrocioribus, nec in præiudiciũ tertii, nec cum iuramento,eſt quidem mendacium,non tamen pernicioſum,aut nociuum, ſed officioſum, & vtile,ſi fiat ob bonum finem,vel otioſum,& inutile ſi deſit talis finis,mendacium autem tàm officioſum,quàm otioſum eo ipſo,quo pernicioſum non eſt,non eſt mortale,ſed veniale ſolum. Ergo. Secũdò ſi imponere ſibi falſum crimen eſſet mortale, aut ratione infamiæ, aut ratione mendacii, aut ratione loci,quia eſt in iudicio: non primum, quia ſicut poſſum exponere vitam pro amico, vel ne ego crucier ita, & famam:nec ſecundum,quia mendacium iſtud(vt conſtituimus)non eſt pernicioſum in hoc caſu:nec tertium,quia mendacium in iudicio non eſt mortale, niſi ſit,vel periurium, vel nociuum, quæ ſupponimus hic non reperiri. Hæc ratio tantam habet vim,vt propter eam ſentiant nonnulli ex recẽtioribus,licere etiam ad fugienda grauia tormenta imponere ſibi falſum crimen cum infamia vxoris,& filiorum,quia ego nõ teneor magis ad cuſtodiendam famam illorum, quàm meam,quod ego non probarem,quia famã meam poſſum ego quidem prodigere,non tamen filiorum, poſſum enim cedere iuri meo,non tamẽ filiorum,ſicut diximus de pecuniis.

Hæc ſecunda opinio eſt tenenda, & ad maiorẽ intelligẽtiam obſeruemus: Biſariam poſſe aliquẽ interrogari in iudicio,aut iuridicè,aut contra ordinem iuris: ſi hoc ſecundo modo,illud propriè, & verè non eſt iudicium,ſed oppreſſio,& ita mentiri in illo non eſt mortale ratione iudicii, niſi aliunde fiat mortale, vt vidimus q.70.art.. Si verò interrogetur iuridicè,& mentiatur cũ damno tertii,eſt mortale,quia eſt mendacium pernicioſum, quod ſi mentiatur ſine damno tertii, etſi materia grauis ſit ſolum peccat venialiter. V.g. poſtulat à me Petrus debitum mille ducatorum, cum falſis teſtibus,& inſtrumentis,ſi ego ad fugiendas lites interrogatus à iudice concedam illud debitũ, nullus Doctorum tale mẽdacium dicet mortale, ſed veniale,& officioſum,imò conſonum dicto Chriſti. [Si quis poſtulat à te pallium concede ei, & tunicam]ad fugiendas lites.

Nunc ad argumenta in oppoſitum.Ad primum dico, forſan Gloſſam illam fuiſſe illius opinionis, vel loqui de imponẽtibus ſibi aliquod falſum crimen ex atrocibus, vt hæreſim vel ſimile,quòd eſſet maxima occaſio ſcandali, & iniuriæ, vel fidei, vel ſuæ familiæ. Vnde hæc doctrina habet locum in tribunalibus ſæcularibus,& Ordinariorum,nõ in tribunali Inquiſitionis, in quo agitur de fide, vel pertinentibus ad fidem, & tàm rei, quàm teſtes interrogantur cum iuramento,& ſub cenſuris, vnde ibi quouis modo mentiri iudice ritè interrogante eſt peccatum mortale, & grauiſſimũ. Ad ſecundum reſpondeo D.Tho. loqui de inferẽte damnum in fama aliena,quia tunc infertur damnum cum iniuria non autem de nocente ſibi in fama propria quia cum ſit dominus eius,non eſt cõtra charitatem ſe infamare. Ad tertium conſtat iã mendacium non eſſe peccatum mortale, etiamſi in iudicio proferatur,niſi ſit periurium, vel nociuum.Duplex hic ſe offert dubitatio.

CONCLVSIO I.

Liceat ne infamare hominem qui falſis, & fictis virtutibus comparat ſibi famam in populo.

SOlet pars affirmatiua tribui Adriano quodlib. 11.q.1.Sed vtendũ eſt diſtinctione, aut huiuſmodi homo per illam famam eſt noxius Reip.vel proximis,aut non: Si primum, licet, imò eſt actus charitatis illum infamare,vt alii ſibi caueant,vt ſi ſit Medicus,vel Theologus famoſus quẽ ſcio ignarum eſſe,vel falſum docere,teneor aperire aliis illius ignorantiã,hypocriſim,& falſam doctrinam, Primò quia magis teneor proſpicere bono Reip. quibus iſti nocebunt,quã famæ illorum. Secundò quia ad talem famã ipſi non habent ius, cũ falsè, & fictè illã acquirant, Quod ſi huiuſmodi nec Reipub.nec aliis noceat, non licet illum infamare: vt ſi mulier reuera pauper fingit ſe ſanctã, vt eo no-

nimè eleemosynas sibi comparet, licet sciam occulta peccata illius, non possum eam infamare, huiusmodi enim personar infamare solum possumus, nec alijs noceant, in hoc autem casu, vt constituimus isti nulli nocent. Ita fit, licere prodere pauperer fictor, quia nocet veris pauperibus, vsurpando sibi eorum eleemosynas. Et Adrianum credo de his loqui, qui sunt nocivi Reip.

CONCLVSIO II.

An sit detractio, manifestare defectum naturalem, gratuitum.

Respondeo, esse pec. morta. detractionis reuelare defectum naturalem, aut gratuitū, quando ex illo sequitur infamia, vel damnum proximo contra ordinem, iuris, vt si infametur quir de ignorante, vel timido, ita, vt ex tali infamia damnum recipiat.

Nec obstat D. Thom. hic tantum loqui de defectibus moralibus, vt culpis, & vitiis, quia loquitur de his, quæ communiter, & vt plurimum accidunt, Detractio autem cum infamia, vt plurimū versatur in defectibus moralibus.

ARTICVLVS III.

An detractio sit grauius peccatum alijs quæ in proximum committuntur.

CONCLVSIO I.

Detractio grauius peccatum est ex suo genere quàm furtum, sed leuius quàm homicidium, & adulterium.

Patet. Quia detractio lædit in maiori bono, quàm furtum, cum hoc lædat in diuitiis detractio verò in fama, quæ præstat diuitijs. Adulterium verò lædit in certitudine prolis, & eius educatione, homicidium in vita, quæ bona præstant famæ, quam lædit detractio.

CONCLVSIO II.

Ex circumstantia, & per accidens euenire potest, vt aliquod furtum sit grauius aliqua detractione: et aliqua detractio sit grauior aliquo adulterio.

Vt furari deliberate 100. aureos grauior culpa est, quam detrahere alicui incogitanter, & indeliberatè: grauiora enim sunt ex parte operantis, peccata, quæ fiunt ex deliberatione, his quæ fiunt ex ignorantia, passione, vel infirmitate, & promptè, etiamsi ex suo genere, & obiecto essent hæc aliàs grauiora, peccata autem detractionis experientia teste committuntur facilius, ex lapsu linguæ, & cum minori deliberatione.

Similiter potest aliqua detractio esse grauior [illegible] adulterio, grauius enim peccatum est detrahere Principi, aut Prælato præcipuo de crimine graui, quam adulterari cum vxore hominis plebeij.

In hoc articulo obserua glossam quam habet hic. Diuus Thomas esse D. August. in illa verba Psal. 103. [Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, &cæt.] Qui locus explicatur à D. August. de his, qui dicebant de Christo in Belsebu, &cæt, quos vocat blasphemos, consistebat autem eorum blasphemia in eo, quod dicentes Christum habere pactum cum Dæmone, negabant illum verum Deum esse, & miracula virtute diuina facta tribuebāt Dæmonio, quod erat maxima blasphemia.

Disputat hic copiosè Soto, homicidium esse grauius omni peccato quod committitur contra proximum. De quo nos superius.

In solutione secundi ait D. Thom. contumeliā esse grauius peccatum detractione, Contra. Detractio lædit famam, contumelia honorem, sed maior bonum est fama quam honor, quia, iudicio cuiusuis prudentis, maius bonum est bona opinio, & existimatio, quam multi habent de me, quàm exterior reuerentia quam aliqui mihi exhibent, hæc enim sæpè exhibetur propter aliquas excellentias sine virtute, fama autem, & bona opinio non respicit nisi solas virtutes. Vnde sapiens Prouerb. 22. Eccles. 7. & Eccles. 41. constituit qualitates præeminentes ipsius famæ non verò honoris, nēpè in suauitate, in precio, & in diuturnitate.

Respondent aliqui huic argum. negante famā esse maius bonum: Sed reuera negari non potest. Respōdeo igitur cum duo sint obiecta habituum materiale scilicet, & formale, grauitatem sicut, & propriam ratione habitus sumi à formali, qua de causa, licet detractio lædat maius bonum materiale, contumelia, verò ratione obiecti formalis grauius lædit, quia detractio fit cum ignorantia, contumelia verò cum quadam vi, grauior autē iniuria est quæ fit per vim quam quæ per ignorantiam, quia magis habet de ratione inuoluntarij, quod est inuoluntarium per vim, quam quod per ignorantiam.

Sed quamuis ex parte obiecti formalis grauior sit contumelia, & absolutè, aliis tamen nominibus multo grauior est detractio.

Primò, quia lædit maius bonum nempè famā.

Secundò, quia facilius reficitur honor, nempè postulata venia, vel exhibita reuerentia, infamia verò semel concepta difficilè recedit. Vide Diuus Chrysost. homil. 8. ad populum Antiochię vbi ait, [Maiora vulnera inferunt verba quàm tela.]

Tertiò detractio pluribus nocet ex eodē Chrysost. homil. 3. ad populum Antiochiæ. tom. 5. lædit enim, & statutum Ecclesiæ, quia infideles audientes peccata detrahentium, & eorum quibus fit detractio, putant omnes fideles habere ista vitia, & mores.

Quartò detractio licentius fit, cum fiat occultè in absentia: contumelia rarius, quia hæc punitur pœna iuris, quod non est in detractione, & faciem proximi quisque reueretur, absentem verò nullius timet.

Quintò contumeliosus pugnat notabiliter in facie, detractor velut ex insidiis quia in absentia, maximè si sit vir bilinguis, & vafer, ac versipellis.

Sextò licet contumelia sit grauius peccatum, detractio tamen est periculosior, facilè enim labitur verbum, sicut blasphemia grauius peccatum est fornicatione, at attenta humana infirmitate

mitate facilius in fornicationem quam in blasphemiã labimur. Ad curandum hoc vitium duplicia media proponuntur. Ex parte detrahentis, vt emendetur, primum frequens examen conscientiæ, secundum de omnibus honorificè loqui, & excedere potius in laudibus quàm in detractione.

Tertium, & omnium præstantius silere nec curare quid alij agant, Ex parte eius cui detrahitur media optima sunt suum detractorem vincere beneficijs, & orate pro illo. Vnde Bernard. sermon. 63. in cantica in illud capite nobis vulpes paruulas, &c. ait. [Pessima vulpis occultus detractor, capietur autem beneficijs, obsequijs, & oratione.] Auctoritas Clementis Papæ quam habet hic D. Thom. ad 2. legitur in Epist. Clementis ad Iacobum fratrẽ domini: tom. 1. consiliorum & habetur De pœnitentia dist. 1. can. Homicidiorum, vbi refert D. Petrus dixisse, [Triplex esse genus homicidij: interficere fratrem, detrahere illi, & ipsum odio habere. [Vbi obserua quàm graue peccatum sit detractio, vt comparetur homicidio. Et Eccles. 10. comparatur serpenti in abscondito mordenti. Vide D. Bernar. sermo 1. de conuersio D. Pau. & sermo 24. in cantica. In solutione ad tertium, vt sit completa, & perspicua illa solutio D. Thom. addenda tunc hæc verba. [At verò contumelia maior est auersio ab ipso Deo quam in detractione, quia inferre inuoluntarium per violentiam quod competit contumeliæ, magis elongat à charitate Dei, & proximi, quàm inferre inuoluntarium per ignorantiam, quod conuenit detractioni, & ita ex parte auersionis maius peccatum est contumelia quàm detractio.

ARTICVLVS IIII.

An audiens detractionem peccet mortaliter.

CONCLVSIO I.

Qui ita audit detractorem, vt audiendo illum inducat ad detrahendum, non minus peccat quàm ipse detractor, imò grauius.

PAtet. Quia ex D. Pau. Rom. 1. agentes, & consentientes, sine cooperantes alicui malo æqualiter peccant. Addidi grauius, quia maior est malitia inducentis quàm ipsius peccantia. Et loquor non solum de illo, qui audiendo inducit de nouo illum qui non erat paratus ad detrahendum, vt qui rogat Ioannem quid dicitur de Petro? sciens Ioannem reuelaturũ crimina Petri, verum etiam de eo qui paratum ad detrahendum accendit, & inflammat, siue id faciat verbo, siue nutu, & gestu, siue quocunque alio signo. Vnde isti tenentur sicut, & ipse detractor ad restitutionem famæ, meliori modo quo poterunt. Patet ex dictis de eo, qui inducit alium ad nocendum quęst. 62. artic. 7.

CONCLVSIO II.

Qui lætatur audiendo detractionem, ea ratione, vt inducat, vel inflammet detractorem ad detrahendum, peccat sicut detractor contra charitatem, & iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Qui autem lætatur audiendo, sed sua letitia neque inducit, neque inflammat detractorem, peccat quidem mortaliter contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem famæ.

PRimà pars patet. Quoniam qui ea ratione lætatur inducit, inflammat, & cooperatur illi detractioni, & est con causa.

Secunda, quia etsi non inducat, nec inflammet, habet tamen complacentiam de damno illius, cui detrahitur, & de peccato detractoris, complacentia autem de peccato mortali, peccatum mortale est.

Tertia verò patet, quia cum non inducat, neque inflammet animum detractoris, non cooperatur peccato illius. De huiusmodi audientibus detractiones ait D. Bernar. in fine secundi lib. de consideratione ad Eugenium [Detrahere aut detrahentem audire; quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.] Et D. Hieronym. Epistol. 2. ad Celentiam de vita clericorum simile ait, quem adducit hic D. Thom. in argumento in contrarium.

Probatur etiam hæc secunda conclu. à simili. Lętantur duo de furto Petri, ita vt vnus sua lætitia occasionem dederit Petro, vt furaretur, alter lætator quidem est, sed non offert talem occasionem sua lætitia: ille prior peccauit, & contra charitatem, quia est concausa, & complex illius furti, posterior verò cõtra solam charitatem, quia sicut charitatis est gaudere de bono proximi, ita contra charitatem proximi est, gaudere de damno illius: non tamen contra iustitiam, nisi teneretur ex iustitia illud impedire. Idem dicendum est de eo qui lætatur de infamia proximi.

CONCLVSIO III.

Qui nec inducit detractorem, nec lætatur, audit tamen illum, nec resistit cum commodè possit, aliquando peccat venialiter, & quando mortaliter.

VEnialiter, si sit detractio de re leui, vel de re adeò publica, vt parum, vel nil acrescat infamiæ illi, cui detrahitur. Mortaliter si sit res grauis idque in tribus casibus.

Primò, quando audiens tenetur ex officio corrigere detractorem.

Secundò quando ex illa detractione videt imminere grauia dãna, vt homicidia, aut discordias mortales.

Tertiò quando cum possit resistere detrahenti sine damno suo id dimittit ex timore humano, ne illius amicitiam, fauorem, aut alia commoda temporalia amittat.

Probatur hæc conclu. quia non obstare damno proximi cum commodè possis, in re graui est mortale, saltim contra charitatem, in his, qui non tenentur ex officio, si verò teneantur ex officio, est contra charitatem simul, & iustitiam, vt patet in eo, qui potest commodè impedire furem, vel homicidam.

Desinet autem esse peccatum audire detrahentẽ, nec resistere. 1. si ex tali resistẽtia videat sibi imminere aliqđ dãnum, vt si detractor sit vir iracundus, & immittis probabileq; sit iniecturũ manus in ipsũ, vel contumelijs affectorũ. 2. ex rationabili vere-

verecundia, vt si sit famulus, vel subditus, nulliusque vel exiguæ auctoritatis apud suum superiorem: quia si alicuius auctoritatis sit, & audiat illū libenter superior in alijs concilijs, debet illum humiliter, & cōmuniter admonere ne detrahat. 3. Si videat, se nil profuturum, quia correctio non est adhibenda, vbi non est spes emendę. In his autem casibus tenetur audiens, aut inde recedere, si commodè possit, aut saltim vultum tristem ostendere, iuxta illud Prouerb. 25. [Ventus Aquilo dissipat pluuias, & vultus tristis lingoas detrahentium,] Vide D. Hierony. in Epist. ad Celantiam quæ est 4.

Hæc omnia aperta sunt, & communia apud omnes, tantum se offert hic dubitatio.

AN PRAELATVS AVDIENS subditum, vel extraneum detrahentem alicui, & tacens, peccet contra charitatem simul, & iustitiam.

CONCLVSIO PRIMA.

Prælatus audiens aliquem detrahentem subdito suo, quicunque sit detractor ille, siue subditus eidem prælato, siue non peccat mortaliter contra iustitiam, & charitatem, & tenetur ad restituendam famam suo subdito.

PAtet. Vt vidimus quæstione 62. art. 7. non obstans damno proximi ad quod tenetur ex officio, vt prætor non resistens latroni furanti bona sui ciuis, peccat contra charitatem, & iustitiam, & tenetur ad restitutionem illius damni, sed prælatus tenetur ex officio obstare cuiuis detrahenti de suo subdito, quia tenetur ex officio curare bona spiritualia subditi, & temporalia necessaria ad illa, quorum vnum est fama, cum ea amissa facilè, & liberè homines prorumpant in vitia, ergo.

Hæc conclus. est communis inter Thomistas, quamuis nonnulli illam non admittant.

Primò, quia prælati non tenentur curare nisi bona spiritualia subditi non autem temporalia, & externa, quale est fama.

Secundò quia prælatus tantum tenetur curare, ne subditus peccet, non tamen ne alij peccent in ipsum, imò potest illud pati, vt si patientia illius exerceatur, & augeatur meritum, at ex detractione aliorum non peccat subditus, imò meretur ferendo patienter linguas detrahentium.

Tertiò, Si prælatus teneretur, hoc ideo esset, quia læditur fama subditi, sed non læditur imò apud viros prudētes, & probos augetur, eo quod patienter fert iniurias sibi illatas.

Sed hæc argum. nullius momenti sunt. Ad primum respondeo, teneri prælatum ad curanda bona subditi, non solum spiritualia, verum etiam tēporalia, quæ aut simpliciter, aut communiter, & moraliter sunt necessaria ad illa, quale est fama, fouet enim virtutem, & eam colit.

Ad secundū dico teneri prælatum curare, non solum ne subditus peccet, verum etiam ne ipsi offeratur occasio grauis ad peccandum, qualis est omissio famæ, cum ea perdita homines liberius viuant.

Dico secundo, non semper exerceri patientiam subditorum ex linguis detrahētium, imò frequētius molestè illas ferre, & indignari, ac excitati odio. Quod si subditus patienter ferat, non est eadem ratio de subdito, & prælato, quia subditus potest cedere iuri suo & pati detractionem, prælatus autem non potest cedere iuri subditi, nec debito sui muneris, quo tenetur curare bona subditi, & vitare damna ipsius: Sicut priuatus potest pati damna, quæ sibi inferuntur à latrone, iudex autem non potest, sed tenetur illi obstare.

Ad tertium dico, subdito quidem accrescere famam, & laudem, si patienter ferat detractores, non tamen prælato, quia illi qui potest cedere iuri suo laus est tacere, prælato verò cum teneatur ex officio resistere, non est laus imò indecorum, cum non benè exequatur suum officium. Est etiā damnum in honore subditi, quia circumstantes videntes prælatum tacere efficacius credent detractori.

CONCLVSIO II.

Prælatus audiens subditum suum detrahentem alteri extraneo, & non sibi subdito peccat mortaliter contra charitatem, & iustitiam, & tenetur illi non subdito quātum poterit prospicere, compellendo subditum ad restituendam famam cui detraxit, aut restituendo per se ipsum, si non habeat locum talis compulsio.

HÆc cooclus. probatur sicut præcedens, quia tenetur ex officio, & iustitia obstare, ne sibi subditi alijs noceant. & quando id non præstat cū possit, indirectè est causa damni sub sequuti.

Secundò, si iudex, vel Princeps ferret sibi subditos aliis vicinis nocere, cum posset prohibere, nec compelleret eos ad restituendum illud damnum, vel ipsemet restituere, potest Rex partis læsæ omnium consensu iustum bellum mouere contra illum Regem, ergo Rex ille peccauit contra iustitiam, ferendo illud damnum quod sui subditi vicinis intulerunt, & tenetur ad compellendos illos ad restituendum, vel ipsemet restituere. Sed prælatus perinde se habet ferens subditum detrahere, extraneo, ergo tenetur similiter compellere illum ad restituēdam illi famam, aut per se ipsum restituere.

In hanc conclus. conueniunt omnes, teneri prælatum ad compellendum, subditum ad restituendam famam alteri, quia prælatus, & iudex officio tenentur compellere, subditum ad actus iustitiæ debitos, & ad faciendam æqualitatem cum non sibi subdito. Soto in lib. 5. quæst. 10. art. 4. & nonnulli alii non sentiunt, teneri ad restituendam illi famam subdito non restituente: quia restitutio non est facienda nisi propter damnum illatum cōtra iustitiam debitam illi cui damnum infertur, Prælatus autem ex officio, & iustitia solum recipere bonum sui subditi, & ita reprimere eum ne detrahat, & compellere, vt restituat si detraxit, non tamen teoetur ex iustitia curare famam non sibi subditi. Nihilominus conclusio posita est vera, Sat enim est, vt superior teneatur ex officio, & iustitia impedire malum, quod suus inferior infert, vt teneatur etiam ad illius restitutionem, si non prohibuit, cum possit prohibere, cuicunque illud damnum inferatur, Et quis dubitat teneri prætorem ad restituendum furtum, quod in suo loco factum est, si non impediuit cum potuisset impedire? etiam si is cui res accepta est sit extraneus, eo ipso quo talis prætor tenebatur ex officio,

tio, & iustitia furrum illud impedire. Ex his sequitur priuatos audientes detractionem, cum nõ induxerint ad illam, non teneri ad aliquam restitutionem famę, quia tantum peccat contra charitatem in casibus dictis, non contra iustitiam, cum ad id non teneantur ex officio.

QVAEST. LXXIIII. DE SVSVRRATIONE.

ARTICVLVS I.

An susurratio sit peccatum distinctum à detractione.

NOtemus susurrationem esse occultam, & clandestinam quandam oblocutionem contra proximum, ad dissoluendas amicitias, & seminandas discordias inter amicos, Vnde conueniunt detractio, & susurratio in modo, quia vtraque fit occultè, & in materia, quia vtraque dicit malum de proximo, quamuis detractor propriè dicit verè malum, & defectus, susurro verò, aut verum malum, aut id quòd videbitur malum illi apud quem susurrat, & aptum ad indignandum illum, dissoluendamque amicitiam, propter quòd sępè sumuntur promiscuè, & pro eodem hæ duæ voces susurro, & detractor. Vnde in illud Eccl. 5. [Non appelleris susurro. ait Glos. est, detractor.] Differunt autem fine, quia finis proprius detractoris est denigrare famam proximi, finis verò susurronis est dissoluere amicitiam, & seminare discordias inter amicos, ita Prouer. 26. dicitur, [susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Eccl. 21. agendo de susurrone dicitur: Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiã. Et Rom. 1. Susurrones detractores. ait Gloss. Susurrones inter amicos discordias seminant, detractores verò aliorum bona negant, vel minuunt.

CONCLVSIO PRIMA.

Susurratio vitium est specie distinctum à detractione.

PAtet, distinctio formalis, & specifica in habitibus sumitur ab obiecto formali, obiectũ formale detractionis est dicere malum de proximo occultè ad denigrandam eius famam, obiectum verò proprium, & formale susurronis est dicere malum de proximo, & occultè ad feminandas discordias, hęc obiecta formaliter differunt per malitias specificè distinctas, ergo susurratio & detractio specie quoque distinguuntur.

CONCLVSIO II.

Quamuis sint diuersæ species amicitiæ, quæ per susurrationem dissoluuntur, quia alia est amicitia quæ nititur bono honesto, alia quæ vtili, alia quæ delectabili, susurrationes autem omnes conueniunt in vna specie infima susurrationis.

QVia susurratio non respicit cui bono nitatur amicitia, sed solum intendit illam dissoluere, abstrahendo ab hac, vel illa amicitia: sicut odium est infima, & atoma species, licèt mala, quæ per odium desiderantur proximis, sint varia, & specie distincta, quia ad odium tantum pertinet velle malum proximo, abstrahendo ab hac, & illa specie mali.

ARTICVLVS II.

An detractio sit grauius peccatum susurratione.

OBseruemus primò, sicut amicitia alia honesta est, & studiosa, vt quæ nititur litteris, virtuti & alicui bono honesto, alia turpis, & vitiosa, vt quæ nititur alicui vitio, & peccato, ita susurrationem aliam esse ad dissoluendam amicitiam honestam, quæ propriè est susurratio, aliam verò ad dissoluendam amicitiam turpem, quæ propriè non est susurratio, sed dilectio, & desiderium boni proximi, vt qui nititur medius licitis seminare discordiã inter virum, & concubinam, vt celler turpis illa amicitia, & libido, Non est hic sermo de hac susurratione, quæ vitium non est: modò non reuelentur crimina occulta, aut quid illicitum fiat, cũ non sint facienda mala, vt inde veniant bona, sed quæstio est de susurratione quæ fit ad dissoluendam honestam amicitiam.

Obseruemus secundò amicitiam, vel esse virtutem, vel quid præstantius, saltim esse præsidium virtutis, & robur pacis ac charitatis, nascitur. n. vera amicitia ex virtute, & illam fouet: quia eos quos bonum virtutis nomen cõmendat, etsi ignóros amamus, & prosequimur, & cum à virtute recedimus à nullis melius ad eam reuocamus quam ab amicis, quo fit amicitiam præstare honori, & famæ.

Primò, quia amicitia est virtus, aut propinquior virtuti.

Secundò, quia honor, & fama sunt dispositiones, & via ad amicitiam, cum illos, qui benè audiũt amemus, finis autem præstantior est his, quæ sunt ad finem. Vnde Eccl. 6. [Amico fideli nulla est comparatio.]

Tertiò, quia licet pro amico vitam exponere, quod non licet pro honore, & fama, nisi illi aliquod bonum spirituale, vel commune adiungatur.

Obseruemus tertiò, susurrationem, sicut diximus de detractione aliam formalem esse aliam materialem, formalis est, quæ fit cum intentione seminandi discordias, materialis, quando dicitur malum quòd natum est seminare discordias, non tamen eo fine, Rursum hoc malum quòd est materia susurrationis, aut simpliciter, & absolutè, & apud omnes est natum generare discordias inter amicos, aut secundum quid, quia apud tales amicos generabit illas propter aliquam circumstantiam.

CON-

CONCLVSIO PRIMA.

Susurratio formalis peccatum mortale est ex suo genere, & grauius detractore, ac contumelia.

PAtet prior pars, quia lædit maximum bonũ, nempe amicitiam, & pacem amicorum, quo bono inter temporalia nullum maius est, nec magis accedens ad spiritualia.

Secunda verò probatur, quia pax, & concordia amicorum præstat ex secunda ratione famæ, & honori, & ita maius nocumẽtum infertur per susurrationem quam per detractionem, & contumeliam. Dixi ex suo genere, quia potest esse peccatum veniale. Primò, ex leuitate materię. Secundò, ex modo dicendi, vt si dicatur iocosè ac ita, vt non credatur, nec lædat. Tertiò, ex imperfectione actus, vt quando non lædit amicitiam, sed excessum amicitiæ, vt nimiam familiaritatem, & consuetudinem, manente tamen quo ad substantiam amicitiæ eadem beneuolentia.

CONCLVSIO II.

Susurratio materialis non est peccatum mortale ex suo genere, sed aliquando veniale, aliquando mortale.

MOrtaliter, quando dicitur malum, quòd natum est generare discordias, vel simpliciter, & absolutè, vel ratione personarum apud quas exercetur, noueratq; se susurro posse apud illos generari, quia in his casibus etsi desit intentio, nihilominus infert graue nocumentum, & damnum, cui debebat prospicere: Venialis verò est, quando dicit malum quòd simpliciter non est natum generare discordias, licèt aliquo modo lędat amicitiam, quia in hoc casu nec peccauit mortaliter ex intentione, nec ratione damni, cum dixerit malum quòd non est natum generare graues discordias: quod si inter aliquos possit illas generare, ex peculiari illorum ingenio, & circumstantiã, ignorabat illud inculpabiliter. Est autem veniale, eo ipso quo dicit malum, & cum aliquo periculo seminandi aliquas discordias. Offert se hic dubitatio.

QVI AMICITIAM, VEL gratiam prælati non potest, quin alium ab ea deijciat, poterit ne illud eniti susurratione aliqua?

SOto lib. 5. quæst. 11. artic. 1. affirmat, quamuis cum aliquo dubio, forsan id licere, modò nulla sit fraus, vel dolus, neque reueletur aliquod vitiũ occultum fratris cum eius infamia, neque ita seminetur discordia, vt fiat ille inimicus principis, vel prælati, sed tantum reueletur aliquis defectus naturalis, vel alius verus, & ex quo nec sequatur infamia, nec odium proximi, sed solum cadat ab illa familiaritate, & intima consuetudine, vt possit hic alius in amicitiam principis illius, vel prælati introire. Hæc opinio Soti nonnullis simpliciter, & absolutè videtur vera. Et probatur. Vnusquisque potest eniti proprium bonum, & commodum viis licitis, & honestis: sed in hoc casu iste nititur proprium commodum, nec vtitur via illicita, ergo.

Probatur minor, viæ illicitæ sunt, Primò vti fraude, & dolo. Secundò, infamare proximum. Tertiò, dissoluere amicitias, & seminare odia. Quartò, expoliare fratrem aliqua re, in quam habet ius, Sed nil horum accidit in hoc casu, statuimus enim hunc nulla vti fraude, nil occultũ, aut quod infamiam afferat reuelare, nec dissoluere amicitias, sed tantum illum excessum manente amicitia, nec expoliare illum aliqua re, in quam habet ius, quia amicitia est bonum gratuitum pẽdens à libera voluntate amici: in gratuita autem nullus habet aliquod ius, gratis enim conferuntur, & gratis possunt negari.

Oppositum placet aliis. Quia nõ solum peccat contra iustitiam qui expoliat fratrẽ bono ipsi debito ex iustitia, verumetiam qui expoliat ipsum bono gratuito iam sibi concesso, vt si quis decreuisset conferre eleemosynam pauperi, qui suaderet illi mutare hoc decretum, tenetur ad restituẽdum, sic in proposito, quamuis amicitia res gratuita sit, postquam autem aliquis iam est admissus in amicum principis, expoliare illum tali amicitia, etsi non seminetur discordia, est expoliare illum bono iam ipsi concesso, quod est contra iustitiam.

Et confirmatur, quia ita nunquam susurratio esset peccatum mortale, cum quæuis amicitia, & concordia, quæ susurratione læditur sit bonum gratuitum.

Hæc sententia est verior, sic tamen moderãda, vt si familiaris ille principis nullum incurrat dãnum, nec amittat bonum notabile sibi, vel suis, eo quod desinat esse familiaris sicut solebat principi non erit mortale reuelare aliquos defectus illius veros, & citra infamiam, quibus cadat ab illa nimia familiaritate, nõ tamẽ ab amicitia, quod probat ratio Soti. Quod si incurrat aliquod damnum, aut amittat aliquod bonum ipsum, vel sui, tunc non solum ab amicitia, verum etiam ab illa familiaritate illum excludere est mortale: quia licèt amicitia sit bonum gratuitum, postquam tamen in illam quis admissus est, habet ius ne illa cum damno priuetur, sicut pauper habet ius ne quis impediat eleemosynas, quas diuites illi conferre volunt: Maxima enim illa: Vnicuique licet sibi consulere est vera, modò ne fiat cum damno aut iniuria alterius.

Contra id quod habet hic D. Tho. susurrationem esse grauius peccatum contumelia, quia nocet in grauiori, & meliori bono nempè amicitia, est argumentum: Quia eadem ratione detractio esset grauius peccatum quam contumelia, quia nocet etiam in grauiori bono nempe in fama. Similiter si contumelia est grauius peccatum quàm detractio, quia hęc fit in absentia illa verò in pręsentia, eodem modo oportebit contumeliam esse grauius peccatum susurratione, quia hæc quoque fit in absentia.

Respondeo in peccatis potissimè considerari damnum, quod inferunt, quando damnum vnius maximè excedit damnum alterius, quicquid sit de aliis circumstantiis, illud est grauius peccatũ, quod infert grauius damnum: quando autem excessus in damno exiguus est, tunc considerantur, & aliæ circumstantiæ, Vt si compares homicidiũ cum furto, vel adulterio, quicquid sit de circumstantiis,

stantijs, homicidium est grauius furto, & adulterio, quia damnum quod infertur per homicidium est multò grauius, & in notabili excessu, damnis quę inferuntur furto, vel adulterio. Susurratio est grauius peccatum contumelia, quia excedit illam notabiliter in damno, sicut pax, & amicitia est bonum notabiliter excedens famam, & honorem, ideo cum comparamus hæc duo vitia inter se, nõ attendimus circũstantias istas, quod aliud in præsentia aliud verò in absentia fiat. Inter detractionem verò, & contomeliam non est excessus notabilis in damno, sicut fama non est maius bonum quàm honor in notabili excessu, & ideo in his attendimus circumstantias, & contumeliam dicimus grauius peccatum detractione, quia grauior malitia est inferre iniuriam cum tali circumstantia, nempè in præsentia, quam in absentia,

QVAESTIO LXXIII DE IRRISIONE.

ARTICVLVS I.

An derisio sit peccatum distinctum specie à tribus præcedentibus.

NOtemus, quemadmodum quatuor sunt, quæ homo propter virtutem meretur, nempè honorem, & reuerẽtiam ab amicis, & notis bonum nomen, & famam apud omnes beneuolentiam, & amorẽ ac amicitiam aliorum, gloriamque, & lætitiam bonæ conscientiæ apud se ipsum, ita quoque in his quatuor lędi ore maledicorum: contumeliosus lędit in honore, detractor in fama, susurro in beneuolentia, & amicitia, derisor in illa gloria, & lætitia bonæ conscientiæ, dicendo mala, & defectus quibus frater erubescẽtia, & pudore profundantur. Dicuntur autem mala, & turpia ad afficiendum fratrem pudore, & erubescentia, quòd Hispanè dicimus [correr y auergonzar] duobus modis, vel ore, & sermone, vt verbis irrisorijs, & ironicis, vel signis, vt naso rugato, extensis labijs, quę signa æquiualẽt verbis irrisoriis: prior modus prouocandi fratrem ad erubescentiam dicitur derisio, secundus subsanatio, Ita, fit vt omnia illa vitia contumelia, detractio, susurratio, & derisio conueniant in materia, quia omnia ista dicunt malũ, & defectus proximi: differant verò fine, & damno, cum finis detractoris sit denigrare famam, cõtumeliæ lædere honorem, susurrationis dissoluere amicitias, irrisionis afficere fratrem rubore, & verecundia, & expoliare ipsum illa quiete, & lætitia bonæ conscientiæ, tollit, enim huiusmodi erubescentia, & pudor quietem conscientiæ.

CONCLVSIO I.

Derisio differt specie ab alijs vitijs præmissis.

PAtet. Peccata, quæ ore, & sermone committuntur, potissimè pensanda sunt ex intentione, & fine proferentis, sed hæc quatuor vitia contumelia, detractio, &c. differunt, vt constat fine, & nocumento, licèt cõueniant in materia, ergo differunt specie.

CONCLVSIO II.

Derisio, & subsanatio non differunt specie.

PAtet, quia conueniunt in fine, qui est replere fratrem pudore, quamuis differant in modo, distinctio autem specifica in his à fine sumẽda est non à modo.

ARTICVLVS II.

Sitne derisio peccatum mortale, an veniale.

OBseruemus primò, cum derisio fiat prolato aliquo defectu fratris per iocum, & ludum, quasi illud leue sit, bifariam posse illud leue esse, aut simpliciter, & secundum se, aut quia irrisor cum malum illud ex se graue sit, profert tamen illud tanquam leue, propter contẽptum in quo habet fratrem, sicut vocare aliquem stultum graue est secundum se, at quem verè credimus stultum, ita appellare iudicamus leue ratione personæ. Quo fit vt hic secũdus modus irrisionis habeat admixtam contumeliam, & contemptum: contumeliam, cum obiiciamus fratri defectum grauem, quo læditur ipsius honor, vnde sequitur illa erubescentia, quæ est proprius effectus irrisionis, contemptum verò, cum defectum illum secundum se grauem, obiiciamus quasi leuem, & iocosum, quia paruipendimus fratrem.

Obseruemus secundò malum quòd simpliciter paruum est, ex circumstantia personæ posse iudicari graue, Et hoc dupliciter, vel quia ex suo vili ingenio illud fert tanquam graue, vel quia ratione status, aut honestatis vitæ prudenter de illo grauiter erubescit, vt siquis mulieri honestissimæ ioco, & irridendo diceret, illam secreto cum homine esse depræhensam.

Obseruemus tertiò sicut in præcedentibus vitijs, derisionem aliam esse materialem, quæ fit sine animo afficiendi fratrem rubore, sed solo ioco ad animi recreationem. [Como algunas conuersationes y matracas honestas y discretas] aliam formalem, quæ fit animo, & intentione pudefaciendi fratrem.

CONCLVSIO II.

Derisio quæ fit obijciendo fratri malum leue, tàm secundum se quam ratione personæ, peccatum veniale est ex suo genere.

QVia tunc tàm malum, quod dicitur, quàm nocumentum, quod potest inferre, est leue, & ferè nullum.

Dixi tàm secundum se, quàm ratione personæ cui dicitur: quia si malum illud secundum se leue, ratione status, vel honestatis personæ interac

grauem

grauem erubescentiam, est mortale: Infert enim tunc graue nocumentum, quòd ille tenebatur vitare. Quod si erubescat ille propter vile ingeniū: aut nouerat irrisor ingenium illius, aut secus, si quidem nouerat, est etiam peccatum mortale cōtra charitatem, qua tenemur vitare molestias fratrum, quantum commodè possumus, si verò ignorabat, est solum veniale, quia dixit malum leue, excusaturque per ignorantiam inculpabilem.

CONCLVSIO II.

Derisio qua obijcitur malum secundum se graue, sed velut ioco, & leue, ex contemptu fratris, est peccatum mortale, grauius contumelia, & tanto grauius, quantò persona cui illuditur maioris est reuerentiæ.

PRima pars huius conclusionis patet, quia infertur grauè nocumentum in pudore fratris, obijciendo malum graue, quo afficitur graui erubescentia.

Secunda verò probatur: quia talis modus irridendi ea prima obseruatione, non solum habet admixtam contumeliam, verum etiam maiorem contemptum fratris, quàm sit in contumelia: Cōtumeliosus enim obijcit malum serio, derisor cōtemnendo fratrem, vnde derisio hæc addit supra contumeliam contemptum fratris, & maiorem quam contumelia.

Tertia pars aperta est, quia quando reuerentia personæ, quæ irridetur maior est, tāto grauius est erubescentia illam afficere, ac contemnere, Vnde constituit hic D. Thom. quatuor gradus irrisionis mortalis.

Primus omnium grauissimus, qui propriè est blasphemia, quando irridetur Deus ab aliquo impio.

Secundus, quando irridentur parentes à filijs.

Tertius, quando irridentur opera studiosè iustorum quæ derisio est maximè nociua, quia solet quantum in ipsa est generare in animo iusti tristitiam de bono virtutis, & erubescentiam damnabilem, iuxta illud Christi. Luc. 9. [Qui me erubuerit, & sermones meos, erubescam. & ego illū coram patre meo.] Tantaque potest esse eminentia iusti, vt grauius sit illum irridere quam parentes. In vltimo gradu est derisio, quæ fit fratrum, non quia iusti sunt, sed promiscuè ad eos irridendos.

CONCLVSIO III.

Derisio quæ fit sine animo lædendi fratrem, nec illum aliquo modo lædit, sed fit, vel vt ea via corrigatur ab aliquo defectu, vel vt recreetur animus, non est peccatum, sed actus virtutis Eutrapeliæ.

CVm sit honesta recreatio, & qua ad refocillãdum animum quandoque iusti, & prudentes vtuntur. Sed quia huiusmodi derisiones sæpè desinunt esse recreationes honestæ, & fiunt molestæ, [y burlas pesadas,] timentes Deum ab eis curēt abstinere.

Duæ hic dubitationes se offerunt. Prima contra secundam conclus. qua dicitur derisionem esse grauius peccatum contumelia. Contra contumelia, lędit grauius bonum, nempè honorem, qui maius bonum est quam verecundia, ergo. Respōdent Caiet. & Soto in his vitijs distinctionem sumi ea fine, grauitatem verò aliunde, ex damno, vel iniuria fratris, & ita distingui derisionem, & contumeliam, quia hæc lædit honorem, illa verò verecundiam: Esse autem grauiorem derisionem contumelia, quia illa continet maiorem contemptum, & consequenter maiori iniuria afficit fratrem. Est optima solutio. Sed possumus etiam huic loco accommodare, quæ diximus vltimo articulo quæstionis præcedentis. Vt in vitijs, quando damnum notabiliter excedit, ex damno sumatur grauitas peccati, quando verò nō multum excedit, sumatur aliunde ex aliqua circumstantia, ita in proposito: honor præstat quidem verecundiæ, non tamen multum, & ideo inde non sumetur grauitas, sed ex illa circumstantia cōtemptus, quæ grauem infert iniuriam.

Alia dubitatio est, sit ne derisio pec. mor. vel veniale ex suo genere. Dico vno verbo, ex suo genere esse veniale.

Primò, quia propriè irrisio dicit malum, vt leue. & ita D. Thom. in prima conclus. adiecit esse veniale ex suo genere, quòd non dixit in secūda, in qua agit de irrisione mortali.

Secundò, quia si irrisio ex suo genere esset mortale, quæuis irrisio formalis, & secundum totam suam latitudinem esset mortalis: at irrisio de qua prima conclus. D. Thom. est irrisio formalis, & continetur intra latitudinem irrisionis, nec tamen est mortalis.

Tertiò, quia D. Tho. in solutione secundi ait, derisionem absolutè, & ex sua ratione esse leuius peccatum contumelia, quia ex sua ratione non dicit conceptum, sed ludum, esse autem grauius peccatum contumelia, quatenus dicit maiorem contemptum.

Vnde derisio secundum se est ludus qui ex suo genere venialis tantum est, redditurque mortalis, ratione contumeliæ, & contemptus admixti.

Denique tota ratio ob quam irrisio est peccatum, est quia lædit pudorem, & verecundiam fratris, ex hac verò parte non lædit grauiter nisi ratione venialis tantum est. Quod si obiicias, in his quæstionibus agit D. Thom. de peccatis iniustitiæ verborum, iniustitia autem ex suo genere est mortalis.

Secundò irrisio repugnat charitati. Ad primū dico meritò D. Thom. posuisse titulum de iniurijs verborum non de iniustitijs, quia non omnis iniuria ex suo genere est mortalis, sunt enim, & iniuriæ præter charitatem, quæ non sunt mortales. Ad secundum dico irrisionem secundum se esse ludum, & iocum, & ita non esse contra charitatem, reddi autem contra charitatem ex contumelia, & contemptu, si illi misceantur.

QVAEST.

QVAESTIO LXXVI. DE MALEDICTIONE.

QVATVOR ARTICVLI

Huius quæst. hoc quærunt: Quotuplex sit maledictio, & quando sit peccatum, quando verò non.

OBseruemus primò, cum maledicere, vt nomen ipsum sonat, sit malum dicere, tribus modis posse id fieri.

Primò, indicando, & reuelando aliquod malum fratris, quod pertinet ad contumeliam, detractionem, & alia vitia præcedentia.

Secundò, afficiendo ipsum aliquo malo, aut mouendo aliquem ad illud inferendum, quod fit per modum imperantis.

Tertiò optando, exprimendoque desiderium, illud animi aliquo verbo optatiui modi. Ex his modis primus non est huius loci, sed secundus, & tertius, & maximè tertius: hi enim, est frequens, & in vsu, vnde iuxta secundum modum benedicere est bonum imperare, vel facere, quod proprium est Dei, cuius benedicere est benefacere, quod proprium est Dei, cuius benedicere est benefacere, maledicere verò malum imperare. Iuxta tertium autem benedicere est præcari bonum alicui, maledicere verò præcari malum. Potestq; hoc fieri in alijs vitijs bifariam fieri, aut formaliter animo, & intentione, vt illud malum eueniat, aut materialiter oretenus proferendo maledictiones, verba, animo verò nil tale desiderando.

Obseruemus secundò, hos duos modos maledicendi, imperatiuè, vel optatiuè, ita differre, vt maledicere optatiuè, si nullum sit scandalum, aut intentio, vt illud eueniat, communiter, vt ostendemus non sit culpa mortalis: maledicere autem imperatiuè, etiam si fine intentione, vt illud eueniat, tale peccatum esse, quale est malum, quod imperatur: Vt imperat dominus seruo, vt nudo gladio terreat vicinū, etiamsi animus eius sit, vt leuiter, ioco ille terreatur, attamen, quia talis terror grauis est, peccat mortaliter, quia licèt formaliter, & directè non intenderit illum grauiter terreri, virtualiter tamen illud voluit, cum voluerit id ex quo damnum illud, & terror potuit euenire, & tenebatur cauere: Sicut est homicida mittens sagittam in itinere, in quo potest aliquis occidi, etiamsi non habeat animum occidendi.

Obseruemus tertiò bifariam posse alicui malū imprçcari, vel sub ratione mali, & qua illi malum est, quod est formaliter velle illi malum, vel sub ratione boni, non optando illud, vt malum, sed quatenus medium est necessariū, vel maximè vtile ad aliquod bonum: Vbi cum id liceat imprçcari, quòd licet optare, & velle, quia exterior imprçcatio est actus elicitus, & imperatus ab interiori desiderio volūtatis efficitur, vt sint eiusdem rationis.

Denique obseruandum est, ex his, quæ docet D.Thom. quæst. 25. art. 5. his tribus modis licere velle malū proximo, primò, ratione iustitiæ, quomodo optamus peccatores iuridicè, & iustè puniri à Deo, vel à iudicibus.

Secundò, propter gloriam Dei, quomodo Prophetæ sæpè præcantur mala peccatoribus. Elias 4. Reg. 1. Elisæus pueris c. 2. Noe filio suo Gen. 9. Iacob Rubē. Gen. 49. Dauid Psal. 108. Vel ob bonū commune, qua ratione possumus optare, vt Turcæ, Hæretici, & alij peccatores nocui, aut conuertantur, & desinant nobis nocere, aut tollantur è medio.

Tertiò, ratione proprij boni honesti, vel vtilis: honesti, vt puellæ, quæ sollicitatur à iuuene potest optare illum infirmari, vt sic cesset ab illa libidine, vel tollatur, nisi conuertendus sit, vtilis, vt qui iniquam litem mecum ducit infirmetur, vt sic resipiscat, & cesset, vel fiat pauper, si ex abundantia diuitiarum mouit illam litem. Quo etiam modo mulier, quæ videt virum suum dilapidare bona, sua potest optare, vt infirmetur, & sic resipiscat. Quæ omnia intelligenda sunt, quando existit culpa in eo cui malum desideratur, nam si nulla sit in eo iniquitas, non licet desiderare illi malū ob propriam vtilitatem, sicut non licet filio desiderare mortem patris ob hæreditatem. Sed dices, quod non licet facere non licet desiderare, non licet non bis inferre ista mala proximis, ergo nec desiderare. Respondeo quidquid alij dicant, quę nos facere non possumus, non posse nos optare, vt à nobis fiant, quæ verò ab alijs iustè, & licitè fieri possunt, posse nos optare, vt ab illis fiant ob debitum finem: & ita ego non possum occidere malefactorem possum tamen optare, vt à iudice occidatur ob bonum iustitiæ, ego non possum occidere peccatorem, possum tamen optare, vt à Deo occidatur ob bonum cō munc, vel alium finem ex dictis.

Obseruemus quartò, cum maledictio, & benedictio illis tantum rebus conueniant, quę sunt capaces iuris, vel iniuriæ, fœlicitatis aut infœlicitatis, creaturas irrationales secundum se non esse capaces benedictionis, aut maledictionis, sicut nec secundum se sunt capaces fœlicitatis, vel infœlicitatis: benedici autem, vel maledici, vel in ordine ad Deum quatenus sunt creaturæ, & effectus illius, vel in ordine ad hominem quatenus illi vtiles sunt, vel cōtineant aliquid hominis, vtiles sunt illi terra, fructus, iumenta, cootinent aliquid hominis tempus, & locus, continent enim natiuitatem, actiones, & mortem hominis, Vnde per tropum, & metaphoram sumitur aliquando dies natiuitatis pro ipsa natiuitate, vel malis, quibus homo nascens sit obnoxius, locus pro bello, aut homicidio, vel alio opere humano quòd in eo loco factum est.

CONCLVSIO PRIMA.

Maledictio formalis qua præcamur alteri malum sub ratione mali, cum animo, & intentione, vt illi eueniat, est peccatum mortale ex suo genere, sed lenius detractione, & contumelia.

PRobatur prior pars. Quia talis maledictio procedit ex odio interiori, & est directè contra charitatem, actus autem interior eiusdē rationis est, & malitiæ cum interiori.

Probatur secūda, quia huiusmodi maledictiones tantum optant malum pœnæ, detractor autē, &

& contumelius enunciant de fratre malum culpę.

Secundò, quia huiusmodi maledictiones optatiuæ, licet desiderent malum, non tamen inferũt, neque habent vim ad inferendnm, vt dicemus, detractio verò, & contumelia inferunt in honore, & fama nocumẽtum, Dixi maledictiones simplices, & optatiuas, nam maledictio, quæ imperatiuè fit eum per eam insectatur damnum, erit grauior detractione, & contumelia, si damnum quod per ipsam infertur grauius sit.

Ex hac conclus. sequitur maledictionis formalem pertinere ad diuersas species peccati, sicut, & odium interius à quo procedit: nam qui imprecatur mortẽ est homicida, qui imprecatur incendiũ domus, vel bonorum est incendiarius. Dixi ex suo genere, quia potest esse maledictio formalis peccatum veniale ex leuitate materiæ, vel defectu deliberationis, vt si fiat primo motu, vel ex imperfectione actus, si quam primum cæpit maledicere retrocedat nec maledicat.

CONCLVSIO II.

Maledictio qua quis imprecatur alteri malum sub ratione boni, non est peccatum, sed licita, in casibus, in quibus licet illud malum velle ad tale bonum.

PRobatur. Cum actus exterior sit eiusdem rationis cum interiori, à quo procedit, quòd licet, & præcari, ergo in casibus in quib. licet optare malũ sub ratione boni, licet & illud imprecari sub eadem ratione, & fine.

Secundò, ex quomodo 25. art. 8. odium inimicitiæ, quo volumus proximo malum, quia illi malũ est, est intrinsecè malum, at odium cõcupiscentiæ, quo volumus proximo malum, ob aliquod bonũ si iuxta rectam rationẽ tale malum ordinetur iu bonum illud, non est tale odium intrinsecè malũ, imò honestum, & licitũ: ita dicitur Deus nil odisse, idest odio inimicitiæ, benè tamen odit peccatores odio concupiscentiæ, inferendo eis mala, vt ostendant in eis suam iustitiam, & gloriam, aut resipiscant, sed imprecari malum sub ratione boni eo modo quo exposuimus, pertinet ad odium cõcupiscentiæ, iuxta rectam rationem, ergo licet.

CONCLVSIO III.

Maledictio materialis, quæ fit sine intentione, & desiderio mali quod ore profertur, non est peccatum mortale, sed tantum veniale ex suo genere.

PAtet. Peccata hæc ore quæ committũtur grauia sunt, & mortalia, aut ex nocumento, quod inferunt, aut ex intentiooe, in hoc casu deest intentio, nocumentum autem nullum infertur, cũ verba non habeant vim ad illud inferendum, ergo hæ maledictiones non sunt peccata mortalia, sed tantum venialia, quia dicunt malum. Imò aliquando neque venialia, si ita ioco, & ludo dicantur, vt pertineant ad honestam recreationẽ, quales sunt quas in conuiuijs, ludis, & comedijs allij inij alijs, amicè, & familiariter iaciunt. Dixi ex suo genere, esse venialia, quia ex circumstantia possunt reddi mortalia. Vnde maledictiones Prælatorum iu subditos sunt mortales, quia afferunt secum graue scandalum: maledictiones quoque filiorũ in parentes, etiam si desit intentio, sunt mortales, & ratione scandali, & ratione grauis irreuerentiæ. Maledictionis autem Superiorum in inferiores communiter sunt veniales, quia fiunt sine intentione, vel dèsiderio damni, & sine scandalo.

Obseruandum autem maximè hic est, non esse maledictionem materialem, sed formalem eam, in qua, quod ore dicitur interius desideratur, licet ex subita passione, & quodã impetu iræ illud optauerit, & statim pęniteat sic maledixisse, optet que illud non euenire: quia ad odium non exigitur mora, nec prudens, aut multa deliberatio, sed sat est, vt sciens, & volens illud malum imprecarus sit, enim ad peccatum mortale sufficiat passionem ita inualuisse, quamuis per breue tempus, vt flexerit superiorem portionem ad consensum, quemadmodum si passio concupiscentię ita exardescat, vt trahat hominem ad consensum in actũ venereum, est peccatum mortale, nec definit tale esse ex eo quòd statim resipiscat: nec illa subdita pœnitentia, & repentinus dolor est signum non consensisse, & peccasse mortaliter, sed solum indicat non peccasse ex malitia, & habitu, sed ex passione. Quo fit communiter formales ac mortales maledictiones esse illas, quibus inimicis malè dicimus, quia fiunt hæ regulariter ex animo, & odio, illas quoq; quibus personæ parum timentes Deũ maledicunt suos filios, & famulos, quia communiter ipso tempore quo maledicunt, non pœniteret ipsis euenire mala illi his quos maledicunt.

CONCLVSIO IIII.

Maledicere creaturas irrationales, vt sunt creatura Dei est peccatum mortale blaphemiæ, maledicere illas quatenus sunt vtiles hominibus, tale peccatum est, quale committeretur, si homines illi quibus vtiles sunt maledicerentur: maledicere aut illas secundum se ipsas est otiosum, & vanum.

PRima pars probatur, quia creatura, quatenus Dei effectus est, est quid Dei, & quicquid ipsi hac ratione tribuitur, in Deũ refunditur, Vnde illam isto modo maledicere est maledicere auctorem ipsius nempè Deum.

Secunda patet, quia qua vtilis est homini, malum, quòd illi præcatur, mediatè præcatur homini, vt præcari terræ sterilitarem est præcari homini, & ita tale peccatum est quale si homini maledixisset.

Tertia pars constat quia creaturæ secundum se non sunt capaces iuris, aut iniuriæ, nec maledictionis, vel benedictionis.

Ex quo ridiculum est nubes, tronitua, & tempestates aeris maledicere, aut anathematizare, multò magis ridiculum excommunicare locustas, sed orandus est Deus, vt illas auertat orationibusque & exorcismis agendum cõtra Dęmones, qui Deo permittẽte illas in damnum hominum solent excitare.

CONCLVSIO VLTIMA.

Creaturas irrationales hominum natiuitates, & opera continentes quatenus hominem continent, non licet male-

maledice. Tropologicè autem, & Metaphorisicè, quatenus aliquod malum eo tempore, vel loco accidit, licet maledicere.

PErspicua est hæc conclusio, quia maledicere diem natiuitatis, quatenus in eo natus est aliquis idem est quòd maledicere hominem illo die natum, maledicere autem diem, vel locum Tropologicè, id est mala, quę tali loco, vel tempore acciderunt, licèt. Ita maledixit Iob diei natiuitatis suæ, id est, culpæ originali quam eo die cōtraxit. Et Regius Propheta David montibus Gelboe, idest, homicidijs, quæ in illis montibus acciderunt.

Denique obseruandum est in hac quæstione, cum maledictionis grauitas augeatur ex qualitate mali quod aliis imprecamur, explicandum esse in confessione, quod sit malum illud, & quam graue, maximè quando aliquis in maledictione diabolo traditur. Quia huiusmodi maledictio, etsi sine intentione fiat, vix excusatur à mort. vel saltim veniali grauissimo, cum sit quoddam genus blasphemiæ, & cum grandi scandalo. In quo grauissimè peccant parentes maledicentes filios, admonendi quæ sunt, vt ipsi ab illis plurimum abstineant, & filij, vt ab illis sibi caueant. Quia etsi ex vi verborum nullam vim habeant, cum verba humana non sint operatiua, sed sola diuina sint, quæ id efficiunt, quòd significant, creatura enim nil operatur, nisi applicando actiua passiuis quod nō valent sola verba hominis; ex diuina tamen permissione, iusto Dei iudicio in punitionem proferentium illa, solent filios comprehendere, vt testatur D. Aug. de Ciuit. Dei, c. 8. Singulare huius rei exemplum est, quòd accidit Siculæ in Ciuitate Panormitana, vbi cum mulier filium molestè lachrymantem maledixisset, tradens illum diabolo, statim ille sub specie deformis Aethyopis apparens arreptum puerum deferebat. Quod cernens misera mater, dicti pœnitens, Deiparæ Virginis opē implorans, protinus clamauit vt sibi succurreret: illa Pijssima Virgo etsi indignam exaudiens adfuit statim, vna manu splendidissimum paruulum in sinu gestans, alia baculum quo Aethyopem illum percutiens fugauit, puerumque illum matri suæ restituit, admonens illam, vt pœnitentiam ageret, & à simili maledictione perpetuo abstineret. Noctè verò sequenti Priori conuentus S.P.N. Augustini, in cuius vicinia illud acciderat eadem Sacratissima Virgo apparens, omnem casum retulit, præcipiens sacellum (capellam dicunt) sibi in illa Ecclesia sub nomine Diuæ Virginis de Succursu ædificaret: quo fidelibus innotesceret non defuturam omnibus auxilium ipsius sub eo nomine implorantibus, quę mulierculæ illi, etsi tanto beneficio indignæ præsto fuerat, eo quod sub nomine adeò sibi grato illius opem postulasset. Huius Sacratissimæ Virginis singulari munere mihi cōcessum est, vt in eius ædibus hoc primum Volumen Commentariorum in disputationem de iustitia excessum, ad finem vsque perducerem, ac in celebri Expectationis eiusdem Virginis festiuitate absoluerem. De cuius etiam pietate non dubito, quæ hic argumento desunt, & propediem in lucem mittere statuo, ipsius auxilio fęliciter excudenda. In quibus quæcunque hactenus docuimus, & docebimus, Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, quæ omnis veritatis columba est, & magistra, ac peritorum correctioni submitto, studiosum lectorem, quantum possum obsecrans, vt quæ minus rectè hic tradita deprehendet, boni consulat, quæ optimè, & verè Deo Opt. Max. à quo omnis sapientia est accepta referat.

F I N I S.

[illegible]

INDEX QVÆSTIONVM D. THOMAE, QVÆ IN HOC PRIMO VOLVMINE explicantur.

QVÆSTIO IIII.
De diuisione dominiorum.

QVÆSTIO V. ET VLTIMA.
De translatione dominiorum.

QVÆSTIO LXII.
De Restitutione.

QVÆSTIO LXIII.
De acceptione personarum.

QVÆSTIO LXIIII.
De homicidio.

QVÆSTIO LXV.
De mutilatione membrorum.

QVÆSTIO LXVI.
De furto.

QVÆSTIO LXVII.
De iustitia iudicis?

QVÆ

QVÆSTIO LXVIII.
De iniustitia accusatoris.

QVÆSTIO LXIX.
De iniustitia, quam potest reus committere in iudicio.

QVÆSTIO LXX.
De iniustitia, quam potest committere testis in iudicio.

QVÆSTIO LXXI.
De iniustitia, quæ potest accidere in iudicio ex parte aduocatorum.

QVÆSTIO LXXII.
De contumelia.

QVÆSTIO LXXIII.
De detractione, seu infamia.

QVÆSTIO LXXIIII.
De Susurratione.

QVÆSTIO LXXV.
De Derisione.

QVÆSTIO LXXVI.
De Maledictione.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,

in quo continentur innumera vtriusque iuris testimonia.

E quibus nonnulla, quæ in eo accuratius explicantur, & in disputationibus excutiuntur ex Sacris litteris, & iure Pontificio, placuit hic indicare.

ZACHARIAE.

MALACHIAE.

MATTHAEI.

MARCI.

LVCAE.

IOANNIS.

ACTA. APOST.

AD ROMANOS.

PRIMA AD CORINTH.

PRIMA AD TIMOTH.

IACOBI.

PRIMA CANONICA IO.

APOCALIP.

EX IVRE PONTIFICIO.

Finis Indicis locorum Sacræ Scripturæ.

INDEX
COPIOSISSIMVS RERVM NOTABILIVM,

ET SENTENTIARVM AC DEFINITIONVM magis Illustrium.

QVÆ IN HOC PRIMO TOMO continentur.

A

Accusa-

B

Benefi-

C

Con-

D

Debitor

E

Existens

I

Infama-

Iustitiæ

Occidere

Promis-

reuelans

Per

FINIS.



